BIBLIOTECA NAZIONALE DI TORINO
E
I
75

E. I 75

70

RERVM PERSICARVM HISTORIA,

INITIA GENTIS, MORES, inſtituta, reſque geſtas ad hac vſque tempora complectens:

Auctore PETRO BIZARO Sentinate.

Cui acceſſit

Breuis ac vera HENRICI PORSII de bello inter MVRATHEM III. Turcarum, & MEHEMETEM Hodabende, Perſarum Regem geſto, narratio: ac PHILIPPI CALLIMACHI Experientis de bello Turcis inferendo, oratio; eiuſdemque de his quæ à Venetis tentata ſunt, Perſis ac Tartaris contra Turcos mouendis, hiſtoria.

ET

APPENDIX, QVAM EX ITALICO LATINAM FECIT IACOBVS GEVDERVS *ab Heroltzberga.*

Item

IOSEPHI BARBARI ET AMBROSII CONTARENI Legatorum Reipub. Venetæ Itineraria Perſica:

IOHANNIS THOMÆ MINADOI belli Turco-Perſici hiſtoria:

ET

Auonymi cuiuſdam, belli eiuſdem deſcriptio.

Cum INDICE locupletiſſimo.



FRANCOFVRTI

Typis Wechelianis apud Claudium Marnium, & heredes Ioannis Aubrii.

M. D C I.

ILLVSTRISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO AVGVSTO, DVCI SAXONIÆ, SACRI

Romani Imperii Electori & Archimareſcallo, Landgrauio Turingiæ, Marchioni Miſniæ, & Burgrauio Magdeburgenſi, &c. Domino meo clementiſsimo.

DECENNIVM iam effluxit, Illuſtriſſime ac potentiſſime Princeps, ex quo, Celſitudo tua, nullo meo merito, nullaq; officiorum promptitudine prouocata; ſed ex mera ſua bonitate me in album domeſticorum ſuorum aſcribere dignata eſt; magnum quidem temporis ſpatium, ſi huius noſtræ humanæ vitæ metam, ſpatiiq; decurrendi lubricitatem & lapſum attendas; exiguum profecto, ſi hominum, ſpes ſuas in immenſum extendentium inſatiabili quadam cupiditate, curſum metiri velimus. Ex eo porro tempore hactenus mihi perdifficile fuit iudicii rectitudine aſſequi, vtrum ego tibi plura, cum tamen tuæ Celſitudini me omnino plurimum debere confitear & agnoſcam, vel tu tibi ipſi, hoc eſt, raræ iſti tuæ felicitati, diuinitus conceſſæ, debeas: Siquidem, ſi omnia tua egregia facta, præclaraſque & inauditas fere virtutes ad trutinæ examen & amuſſim reuocare libeat, quiſnam eſt, obſecro, tam hebeti vel obſcuro ingenio, vel tam ingrato atque liuido animo, vt non fateatur, veritate hanc ipſam confeſſionem exprimente, tibi cæleſti quodam conſenſu heroicum iſtum animum obtigiſſe, quem per omnes politicas artes in tanta imperii potentia aſſidue exerceres, adeo me hercule, vt boni omnes vno ore, vnanimique conſenſu eam ipſam Celſitudinis tuæ generoſitatem prædicent, atque laudibus ad cælum vſque vehant: Improbi vero, & optimi cuiuſque actiones ſuggillantes, & in diuerſum detorquentes, virtutem quidem tuam videant; ſed tacite plus admirentur, quam laudent, vel æmulentur. Nec mirum, cum hæc ingenita ſit virtuti natura, vt etiam ab aduerſariis in hoſte prædicetur, & ſemper quidem laudatorem, etſi nõ ſemper

æmulatorem, repetiat. Hæc, eo fuſius, inclyte Princeps, proſequenda duxi, quia in confeſſo eſt, & multis exemplis conteſtatum, te, tui imperii initia ſtatim ab ipſa ineunte ætate, à laude & virtute eſſe auſpicatum, tantaque animi conſtantia hunc tenorem retinuiſſe, vt difficile æſtimatu ſit, vtrum plus domi, vel foris, bello, vel pace, laudis atque gloriæ aſſecutus fueris. Nam vt tuas bellicas virtutes hic, breuitatis gratia, omnes non repetam, quis eſt, rogo, qui Principum Germaniæ res geſtas literis conſecrauerit, tam male de literis meritus, vel in tanta hiſtoriæ ignoratione, vt te non iure optimo inter præſtantiſſimos Imperatores & duces, atque adeo ſuæ ætatis præcipuos retulerit? Expeditiones domeſticas ſciens prudenſque omitto, cum præſertim earum recordatio plus amarulentiæ, quam iuſti gaudii ac lætitiæ tibi afferat: hanc ſolum hic recenſebo, quam ſilentio præteriiſſe placulum fuerit, nempe expeditionis Seghetanæ per diuum Maximilianum auguſtæ memoriæ ſuſceptæ enarrationem contra immaniſſimum Chriſtiani nominis hoſtem Solymanum Turcarum Imperatorem, in qua certe egregia tua pietas cum indefeſſo Chriſtiani orbis proferendi ſtudio coniuncta, vſque adeo illuxit & enituit, vt, nulla habita interni motus quorundam ſubditorum ſuorum coitione ac ſcelerata factione concitati, ſed tandem feliciter oppreſſi, ratione, nulliſque deterrita ſumptibus, alacriter ad Reipub. Chriſtianæ cum tuendam dignitatem, tum communibus auxiliis defendendam, atque propagandam, ipſi Cæſari tam neceſſario ſuo tempore auxiliares ſuas copias ſubmiſerit, nimirum equitem ex ipſo robore ac totius ſuæ nobilitatis flore deſcriptum. Cuius aduerſus hoſtem tanta fuit animi præſentia, & decertandi fortitudo, vt paucos pares, primos ſibi nullos haberet. Ad domeſtica Reipubl. tuæ ornamenta ſi diuertere libeat, hæreo animi, à quo potiſſimum ordiri debeam, cum omnes tuas actiones perpetua quadam harmonia aſſiduoque quodam ductu ad eundem ſemper ſcopum collinent, nihilque ipſi omnino ſit antiquius, quam neglecto priuato commodo, in commune proſpicere, potioremque ſemper publici boni rationem ducere, quam earum rerum, quarum ſolicitudine & cura plærique Principes torquentur. Has ergo artes cum probe calleas, & iuſtiſſimis mediis exerceas, quis, quæſo, miretur, ſi non modo ſententiæ, ſed etiam opinionis tuæ, tanta non ſolum apud Saxones tuos, verum etiam apud finitimos ſit auctoritas, quanta vſquam gentium poteſt eſſe maxima? Tanta vtique vis ad incitanda, vel inhibenda ſtudia eo vt vergant ſtatim omnia & ferantur, quo ſenſus Celſitudinis tuæ & voluntas propendere noſcuntur, vſque adeo, vt oculorum tuorum circumactu, ſcena, vt ita dicam, imperii Saxonici theatrumque totum communis prudentiæ cum Orcheſtra, cum Ordinibus, denique

cum

cum omnibus Prouincialibus ac ſubditis verſetur. Cæterum tuis laudibus forſitan breuius,quam par eſt, inhærenti, occurrit naturæ tuæ conſideratio,quæ non tam ſibi ad gratiam, quam ad veritatem & libertatem omnia dici poſtulat. Proinde cum neque mea, vel cuiuſquam alterius multo maiori eloquentia præditi laudatione indigeas, ſuperſedebo in præſentia in laudum tuarum præconio, modumque mihi ſtatuam non quidem ex arbitrio meo: ſed ex tuæ optimæ naturæ moderatione ac modeſtia petitum, ſenſimque dilabar ad ocij mei domeſtici tibi rationem reddendam. Quod, quale hactenus fuerit, paucis atque breuibus accipe. Non dubito, Illuſtriſſime Princeps Elector, quin, licet Celſitudini tuæ familiariter non ſim notus, attamen in tanta tuorum nobilium & primariorum hominum frequentia, quibus cum ſeria & priuata negotia conferre ſolet, extiterit aliquis, qui tuæ Celſitudini planum fecerit, quanto animi ardore atq; fidei integritate, inde ſtatim à principio, quo me tua liberalitas, atq; perſpecta clementia ſui iuris & mancipii fecit, erga ipſius Celſitudinem, atq; adeo vniuerſam præclariſſimam familiam affectus fuerim, tametſi per meæ fortunæ tenuitatem, atq; Reipub. confuſionem, illa argumenta ſolidæ obſeruantiæ hactenus non protulerim, neq; re ipſa declarauerim, quæ mira quadam alacritate præſtare animus cupiebat, ita mediusfidius, vt hoc quaſi obſtaculo & impedimento rebus meis interpoſito, ceſſator ac tergiuerſator tibi iure videri debeam, ſi officiorum meorum exiguitatem ad liberalitatis tuæ promptitudinem atque lancem deuocare ſuſtinueris: Verum hac de cauſa me non mediocriter perturbatum, nonnihil ſolatur, quod ſatis conſtet, vbi officiorum merita ceſſant, optimi animi voluntatem ſemper procedere, & in tantum omnium doctorum iudicio promereri, vt aliquando facta ipſa vel exæquet, vel etiam ſuperet. Hoc dico, Illuſtriſſime Princeps, quod videam, mihi contra animum meum, præterque ſpem & expectationem omnem, ſemper iniuria temporum fieri, vt mihi, cui magis demerendi iuſta eripiatur occaſio, niſi tandem perfricta fronte, exutoque pudore, apud me ſtatuiſſem, non amplius relinquendum eſſe locum dubitationi vllum. Porro ad remouendam emanſoris animi ſuſpicionem, nolui committere, quin decennalis ocii fructum tibi vno eodemque tempore proferrem, & tanquam depoſitum mihi concreditum, tibi cum tali quali vſura in manus darem. Quare, cum iam labores noſtri in deſcribenda Perſica hiſtoria eſſent conſumti, & opus ipſum ad calcem iam eſſet perductum, multorum more non diu hæſitaui, cuius potiſſimum auſpiciis in lucem atque vulgus prodiret: Sed tuam Celſitudinem, tanquam vnicum mihi Mœcenatem, optimo iure delegi, cui opellam hanc (ſi modo opellam, opus tam arduum, & tot tantisque laboribus atque vigiliis elucubratum vocare libeat) conſecrarem, in ſpem certam adductus, vt hac ſaltem ratione ab ingrati animi crimi-

ne,quod Dii hominesque ſemper oderunt,liber euaderem. Interim cumulate & probe mecum agi ſemper reputauero, ſi gratia tua non excidam: ſi nulla temporum vel hominum iniquitas me extra gremium beneficentiæ tuæ excuſſerit; & hæc, quæ tibi maxime probare ſtudia nitor,tibi ſemper grata atq; accepta fore intellexero. Hæc ſunt fere,clementiſſime atque optime Princeps, quæ ego in hac vltima ſtadii meta tibi offerre ac exhibere ex intimo cordis affectu aueo & maximopere contendo.Reliqua in poſterum erunt eiuſmodi, vt mihi ſemper fidei & diligentiæ ſumma ratio conſtet: Rogans diuinam Maieſtatem, vt Celſitudinem tuam cum auguſtiſſima & ſereniſſima ipſius Coniuge,fœmina pietate,pudicitia,prudentia,& fœcunditate lectiſſima & laudatiſſima,illuſtriſſimis liberis, atque adeo vniuerſa ſua familia & ditionibus tueri ac protegere dignetur cum ea imperii amplificatione & incremento; vt Celſitudinem tuam Reſpublica Chriſtiana,accisis iam opibus, & quodammodo euerſis tam priuatis,quam publicis fortunis omnibus, te quaſi obicem habeat, quem tantis iniuriis opponat,& ab interitu non modo vindicet ac retrahat,verum etiam victricibus armis in libertatem aſſerat, pacemque iam procul exulantem,ad nominis ſui gloriam & bonorum ſalutem reſtituat.Ex vrbe Antuerpia Idib.Februar. Anno à Virginis partu 1583.

Veſtra Illuſtriſſima Celſitudinis

Humilimus atq; obſeruantiſſimus famulus

Petrus Bizarus.

AVCTOR AD EVNDEM ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM, &c.

Qvi tibi Pannonicum bellum, & quæ Muſtapha geſſit
In Cypro, vtq; Pial victus ad Echinadas:
Et complura alia, haud memoratu indigna, ſacrauit,
Tanquam animi teſtes, ac monumenta ſui:
Inclyta Perſarum Regum atq; ingentia facta,
Nota per Eoas Occiduasq; plagas;
Quæq; olim fuerint tanti incunabula regni
Progreſſus, mores, iura; fidesq; ſimul,
Nunc dicat, auſpiciisq; tuis euulgat in orbem,
Atq; tuam ſupplex vnius orat opem.
Tu vero interea generoſe ac maxime Princeps,
Quæ dantur, miti ſuſcipe fronte precor.
Sic tibi perpetuo faueant pia numina cœli:
Sic placidos tribuant, & ſine nube dies.

שיר על ספר הזה בזה ריוח

דאת ספרת מחברתו בבינה
שסודר לכנותו תניגה
וכתב כה בגלוי כל דברים
אשר בזה : כפרם על סדרים
והביא זאת למתנה לשרו
לאנטושו גדלתו ואותו
עלי ארץ בפי עשיר ורשים
ואת כהו מהלל איש ונשים.

CLARISSIMI VIRI HVGONIS FAVOLII, PHILOSOPHI AC MEDICI, carmen,ad Petrum Bizarum.

QVod tibi naſcenti Pallas, cum Pallade Phœbus
Adfuit,& placido puerum te lumine vidit
Melpomene cantu Dea cognita,docte Biſare,
Ingenii monumenta tui teſtantur aperte,
Nulla dies vnquam venturo quæ auferet æuo.
Scilicet à cunis raptum te vt ſedula Diua,
Caſtalioque rigans tua lactea labra liquore,
Aonas in montes teneris deduxit ab annis:
Cui rerum varios caſus Latonia proles,
Fortunaque vices varias cognoſcere,habendam
Hinc citharam,plectrumque ſuum conceſſit & vſum.
At tua nunc canis ornet cum grandior ætas
Tempora,& acceſſit rerum prudentia maior,
Ad maiora vocat Muſarum maxima Clio,
Virginibus comitata ſuis,quibus vnica cura eſt,
Geſta laboratis Regum committere chartis,
Egregium memori facinus producere fama,
Et ſenio aſſerere facti immortalis honorem:
Vt ſua virtuti à fato monumenta ſuperſint,
Quæ valeant ſeri ſaltem meminiſſe nepotes.
Ergo tuo merito circum tua tempora laurus
Ibit,& ingentis Perſarum exordia regni,
Incrementa,ſtatus,bellorum incendia,cædes,
(Credo prius nullis vnquam narrata Latinis)
Immenſum venient per te vulganda per orbem:
Cum tu bellorum caſus miſeratus acerbos,
AEqua ſolo,& miſeris iamdudum oppreſſa ruinis
Oppida,ſinglatim memorans reuocabis in auras.
Quare te merito celebris præconia famæ
AEternos victura dies,& præmia laudum
Certa manent,late celebri cantanda Camœna.

DE HISTORIA PERSICA ILLVSTRISS. PRINCIPI AVGVSTO dedicata.

PErſidos Imperium,formidatamque rebelli
Aſſyrio gentem,Barbara fama canit.
Hinc ſors virtuti,virtus hinc æmula ſorti:
Vtraque Pellæum mox ſubitura Ducem.
Scilicet Arſacidas hæc facta,& fata manebant:
Sed male fuſa prius,nunc bene lecta patent.
Contulit hanc Bizarus opem,ſummoque labore
Contulit:at,quæ ſint præmia iuſta,petis?
Hunc auguſta manus,laus hunc auguſta coronat,
AVGVSTO *auguſtam qui dicat hiſtoriam.*

I. IESSEVS.

IN PERSICAM PETRI BIZARI HISTORIAM N. CLEMENTIS TRELÆI Moſellani Epigramma.

QVi Ligures Ligurumquè Duces & geſta reduxit
Italus Italiæ Bizarus amator alumnæ;
Ne Craſsi cineres vrna tumulentur inulta,
Perſiam in Italiam portat monumenta laborum:
Et Perſas OrmuZiaca euocat vrbe Penates,
Vt ſua Muſa Muſas Sophiosque ſopheia monarchas
Auguſto Aonios doceat ſub Principe mores.
Pergat, eat felix AVGVSTO *carus amato;*
Auguſto AVGVSTVS *Princeps auguſtior ipſo,*
Ipſius imperio viuas digniſsimus orbis.

AD RERVM PERSICARVM HISTORIAM, CARMEN ET COMmendatio.

BEllipotens longa regione hinc Perſia diſtans,
Nunc in vicino eſt, ſi data ſcripta legas.
Ne freta vaſta ſeces; ne terrarum ardua tranſi,
Cognita non oculis, terra videnda datur.
Arſacidum hic præclara licet cognoſcere geſta,
Et foris atque domi, tempore quaque ſuo:
Cernis vt & norint bello glomerare potentem
Rite manum Perſæ, vincere Marte ſuo;
Marteq; Turca cadat: victoria parta refringat
Progreſſus nimios hoſtis in orbe feri.
Arſacidis igitur toto ſit in orbe triumphus,
Totus enim fuſis hoſtibus orbis ouat.
Prodidit iſta palam BiZarus voce ſonora,
Perſarum gentis bella decusq; nouans;
Et, quo deſcriptæ regiones longius abſunt,
Vera hoc deſcribens, dignus honore magis.

Matth. Sasbout Iureconſ. Blancbergius.

EIVSDEM AD EANDEM HISTORIAM.

INcumbens velut Eurus eſt fugaci
Velo, atq; Oceano ratem incitatam
Infert; ſic fugat omnibus tremendum
Hoſtem Perſa ferox, ſuoque prorſus
Hunc molimine fraudat, & retrudit
Ad plenum pelagus periculorum;
Sorte, haud Marte ſuo ad trophæa parta.
At virtute valens in orbe Perſa
Primas iure tenet, ruitque primum
Regem: ſic merito dicantur ipſa
Perſarum acta Duci & ſupremo
Saxonum, vt valeat parare grates
Primas iſte ſuo ex labore ſcriptor,
Tanquam eſt Perſa valens honore primo.

PERSI-

PERSICARVM RERVM HISTORIA IN XII. LIBROS DESCRIPTA, TOTIVS GENTIS INITIA, MORES, inſtituta, ac rerum domi foriſque geſtarum veram atque dilucidam enarrationem continens.

Auctore Petro Bizaro Sentinate.

LIBER I.

PERSARVM res tam domi quam foris geſtas, imperiiq; formam, atq; adeo fortunæ viciſſitudinem, qua paſſim in imperio adminiſtrando vſi ſunt, enarraturo, operæ pretium videtur, Platonis mentem atque ſententiam, ſtatim ab initio in mediũ proferre, qua diuinus ille Philoſophus dicere ſolebat, non temere oriri, neque interire imperia, ſed diuino quodã nutu gentes & populos in vnam eandemq; legum morumq; cõſenſionem confluere, ſed interim determinatas & propoſitas eſſe ipſis imperiis certas metas, quas ipſe periodos vocat, vltra quas raro, vel nunquã progrederentur. Hoc licet verũ ſit, & multis etiã diuerſorum regnorũ exemplis deprehendatur Platonis iudiciũ eſſe veriſſimum; perpaucas propoſitum ab ipſo imperii terminũ, nempe quingentorũ annorũ, prætergreſſas eſſe: tamen, ſi diligenti inquiſitione res geſtas euoluerimus, in cõfeſſo erit, aliquas vltra illã ipſam propoſitam periodum fuiſſe prolatas, & imperii dignitatem etiam cum amplitudine ad aliquot annos vltra retinuiſſe, vt facile animaduerti poteſt, ſi veteres auctores excutiamus, quorum in primis mihi Beroſus Babylonius, & Metaſthenes erunt, ac etiam plærique alii, ipſorum fidem atque hiſtoriam ſecuti, qui Aſſyriorum regnum ad annos M. CCC. ſiue ad minimum M. CCXXXVIII. *Finis Aſſyrii regni.* conſtanter perſeueraſſe ferunt. Siquidem Aſſyriorum imperium, cuius Ninus Iouis Beli filius, ſiue, vt aliis placet, Nembrodus, eius pater, principium atque originem dedit, ad Sardanapalum vſque, in ſumma potentia atque gloria floruit, diutiuſque omnium iudicio propagari potuiſſet, niſi regis inertia ac effeminatus animus regni neruum incidiſſet. De Medis video variate inter ſe auctores, & diuerſitate ſententiarum diſtrahi, cum multi ſint in hac opinione, ab Arbace primo *Medorum regnum.* ipſorum rege, ad Darium vſque, quem plæriq; Ciaxarem nuncupant, Aſtyagis nempe octaui Medorum regis filium, Danieli Aſſuerum vocatum, trecentis tantummodo annis viguiſſe. Reliqui vero, certis forſitan ſuis rationibus ſubnixi, putant Medorum imperium paulo plus, vel minus trecentis annis ſtetiſſe. Vtcunque ſit, non ibo inficias, hominum animos, licet eruendæ veritatis ſtudioſos quam ſæpiſſime poſſe falli, & ab vno errore in alium incidere, nec ſe prius explicare poſſe, quam vnius alicuius præſtantiſſimi iudicium ſecuti, ab hoc tanquam à præſtantiori iudice ſtent & pendeant. Ceterum non morabor hic amplius, ſed ſatis mihi fuerit, hoc omnium auctorum traditionibus inueſtigaſſe, Aſſyriorum ac Medorum potentiam, Perſarum fortunæ ceſſiſſe, atque paulatim

vtriuſque regni potentiam, in Perſici ſolij gremium tranſlatam fuiſſe. Verum enimuero cum noſtri potiſſimum labores rebus Perſicis deſcribendis conſecrati ſint, non ero curioſior in eruendis Aſſyriorum ac Medorum rebus geſtis. Si quid tamen eorum per occaſionem ſeſe obtulerit, non committam, quin illa ad pleniorem noſtræ hiſtoriæ cognitionem complectar. Proinde initio à Cyro Cambyſis filio deſumpto, dicemus, ipſius potiſſimum auſpiciis Perſicum imperium in tantam potentiam atque imperij diuturnitatem coaluiſſe, nimirum, cum inclyta ipſius virtus, atque regnandi egregiæ artes vſque adeo ab ipſa fortuna ſecundisque ſucceſſibus adiutæ fuerint, vt non mirum ſit, gentem regnandi cupiditate ſuapte natura incenſam, & ſemper dilatandi proferendique imperij auidam, tot annorum curriculis inſignem imperij formam retinuiſſe cum tanta finitimarum gentium reuerentia & formidine, vt difficile dictu ſit, vtrum Perſici imperij gloria propter amplitudinem imperij, vel propter res militiæ geſtas maior atque illuſtrior ſit. Nec in Cyro deſiit hæc inclyta virtus, ſed excepta à poſteris, tradita continua quodammodo ſerie per manus, multorum exinde ſubſecutorum regum vitam & nomen nobilitauit. Quippe ab hoc Cyro vſque ad Darium Arſami filium, quem Alexander Macedo triplici prœlio ſuperauit, res Perſicæ perpetuo quodam tenore floruerunt, & longe lateque nomen ſuum propagarunt. Cæterum, vt in rebus humanis nihil eſt firmum vel ſolidum, quin potius omnia fluxa & euanida, tanquam luxato Perſico imperio, cœpit deinceps aliquantulum à priſtina ſua gloria atque maieſtate deſciſcere, & paulatim nonnihil externis armis debilitari. Quæ omnia, quoniam vno loco dici non poſſunt, dabo enixe operam, vt ſingulis per ſua iuſta tempora diſtributis, nulla ſubſequatur hiſtoriæ confuſio, ne ſcilicet ex præpoſtera diligentia lectori tædium, ac errorem, mihi vero iuſtæ reprehenſionis locum relinquam, ſimulque Deo fauente, eo vſque hiſtoriæ noſtræ ſeriem perſequar aſſiduo quodam contextu, vt omnibus conſtare poſſit, quibus tandem occaſionibus Perſæ, iam euerſo illorum imperio atque dominatu, & ſeruitute à Saracenis oppreſſi, iterum à Genipſa Parthorum duce in nouam ſpem erecti, amiſſas imperij ſui prouincias vna cum libertate recuperarint, donec tandem Magnus Vſumcaſſanes, vnus ex Satrapis Perſiæ, atque Armeniæ procurator, Malonchre Partho, vltimo ex Genipſæ proſapia, extincto, Perſicum regnum inuaſerit. vtque etiam Hiſmael cognomento Sophus, deuictis in acie aduerſariis, Perſide potitus fuerit: quæ bella cum Ottomannicis Imperatoribus geſſerit, & quos denique imperij ſucceſſores poſt ſe reliquerit: præterea, quæ oppida & vrbes Perſico imperio ſubiiciantur, & quænam hac noſtra tempeſtate propter populi frequentiam, ædificiorumque pulchritudinem, vel mercium commutandarum commoditatem celebriores ſint, obiter commemorabo. Et quo facilius lector huius antiquiſſimæ gentis originem atque potentiam comprehendere poſſit, pauca de ipſorum moribus, legibus & inſtitutis, necnon quantæ fuerint priſcorum regum, vigente Monarchia, opes atque diuitiæ, vt quaſi vnico obtutu quamplurima intelligere queat, diligentiſſime delibabo. Cæterum priuſquam de Perſicis rebus aliquid omnino dicere ac explicare aggrediar, minime ab inſtituto alienum fuerit, ſi breuiter hic ſubiecero quæ ex veteribus auctoribus Strabo, ex recentioribus vero, Haithonus Armenus, de huius præſtantiſſimi atque potentiſſimi regni ſitu poſteris ac memoriæ mandauerunt.

Deſcriptio regni Perſiæ.

Et prior quidem libro xv. Perſiam ita deſcribit. Poſt Carmaniam, inquit, Perſia eſt, multa ſane in ora illius ſinus, qui ab ea nomen habet: ſed longe maior in mediterranea, præſertim in longitudine quæ ab auſtro & Carmania in ſeptentrionem & Medicas gentes pertendit. Triplex autem eſt natura, & aeris temperie. Nam ora maritima æſtuoſa eſt, ac ventoſa, & fructuum inops, præterquam palmarum. Ea quater mille, & quadringentis ſtadiis vel ccc. cenſetur, & in flumen deſinit, qui omnium ibi maximus amnium Oroates appellatur. Regio vero vlterior, campeſtris eſt, omnium ferax, & optima pecorum nutrix, fluminibus & lacubus plena. Tertia eſt hyemalis ac montana aquilonem verſus; ab extremis eius partibus ſunt camelorum paſtores. Longitudo eſt, vt

Erato-

Eratoſtheni placet, In Septentrionem & Caſpias portas ad IIX. ſtadiorum millia, ſecundum vertices quoſdam procurrentia. Vltima eſt vſque ad Caſpias portas, non vltra duo millia ſtadiorum. Longitudo vero in mediterranea, à Suſis vſque Perſæpolim, ſtadiorum quater mille, & CC. hinc vſque ad Carmaniæ fines ſunt ciɔiɔc. Gentes regionem hanc incolunt Patiſchores, & Achæmenidæ, & Magi, quorum hi, honeſtæ viuendi rationi ſtudent. Item Cirtij & Matai, quorum alij prædatores ſunt, alij agricolæ. Sed & Suſis fere Perſiæ pars eſt, inter eam & Babylonem poſita, & Suſa vrbem habet memorabilem. Hactenus, quæ Strabo in deſcriptione Perſiæ enumerat, licet ſatis videri poſſent ad Perſiæ cognitionem habendam, mihi tamen ad afferendam maiorem rebus Perſicis lucem, expedire aliqua ex parte videtur, vt huic Strabonicæ deſcriptioni Haithoni Armenij viri clariſſimi atque in geographia verſatiſſimi ſubiungam enarrationem. Sic enim Perſiæ deſcriptionem orditur. Regnum Perſarum diuiditur in duas partes, quæ dicuntur ſolummodo vnum regnum, eo præcipue, quod vnus ſolus dominus illarum terrarum ſemper obtinuerit principatum. Prima pars Perſarum incipit in Oriente, à confinibus regni Turqueſtan, & portenditur per Occidentem vſque ad magnum flumen Phyſon, quod eſt primum inter quatuor flumina, quæ fluunt de paradiſo terreſtri. Et ex parte Septentrionis extenditur vſque ad mare Caſpium; ex parte Meridiei vſque ad deſertum Indiæ. Prouincia illa eſt quodammodo tota plana: in eius medio duæ ſunt ſitæ magnæ & opulentiſſimæ ciuitates, quarum altera vocatur Bactara, altera Senorgant. Illarum partium incolæ dicuntur Perſæ, & habent proprium idioma, viuuntque de mercimoniis, ac ſoli agricolationi, & plerique etiam bellicis ſtudiis operam impendunt. Antiquitus colebant idola, & ignem, tanquam Deum præcipuum venerabantur. Poſtquam vero Mahometi ſecta, illarum regionum dominium inuaſit, effecti ſunt omnes Saraceni, eius falſiſſimis dogmatibus fidem adhibentes. Alia vero pars incipit à Phyſon, qui & Euphrates, & per Occidentem vſque ad regni Mediæ, & partim maioris Armeniæ fines porrigitur. Cęterum ex parte Septentrionali, ad mare vſque Caſpium extenditur; ex parte autem Meridionali terminat cum quadam prouincia regni Medię. In ea ſitę ſunt duę maximæ atque inſignes vrbes, quarum altera Heſabor, & altera Sachen patrio ſermone nuncupatur, quæ in fidei religione ac viuendi ritu ſunt conſimiles aliis ſupradictis, &c. Quanquam autem in re ſatis maniſeſta prolixior videri poſſim, tamen quia ad plenariam rerum cognitionem nihil quidem in hac parte ſuperfluum, meo iudicio, exiſtere poteſt, ideo his duabus præcedentibus etiam Pomponij Melæ de Sinu Perſico breuem delineationem ſubtexam. Ait enim lib. III. cap. VIII. illũ, qua mare accipit, vtrinque rectis lateribus grande oſtium quaſi ceruice complecti, deinde terris in omnem partem vaſte & æqua portione cedentibus, magno littorum orbe pelagus incingentem, reddere formam capitis humani. Arabicum autem, & os arctius, & latitudinem minorem eſſe, maiorem aliquanto receſſum, & longiora latera. Solin. cap. LVIII. ſcribit, Rubrum mare in duos ſinus ſcindi: quorum qui ab Oriente eſt, Perſicum appellari quandoquidem oram illam habitauere Perſidis populi, vicies & ſexagies centena millia paſſuum circuitu patens: ex aduerſo vnde Arabia eſt, alterum Arabicum vocari. At Plinius lib. VI. cap. XXVI. breuiter inquit: Perſæ Rubrum mare ſemper accoluere, propter quod is ſinus Perſicus vocatur. Regio ibi maritima Cyropolis: qua vero ipſa ſubit ad Medos, Elymais. His itaque hactenus delibatis, reliquum eſt, vt Perſici nominis originem atque nomenclaturam inueſtigemus, quibuſue nominibus & vocibus hæc gens olim appellata fuerit, & vnde ipſi Perſæ primum ortum duxerint. Quod quamuis traditu propter auctorum diuerſitatem valde arduum atque difficile ſit, tamen adiectis iјs, quæ circa hæc commemorantur, vnicuique ſuum integrum iudicium permittam, nec me huic vel illi auctori ita aſtringam, vt in eius verba iuraſſe videar. Proinde cum certatim omnes ſua probare velint, potiorem ſententiam ſequutus videtur, quod Perſicum nomen à Perſeo, Iouis & Danaes Acriſiæ filio, deriuarit.

Sinus Perſicus.

Perſarum origo, & vnde appellati.

Hunc enim tradunt poſt multa proſpere ac feliciter geſta, ipſos Perſas in ſuam poteſtatem redegiſſe, ac Perſæpolim, quondam totius regni Metropolim & tegum ſedem, ab eodem ſic appellatam, idq; ante vrbem conditam annis M. CC. LXXV. contigiſſe creditum eſt. Non pauci vero in hac opinione ſunt ac hæreſi, vt Perſicum nomen ad Perſen ipſius filium ex Andromeda Cephei filia ſuſceptum, & apud Cephorum relictum, referant, atque hinc deinceps continua ſucceſſione Perſarum reges ortos fuiſſe exiſtiment: inter quos primarius videtur eſſe Herodotus, qui cum his auctoribus eandem ſententiam ſequutus, etiam aſſerit, Perſas prius dictos à Græcis Cephenes, & ab accolis Artæos. Nec ſane defuerunt, qui huius nominis conſtitutionem atque originem ad filium Medeæ Perſen retulerint, ſicuti Stephanus, qui etiam addit, Artæos à Perſis eos vocatos, quos Græci priſcos, & antiquos Heroas appellarunt, inde compoſitis nominibus, apud illos Artaxerxes, & Artabatos eſſe cognominatos, ſicut apud AEgyptios Heroes, qui cum antiquitate, tum rerum gloria, aut aliquo ſingulari in homines beneficio collato, erant celebres atque inſignes, Millamones & Parapollines nuncupabantur. Cæterum his ſimilibus inualidis rationibus omiſſis, quæ ſuis forſitan argumentis, vel potius coloribus defendi queunt, ſi penitius atque exactius verum ipſum perſcrutari velimus, occurret proculdubio ſtatim validior quædam ratio, quæ nos tanquam prehenſa manu in hanc perducet ſententiam, vt certiſſime exiſtimemus, Perſas, ab Elymo, ſiue Elam fratre Madai, filio Iaphet, à quo etiam Medi hoc nomine appellantur, nuncupatos eſſe, ac eos propterea in ſacris literis dici Elamytas: licet in Actis, vtpote Græce ſcriptis, etiam vſitate Græcis, nominis illius enunciatio retineatur. Ex his enim conſtat, filios Noæ fuiſſe Sem, Cham, & Iaphet, qui fuerunt geniti ante diluuium, ex quibus ab illa aquarum inundatione præſeruatis, vna cum alijs liberis, quos idem Noe cum reliquis prioribus procreauit, omnes gentes, quæ ab eo tempore ad hodiernum vſque diem extant, fuerunt, eruntque in poſterum, ſatæ, genitæ, ac propagatæ ſunt. Centeſimo vero anno à cataclyſmate, his tribus filiis ab eorum parente ſacta eſt diuiſio Terræ. Sem præfectus eſt Aſiæ, Cham AEgypto, & Africæ Iapetus, vel Iaphet, qui & Atlas Maurus poſtea dictus eſt, eo quod obierit in Mauritania: Prioris quidem poſteritas, cui fuerunt quinque filij, loca vicina Euphrati Orientem verſus occupauit: Alterius, loca finitima Iordani, & Nilo, progreſſa ad Meridiem: Tertia poſteritas minorem Aſiam verſus Occidentem occupauit, vnde poſtea, vti etiam ſuperioribus prouincijs, multæ gentes in Europa longe lateque propagatæ fuerunt. Ex hoc igitur Elam ſtirps eſt Perſarum, vt auctor eſt Ioſephus lib. 1. cap. 6. & Zonaras lib. 1. itidem teſtatur, à quo etiam Elymi, ſiue Elymæi, aut Elamitæ, gens Perſidis nuncupata: idque à probatis auctoribus diligenter obſeruatum eſt, in quibuſcunque locis nominatur Elam, Perſas omnino intelligi debere. Plinius lib. 6. cap. 28. cum loquitur de Perſis,

Perſæ dicti ſunt Elamitæ.

inquit: Mare accolunt & Elamitæ. Diuus etiam Hieronymus cap. XIII. Eſaiæ, Didicimus, inquit, à quodam fratre Elamita, qui de illis finibus egrediens, nunc Hieroſolymis vitam exigit Monachorum, venationes regias eſſe in Babylone. Quin etiam & Xenophon meminit Tribus Elamitarum. Plutarchus in vita Pompeij, ibi, inquit, Elymæorum & Medorum regibus, qui legatos ad ipſum mittebant, amice reſpondit. Suidas pag. 571. tradit, hos quoque Maguſæos appellatos, & Magog Perſam vocari à ſuis popularibus. Idem pag. 149. ſcribit, Magiam, & Aſtrologiam cœpiſſe initium à Maguſæis. Nam Perſæ, inquit, ab incolis Magog, & Maguſæi dicuntur. Sed Ioſephus lib. 1. Ant. cap. v I. per Magoges Scythas intelligit. Quo tempore Sarraceni Perſiam inuaſerunt, dicti ſunt Sarraceni, ſibi à victoribus nomen aſſumentes. Poſtremis vero temporibus dicti ſunt, ac etiamnum dicuntur Sophyani ab Hiſmaele Sophy, magni Vſumcaſſani ex filia nepote, ſicuti ſuo loco explicabitur. Nunc Perſia vulgo Azemia nuncupatur.

Perſia quomodo nunc appelletur.

Quatenus autem ad regiam Perſarum familiam & genus attinet, Ioſephus in hac eſt perſuaſione, vt exiſtimet, ipſos reges potiſſimum ex Achæmenidarũ ſtirpe ori-

pe oriundos: cui aſtipulantur Aelianus & Iuſtinus, vnanimi conſenſu affirmantes, eundem Perſicæ nobilitatis conditorem eſſe. Hoc vt credam veriſſimum eſſe, facit in primis Platonis auctoritas, omni exceptione maior, qui in ſuo Alcibiade recenſet, Perſarum regum præcipuam ſtirpem ab eodem Achæmene, Lacedæmoniorum vero nobilitatem ab Hercule deriuari, & proinde vtriuſque gentis regum originem, quaſi in duos ſurculos diſtinctam, ab iiſdem auctoribus eſſe repetendam. ſiquidem Achæmenis & Herculis genus, ad Perſeum Iouis filium referri, neminem puto in hiſtoria verſatum, latere poſſe. Herodotus, vt in plæriſque enarrandis & eruendis eſt fuſior, complura Perſarũ genera enumerat, videlicet, Arteates, Perſas, Paſagardas, Meraphios, Maſios, ſed ſubducto calculo, primas partes Paſagardis tribuit, quos, vt præſtantiſſimos, ſic etiã primos Achæmenidarũ familiæ, vnde Perſarũ reges originẽ duxiſſe duximus, cōditores aſſerit.

Regia Perſarum familia vnde ortum traxerit.

Quantum vero ad regni Perſici ſtatum atque adminiſtrationem ante Monarchiam attinet, veriſimile omnino videtur, quo tempore Aſſyrij & Medi rerum potiebantur, habuiſſe apud ipſos Perſas ſuos procuratores & adminiſtros; qui ſe ad præſentem rerum ac temporum conditionem attemperare noſſent. Verum ſucceſſu temporis, elanguente harum duarum potentiſſimarum gentium imperio, opibusque maiori ex parte tam domi, quam foris vel acciſis, vel euerſis, in Perſarum poteſtatem redacti ſunt, mutuati tamen plæriſque rebus ab ipſis victis quæ aliquam fortitudinis vel militaris ſcientiæ imaginem præ ſe ferrent, nimirum, cum minime omnium turpe ducerent, omne quod honeſtum & virtuti cognatum eſſe videretur, non ſolum in ipſo hoſte admirari, verumetiam ſedulo imitari. Proinde equitandi, ſagittandique ſtudium, cultum, ornatum, religioſam à ſubditis, regibus exhiberi ſolitam venerationem, & pleraque id genus alia, à Medis & Aſſyrijs in Perſiam vna cum potentia commigraſſe, Annales referunt. Etſi ergo externis principibus parere cogerentur, eosque pro ſuis dominis agnoſcere, id tamen haudquaquam impediuit, quo minus maxima libertate vſi ſint, & patria iura perpetuo conſeruarint, ac diuerſam cum à cęteris gentibus, tum etiam ab ipſis Medis formam imperij ac regiminis inter ſe habuerint. Hoc autem, ſi quis verba Xenophontis diligenter obſeruauerit, proculdubio veriſſimum eſſe fatebitur. Quo autem id rectius intelligatur, paulo altius repetendum cenſui. Cum enim Aſtyages filiam ſuam Mandanen, Cambyſi, Achæmenis filio, in matrimonium collocatam, vna cum nepote, qui iam annum duodecimum & amplius attigerat, & cuius, propter incredibilem tam corporis, quam animi præſtantiam & magnitudinem, immenſo videndi deſiderio tenebatur, accerſeret, Mandane, aſſumpto filio, ad eum perrexit. Vbi vero aliquandiu in Media fuiſſent apud Aſtyagem, iamque mater in Perſiam reditura eſſet, filiũ interrogauit, num vellet manere, an diſcedere. Is autem reſpondit, ſe domi ſuæ videri præſtantiſſimum æqualium, ſagittarum & iaculorum arte: ſed apud Medos æqualibus inferiorem equitandi ſcientia, idque ſibi permoleſtum eſſe, atque idcirco ſe cupere ibi aliquandiu remanere, vt equitationem perdiſceret. Tum matrem dixiſſe: Iuſtitiam vero quî diſces hic, mi fili, cum præceptores ſint illic? Cyrum autem dixiſſe, iam illam ſe prorſus tenere, iuraq; omnia exquiſite addidiciſſe. Quod ſi quid forte minus calleret, id ſe ab auo cognoſciturum: At illam dixiſſe, non eadem iura apud auum, & apud Perſas ſeruari. Hunc enim dominum ſe conſtituiſſe Medorum omnium: apud Perſas autem æqualitatem iuſtam haberi, eiuſque patrem primum ex præſcripto omnia accipere, omniaque metiri non animo ſuo, ſed legibus. Proinde filium admonebat, caueret, ne à ſuo præceptore verberibus afficeretur, ſi domum rediret, edoctus ab eo, quo pacto regia poteſtas in dominationem & tyrannidem mutanda eſſet: in quo hæc perſuaſio ineſſet, pluribus vnum, quam alios omnes, potiri oportere. Ex hoc Mandanes & eius filij dialogo facile intelligi poteſt, quis tunc temporis Perſici regni fuerit ſtatus atque gubernandi formula, cum ex contractis duorum regnorum moribus, atque conſuetudinibus, illa vel eius peritiam, vel inſcitiã arguere conetur, ita profecto, vt ex hac Xenophontis Cyropædia, tanquam in ſpeculo, multa oculis ſubijcian-

tut,quæ haud parum ad politiæ Perſicę cognitionem pertineant. Diuinus enim ille vir,cum Cyrum non tam ad veritatem hiſtoriæ, quam ad veri Principis effigiem, effingit, nihil ocioſum profert in medium, ſed pro præſenti temporum rerumque cognitione, grauiſſime omnia diſſertat, nihilque penitus omittit, quod ad plenam iſtorum regnorum adminiſtrationem facere videatur. Nunc reliquum eſt,vt obiter explicemus, quibus potiſſimum de cauſis, quibusque temporibus,& quo pacto reges olim creari cœperint: quæ quidem traditio vt ſuapte materia requirit magnum iudicium,& ſingularem delectum,tamen Ciceronis auctoritatem in his ſecutus,ipſius verba aſſcribere, operæpretium duxi. Inquit enim Cicero libro Officiorum ſecundo in hunc fere ſenſum: Mihi quidem,non apud Medos ſolum,vt ait Herodotus,ſed etiam apud maiores noſtros, ſeruandæ iuſtitiæ cauſa videntur bene morati reges conſtituti. Nam cum premeretur inops multitudo ab iis,qui maiores opes habebant, ad vnum aliquem confugiebant virtute præſtantem,qui cum prohiberet iniuria tenuiores, æquitate conſtituenda ſummos cum infimis pari iure retinebat. Eademque conſtituendarum legum fuit cauſa,quæ regum. Ius enim ſemper eſt quæſitum æquabile:neque enim aliter eſſet ius. Id ſi ab vno bono & iuſto viro conſequebantur,eo erant contenti:cum id minus contingeret,leges ſunt inuentæ, quæ cum omnibus ſemper vna eademque voce loquerentur. Hæc Cicero. Nec aberrat ab hac Ciceronis ſententia & traditione, veterum Romanorum creandorum regum conſuetudo. Quippe cum clarum ſit, vrbem ipſam ſtatim ab initio reges habuiſſe,quorum primus & conditor fuit Romulus. Multa fuere cum ab ipſo Romulo,tum ab eius ſucceſſoribus,præcipue vero Numa Pompilio,ac reliquis deinceps,excogitatā, quæ regni dignitatem cum populi vtilitate conglutinarent. Verum vbi Indulgentia fortunæ atque rerum felici ſucceſſu Res Romana à paruis initiis ad ſummum rerum faſtigium excreuiſſet, reges non contenti honoris atque dignitatis prærogatiua, & à recto tramite deflectentes, omnia per fas atque nefas attrectarunt, nullumque ſuis cupiditatibus modum conſtituerunt,ſed cum illorum audacia,opibus atque impunitate confirmaretur,eo tandem ventum eſt,vt in omnium iuſtum odium inciderent, & quibus olim ſummam venerationem exhibuiſſent,dira omnia imprecarentur. Tarquinij enim Superbi ob tyrannidem inaudita crudelitas atque ferocia,rem Romanam ſusque deque tulit,& regiam adminiſtrationem vſque adeo debilitauit, vt Brutus, reliquique boni ciues,cum ſummo vitæ diſcrimine ſuperbum regem prorſus de medio tollere iudicarent, quam in afflicta atque tyrannide oppreſſa vrbe diutius vitā viuere. Hæc cum ex multis auctoribus luculenter videri poſſint, ſuperſedeo fuſius enarrare:commemorabo tamen Mithridatis hac de cauſa erga Romanos ſtomachationem, qui illos, propter exactos reges, omnium quotquot viuant,regum capitales hoſtes nominare ſolebat. Quin etiam nō modo tyrannos,ac reges,veluti alienæ libertatis oppreſſores, vt Arriani verbis vtar, ingenti odio proſequebantur,ſed etiā regias familias,cum omnes,tum eas maxime quæ potentes ancea fuiſſent,quas quidem creſcere in prouinciis nolebant, modisq́; omnibus annitebantur eas extinguere, ne ſcilicet quis demum ſupereſſet, qui generis ſublatus fiducia, ipſorum vſurpatam in eos dominationem impediret. Cæterum Perſæ,Medi,atque his finitimæ Nationes, regium nomē ſumma ſemper veneratione coluerunt, & Reſpublicæ his in locis rariores fuerunt: ſicut è contra,regij nominis auctoritas & maieſtas, vbique eximia & in ſumma obſeruatione habita,exiſtimantes,Maieſtatem imperij,ſalutis eſſe tutelā: quin etiam eo cultu & obſeruantia minime contēti, eos deinde inſtar Deorum adorare inceperunt. Hinc vates Mantuanus cum C. Georg. lib. de apibus loqueretur, horum populorum naturam & conſuetudinem quam breuiſſime nobis ob oculos poſuit,inquiens:

Cur aliqui creati reges.

Cur leges condita, atque inuenta.

Apud Perſas & Medos regium nomen in ſumma veneratione habitum.

Præterea,regem non ſic Ægyptus,& ingens
Lydia,nec populi Parthorum,aut Medus Hydaſpes,
Obſeruant. Regum autem filios contraria plane conſuetudine à Romanis

magno

magno honore ac obſeruantia proſequebantur, & poſt parentum obitum, in eorum locum ſubſtituebant. Id vero neque ſemper fuit, neque apud omnes gentes. Nam Diod. lib. II. Antiquitus, inquit, non ad principantium progeniem ferebantur regna: ſed ad eos qui plurimum de hominum vita meriti viderentur, ſiue ob communem vtilitatem creante ſibi reges populo, ſiue quod ita in libris ſacris contineretur. Ex his ergo apparet, non ſemper apud ipſos eandem fuiſſe creandi regis rationem, nec ſemper filios in parentum locum ſubſtitutos. Nam perſæpe ex ſacerdotibus, vel bellicoſis viris reges creabantur. Huic enim generis nobilitas & honor ex fortitudine, illi propter ſapientiam accedebat. Qui vero ex bellicoſis eligebatur, ſtatim ſacerdos fiebat, & particeps philoſophiæ, quæ magna ex parte fabulis & rationibus obſcura veritatis veſtigia præ ſe ferentibus inuoluebatur. Quod etiam ipſi ſignificabant Sphinges ante templa conſtituti, vtpote ænigmaticam ſapientiam theologia ipſorum continente. Quin & Mineruæ, quam Iſidem cognominabant, quod in Sai erat, ſimulachrum, huiuſcemodi inſcriptionem habebat: Ego ſum omne quod fuit, quod eſt, quodque erit, & peplum meum nemo mortalium reuelauit. De Medis quidem montanis Strabo aſſerit, eos in regem eligere ſolitos, qui corporis robore ac fortitudine cæteris anteibant. Aethiopes, illum ſibi regem præficiebant, qui eſſet omnium pulcherrimus. Apud aliquas gentes illi vtique principatus dabatur, qui corporis magnitudine ac proceritate reliquis præſtabat. Nonnulli vero, nihil horum admirati, in eos regiam dignitatem conferebant, quos virtus, rerumque peritia præ cæteris commendabat. Hinc Aegyptij, Amaſim, virum bellica diſciplina & ingenio præſtantem, licet ex humili familia, regali ſceptro decorarunt. De Germanis autem Cornelius Tacitus in eo libro, vbi agit de ipſorum moribus, tradit, apud eos ſcutum reliquiſſe, præcipuum fuiſſe flagitium, nec aut ſacris adeſſe, aut concilium inire ignominioſo fas, multoſque ſuperſtites bellorum infamiam laqueo finiuiſſe. Reges ex nobilitate, duces ex virtute ſumptos. Nec regibus infinitam ac liberam poteſtatem fuiſſe, duceſque exemplo potius quam imperio, ſi prompti, ſi conſpicui, ſi ante aciem agebant, cum admiratione præfuiſſe, Idem paulo poſt: Cum ventum in aciem, inquit, turpe Principi virtute vinci, turpe comitatui virtutem Principis non æquare. Iam vero infame in omnem vitam ac probroſum, ſuperſtitem principi ſuo ex acie receſſiſſe: illum defendere, tueri, ſua quoque fortia facta gloriæ eius aſſignare, Principi ſacramentum eſt. Principes pro victoria pugnant, comites pro principe. Hæc poſtrema libenter addidi in decus, dignitatem & gloriam inclytæ ac nobiliſſimæ Nationis Germanicæ, in qua ſemper vitæ integritas & vera militia reſplenduit. His vero temporibus, non modo his virtutibus, quas olim à ſuis maioribus tanquam per manus accepit, conſpicua, & vndiquaque illuſtris emicat: verum etiam optimarum artium ſtudiis, multiplici doctrina, eloquentia, pietate, ac variarum linguarum cognitione ita floret, vt quæuis alia vel præcipui nominis. Adde morum ſimplicitatem, beneficentiam, candorem, fidem, honeſtatem. Quid iam dicam de opibus & potentia? quid de Principum virorum vetuſtiſſimo ſtemmate? quid munitiſſima & celeberrima oppida vrbeſque commemorem? quid ſanctiſſimas leges, ritus, & inſtituta recenſeam? quid denique ſoli fertilitatem, hominumque induſtriam in partim excolendis agris, partim etiam in rebus præclaris inueniendis excogitandiſque aut prædicem, aut enarrem? Hæc ſane ſic orbi iam innotuere, vt mea commendatione minime opus habeant, nec ſi maxime velim, ſuſcepti argumenti ſeries patitur. Cæterum inſtar longiſſimæ orationis erit elogium quod extat apud eundem Tacitum Annalium lib. XIIII. NVLLOS MORTALES ARMIS, AVT FIDE, ANTE GERMANOS ESSE. Id vero neutiquam ſilentio prætereundum videtur, nempe fuiſſe quamplurimos, qui hoc iudicium creandi regis, aut Deorum oraculis, aut fortunæ, vel auſpiciis committerent. Nec ſane obſcurum eſt, quomodo ſeptem illi Perſarum Principes, Darium Hyſtaſpis filium, ſicuti ſuo loco enarrabitur, ad hoc ſupremum faſtigium prouexerint. Omitto nunc loqui de tyrannis, qui publica libertate op-

Diuerſa ratio apud complures Nationes creandi reges.

Laus Germanorum.

preſſa,imperium ſibi,omnl qua potuerunt ratione vſurparunt:aut de his,qui iure belli aliena regna ſibi vendicarunt. Hi enim proprio Marte ſuiſque viribus, qnod alioqui publico ciuium ſuffragio eis denegatum eſſet, occuparunt, & quod ſemel adepti fuerant, Vittute duce, comite Fortuna, latius propagantes, effecêre,vt qui ex ſe progeniti erant,nepotes, vel qui arctiori neceſſitudine iungebantur,ſibi poſt obitum in imperio ſuccederent. Et de his quidẽ hactenus dictum ſit. Nunc ad ipſam Perſarum Monarchiam propius accedamus. & primo

Cyrus Perſica Monarchia auctor.

quidẽ Cyrus nobis ſeſe offert,tantæ Monarchiæ auctor præcipuus, qui Aſſyriorum ac Medorum imperium ad ſuos transferens, Perſis initium regnandi fuit. Proinde ab hoc laudatiſſimo ac præſtantiſſimo rege exorſus, vſque ad vltimum Darium deuictnm ab Alexandro Macedone, deueniam, ſimulque, vt antea me facturum recepi, quiſnam fuerit huius potentiſſimi regni ſtatus atque conditio poſt amiſſam Monarchiam vſque ad noſtram hanc tempeſtatem, aperiam, & quam pleniſſime demonſtrabo. Hic autem, priuſquam vlterius progrediar, ſomnium Nabuchodonoſor, cuius mentio fit apud Danielem cap.2. cum ipſius interpretatione ſubiiciam. Hinc enim liquido patebit quatuor ampliſſimorum

Somnium Nabuchodonoſor, ac eius interpretatio ex Daniele.

imperiorum ſtatus, & quomodo tandem corruerit. Hoc autem fuit huiuſmodi. Videbatur ſibi videre ſtatnam grandem ſtantem, cuius caput erat aureum, humeri ac brachia argentea, venter & fęmora ærea, crura ac pedes ferrei: deinde vidit ſaxum abruptum à monte in ſtatuam illam incidere, & hanc deiectã conterere, vt nulla eius pars maneret integra, ſed aurum, argentum, æs & ferrum abiret in minutiorem farina puluerem, cumq; ingruente venti vi, difflatum in terras diuerſiſſimas. Saxum vero illud, tã magnum accepiſſe incrementum, vt quãtum eſt terrarum ſua mole opprimeret. Et hoc quidẽ eſt quod viderat ſomniũ, quod in hunc modum Daniel interpretatus eſt. Aureum illud caput, inquit, te ſignificat, & alios reges ante te Babylonios: duæ vero manus & humeri duo portendunt, quod à duobus regibus veſtrum imperium delebitur, illorum quoque imperium alius ab Occidente veniens, tollet è medio, amictus armis æreis. Huius quoque vires debellabuntur ab alio ferro ſimili, cui propter naturam ferri nihil poterit reſiſtete, qnod ea ſit auro, argento, ac ære validior. Hæc Daniel, qui etiam de lapide ſignificationem adiecit, quod ſimul patet ex Ioſepho Antiq. lib. 10. cap. 11. De ipſo autem Nabuchodonoſor, idem ſane dici poteſt, quod de Aiace Telamonio. Vt enim hic punitus eſt furore, quia patri bene monenti arrogantiſſime reſpondit, Maior ſum, quam cui poſſit fortuna nocere, timidis & ignauis opus eſt auxilio Dei; ego vero vel ſine Deo adiutore hoſtes vincere poſſum: ita ipſe propter ſimilem arrogantiam mente captus, inter beſtias diſcurrit. Huius furoris mentionem facit Alphæus, de rebus Aſſyriorum ſcribens: Megaſthenes, inquit, vir priſcus, Nabuchodonoſorem Hercule robuſtiorem fuiſſe dicit, vniuerſamq; Libyam atq; Aſiam vſque ad Armenios ſubegiſſe, quem Chaldæi dicunt, cum in regnum rediiſſet, furore diuinitus captum, magna voce exclamaſſe: O Babylonij futuram vobis calamitatem prænuncio, quam neq; Belus, nec vlla vis Deorum auertet, veniet Perſa mulus, qui vobis afferet ſeruitutem. Hæc Alphæ9. At meminerimus interim, vtriuſq; exitum fuiſſe longe diuerſum. Hic enim duriter caſtigatus, ad Deum conuertitur; & mirando modo reſtitutus in regnum, agnoſcit ſe prius tutum fuiſſe, nec ſua virture, nec amicorum fide, nec etiam regũ ac nationum clientelis, quas oſtentare crebro ſolebat, ſed Deo ſeruante, protegente, & gubernãte. Hic igitur, & filius eius Euilmerodach, fiunt vaſa miſericordiæ: at nihil huiuſmodi legitur de Aiace, cuius exitum longe miſerrimũ extitiſſe, hiſtorici prodiderunt. Nunc ad id, quod potiſſimum nobis præ manibus eſt, oratio dirigenda: & primo; vnde Cyrus hoc nomen ſumſerit, breuiter explicandum.

Vnde Cyrus hoc nomen ſumſerit.

Strabo aſſerit lib. 15. hunc prius appellatum fuiſſe Agradatum, & poſtea Cyrum ab eiuſdem nominis fluuio, qui circa Paſagardas per cauam Perſiam fluit, nuncupatum. Plutarchus in vita Artaxerxis ſub initium, à Sole, quem Perſarum lingua Cyrum appellari dicunt, hoc nomen habuiſſe teſtatur. Suidas vero pag. 535. ſic de ipſo, ac eius nomine ſcriptum reliquit: Cyrus, inquit, rex, patre natus fertur

Cambyſe,

Cambyſe, Perſarum rege;ex genere Perſidarum , qui à Perſeo ſunt oriundi ; & Mandane,Aſtyagis Medorum regis filia. Hunc Barbari adhuc celebrāt, vt & corpore pulcherrimo,& animo humaniſſimo,diſcendique cupidiſſimo præditum: vt & quoſuis labores ſubiret,& nulla pericula recuſaret, ob gloriæ cupiditatem. Cyrus autem dictus eſt, quod per luſum inter adoleſcentes regni auctoritatem (quod Græcis κῦρος eſt) adeptus eſſet. Fuit Philoſophiæ, vt ſi quis alius,peritus:à Magis erūditus,& iuſtitiam,& veritatem didicit,patriis quibuſdam legibus , quæ optimatibus latæ ſunt. Darium Perſæ vocarunt cauponem,ob tributa impoſita: Cambyſem,dominum:Cyrum,patrem.Nam ille quidem vendebat omnia:Cābyſes ſæuus erat,& temerarius:Cyrus clemens,& populi cōmodorum ſtudioſus. Hæc Suidas.Quod autem hic poſtremo addit,Cyrum vocatum eſſe patrem, id etiam confirmat Pauſanias in Arcadicis pag.336.Cum enim forte in Antonini Auguſti,prioris huius nominis,mentionem incidiſſet, hunc ait, quod ſingulari ſtudio viſus eſſet Deos immortales colere , Pium à Romanis vocatum. & mox ſubiungit:Mea autem opinione & nomen Cyri maioris dignum eſt quod laude vehatur, vt qui pater mortalium ſit appellatus. Illud etiam hic obiter adiiciendum putaui,nimirum ab oraculo Mulū fuiſſe vocatum,eo quod, iuxta Herodotum,duab. ex gentibus ortus eſſet,videlic.patre Perſa,& quidem Medis ſubiecto, & matre Meda,Aſtyagis regis Medorum filia.Oraculum vero fuit huiuſmodi:

Aſt vbi Medorum tus regni Mulus habebit,
Lyde tenelle pedes, illuc quà calculus Hermi
Creber inundat aquis,tunc aufuge,nec properanti
Vlla moram obiiciat res,nec nihili eſſe recuſa.

Porro illud minime ſilentio prætereundum videtur, nempe Aſtyagi Medorum *Aſtyagis ſomnium.* Aſſyriorumque regi,in ſomnis oblatam ſpeciem tuliſſe, qui ex naturalibus filiæ vitem enatam,cuius palmite omnis Aſia obumbraretur,vidiſſe viſus erat. Quare conſulti arioli,nepotem futurum , qui toti Aſiæ imperitaret , & regni ſibi reſponderunt portendi euerſionem.Quænam vero fuerit Cyri coniunx, à Polyæno,& Suida varie traditur. Prior quidem lib.8.nominat quandam Niteten ſibi miſſam ab Amaſi rege Aegyptiorum , cuius affinitatem expetiuerat , & quam *Cyri coniunx.* ipſius filiam exiſtimarat , cum tamen eſſet filia Apriæ regis, quo deuicto, is regnum capeſſerat. Cyrum tamen progreſſu temporis recognita, huiuſmodi iniuriam vltum eſſe in eius filio Pſammeticho,cum Amaſis eius pater ſuum diem obiiſſet. Alter vero, cuius ſententia ad veritatem propius accedit , pag.527. ſcribit,fuiſſe Bardanem,filiam Ciaxaris Medi,qui & alio nomine Darius dictus eſt, cuius conſilio Danielem vatem accerſiri iuſſerit,vt ex eo de ſucceſſu belli, quod inter ipſum,& Crœſum interceſſerat, quodque ipſius animum valde anxium & ſolicitum reddebat,intelligeret. Eius autem verba, propter multiplicem ac plenam huius hiſtoriæ cognitionem,hîc ſubiiciam. Crœſus,inquit, rex Lydorum,Aſia immenſis opibus ſubacta,ſuperbe cum omnibus Aſſyriorum regibus *De bello inter Cyrum & Crœſum.* agebat. Cyro itaque Aſſyriorum regi ſcribit ſic : Permittimus tibi excedere regno,vt quod & initio noſtrum fuerit,& ad noſtros fines pertineat. Neque enim ſubſiſtes,nobis contra te inſurgentibus: neq; tantam noſtram felicitatem ſuſtinebis. Cui Cyrus ita reſcripſit:Siquidem totus mundus tibi non ſatis eſt in tanto ſplendore:recte nobis iſta dicis. Si vero tot regionibus dominans,noſtram etiam adamas:non apud te fortunæ fauor in certamine contra nos permanebit. His ſcriptis,Cyrus in Indiam migraturus erat,vt crudelitatem Crœſi effugeret : At vxor eius Bardane,eo conſilio animaduerſo , monuit , vt Danielem quæreret, qui ſibi,& Dario multa prædixiſſet: ex eoque, de Crœſi bello quid ſtatuendum eſſet,cognoſceret. Quo Cyrus audito,virum accerſit: è quo cum victorem ſe fore Crœſi didiciſſet,bellum apparat. Similiter & Crœſus ad oraculum miſit, & hoc reſponſum accepit:

Noui ego & arenæ numerum,& menſuras maris:
Et mutum intelligo,& non loquentem audio.
Nidor autem in mentem meam venit robuſtæ teſtudinis,

Elixæ in aheno vnà cum agninis carnibus,
Cui æs,& imminet,& æs in ea erit.

Cum vero ſe deluſum intelligeret, denuo mittit legatos, quibus Pythia reſpondit, Κροῖσος ἅλυν διαβὰς μεγάλην ἀρχὴν καταλύσει,

Crœſus Halim ſuperans, magnam peruertet opum vim.

Peruertit autem ſuas opes. Cyrus vero captiuis Iudæorum dimiſſis, inſtaurat Hieroſolyma. Hæc Suidas, qui pleraq; alia de illo recenſet, aitque inter cætera, cum ſe ditiſſimum & beatiſſimum eſſe exiſtimaret, Solonem Athenienſem, virum ſapientem accerſiuiſſe: & theſauris cæteriſq; opibus oſtentatis, num quẽ ſe beatiorem vidiſſet, interrogaſſe. Tum illum: Tellum dixiſſe, Athenienſem, qui feliciter vixit, & pugnans pro patria occubuit. Rege ſciſcitante, Quem poſt illũ? Cleobin, inquit, & Bitonem Argiuos: qui cum mater ipſorum Theano ſeu Cydippe ſacerdos eſſet, ſolenni pompa ritu patrio ad fanum Iunonis itura curru, cum tarde iumenta adducerentur, ceruicibus ſuppoſitis currum traxerunt, & matrem in fanum perduxerunt. Quę cum Iunonem oraſſet, vt optimum rerum humanarum ſuis filiis largiretur; ſecuta nocte ambo mortui ſunt inuenti. Hæc ſane omnia Herodotus ac Xenophon longa & diſerta oratione proſequuntur, & quo modo tandem moto aduerſus Cyrum bello, victus ſit in Cappodocia, & ſtatim poſtea Sardib. obſeſſis, à Cyro captus 14. die ab vrbis oppugnatione, quod quidẽ incidit in annum ab orbe creato 3423. Olympiade 59. anno ab vrb. cond. 209. Seruio Tullio Romanis imperante. Quo tempore cœptæ ſunt obſideri Sardes & Crœſus, facta eſt memorabilis pugna propter contentionem de agro Thyrea, in qua 300. Lacedæmonii cum 300. Argiuis conflixerunt, in quibus duo Argiui, & vnus tantum Spartiata ſuperfuere. Huius quidem congreſſus & colloquii Solonis cum Crœſo ſuper hominis felicitate ac beata vita, præter hos autores, plurimi alii meminerunt, præcipue Stagirita, cum lib. 1. moralis philoſophiæ ad Nimochum filium, & cap. X. ac eiuſdem operis lib. X. & cap. VIII. tum etiam lib. 11. Ethic. ad Eudemum, vbi etiam refellere videtur Solonis ſententiã, qui dicebat, neminem dici poſſe felicem, antequam ſuprema dies adueniſſet. In hac ſane historia multæ ſententiæ memorabiles in Herod. leguntur. vt vero alias omittam, ea eſt vtique inſignis, cum Solon apud Herod. inquit, πᾶν ἐστὶ ἄνθρωπος συμφορή. id eſt, Homo hoc totum quod eſt, eſt obnoxium multis calamitatibus & aduerſis caſibus. Apud Xenoph. Oraculum recitatur:

σαυτὸν γινώσκων εὐδαίμων Κροῖσε περάσεις.
Semper eris, ſi tu noſcas te, Crœſe beatus.

Sed quoniam hac ſuiipſius cognitione caruit, ſeque propter maximas opes ac potentiam inter mortales feliciſſimum exiſtimabat; ex faſtigio tandem ſupremæ dignitatis, poſt decimum quartum annum, ex quo regnauit, in extremas calamitates decidit, vt Sennacherib, Nabuchodonoſor, Dionyſius, Tarquinius Superbus, atque alii innumeri, & ſit exemplum inconſtantiæ ac fragilitatis humanarum rerum. In hoc tamen fortuna mitius cum illo egiſſe videtur, quod victorẽ tam generoſum & clementem inuenerit, à quo nõ modo in vita ſeruatus eſt, ſed etiã in ſummo honore habitus, & inter præcipuos amicos. Ex duob. liberis, quos eũ habuiſſe, hiſtorici teſtantur, vnus virtute pręſtantiſſimus, Atys nomine, in flore ætatis periit: alter mutus fuiſſe narratur, de quo ſane ſic Aul Gellius

Filius Crœſi. ex Herodoti ſententia memoriæ prodidit lib. 5. cap. 9. Filius Crœſi regis, cũ iam per ætatẽ fari poſſet, infans erat: & cum iam multum adoleuiſſet, item nihil fari quibat. Mutus autẽ & elinguis diu habitus eſt. Cum vero in patrẽ eius bello magno victum, & vrbe, in qua erat, capta, hoſtis gladio deducto, regẽ eſſe ignorans, inuaderet, diduxit adoleſcens os, clamare nitens, eoq; nixu atq; impetu ſpiritus vitium, nodumq; linguæ rupit, planeq; & articulate elocutus eſt, clamans in hoſtem, ne rex Crœſus occideretur. Tum & hoſtis gladium reduxit, & rex vita donatus eſt, & adoleſcens loqui prorſus deinceps incepit. Herodotus in hiſtoriis huius memorię ſcriptor eſt: eiuſq; verba ſunt, quæ prima dixiſſe filium Crœſi refert, ὦ ἄνθρωπε, μὴ κτεῖνε Κροῖσον. Huius rei meminit etiam Val. lib. 5. cap. 4. vbi agit de

pietate

pietate in parentes. Idem etiam lib. 1. cap. 7. meminit alterius qui in venatione apri caſu interfectus eſt, cuius quidem rei Herod. longam & diſertam narrationem contexuit. Gellius ibidem recenſet etiam de quodam Samio athleta, cui nomen fuerit Angles, quem ſcribit, cum antea non loquens fuiſſet, ob ſimilem cauſam loqui cœpiſſe perhibitum. Huius autem rei cauſam Solinus cap. VII. timorē cenſet, aitque, metū perimere memoriam, & timorem vocis eſſe incitamentum, quam non ſolum acuat, ſed etiam, ſi nunquā fuerit, extorqueat. Denique, inquit, cum Olymp. octaua & quinquageſima victor Cyrus intraſſet Aſię oppidum Sardas, vbi tunc Crœſus latebat, Athis F. regis mutus ad id vſque temporis, in vocem erupit, vi timoris. Exclamaſſe enim dicitur, Parce patri meo Cyre, & te hominem eſſe vel caſibus diſce noſtris. De ipſo autem Crœſo à veteribus inter cætera proditum eſt, hunc dicaſſe Apollini lateres aureos centum viginti, quibus pondus erat talenta bina, & aureas trecentas ſexaginta phialas binis minis expenſas, leoniſque & feminæ ſigna aurea ex auro excocto; quæ quidem omnia auri talenta trecentis & triginta æſtimata fuerint. redactiſq; omnibus quæ ex auro ſunt conflata, ad argenti rationem talenti quatuor millia perficerentur. Polyænus lib. 3. hæc duo ſtratagemata de Crœſo recenſuit, illum videlicet, Græcis auxiliis cunctantibus, robuſtiſſimos ac maximos Lydorum Græcanicis armis ſubornaſſe: Cyri milites inuſitatam armaturæ Græcanicæ ſpeciem extimuiſſe, ac etiam haſtatum cum ſcutis colliſarum fremitum terrorem Perſis inieciſſe, & æneorum ſcutorum ſplendorem, Perſicorum equorum aciem perſtrinxiſſe atque auertiſſe. Itaque Cyrum eo tempore ſuperatum, trium dierū inducias cum Crœſo feciſſe. Alterum vero huiuſmodi fuiſſe retulit, Crœſum ſcilicet, in Cappadocia victum à Cyro, vt commode fugam facere poſſet, militibus imperaſſe, vt magnam lignorum multitudinem comportarent: his, viam anguſtam & arctam ſtrauiſſe: cumque nox ingrueret, per ea copias abduxiſſe magna celeritate: equites vero leuiſſimos & celerrimos reliquiſſe: qui cum primum illuxiſſet, ſyluam incenderent: hoc pacto Crœſum per fugam euaſiſſe. Cyrum autem à perſequendo flamma prohibitum. Hæc autem lubens interdū recenſeo, vt conſtet, hoc genus pugnandi veteribus non fuiſſe incognitum, ſæpeq; illis & decus & maximas vtilitates peperiſſe. Nec enim aliud ſtratagema eſt, quam ingenioſum in bello inuentum, quod ad eius qui excogitat vtilitatem, & ad hoſtiū perniciem haud mediocre momentum habet. Fieri autem nō poteſt, vt hoc tam glorioſum & præſtabile nomen iure cadat in perfidiā ac periurium, quibus pleroſque homines ad malitiam natos pugnare videmus; quos tantum abeſſe à bellicis virtutibus putandum eſt, quantum abſunt à fide. Nam ea prima laus eſt militis, fidem etiam hoſti, vel capitis ſui periculo ſeruare. Itaque fertur Ageſilaus maximis ſemper votis optaſſe, vt hoſtes Deorum numen aliquo peccato læderent: hinc enim facilem victoriam ſperabat. Nec ſane quicquam tetrius, hominiſque natura indignius, quam violare iuſiurandum, fidem datam fallere, numen contemnere. At hoſtem fallere, doloque vti abſque perſidia, & iuxta vulgare prouerbium, vbi leonis pelle nihil proficitur, vulpinam pellem induere, id ſane, vt conducibile ac proficuum eſt, ita quoque honorificum cenſeri debet. Hæc militaria ſtratagemata non eſſe improbanda, neque à Deo prohibita, vel Abrahami exemplo abunde doceri poteſt. Hic enim, ceu ſacræ literæ teſtantur Geneſis cap. 14. vt captum audiuit Lot fratrem ſuum, eiuſque familiam abreptam, cum trecentis decem & octo, quinque reges noctu ſecuros & ſtertentes inuaſit. Hi vero excitati periculo, fugam arripuerunt, ignari tam paucos eſſe. Non etiam in vno, ſed in pluribus locis, diuiſo exercitu eos adortus eſt, & ſuos liberauit. Recte itaque Plutarchus inquit: Fœdera iniuſte frangere impium eſt: ſed hoſtem fallere, non modo iuſtum & honeſtum eſt, verum iucundum quoq; & lucroſum. Nos autē interim reliqua de Cyro proſequamur. Cicero lib. 1. de diuinatione teſtatur, in Dionyſij Perſicis libris extare, Cyro dormiēti Solē ad pedes viſum eſſe, ac eum ter fruſtra appetiuiſſe manib. cum ſe cōuoluens Sol elaberetur, & abiret. Ex hac triplici appetitione Solis, ei Magos, (quod

Crœſi ſtratagemata.

Stratagema quid ſit.

Ageſilai votum.

Stratagemata nō eſſe improbanda.

Abrahamus Patriarcha vtitur ſtratagemate.

genus,inquit,ſapientum, & doctorum hominum habebatur in Perſis, & alibi eis tribuit augurandi & diuinandi ſcientiam) prædixiſſe,illum XXX. annos regnaturum eſſe. Quod ita contigiſſe ait, cumque ad LXX. annos perueniſſe, cum LX.natus annos regnare cœpiſſet. At multo clarius vaticinium de illo extat in ſacris literis, in quibus nominatim exprimitur, & præſertim in Eſaia propheta prædicente, hunc regem liberaturum Iſraëlitas,& inſtauraturũ templum acculrum diuinum Hieroſolymis.Conſtat autem ex Ioſepho Ant.lib.XI. cap.1. hunc Prophetam ducentis & decem annis ante ipſius ætatem ea conſcripſiſſe, & centum quadraginta annis antequam templum deuaſtaretur. Hæc vaticinia cum Cyrus legiſſet, admiratus varis diuinitatem ,gentem Iudaicam ſummo amore amplexus eſt, & maxima cupidine correptus exequendi quæ ſcripta legerat. Dimiſit autem Iudæos liberos deductos Babylonia ab Aſſyriis, cum Nabuchodonoſor vrbem cepiſſet,& illam vna cum templo diruiſſet ac inflammaſſet. Ab huius autem excidio vſque ad inſtaurationem interceſſerunt anni ſeptuaginta,vt clare habetur apud Ierem. cap. XXV. In ea vero expeditione Cyrus belli ſocium habuit Cyaxarem ſuum conſobrinum, qui à Daniele nominatur Darius Medus,filium Aſtyagis, quem ſacræ literæ Aſſuerum vocant, cum eo varia & magna bella geſſit annos amplius viginti, antequam cepit Babylonem. Nam rex Aſſyrius Medis bellum intulerat, & hic ſocium habuit Crœſum. Nominat autem regem Aſſyrium Herodotus Labynitum , qui exiſtimatur eſſe Baldaſſar apud Dan. At Beroſus,auctore Ioſepho, Nabonidum vocat, Laboroſardochi ſucceſſorem. Idem auctor aſſerit,Cyrum tranſmiſiſſe etiam vaſa Dei,quæ auferens à templo rex Nabuchodonoſor,ad Babyloniam vſque portauerat, eaque reuehenda tradidiſſe Mithridati ſuorum theſaurorum cuſtodi, ac præcepiſſe, vt ea daret ſeruanda Abaſſaro, donec templum inſtauraretur. Quo tandem abſoluto , iſtraderet ſacerdotibus & principibus populi Iſraelitici reponenda in templo. Præterea Cyrum direxiſſe epiſtolam ad Syriæ ſatrapas hæc continentem:REX Cyrus, inquit,Siſinnio & Sarabalnæ ſalutem. Iudæos,terram meam inhabitantes, qui voluerunt,in ſuam patriam remigrare permiſi,& ciuitatem renouare,& templum Dei in Hieroſolyma rurſus ædificare in eodem loco , vbi prius fuerat conſtitutum. Miſi autem & Mithridatem meum quæſtorem ,& Zorobabelum principem Iudæorum, vt fundamenta reſtituant, & templum inſtaurent:cuius altitudo ſit ſexaginta cubitorum, eorundem & latitudo, & faciant tres parietes lapideos ex lapide polito, & vnum parietem ligneum ex materiis ipſius prouinciæ:Similiter & altare,ſuper quod immolent Deo. Sumptus vero de meo in his omnibus volo fieri. Tranſmiſi etiam vaſa, quæ de templo rex Nabuchodonoſor abſtulerat, tradens ea Mithridati pecuniarum mearum cuſtodi,& Zorobabel principi Iudæorum, quatenus ea ad Hieroſolymam reportent,& templo Dei reſtituanr. Quorum numerus eſt tantus. Refrigeratoria aurea quinquaginta;argentea quingenta;ſitulæ aureæ,quinquaginta:argenteæ quingentæ : libatoria aurea triginta: pateræ aureæ triginta: argenteæ duo millia quadringentæ: & vaſa alia maxima mille Concedo etiam eis honorem, quo potiebantur parentes eorum. Præterea pro iumentis, & oleo, & vino, dragmas ducenta quinque millia quingentas: & ad ſimilam tritici , viginti quinque millia, quadringentas attabas, quæ iubeo præberi de tributis Samariæ, faciantque immolationes in Hieroſolymis ſacerdotes ſecundum leges Moſaicas, & offerentes ſupplicent Deo pro ſalute regis & generis eius, vt regnum Perſarum permaneat. Eos vero qui hæc contempſerint, vel infirmauerint, iubeo crucifigi, ac eorum bona & fortunas regio fiſco adiudicari. Et epiſtola quidem in hanc ſententiam conſcripta fuit. Hi autem qui ex captiuitate ad Hieroſolymas rediere, fuerunt millia ſexcenta duo, & quadringenti ſexaginta duo,vt idē auctor teſtatur. Et quoniam res Lydorum & Ioniæ Græcis notiores fuerunt, propterea bellum Ionicum copioſius, quam hæc Cyri Babylonica expeditio, deſcriptum eſt. Fuit autem eo tempore florentiſſima Ionia, & vrbibus, ingeniis,atque artibus ornatiſſima:ſed à Cyro & Harpago multæ magnæ vrbes deletæ ſunt,

Eſaia vaticinium de Cyro.

Cyrus fauet populo Iſraëlitico.

Cyri epiſtola miſſa ad Syriæ ſatrapas.

Ionia.

tæ ſunt, fueruntque tantæ calamitates, vt multitudo nauigijs ex vrbibus fugiens, vltro ſe in mare demerſerit. Apparet autem libidinum confuſionem cauſam fuiſſe tantarum pœnarum. Eo tempore Phocea Ionica vrbe circumſeſſa ab Harpago, ciues, deſerta patria, cum coniugibus & liberis nauigarunt in Corſicam, indeque Rhegium, & Veliam, poſtremo vlterius profecti, Marſiliam in littore Gallico condiderunt, vbi longo tempore Ionicam linguam & doctrinas retinuerunt, & iuſtitiæ ac diſciplinæ laude excelluerunt.

Marſilia quo tempore condita.

Hos autem ferunt relicta vrbe, cum ab Harpago obſiderentur, profectos eſſe Occidentem verſus, ferreis maſſis in mare coniectis: addita execratione, ſe non prius in patriam reuerſuros, quam illi emerſiſſent. Cyrus interea, licet ante Babylonem expugnatam, quod quidem incidit in annum orbis creati 3424. plurima ſtrenue ac feliciter geſſiſſet, Perſicæ tamen Monarchiæ initium hac inſigni victoria conſtituit, cum hæc ciuitas eo tempore ſummam arcem imperij obtineret, eoque magis, quod nõ multo poſt, mortuo Cyaxare abſque virili prole, regnum Medorum ad eum ex legitima ſucceſſione peruenit:

Babylon quo tempore à Cyro expugnatur.

etſi plurimi longe aliter cenſuerint, qui plane perhibuerunt, Medis fuiſſe ereptum imperium, & regnum illud occupatum à Perſis vi bellica, & armis hoſtilibus: quod tamen exiſtimo perinde eſſe, ac Cyrum à cane nutritum eſſe, alios à cerua, quoſdam ab equa, nonnullos à vulpe, aut capra, ipſos denique imperij Romani conditores Romulum & Remum, à lupa. Illud etiam omnino à veritate alienum exiſtimauerim, inter Cyrum & Aſtyagen fuiſſe vnquam ea bella, quorum tam crebra fit mentio apud Herod. Strab. Iuſtinum, Polienum, & plæroſque alios: cum conſtet ex Xenophonte in libris de Cyri diſciplina, illos inter ſe amanter vixiſſe, eumque (quod multo maioris ponderis eſſe debet) ſacræ literæ Cyrum Cyaxari Aſtyagis filio in militia ſocium adiungant. Vt vero, quo tandem exitu hic optimus & præſtantiſſimus princeps vitam terminarit, quam breuiſſime dicatur, poſtquam is iam ſibi Aſiam fere vniuerſam, nec non magnam Orientis partem ſuo imperio adiecisset, Maſſagetis bellum intulit. Plinius lib. 6. cap. 16. ponit Sogdianos vltra Bactrianos, deinde Scythas, quorum celebriores dicit eſſe Saças, & Maſſagetas, quos ait eſſe populos Scythiæ in Aſia, vicinos Caſpio mari, veſtitu, & victu Scythis perquam ſimiles, quo fieri, vt Scythæ à pleriſque credantur. Herodotus lib. 1. tradit, hanc gentem & magnam, & robuſtam perhiberi, ad auroram Soliſque ortum ſitam, trans Araxem fluuium, è regione Iſſedonorum, ac multos credere, illam eſſe Scythicæ nationis. De Scythis autem in vniuerſum, plura videre eſt apud Herod. lib. 1. & 4. apud Ptol. & Strab. varijs in locis, & Curtium lib. 6. & 7. Iuſt. lib. 11. Ex recentioribus autem, vide 1. lib. Marthiæ à Michou, vbi agit de Sarmatia Aſiana, qui inſeritur in opere, cui titulus eſt Nouus orbis. Ex his vero Maſſagetis, Gothos genus atque originem duxiſſe, nomen indicat, quod quidem à Gethis compoſitum eſt, & Mes.

Gothi vnde ſuum genus traxerunt.

Fuerunt autem Mes & Gether poſteri Sem, vt Geneſis teſtatur. Ab illis Getas eſſe conſentaneum eſt, & vicini in ea regione fuerunt Maſſagetæ, Sueui, & Alani. Cum itaque Cyrus has gentes populabundas per Aſiam excurſiones facere, multaque damna inferre animaduerteret, vt eam ab horum prædationibus & iniurijs tutam redderet, iuxtaque ſuum imperium ampliaret, arma in illos vertit. Herodotus huius belli duas cauſas recenſet, primam quidem fuiſſe ipſius genituram, eo quod ſibi videretur maius quiddam homine eſſe: alteram ſelicitatem, qua ſuerat vſus aduerſus hoſtes. Cæterum communis fama obtinuit, Cyrum, Scytharum reginam, Thamyrim nomine per ſuos legatos in matrimonium poſtulaſſe, vt ea ſimul cum regno potiretur.

Cyrus Thamyrim poſtulat in matrimonium.

Ipſam vero ſagaci ſuorum ſapientum conſilio, & qua pollebat prudentia, conſideraſſe, inſidioſam fuiſſe Cyri legationem, per quam non ſuum coniugium, ſed ſubiectorum populorum ſeruitus peteretur: proinde miſſis confeſtim legatis, Cyrum à regni ingreſſu prohibuiſſe.

Thamyris prohibet Cyrum ingreſſu regni.

Qui, cum hic dolus non procederet, alia via incedendum putauit. ſiquidem vt eam leuem iniuriam, quam ipſe atrociſſimam rebatur, vindicaret, totum imperij ſui robur eduxit, caſtraque ad Araxis fluenta collo-

Cyrus ad Araxim exercitum adducit.

cans, fluminis ripas pontibus iungere cœpit, per eos deinde copias traiecturus. Occupato Cyro in eo labore, Regina per legatum mandat, videat, ne in alios bellum moliendo, ſibi ipſi fatum vel perniciem acceleret. ſatis latum & amplum imperium, quod ei fortuna permiſerat, ita regat, vt vicinas terras non

Thamyris deterret Cyrum à bello.

moleſtet, neque temere impugnet, memor inſtabilis fortunæ, quæ non perpetuo fouet quos ſemel euexit. Verum tamen ſi in eadem ſententia perſiſtere contendat, & omnia malit, quam pacem, & amicitiam Scytharum, deſinat pontes immenſo labore conſtruere, ſed libere cunctam gentem ſuam commodius quo voluerit, tranſponat, cum ipſa interim trium dierum itinere, cum ſuo exercitu regrediatur: vel ſi malit, Scythis liberum traiectum permittere, tantundem itineris in ſuam patriã reuertatur. Hac conditione per Cyrum ad Perſarum ſapientes relata, conuenêre omnium ſententiæ, quod Thamyri, eiuſq; exercitui ſecura

Crœſi regis Lydorum conſilium.

tranſmiſſio concedatur. Interrogatus Crœſus quondam Lydorum rex, nunc Cyri captiuus, diuerſam ab aliis ſapientibus ſententiam profert. Quandoquidẽ, ô Rex, Dij immortales me tuum captiuum eſſe voluerunt, meliora tibi domino meo, non hoſti, vt olim, propono conſilia. Si tu immortalis eſſes, & immortali exercitui imperares, vana eſſent noſtra conſilia immortalitate ſecutis. At ſi tu, tuique mortales eſtis, debes rerum mortalium fortunam tibi aliquando aduerſari poſſe prouidere. Quocirca ſi hoſtis in tuum regnum admiſſus, vt, quod Dij auertant, ſuperarit, teque ſors aliqua ad fugam compulerit, de toto regno periclitabere: neque enim quieſcet hoſtis victoriam proſequi, quam ſibi viderit tam inſigni fauore arridere. Si vero, quod magis opto, à te ſuperari fugerint, nihil eos in ſequendo conſequaris: quæ omnia tibi in hoſtili ſolo pugnanti feliciora ſuccedent. Et ſi aduerſus caſus te hoſtibus inferiorem reddiderit, habebis regnum tuum ad refugium ſaluum & intactum: ipſos autem fugientes inſectando, totum eorum regnum facile ſubiugabis: coniecturam enim accipio, omnia tibi feliciter ſucceſſura, ſi in alteram fluminis partem itinere vnius diei progreſſus, iuſſeris caſtra collocari, quæ in omnibus rebus ad humanum victum neceſſariis, abundantiam luxumq; oſtentent. Illic lixarum, calonum, cæteramque imbellium turbam, cuius iacturam minimi duxeris, in excubiis relinque: niſi fallat opinio, aderunt hoſtes illi Aquilonares, & mox trucidatis caſtrorum cuſtodibus, ſe ſuper vina, epulaſque effundent: nec crapulæ finem imponent, donec ſomno vinoque ſepulti, ad arma penitus inepti reddantur. Tunc tui præſto aderunt, facilemque & incruentam victoriam de illis ſuſcepturi. Cyrus,

Cyrus ſequitur conſiliũ Crœſi.

audito Crœſi conſilio, ſententiam, cui omnes ſui ſapientes antea conſenſerant, velocius quam felicius commutauit. Regina, vti conſtitutum erat, triduano itinere regreſſa, Cyro totis eiſdem diebus liberrimam facultatem copias ſuas tranſponendi conceſſit. Qui, vti erat à Crœſo perſuaſus, poſt vnius diei iter, caſtra delitiis quam bellis aptiora collocauit, ſeque ad Araxis fluminis ripas concito reditu recipere curauit. Elapſis triduanis induciis, Regina filium Spargapiſem, cui tertiam partem ſui exercitus parere iuſſerat, ad ſpeculandum hoſtilia ca-

Stratagema Cyri.

ſtra emittit. Qui cum videret caſtra magnifico & regio ſplendore explicata, ratus ibi regem adeſſe, commilitones hortatur, vt ſe viros fortiſſimos meminerint, virtutemque patriam totis viribus referentes, in hoſtium caſtra irrumpant. Hæc dicens, non ſecus ac leo fremens, primus omnium fertur in hoſtes, oppugnatiſque & expugnatis militum excubiis, caſtra opulenta magis, quam tuta ingreditur: in quibus, dum ſe, & commilitones ſuos poſt partam victoriam vino & epulis permiſerat, ſitimque & bellicos ſudores, auidius ſumpto potu, leuare

Spargapiſes filius Thamyris capitur, eiuſque exercitus inſidiis Cyri profligatur.

contendit, primo ab illecebris inſidioſorum caſtrorum ſuperatur, deinde à ſuperueniente Cyro cum omnibus copiis ſuis, quemadmodum prædixerat Crœſus, ſubiugatur; ex cuius copiis, plurimi trucidati, multi in captiuitatẽ abducti, nonnulli etiã fuga ſeruati, ad reginã redierunt. A quibus, poſtquam rerum infeliciter geſtarum ordinem cognouiſſet, miſſo caduceatore, talia referri iuſſit Cyro: Non tibi blandiaris, aut congratuleris Cyre, quod viros parum virili virtute deuiceris: dolis viciſti quos armis ſuperare nequiuiſti: nec poteris affirmare,

eos tua fortitudine victos, qui ſuis vitiis potius ſuccubuere, quam tibi. Filium meum, quem tibi fortuna captiuum permiſit, ſi placet, æquo munere compenſandum ad me remitte. Cæterum, ſiue id feceris, ſiue non, para te ad prœlium: memento, te eſſe in terra hoſtili, & cum illis hominibus negotium habere, qui fortitudine, non dolis vincere didicerint.

Thamyris iterum Cyrum ad conflictum laceſſit.

Hanc animoſam reginæ legationem admiratus Cyrus, iuſſit eius filium à vinculis abſolui: qui mox reſtitutam ſibi libertatem, in ſuam extremam conuertit perniciem. Nam commotus captiuitatis verecundia, ob quam materno conſpectu ſe indignum putabat, gladium in ſua viſcera propriis manibus intorſit; præfatus, quod deliciis ſuperatus eſſet, qui fortes viros ſuperare didiciſſet.

Spargapiſes ſibi mortem conſciſcit.

Quo fortiſſimo facto, etſi Cyrus conſideraret, ſe periculoſi belli negocium contra homines audaciſſimos ſuſcepiſſe, attamen pudore ſimul animatus, ducenta millia Perſarum & Medorum contra Reginam ex caſtris eduxit.

Cyri exercitus contra Thamyrim.

Illa autem quaſi ob filii mortem, & ad tantæ multitudinis aſpectum terrore conſternata fuiſſet, fugæ ſimulatione ſe ad interiora regni loca, ſibi quidem peropportuna, hoſti vero minus accommoda, retraxit. Quam Cyrus forti magis quam prudenti animo inſequutus, ad præparatas inſidias deuenit: in quibus cum vniuerſa ſua multitudine ita extinctus eſt, vt ne nuntius quidem ſupereſſet, qui acceptam cladem ad Perſas referret.

Cyrus cum omnibus copiis extinctus.

Regina iuſſit inter tot innumera cadauera corpus Cyri perquiri, & ad ſuum conſpectum allatum, capite ſpoliari: caput vero abſciſſum, in vtrem Perſarum humano ſanguine plenum immergi, adiecta hac memorabili exprobratione & contumelia: Tu quidem ô Cyre meeum viuentis, & in pugna victricis filium, perdidiſti dolo captum; at ego te, prout interminata ſum, cruore ſaturabo. ſanguinem igitur bibe quem ſitiſti. Hac parta victoria, Scythæ opimam prædam aſſecuti, primum ſerica tentoria viderunt, ſub quorum apparatu Perſicam pompam & magnificentiam nihilo ſecuriorem fuiſſe compererunt.

Thamyris conſtruit vrbem Thamyram.

Deinde Thamyris tanto triumpho, tantiſque ſpoliis locupletata, in partem Mœſiæ, quæ nunc ex magna Scythia nomen habet mutatum, ſe recipiens, ibi prope pontem Mœſiaci littoris magnificam vrbem Thamyram ex ſuo nomine ædificauit.

Thamyris ſtratagema.

Metaſthenes Perſarum hiſtoricus teſtatur, hoc bellum fuiſſe ſexennale. Polyænus, cuius proxime fecimus mentionem, lib. 8. Thamyrin hoc dolo in ea expeditione vſam eſſe tradit, videlicet, illam ſimulaſſe, ſe hoſtes metuere, cumque in fugam ſe Amazonum exercitus conieciſſet, & ſequeretur Perſicum agmen, deprehendiſſe in Amazonum caſtris magnam copiam vini, commeatus, & victimarum, quibus affatim & largiter fruebantur, per totam noctem quaſi victoriam conſecuti. Cum multo vino luxuque obruti iacerent, ac ſomnum caperent, ſuperueniſſe Thamyrin, & Perſas, qui ſe loco mouere vix poterant, vnà cum ipſo Cyro trucidaſſe. At Herod. & Iuſt. aſſerunt, ipſummet Cyrum hoc ſtratagemate in primo conflictu, in quo ſuperior fuit, vſum eſſe. Thamyrin vero ſimulata diffidentia propter vulnus acceptum, refugientem, hoſtem ad vſque anguſtias perduxiſſe, ibique ſtructis in montibus inſidiis, tandem inimicas copias funditus deleuiſſe, atque in eo prœlio Cyrum interemtum. Huius quidem ſententiæ præter hos, fuerunt etiam plures alij ex veteribus. Ioſephus quoque lib. Antiq. 11. cap. 11. hunc Maſſagetico bello periiſſe teſtatur: idemque videre eſt apud Sex. Frontinum lib. 2. cap. 5. Strat. cum inquit: Thamyris Scytharum regina, Cyrum Perſarum ducem, æquo Marte certantem, ſimulato metu, elicuit ad notas militi ſuo anguſtias, atque ibi repente conuerſo agmine, natura loci adiuta, deuicit. At Xenophon lib. Pædiæ 8. illum quiete ac placide ſuum diem obiiſſe narrat; atque ait, vbi præſenſit naturam ſibi finem vitæ attuliſſe, accerſitis aulæ proceribus, ac vtroque filio, ſcilicet Cambyſe, & Tanaoxare, longum ſermonem habuiſſe de animæ immortalitate, deque præmiis ac pœnis ſequuturis poſt hanc vitam, ac iudicii diuini, cuius ſignum ac teſtimonium forent horrendi pauores conſcientiæ, qui ſint vindices ſcelerum, etiam ſi quis humana iudicia effugerit. Præterea vtrumque filium diuiſo imperio, ad iuſtitiam & fraternam charitatem ac beneuolentiam cohortatum eſſe, multaque his

conſimilia, quotum etiam Cato apud Tullium in aureo illo libello De ſenectute mentionem fecit. Zonaras etiam lib. 1. cap. 20. huic ſententiæ adſtipulatur. Verum enimucro, licet ipſe huic ſententiæ aſſentiar, de his tamen vnicuique liberum ſuum eſto iudicium, ſicuti etiam de Cyri ſecundogenito, quem idem Zonaras Tamaraxem nominat: Xenophon Tanaoxaren, alii Smerden ſeu Smerdin frequentius. Porro, vt hoc etiam ſubiungam, non deſunt qui exiſtiment, Cyrum Medum, Darij Medi fratrem, & ſucceſſorem, cuius ſoror Mandane, Cyri Perſæ mater fuit, à Thamyri Maſſagetarum regina occiſum, & huius exitum, propter nominis ſimilitudinem ad Cyrum Perſam ab Herodoto translatum eſſe. Minime autem ignoro, à Cicerone ſcribi, huius vitam à Xenophonte non ad hiſtoriæ fidem conſcriptam, ſed potius ad effigiem iuſti imperij, vt Platonis Reſp. Vlyſſes Homericus, & ipſiuſmet Ciceronis Orator.

Cyri dotes eximiæ.

Vtcunque tamen ſit, credibile quidem videtur, ipſum ingentibus dotibus reſplenduiſſe, ac ſumma quadam in rebus gerendis felicitate vſum eſſe. Quin etiam ex ſacris literis facillime colligi poteſt, ipſum vera filii Dei cognitione diuinitus illuſtratum fuiſſe, idque miniſterio Danielis, cum quo illi maxima familiaritas interceſſit, cum is in Perſia Suſis præficeretur. Huius autem locupletiſſimum teſtimonium præbuit, cum Iudæos in patriam reſtitui, templum inſtaurari, & politiam Iſtaeliticam rurſus erigi voluerit.

Eiusdem ſepulchrum.

Quod vero ad eius ſepulchrum attinet, Arrianus lib. 6. ſic de illo memoriæ tradidit. Venit tunc in regionem Paſagardarum Atrobates quoque Sattapa Mediæ, adducens Baryaxem natione Medum, quod geſtando erectam cidarim, perhibuiſſet ſeſe regem Perſarum, atque Medorum, ſimulque cum ipſo participes ſeditionis ac defectionis, quos quidem Alexander interfici iuſſit, cum dolorem afferret ei impietatis ſcelus, reperto ſepulchro Cyri Cambyſis filij effoſſo, ac ſpoliato, quemadmodum Ariſtobulus ait: fuiſſe enim apud Paſagardas in hortis ibi regiis Cyri illius ſepulchrum, & circum hoc conſitum lucum variarum arborum, aqua irriguum, denſa herba in illo prato creſcente. Ipſum ſepulchrum inferiore parte ſui egregio lapide extructum, figura quadrata: ſuperius impoſita ædicula lapidea recta, cum feneſtra, qua introiretur, anguſta, adeo vt vix vir vnus non magnæ ſtaturæ ingredi valde laborioſe poſſet. In hac ædicula poſitum labrum illud, ſpondam ſeu lectulum cum pedibus aureis affabre excuſis, iniecto tapeti Babylonij operis, & ſtragulis Perſicæ veſtis purpureæ, additiſque & ijs, quas Candys Perſæ vocant, & tunicis aliis Babyloniæ elaborationis, necnon crurum integumentis, quas Anaxyridas appellant, Medicis, & ſtolis Hyacinthini, aliiſque purpurei, alijs huius illiuſue coloris, referente ſcilicet Ariſtobulo. Fuere ibidem torques etiam, & acinacæ, & inaures operis concinnati auro ac gemmis! Appoſita menſa. In medio autem lectuli illius ſeu ſpondæ poſitum labrum, cōtinens corpus Cyri. Intra ſeptum, qua aſcenderetut ad ſepulchrum, fuiſſe ædiculam paruam extructam magis ſepulchri cuſtodibus, filiis ſuccedentibus in cuſtodia patribus, ab Cambyſe vſque Cyri filio. His dabatur ouis ſingulis diebus à rege, & farinæ vinique certa menſura, & vnoquoque menſe equus, qui immolaretur Cyro. Inſigne fuit ſepulchrum ſcriptura literarum Perſicarum, huius ſententiæ: H E V S T V Homo: ego Cyrus ſum Cambyſis filius, qui imperium Perſicum conſtitui, & regnator fui Aſiæ. Ne igitur mihi iſtud monumentum inuideas. Alexander vero, cui curæ eſſet accedere ad Cyri ſepulchrum, Perſis in poteſtatem redactis, reperit cætera inde ablata, præter labrum illud & lectulum. Corpus etiam Cyri violarant, operculo labri remoto, & deiecerant cadauer. Ipſumque labrum conati fuerant efficere leuioris molis, vt facilius ita poſſet ferri; quædam amputantes, quædam defringentes. Quæ res cum minus ſuccederet, ita relicto labro diſceſſerant. Atque ait Ariſtobulus; ſibi ipſi mandatum fuiſſe ab Alexandro, vt de integro ſepulchrum illud exornaret. Itaque quicquid corporis adhuc reliquum integrumq; eſſet, id ſeſe in labrum repoſuiſſe, & operculum impoſuiſſe, & mutilata violataque refeciſſe, ipſumque lectulum faſciis intendiſſe, & cætera ad ornatum propoſita ad numerū ſimilia priſtinis repoſuiſſe. Feneſtram

autem

autem abſcondiſſe partim lapidibus obſtruendo, partim luto oblinendo: lutoque ſignum regium impreſſiſſe. Alexander vero comprehenſos Magos cuſtodes ſepulchri torſit: At hi in tormentis neque ex ſuis, neque ex aliis indicarunt quenquam, neque aliter vllo pacto deprehenſum eſt, facti iſtius ipſos eſſe conſcios. Et ideo ſunt ab Alexandro dimiſſi liberi. Hucuſque Arrianus. Curtius lib. 9. eiuſdem rei mentionem faciens, dicit, Alexandrum Cyri ſepulchrum aperiri iuſſiſſe, in quo erat conditum eius corpus, cui dare volebat inferias. Hoc autem auro argentoque repletum eſſe credidiſſe, quia ſic fama Perſæ vulgauerant: Sed præter clypeum eius putrem, ac arcus duos Scythicos, & acinacem, nihil reperiſſe; Cæterum, corona aurea impoſita, amiculo, cui aſſueuerat ipſe, ſolium, in quo corpus iacebat, velaſſe: miratum tanti nominis regem, tantis præditum opibus, haud precioſius ſepultum eſſe, quam ſi fuiſſet è plebe. Paulo poſt aſſerit, Bagoam ſpadonem cuidam Orſini Perſarum nobiliſſimo, eiuſque furti penitus inſonti, coram Alexandro exprobrare, tria millia talentum condita fuiſſe cum Cyro, idque ſe à Dario accepiſſe. Huius monumenti meminit etiam Strabo lib. 15. Plutarchus autem in vita Alex. ſcribit, ipſum, cum Cyri ſepulchrum effoſſum offendiſſet, auctorem facinoris Polymachum, minime quidem ignobilem hominē, Pellaque oriundum necauiſſe: inſcriptionem cum legiſſet, Græcis ſubſcribi literis iuſſiſſe, hanc eius fuiſſe ſententiam: Quicunque ades mortalium, atque vndecunque veneris, (venturum enim te ſcio) Cyrus ego ſum, qui Perſicum regnum conſtitui: ne igitur tantillum mihi telluris inuideas, qua corpus meum obtegitur. Hac re animum Alexandri maiorem in modum perturbatum, incertitudinem rerum viciſſitudinemque reputantis. At Xenophon teſtatur, ipſum non auro, nec argento condi, ſed terræ corpus reddi voluiſſe, vt matri. Quanta vero memoria Cyrus præſtiterit, ex eo facile cognoſci poteſt, quod, vt Valerius, Plinius & Solinus teſtantur, omnium militum ſuorum nomina edidicerat. adeo vt in exercitu, cui numeroſiſſimo præfuit, nominatim ſingulos alloqueretur, tametſi nonnulli in hac fuerint ſententia, vt exiſtimauerint, eos tantum intellexiſſe de militum præfectis. Id etiam de illo refertur, cum ſcilicet optaſſe, vt tandiu eſſet ſuperſtes, dum & bene & male merentes referenda gratia ſuperaret. Ipſius quidem clementia tanta extitit, vt in bellis præconium fieri iuſſerit, quo ſeueriſſime cauebatur, ne quis agricolas vlla iniuria & incommodo afficeret, & quam minimum belli eſſet, ἐμπρότατον, ὦ πόλιμον λιπεῖν. Sic itaque vincere iubebat, vt poſſeſſores manerent in ſuis poſſeſſionibus, vtque armati hoſtes reprimerentur, & populus pacis cupidus conſeruaretur. Quod vero ad ipſius diligentiam attinet, Zonaras lib. 1. cap. 20. ait, cum Perſarum imperium longe lateque per vniuerſam fere Aſiam pateret, Cyrum animaduertiſſe, neceſſum eſſe ad tuendum recens partum armis imperium, vt ſingulis diebus certior fieret omnium rerum, quæ in regionibus nuper partis gererentur, vt ſi qui ad defectionem animum adiicerent, præſto cum omnibus ſuis copiis & ipſe adſoret, cui morbo vt mederetur, equos in vniuerſo Perſidis imperio parari iuſſiſſe, cauponaſque conſtrui equis recipiendis & educandis aptas, quæ ita diſponerentur, vt equi celerrimo curſu grauati, feſſi de via intromitterentur, & noui parati adhiberentur, qui ferendis curſoribus, quos Satrapæ regionum ad regem mitterent, in procinctu eſſent. His nuntiis, inquit, nihil celerius tranſcurrit in rebus humanis, quot ex diebus tota via conſtat, totidem equos, totidemque viros cōſtat eſſe diſtinctos, quos neque vis niuium, neque imber, neque æſtus, neque nox detinent, quin propoſitum ſibi curſum celerrime conficiant. Quorum curſorum primus mandata tradit ſecundo, ſecundus tertio, tertius quarto, & ita deinceps mandata in alium atque alium tranſeunt. Qui mos à Cyro inuentus, ſtudioſe à Xerxe Perſarum rege, vt Herod. tradidit, probatus eſt. Hanc equorum curſitationem angareion appellabant. Auguſtus vero noluit, vt nuntius ſubinde mutaretur, ſed vt ille qui literas acceperat ferendas, idem perferret, poſſetque interrogari de rebus illis, quibus præſens interfuiſſet. Itaque idem nuntius permanebat, equi mutabantur, vt Sueton. Tranquill. in Auguſto annotauit.

Memoria.

Gratitudo.

Clementia.

Diligentia.

Tabellariorū Perſarum curſus & modus.

Cyri forma. Plut.in Apophtegmatibus,Cyri mentionem faciens, Perſæ,inquit, adunco naſo præditos amant, pulcherrimoſque eos iudicant, quod tali forma fuit Cyrus, *Apophthegmata.* quo neminem regum ij maioris fecerunt. Is dixit,qui ſibi ipſis nollent, eos cogi aliis commoda parare. Item, magiſtratu dignum non eſſe quenquam, qui non ſit melior ſubditis. Cum Perſæ vellent pro ſua regione, montoſa ea & aſpera, aliam planam & mollem occupare,prohibuit:quod diceret, & ſtirpium ſemina, & hominum mores locis adſimilari. Hæc breuiter Plut. Quanta vero fuerit vitæ *Parſimonia.* parſimonia,hinc facile colligi poteſt, quod cum forte ad hoſpitem diuertiſſet, iſque rogaret,quid cœnæ ſibi apparari vellet,reſpondiſſe fertur,panem tantum; *Liberalitas.* & ſperare, ſe prope fluentem aquæ riuum cœnaturum. Hunc etiam benefica & liberali fuiſſe natura,vel hoc vnico exemplo facile conſtabit: Cum enim quidam ad eum plurima ornamenta miſiſſet, ea mox diſtribuit amicis. Cum autem ex eo quæreretur,Cur ſibi nihil reliquiſſet? Quia,inquit,corpus meum his omnibus ornari non potuit.amicos autem his ipſis ornatos intuens, maximum mihi ipſi ornamentum aptum eſſe putabo. Is etiam dicere conſueuerat, hos, qui repentinis abſtinent voluptatibus, non id agere, vt lætentur nunquam, ſed vt per hanc continentiam multo maiore in poſterum tempus lætitia fruantur. Plutarchus in Regum apoph.refert,Cyro,conflicturo cum hoſte, loco qui dicitur Cunax,Clearchum ſuaſiſſe,vt ſe poſt Macedones contineret, ne ſeſe in belli *Cyrus qualem hymnũ quibus diis in ipſo prælio aditu canere iuberet.* diſcrimen coniiceret:ipſum vero reſpondiſſe: Vitne, vt cum regnum appetam, regno me indignum oſtendam? Hic etiam in bello,ne hoſtium efferis clamoribus milites perculſi trepidarent, hymnum Polluci & Caſtori canere iuſſit, quo concentu effecit,ne improuiſa formidine caperentur. Aciem vero ita inſtruere *Aciei inſtructio.* ſolitum,nonnulli tradiderunt, vt videlicet, qui primi in prælio, quique primarum centuriarum milites eſſent, in ſecundis pugnarent vltimi; deinde vltimi ſuccederent ad primos,ita acie inſtructa, vt ſeruato ordine progredi ad pugnam, & cum opus foret, pedem retroferre poſſent. Pro vexillo autem,ferunt,illum, *Militare vexillum.* aureum gallum affixum lanceæ militi in acie dediſſe. Ipſius autem conſilium fuit,non modo ex ciuibus ſuppleri milites,ſed velut optimos equos è longinquo *Bellica diſciplina.* quæri oportere. Quatenus ad militarem diſciplinam attinet, inſtituit, vt milites ſemper opus facerent,& nunquam exercita iuuentus,niſi ſudore præuio, cibum ſumeret. Qui etiam neq; prandebat,neque cœnabat vnquam,niſi ſudaſſet prius, & militaria obiuiſſet munera. Illud quoque,in Xenophonte legitur,exercitum itineribus & locorum mutatione crebro fatigare ſolitum, potius quam vno in loco in caſtris ſedere,idque cum tutius,tum ad diſciplinam militarem nobilius arbitratum eſſe. Idem auctor eſt, Cyri tabernaculum,hyeme pariter atque æſtu Orientem verſus,aut in caſtrorum medio,quod locus munitiſſimus foret, ſta*Teſſera.*tui conſueuiſſe. Huius teſſeram dicunt fuiſſe,Iouem belli ſocium & ducem. Quibus autem ſtratagematibus in bello varie vſus fuerit, eſt videre apud Polyænum lib.7.qui plæraque recenſuit, & Sex.Iulium Frontinum variis in locis. Hæc in præſentia de Cyro, quem veterum annales perhibent ad ſeptuageſimum ætatis annum perueniſſe, ac regnaſſe annos viginti nouem, ſiue, vt nonnullis placet, triginta. Huius quidem obitus incidit in annum 3439. vt quidam ſentiunt,ſiue,vt aliis placet,3450.eadem Olympiade, qua Romæ ſunt eiecti re*Cambyſes II. rex Perſarum.*ges,& creati conſules. Cyro humanis reb. ſubtracto Perſici regni adminiſtrationem ſuſcepit Cambyſes ipſius filius natus ex Caſſandana Pharnaſpo genita,vt ait Hero.initio II.lib. Hunc Cyrus variis bellis foras implicitus, Perſis præfecerat, iſque non multo poſt patris diſceſſum,ingenti exercitu collecto, Aegyptum inuaſit, eamque ſibi armis ſubegit,idq; contigit iuxta Diod. circa tertium annum Olymp.tertiæ & ſexageſimæ. Aegyptiis eo tempore imperabat Pſammenitus (nã pater eius Amaſis obierat in ipſo Cambyſis ad Aegyptum acceſſu) qui cum ſex menſes regnaſſet,captus eſt à Cambyſe, & aliquanto poſt interfectus. Suntque apud Her.lib.3.de Pſammenito hæ narrationes dignæ memoria: Cum filia duceretur inter captiuas ſeruili habitu miſſas ad aquam ferendam, ſedit pater Pſammenitus inter captos, videns prætereuntem filiam,ac cæteris plorantibus, ipſe ta-

ipſe tacitus ſedit, oculis in terram defixis: Poſtea cum filius duceretur inter cæteros interficiendus, ſedit eodem modo tacitus. Poſt hos, cum familiaris quidā duceretur inter captiuos, plorare, & caput ferire cœpit. Hæc cum animaduertiſſet Cambyſes, interrogari eum iuſſit, cur nunc ploraret, cum antea tacitus vidiſſet duci filiam & filium? Reſpondit, domeſtica mala maiora eſſe lachrymis; ſed amici calamitatem poſſe lachrymis ſignificari: Additque Herod. Crœſum, qui ſimul adfuit, (hunc enim Cyrus apud Cambyſem reliquerat, vt ei tanquam conſiliarius aſſiſteret) & Principes Perſicos illachrymaſſe, & Cambyſen miſericordia motum, iuſſiſſe filium ei reſtitui incolumem. Ad quem reducendum cum nuntij mitterentur, iam adoleſcens interfectus erat. Ipſi tamen Pſammenito tunc vitam donauit, & erat ei redditurus AEgyptum, vt eam, tanquam regius præfectus gubernaret. Sed cum is res nouas moliretur, ac AEgyptios ad defectionem ſollicitaret, illum poſtea interfici iuſſit. Hunc Plin. lib. 36. cap. 9. vocat Semneſerteum, quo regnante, ait, Pythagoram in AEgypto fuiſſe.

Cambyſes contra AEthiopes infeliciter pugnat.

Cambyſes, vbi tam illuſtri victoria potitus eſſet, rebus proſperis elatus, contra AEthiopes bellum mouere ſtatuit, Cæterum ea expeditio huiuſmodi euentum ſortita eſt, vt magna parte copiarum amiſſa, reque infecta, in AEgyptum redierit. Per idem quoque tempus, ad Ammonis nobiliſſimum templum expugnandum, exercitum miſit: qui tempeſtatibus, & arenarum molibus oppreſſus, interijt.

Apis à Cambyſo vulneratus.

Eiuſdē ſomnium, & crudelitas.

Poſthæc, offenſus ſuperſtitionibus AEgyptiorum, Apim, (hunc Græci Epaphon vocabant, quem ipſi, vt Deum colebant) ſuo mucrone in femur vulnerauit, eorumq idola euerti iuſſit, & in plurimos dire ac immaniter ſæuire cœpit. Non multis poſt diebus, per quietem vidit Smerdin regnaturum: hoc ſomnio exterritus, cum de fratre id omnino ſuſpicaretur, non dubitauit poſt ſacrilegia etiam parricidium facere. Erat enim difficile, vt parceret ſuis, qui contemptu religionis, graſſatus etiam contra Diuos fuerat. Ad hoc tam crudele miniſterium quendam ex præcipuis amicis delegit nomine Prexaſpen, ei ex omnibus Perſis virum fideliſſimum, & ſummæ auctoritatis, qui, vbi Suſa conſcendiſſet, Smerdin necandum curauit in venatione, vt à quibuſdam proditum eſt, ſiue, vt alij cenſent, poſtquam eum ad mare Rubrum perduxiſſet. At hic qui regi hac in re multo obſequentior fuit, quam debuiſſet, non multo poſt tanti flagitij Deum vltorem habuit, vt mox dicetur.

Cambyſis ſæuitia in proprium fratrem.

Cambyſes, poſt fratris interitum, ſcelera ſceleribus accumulans, vnam ex ſororibus, quæ illum in AEgyptum vſque comitata fuerat, ſupra modum deperire cœpit, eamque in vxorem ducere conſtituit. Plin. lib. 36. cap. 9. ſcribit huius nomen fuiſſe Arſinoen.

Sororē ducit vxorem, & ex ſe grauidam interficit.

Quoniam vero id apud Perſas nouum & inuſitatum erat, regios iudices, (hi deligebantur à Perſis, erantque perpetui, niſi delicti alicuius comperti fuiſſent, horumque munus fuit, ius dicere, patrias leges interpretari, omniaque ad eos referri conſueuerant.) accerſiri imperauit, eoſque percunctatus eſt, num lege aliqua inter fratrem & ſororem matrimonium conſiſtere poſſet. Negant illi, legem aliquam in hanc ſententiam extare: quandam tamen ſe inuenire legem, qua regi Perſarum liceat facere quicquid velit. Proinde hanc ſibi matrimonio copulauit, & deinde ex ſe grauidam interfecit. Huius rei duplicem cauſam aſſignat Herod. lib. 3. & vtraque interempti fratris tacitam exprobrationem cum lachrymis continet. Iudices autem, neque legem abrogarunt, & ne legem tuentes, ipſi periclitarentur, aliam inuenerunt ſubſcribentem voto eius, qui ſororem in matrimonium ducere optabat. Sed interim dolendum eſt, quod Principes qui ſeruantiſſimi legum tutores eſſe deberent, fidiſſimique nomophylaces, hi plærunque ſint præuaricatores & ſupplantatores, illud ſubinde iactitantes, Principem lege ſolutum eſſe, & libidinem regum pro legibus habendam.

Antonius Caracalla nouercam ducit vxorem.

Hinc olim Antonius Caracalla Romanus imperator, cum nouercam nomine Iuliam, luculentam fœminam, inceſto amore diligeret, dixiſſetque, Vellem ſi liceret; ferunt illam reſpondiſſe: Si libet, licet: an neſcis te imperatorem eſſe, & leges dare, non accipere? Hoc ſane verbum, quod oleum eſt camino, quod ſulphur incēdio, idē fuit ad furorē principis extimulandū, legesq; cōculcādas. Nā è veſtigio furijs Cupidineis concitatus, nuptias inceſtas nefandasq;

cum nouerca confecit, quaſi ſciret, ſe leges dare: cum vere ſi quid auitæ ſanctitatis in homine fuiſſet, ſolus prohibere debuiſſet. Siquidem matrem, nec enim alio dicenda erat nomine, duxit vxorem, & ad parricidium iunxit inceſtum. Namque eam matrimonio ſociauit, cuius filium Getam, eundemque ipſiuſmet fratrem, prius occiderat. Nimirum tales principes, vel potius tyranni, horribilia monſtra, fex & peſtis humani generis, leges perinde habent ac telas aranearum. Nam ſicut illæ infirmiora animalia retinentes, valentiora tranſmittunt, ita legibus humiles & pauperes conſtringuntur, diuites & præpotentes non alligantur, exque his perpauci imitantur optimum illum & nunquam ſatis laudatum Romanorum Imperatorem Traianum, qui, vt hiſtorici prodiderunt, adeo fuit oſor improbitatis & iniuſtitiæ, vt aliquando ſtrictum enſem coram ſuis proceribus, Præfecto prætorij tradiderit, his verbis: Cape hũc enſem: & ſi bonus fuero, pro me; ſin malus, contra me eo vtitor. Aurea quidem vox, & quouis pio & Chriſtiano principe digniſſima. Vt vero ad inſtitutam orationis ſeriem reuertar, Cambyſes, his tam fœde & crudeliter peractis, cœpit cum in alios quoque Perſas inſanire, tum præcipue in Prexaſpis filium, cuius modo facta eſt mentio. Hunc ſane antea propter fidem & ſpectatam probitatem ac virtutem ſemper plurimi fecerat, cuiuſque filius Cambyſi vina miſcebat, qui honos & ipſe non paruo loco ducebatur. Ad hunc itaque fertur dixiſſe: Quemnam virum Perſæ illum eſſe cenſerent, aut qualem de ipſo ſermonem haberent. Eum autem reſpondiſſe: Cætera quidem omnia in eo magnis laudibus efferri: ſed illum nimis vino deditum, vulgo iactari. Hoc audito, dixit, ſe oſtenſurum eſſe, ſibi mentem etiam inter pocula integram eſſe, ac iuſſit in conuiuium adduci filium Prexaſpis, quem collocatum ad limen, iuſſit puerum ſiniſtram manum capiti imponere, arcumque intendit, & ad cor adoleſcentis ſagittam direxit. Quod cum vulneraſſet, icto pectore, hærens in corde ſpiculum patri monſtrat, eumque ridens interrogat, ſatiſne certam manum haberet? Pater ſibi metuens, artem laudat. Proximo die, duodecim Perſas generis nobilitate inſignes, ob nullius momenti cauſam trucidauit. Quin etiam & Crœſum Lydorum regem, honeſta & vtilia ſuadentem interfici iuſſit. Cum vero miniſtri, quibus hoc demandarat, Crœſum abdidiſſent, vt, ſi forte, mutata ſententia, illius vitam expeteret, eo producto, muneribus afficerentur, quod viuum ſeruaſſent; ſin autem nulla pœnitudine duceretur, nec eum deſideraret, tunc omnino, vt iuſſi erant, interficerent, non multo poſt accidit, vt, cum Cambyſes Crœſum deſideraret, ipſi, hoc animaduerſo, illum ſuperſtitem eſſe dicerẽt. Is autem, Crœſo ſuperſtite gauiſus eſt; at miniſtros, qui ſecus egerant, quam ipſe mandarat, omnes illico trucidari imperauit. Hæc, & plura his conſimilia de ipſo in veterum monumentis relata ſunt, plena horribilis furoris ac tetræ cuiuſdam immanitatis. Herodotus auctor eſt, Cambyſem ab ipſis incunabulis graui laboraſſe morbo, quem nonnulli ſacrum nominant: vt haud ab re fuerit, cuius corpus magna ægritudine inualidum eſſet, eius ne mentem quidẽ ſanam fuiſſe. Sed Plato in tertio Legum longe aliam rationem affert, videlicet, prauam educationem. Quoniã vero, ea narratio multa continet memoraru digna de regibus Perſarũ haud ſane ab inſtituto alienũ fuerit, ſi ea omnia paulo altius repetãtur. Hæc autem omnia ibi traduntur ſub perſona Athenienſis hoſpitis, qui non nominatur, Cliniæ Cretenſis, & Megilli Lacedæmonij. Athenienſem igitur ſic cum altero loquentem introducit. Perſæ, inquit, quãdo vitam ſub Cyri imperio egerunt mediam interiectam magis inter ſeruitutem & libertatem, primum fuere liberi ipſi, deinde aliorum domini multorum. Imperiũ enim eorum, quod eſſet liberale impertiendo poteſtati ſuæ ſubiectis, & ad æqualitatem illud adducendo, ita maior erat caritas inter ductores ac milites, qui præbebant ſeſe paratis animis ad pericula adeunda. Iam ſi quis prudens erat inter eos, & conſulendi in medium facultate præditus, cum rex ipſe eſſet ab omni inuidia alienus, libertatemque dicendi concederet, & conſulendi facultate præditos honoraret, communem, inque medio poſitam prudentiæ facultatem exhibebat, cunctaque tunc illis attribuebat liberaliter ac amanter, & mente ſententiaq; cõmuni. Clinia, ſane ea quę narras,

Traiani vox.

Exemplum horribilis immanitatis.

Platonis ſententia de regibus Perſarum.

narras,ita tunc videntur euenisſe. ATHEN. Quo pacto igitur res Cambyſe imperium tenente perditæ,& à Dario ſere conſeruatæ fuerint, vultiſne vt tanquã vaticinãtes cõmentemur? CL. Affert id ſcilicet cõſidetationẽ ad id quo cõtendimus. ATHEN. Mea igitur vaticinatio eſt de Cyro. Fuiſſe eum cæteris in rebus ducem exercitus ſeu imperatorem virtute præſtantem, & amantem patriæ; veram autem rectamque illi inſtitutionem prorſus non contigiſſe, neque animum ad curam rei ipſum familiaris quicquam attendiſſe. CL. Quomodo vero iſtud dicimus? Videtur eum à prima ætate ipſe in expeditionibus bellicis verſaretur perpetuo, rradidiſſe filios mulieribus educandos. At hæc ſic illos educere, vt qui à pueris ſtatim felices beatique extitiſſent, neque vlla re, hac in parte, deficerentur: & prohibere, ne quis, tanquam prorſus felicibus ipſis vlla in re aduerſaretur: ac cogere, vt cuncti laudarent, quicquid illi dicerent atque facerent: ita tales quoſdam educauerunt. CL. Bellam ſcilicet educationem commemorauiſti. ATHEN. Plane quidem muliebrem, Regiarum mulierum, quæ paulo ante diuites eſſent factæ, educantium liberos in abſentia virorum, qui negotioſi eſſent in bellis gerendis & mulris adeundis periculis. CL. Eſt conſentaneum. ATHEN. At pater horum tunc caulas atque oues, & greges virorum aliorumque multorum parare, ignorans interim, non inſtitui illos, quibus hæc traditurus eſſet, patria arte, (cum Perſæ eſſent paſtores, ſoboles aſperæ regionis) dura illa atque ſatis idonea ad efficiendum paſtores admodum valentes, & qui poſſent foris excubare ac vigilare, & ſi quando militia opus eſſet, militare. Neque animaduertit inſtitui diſciplina corrupta, in iſta, quæ felicitas perhibebatur, Medica, à mulieribus atq; Eunuchis, filios ſuos. Vnde extiterunt ij, quos exiſtere par erat in omnis licentiæ educatione educatos. Potiti igitur illi imperio, cum mortem Cyrus obijſſet, referti delicijs atque licentia, primum vnus alterum, iniquo animo æqualitatem ferẽs, interemit. Deinde ipſe furioſus in ebrietate, & prauitate educationis, amiſit imperiũ, Medis eripientibus, & illo tunc, qui memoratur, Eunucho, qui contempſiſſet ſtultitiam Cambyſis. CL. Sane iſta narrantur: atque ita ferme geſta videntur eſſe. ATHEN. Atqui rurſum ad Perſas imperium perueniſſe, reſtituentibus Dario, & ſeptem illis narratur ſcilicet. CL. Quid ni? ATHEN. Videamus itaque ductum orationis ſequentes. Darius enim filius regis non fuit, neque diſciplina delicata educatus: cum perueniſſet autem ad imperium, & hoc ſeptimus ipſe obtinuiſſet, diſtribuit illud in ſeptem partes diuiſum, quarum nunc etiam parua ſomnia quædam reliqua ſunt. Et legibus latis coli illas voluit, æqualitatem quandam introducens, & tributum, quod Perſis comparauerat Cyrus, lege deuinciens, caritatem atque ſocietatem concilians Perſis omnibus, pecunijs & donis multitudinem Perſarum adiungendo. Exercitus itaque eum beneuolentia non pauciores ipſi regiones acquiſiuit, ijs quas Cyrus reliquerat. Poſt Darium vero, diſciplina regia atque delicata rurſum inſtitutus Xerxes: O Dario, dicere iuſtiſſimum fortaſſe ſit, qui Cyri malo non fuiſti edoctus, educaſtique Xerxen in ijſdem moribus, quibus Cambyſem Cyrus: Ille igitur, vt diſciplinarum earundem ſoboles, conſimilia ſacta fecit ijs, quæ perpeſſus fuerat Cambyſes. Atque ex eo propemodum tanto tempore, apud Perſas rex hactenus magnus reuera nullus fuit, niſi nomine quidem. Cuius rei cauſa non eſt in fortuna, mea quidem ſententia, ſed praua vita, quam excellenter diuitum atque tyrannorum filij plærunque degunt. Nuſqnam enim de tali educatione, puer, vir, ſenex, euadere præſtans virtute poſſit. Hæc Plato. Superius inter cætera, cum de Cyro ſermo eſſet, oſtendimus, ipſum voluiſſe Iudæos in patriã reſtitui, templumq; inſtaurari, quod ſane lætiſſimum nuntium promulgatũ eſt primo anno poſt captam Babylonẽ. Proinde, dum innumeri ex ea gente patrios lares petijſſent, vrbemque Ieroſolymam rurſus conderent, ac templi fundamenta iacerent, in eoq; ædificando toti eſſent, hæc pulcherrima initia turbata ſunt partim à vicinis Samaritanis (hi antea Chuthæi appellabantur, quod à Perſidis regione Chutha, & flumine Chutho eſſent traducti, vt ait Ioſephus) partim aulicis calumnijs. Cum enim Cambyſes bellum AEgyptijs illaturus eſſet, metuebat, ne Iudæi, qui AEgyptiæ ſtirpis eſſe

ferebantur, ſe AEgyptijs adiungerent. Sic Sathan nouis conſilijs impediuit reditum Hebræorum, & Eccleſiæ inſtaurationem. Igitur inchoata ædificatio templi, quam ipſi tanta animorum alacritate ſuſceperant, ſeueriſſimo edicto Cambyſis prohibita eſt. Dilatum eſt autem id opus per annos 9. vt auctor eſt idem Ioſephus, vſque in ſecundum annum regni Darij. Cambyſes enim, inquit, cum per ſexennium regnaſſet, ſubacta interim AEgypto, reuertens ab ea expeditione, apud Damaſcum eſt mortuus. Quo autem genere mortis perierit, Herodotus his paucis verbis explicauit: Agnoſcens itaque, ſine cauſa fratris interemptorem ſe fuiſſe, deflebat Smerdem. Quem vbi defleuit, vt erat omni clade afflictus, tum equum inſilijt, habens in animo quam citiſſime Suſa verſus exercitum ducere in Magum. Inſilienti in equum, vagina gladius excidit, vnde nudatus gladius perſtrinxit eius femur, in ea ſcilicet parte, in qua prius ipſe tanquam opportuna ad feriendum, vt ſibi videbatur, percuſſerat Apim AEgyptiorum Deum. Deinde paulo inferius: Poſthæc, inquit, vbi femoris os vitiatum eſt, femurque celerrime contabuit, Cambyſi vita erepta eſt Cyri filio, cum regnaſſet ſeptem omnino annos, & menſes quinque, nulla vnquam prole ſuſcepta virili fœmineave. Iuſtinus quoque his pauciſſimis, eam demonſtrat, inquiens: Interim ipſe gladio ſua ſponte euaginato, in femore grauiter vulneratus, occubuit, pœnasque luit ſeu imperati parricidij, ſeu ſacrilegij perpetrati, &c. In AEgypto erat vrbs Bruti contra Nili oſtium, quod Sebeniticum dicitur, & in media parte ciuitatis fuit templum omnibus circa populis ſanctum, & ceremonijs ſacrum, in eoque Latonæ oraculum inclyrum diuitijs, porticum habens decem paſſibus altum, in quo oraculum Cambyſi redditum eſt, in Ecbatanis illum deceſſurum, ambiguo nomine decepto, cum alteræ apud Syros, alteræ in Medis eſſent. Quod vero ad reliqua eius horribilia ſcelera, & crudelitatem, vt ſcilicet in Amaſis cadauer deſæuierit, & alia quamplurima eius generis, ea omnia Herod. fuſe & eleganter proſequitur. Strabo, lib. 17. Bubaſtiæ ciuitatis ac Heliopolis mentionem faciens, Nunc omnino, inquit, vrbs deſerta eſt, in ea eſt peruetuſtum templum, AEgyptio more ſtructum, quod multis indicijs Cambyſis inſaniam ac ſacrilegium oſtentat. Cambyſes enim templa partim igni, partim ferro deuaſtabat, mutilans, excindens, amburens, quemadmodum & obeliſcos: quorum duo Romam delati ſunt non prorſus deleti. Quam vero in corruptum iudicem horribili pœna animaduerterit, idem Herod. Siſamnis, regij præſidis exemplo, apertiſſime declarat. Hunc enim tradit, propter iniuſtam ſententiam latam, eo quod pecunijs corruptus eſſet, iuſſu Cambyſis interfectum, & mox toti corpori cutem detractam, & conciſam ac expanſam, inſtratam tribunali: poſtea filium Siſamnis Otanem, in eam ſedem collocatum, vt patris exuuias intuitus, iuſte iudicaret, ne conſimili ſupplicio afficeretur. De hoc Val. Max. lib. 6. cap. 3. ſic memoriæ tradidit: Iam Cambyſes inuſitatæ ſeueritatis, qui mali cuiuſdam iudicis ex corpore pellem detractam, ſellæ intendi, in eaque filium eius iudicaturum conſidere iuſſit. Cæterum, & Rex, & Barbarus, atroci ac noua pœna iudicis, ne quis poſtea corrumpi iudex poſſet, prouidit. Quod vero ad rem militarem ſpectat, Polyænus lib. 8. illum hoc ſtratagemate vſum eſſe, recenſuit. Cambyſes, inquit, Peluſium oppugnabat. AEgyptij fortiter reſiſtentes, aditum AEgypti clauſerunt, multasque machinas immiſerunt, catapultis acuta tela mittentes, ſaxa atque ignem. Cambyſes quotquot animalia AEgyptij Deorum honore colunt, canes, oues, feles, ibides, ante ſuum exercitum collocauit. AEgyptij iaculari deſtiterunt, metuentes, ne ſacrum aliquod animal læderent. Ad hunc modum Cambyſes Peluſio capto, in AEgyptum peruenit. Huius quidem ærarium, oppidum Gaza in Palæſtina fuit. Nam Perſæ Gazam ærarium vocant. In 7. anno Cambyſis, vt hoc etiã obiter dicatur, qui eſt 225. à Nabonaſſaro, Phamenoth ſecundum AEgyptios die 17. ſequente 18. ante mediã noctem, prima hora defecit in Babylone dimidia pars diametri Lunæ à Septentrione, Sole exiſtente in 18. 12, Cãc. Temp⁹ à principio Nabonaſſari hucuſq; anni Aegyptij 224. dies 196. & æquales horæ 10. 10. Ptol. li. 5. ca. 14. Luna diſtabat à maxima epicycli lõgitudine 28. 5. à Bo-

Cambyſis mors.

Iuſtitiæ exemplum.

Stratagema.

Lunæ Eclipſis.

à Boreali termino latitud. 262. 12. vt diſerte annotat doctiſſimus vir Gerardus Mercator. Dum Cambyſes circa AEgyptum immoratur, duo Magi fratres *Coniuratio aduerſus Cambyſem.* (primogenitus Patizites vocabatur, quem Cambyſes rerum ſuarum procuratorem in Perſide reliquerat) coniurarunt. Primogenitus hic, ad quem omnium rerum ſumma ex Cambyſis mandato deferebatur, cognita Smerdis fratris Cambyſis nece, quæ occultabatur, paucisque Perſarum nota erat, plæriſque eum viuere exiſtimantibus, rebellandi occaſionem nactus, ita rem aggreditur. Erat ei in regia poſterior natu germanus, qui cum eo vna coniurauerat, corporis habitu quam ſimillimus Smerdi fratri Cambyſis, nec ſpecie tantum corporis Smerdi ſimilis, ſed etiam cognominis, iuxta Herod. Nam Iuſtinus eum nominat Oropaſten, & fratrem natu maiorem Comarim. Hunc virum Patizites primogenitus Magus inſtructum, quemadmodum ipſe illi omnia peracturus eſſet, in regiũ ſolium perduxit, & regnauit menſibus 7. vt auctor eſt Herod. lib. 3. qui etiam aſſerit, illum per hos 7. menſes omne genus liberalitatis exercuiſſe, adeo vt eius mors magno mœrore affecerit omnes Aſiam incolentes, Perſis exceptis. Namque miſſis ad ſingulas gentes, quibus imperabat, edictis, Magus, immunitatem tributorum ac vacationem militiæ in triennium tribuit, atque hoc quidem ſtatim poſt adeptum imperium edixit. Octauo autem menſe, quiſnam eſſet, comperrtus, à ſeptem principibus viris primariæ apud Perſas auctoritatis opprimitur, *Magi opprimuntur à ſeptem principibus Perſarum.* & externæ nationis tyrannus (erat enim natione Medus) à Perſico imperio exterminatur. Fuerunt ij ſeptẽ principes viri, Otanes, Intaphernes, Gobryas, Megabyſus, Aſphatines, Hydarnes, Darius: ſiue, vt Cteſias nominat, Onophas, Idernes, Norondabates, Mardonius, Bariſſes, Artaphernes, & Darius Hyſtaſpis filius. Hi omnes ſimul habita deliberatione, patriam in libertatem aſſerere, Magosque interficere ſtatuerunt. Dum vero vnanimes atque intrepidi rem peragunt, ex his Aſphatines in femore, Intaphernes in oculo vulneratur, ſicuti affirmat Herodotus. Nam Iuſtinus eos quidem trucidatos fuiſſe commemorat. Illud prorſus memorabile eſt, quod ab hiſtoricis de Gobrya, vnoque ex ſocijs refertur. Cum enim, vt Valerij verbis vtar, ſordida & crudeli Magorum tyrannide Perſas liberaret, vnumque ex ijs obſcuro loco abiectum, corporis pondere vrgeret, præclari operis ſocio plagam ei inferre dubitanti, ne dum Magum petit, ipſum vulneraret: Tu vero, inquit, nihil eſt quod reſpectu mei timidius gladio vtaris: vel per vtrumque illum agas licet, dum hic quam celerrime pereat. His ergo tandem interfectis, omnique tumultu ſedato, de forma regiminis & optimo Reipub. ſtatu, deliberationem inſtituunt. Et ſane magna gloria recuperati regni horum principum fuit: ſed multo maior in eo, quod cum de Perſarum regno ambigerent, concordare potuerunt. Erant enim & virtute, & nobilitate ita pares, vt difficilem ex his populo electionem æqualitas faceret. Sunt autem orationes tres apud Herod. dulciſſimæ ac elegantiſſ. de optimo ſtatu. In ea conſultatione, dum Otanes, Tyrannide improbata, *ἰσονομίην*, i. iuris æqualitatem ſuadet: Megabyzus contra, vulgi tyrannide exploſa, *ἀριστοκρατίην* laudat: Darius vero *μοναρχίαν* Reipub. vtiliſſimam fore cenſet: omnes politiarum formæ, atque omnia ciuitatum vitia & morbi, velut in Apellæa tabula, *Quæ forma regiminis ſit præſtantior.* depicti ſunt. Priori quidem placet non creari Regem, ſed ſuadet, vt certis legibus principes & ciuitates fœdus faciant de communi defenſione, & ſinguli ſuã libertatem ac æqualitatem retineant, quia vnum armare ſumma potentia, nequaquam tutũ ſit. Ipſa enim magnitudo potentiæ etiam in bonis mentibus deteriorem efficit. Cumq; cupiditas incitata eſt, quia facultas eſt delinquendi, creſcit audacia, & ruit in omnia ſcelera. Ac tyrannos, inquit, delectari malorũ familiaritate, & calumnijs, optimũ eſſe ducere mouere leges patriæ, vi rapere aliorum coniuges, interficere ciues ſine iudicio. Hanc ſententiã alter prorſus refutat, dicens, vulgi tyrannidẽ minus tolerabilẽ eſſe vnius tyrannide, quia vulgus ſit ſine ſapientia, ac ruat in negocia incitatum, vt rapida flumina. Suadet igitur conſtitui paucorũ optimorum virorũ principatum, & addit, tutiſſimã rationem: conſentaneum eſt, optimorum virorum optima conſilia exiſtere. Darij tertia ſententia

fuit,vt dictum eſt,quæ ſuaſit,Regem creari;quia etiam inter paucos non ſit diuturna concordia. Et in magnis imperijs accidere,vt propter diſcordias principum tandem neceſſe ſit,ad vnum ſummam potentiam rransferre. Rectius etiam eſſe,patrias leges non abolere,quæ regium ſtatum conſtituiſſent. Hæc quidem Darius, eiuſque ſententiam cæteri quatuor approbarunt, & communi omnium conſenſu decretum eſt,vt rex crearetur. Ariſtoteles cum alijs in locis, tum Reth.lib.1.cap. 8.ſcribit,eſſe Rerumpub. genera quatuor; videlicet, democratiam,oligarchiam,ariſtocratiam,monarchiam. Itaque ſumma poteſtas, inquit,quæ de rebus iudicet,aut eſt eorum generum aliqua pars, aut totum. Ac Democratia quidem,eſt Reip.ſtatus, in quo ſortitione tantum magiſtratus diſtribuuntur. Oligarchia vero eſt,in qua ex cenſu magiſtratus eliguntur. Ariſtocratia dicitur illa,in qua magiſtratus diſtribuuntur ijs, qui diſciplinã perceperũt. diſciplinam autem eam intelligo,quæ à lege conſtituta ſit. Nam qui permanent in inſtitutis ciuitatis,in ariſtocratia magiſtratus gerunt: neceſſe eſt enim huiuſmodi viros optimos videri, vnde etiam Ariſtocratia nomen habet. Monarchia eſt,vt nomen indicat,in qua vnus omnium dominus eſt:quæ ſi definita, & ordinem quendam ſeruat,Regnum vocatur: ſi vero inordinata, atque ex vnius libidine,Tyrannis appellatur.De his omnibus priuatim & luculenter edifferit in libris Polit.Et multa quoque apud Plat.de ijſdem extant. Lectu etiam iucundiſſima ſunt quæ Agrippa & Mecænas coram Auguſto de retinendo aut deponendo imperio diſſeruerunt;quæ omnia eleganter proſequitur Dion Caſſius Nicænus Rom.hiſtoriæ initio.lib.52.Extat conſimiliter paruulus tractatus Plutarchi, cui titulus eſt.De vnius in Repub.dominatione,populari ſtatu, & paucorum imperio.Supra commemoratum eſt,quæ fuerit Darij ſententia, vtque Monarchiam omni alij gubernationi prætulerit.Ne autem certamina orirentur,ſed vt electio diuinæ prouidentiæ commiſſa videretur:pacti inter ſe ſunt, die ſtatuta omnes equos ante regiam ſiue in ſuburbijs,primo mane perducerent;& cuius equus ante Solis ortum hinnitum primus edidiſſet,is rex eſſet. Nam & Solem vnum Deum Perſæ eſſe credebant,& equos eidem Deo ſacratos ferebant. Darius autem cum domum rediſſet,hæc decreta narrat ſuorum equorum curatori Oebari,& interrogat,an arte rem iuuare poſſit. Ille vero inquit,ſe conſilium inuenturum eſſe. Proinde nocte equam pridie ante conſtitutam diem ad eundem locum ducit,ibique equæ equum admittit, ratus ex voluptate Veneris futurum, quod euenit.Poſtera die cum ad ſtatutam horam omnes veniſſent,Darij equus, cogn to loco,ex deſiderio feminæ hinnitum ſtatim edidit: & ſegnibus alijs, felix auſpicium domino primus emiſit.Præter hinnitum vero addit Herod.acceſſiſſe cœleſte ſignum,fulgur,& tonitrua ſereno cœlo, quod iudicatur eſſe fauſtũ. Cæteris autem fuit tanta moderatio,vt,audito auſpicio, cõfeſtim equis deſilierint, & Perſico more Darium regem ſalutarint: populus quoque vniuerſus, ſecutus iudicium principum,eundem conſtituit regem. Sic regnum Perſarum, ſeptem nobiliſſimorum virtute quæſitum, tam leui momento in vnum collocatum eſt.Incredibile prorſus hoc tanta pietate geſſiſſe eos: quod vt eripetent à Magis, mori non recuſarint:quanquam præter formam, virtutemque hoc imperio dignam,& cognatio Dario iuncta cum priſtinis regibus fuit.Huius rei,præter alios, meminit Herod.li.3.Iuſt.lib.1.Val.lib.7.ca.3.qui ſub finẽ inquit,quantũ imperiũ, quam paruo interceptum eſt vafr amento.Item Polyænus lib. 7. Darius itaque Hyſtaſpis filius,communibus omnium procerum ſuffragijs rex Perſarum renũtiatur anno ab orbe condito 3447.vt ſentit Gerardus. At Bibliander initiũ eius regni conſtituit in Olymp.65.& annum ab orbe condito 3458.Principatum adeptus,Cyri regis filiam,Atoſſam nomine,vt regalibus nuptijs regnum conſtabiliret,in matrimonium accepit,vt non tam in extraneum tranſlatum, quam in familiam Cyri reuerſum videretur.Herodotus tradit,eum præter hanc, duxiſſe aliam coniugem nomine Ariſtonam,virginem,ab eo ſummopere dilectam, quã plærique volunt fuiſſe Eſther,& Darium in ſacris literis appellari Aſſuerũ. Idem auctor aſſerit,hunc primum extitiſſe,qui viginti Prouincias, quas ipſi Satrapias voca-

Rerum publicarum genera.

Darius III. Perſarum rex.

vocabant, conſtituerit, ac earum ſingulis præſides præfecerit, taxato quod penderetur tributo, per varias nationes. Hóc etiam videre eſt apud Strabonem lib. 15. qui de Dario ſic inquit: Tributa ferunt inſtituiſſe Darium Longimanum, qui omnium hominum pulcherrimus fuit, excepta brachiorum, & vlnarum longitudine, quæ tanta erat, vt genua contingeret. Hunc autẽ præter militarem gloriam qua excelluit, fuiſſe principem optimæ naturæ, ac pergrati animi, cum ex alijs rebus innumeris, tum hoc exemplo dignoſci poteſt. Cum adhuc in priuata fortuna verſaretur, amiculo Syloſontis Samij delectatus, curioſa contemplatione fecit, vt vltro ſibi & quidem à cupido daretur. Cuius muneris quam grata æſtimatio animo eius eſſet allapſa, regno potitus oſtendit: totam namque vrbem, & inſulam Samiorum Syloſonti fruendam tradidit. Non enim, vt inquit Valer lib. 5. cap. 2. pretium rei æſtimatum, ſed occaſio liberalitatis eſt honorata, magisque à quo donum proficiſceretur, quam, ad quem perueniret, prouiſum. Hanc hiſtoriam Herod. lib. 3. luculenter proſequitur, ac eandem Io. Tzetza hoc venuſtiſſimo carmine expreſſit Chil. 3.

Darius fuit primus apud Perſas, qui tributa inſtituerit.

Eiuſdem beneficentia & gratitudo.

Darius enim, inquit, Barbarus cum veniſſet in Babylonem,
Scutifer, non rex exiſtens, illis tunc temporibus,
A Syloſonte autem accipiens donum, rubrum pallium,
Syloſon autem erat frater Samij Polycratis,
Quaſi potens deinde fuit regni.
Doni vere non fuit Barbarus immemor:
Inquiſitum enim facit Sami regem,
Inquiens, Darius nequaquam immemor eſt beneficiorum.

Tradit etiam Herodotus, Darium in venatione cum ex equo deſilijſſet, grauiter diſtorſiſſe pedem, ita ſane vt talus è iuncturis emoueretur. Quapropter medicos AEgyptios, quos ſe præſtantiſſimos habere ſecum putabat, adhibuiſſe. Qui cum pedem torquerent, & vincirent, malum exaſperabant. Cum itaque ſeptem noctes totidemque dies præ cruciatu inſomnis exegiſſet: die octauo male habenti quendam ſignificaſſe ea quæ de arte Democedis Crotoniatæ Calliphontis filio, Sardibus audiuiſſet. Hic enim AEginæ & rem medicam exercuit, & matrimoniũ contraxit, & Polycratem Sami tyrannum mercede duorum talentûm curauit. Darius igitur eum quamprimum adduci iubet. Quem, cum inter Oroetæ mancipia neglectum reperiſſent, in medium produxerunt, vinctum compedibus, & laceris veſtibus indutum. Eum aſtantem Darius rogat, vtrum artem noſſet? Negat ille: veritus ne prorſus Græcia ſibi carendum eſſet. Verum, cum Darius, animaduerſa diſſimulatione, flagra & ſtimulos proferri iuſſiſſet: ſe quidem non accurate ſcire artem, ſed medici vſum conſuetudine, medicinam vtcunque tenere dixit. Poſt, permiſſu regis Græce locutus, remedijs efficacibus adhibitis, & ſomnũ ei conciliauit, & ſanitatem breui tempore reſtituit, deſperanti iam pedis integritatẽ. Ob quam rem amplis muneribus à rege donatus eſt, Suſisq, maximas ædes obtinebat, & cum rege ad menſam ſedebat, omnibus rebus affluens, præter hanc vnam, quod in Græciam redire non poterat: quin etiam AEgyptios medicos regem curare ſolitos, cum eſſent patibulis ſuffigendi, quod à Græco medico ſuperati forent, impetrata ab rege venia, liberauit: Denique ab eo in ſummo honore habitus eſt. Non multo poſt accidit, vt Atoſſa Cyri filia, Darij vxor, tuber in mamma haberet, quod cum erupiſſet, latius ſerpſerat: ac quandiu quidem id minus fuerat, præ pudore diſſimulans, nemini prorſus indicauit: ſed cum male haberet, Democedem acceerſiuit, remque illi oſtendit, qui ſe illam ſanaturum pollicitus, obteſtatur, vt ſibi viciſſim operam nanct in eo quod petat: nihil enim cum vllo probro coniunctum, eſſe petiturum. Petijt autem reditum in Græciam. Quomodo autem Democedes à rege vna cum primis exploratoribus in Græciam miſſus fuerit vt eorum dux eſſet, & quomodo à Tarento Crotonem aufugerit, ibique tandem ſaluus remanſerit, ſocijs abire coactis, idem Herod. eleganter proſequitur. Sub Darij Principatu, Arphaxat rex Medorum, quem nonnulli perhibẽt fuiſſe Darij Medi filiũ, Aſtyagis nepotẽ, qui, Dario contempto, re-

Darius ope Democedis medici præſtantiſſimi conualuit à ſua ægritudine.

Darij expeditio aduerſus Arphaxat.

gna eius Inuaſit ſpe occupandæ monarchiæ, atq; illi Aſſyriam & Babylonem eripuit, Ecbatanam mœnibus cinxit, & ad tantam maieſtatem euectus eſt, quanta illi appingitur Iudith 1. cap. Contra quem Darius anno 12. ſui regni bellum mouit, quod quidem durauit annos 5. vſq; ad cæſum Arphaxat, & contritas eius vires, vt patet eodem, 5. & 13. Eni mucro cum Arphaxat multas gentes ſuo ſubdidiſſe imperio dicatur, & Iuſt. lib. 2. aliquanto ab exotdio tegni Darij interiecto tempore, Aſſyrios deſeciſſe, Babylonemque occupaſſe aſſerat, non obſcurum, neque vero diſſimile eſt, Arphaxat Aſſyriam Dario primum eripuiſſe, deinde & Babylonem, quod vel inde confirmatur, quod intra fines hotum regnorum bellum geſtum eſt, in quo Arphaxat alienorum inuaſor, Darius antem ſuorum deſenſor, & vindex extitit, vt videre eſt Iudith 1. & apud Herod. lib. 3. ſub finem. Ad huius belli ſubſidium conuocati plurimi populi, inter quos & Iudæi recenſentur, deſpecto rege, tanquam parum nobili, & illegitimo, venire recuſarunt. Darius, poſt deuictum Arphaxat, anno 17. impetij ſui, & plurimas vrbes ac regnum Medicum in ſuam ditionem redactum, nihil habuit antiquius, quam vt etiam Babylonios, qui à Perſico regno deſecerant, ad ptiſtinam fidem atque obſeqnium redigeret. Proinde contractis ingentibus copijs, aduerſus eos contendit, vtbemq; obſidere cœpit. Iam autem anno & ſeptem menſibus oppugnationem ſtrenue atque acriter ſuſtinuetat, adeo medius-fidius, vt iam Perſæ de ſoluenda obſidione cogitarent, omnemque ſpem ptorſus abijcerent, ſe illam expugnatnros. At viceſimo menſe, Zopyrus Megabyzi filius, vnus ex ſeptem qui Magos trucidarant, ſatrapa, & vir ſpectatæ fidei ac virtutis, in tegis ſui gratiam flagtis cæſus, naſoque & auribus à ſemetipſo mutilatus, transſugæ ſpecie Babylonem venit, cruenta facie, quaſi his damnis à Dario affectus, quod hottatot fuiſſet relinquendæ Babylonis, accuſans regiam ſæuitiam. Babylonij vultus calamitati, eiuſque verbis fidem adhibentes, cuius nobilitatem & vittutem antea probe norant, omnium ſuffragio ducem conſtitucrunt: is antem, accepta parua manu, ſemel atqne iterum cedentibus conſulto Petſis, ſecunda prœlia ſecit. Ad poſtremum, vniuerſum ſibi creditum exetcitum Regi prodidit, vtbemq; ipſam in Darij poteſtatem redegit, atque ita ſecundo à Perſis Babylon capta eſt. Sed Darius hanc vocem plane regiam emiſiſſe dicitur, eamque ſæpius ingeminaſſe, ſe viginti Babylonibus, prætet illam, quam Zopyri beneficio recupetarat, æquo animo carere poſſe, ne illum hoc damno & incommodo affectum videret. Memorabilis eſt etiam illa vox, quæ ab eiuſdem Regis ore emanauit, quæque indicat, quanto in honore poſtea Zopyrus apud Darium ſemper fuerit. Cum enim forte in manu pomum punicum teneret, atque illud aperiret, dixit Artabano ſuo fratri, ſe tot ſibi Megabyzos optare, quot in malo punico grana ineſſent, idque magis cupete, quam omnem Græciam ſubactam: ſignificans proculdubio, nullum theſaurum regibus vtiliotem eſſe conſiliatijs ſapienria, virtute ac fide præſtantibus. Huius quidem rei Plutatchus in Apophtheg. mentionem faciens, ita ſcriptum reliquit. Darius, inquit, Xerxis pater, ſeipſum dicebat in prœlijs & periculis eſſe ſolito prudentiorem. Cum tributa imponeret ſubditis, proceres Prouinciatū euocatos, interrogabat, an ea eſſent grauia. cumqne teſponderent, eſſe mediocria, dimidium eins quod propoſuerat, ſingulos pendere iubebat. Apertogtandi malo punico, interrogatus, culus rei tantam ſibi optaret multitudinem, quanta eſſet granorū eius mali, reſpondit, Zopyrotum. Erat autem Zopytus amicus regis & vit bonus: Is Zopyrus, cum ſeipſum naſo & auribus amputatis, fœdaſſet, deceptis hac ſrande Babylonijs, rebus ab ijs præfectus, vrbem Dario ptodidiſſet, ſæpenumero Darius dixit, malle ſe integrum habere Zopyrum, quam centum Babylonibus potiri. Hæc Plutarch. Porro, vt hoc etiam obitet dicatur, à veteribus memoriæ ptoditum eſt, hnnc regem primum extitiſſe, qui apud Perſas ex auto monetam percuſſerit. Datius interim, recepta, vt diximus, Babylone, mox Cyri edictum renouauit de inſtauratione templi Hieroſolymitani, deque Iudæis in patriam reſtituēdis. Hic enim, cū adhuc eſſet priuatæ fortunæ, optimo animo erat affect' erga illam gentē, & vouerat Deo, ſi quando penes ipſum poteſtas foret, quicquid ſacro-

Babylonij obſidentur à Dario.

Babylonia Zopyri dolo recipitur à Perſis.

Darij dictum memorabile.

Darius fuit primus, qui apud Perſas auream monetam excuderit.

ſacrorum vaſorum apud Babylonem eſſet, remiſſurũ ſe in templũ Hieroſolyma: & credibile eſt, illum Danielis quoque Doctrinam, vt Cyrus, amplexum eſſe. Hoc autem ſic euenturũ, præter alios, vaticinati fuerant Aggęus, & Zacharias, qui no ua conſolatione populum Iſraeliticum, Cambyſis odio & ſæuitia hinc inde diſiectũ, in dies magis magisq; confirmabant. Templum autem fuit abſolutũ intra ſeptennium, & anno regni Darij 9. die 23. menſis vndecimi, qui Hebræis dicitur Adar, Macedonibus Dyſtrus: Sacerdotes ac Leuitæ cum reliqua Iſraelitarum multitudine detulerunt Deo ſacrificia pro renouata poſt captiuitatem priori felicitate, proque recepto nouo templo arietes 200. agnos 400. hircos 12. pro peccatis totidem Tribuum, vt late proſequitur Ioſeph. lib. 11. cap. 3. & 4. qui etiam aſſerit, fuiſſe pubertatem egreſſorum ex Aſſyria Hieroſolymam quater mille millia, & ſexcenta viginti octo millia duntaxat ex tribu Iuda, & Beniamin. Nec ſane dubium eſt, quin Zorobabel Hebræi populi dux, ad hoc impetrandum, plurimum momenti attulerit, cum eſſet illi vetus amicus, cumque Darius plurimi faceret. Acceſſit etiam quæſtionis à Dario propoſitæ diſſolutio per eundem. Is enim hæc quatuor quæſita ſuis propoſuerat, maximis præmijs oblatis, cuius eſſet potior ſententia, videlicet, cuius eſſet maior vis & imperium, regiſne, an vini, an veritatis, an vero mulieris. Cum reliqui peroraſſent, is ſuam ſententiam rogatus, veritatem prætulit, quam validis rationibus innixam, rex ipſe, ac vniuerſi proceres qui aſtabant, ſummopere approbarunt. Tunc rex iuſſit eum poſtulare aliquid ex his quæ paulo ante vltro fuerat pollicitus. Libenter enim ſe conceſſurum, vt viro ſapienti, & qui prudentia cæteris præſtaret, quare poſthac, inquit, aſſeſſor meus eris, receptus inter cognatas mihi neceſſitudines. His auditis, admonuit eum voti, quo ſe obligauerat, ſi adipiſceretur poteſtatem regiam, id autem erat, vt dictum eſt, condere Hieroſolymã, & ibi Dei templum inſtaurare, ac deinde ſacra vaſa olim per Nabuchodonoſorem inde ſublata, & Babylonem perlata, reſtituere. Hæc eſt, inquit, mea poſtulatio, quam nunc mihi permittis, ſapientem me virum iudicans. Tum rex lætus aſſurgens, excepit eum oſculo, & optati compotem effecit, ſicuti liquet ex ipſo Ioſepho, eodem cap. Libri Bibliorum ſacri, Darij & Artaxerxis perſæpe meminerunt, pro appellatiuis nominibus ea nomina ſumentes, ſicut in Romanorum hiſtorijs nomen Auguſti appellatiuum, & adiectiuum fuiſſe conſtat. In libro Eſther fit Aſueri regis mentio, quod quidem ad hunc Darium, Hyſtaſpis filium, referri debere Zonaras lib. 1. cap. 16. tradidit. Nonnulli Xerxem, Aſſuerum fuiſſe exiſtimant. Euſebius in hiſtorijs librum ad Artaxerxem vndecimum Perſarum regem, qui & Mnemon dictus eſt, referendum putat. Sunt etiam qui per Aſſuerum, cuius fit mentio Dan. 9. & apud Eſther varijs in locis, magnus Artaxerxes appellatur, Aſtyagem Medorum regem intelligant. Ioſephus ad Artaxerxem Xerxis filium, totam hanc hiſtoriam refert. Cæterum, quod pace omnium aliorum dictum ſit, Zonaræ ſententia potior videtur, eamque Philippus ſingularis vir doctrinæ ac eloquentiæ, in ſuis Chronicis lib. 11. cæteris omnibus præfert, inquiens. Poſtremo, de Dario filio Hyſtaſpis hoc addo: Hic Darius eſt maritus Eſther, quem hiſtoria ſacra nominat Aſſuerum, cuius tempore quantis in periculis & miſerijs fuerit piorum cœtus, cogitandum eſt. Nam & in Iudæa adhuc erat impędita ædificatio templi, & Haman per calumniam impetrauerat edictum de tota gente Iudæorum delenda. Sed mirabiliter Deus protexit Eccleſiam, patefactis calumnijs & ſceleribus Haman. Nomen Eſther ſignificat abſconditam. Fortaſſis ſic nominata eſt, quia non prodijt in publicum, ne formæ ſtruerentur inſidiæ, aut quia Eccleſia tunc duriter oppreſſa fuit. &c. Poſt hæc Darius, Scythicam expeditionem ſuſcepit, quod quidem incidit in annum ab orbe creato 3452. & circa ea tempora, quibus Romana Reſpub. ob violatam honeſtiſſimæ Lucretiæ pudicitiam, ad illam memorabilem mutationem deuenit, qua Regum auctoritas abrogata, & Conſulum ſubſtituta fuit. Nec tunc longe aberat tempus, quo ſanctiſſima mulier Iudith, Holofernem potentiſſimum Perſicæ militiæ principem, ne ab eo violaretur, occidit. Huius ingentis atq; atrociſſimi belli primaria cauſa di-

Darij edictũ de inſtauratione templi Hieroſolymitani.

Quæſtio Darij ſeu Satrapis propoſita.

Scythica expeditio ſuſcipitur à Dario, ſed improſpero euentu.

Darius Anthini regis filiam in matrimonium poſtulat, ſed fruſtra.

citur fuiſſe, quod Darius, cum Anthini regis filiam per legatos in matrimonium poſtulaſſet, repulſam paſſus fuerit, eaq; re indignatus, ſtatuit hanc contumeliam, vt ipſe appellabat, bello vlciſci. Proinde ſexcentarũ nauium claſſe, & ſeptingentis, ſiue, vt alij, octingentis millibus hominum armatis, cum his Cimmerias terras ingreſſus eſt. Has Perſæ ingreſſi, magis contemptibiles, quam formidabiles à Scythis putabantur: quippe qui nec ad æquam pugnam, nec ad deditionem ſe conuertebant, ſed extrema copiarum inuadentes, plus negotij eis faciebant, quã ſi aduerſa fronte cum eis congreſſi fuiſſent. Darius igitur admirans, quod populus ad bellum & arma natus, nuſquam in aciem prodiret, miſſis ad Anthinum regem legatis, inquirit, Cur ſui ita latebras captarent, & qui fortiſſimas gentes, ac remotiſſimas terras & nationes importunis armis impetere, atque ſubiugare conſueuerant, nunc nec in aciem procederent, nec ſe vſquam ad apertum Martem paratos oſtenderent, ſed priſtinæ virtutis immemores, ſe in ſeruitutem, nullo adhuc bello fugati, redigi paterentur. Si Perſarum imperium agnoſcere vellent, dona in ſignum ſubiectionis mittere curarent: ſin minus, ad pugnam ſe præpararent, ſuamque libertatem armis propugnarent. Quibus rex ita reſpondiſſe fertur: Gens hæc noſtra non conſueuit ſe ad arma, niſi cum magna ratio impulerit, conuertere, cum nihil in hac terra poſſideat, pro quo velit ſe diſcrimini vitæ ſubijcere, præter ſola ſepulchra maiorum ſuorum, quæ ſi quis violare tentauerit, ſentiet ſe cum viris negotium habere, qui religionem à maioribus traditam, enixius quam vitam propriam tueantur. Reliqua omnia, vicos, villas, arces, oppida, vrbes parum æſtimantes, ne erigere quidem curamus. tantũ abeſt, vt pro eis mortis pericula ſuſcipiamus. Sedes noſtras ſæpe pro conſuetudine mutamus, idq; nunc propter aduenas facimus, non aliquo bellorũ metu coacti, ſed vt cedere ſolemus aeri corrupto, aut beſtijs noxijs. Cæterum, quod Darius ſe noſtrũ dominum vocet, minime ratum habemus: nam ſicut à ſeruiture remoti ſumus, ita plurimũ à dominio eius diſtamus. quod autem munera à nobis exigat, operã dabimus, vt opportuno tempore talia mittantur, qualia in his terris fortuna permittat. Itaq; Darius ea legatione magis prouocatus, quã pacatus, ad interiora vrget præcedentes. Viſi ſunt hoſtes aliquando aciẽ oſtentare, quo comperto, Perſæ ad bellũ ſe continuo præparauerunt: iam erant acies ordinatæ, nec aliud præter ſignũ lituo dandũ reſtabat, & ecce lepuſculus ex medijs dumetis iuxta Scythicam phalangem accurrit. Tum ipſi, ſubito clamore facto, cœperunt, hoſte neglecto, leporẽ inſectari, ipſiq; Perſæ hoſtes ſubito aduolantes admirari poterant, inſequi non poterant, cum Scythæ equitatu & velocitate ſemper præualerent. Darius igitur hoc animaduerſo, & ſuſceptæ prouinciæ pœnitudine ductus, ad ſuos proceres conuerſus inquit, operæpretiũ fore, vt à Scythis fugerent, quibus adeo contẽptui ducerentur, vt relictis Perſis, leporem inſequerentur. Nec diu poſt, legati ab Anthino rege miſſi, tria munera minime pretioſa Dario regi offerunt, auem, murem, ranam. Perſarum Proceres regẽ aſpiciunt, & Rex eos, demiſſoq; in terrã vultu, viſus eſt dicere. Hæccine ſunt præmia tot laborum, & itinerum, & periculorum noſtrorum? hæccine ſunt tributa, propter quæ oportuit ſeptingenta millia virorum armari, & in pericula mortis per tot rerum diſcrimina deuenire? Tandem poſt aliquantulum ſilentium, quod ridiculoſa munera conſecutum fuerat, Rex à legatis ſciſcitatur, quid ſibi velint hæ res regi à rege miſſæ. Illi ſe nihil earum rerum ſcire reſpondent, nec quicquam ſibi commiſſum fuiſſe, quam vt ea perferrent, ac illi exhiberent. Tum adulator quiſpiam, qui nunquam in domibus Principum abeſſe ſolent, optatam occaſionem ſe aſſecutum fuiſſe gauiſus, importune ſe ingerendo, Darium alloquitur: Rex, inquiens, optime, maxime, quicquid vſquam in cœlo, terra, mari, id totum illa gens tibi ſubiectum confitetur. Siquidem hoc declarant hæc viuentia, quorum auis ex aere, mus ex terra, rana ex paludibus producitur. At Gobrias vnus ex ſeptem Perſarum primoribus, cuius antea meminimus, capite canus, conſilio fidelis, eloquio verax, cum conſideraret, Dariũ in aſſentatoris ſententiã conſenſiſſe, nõ paſſus eſt veritatem adulatione ſuperari, ſed libera voce clamat: O Perſæ, niſi aut cũ auib' auoletis, aut cũ

Darius expoſcit dona à Scythis in ſignum ſubiectionis.

Anthini regis reſponſum.

Scythæ parui pendentes exercitum Darij, leporem inſequuntur.

Scythæ Dario munera ridicula afferunt, ſed non carentia myſter.o.

Adulatoris cuiuſdam interpretatio.

ranis

Galeria vera interpretatio.

ranis flumina tranſeatis, aut cum muribus terræ cauernas aperiatis, nō erit quarta via de manibus hoſtium elabendi. Mouit ea interpretatio Regem, adeo vt formidans, ne ſibi reditus, interrupto ponte Iſtri fluminis quē parari iuſſerat, negaretur, celerius, quam felicius ex terra hoſtili ſeſe abripere procurarit, cum præſertim in caſtris non parum rei frumentariæ inopia laboraretur. Cæterum, quo facilius hoſtem falleret, caſtra, quemadmodum erant, in priſtino loco remanere iuſſit, in quibus dicuntur fuiſſe plurimi vulnerati, & complures aſini, muli, canes, aliaq; diuerſi generis animalia, & ignium in primis magnam copiam, eaque nocturno tempore incenſa. Qua quidem re ab hoſtibus animaduerſa, cum audirēt diuerſorum animalium ſtrepitus ac vociferationes, & tabernacula integra conſpicerent, ipſos ferunt exiſtimaſſe, illic adeſſe Perſas, qui tamen multo ante relictis caſtris, ſeſe in locum tutiorem receperant, Scythas ſero tandem fuga cognita, perſequi conatos: ſed fruſtra hoc ab ipſis tentatum. Hunc itaq; ſucceſſum habuit Scythica expeditio per Darium ſuſcepta. Quoniam vero hic proxime facta eſt mentio de ponte Darij ſuper Iſtro, me operæ pretiū facturū exiſtimaui, ſi breuiter ſubijcerem quæ doctiſſimus vir Petrus Gillius, lib. 2. cap. 14. de eo, ac etiā de ſella Darij in petra exciſa memoriæ tradiderit. Iam, inquit, ex ante ſcriptis liquet, Pontē Darij fuiſſe in anguſtijs Boſpori iuxta Pyrrhiam Cyonem, Hermæumque promontoriū: ſed in qua parte anguſtiarum, cōiecturæ relinquitur eius, qui cum iudicio vidit Boſporum, &c. Paulo poſt inquit, Darij pontē, quamuis Herod. non aliter deſcribit, quam duntaxat nauibus iunctum fuiſſe: tamen talem, qualem poſtea Xerxes Darij filius, in faucibus Helleſponti iunxit. Veriſimile enim eſt filium ſecutum patris architectos: tum ratio ſuadet, melius fieri nō potuiſſe à Dario, quam aut à Xerxe in Helleſponti anguſtijs, aut à Romanis in Rheno, Euphrateque, & Tigri. fecerunt enim hunc ferme in modum. Naues planæ à littore ad littus contrarium, certum interuallum diſtantes, inter ſe diſponuntur, quarum proræ contra decurſum confluentis directæ ſtabiliuntur ancoris, aut aceruis lapidum, virga aut ramo circumtorto circumcluſis, in vadum deiectis, ex prora appenſis. Supra naues trabes tranſuerſæ immittuntur nauigia colligantes, & ſtabilientes, partim inter ſe, ne collidantur, partim vt axes ſuſtineant, tranſitum præbituras: præterea duo validi funes, aut ferreæ catenæ ſublimes ſupra nauigia ex vtroque latere ſuſpenſæ, vna paulo ſupra proram, altera infra puppim ſucculis cōtentæ in littore defixis ſtabiliunt naues, atq; tuentur cōtra ventos: à tergo, à fronte, à lateribus trabes tranſuerſæ poſitæ defendunt. Hucuſq; Gillius, qui etiam aſſerit ex Herod. ſententia, hunc pontem in Boſporo fuiſſe iunctum ab Androcle Samio. Quod vero ad Sellam Darij ſpectat, ſubiungit. Hic locus cum alia præbet hiſtoriæ monumenta, tum ſellam in petra exciſam; in hac enim aiunt ſedentem Darium ſpectatorem fuiſſe pontis & tranſeuntis exercitus, quam Dionyſius δίφρον Herod. προεδρίαν appellat. Paulopoſt. Herod. non meminit ſellæ Darianæ in Boſporo exciſæ, ſed in Helleſponto ſcribit Xerxi præparatam fuiſſe: qui poſtquam in media Abydo fuit, videre voluit omnem exercitum. Erat enim illic in cliuo ſolium prius factum ex albo lapide. Id enim fecerant Abydeni Regio mandato, in quo Rex ſedens, ſpectauit exercitum, & claſſem. Credibile eſt, Darium ſedentem in ſolio, ſpectaſſe exercitum tranſeuntem, cum more Perſico reges Perſarum delectati ſint conſpectu exercitus ſui, vt Xerxes Darij filius pugnam etiam naualem commiſſam ad Salaminem ſpectauit etiam ſedens. Ex AEſchylo, qui in tragœdia nuncupata Perſis, ſic ait. Itemque hac in re veriſimile eſt, imitatum fuiſſe Xerxem patris Darij rationem, præſertim cum Darius Androclem haberet Darianæ gloriæ ſtudioſum, quem eſt vero proximum, in cliuo eminente ſupra pontem excidiſſe ſoliū, cum is ponte confecto à Dario magnis præmijs affectus, ad viuum depinxerit totum pontem Boſpori, & regem Darium in regio ſolio ſedentem, eiuſque exercitum tranſeuntem, eaque depicta in Heræo, hoc eſt, templo Iunonis, cum hac inſcriptione ſuſpenderit, & dicauerit: &c. Superius à nobis enarratum eſt, præcipuam huius belli cauſam fuiſſe repulſam habitam à rege Scytharum Anthino, qui Darij affinitatem neglexerit. Cæterum à nonnul-

Pons Darij.

Quomodo Romani pontes caſtrenſes ſtruebant.

Sella Darij.

lis in literas relatum eſt, præter hanc, etiam aliam huius grauiſſimi belli cauſam extitiſſe; nimirum, quod quemadmodum Cyrus à ſuo regno Barbaricas gentes, quæ ex Arctoa regione in Aſiam infundebantur, arcere conatus eſt, ita & Dariū, infuſas iam in Aſiam eijcere, & longius remouere inſtituiſſe, quod etiam facile patet ex Herod. qui aſſerit, Scythicum regem, aduerſus quem Darius arma ſumpſit, Indathyrſum appellatum. Idem quoque vicinas gentes Thraciæ ad Boſphorum Getas, Cimmerios, & vlterius Sauromatas appellat, quæ nomina obſeruanda ſunt, quandoquidem ab his Cimmerijs, vti antea demonſtrauimus, Cimbros ortos eſſe, & à Getis Gottos, non dubium eſt. Ac hodie Gottia nominatur regio, vicina Colchicæ, & ſunt in Taurica Gotti, linguam Germanicam retinentes.

Cimbri, & Gotti, vnde genus traxerunt.

Nonnulli autem ex his, alijsq; finitimis, venienti Dario feſtatim dediderunt, & plærique alij armis domiti fuere. At Scythæ illum tandem à ſuis finibus recedere compulerunt. Numerum quidem Perſarum ab initio eundem tradit Herodotus, nempe ſeptingentorum millium, cum equitatu, inquit, præter claſſem, quæ ſexcentis, vt ante diximus, nauibus conſtabat. Scythæ, explorara Darij ad redeundum voluntate, velociſſimo curſu viarum compendia quærentes, prius ad pontem quem Darius ſub cuſtodia reliquerat, peruenerunt. Sed pontis cuſtodes iam à parte Scythici littoris ipſum, ne in ſidijs aptus eſſet, diſſoluerant: Ad Perſarum autem reditum mox repararunt, ſuos, vt ſecura fuga ſalutē quærerent, tranſuecturi: fit in littore acre prœlium, in quo Perſæ fuſi fugatique. Erat in eo Perſico exercitu Antenor Francorum rex, vt ex Hunibaldo Francorum hiſtorico colligi poteſt, à Scandianis, ſiue Gothis occiſus, cuius filius Marcomirus oraculo monitus eſt, ne temere Scythas ſolicitaret, teſte Irenico lib. 3. cap. 76. Rex tamen Darius per ſummam difficultatem elabitur cum maiore exercitus parte, amiſſis octoginta millibus fortiſſimorum virorum, quæ ille in damnis non computabat præ nimia militum multitudine, qua inſtructus aduenerat.

Darij exercitus ad Iſtrum caditur.

Darius interim poſt Scythicam expeditionem, in Perſiam reuerſus, imperij proferendi cupidus, Macedoniam ſuæ ditioni adijcere conabatur, præſertim cum ibi & venæ metallicæ quam vberrimæ fuiſſent. Miſſi ſunt ergo legati Perſici, ad Amyntam regem Macedoniæ, qui petierunt, vt terram, & aquam traderent Dario. Amyntas metuens potentiam Perſicam, placide reſpondit, & Perſas in conuiuium vocat. Hic Barbari ſuperbe petierunt etiam nobiles mulieres adduci, & inter conuiuas collocari, qui ebrij iam & baſia dabant honeſtis mulieribus, & virginum Macedonicarum ſinus attrectabant. Hæc cum ægre ferrent pater Amyntas, & filius Alexander, magni illius proauus, filius patrem hortatur, vt ex conuiuio diſcedat dormiturus. Qui cum abijſſet, ſimulabat hilaritatem Alexander, ac aliquanto poſt, hortatur, vt concedant mulieribus, vt aliquantiſper ſurgant, & ait, mox redituras eſſe. Quibus dimiſſis iubet adoleſcentes nobiles, totidem induere earum veſtes, & gladios ſumere abditos ſub veſtibus, & cum Perſæ eos attrectarent, ipſos confodere. Hæc ita facta ſunt, & laſciuiæ ac petulantiæ pœnas legati iuſtas dederunt.

Perſarum legatio ad Macedones.

Perſici oratores interficiuntur à Græcis in conuiuio.

Aliquanto poſt & Ionicum bellū inſecutum eſt. Defecerant enim à Dario Iones in littore Aſiæ, & incenderant Sardis, qua in re & auxilia Athenienſium habuerant. Fuit autem defectionis præcipuus ſuaſor Iſtiæus Lyſagoræ filius, Mileti tyrannus, qui cum eſſet Suſis apud Darium, intellexit, eum velle Ionas in Phœnicum regionem transferre, & Phœnices in Ioniam collocare. Vt igitur ea omnia Ariſtagoræ Molpagaræ filio, ſuoque genero & conſobrino innoteſcerent, eumque ad defectionem ſollicitaret, cum nulla alia ratione illi hoc poſſet indicare, cuſtoditis vndiquaque itineribus, fideliſſimo è ſeruis caput eraſit, literasque impreſſit, & homine retento, quoad capilli excreſcerent: vbi autem illi renati ſunt, celerrime dimiſit Miletum, nihil aliud mandans, niſi vt cum eo perueniſſet, iuberet Ariſtagoram radi capillos capitis & aſpici caput. Intellecto igitur conſilio, mouit bellum Ariſtagoras, & Ionas, ac plures alios ad defectionem induxit, vtque etiam Lacedæmonios in belli ſocietatem pertraheret, Spartam ſe contulit, & Cleomenē regem omni ratione qua potuit, ad hoc bellū pellicere conatus eſt: at re infecta, illinc Athenas venit, Ad eā vrbē vt acceſſit, eadē quę in Sparta

Iones deficiunt à Dario.

Ariſtagoras mouit bellū in Perſas, ope Athenienſium.

Sparta,commemorauit de commodis, quæ eſſent in Aſia, deque Perſico bello, quod nequeſcutum neque lanceam in vſu haberent, ſed tantummodo breuibus arcubus,ac breuibus ſpiculis, longiſque in capitibus criſpis vterentur, indeque faciles forent ad capiendum. Hæc ille referens, illa quoque addebat,Mileſios eſſe Athenienſium colonos, quos æquum eſſet ab eis liberari, qui multum pollerent. Deniq; nihil non pollicebatur, omnibus precibus obſecrans, quod tantopere cupiebat,donec eos induxit. Itaq; Athenienſes perſuaſi, decreuere viginti naues Ionibus auxilio mittendas,Melanthio illis præfecto,viro inter populares omni in re ſpectato.Hæc claſſis initium malorum extitit Græcis pariter ac Barbaris, vt inquit Herodotus:de qua quidem re mox dicetur. Ariſtagoras interim copiis adauctus,& Sardes incendit, & Perſas eorumque ſocios haud mediocribus damnis affecit.Poſtea Ionibus ad Epheſum cæſis, Athenienſes eos deſeruerunt. Tandem Perſæ Ionas,Cares,& Cyprios vicerunt. Interim Ariſtagoras fugiens in Thraciam,vna cum ipſius exercitu interfectus eſt.Non multo poſt, Darius blanda & artificioſa oratione Hiſtiæi perſuaſus, illum à ſe dimittit, eo quidem conſilio, vt quemadmodum ſe facturum receperat, exortos motus componeret,omneſque ad regium obſequium & fidem redigeret. Cum Sardis veniſſet,& Artaphernes Sardium prætor,illi diceret; Hunc calceum tu quidem conſuiſti,Ariſtagoras autem ſibi induit; veritus,ne ipſius conſilia detecta eſſent,prima ſtatim nocte fuga ſe ad mare proripuit,indeque Chium transfretauit, & bellum totis viribus inſtaurandum curauit. Sed tandem hic exitus fuit, vt Mileto capta & direpta, ipſe ab Harpago viro Perſa,non parui exercitus duce,poſtquam ſimul conflixiſſent, capto, & Sardis ad Artaphernem perductus, cruci affigeretur. Hoc autem bellum quod primo ſuſceptum eſt ab Ariſtagora, ſex annos duraſſe ſcribitur. Eiuſdem rei meminit etiam Aulus Gellius lib. 17. cap. 9. vbi agit de notis literarum, quæ in C. Cæſaris epiſtolis reperiuntur, deque alijs clandeſtinis literis ex veteri hiſtoria repetitis,&c. Eſt & alia, inquit, in monumentis rerum Græcarum profunda quædam & inopinabilis latebra, barbatico aſtu excogitata. Hiſtiæus nomine fuit, loco natus in terra Aſia non ignobili (Aſiam tunc tenebat imperio rex Darius.) Is Hiſtiæus, cum in Perſis apud Darium eſſet, Ariſtagoræ cuipiam res quaſdam occultas nuntiare furtiuo ſcripto volebat. Comminiſcitur opertum hoc literarum admirandum: ſeruo ſuo diu oculos ægros habenti, capillum ex capite omni tanquam medendi gratia deradit, caputque eius læue in literarum formas compingit. His literis,quæ voluerat,perſcripſit. Hominem poſtea,quoad capillus adoleſceret,domi continuit. Vbi id factum eſt,ire ad Ariſtagoram iubet. Et cum ad eum, inquit, veneris,mandaſſe me dicito,vt caput tuum (ſicuti nuper egomet feci) deradat. Seruus, vt imperatum erat,ad Ariſtagoram venit, mandatumque domini affert. Atque ille id non eſſe fruſtra ratus,quod erat mandatum,fecit. Ita literæ perlatæ ſunt. Dum hæc ita geruntur,apud Athenienſes,vt hoc etiam obiter addatur, Harmodius & Ariſtogiton, Hipparchum Piſiſtrati filium interemere. Aelianus variæ hiſtoriæ lib. 11. ſcribit, ab his interfectum eſſe, eo quod in Panathenaicis caniſtrum deæ deferre,iuxta patrium morem,non permiſit ſorori Harmodij. Verum Plato in eo dialogo qui inſcribitur Socrates,& Hipparchus, hāc cauſam fuiſſe cædis Hipparchi negat,& aliam à ſincerioribus traditam producit. De ipſius autē ſapientia,& ſtudio erga doctos, deque Homericis carminibus idem Plato ibidem plurima recenſet,cuius etiam idem Aelianus meminit lib. 8. eiuſdem operis. Poſt huius interitum Hippias eius frater, tyrannidem obtinet annis paulo amplius tribus vſque ad expulſos Piſiſtratidas;quod quidem contigit 20. anno ante pugnam Marathoniam,poſtquam regnaſſent annis 36. His autem expulſis, Cleomenes & Demaratus, ambo Athenienſibus imperarunt, ſed breui poſt, expulſo Demarato,in eius locum Leotichides ſuffectus eſt. Pauſan. 114. Imperauit Cleomenes Athenis annis 16. Plutar. in vitis pag. 155. Interim Lacedæmones omnem operam dabant,vt Hippiam,propter tyrannidem ab Athenienſib. regno eiectū, ſocij reſtituerent. Sed repugnante Soſicle Corinthio, nihil omnino agi potuit.

Græcorum clades in Ionia.

Hiſtiæi mors.

Hipparchi interitus.

Hippias confugit.

Quocirca omni ſpe deſtitutus, ad Artaphernem fugit, qui primo Athenienſes per literas & nuntios rogat, vt eum recipiant. At ipſi prorſus abnuere, monereque Perſas, ne exulibus Athenienſibus fidem adhiberent. Sed nihil horum ſuaſione motus Artaphernes, iubet Athenienſes, ſi ſalui eſſe vellent, Hippiam recipere nt. Hi vero, vt antea, reſponderunt, adiicientes, malle ſe Perſarum hoſtes fieri, quam tyrannum denuo admittere. Hippias interim hoc animaduerſo, ſe totum ad Perſarum beneuolentiam conuertit, & Darium, alioqui ſatis ad hoc ſua ſponte incitatum, vt expeditionem aduerſus Athenienſes & Græciam ſuſciperet, hortabatur, eamque illi proſpere ſucceſſuram, plurimis rationibus oſtendebat. Darius vero iamdudum flagrabat cupiditate Atticæ potiundæ, ac dicere ſolebat, malle ſe Atticas ficus in ſua prouincia, quam in libero ſolo natas edere.

Darius, cur Athenienſes præcipue oderat.

Præcipua vero cauſa, cur Athenienſes præ cæteris oderat, eoſque mirum in modum vlciſci cupiebat, inde orta eſt, quod ipſi, Ariſtagoræ perſuaſione inducti, claſſe, vt dictum eſt, Ionas iuuiſſent. Cum enim hoc Dario indicatum eſſet, ferunt, illum, tum arcum popoſciſſe, ac eo ſumpto, ſagittam impoſitam in cælum excuſſiſſe, & ea in aërem excuſſa, dixiſſe: O Iupiter, contingat mihi, vt Athenienſes vlciſcar! Atque hæc locutum, cuidam famulorum præcepiſſe, vt ſibi ſemper appoſita cœna, ter diceret. Here memento Athenienſium. Idem Chalcedonenſes non minori odio proſequebatur, quoniam pontes qui verſus regionem ſuam ſpectabant, diſſoluere conati eſſent, & aram in honorem Iouis Diabaterij ab eo erectam, euertiſſent.

Darii expeditio aduerſus Græcos.

Ineunte igitur Vere, Darius ingentes copias terra marique parari iuſſit, eiſque Mardonium Gobrys filium adhuc adoleſcentem, & qui recens Darij filiam nomine Artozoſtram, in matrimonium acceperat, præfecit. Hic ergo cum exercitu in Græciam nauigans, Thaſium inſulam, & Macedoniam occupat. Sed cum ad Athon montem naufragium feciſſet, & ipſe à Brygis Thracibus vulneratus eſſet, inglorius in Aſiam rediit. Herod. lib. 6. pag. 180. 181. Id vero incidit in annum ab orbe condito iuxta nonnullos 3474. ſiue, vt alij cenſent, 3465. Darius aduerſis caſibus nequaquam exterritus, claſſem ſexcentarum nauiũ cõparauit: eiq; Datim genere Medũ, & Artaphernẽ Artaphernis fratris ſui filium præpoſuit, hiſque ad ducenta, ſiue vt aliis placet, ad trecenta peditum millia, & decem millia equitum, dedit: cauſam interſerens, vt antea commemoratum eſt, ſe hoſtem eſſe Athenienſibus, quod eorum auxilio, Iones Sardos expugnaſſent, ſuaque præſidia interfeciſſent. Dat itaque in mandatis, vt Athenas ac Eretriam diriperent, & captiuos in eius conſpectum adducerent; ſimulque oratores in Græciam mittit, vrbium facturus periculum, & terram atque aquam poſtulaturus. Cæterum nihil omnino ab eis impetratum eſt. Præfecti autem regij, omnibus rebus rite ad bellum diſpoſitis, cum claſſe ad Eubœam appulerunt, & Eretriam, inſignem ciuitatem Græciæ, ac Eubœnſium coloniam, obſidentes, illam breui expugnarunt, & captiuos regi miſerunt. Qui eis iuxta Suſa ſedes aſſignauit, de quibus Platonis extat epigramma: Eubœnſium genus ſumus Eretricum, ſed prope Suſa iacemus, heu terra quantum à noſtrate? Inde ad Atticam acceſſerunt, ac ſuas copias in campum Marathonium deduxere, ita ſuadente Hippia; quoniam ea planicies, ſeu campus, equitatui opportuniſſimus foret. Hæc vrbs, ſiue, vt Stephanus dicit, pagus, Athenis aberat circiter decem millia paſſuum, eaſque habebat ab Occaſu, & ab Oriente Cynoſuram promontorium. Fuit autem Leontidis tribus, vt inquit Pauſanias, eamque æquali diſtantia ab Athenis

Marathon vnde nomẽ acceperit.

Caryſtoque Eubœæ vrbe abeſſe tradit. Idem auctor, Marathonem à quodam heroe Marathone nominatam fuiſſe ſcribit: quem inter alios illuſtres viros, qui in Marathonia pugna obierunt, præcipue venerabantur. Tum Herculem quoque, quem primi Marathonij apud Græcos in Deorum numerum retulerunt. Fuere in Attica, vt in reb. Atticis prodidit Strabo, centum & ſeptuaginta tribus, quibus nonnulli addiderunt adhuc quatuor: ex quibus nulla fere non veteri aliqua fabula, aut inſigni hiſtoria celebrata ab auctoribus. Inter has quoque Marathon, ob hanc præclaram pugnam, in Marathonijs campis geſtam, ſingularem laudem gloriamque adepta eſt. Interim Athenienſes, cognito Perſarum aduentu, tam-

tu,tamque propinquo & magno periculo permoti, ſtatim crearunt decem Prætores,qui exercitui præeſſent,inter quos erat Miltiades Cimonis F. Eodem tempore miſerunt etiam ad Lacedæmonios Philippidem curſorem, qui nocte vna ſtadia M.D. confeciſſe dicitur. Ab eis reſponſum eſt, quod ſibi ob rotundam lunam, & ante plenilunium in aciem exire,per legem non licebat. Dum igitur de ſumma rerum inter duces agitur, & magna fit contentio, vtrum ſeſe intra mœnia continerent, eaq; pro virili defenderent,an obuiam irent hoſtibus,& cũ ipſis aleam belli experirentur, dumque ex alijs nonnulli primariæ anctoritatis cenſent,Spartanorum opem expectandam, vnus Miltiades maxime nitebatur, vt primo quoq; tempore caſtra fierent.Id ſi factum eſſet, & ciuibus animum acceſſurum,cum viderent de ipſorum virtute non deſperari,& hoſtes ea de re fore tardiores,ſi animaduerterent,audere aduerſus ſe tam exiguis copijs dimicare in hoc grauiſſimo & cruentiſſimo prœlio, nulla ciuitas Athenienſibus auxilio fuit, præter Platęenſes:ea mille miſit militum.Itaque horum aduentu,decem,ſiue,vt alij cenſent,vndecim millia armatorum completa ſunt,quæ manus mirabili flagrabat pugnandi cupiditate; quo factum eſt,vt pluſquam collegæ, Miltiades valuerit.Eius enim auctoritate impulſi Athenienſes,copias ex vrbe eduxerunt: locoq; idoneo caſtra fecerunt. Deinde poſtero die ſub montis radicibus,acie è regione inſtructa,noua arte,ſummaque vi prœlium commiſerunt. Namq; arbores multis locis erant raræ,hoc conſilio, vt & montium altitudine obtegerentur,& arborum tractu equitatus hoſtium impediretur, ne multitudine clauderentur.Datis,& ſi non locum æquum videbat ſuis;tamen ſuarum copiarum numero ac multitudine fretus, decertare cupiebat,eoque magis, quod priuſquam Lacedemonij ſubſidio venirent,dimicare vtile arbitrabatur.Itaque in acie peditum centum,equitum decem millia produxit, prœliumque commiſit: in quo, tanto plus virtute valuerunt Athenienſes, vt decemplicem numerum hoſtium profligarent, adeoque eos perterruēre, vt Perſæ tanquam Panicis terroribus conſternati,non caſtra,ſed naues peterent: qua pugna nihil adhuc nobilius atque præclarius fuit.Nulla enim vnquam tam exigua manus,tantas opes proſtrauit. Herod. lib.6. tradit, ex Perſis occubuiſſe circiter ſex millia & trecentos: Athenienſium vero centum, nonaginta duos. Iuſtinus numerum Perſarum, qui hoc in prœlio ceciderunt,longe ampliorem conſtituit.Herod.etiam aſſerit, poſt plenilunium duo millia Lacedæmoniorum Athænas veniſſe,tanta feſtinatione adipiſcendi hoſtem,& triduo quam ex Sparta diſceſſerant, in Atticam peruenirent:& licet ſerius ad pugnam veniſſent, tamen conſpiciendi Medos cupidos,ad illos intuendos in Marathonem perrexiſſe. Quibus viſis,laudatiſque Athenienſibus ob præclarum facinus,rurſus rediiſſe. Porro hanc pugnam Athenis in porticu, quæ à variarum picturarum argumentis ποικίλη vocata eſt, magno ſtudio depinxerunt. Quo pacto ſcilicet Bœotij,Platæenſes, & omnis Attica cum Barbaris manum conſeruerit: quomodo in medio agmine fugientes Perſæ,ſeſe certatim in paludem impulerint, (erat enim in Marathone palus cœnoſa,in quam Barbari,viarum imperitia fugientes,irruebant:). In hoc loco Mineruæ ſimulachrum fuit,quam ab eo Ellopiam nuncupatam fuiſſe, nonnulli crediderunt. In poſtrema picturæ parte, Barbarorum naues depictæ,in quas Perſæ magno impetu dilabebantur,quos inter fugam Græci agminatim trucidabant. Hanc Marathoniam pugnam Panæus Phidiæ frater, in Porticu Pœcile dicta, pinxiſſe dicitur. Atque inter duces Athenienſium, Miltiaden, Callimachum, Cynegyrum: inter Barbaros, Datim, & Tiſaphernen,tanta arte,tamque exquiſita diligentia expreſſiſſe,vt etiam ad viuum eorum imagines reddiderit, crediderunt multi,tum Deos pro Gręcis pugnaſſe.Ex Marathonijs manubijs,quas inter ſe Græci diuiſerunt,Platæenſes Mineruæ, cognomento ἀρεία,templum condiderunt. Quicquid vero ſcutorum, armorũmque,quæ Marathonius hoſtis in hac pugna perdiderat, repertum eſt, id omne apud Delphos Athenienſes numini conſecrarunt.Deinde ex illis, qui ſanguine ſuo patriæ libertatem adſeruerãt,egregia præmia perſoluta;in primis Miltiadi,publico patriæ liberatori. Cum

Philippides curſor inſignis.

Miltiades Athenienſium dux.

Prœlium inter Perſas & Athen.

Athenienſium victoria.

enim in Poecile porticu pugna hæc depingeretur; inter decem prætores, quos ad hoc bellum gerendum Athenienſes delegerant, prima omnium Miltiadis imago depicta, omni geſtu, habituque, qui adhortantis, impellentis, geſtientis in prœlio ducis eſſe conſueuit. Pindari interpres, his qui in Marathonia pugna tā ſtrenuam operam nauarunt, phialas argenteas præmij loco donatas fuiſſe tradit.

λιπαρά. Quamobrem Marathon λιπαρὰ, hoc eſt, πλουσία appellata. Quemadmodum autem totius huius pugnæ gloria apud Athenienſes fuit, ita quæ apud Salaminam, atque Platæas geſta ſunt, communi Græciæ tribuuntur. Ptolemæus Sophiſta, huius pugnæ, eorumque qui in ea occubuerunt; memoriam, tanta ſedulitate, ſtudioque tractauit, vt ob id Marathon ſit cognominatus. Tametſi alij à Marathone tribu, cui Athenis inſcriptus eſt, id nomen hunc accepiſſe credant. Hoc bellum Marathonium deſcribit Herod. lib. 6. & Iuſtinus lib. 11. Agathias itidem libro 11. eiuſdem rei mentionem faciens, Datis, inquit, olim Darij præfectus, & Satrapa, vbi cum Perſarum exercitu Marathonem ſe contuliſſet, euertendam Atticam eſſe cenſebat, cum hac ſimul & Græciam vniuerſam. Cauſa eius aduentus quidem nec iuſta; ſed vti apparet, cum Darium totius Aſiæ non caperet magnitudo, moleſte ferebat, niſi & Europam inſuper occupaſſet: vnde per Miltiadem deuicti cum Date ipſo & principe, & debellati ſunt Medi. Fuere namque

Athenienſium votum ante pugnā Marathoniam. tam multi eo prœlio cæſi, vt Athenienſes ferant nonnulli, antequam bellum inirent, pro interfectis hoſtibus parem hircorum numerum ſe Dianæ immolaturos comminatos fuiſſe, & in eam neceſſitatem redactos, vt deficientibus hircis, cum nequirent voti compotes fieri, nec promiſſa perſoluere, vel capras inſuper immolarint, nec tamen ad numerum has ſuffeciſſe. Hactenus Agathias. Plutarchus etiam in vita Ariſtidis de iiſdem rebus ſic preſſe ac eleganter memoriæ mandauit. Iam Datis à Dario miſſus, verbo vt ab Athenienſibus propter Sardes incenſas pœnam exigeret, re, vt Græcos euerteret, tota claſſe ad Marathonem appulerat, regionemque populabatur: Erant eo tempore inter belli duces ab Athenienſibus conſtituti, auctoritate quidem princeps Miltiades, exiſtimatione vero & potentia proximus Ariſtides: hic ſuam de pugna cum Miltiadis ſententia coniungens, haud exiguum rebus patriæ momentum addidit. Cumque

Ariſtidis ſingularis modeſtia & virtus. per interualla dierum inter duces eſſet diuiſum imperium, Ariſtides, cum ordo ipſi ſummam rei deferret, Miltiadi poteſtatem ſuam tradidit: docens collegas ſuos non turpe, ſed honeſtum atque ſalutare eſſe, parere & obtemperare prudentibus. Hunc admodum ambitione ſedata, cum eo perduxiſſet, vt ſatis haberent, ſi vnum, idque nimirum optimum ſequerentur conſilium, Miltiadem imperio perpetuo ei parato, corroborauit: cum cæteri porro diurnis iſtis omiſſis imperijs, huic vni animum aduerterent. Cæterum, in pugna Marathonia, maxime acie Athenienſium media laborante, vbi tribus Leontis & Antiochis conſtiterant, ibique diu ſane Barbaris reſiſtentibus, Ariſtidis & Themiſtoclis (quorum hic de Leontide, ille de Antiochide tribu erat) in propinquo illuſtris fuit pugna. Poſtquam fuſis & ad naues compulſis Barbaris, eos viderunt non inſulas verſum nauigare, ſed introrſum venti violentia mariſque verſus Atticam cogi; veriti Athenienſes, ne vrbem ij defenſoribus vacuam occuparent, cum nouem tribubus eadem die accelerato itinere domum redierunt. Ariſtides vero cum ſua tribu apud Marathonem relictus captiuorum & ſpoliorum cuſtos, opinionem de ſe non feſellit. Cum enim auri & argenti adeſſent acerui, atque omnis generis veſtes, & innumerabiles aliæ res in tentorijs & in captis nauibus propoſitæ, neque ipſe quicquam tangere voluit, & nulli quicquam permiſit, niſi ſi qui clam ipſo prædam abſtulerunt. Hæc Plutarch. Vnde autem originem habuerint Panici terrores, & quid potiſſimum ſignificent, breuiter explicabo. Tradunt enim veteres ſcriptores, Philippidi, quem Athenienſes miſerunt Spartam, vt nuntiaret, quam celeri opus eſſe auxilio, Pan iuxta Parthenium Arcadiæ montem, obuium factum, & ſe ſolum deorum ab Athenienſibus negligi queſtum, opem illis laturum eſſe dixiſſe, ac eius verbis fidem adhibitam, eique poſtmodum Athenienſes plurimos honores decreuiſſe. Dicunt vero ante aciem terribiles ſonitus

nitus

nitus auditos eſſe, & viſa ſpectra, quæ Athenienſes poſtea dixerunt fuiſſe ſpeciem Panos,qui terrorem tantum Perſis incuſſerit,vt fugerint. Inde Panici terrores poſtea dicti ſunt,de ſubitis conſternationibus,quæ nulla manifeſta de cauſa ſæpenumero populis exercitibuſque incuti & aduenire ſolent, ita vt maximo terrore iniecto,illos in fugam vertant. Huius autem denominationis originem ab antiquiſſimis Aegyptiorum hiſtorijs, Plutarcho referente, emanaſſe ferunt. Cum enim Oſirim Iſidis germanum, & maritum, qui Aegyptum imperio moderatus ſuo, legibus vitæque inſtitutis ornauit & excoluit, Typhon interfeciſſet frater,illiuſque cadauer per Tanaiticum vocitatum Nili oſtium,quod adhuc abominantur Aegyptij, in mare deferendum flumini mandaſſet; forte fortuna Panes Satyrique,qui eo in tractu Chennin denominatum habitabant locum, rem illam,vt geſta fuerat,animaduertiſſe dicuntur,qui paulo poſt, diſſeminatis ſuper Oſiridis cæde rumoribus,vniuerſam Aegyptum ſubitis repleuere tumultibus,ex quo natum eſt,timores,conſternationeſque illas, quæ repentinæ ignotis accedunt cauſis,Panicos appellari pauores.

Panici terrores vnde dicti.

Supra commemoratum eſt, Athenienſes in hoc grauiſſimo bello implorasſe auxilia Lacedæmoniorum, à quibus reſponſum fuerit, quod ſibi ob rotundam lunam,& ante plenilunium,in aciem exire,per legem non licebat. Hîc vero haud inutilis quæſtio moneri poſſet,num recte ab eis factum ſit,nec ne, cum plærique cenſeant,vrgente neceſſitate, nullum dierum diſcrimen haberi oportere,nec curanda feſta & ſolennes dies, ſi vrgeat neceſſitas ab omni ſoluta lege. Nam M. Marcellus tempore feſtorum Dianæ cepit Syracuſas, hoc inopinante populo Syracuſano intento lætitijs. Ipſa quidem antiquitas certos dies ſeruabat, quos infeſtos & infelices putabat, & in eis non pugnaſſet præ timore ob prætèrita bella in ipſis male geſta. Cæterum, perſæpe ob huiuſmodi perſuaſionem,vel ſuperſtitionem potius,maximas clades pertulit, in quo ſane quamplurima exempla commemorari poſſent. Ne autem in his recenſendis ſim prolixior,hoc inſtar multorum erit. Cum Ariouiſtus Germanorum rex, cum Cæſare bellum gereret, ac ſuis dixiſſet, non eſſe certandum, neque hoſtes ſuperari poſſe ante plenilunium, Cæſar ipſum inuaſit,non expectato tali tempore, & in fugam coniecit,octuaginta Germanorum millibus interfectis, & quadringentis terræ ſtadijs apud Rhenum fluuium occupatis, quem ponte arte facto infra decem dies, Cæſar cum exercitu tranſiuerat. Sed Lucullus in ea expeditione, quam habuit aduerſus Tigranem, Armeniæ,Syriæ ac Mediæ regem, longe aliter ſibi faciendum eſſe ſtatuit. Cum enim Romani pridie Nonas Octobris à Cymbris maxima clade affecti eſſent, iſque dies ab ipſis Romanis valde infelix & infeſtus reputaretur, L. Lucullus eodem ipſo die cum decem millibus peditum, & equitibus duntaxat mille, hoſte ex aduerſo ad centum quinquaginta millia bellatorum inſtructo, in aciem prodiit, & cum ſibi obijceretur de die illa, nempe ſexta Octobris, populo Romano tantopere infauſta & infelici, in qua, duce Gneo Scipione Cornelio, Maximi Scipionis Africani patre, vniuerſus Romanus exercitus à Cymbris prope deletus atque abſumptus fuit, Lucullus reſpondit, illum quidem diem Romanis fuiſſe olim atrum & calamitoſum, ſed hodiernus, inquit, erit vobis amicus & fortunatus, ſi ſtrenue atque impigre pugnaueritis, exque ominoſo ac triſti, hilarem, amicum, & iucundum Romanis reddemus. Et commiſſo prœlio, hoſtes fugauit, quinque duntaxat ex Romanis, in ipſo certamine interfectis, & centum vulneratis: Ex hoſtibus autem, Armenijs ſcilicet, Medis atque Syrijs; vltra centum millia deſideratis, ac etiam Tigrani regis diademate ablato. Tam paruo impendio tam inſolens victoria ſtetit. De ipſo quidem Tigrane, à nonnullis memoriæ proditum eſt, quod cum Luculli exercitum vidiſſet, paucorum exercitum irridens, dixerit: Si vt milites aduenisſent, perpaucos quidem eſſe: ſi vero vt legati, permultos. Verum, mox ipſo facto, intellexit, victoriam non in multitudine pugnantium, ſed militum robore atque virtute conſiſtere. Namque, vti oſtendimus, à Lucullo victus eſt, ita ſane, vt tiaram, vittaſq; lacerans, atque abijciens aufugerit, ne ijs ornamentis in

Quando ſit decertandum cum hoſte.

Syracuſani deuicti à Marcello.

Cæſaris victoria aduerſus Arioniſtum.

Luculli victoria aduerſus Tigranem.

turpi ſuga agnitus,ad Romanos captiuus perduceretur. Quas vero acies, quoſve exercirus,& qui duces parua manu profligarint, paſſim videre eſt apud veteres auctores. Mos autem & conſuetudo inoleuit apud varias gentes & nationes, vt ſtatas dies anni; infelices aut fortunatas, pro multiplici euentu, non vna ratione obſeruarint. Siquidem Chalcedonij cuiuſque menſis viceſimam primam diem, funeſtam & portentoſam habuere, quod illa Darij præfectus ipſorum pueros caſtrauit, & in Perſidem miſit. Parthi diem, qua Arſaces Seleucum vicit, tanquam initium libertatis, fauſtum felicemque obſeruarunt. Cyrus diem, qua Scythas & Sacas clade afflixit, adeo felicem habuit, vt eam Sacam appellarit: ſicut Aſiani feſtam diem Mutiam nuncuparunt, quod Q. Mutius Aſiam ſingulariter rexerat. Athenienſes quartam Hecatombæonis, qui menſis erat Soli ſacer, duplici victoria inſignem, velut fortunatam, obſeruandam præceperunt, qua ad Leuctram, & Geræſtum feliciter pugnatum eſt. Iidem, quartamdecimam Boëdromionis, aut ſecundum Bœotios, ſextam & viceſimam Panemi menſis, quod Artabanum & Perſas è Græcia fugarunt, felices habuëre: qua die liberatori Ioui victimam cædere, & ſacrum facere conſueuerant. Perſæ vero, tertiam & ſextam menſis Boëdromionis, tanquam lugubres & deſamatiſſimas deuitarunt, quibus diebus in pugna Marathonia, & ad Plateæas, & ad Mycalen, à Græcis conflictati, & magnas clades perpeſſi ſunt. Qui etiam diem, qua Magi, qui regnum occuparant, interempti ſunt, tam ſolennem habuere, vt illam, Magophoniam, hoc eſt, Magorum occiſionem, appellarent, qua die nulli Magorum extra limen prodire fas erat. Et de his quidem hactenus dictum ſit.

Fortunati & infortunati dies.

Quod vero ad Hippiam, Piſiſtrati filium, cuius paulo ante meminimus, attinet, Cicero ad Atticum, ac itidem Iuſtinus, illum in hoc prœlio interfectum dixere, diis patriæ vltoribus pœnas repetentibus. At Suidas refert, victis Perſis, illum fugiſſe in Lemnum, ibique in morbum incidiſſe, viſu amiſſo, & ſanguine per oculos effluente, acerboque mortis genere deceſſiſſe, his pœnis patriæ datis, ad quam ſeruitute opprimendam Barbaros adduxerat, ita tis patrijs dijs. Vt vero libere dicam quod ſentio, haud ſane mihi veriſimile videtur, ipſum ſeſe in Lemnum recepiſſe, ſed potius in quendam alium locum, cum ea inſula tunc temporis pareret Athenienſibus. Hanc enim Miltiades paulo ante ſubiugarat. Cæterum, de hac re ſuum cuique eſto iudicium. Is etiam narrat huic ante conflictum Marathonium accidiſſe vehementem quandam ſternutationem, cumque vt ſenex, vacillantes dentes haberet, ex acri ſternutationis concuſſione, vnũ dentem excuſſum eſſe, & in arenas delapſum, reperiri non potuiſſe. Huius quoque rei meminit Herod. lib.6. atque addit, huiuſmodi ſternutationem fuiſſe cum tuſſi ſolito vehementiorem, ac ſuperiori nocte ante prœlium commiſſum, ſibi viſum eſſe in ſomnis cum matre concumbere. Quo ex ſomnio illum coniectaſſe, fore, vt reuerſus Athenas, ac recepto dominatu ſenex domi ſuæ obiret. Poſt vero dentis excuſſionem cum ſternutatione ac tuſſi, ſuſpiraſſe, ac eis qui aderant, dixiſſe: Hæc terra non eſt noſtra, nec eam poterimus nobis ſubijcere: ſed tantummodo partem, quantum ſpatij dens, qui mihi aderat, obtinet. Vtcunque tamen ſeſe res habeat, credibile omnino eſt, illum tragico euentu vitam ſuam clauſiſſe, vt ipſius frater Hipparchus, vtque omnes alij, qui patriam ſeruitute opprimunt, ac tyrannidem exercent. Nam tyrannorum exitus plærunque miſerrimi eſſe conſueuerunt, ſicuti & veterum annales, & quotidiana experientia teſtatur. At Miltiadis interitus exemplum eſt vſitatæ ingratitudinis hominum, & præcipue populi Athenienſis erga ſuos benefactores, maxime imperatores, longe ingratiſſimi. Cum enim potiſſimum ipſius conſilio & fortitudine Perſicus exercitus profligatus eſſet, cumque antea Lemnum inſulam Attico imperio adieciſſet, poſtea ab inuidis immerito proditionis accuſatus, quod, cum Parum inſulam expugnare poſſet, à Perſarum rege corruptus vt falſo illi hanc calumniam inſimulabant, infectis rebus, à pugna diſceſſiſſet. Quod autem huiuſmodi obſidionem reliquiſſet, id ſane fuit in cauſſa; quod cum res iam eo deducta foret, vt maxima ſpes potiundi oppidi affulgeret, procul in continenti

Hippiæ interitus.

Athenienſes de ſe benemeritis ingrati.

Lucus,

Lucus, qui ex inſula conſpiciebatur, noctu incenſus eſt. cuius flamma vt ab oppidanis & oppugnatoribus eſt viſa, vtriſque venit in opinionem, ſignum à claſſiarijs regijs datum. Quo factum eſt, vt & Parij à deditione deterrerentur, & Miltiades timens, ne claſſis regia aduentaret, incenſis operibus quæ ſtatuerat, cum totidem nauibus atque erat profectus, (hæ autem ſeptuaginta fuerant) Athenas magna cum offenſione ciuium ſuorum rediit. Et quoniam eo tempore æger erat vulneribus, quæ in oppugnando oppido ceperat, cum pro ſe dicere non poſſet, verba fecit frater eius Dixagoras. Cauſa cognita, capitis abſolutus, pecunia mulctatus eſt, vt 50. talenta, id eſt, triginta millia nummorum aureæ monetæ, penderet, quantus in claſſem ſumptus factus erat. Hanc pecuniæ ſummam quod perſoluere non poterat, in vincla publica coniectus eſt, ibique haud multo poſt, diem obiit ſupremum, auctore Aemilio Probo, qui addit, etſi crimine Pario fuerit accuſatus, tamen aliam fuiſſe cauſam damnationis. Namque Athenienſes, inquit, propter Piſiſtrati tyrannidem, quæ paucis annis ante fuerat, omnium ſuorum ciuium potentiam extimeſcebant. Miltiades multum in imperijs, magiſtratibuſque verſatus, non videbatur poſſe eſſe priuatus. præſertim cum conſuetudine ad imperij cupiditatem trahi videretur. Nam Cherſoneſo omnes illos quos habitarat annos, perpetuam obtinuerat dominationem, tyrannuſque fuerat appellatus, ſed iuſtus. Non erat enim vi conſecutus, ſed ſuorum voluntate: eamque poteſtatem bonitate retinebat. Omnes autem & habentur & dicuntur tyranni, qui poteſtate ſunt perpetua in ea ciuitate, quæ libertate vſa eſt: ſed in Miltiade erat cum ſumma humanitas, tum mira comitas: vt nemo tam humilis eſſet, cui non ad eum aditus pateret: magna auctoritas apud omnes ciuitates: nobile nomen, laus rei militaris maxima. Hæc populus reſpiciens, maluit eum innoxium plecti, quam ſe diutius eſſe in timore. In hoc autem Probus ab Herod. diſſentit, quod hic non à fratre, vt alter, ſed ab amicis cauſam illius actam ſcribat, cum putreſcente crure ex vulnere lectulo incumberet. Addit etiam, Cymonis filium (ita enim illum nominat) pecuniam pro patre numeraſſe. Verum, ne ſic quidem illum inuidia & carcere liberatum. Refert hoc inter exempla ingratorum Val. lib. 5. cap. 3. Hoc autem prœlium anno 20. poſt eiectum ex Athenis Hippiam, & Piſiſtratidas, factum eſſe ſcribit Thucyd. pag. 160. Aulus Gel. lib. 17. cap. 21. Ducenteſimo, inquit, & ſexageſimo anno poſt Romam conditam, aut non longe amplius, victos eſſe ab Athenienſibus Perſas memoriæ traditum eſt, pugna illa inclyta Marathonia, Miltiade duce, qui poſt eam victoriam damnatus à populo Athenienſi, in vinculis publicis mortem obijt. Hæc Gellius. Incidit autem in annum quintum ante mortem Darij, quod quidem facile colligitur ex verbis Herod. lib. 7. qui ſcribit, Darium, accepto huius cladis nuntio, grauiſſime triſtatum eſſe, ac in eius vltionem, apparatum feciſſe per triennium in ſecundam expeditionem Græcanicam, in quam ipſemet proficiſci decreuerat, & quarto anno defeciſſe Aegyptios, quos Cambyſes Perſis ſubegerat, & vltimo à defectionis anno mortuum eſſe, adeo vt nec Aegyptios, nec Athenienſes, vt maxime ſtatuerat, vlciſci potuerit. Obiit autem ſex & triginta annis in imperio expletis, filio Xerxe in regem deſignato, eique moriens, præter alia, dixiſſe fertur: Marathonis memento. Strabo 15. libro ex Oneſicriti ſententia, in eius ſepulchro huiuſmodi epitaphium poſitum fuiſſe narrat Perſico ſermone:

Miltiadis obitus, & ortus.

Tyranni qui nam proprie dicantur.

Darii obitus.

Amicus amicis fui, & eques, & ſagittarius
Optimus, venatores ſuperaui, & omnia facere potui.

Epitaphiū.

Etſi vero Artabazenes maior natu erat, quia tamen fuerat natus ex priori coniuge, alter ex filia Cyri Atoſſa, regnante Dario, Xerxem, Demarato ſic ſuadente, qui huiuſmodi legem Spartas habere affirmarat, in imperio præfecit. A quibuſdam in literas relatum eſt, inter hos duos, poſt patris obitum, fuiſſe maximam controuerſiam de regno, & hoc certamen concordi animo ad patruum ſuum Artaphernem, veluti ad domeſticum iudicem detuliſſe, qui, domi cognita cauſa, Xerxem præpoſuit; adeoque fraternam contentionem fuiſſe, vt nec victor

Xerxes IIII. Perſarum Rex.

Exemplum fraternæ beneuolentiæ ac ſingularũ modeſtiæ.

exultauerit, nec victus indoluerit, mutuamque deinceps beneuolentiam inter ſe retinuiſſe, ac vſitato more inuicem alterum alteri munera miſiſſe. Hic autem non ab re fuerit in medium proferre quod Plut. de vtroque poſteris tradiderit in eo libello, cui titulus eſt De fraterno amore. Operæ eſt precium, inquit, in præſentia diſceptationem audire barbarorum fratrum, non de particula eam agelli, aut mancipiis, vel pecore, ſed de regno Perſiæ. Mortuo Dario, alij regnum Ariameni, vt de filijs eius natu maximo deferebant, alij Xerxi, qui ex Atoſſa filia Cyri, Dario iam regnum gerente, natus erat. Deſcendit itaque Ariamenes è Media, non bellico apparatu, ſed placide ad iudicium. Xerxes, qui præſens ea agebat quæ erant regis, veniente fratre, depoſito diademate, & deiecta tiara, quam erectam ferunt reges, occurrit fratri, eumque ſalutauit, ac dona mittens, dicere eos qui portabant, iuſſit: His te nunc honorat Xerxes frater tuus; qui ſi rex iudicio & ſuffragio Perſarum declarabitur, proximum tibi à ſe locum tribuit. Reſpondit Ariamenes: Ego dona quidem accipio, regnum autem in Perſas mihi cenſeo deberi, honorem tamen fratribus meis minoribus ſeruabo ſuum, & primo inter fratres Xerxi. Inſtante porro iudicij die, Perſæ communi ſententia Artabanum iudicem deſignauerunt. Hic Xerxi, quod multitudini fideret, iudicem recuſanti Atoſſa obiurgans, Quid fugis, inquit, Artabanum patruum, & Perſarum optimum, fili? idque certamen metuis, in quo præclarum eſt, ſi vincare, fratrem regis Perſarum ſecundo te loco vocari? Xerxe obtemperante, & cauſa cognita, Artabanus pronunciauit Xerxi regnum conuenire. Ariamenes autem ſtatim proſiliens, fratrem adorauit, dextraque apprehenſum, in ſolium regium collocauit. Exinde primo apud eum loco habitus, beneuolum ſe præbuit: ita quidem, vt pro gloria fratris nauali apud Salaminam prœlio præclare pugnans ceciderit. Atque hoc tanquam purum & inculpabile exemplar beneuolentiæ, & magnanimitatis propoſitum eſto. Hæc Plutarch.

FINIS LIBRI PRIMI.

HISTO-

HISTORIAE RERVM PERSICARVM

Liber Secundus.

POSTEAQVAM Darius naturæ ac fato conceſſiſſet, haud immerito inter filios exorta fuiſſet propter regni ſucceſſionem rixa atq; contentio, ni Artabazanus, ſuaſu atque inſtinctu Demarati præfecti, iuris ac ætatis prærogatiuam Xerxi fratri libenti animo ſubmiſiſſet. Tanta quippe fuit paternæ voluntatis obſeruantia, vt potius iuri ſuo cedere, quã eius auctoritatem infringere, vel labefactare aliquo modo ſuſtineret. Proinde tranſlato à ſe in fratrem Xerxem imperij iure atq; nomine, Xerxes rerum potitus, nihil ſtatim ab initio habuit antiquius, quam regni aditi poſſeſſionem ab amplificatione auſpicari. Quippe cum Aegyptij, Perſici imperij dignitatem turpi defectione cõtaminaſſent, ſibiq; perſuaderent, non ſolummodo ſe armis atque opibus contra illorum potentiam tueri poſſe, verum etiam per occaſionẽ vltro ipſos adoriri, & bello laceſſere, Xerxes indignum ratus, hanc mollem & effeminatã gentem contra ſe inſurgere, ac priſtinum obſequium detrectare, cõtractis multis copijs, in illos ſtatim mouet, & non prius arma depoſuit, quam Aegyptiis ſubiugatis, imperij ſui nomen ac veterem gloriam illuſtraſſet. Hæc Xerxis expeditio, ſi ad calculos & annorum ſeriẽ deuocemus, niſi me error fallit, incidit in annum ab orbe creato, 3481. ſiue, vt quibuſdam alijs placet, 3478. Priuſquam vero ex Perſia recederet, illius procurationi Achmenem fratrem, qui deinde poſt viginti annorũ decurſum ab Inaro Libyæ rege, & Athenienſibus interfectus eſt, cum ſumma poteſtate atq; imperio ſubſtituit. In Perſiam reuerſus, breui poſt, cum paternã iniuriam à Scythis acceptã, tam tenaci memoria conſeruaret, vt prius omnium aliarum rerum, quam ipſius obliuiſci poſſe, aut velle videretur, ſtatuit prius experiri omnia illa difficillima negotia atq; incõmoda, quæ reges magnum aliquod bellum geſturi ſufferre coguntur, quã deponere poſſet tam vehementem animum vindicandi. Igitur ſeptingenta armatorum millia exemplo patris ſui in militiã conſcripſit. Sed cum nec tantum exercitum contra hoſtium potentiã ſatis eſſe putaret, adiecit trecenta auxiliarium copiarum millia, quę cum adhuc parum ſufficere viderentur, adiunxiſſe etiã ferunt mille roſtratas naues, & tria millia nauium onerariarum His copijs, & ſi non ſolum Scythis, ſed toti orbi formidabile bellum inferre poſſe putaretur, attamen vt principio terribilis, ita exitu inanis & contemptibilis apud omnes habebatur. Quippe Cimmerias Scytharum, ſeu Gothorum manſiones aggreſſus, cum conſideraret ſuã Perſicam gentem, & bellicum apparatum ab animoſis hoſtib. non timeri, ſed aperte contemni, ſubſtitit, & quid conſilij caperet, inquirit. Tandem cum nec ſemel cum hoſtibus congredi tentaſſet, poſtquã nulla ſibi poteſtas dimicandi daretur, ab ea expeditione inglorius receſſit. Poſt hæc, domum reuerſus, videbatur ab initio paci & quieti velle conſulere, nec de bello Græcis inferendo admodum ſollicitari. Cæterum, breui poſt, mire ad hoc inflãmari cœpit, Mardonio ſuo cõſobrino, Gabryæ & ſororis Darij filio, potiſſimum extimulante, qui apud eum ſumma gratia & auctoritate pollebat, & propter eximias animi corporiſq; dotes, in maximo apud Perſas honore atq; admiratione habebatur. Hic ſublimes ſpiritus gerens, ac ætatis feruore ſublatus, gloriæque ac laudis cupientiſſimus, magnas ſemper res appetere, magniſq; aſpirare imperijs, vtq; id aſſequeretur, varias aſſidue varijs artibus quærere moliriq; vias. Quare Xerxi perſuaſit, vti Græcorum vires affligtare, ſibique eos populos, aſſiduos infeſtiſſimoſque Perſici nominis hoſtes, omnib. ſtudijs & rationibus ſubiugare cõtenderet. Proinde huius verbis ac perſuaſione incitatus, cõuocatis proceribus, operæpretium fore iudicauit, vt in publico ipſorum conſeſſu hanc rem pro-

Xerxis expeditio aduerſus Aegyptios.

Xerxes parat exercitum in Scythas.

Eiuſdem improſperi ſucceſſus.

Expeditio aduerſus Græcos Mardonij ſuaſu.

poneret. Ibi Mardonius rogatus ſententiam, ea omnia publice retulit, quæ in priuato colloquio regi oſtenderat, & bellum omnino ſuadebat.

Artabanus diſſuadet bellum contra Græcos.

Tum ſilentibus alijs, Artabanus Hyſtaſpis filius, Xerxis patruus, vir ſumma grauitate ac prudentia præditus, multis rationibus ab alto repetitis, bellum omnino diſſuadet. Eius autem oratio, vt eſt apud Herod. lib. 7. plurimis ſalutaribus conſilijs, ac ſapientiſſimis ſententiis, tanquam pretioſiſſimis gemmis, referta eſt. Vicit tamen prior ſententia, bellumque inferre ſtatuit. Priuſquam vero hanc expeditionem ſuſciperet, qua Græcas gentes vno eodemque tempore vniuerſas opprimere, ipſamque Græciam funditus euertere in animum induxerat,

Fœdus inter Xerxem & Carthaginienſes.

legatos ad Carthaginienſes miſit, qui vna cum eis de re communibus armis gerenda tractarent, atque inter eos ita concluſum eſt, vt ipſe videlicet Græciam cum ſuis copiis inuaderet: Carthaginienſes autem eodem tempore aduerſus Græcos, qui Siciliam incolebant, proficiſcerentur. Quod ſane ita factum eſſe, ex verbis Herodoti ac Diodori pleniſſime intelligitur. Hi enim cum ex Libya, & ipſa vrbe, tum ex Liguſtica regione, exque Galatia & Iberia, milite coacto, exercitum ad trecenta millia hominum armatorum, ductu Hamilcaris, Hannonis filij Carthaginienſium regis, ſummo ſtudio ac diligentia inſtruxerunt: claſſem etiam ingentem exornarunt, hiſque viribus freti, omnia ſibi læta & ſecunda pollicebantur. Quomodo autem Gelon Dinomenis filius, Syracuſarum tyrannus, vir manu promptus, & conſilio prouidus, illico maxima & incredibili celeritate collecto exercitu, videlicet, peditum quinquaginta millia, equitum vero ad quinque millia,

Carthaginienſium clades.

ex Syracuſis citato itinere ad eos contenderit, hoſtemque tandem terra marique deuicerit, ac diſſiparit, adeo vt vix quidem nuntius cladis tantæ multitudinis ſupereſſet, præfati auctores fuſe ac eleganter oſtendunt. Verum enimuero, vt ad Xerxem reuertar, is, poſtquam fœdus ac ſocietatem cum Carthaginienſibus iniuiſſet, omnem animum ad belli ſtudium & cogitationem adiecit. In hoc autem militari apparatu, triennio, vt ait Diod. ſicuti etiam eodem auctore, Carthaginienſes fecerant, vel quadriennio, vt ſentit Herodotus, conſumpto, proximo anno qui fuit decimus iuxta Thucydidem, poſt prœlium ad Marathonem geſtum, ſub veris initium innumerabili cum exercitu Suſis profectus, in Cappadociam mouit, indeq; ad Pythium Athys filium, Lydum, Phrygiæ regem opulentiſſimum diuertit, & per Coloſſas itinere facto, Sardes perrexit. Antequã vero ex Perſide abiret, nauium præfectis mandarat, vti naues vndique in Cymen & Phoceſam conueherent. Interea temporis, partito exercitu, numerum qui ad iungendum ponte Helleſpontum, quique ad montem Atho effodiendum ſatis viſus eſt, præmittit, ea in re conſpicatus ſimul tutum militibus & quam breuiſſimum ingreſſum patefactum iri; ſimul ſe ſperans, vel ipſa inprimis tantorum operum admiratione, Græcis ſummum terrorem illaturum. Qui igitur ad hoc munus perficiendum miſſi fuerant, multitudine ad opus ardenti, quam celerrime rem perfecerunt.

Helleſpontus.

De ipſo autem Helleſponto, Solinus cap. 17. ſic breuiter inquit: Quartus Europæ ſinus Helleſponto incipit, Mæotidis oſtio terminatur, Atque omnis hæc latitudo, quæ Europam Aſiamque diuidit, in ſeptem ſtadiorum anguſtias ſtringitur. Hic eſt Helleſpontus, hac Xerxes ponte nauibus facto permeauit.

Qualis fuerit Pons Xerxis ſuper Helleſponto.

Arrianus lib. 5. locutus de ponte quem Alexander fecit ſuper Indo flumine, huius quoque mentionem fecit, atque ait, ſe neque ex Ariſtobulo, neque ex Ptolomæo (quos ipſe maximos auctores habeat) cognoſcere potuiſſe, quonam modo Alexander Indum pontem iunxerit: neque ſe aut pro certo aſſeuerare, aut coniectura aſſequi potuiſſe, vtrum nauibus, vt Helleſpontus olim à Xerxe, & Boſphorus ac Danubius à Dario; ac ponte manu facto ſuperarit. Sibi tamen probabilius videri, Alexandrum iunctis nauibus, quam ponte exercitum traduxiſſe. Neque enim, inquit, pontem reciperet Indi altitudo, nec tam breui tempore tantum opus perfici potuiſſet. Naues autem funibus colligatæ, &

Mos Romanorum in traiiciendis fluminibus.

in muri modum conſtructæ, Xerxis exemplo ad iungendum amnem ſatis erant: quo Romanos fere, rerum dominos, Danubium ac Rhenum iungere ſolitos accepimus. Itẽ quo pacto Tigrim atq; Euphraten, quoties neceſſe fuit, iunxerunt,

haud

haud ſatis compertum habeo. At vt mihi quidem conſtat, pontem Romani ex nauibus moliebantur. Qua vero ratione (quoniam res mihi viſa eſt narratu digna,) hoc loco explicandum putaui. Naues dato ſigno demittebantur, eas, vt veriſimile, fluminis curſus deorſum rapiebat, ſed vehementi remorum pulſu euicto fluminis impetu, aduerſis proris ad deſignatum locum retrahebantur: deinde à prora ſingularum vimineæ crates in pyramidum modum extructæ, ac lapidibus repletæ, contra amnis violentiam in fundo deſtituebantur: quas modico interuallo ſeparatas, ſolidis tignis inuicem collocabant. tignis aſſeres per tranſuerſum diſpoſitos, clauis affigebant, ac per hunc modum poſitas ad alteram ripam perducebant: ſingulis ab vtroque capite ponticulis, quo commodius equi eurruſque ingrederentur atque exponerentur, excitatis. Hunc in iungendis traiiciendiſque fluminibus veterum Romanorum morem fuiſſe accepimus. Quonam autem modo Alexander Indum iunxerit, quemadmodum ſupra dixi, non auſim affirmare: quoniam qui eum eò fuêre in ea expeditione, hoc veluti non neceſſarium cognitu prætermiſerunt. Sed quantum ego exiſtimo, ad hunc fere modum iunctus eſt: quem ſi alia quapiam ratione iunctum fuiſſe quis oſtenderit, ea ratio præualeat. Ex his verbis Arriani facile cuiuis conſtare poterit, quem pontem Perſæ ſuper ſinu Helleſpontiaco ſtrauerint. Cum autem hunc perfeciſſent, vt ex Abydo ad vlteriorem continentem foret traiectus, qui tantum erat ſeptem ſtadiorum, ingens coorta tempeſtas ea omnia dirupit atque diſſoluit. Hoc audito Xerxes indignatus, pontum & flagris cædi, & mari compedes inijci iuſſit eum verbis minacibus & amarulentis, vt Herod. aſſerit, apud quem etiam ibidem videre eſt, quomodo architecti pontem effecerint. Dictum eſt etiam, Xerxem præcepiſſe, vt mons Atho, iuxta quem Dariana claſſis non multo ante naufragium fecerat, perfoderetur. Hic autem erat mons Macedoniæ *Mons Atho.* ingens, ac nobilis, ad mare pertingens. Ab hac parte hominibus cultus, ad continentem deſinens in ſpeciem Cherſoneſi, id eſt, peninſulæ cum Iſthmo, duodecim ſtadiorum. Hæc planicies, inquit Herodotus, atque tumuli, è mari Acanthiorum ad mare, quod eſt contra Toronem, non ſunt magni. In hac Iſthmo, vbi Athos finitur, ſita eſt vrbs Græca nomine Sana. Dicitur autem Xerxes & mari ſtigmata ac verbera ingeſſiſſe, & ad montem epiſtolam miſiſſe: Atho diuine, cælum tangens vertice, noli meis operibus lapides facere magnos & intractabiles, alioqui te exciſum in mare deturbabo. Non poſſum autem ſilentio præterire, quæ Petrus Gillius, cuius mentio facta eſt in Darij vita, cum ſermo eſſet de Darij ponte ac ſella, in literas retulit. Poſtquam enim oſtendiſſet, quomodo antiquitus pontem conſtituerent, hæc ibidem ſubnectit: His præſcitis, inquit, facilius intelligetur dubia & perplexa Herodoti deſcriptio, cum ait, Xerxem, vbi primus pons, qui nauibus iunctus fuerat in Helleſponto, diſſolutus fuit, indignatum, trecenta verbera mari inflixiſſe, duoq; vincula ferrearum pedicarum inieciſſe in mare, vt id tanquam ſeruum conſtringeret, & pro vno ponte, duos pontes ex trecentis circiter nauibus fieri iuſſiſſe, ancoriſque firmari, vt immotæ manerent, atq; à continenti ad contrariam continentē validiſſimos funes contendiſſe vnguibus ligneis, hoc eſt, quaſi ſucculis. Equidē ipſe primum pontem puto non ancoris, ſed lapidum aceruis, non catenis, ſed funib. ſtabilitum, tempeſtatibus diſſolutum fuiſſe. Itaque Xerxem duos pontes poſtea feciſſe trecentis circiter nauibus, totidemq; ancoris ferreis, duplicią; catena ferrea ſtabiliiſſe: hocq; Græcos poëtas Xerxis hoſtes, quibus Herod. interdum ſeduci ſolet, deſignaſſe, cum tragice exaggerantes traiectum Xerxis, dicunt Xerxem, diſſoluto primo ponte, trecēta verbera Helleſponto inflixiſſe, hoc eſt, proiectione trecentarum ancorarum Helleſpontum tanquam ictu percuſſiſſe, & duo vincula ferrearum pedicarum inieciſſe, id eſt, duplicem catenam, vt apud oppidum nuncupatum Zeugma, ex eo, quod nauibus ibi pons iunctus diuturnus permāſerit, duplici catena corroboratus ferrea, quam ab ætate Alexandri ad ſuam ætatem Plin. tradit extitiſſe apud Euphratē in vrbe appellata Zeugmate, qua Alexāder M. ibi pontem vinxerat, cuius annulos, qui refecti fuiſſent, ait rubigine inſe-

ſtatos fuiſſe,carentibus ea prioribus. Cum ex Media per Meſopotamiam iter faceremus ad Syriacam Beroã,quã nunc vocant Calep, in arce Byrana ſita in Meſopotamia iuxta Euphratem,inter Zeugma etiamnum appellatum, & Hierapolim,extabat ferrea catena,eam,antiquiſſimam eſſe dicebant, quæ cum tot ſeculis illæſa permanſiſſet, paulopoſt, quam hâc exercitus traiectus eſt, diſſoluta eſt. Alij dicebant,metu Perſarum,alij auaritia,ferrique attriti vetuſtate: quo attritiſſimo,opera quæ dicuntur Damaſcena,fieri ſolent, Turcorum ſatrapas adductos, catenam hanc diſſoluiſſe. Quæ, vtrum eſſet illa,quam Plin. commemorat, ſcire non potui, peruetuſtam certe coniectaui ex annulo vno, quem vidi Berœæ vetuſtiſſimum quidem,ſed pene totum rubigine carentem. Miror Pomp. Melam exaggerantem mirum atque ingens facinus, Xerxem ex Aſia in Græciam, peditem maria tranſgreſſum fuiſſe,Ciceronemq; in immenſum Xerxis traiectum extollentem,Xerxes,inquit,maria ambulauit,terramque nauigauit. Idem alio loco: Maria pedibus peragrauit, claſſibus montes. Cum mare Adriaticum tempeſtuoſum,intercedens inter Hydruntum & Apolloniam amplius ſexagenis millibus paſſuum latiorem Helleſponto pedeſtri continuare exercitu,pontibus iactis primum Pyrrhus Epiri rex cogitauerit. Poſt eum M. Varro cum claſſibus Pompeij piratico bello præeſſet, ſed vtrumque aliæ impediuêre curæ. Rex Turcorum quoties exercitum traijcit In Aſiam,paucis diebus poſſet Boſporum nauibus conſternere ponte ſuperimpoſito, totumque exercitum breui tempore traijcere,ſed vtriuſque Continentis dominus, multos dies conſumere poteſt in exercitu tranſportando, quem paucis nauibus triremium ſimilitudinem gerentibus,latis traijcit, ita accommodatis, vt plano pede in nauem,velut in pontem ex littore ingrediantur equi. Hæc Gillius:cuius ſane verba ob multiplicem rerum cognitionem hîc libenter adieci. Vt vero ad inſtitutum redeam, Xerxes, dum tantos apparatus faceret, miſit legatos in Græciam,petentes terram & aquam. Cum illuc aduenisſent, plurimæ ciuitates ac prouinciæ illis adhæſerunt,quarum quidem nomina recenſet Diod. lib.11. Plæraſque itidem inuenêre conſtantiſſimas, & pro patriæ ſalute,atque communi totius Græciæ libertate quiduis potius ſetre pararas,quam Perſarum Imperium velle agnoſcere. Ex his autem,præcipui fuerunt Athenienſes,ac Spartani,ad quos cum legati veniſſent,poſtulantes terram & aquam, vt dictum e: [illegible]ores, legatis vrbe interdixerunt,& eum,qui ſuaſerat, vt parêrent, vnà cum [illegible]e ac liberis,lapidibus obruerunt. Lacedæmonij vero, ijs in puteum coniectis,terram ingeſſerunt, & mandarunt,qui Xerxi nunciaret,ipſum habere apud eos iuxta condictum,& terram & aquam. Sic ergo euenit prætoribus miſſis à Xerxe, vti narrat Polybius lib.9.& Suidas pag.662. At Herod. lib.7. ſcribit, Xerxem, neque Athenas, neque Spartam legatos terram petitum miſiſſe: ob id, quod quos ante Darius ad hoc ipſum miſiſſet, eorum alios illi in barathrum, alios in puteum deiecerant, iubente eos illinc terram & aquam ferre ad regem. Hac de cauſa,inquit, Xerxes nullos illuc ad petendum miſit.Idem Suidas pag.212. aſſerit, hoc factum Lacedæmoniorum accidiſſe ſub Dario. Cæterum hac de re ſuum cuique liberum iudicium relinquatur. Xerxes, vbi iunctum Helleſpontum accepit, & montem Athon effoſſum,illico,iam appetente vere, cum inſtructiſſimo exercitu ex Sardibus,vbi hyemauerat,mouit Abydum verſus, anno ab orbe condito 3488.ſiue,vt alijs placet,3484.& 7.anno,ex quo regnare inceperat. Huic mouêti,ſol ſuam ſedem in cælo relinquens, apparere deſiit, cum nullæ nubes, verum ſereniſſimus aër eſſet,& pro die nox extitit.Id animaduertenti Xerxi, cura inceſſit percunctandi Magos, quid oſtentum id vellet portendere: Illi reſpondent, deum ſignificare Græcis ciuitatum defectionem, quod dicerent, Solem Græcorum,Lunam ipſorum eſſe præſidem. Ea re audita,Xerxem mirum in modum lætatum eſſe ſcribit Herodotus. Vbi Abydon ventum eſt,in editiore quodã tumulo conſedit,ex alto copias ſuas contemplaturus. Cumque videret Abydenos cãpos militibus,Helleſpontum nauibus repletũ, principio quidem beatum ſe pronunciauit:deinde cogitans,poſt annos centum ne vnum quidẽ è tanto numero futu-

Spartani, legatos Xerxis interficiunt.

ro futurum ſuperſtitem, humanam miſeratus ſortem, flebiliter illachrymaſſe dicitur. Poſtea Helleſpontum tranſijt, & in Doriſco Thraciæ littore ad oſtium Hebri, ac in patenti planicie numerũ vniuerſi exercitus recenſeri iubet, in quo Herod. lib. 7. dicit fuiſſe peditum decies ſepties centena millia: equitũ vero 80000. præter Arabes qui camelos, & Pœnos qui currus agitabant, quorum ſcribit fuiſſe viginti millia. Præter hunc Aſiaticum numerum, adijcit etiam auxiliares milites, qui ei aduenerunt ex Thracia, & alijs partibus Europæ, quos putat fuiſſe ad 300000. & hæc quidem abſque ſeruitijs, impedimentis, alijsque conſimilibus, quorum numerum tantundem fere conſtituit. Claſſem vero tradit fuiſſe mille ducentarum & octo nauiũ. Ex alijs autem varij generis nauigijs tria millia. Paulo poſt in eodem libro enumerat duntaxat ex Aſiaticis, naues mille ducentas & ſeptem. Claſſiariorum ac epibatarum numerum recenſet in vniuerſum 24. myriades. id eſt, ducenta & quadraginta millia. Diod. lib. 11. ait, pedeſtrem exercitum fuiſſe ſupra octingenta millia virorũ: naues longas ſimul omnes, plus mille ducentas, præter eas octingentas & quinquaginta ad equos portandos paratas: onerarias tria millia. Iuſtinus aſſerit, fuiſſe ad ſeptingenta millia de regno, & trecenta millia de auxilijs. Quod autem idem ex Trogo recenſet, illum ſcilicet habuiſſe naues decies cẽtum millia, mendacio quam veritati ſimilius videtur. Aemilius in vita Themiſtoclis, terreſtres copias dicit fuiſſe ſeptingentorum milliũ peditum: equitum quadringentorum milliũ. Claſſem vero mille & ducentarum nauium longarum, quam duo millia onerariarum ſequebantur. Aeſchylus vero (quoad maritimam claſſem attinet,) ſicuti etiam refert Plutar. in vita eiuſdem Themiſtoclis, in tragœdia cui Perſæ titulus eſt, quæq; etiamnum extat, ſic ſane de illa ſcriptum reliquit: *Xerxis exercitus.* *Eiuſdem claſſis.*

Naues fuiſſe mille Xerxi, cognitum eſt
Mihi: quæ celeritate ſed anteirent cæteras,
Numero fuiſſe bis centum, & centum ſcio.

Huic autem iure merito fides adhibenda eſt, quem conſtat ex Diod. & Pauſ. non modo naumachiæ interfuiſſe, at etiam præfuiſſe, vni ex triremibus, & primum ex omnibus conflixiſſe, Perſarumque primam nauem, qua totius inimicæ claſſis nauarchus deuehebatur, impetu facto, magna vi pugnando, diſcuſſiſſe, præfecto in ea interempto. Vniu[...] claſſi præfectus iuxta Herod. fuit Achimenes Xerxis frater: ſed Diod. eum no[...]hat Megabatem. Terreſtrium vero copiarum duces atque imperatores, hi præcipui nominantur ab Herod. videlicet, Mardonius, Tryntatæchmes Arbani filius, Smerdones Otanis filius, Xerxis patrueles, Maſiſtes Dario & Atoſſa genitus, Gerges Artagi, & Megabyzus Zopyri filius. Habuit etiam cum his delecta Perſarum decem millia, qui vocabantur immortales, hiſque præerat Hydarnes Hydarnis filius. Ex his ergo facile apparet, has copias tantas extitiſſe, vt minime alienum à veritate exiſtimari debeat, quod à veteribus proditum eſt, flumina, quæ perpetuis aquis fluere & inundare ſolita erant, multitudinem tantam illinc aquam petentem, alueo exhauſto deſtituiſſe: pelagique conſpectum conſertis nauium malis, in ſyluarum morem ſublatum. Inter alia vero, Lyſſum amnem, & Chidorum, & Lacum Pyſſirum, qui fuit triginta ferme ſtadiorum in circuitu, exſiccatos fuiſſe memorant. Nec ſane ante ipſum, vel poſt, vllum regem, tam potentem & numeroſum exercitum habuiſſe, in annalibus inuenitur, niſi Tamerlanem Scytham, oriundum ex oppido Marcanda Sogdianæ regionis. Hic enim dicitur in caſtris ad centum myriadas equitum & peditum habuiſſe, qui numerus conficit decies centena armatorum millia, ſingulisque gentibus ſuos fuiſſe duces. Xerxiani milites ex Abydo & traiectu Helleſponti, vnum menſem triuere, tranſeundo in Europam, & tres alios, dum in Atticam peruenirent, Calliade ſummum magiſtratum Athenis gerente, idque accidit Olymp. 75. Tranſiuit autem eius exercitus ſeptẽ per dies totidemque noctes, nullo tempore intermiſſo. Interim, dum tei naualis præfectus, ex Epidne Macedonica ſoluens cum vniuerſa claſſe, ad Magneſiæ nauigat extremam orã, quæ Sepiada appellatur, magna illic exorta ventorũ vis & procella, triremes *Multa Perſarum nauigia pereunt in tempeſtate.*

diſcuſſit ſupra 300. earum videlicet, quæ ad equos portandos erant extructæ, reliquarum quoque magnum admodum numerum, vt ait Diod. In hac tempeſtate, inquit Herod. qui pauciſſimas naues, ij non pauciores 400. perijſſe aiunt, viros quoque innumerabiles, ac vim pecuniarum immenſam. Hoc itaque fuit initium infortunij Perſarum ſub Xerxe, dum Græciam inuadit.

Græcorum apparatus contra Xerxem.

Cæterum, vt de ipſis Græcis, in quos tanti apparatus fiebant; aliquid etiam breuiter dicatur, hi ſane (de his autem loquor, qui patriæ libertatem turpi ſeruituti præpoſuerunt) in primis vero Athenienſes, Lacedæmonij, ac AEginetæ, qui totam huius grauiſſimi belli molem ſuſtinuerunt, audita fama tanti exercitus, cum adhuc hoſtis Sardibus hæreret, ſimulque imminenti periculo admoniri, omnes priuatas ſimultates obliuione deleuerunt, & συγκριτισμῷ facto, miſêre ſtatim legatos ad Gelonem Syracuſanum regem, ad Cretenſes, & Coreyteos, ab illis opem atque auxilium implorantes. Miſerunt etiam tres viros in Aſiam, qui hoſtium conſilia ſedulo explorarent, hique ſuum munus diligenter obeuntes, deprehenſi à Xerxianis, regio iuſſu in caſtra perducti ſunt, & ſatellitibus imperatum, vt eis totum exercitum oſtenderent, & deinde citra vllam noxam dimitterent, quo vel ſolo nomine tam ingentis apparatus, Græci perterrefierent. Ipſi autem interea, domi quæcunque tanto bello vſui & opportuna fore cognouerant, ſummo ſtudio & vigilantia procurarunt. Lacedæmoniorum dux erat tum Synetus, Athenienſiũ Themiſtocles. Claſſi autem vniuerſæ præfectus erat Eurybiades Lacedæmonius. Quoniam vero maximum momentum ad rem bene ac feliciter gerendã, in hoc præcipue ſitum eſſe ducebant, vt fauces cuſtodirentur, Athenienſes miſerunt Themiſtoclem cum nauibus, ad Artemiſium, littus Eubœæ ſuper Heſtiæam ad Boream ſpectans, cui è regione fere opponitur Olyzon in ea terra poſita, cui dominus fuit quondam Philoctetes.

Græcorum claſſis.

Græcorum claſſis in vniuerſum conſtabat, iuxta AEmiliũ, trecentis nauibus, ex quibus ducentę erant Athenienſium, hæque paulo ante conſtructæ fuerant Them. ſuaſore, propter AEgineticum bellum, quod illis impendere videbatur. Diod. autem ſcribit, eorũ claſſem fuiſſe ducentarum & octoginta triremium ad ſummum, quarum cẽtum & quadraginta ab Athen. inſtructæ fuerint. reliquæ vero, à reliqua Græcia collectæ.

Pugna Artemiſia.

Hic ergo vtrinque acri prœlio dimicatum eſt, & iuxta Herod. ac AEmilium, apud neutros victoria ſtetit, ſed pari Marte pugnatum eſt, noctisque interuentu à certamine diſceſſerunt. Plutarchus ex Pindari ſententia, refert, Athenienſes tunc ſplendida ſuæ libertatis fundamẽta poſuiſſe: audere enim, inquit, eſt reuera principium victoriæ. Dum hæc apud Artemiſium gererentur, Lacedæmones certiores facti, Xerxem, qui cum vniuerſis copijs è Thracia, & Macedonia venerat, per Theſſaliam vlterius progredi, ſtatim Thermopylas armatorum præſidiũ, quod ſatis foret ad anguſtias & aditus occupandos, Perſasq; ab ingreſſu Græcię arcendos, mittere decreuerunt.

Leonides Lacedæmoniorum dux.

Hanc autem prouinciam ſibi in primis aſſumpſit Leonidas Anaxandridæ F. qui parua manu Lacedæmoniorum accepta, (Diod. lib. 11. ſcribit, ex his fuiſſe circiter quatuor millia, ex alijs Græcis, qui ſe illi in itinere adiunxerunt, ad tria millia) & cum ea trecentos Spartiatas, ex præcipuis, & quibus filij erant, in Thermopylas profectus eſt. Thermopylarum ea pars, inquit Herod. lib. 7. quæ ad Occaſum ſpaciatur, mons eſt inuius, præruptus, atq; præceps: qua vero ad Orientem ſeſe flectit, quaque mare excipit, limoſa eſt, atq; lutulenta. In eius aditu calidæ ſunt balneæ, quas incolæ vocant χύτρους. quo loco Herculis ara conſecrata.

Thermopylæ.

Aditus ille Thermarum, muro munitus erat, in quo quondam portæ exædificatę. T. Liuius lib. 36. Thermopylarum iugo mediam Græciam, velut Apennino Italiam, dirimi ſcribit. Paulo poſt ſubiungit, hoc iugum ab Leucade, & mari ad Occidentem verſo, per AEtoliam ad alterum mare Orienti obiectũ tendens, tam dura aſpreta; rupesq; interiectas habere, vt non modo exercitus, ſed ne expediti quidem facile vllos ad tranſitum calles inueniant. In cuius valle, ad Maliacum ſinũ vergente, iter eſt non latius, quam ſexaginta paſſus. Hæc vna militaris via eſt, qua traduci exercitus, ſi nõ prohibeantur, poſſunt. Quamobrem ab alijs pilæ; quia vero calidæ aquę in ipſis faucibus, primoq; aditu ſunt, Thermopylæ

mopylæ totus locus cognominatus eſt. Dionyſij interpres Euſtathius, Sperchiũ fluuium iuxta Thermopylas in mare effundi, exonerarique tradit. Hic ergo acerrime vtrinque pugnatum eſt, & licet in agmine Perſarum præ ingenti multitudine ſubinde ſeſſis ac deficientibus noui recentesq; milites ſuccederent, vim tamẽ Græcorum ſuſtinere non poterant, nec ipſi quidem quos Perſæ immortales appellabant, magnaque illorum cædes edebatur, donec tandem inclinante die, à pugna ceſſatum eſt, paucis in Leonidæ exercitu deſideratis. Proximo die certamen inſtaurarunt: nec tamen Xerxes voti compos effici potuit, vt videlicet illos aditus & anguſtias locorum ſuperaret. Quin potius Perſæ, vt antea, victi fugatique, de victoria prorſus iam diffidere inceperant: tanta erat Græcorum virtus, & pugnandi alacritas. Dum Xerxes animo perculſus, totus hæret attonitus, quaque ſe vertat, prorſus neſcit, Ephialtes quidam Trachynius eius regionis incola, eum adiuit, & oſtendit tramitem antea per Oetem repertum, qui per montem ad Thermopylas ferebat, & quomodo Perſæ circumducti, hoſtem à tergo poſſent opprimere, demonſtrat. Hoc audito, rex admodum lætatus, amplis præmijs eum remunerat: tum repente viginti millia lectiſſimorum militũ, qui cum itineris ducem ſequantur, tradit, hiſque omnibus præerat Hydarnes. Hac re vulgata, quidam Tyriſtiadas, qui clam Græcorum partibus fauebat, ex vigilijs Perſarum noctu elabens, ad Leonidam ſe proripit, & quæ à Trachẏnio acta fuerant, ignorantibus aperit. Quo percepto, Græci, circa noctis medium concilio conuocato, de ingruenti periculo & rerum ſumma inter ſe conſultare cœperunt. Cum vero inuicem ſententijs diſcreparent, viſum eſt tandẽ Leonidæ, vt reliqui omnes diſcederẽt, ſeque ad meliora patriæ tempora maioresque fortunæ impetus cum alijs Græcis reſeruarent, atque ita illos abire iubet, ipſeque cum ſuis Spartiatis, qui duntaxat trecenti erant, vt dictum eſt & quingentis Theſpijs, iuxta Diod. ad oppetendam pro libertate Græciæ per clariſſimum facinus mortem ſe comparat. Initio huius belli ſciſcitantibus Delphis Oracula, reſponſum fuerat, aut regi Spartanorum, aut vrbi cadendum. Et idcirco ipſe in bellum profectus, ita ſuis firmauerat, vt ire ſe paratum ad moriendum animo ſcirent. Anguſtias propterea occuparat, vt cum paucis aut maiore gloria vinceret, aut minore damno Reipub. caderet. Proinde cum hoſtis iam ſummum cacumen teneret, Græci deſperata ſalute, gloriam vitæ præferentes, vna voce ducem precantur, vt in media hoſtium caſtra erumpere, animaſque dimicando fortiter effundere liceat, antea quam à Perſis circumuenirentur. Leonidas accenſos ſponte ad facinus iam conceptum, milites pro voto nactus, iubet, vti propere ita prandeant, tanquam ſint apud inferos cœnaturi. Poſt, confirmatis viribus, mox arma capiunt, & in caſtra hoſtilia irrumpunt, ſtarimq; regis prætoriũ petunt, aut cũ illo, aut ſi ipſi oppreſſi eſſent, in ipſius potiſſimũ ſede morituri. Tumultus totis caſtris oritur. Spartani, poſteaquam regẽ non inueniunt, per omnia caſtra victores vagãtur, cædunt ſternuntque omnia, vt qui ſciant ſe pugnare non ſpe victoriæ, ſed in mortis vltione, Prœlium à principio noctis in maiorem partem diei tractum. Ad poſtremum non victi, ſed vincendo fatigati, inter ingentes ſtratorum hoſtium cateruas occiderunt. Solus Ariſtodenus ex his omnibus euaſiſſe dicitur, qui poſtea in bello quod geſtum eſt contra Mardonium, præcipuam laudem adeptus fuit. Iuſtinus tradit, in Thermopylis triduo fuiſſe dimicatum cum maximo dolore & indignatione Perſarum, & quatta die tandem Spartiatas obijſſe, additq; , Xerxẽ duobus vulneribus in eo prœlio ſauciatum. Sed Diod. duntaxat biduum in acie conflictum, & tertio die Græcos deuictos. Xerxem vero ad tumultus illico principium inde proſilijſſe, ac ſe quam citiſſime ex periculo ſubduxiſſe. At Græcos in prætorium irrumpentes, deprehenſam illic obtruncaſſe turbam fere omnem, ac regem vbique ſedulo quærentes, quantum tute noctu & impune licuit, per omnia caſtra victores euagatos. Exorta luce, ac pateſacto rerum proſpectu, cum Perſæ Græcos cernerent admodum raros, contempta, vti erat præter ſpem, paucitate, conſiſtere cœpiſſe: nec contra tamẽ aduerſum hoſtem tendere auſos, virtute & audacia eorum deterritos: ſed lateribus circumglobatos, & vndique à

Prælium ad Thermopylas.

Leonidæ magnanimitas.

Eiuſdem mors.

tergo procul adortos, vniuerſos tandem iaculis & ſagittis confodiſſe. A nonnullis memoriæ proditum eſt, contigiſſe, vt per idem ferme tempus, hoc terreſtre prœlium in Thermopylis, & illud nauale ad Artemiſium in Theſſalia gererentur. Græci quidem ſeſe adhortabantur, ne Barbaros intrare Græciam ſinerent: hi vero, vt Græcorum copijs profligatis, tranſitu potirentur. Feruntetiam Thermopylis, è Xerxianis cæſos fuiſſe ad viginti millia, eorumque mille ferme relictis, cęteros depreſſa foſſa humatos, & ne à claſſiario exercitu cerni poſſent, terram folijs conſtratam atque obtectam. Horum itaque virtutem nemo ſatis vnquam poterit admirari, quibus vna mens extitit adeo ad mortem vſque obnixa, ne patria inſtituta deſererent, quibuſque ſua ſponte offerre animas intrepide pro communi Græciæ ſalute ſumma voluptas fuit, ac potius fortiter & honeſte interire, quam turpi ſeruitute ignauam vitam trahere. Plura de ipſorum laudibus Diod. proſequitur, qui etiam addit hæc de illis encomia quæ Simonides protulit, inquiens: Eorum, qui in Thermopylis cecidere, ſors glorioſa, mors præclara, ſepulchrum ara, monumenta maiorum, exitium commendatio. Sepulchri titulus talis, quem nulla vnquam delere poterit eluuies, neque vetuſtas rerum omnium conſumptrix, ex hominum bonorum abolere memoria, fanum nominis Gręci, famulorum receptaculum, cui Leonidas atteſtatur Spartiatarum rex, ingens virtutis documentum relinquens, æternumque decus. Leonidæ tumulo inſcriptum eſt:

Cum myriadibus aliquando hic trecentis pugnarunt
E Peloponneſo Chiliades quatuor.

Hæc, inquit Herodotus, vniuerſis ſuperſcripta ſunt, illa peculiariter Spartiatis:

O hoſpes, nuncia Lacedæmonijs: nos hic
Iacere, illorum verbis obtemperantes, Cicero 1. Tuſcul.
Dic hoſpes Spartæ, nos te hic vidiſſe iacentes,
Dum ſanctis patriæ legibus obſequimur.

Hoc quidem epigramma fuit in duorum fratrum tumulo, eſtq; Simonidis verſus: cuius meminit etiam Strabo lib. 9. Plut. in ſuis Parallelis, Leonidæ mentionem faciens. cum, inquit, Perſæ in Græciam adduxiſſent 1300. hominum exercitum, miſſus eſt Leonidas à Spartanis, cum 300. militibus. Is, ingruente prandentibus Barbarorum multitudine, ijs conſpectis, dixit ad ſuos: Sic prandete, vt cœnaturi apud inferos. factoq; in Barbaros impetu, multis confixus haſtis, in ipſum Xerxem contendit, eique diadema auellit. Mortui cor barbarus ſecans, hirſutum reperit. Ariſtides primo Perſicarum rerum. Aulus Gell. lib. 3. cap. 2. ex Catonis ſententia refert exemplum valde inſigne ac memorabile Q. Ceditij tribuni militum, qui ſe primo Punico bello, quod in Sicilia geſtum eſt, cum 400. Romanis pro patria deuouit: citatque hoc præclarū facinus Leonidæ, atque ait, huiuſmodi exemplum alteri neutiquam diſſimile iudicari debere. L. Florus lib. 2. nominat quendam Calfurnium Flammam tribunum militum, & ſecum 300. tantum habuiſſe narrat, eumque ſcribit tantæ expeditioni ſuperfuiſſe ac ſuperuixiſſe. Nec ſane Romanorum virtus hac in re, vt in cęteris, minus clara atque illuſtris habetur: quinimo vt imperij amplitudine ac felicitate Græcos ſuperarunt, ita quoq; militari gloria & animi fortitudine, haudquaquam inferiores extiterunt. Notus eſt enim Cocles, Scæuola, Torquatus, Attilius, & Sicinius Dentâtus. Noti ſunt Fabij, Decij, Marcelli, Scipiones. Sed interim habet Græcia, cur ſibi quam maxime gratuletur ob plurimos viros, vel potius Heroas, bellica diſciplina, ſapientia, fide in patriam, omnique virtutum genere præſtantiſſimos. Hanc etiam protuliſſe innumeros qui ſingulari eloquentia, ingenij acumine, iudicij rectitudine ac omnigena eruditione excelluerunt, illuſtria ipſorū monumenta, æternitati conſecrata, ſatis locuples & peramplū teſtimonium vniuerſo terrarū orbi exhibuere. Quoniam vero pleriq; illorum circa hæc tempora floruerūt, peractis quæ in pręſentia de hoc bello Perſico præ manibus habem⁹, de his quoq; ſeorſum breuē catalogum inſtituemus. Cęterū, priuſquā ad alia progrediar, hic ſubijciam hos elegantiſſimos verſus Ioh. Tzetzæ, in quibus breuiter narrat hoc factū Leonidę:

Megiſtias

Megiſtias genere quidem fuit Acarnanenſium,
Aderat autem vaticinans genti Laconum.
Et primum in nocte quidem quoſdam Lacones,
Viros armatos,pugnare probe valentes,
Armaturas illorum gypſo cum dealbaſſet,
Cum his in exercitum irruens Xerxe,
Timorem multum fecit,atq; ſtragem multam,
Perſæ enim hos arbitrati ſunt exercitum dæmonum.
Secundum vero,Leonide cum Laconibus mille
Oppoſituro aciem vniuerſis Barbaris,
Circa Artemiſium,vt arbitror,Eubœæ,
Prohibuit ipſos vaticinijs,ne morerentur omnes:
Dicens,quotquot venietis in pugnam in Artemiſio,
Omnes moriemini manibus Barbarorum.
Leonides igitur audito ſermone illo,
Alijs inquit,Abite,ne nobiſcum impetum facite,
Vt ſaltem vos reliquiæ ſitis Græciæ.
Ipſe vero ſolus commiſſo prælio cum trecentis,
Conculcatis ab exercitu tanto Barbarorum.
Et Megiſtias inclytus vna cum his interficitur,
Ipſe ſcientibus clare exitus mortem.
Abeuntibus enim ipſis ad ſignum pugnæ,
Cum percunctatus fuiſſet quidam,quo iter his?
Leonides quidem dixit:verbo quidem ad pugnam,
Re autem ipſa,ad moriendum pro tota Græcia.

Leonide itaque eum ſuis interfecto,Perſæ,Thermopylis expugnatis, in Græciam penetrarunt,quodquidem accidit tempore Solſtitij æſtiui, quo Olympias 75.menſe Maio,aut Iunio celebrabatur.Primo in Phocenſium regionem ingreſſi,quacunque tranſibant,omnia prædabundi deuaſtarunt,omnesq; vicos, oppida & vrbes,& quæ in illis delubra erant,prius direpta,incenderunt. Horũ autem incolæ nonnulli cacumina Parnaſij conſcenderant:alij in alia loca tutiora ſe recipiebant.Per idem tempus Xerxes miſit partem copiarum(Iuſtinus ſcribit, fuiſſe quatuor millia armatorum)Delphos,ad templum Apollinis, quodquidem longe opulentiſſimum norat eſſe,diripiendum:quę manus tota imbribus & fulminibus ferme deleta eſt,vt intelligeret: quanto grauior offenſa Deorum eſſet, tanto nullas eſſe hominum aduerſus Deos vires. Ipſe interim Dorienſiũ ingreſſus agros,abſtinete omnes ibi præda iubet, nilque iniuriæ paſſus eſt illis inferri, quod ſocio nomine partes eius adiuuarent.Idem quoque fieri iuſſerat, in omnibus his regionibus,quæ ignem & aquam Perſis præbuerant.Poſt hæc,Bœotiæ,vna cum templo prius ſpoliato,atq; arce, in qua perpauci propugnatores remanſerant,incendit,omniaq; loca miſere ac horribiliter depopulatur. Athenienſes vero,poſt pugnam ad Artemiſiũ geſtam,primo in Chalcidē, deinde Salaminam ſe omnes receperunt,idq; potiſſime factũ eſt ſuaſu Themiſtoclis. Cum enim de aduentu Xerxis fama in Græciam perferretur, & maxime Athenienſes peti dicerentur,propter pugnam Marathoniam,miſerunt Delphos conſultum, quidnam facerent de rebus ſuis.Deliberãtibus Pythia reſpondit, vt mœnibus ligneis ſe munirent.Id reſponſum quo valeret, cum intelligeret nemo, Themiſtocles perſuaſit conſilium eſſe Apollinis,vt in naues ſe, ſuaq; conferrent,eum enim ſignificari murum ligneum. Præter huius oraculi interpretationem, ſigna quoque diuinitus miſſa ſuis obiecit,vt tanto facilius in eam ſententiam eos perduceret.In oſtentũ rapuit draconem,qui illis diebus ferebatur ex templo abijſſe: ſacerdotesq; cum inuenirent liba,quæ ei quotidie apponebantur,intacta eſſe,in populũ ea de re rumorem ſparſerunt,ita interpretante Themiſtocle,Deam vrbe exceſſiſſe,viæque ad mare ducem ipſis factam. Huc ergo vbi iam omnes conueniſſent,tametſi poſtea variæ fuerunt ducum ſententiæ, dum alij Iſthmũ ante Pe-

Perſarum irruptio in Græciam.

loponneſum præponerent:contra vero, plurimi hortarentur,vt iterum domos ſuas quiſque repeteret,muriſque ſe defenderet. Themiſtocles,adhortante etiam Mneſiphilo viro Athenienſi,acerrimè reſtitit, & vniuerſos eſſe pares alebat, diſperſos teſtabatur perituros, idque Eurybiadi Spartano, Euryclidis filio,qui eo tempore ſummæ imperij præerat,fore adfirmabat,idque tandem perſuaſit. Nec vllum locum aptiorem futurum dicebat, in quo belli fortunam experirentur, quam Salaminẽ,vbi,propter illius freti anguſtias,liceret paucis cum multis confligere,ac ſibi eo certamine victoriam polliceri. Verum enimuero in patenti ac ſpatioſo pelago naualem pugnam committere, ſibi quam maxime omnino periculoſum fore.

Salamina deſcriptio.

Porro hæc inſula fuit olim clariſſima, & ſita eſt in Saronico ſinu inter Pſytaliam & Aeginam inſulas,hanc quidem ad Auſtrum, ad Boream illã. Ex aduerſo Peloponneſum,atque Iſthmum habet ab Occaſu.Atticam,cum ipſis Athenis,Pyræoque portu,ad Orientem. Pauſanias hanc in Megariden vſque extendit,cuius longitudo ſeptuaginta eſt ſtadiorum: tametſi alij octoginta poſuerint.Vt vero de hac inſula nunc dicere omittam, quot ea nominibus appellata ſit,quotque vrbes habuerit,illud memoria dignum,Salaminam multos illuſtres heroas aluiſſe,Aiacem,Telamonem,Teucrum: quorum laudibus referti ſunt poetarum libri.Quin etiam & Homerum Salaminium fuiſſe tradit Suidas.Oſtẽditur adhuc in Salamine,non longe à portu,lapis,in quo ſedens Telamon,nauẽ filiorum Teucri & Aiacis, in Auliden, ad communem Græcorum exercitum nauigantium,contemplatus eſt. Quid vero Salaminij de Aiacis morte,deque flore albo,ſubrubro,& inſcriptis in eo literis, dicant, Pauſanias in Atticis longe lateque proſequitur.Hic ergo Themiſtocles omnino conſiſtendum eſſe, & cum hoſte confligendum cenſebat. Cum autem multitudo prorſus ſibimet animis diffiſa,exercitus Barbarici fortitudine, neque animo conſiſtere, neque ducum admonita imperiaque audire ſuſtineret, ſed ſibi quiſque in ſumma rerum trepidatione conſulens,ex Salamine in Peloponneſum properaret traijcere,

Themiſtoclis ſolertia & virtus.

Themiſtocles,cui maxime dolebat,Græcos id agere, vt auxilio loci & anguſtiarum dimiſſo,à ſe inuicem diuulſi,in vrbes ſuas quilibet diſcederent, conſilium inijt,& noctu de ſeruis ſuis quem habuit fideliſſimum(Herod. & Plutarchus cum nominant Sicinum,& liberorum eius pædagogum, hunc Polyænus eodem nomine appellat,& ſcribit,cum fuiſſe eunuchum,& duorum filiorum Themiſtoclis pædagogum)ad regem miſit,vt ei nunciaret ſuis verbis, aduerſarios eius in fuga eſſe.Qui ſi deceſſiſſent,maiore eum labore & longinquiori tempore bellum confecturum,cum ſingulos conſectati cogerentur. Hoc eo valebat,vt etiam inuiti & nolentes ad pugnandum cogerentur.Hoc audito,Perſarum rex nihil doli ſubeſſe credens,poſtridie alieniſſimo ſibi loco, contra, opportuniſſimo hoſtibus, adeo anguſto mari conflixit, vt eius multitudo nauium explicari non potuerit.

Græcorum victoria.

Victus eſt ergo,magis aſtu & conſilio Themiſtoclis,quam armis Græciæ. Rex ipſe,dum conflictus habebatur,in loco quodam præeminenti è regione Salaminis,nomine Aegaleo,ſeſe collocat,velut in theatro,vnde belli congreſſus omnis ſpectari poterat,& quoties ſuorum quempiam aliquod egregium facinus edentem cernebat,de eo ſtatim percunctabatur,& ſcriba trierarchum illum à familia & vrbe ſcripto annotabat.Cum vero iam tandem ſuorum aciem inclinatam videret,& fortunam omnino ſtare à partibus Græcorum, ad terreſtres copias animum adiecit.Ex his enim tantæ adhuc ſupererant, vt etiam cum his opprimere poſſet hoſtem .Interim tamen ab eodem gradu depulſus eſt. Nam Themiſtocles veritus,ne bellare perſeueraret,cum denuo per eundem Sicinum,& quoſdam alios ſibi fideliſſimos,ſub prætextu gratificandi, certiorem fecit, id agi, vt Græci pontem quem ille in Helleſponto fecerat,diſijcerent,ipſeque hoc pacto reditu in Aſia excluderetur:idq; ei perſuaſit.

Mardonius relinquitur à Xerxe in Græcia qui bellum proſequatur,

Re itaq; cum ſuis deliberata, ſtatuit,ſe quamprimum in Aſiam recipere,dum tuto liceret,ne occupato atque obſeſſo vbique maris tractu à Græcis,ea occaſio prærſperetur. Quocirca relicto ibi Mardonio cum robore exercitus,qui erant hominum,iuxta Herod.Plutarch. & Iuſt.lib. II. trecentorũ millium,iuxta Probum Aemil.200.millia peditum, quos viritim le-

gerat

gerat,& 20.millia equitũ: ſed Diod. ſcribit,eum exercitũ non minus quadringẽtis millibus armatorum cõſtitiſſe.Qua igitur ſex menſibus itet fecerat, eadem citato itinere minus diebus triginta,inquit Iuſtinus, Herod.45.in Aſiam reuerſus eſt,ſeque à Themiſtocle non ſuperatum,ſed conſeruatum iudicauit. Sic vnius viri prudentia,vt Aemilij verbis vtar, Græcia libetata eſt, Europæque ſuccubuit Aſia. Nec ſane dubium eſt, quin hæc ab eo duo reperta militaris aſturiæ conſilia,maximum rebus Græciæ, reique tam ſelicitet geſtæ momentum attulerint. Hæc porro victoria qnæ incidit in annum mundi 3485. ante Chriſti natalem anno 477.huiuſmodi extitit,vt non immerito ab omnibus cum Matathonio poſſit comparari trophæo. Nam pari modo apud Salaminam paruo numeto nauium, maxima poſt hominum memoria claſſis eſt deuicta. Hoc autem bellum contigit iuxta Euſ.Olympiade 75. In eo, ſumma nauium Græcorum conſtitit trecentis octoginta nauibus,vt ait Herod.lib. 8. ſiquidem poſt pugnam ad Artemiſium,nonnullæ ex ſocijs ciuitatibus periclitanti Græciæ aliquod præſidium attulerunt. Xerxes itaque perculſus nuntio Themiſtoclis,tradidit ducibus milites perducendos,ipſeque cum paucis Abydon contendit. Vbi cum ſolutum pontem hybernis tempeſtatibus offendiſſet,naui Phœnicia traieciſſe dicitur.Iuſtinus ſcribit,illum piſcatoria ſcapha traieciſſe trepidum. Erat vero, inquit,res ſpectaculo digna, & ad ęſtimationem rerum humanæ ſortis varietate miranda, in exiguo latentem videre nauigio,quem paulo ante vix æquor omne capiebat: carentem etiam omni ſeruorum miniſterio, cuius exercitus propter multitudinem,terræ graues erant. Nec pedeſtribus copijs,quas ducibus aſſignauerat, felicius iter fuit.Si quidem quotidiano labori (neque enim, vt idem aſſerit,vlla eſt metuentibus quies) etiam fames acceſſerat: Multorum deinde dierum inopia contraxerat & peſtem, tantaque fœditas morientium fuit,vt viæ cadaueribus implerentur,alitesque & beſtię eſcæ illecebris ſolicitatæ exercitum ſequerentur. Huius extremæ famis,ac peſtis meminit etiam Herod.qui etiam addit, eos laboraſſe dyſenteria,& torminibus,quibus innumeri per viam interierint. Inter alios autem præcipui nominis, qui Xerxem in hac expeditione ſecuti ſunt,adfuit etiam Artemiſia regina Lygdamis filia iuxta Herod.(nam Suidas dicit, eam fuiſſe filiam Damidis) quæ defuncto viro,nulla neceſſitate adacta, ſed animi præſtantia & virilitate in eam militiam conceſſit.Hæc paternum genus ex Halicarnaſſo, maternum è Creta ducebat:imperabat vero Halicarnaſſeis,& Cois,& Niſyrijs,& Calydnijs,ac venit ad Xerxem cum quinque nauibus omni copia inſtructis: nec, Sidonijs exceptis,vllæ naues fuerunt illuſtriores. eadem apud regem optimas inter omnes ſocios ſententias dixit:illi nauale certamen prorſus diſſuaſerat: cum tamen prœlio decertandum fuit, ſe in eo quam præclariſſime ac ſtrenuiſſime geſſit,adeo vt de ea rex diceret, Viros mulieres eſſe factos, mulieres viros. Ipſi quidem Athenienſes ægerrime tulerant, mulierem aduerſus ſe militare, ideoque propoſitum fuit præmium decem millium drachmarum ei, qui viuam cepiſſet:At illa cum Græcos victores animaduerteret, ex acie incolumis aufugit. Vt vero id obiter dicatut, fuit etiam præter hanc, alia eiuſdem nominis regina, iunior tamen,& ipſa Caricæ nationis,filia Hecatomni, vxor & ſoror Mauſoli regis Cariæ:cuius obitum,auctore Theopompo,ita luxit,vt tabe correpta, ex mœrore decederet. Huius quidem Demoſt.in oratione de libertate Rhodiotũ meminit. Hic ergo fuit exitus naualis pugnæ ad Salaminem, ex qua ex hoſtili claſſe, iuxta Diod. naues ſupra 200. diſſipatæ atque deletæ, præter eas quæ cum militibus integro quæque nauigio captæ fuerunt. Ex Græca vero claſſe 40. naues deſideratæ ſunt. Quod autem ad numerum occiſorum pertinet, plurimi ſane Perſarum & ſociorum occubuere. Inter inſigniores fuit Ariabignes, Darij filius, Xerxis frater. E Græcis, pauci, inquit Herod. quippe qui gnari erant natandi, cum ſuæ naues corruptę eſſent, nec ipſi pugna perijſſent, ad Salaminem enatabant. cui rei quia hoſtium plęrique imperiti erant, in mari ſubmergebantur. In teſtimonium vero huius egregiæ ac memorabilis victoriæ, in Salamina inſula, parte vna Dianę templũ, altera Themiſtoclis trophęũ erectũ eſt: de quo li.3. Gręcorũ epigram-

Xerxis fuga, & clades.

Artemiſia regina interfuit bello Perſico.

Altera Artemiſia.

Ariſtidis virtus.

matum lepidiſſima epitaphia conſcripta leguntur,& Salamines laudes, & Themiſtoclis encomia continentia. Nec ſane Ariſtides hîc ſua laude defraudandus eſt,cuius quidem virtus in hoc prœlio, ſicut in alijs quoque rebus, clariſſima emicuit. De cuius quidem egregijs facinoribus,& quid potiſſime in hoc bello præſtiterit,quidque pro huius victoriæ adiumento in Pſytalia inſula,quæ ante Salaminam in traiectu ſita erat,effecerit,Plutarch.in eius vita preſſe admodum ac eleganter commemorat. Supra demonſtratum eſt,Xerxem, antequam è Græcia recederet,Mardonio partem copiarum reliquiſſe,vt bellum proſequeretur. Hic ergo,appetente hyeme, caſtra per Theſſaliam & Macedoniam in hybernis collocauit. Interea temporis,Alexandrum Aminthæ f.regem Macedoniæ ad Athenienſes de pace mittit,multa & magna ipſius regis nomine pollicitus,ſi deditionem facerent. Hanc vero illi ſimpliciter recuſant. Iiſdem diebus, Lacedæmonij quoque maxime veriti,ne Athenienſes cum hoſte paciſcerentur, ad eoſdem, legatos miſere,qui multis rationibus eos adhortarentur, vt pro patriæ ſalute priſtinam cum ipſis,atque alijs confœderatis, amicitiam & ſocietatem retinerent. Alexandro ab Athenienſi ſenatu reſponſum eſt, (Plutarch.dicit, Ariſtidem omnium nomine reſpondiſſe)nullum tam felicem Perſis eſſe agrum,neque ſupra terram,vel infra,tantum eſſe auri, quod ad libertatem Græciæ perdendam permouere poſſit Athenienſes,eique Sole oſtenſo,donec, inquit,ſuum hic conſuetum curſum tenebit,Athenienſes agrorum vaſtatorum, & violatorum crematorumq; templorum vindictam bello à Perſis exigent. Addit etiam Herod. ipſos adiecisſe hæc verba,Dum vel vnus Athenienſium ſupererit,nunquam ſe conuẽturos cum Xerxe. Ipſos autem Spartanos bono iuſſerunt eſſe animo,ac per eoſdem oratores cohortati ſunt,vt in eadem quoque defenſione,animique conſtãtia perſiſterent,ſociáſque vires coniungerent. Mardonius legatione audita,vehementer contra eos indignatus eſt: ac ſtatuit primo quoque tempore vniuerſas copias per Bœotiam in Atticum agrum inducere. Interim aliarum quoque ciuitatum animos cum minis,tum amplis pollicitationibus ſollicitabat,quæq; tanto bello ſibi vſui fore intellexerat,ſummo ſtudio & vigilantia procurauit. Quapropter ineunte iam vere,ac ex varijs gentibus adaucto exercitu, in Atticam regionem peruenit. In tanto rerum diſcrimine Athenienſes nuntios miſerunt Lacedæmonem,vt eis maturo præſidio adeſſent. Cum autem id aſtu quodam varijſque prætextibus differretur,ipſi tandem,re deſperata, denuo correptis liberis, & coniugibus,cæteriſque rebus,quæ celeriter efferri poterant, in naues, relicta patria,comportant omnia,rurſuſque in Salamina confugiunt. Dum hæc ab eis geruntur,hoſtis cum exercitu in vlteriora Græciæ progreſſus, tandem Athenas venit,eamque vrbem cœpit deſertam,decimo menſe, inquit Herod. quam fuerat iterum à rege capta. Eo poſtquam venit, miſit ad Salaminem Muriehidem quendam Helleſpontium cum eiſdem mandatis,quę Alexander Macedo pertulerat. Ibi autem,cum quidam è Senatoribus Lycidas nomine, de eius poſtulatis ad populum ferendum eſſe ſuaderet,illum cæteri Athenienſes confeſtim lapidibus obruerunt,& mulieres Atticæ ſimili genere ſupplicij,Lycidæ vxorem & liberos ſuſtulerunt. Eandem hiſtoriam recitat Demoſth. in oratione περὶ ςεφάνου.ſed Cyrſilnm nominat, cui Lycidę nomen Herod. tribuit. Ob id tamen Perſarum dux neutiquam ſpem abijciebat,fore, vt Athenienſes tandem extrema neceſſitate adacti,ſecum paciſcerentur. Cum autem Lacedæmonij,duce Pauſania, qui tum Leonidæ pueri tutor erat,& penes quem fuit ſumma imperij, quinque millia delectorum Spartanorum, quorum quiuis ſeptem ſecum helotas trahebat, auxilium Athenienſibus miſiſſent, atque aliunde ex ſocijs ciuitatibus plures copiæ ad eos accederent,videretque illos in priori ſententia pertinaciſſimis animis hærere,ſubduxit exercitum,direpta,& vaſtata prius regione vniuerſa, & mox ad vrbem conuerſo impetu,monumentis,ædibus, templis, omnique alia re,quæ primo excidio ſuperfuerat,diruta, & euerſa,deinde in Bœotiã ſuas copias tranſtulit,& ad Aſopũ caſtra locauit. Athenienſes interim,quibus eo tempore imperabat Ariſtides vir optimus,& ſingulari prudẽtia virtuteq; ornatiſſim', è Salamine

Athenienſium magnanimitas.

Athenarum vrbs capitur à Perſis, atq; diruitur.

Exemplum ſingularis conſtantiæ in defendenda patria.

Lacedæmonij mittunt ſubſidium Athenienſibus.

in Eleu-

in Eleuſinem peruenerunt, ſeque ibi Pauſaniæ, qui,vt dictum eſt, vniuerſarum Græciç copiarum dux erat,coniunxerunt,& ſtatim,vt ait Herod.in Aerithræum campum Bœotiæ peruentum eſt, eodemque reliquorum Græcorum confluebat multitudo.Erat Perſarum exercitus ad Aſopum fluuium in longitudinē extenſus:impedimenta,&res quaſque optimas muro quadrato munierant, cuius vnumquodque latus in longum decem ſtadia habebat.Ariſtides vero iuxta oraculum ſibi datum,prope Nyſiam,ſub Cythæronem caſtra poſuerat, qui locus erat ad pedeſtrem aciem inſtruendam aptiſſimus.& equitatui,quo præualebat hoſtis,iniquus,contra quem campi extrema, & ad fanum Cereri Eleuſiniæ & Proſerpinæ ſacrum accedentia radicibus montis Cythæronis muniebantur.

Platææ deſcriptio.

Hunc autem ſitum ita breuiter depingit Strabo lib. 11. Platçæ, inquit,ſub Cythærone, inter ipſum,& Thebas ſitæ ſunt iuxta viam,quæ Athenas.& Megaram ducit,in ipſis Athenienſium Megarenſiumq; finibus. Quin etiam Aſopus fluuius,de quo facta eſt mentio,grandis inter Platæam, Tanagram, & Thebas fluit, quem Herod. Thebanorum Platæenſiumque terminum fuiſſe tradit. Platæenſium reges fuerunt,Cythæron,& Aſopus,quorum ille monti,hic fluuio nomen dediſſe creditur.Itaque non ab amne,ſed Aſopi regis filia Platça,inditum vbi nomen,vt author eſt Pauſ.qui etiam aſſerit, Platçenſes ante pugnā Athenienſiū Marathoniā nulla gloria floruiſſe. Poſtea vero,factos participes pugnæ Marathoniæ,deſcendente iam Xerxe,& in naues recipere ſe vna cum Athenienſibus auſos eſſe.Deinde Mardonium Gobryæ F.Xerxis ducem, aliorum Græcorum auxilio, in patria terra oppreſſiſſe. Plutarch. ex Arimneſti ſententia refert,Platæenſes ſtatuiſſe,vt limitibus qui Plataicum ab Attico dirimebant agrū, ſublatis, ſuam regionem Atheniēſibus tribuerent:vt hi,quod oraculo iubebatur,pro ſalute Græciæ in propria terra poſſent dimicare. Tantam vero Platçenſium liberalitatis famam extitiſſe,vt Alexander quoque multis poſt annis iam Aſiç regno potitus,cum Platæas inſtauraſſet,Olympico conuentu per præconem edixit, vrbem ſe Platçenſibus propter eorum virtutem,& magnanimitatem reddere : quod ij bello Medico Græcis agrum ſuū tradidiſſent, ijſq; operam ſuam ſumma alacritate nauaſſent.

Hoc rerum ſtatu cum ad prœlium ventum eſſet, acieſque inſtrui deberet, Tegeatis de loco in acie cum Athenienſibus contendentibus, ac(quod ſemper conſueuiſſent,ſi Lacedæmonij dextrum cornu tenerent) ſibi lçuum vendicantibus, cum id Athenienſes indigne ferrent,Ariſtides progreſſus: Præſentis quidem,inquit,temporis ratio nō fert,vt de nobilitate & virtute cum Tegeatis diſputemus. Quocunque loco collocati erimus,conabimur prœliari, vt bonos ac fortes viros decet.

Prælium inter Græcos ac Perſas.

Poſt hæc,Mardonius,equitatu,quo maxime pollebat, omni immiſſo, Græcorum vires periclitari ſtatuit. At illi,locis munitis & ſaxoſis in pede Cythçronis procurrente conſederant. Soli Megarenſes,tria hominum millia, planioribus locis caſtra habebant. Hos igitur quibus aduerſus equitum prçfectum, roburq; Perſici equitatus certamen obuenerat,vrgebat admodū pugnç moles,nec tamen adeo obnixos agebant in peticula & laborem animos, vt quiſquam loco cederet. Cçterū,in re ardua & ancipiti nuntios ad duces Grçcorum mittunt, vt quā celerrime aciei iam nutāti ſuccurrant. Quo audito, Ariſtides delectos quoſq; Athenienſium,qui circa eum ſtipati pugnabant, (Herod. & Plut. ſcribunt,cunctantibus,aut recuſantibus cçteris, eum, Athenienſium nomine negotio in ſe recepto,Olympiodorum,Lamponis F. tribunorum ſuorum maxime impigrū, miſiſſe cum 300.delectis militibus,quibus admixti erant ſagittarij) illico Megarenſibus occurrere,auxiliumq; ferre iubet. Hi,collectis armis,citato curſu in hoſtem feruntur:trepidantemq; Megarenſiū aciem periculo incumbenti liberant, ibique cçſo equitum Perſarum duce Maſiſtio, viro & robore mirabili, & mole pulchritudineque corporis eximia,magnaque eorum deleta multitudine, reliquos in fugam vertunt.

Maſiſtij cædes.

Ita Grçcis hoc primum pugnæ certamen felix, veluti per omen quoddam, fiduciam ſimul atque initium reliquç victoriæ obtinendç attulir. Eius victoriç magnitudo non multitudine cçſorum, (fuit enim non magnus numerus) ſed luctu Barbaroū̄ à Græcis æſtimata eſt:nā & ſe,& equos &

mulos Maſiſtij cauſa totonderunt,eiulatuque & fletu campum impleruntːquod eum virum,vnico excepto Mardonio,virtute potentiaque facile principem amiſiſſent. Græci interim,relicta planitie,ſumptisq; armis, illinc abierunt per radices Citheronis ſecundum Hyſias in agrum Platæenſem,rati,hunc ſibi fore aptiorem habendis caſtris,quam Erythræum,cum propter alia, tum propter aquandi commoditatem iuxta fontem Gargaphium.ibi ergo,vtpote in loco munitiori,ſituque ad victoriam magis idoneo,caſtra poſuerunt. Hic,vt ait Herod. per decem vſque dies nihil ferme ab vtriſque actum eſt. Sed tantum oracula & vates conſulebantur. Proximo die Mardonius,cum longioris moræ impatiens, tum quia commeatus deficere inceperat,ſtatuit prœlium committere, ac ducibus præcepit,vt ſequenti die aciem inſtruerent. Hoc autem vbi diuulgatum eſt, Alexander Macedonum rex noctu clam ad Græcorum caſtra acceſſit:cumque ad excubias perueniſſet,Ariſtidem ad ſe venire iuſſit, eique omnia Mardonij conſilia expoſuit,moxque ad ſuam ſtationem rediјt. Is vero prima luce equitatum, vti decreuerat,in Græcos miſit,qui eos haud mediocri moleſtia & incommodo affecit. Cum autem ab huiuſmodi equitatu fons ille,cuius modo facta eſt mentio, corruptus atque obrutus eſſet,Græci ſtatuerunt noctu caſtra mutare, ac progreſſi ſunt circiter decem ſtadia ad amnem Meloentem,in locum qui dicitur Argiopius,vbi ſitum erat templum Cereris Eleuſinæ,atque illic ſubſtiterunt. Mardonius,cognito hoſtium nocturno abitu,inſpectoq; loco deſerto,exiſtimauit, eos præ formidine id feciſſe,iamq; certam victoriam ſibi pollicens, totamque Græciam animo inuadens, iubet ſuis,vt quamprimum inſequantur hoſtile agmen, tanquam fugam capeſſeret. Vt caſtris caſtra appropinquarunt, ibi ſtatim Perſæ, clamore ſublato,in Græcos irruerunt,& primum quidem in Lacedęmonios qui dextrum cornu tenebant,cum quibus erant etiam Tegeates numero ad tria millia,moxque ij Græci,qui partes regias ſequebantur,ex aduerſo Athenienſes inuadunt. Vbique igitur fit atrox prœlium. Mardonium ſequebatur delectiſſima iuuentus,ipſeque agmine ſtipato Lacedæmonios,vt contra inſtructi ſteterant,adoritur,ibique ſtrenue pugnando,magnam Græcorum ſtragem edidit. Reſiſtentibus,paſſim cadebant Barbari: donec Mardonius cum fortiſſima ſecum manu in bello conſtitit, intrepidis animis belli molem ſuſtinuere. Cæterum,ſimulac cecidiſſe ipſorum ducem fortiter pugnantem,diuulgatum eſt,electosque ſecum omnes partim cæſos,alios vulneribus confectos,fractis animis in fugam vertuntur. Quos cum Græci palantes inſectarentur,pars intra vallum compulſi,ex reliqua multitudine Græci qui cum Mardonio militauerant,intra Thebarum mœnia ſe recepere:reliquos ad quadraginta millia cogens Artabazus Pharnacis F. vir apud Xerxem inter paucos Perſarum virtutis expertæ, ac ſingulari audacia, in alteram partem furtim ſubfugiendo duxit,& confeſtim inde abiens, breuibus ac citatis itineribus in Phocidas proficiſcitur, moxque in Theſſaliam & Macedoniam ingreſſus,Byzantium peruenit, ibique conſcenſis nauigijs, eos tandem, perpaucis deſideratis, ſaluos atque incolumes in Aſiam perduxit. Ex alijs vero,qui ſe vel ad Thebana mœnia,vel in caſtra,& ad murum ligneum,quem fecerant in parte quadam agri Thebani,receperant, perpauci ſuperſtites remanſere. Hos enim,inquit Herodotus, tanto ſtudio Græci trucidabant, vt ex trecentis millibus,cum quibus Artabazus aufugit, ne tria quidem millia hominum cædi ſuperfuerint. Ex Græcis autem,qui fuerunt ſupra centum millia,idem author teſtis eſt,ad decem millia deſideratos Plutarch. vero hunc numerum longe minorem efficit,aitque,mille trecentos & ſexaginta cecidiſſe,ac ex his 52. fuiſſe Athenienſes,omnes de Acantidæ tribu, cuius præ cæteris omnibus præclaram fuiſſe pugnam,ex Cleodemi ſententia teſtatur. Ex Lacedęmonijs occubuiſſe 91. Tegeatis 16. At Herod. è Lacedęmonijs qui Spartani eſſent, 31. deſideratos tradit. Tegeatarum,quorum dux fuerat Arimneſtus, qui etiam dux eorumdem fuit in Marathone,52. Prædam,quæ in Perſarum caſtris ducumque tentorijs, omnino ditiſſima,& regalis opulentiæ inuenta eſt, Gręci inter ſe diſtribuerunt. Huius meminit Herod. qui ętiam aſſerit,Xerxem, dum è Græcia fugit,omnem ſuũ apparatum

Platæenſis pugna.

Perſarum clades cum ead. Mardonij.

paratum ex auro argentoque, & peripetaſmatis, Mardonio reliquiſſe. Itaque incredibile dictu eſt, quantæ opes ibi repertæ ſint, quæ deinde latius per Græciam emanarunt, indeque pecuniæ atque auaritiæ ſtudiũ effluxit. Quod vero ad Mardonij cædem attinet, ab Herod. ac etiam Plutarch. memoriæ proditum eſt, ipſum à quodam milite Spartano, cui nomen fuit Arimneſtus, interemptum. In Plutarch. additur etiam genus mortis, videlicet, coniecto lapide in caput eius, ſicut ei ab oraculo Amphiarai prædictum fuerat. Hic ergo fuit exitus eius viri, qui pręcipuę hortator fuerat ſuſcipiendi huius belli. Ipſius autem cadauere à pugna reperto, etſi Lampon Pythei F. vnus ex præcipuis Aeginetarum, apud Pauſaniam valde inſtabat, vt in illud ſæuiretur, quemadmodum à Perſis in Leonidem mortuum ſæuitum fuerat, cuius caput reciſum ab humeris, in opprobrium & cõtemptum cruci affixerant, is tamẽ ad huiuſmodi indignitatem nullis rationibus perſuaderi potuit, quin etiam contra eum acriter ſuccẽſuit, ac prohibuit, ne quiſpiã vlla contumelia illud afficeret, edens hãc honeſtiſſimam vocem: ἀποχρᾷ μοὶ Σπαρτιήτῃσι ἀρεσκόμενον, ὅσια μὲν ποιέειν, ὅσια δὲ καὶ λέγειν. In hoc itaque, ſicut in plęriſque alijs rebus, Pauſaniæ virtus atque animi celſitudo clariſſime reſplenduit. Poſtero die Mardonij cadauer non fuit inuentũ, incertũ, inquit Herod. à quibus hominibus ſubtractũ, aitq; ſe audiuiſſe, diuerſos illud ſepeliſſe, atque ob id ſe ſcire, permultos ingẽtia dona ab Artonte Mardonij filio accepiſſe. Quis autem huiuſmodi curam ſuſceperit, ſibi exploratum non fuiſſe: multos tamen credere, præcipuum huius rei authorem fuiſſe Dionyſ. Ophanem Epheſium. His conſimilia videre eſt apud Pauſ. lib. 9. qui etiam in Platæenſi agro illi erectum fuiſſe monumentum à nonnullis perhiberi aſſeruit. Hæc modo de pugna Platæenſi, quæ omnium ſane, quoad terreſtre bellum attinet, quam maxime inſignis ac memorabilis fuit. Hãc primus omnium Herod. lib. 9. incredibili diligentia & facundia deſcripſit. Principio vtriuſque populi apparatum bellicum, numerum equitum peditumque, Græcorum nomina, Barbarorum duces, elegantiſſime digerit. Quæ in ipſo congreſſu, quæ inter pugnandum, quæ poſtea acciderint, eorum nihil prætermittit. Omnia præterea tam exquiſito ordine, tanta verborum proprietate atque impetu ob oculos ponit, vt te præſentem ipſas concurrentes acies, pugnæq; feruorem & iram ſpectare crederes. Pugna decertata, eorum nomina, quorum virtus maxime inter cæteros enituerat, magna grauitate percenſet. Cæterum, quã magnifice Macedones, quam religioſe ſinguli ſuos ciues ſepelierint, multis verbis egregius hiſtoricus proſequitur. Huius etiam, vti ſuperiorum, meminit Diod lib. 11. & Plutarch. cum in alijs locis, tum præcipue in Ariſtide. Horum autem ſepulchra, qui hoc in prœlio contra Perſas ſtrenue pugnando ceciderunt, ſtatim Plaræam ingredientibus occurrebant. Cæteris quidem Græcis vt commune monumentum extructum erat: Sed Athenienſes & Lacedæmonij priuatim ſua ſepulchra cum Simonidis Poetæ inſcriptionibus conſtituerant. Non longe vero à communi Græcorum buſto fuit ara Iouis liberatoris, & ſimulachrũ ex albo lapide conſtructum. Græcorum ſtatuæ fuerant æneæ. Hic autem ſolebant, vt tradit Pauſ. in Bœoticis, quinto quoque anno celebrare certamen, quod à libertate Eleutheria nominabatur. In quo curſoribus inſignia quędam præmia proponebantur. Currebant vero ante aram omnes armati. In huius autẽ victoriæ perpetuũ teſtimonium Græci 15. ab Platæa ſtadijs trophæũ erexerant. A Iouis ara progredientibus, tum ipſo Eleutherij Iouis ſimulachro, Platæę Sacellum conſpiciebatur. In ipſa vrbe templum fuit Iunonis, tum magnitudine, tum ſimulachrorum ornatu mirifice cõſpicuum. De his rebus meminit etiam Strabo lib. 11. & Plut. in Ariſtide. Hoc prœlium incidit in annum 2. Olymp. 75. Xantippo Athenis Archonte, & ſecundum Athenienſes 14. Boedimionis, ſecũdum Bœotios autem 26. Panemi menſis factum eſt, vt idem Plut. aſſerit, videlicet 3. die menſis Auguſti. Ab Herod. Diod. & Iuſtino, in literas relatum eſt, eodem eiuſdem menſis die in Ionia ad Mycalen minoris Aſiæ promontorium, Græcos aduerſus Perſas dimicaſſe, quo pugnatum eſt apud Perſas. Poſterior quidem tradit, famam huius victoriæ ad Platæas, eodem die ex Græcia in Aſiam tranſuolaſſe. At loco-

Mardonius à quonam fuerit interfectus.

Exemplum ſingularis moderationis in victoria.

rum illorum interualla, certo argumento ſunt, nuncium eius tam breui tempore minime perferri potuiſſe. Leotychidem vero Spartarum ducem, eam vocē in caſtris hoſtium diuulgari iuſſiſſe, quo Græci, qui cum Perſis militabant, tanto alacrius ab eis deficerent, Perſasq; pauor & ſuſpicio prorſus corriperet, ne Græcis deinceps amplius fiderent. & ſane fortuna Leotychidæ ſtratagema quod excogitarat, verum reddidit, prœlij ad Platæas commiſſi victoriam Græcis præbens. Illud etiam contigit, vt ad vtramque pugnam eſſent Cereris Eleuſinæ templa. & Platæenſis quidem diluculo diei geſta eſt, apud Mycalen veſperi. Vt vero de hac etiam aliquid breuiter dicatur, poſt prœlium ad Salamina certatum, Græci primo vere claſſem apud Aeginam collegere. Huius nauarchi fuere Leotychidas Lacedæmonius, & Xantippus pater Periclis Athenienſis. Nam Themiſtocles, quod à Spartanis dona accepiſſe ferebatur, ducatu priuatus eſt. Ibi ergo, vbi aliquot dies commorati eſſent, in Delum nauigant cum 250. triremibus. Inde à Samijs vocati, in minorem Aſiam contendunt, atque hoſtem adoriri ſtatuūt. Perſæ autem, cum ſe in nauali prœlio minime hoſti pares fore animaduerterent, in continentem nauigarunt, vt eſſent ſub ſuo peditatu qui apud Mycalen agebat, præcepto Xerxis ab alijs copijs relictus, ad Ioniam tutandam, numero 60 millia, duce Tigrane Huc itaque prætervecti, è veſtigio ſubductis nauibus, munimenta valli in illarum ſuumque præſidium circumdedere. Leotychidas interim, & collega, exploratis locis, totoque agmine in vnum coacto, copias exponunt. Instructa tum vtrinque acie, atque in certamen expedita, fit repente atrox & cruentum prœlium, primoque res diu periculo ancipiti geſta, varioque Marte pugnatum eſt, adeo vt plurimi vtrinque ceciderint. Poſt, vbi Samia, Mileſiaq; manus in aciē Græcam accepta, conſerere arma cœpit, auctis Græcorum viribus, Perſæ fracto animo in fugam vertuntur magna inde ſtrages editur. Diod. auctor eſt, Perſarum fuiſſe ad centum millia, ex quibus ait. ad quadraginta millia in eo conflictu occubuiſſe. Qui autem ſuperfuere, partim ad exercitum, partim Sardes conceſſere: Xerxes, qui à nauali prœlio infeliciter geſto, Sardes profugerat, accepta in Platæas clade, tum cæde, fugaque ſuorum ad Mycalen cognita, partem copiarum in Sardibus reliquit, qui Græcis irruentibus occurrerent, ipſe tumultuanti perculſoque animo cum reliquo exercitu, ſe in Perſiam recepit. Græci poſt adeptam victoriam Samum adnauigant, & Iones Aeolesq; in ſocietatem recipiunt. His peractis, Græcorum copiæ diſcinduntur, Lacedæmonijs in Laconiam nauigātibus: Athenienſes, Xantippo duce, vna cum Ionibus & inſulanis in Helleſpontum traijciunt, & Seſtum expugnant, ibi præſidio impoſito, ſocijsque dimiſſis, peracta hyeme, læti atque ouantes in patriam reuertuntur. Perſæ itaque intra biennium quinque prœlijs deuicti ſunt, totaque Græcia expulſi. Primum, vt dictum eſt, terreſtri exercitu ad Thermopylas. Alterum ad Artemiſium. Tertium ad Salaminem. Quartum ad Platęas. Quintum ad Mycalen. Prior pugna facta eſt, vti diximus, circa Solſtitium, cum inſtarent Olympia, menſe Iunio, & ijſdem fere diebus ad Artemiſium certatū eſt. Ad Salaminem vicit Græca claſſis die 16. Martij. Poſtea trucidatus eſt Mardonij exercitus die 3. ſiue, vt alij volunt, quarta Auguſti: & paulo poſt Perſæ iterum deuicti ſunt ad Mycalen. Tam terreſtres, quam nauales pugnæ fuerunt omnino inſignes ac memorabiles, & pugnam ad Thermopylas omnes ætates admiratæ ſunt, duæque tantum conſimiles in Annalibus extant. Quarum alteram Gellius lib. 3. cap. 7. recitat, vt antea mentionem feci. In altera, ter mille Heluetij, prope Baſileam circiter viginti millia virorum in Gallico exercitu interfecerunt, in quo prœlio & ipſi etiam occubuere. Etſi autem, non ſine magnis cladibus tanta multitudo vinci potuit, tamen exemplum inſigne eſt humanæ infirmitatis, quod tātus exercitus tam breui tempore pulſus & trucidatus fuerit. Ipſe vero Xerxes, vt ſupra commemorauimus, paruo nauigio aufugit poſt pugnam ad Salaminam. Vult enim Deus, non ſuſcipi bella nō neceſſaria cupiditate gloriæ, ac fiducia humanę potentiæ. Et ſane præclara, & memorabilis eſt ea vox cuiuſdam Perſæ cœnantis cum Mardonio ante pugnam Platęenſem apud Attaginum ciuē Thebanū. Therſandro enim Orchomenio qui iuxta eū aſſidebat,

Alia Perſarum clades, in minore Aſia per Græcos inflicta.

Perſæ tota Græcia expulſi.

debat, edulijs finitis, & poculis, moxque vbi ſermonibus tempus fuit, Cernis, inquit, hos Perſas in conuiuium acceptos, & copias quæ ad flumen in caſtris relictæ ſunt? Horum omnium paruo poſt tempore paucullos cernes ſuperſtites. & inter dicendū multas lachrymas effudit. Cum vero is, hoc audito, admiraretur, ac diceret: Nonne hæc Mardonio expedit dicere, & ijs Perſis, qui ſecundū eum in honore ſunt? Illum ſubiecisse narrat Herodotus: Quod decretum eſt à Deo, nō pōt ab hominibus auerti. Neq; recte conſulentib. quiſquā vult obtemperare. Acerbiſſimus autem dolor eſt, multa cogitare, & animo moliri, & tamen nihil efficere, nec euentum optatum conſequi. Xerxem omnes Græci vno ore impiū, crudelem & diuinitatis contemptorem appellant, quippe qui tam multa templa & Deorum ſimulachra incenderit, & filiā ſuiq; fratris Maſiſtæ vxorē impudice adamauerit, atque ipſum poſtea interfecerit. De hoc rege Val. lib. 9. cap. 5. ſic breuiter inquit. Iam Xerxes, cuius in nomine ſuperbia & impotentia habitat, ſuo iure quam inſolenter vſus eſt, quod Græciæ indicturus bellū, adhibitis Aſiæ principibus; Ne viderer, inquit, meo tantummodo vſus conſilio, vos cōtraxi. Cæterum memētote, parendum magis vobis, quam ſuadendum. Arroganter etiā ſi victori repetere ei regiā contigiſſet: tam deformiter victi neſcias vtrum inſolentius dictum, an impudentius. Hęc Val. Hic tamen nihilominus ſuarum laudum præconē inuenit Ioſephum, qui lib. 11. Ant. cap. 5. ſcribit, ipſum, ſicuti regni, ita & paternæ pietatis hæredem fuiſſe, nihilq; in patris inſtitutis circa diuinum cultum mutaſſe, & Iudæos ſumma beneuolentia proſequutum eſſe; ac etiam ſubiungit epiſtolam ab eo ſuis ſatrapis atq; proceribus conſcriptam in hanc fere ſententiam:

Rex regum Xerxes Eſdræ ſacerdoti, & lectori legis Dei, ſalutem. Opus eſſe meæ clementiæ putans, eos qui volunt ex gente Iudaica, vel ſacerdotes, vel Leuitas ſub noſtro regno conſtitutos, pergere ad Hieroſolymam præcipio, ſi deſiderant, vt eant, quemadmodum & mihi, & ſeptem conſiliarijs meis viſum eſt, quatenus viſitent Iudæam, & ſecundum ritus legum Dei portent dona Deo Iſraël, quæ deuoui ego, & amici mei. Aurum & argentum, quantum inuentum fuerit in terra Babyloniæ Deo dicatum, hoc omne ad Hieroſolymam deportetur pro ſacrificijs Dei: nec non & quodcunque volueris ex auro vel argento conſtruere, liceat tibi cum tuis fratribus facere. Vaſa etiam ſacra quæ tibi tradita ſunt, diſpone; & quicquid mente cogitaueris, vt fiat, impendi à nobis iuſſimus, vt ex regalibus theſauris efficias. Scripſi etiam cuſtodibus pecuniarum Syriæ & Phœnices, vt diligentiam habeant circa ea, quæ per Eſdram ſacerdotem, vel lectorem legum Dei, mandata noſcuntur. Igitur vt nequaquam de me, aut de nepotibus meis iram Deus aſſumat, omnino præcipio ad vſque tritici modios centum Deo ſecundum legem dari. Vos autem ſacerdotibus & leuitis, ac ſacris cantoribus & ianitoribus, ſacriſque ſeruis templi ſcribis nullo modo aut tributa imponatis, aut aliquid captioſum, vel oneroſum. Sed etiam tu Eſdra ſecundum Dei ſapientiam cenſores ordina, qui omni Syriæ & Phœniciæ, tuam legem ſcientibus indicent, eamq; diſcendam ignorantibus trade. Et ſi quis ex gente tua, Dei ſui legē vel imperatoris tranſgreſſus fuerit, puniatur, & non tanquam ignorans videatur tranſgredi, ſed cognoſcens audacter negligere comprobetur. Ergo huiuſmodi contemptores aut morte, aut pecuniis condemnentur, Vale. Tunc Eſdras hanc epiſtolam accipiens, lætatus, Deum adorare cœpit, & regiæ beneuolentiæ ipſum conſitebatur auctorem. Ideoque omnes ipſi gratias dicebant eſſe referendas. Legens autem epiſtolam Iudæis Babyloniæ conſtitutis, eam quidem ſignauit, & illius exemplar ad omnes Iſraëlitas & Medos tranſmiſit. Hi vero, cognita regis erga Deum pietate, & fauore, quo Eſdram proſequebatur, vniuerſi eum colebant & obſeruabant. Hæc Ioſephus, qui etiam addit, Iudæos, die duodecimo primi menſis, ſeptimo imperij anno Xerxis ad Hieroſolymam perueniſſe, quinto menſe eiuſdem anni. In hac vero Xerxis epiſtola, obſeruandum eſt, quanto ſtudio, & quam religioſe is mandet Eſdræ, ea, quæ ſunt cultus ſummi Dei perficere, addita cauſa, ne forte exurgat ira in regno regis, & filij, & filiorum eius. Hinc enim apparet euidenter, ipſum agnoſcere iram Dei, & grauiora mę-

Epiſtola Xerxis regis pro Iudæis.

tuere, niſi diuinæ voluntati obſequatur. Minime autem ignoro, Eſdram in ſuis ſcriptis nullam omnino Xerxis mentionem facere: ſed duntaxat Cyri, Darij, & Artaxerſis, ad quem hæc omnia refert. Nec ſane parua me ſubit admiratio, quod in hac re duo celeberrimi ſcriptores tantopere inter ſe varient, vtque Eſdræ verbis nihil prorſus derogo, ſic etiam Ioſephi auctoritas non exigui ponderis cenſenda, quippe qui hæc omnia ex archiuis Hebræorum hauſerit atque acceperit. Verum enimuero in his ſuum quiſque iudicium ſequatur. Interim vt eo redeam vnde paulo antedigreſſa eſt oratio, Athenienſes, omni externo metu liberati, anno 3. Olymp. 75. cum vxoribus ac liberis in patriam redierunt, omneque ſtudium ad vrbis mœnia reſtituenda, & portum communiendum, præfecto Athenis Demoſthene, contulerunt, idque præcipue factum eſt hortatu atque impulſu Themiſtoclis, quem Plut. ex Theopompi ſententia ſcribit,

Themiſtoclis ſolertia.

Ephoros pecunia corrupiſſe, ne hoc inſtitutum impugnarent. Is etiam narrat, quomodo vrbem, deceptis Sparthanis, munierit. Tradit enim, ipſum veniſſe Lacedæmonem, legationis ſpecie prætexta. Ibi, cum Spartani vrbis munitionem ei obijcerent, miſſuſque conſulto ab Aegina vrbis præfectus eum accuſaret, inficias iuit, mittique iuſſit Athenas, qui rem præſentem inſpicerent; ita ſimul hac interiecta mora, tempus muro faciendo protogans, & hoc agens, vt hi Athenienſibus pro ſe obſidum loco eſſent. Neque eum conſilium fefellit. Veritate enim rei cognita, Lacedæmonij nulla affectum iniuria dimiſerunt, obſcure modo indignantes. Secundum hæc, Piræum ædificauit, portuum opportunitatem conſpicatus, totamque vrbem ad mare accommodans, ac quodammodo contra inſtitutum priſcorum Athenienſium regum contendens. De his quidem rebus videre eſt etiam apud Diod. lib. 11. Aemilium in eius vita, & Iuſt. ſub finem 11. libri. Non multo poſt Lacedæmonij, Pauſaniam, cuius illuſtriſſimum fuit prœlium apud Platæas, claſſi præficiunt, mandantque, vti ad liberandas vrbes Græcas properet, quæcunque externis occupatæ præſidijs, ditione Perſica tenerentur.

Lacedæmonij Pauſaniam imperatorem deligunt contra Perſas.

Hic itaque ductis ex Peloponneſo 50. triremibus, 30. deinde Athenienſiũ adiectis, duce Ariſtide, vna cum Cymone Athenienſi, primo in Cyprum nauigat, ibique ciuitates omnes, quas præſidia Perſica tenebant oppreſſas, eas ſeruitute liberat.

Byzantium capitur à Pauſan.

Inde in Helleſpontum ſoluens, Byzantium, quod à Perſis tenebatur, vi expugnauit. Cum autem in ea expugnatione cepiſſet complures Perſarum nobiles: atque in his nonnullos regis propinquos, hos clam Xerxi remiſit, ſimulans è vinclis publicis effugiſſe, & cum his Gongylum Cretenſem, inquit Aemilius, Diod. & Aemilius Eretrienſem vocant, qui literas regi redderet, in quibus hæc fuiſſe ſcripta Thucydides memoriæ prodidit:

Epiſtola Pauſaniæ miſſa ad regem Perſarum.

PAVSANIAS dux Spartæ, quos Byzantij ceperat, poſtquam propinquos tuos cognouit, tibi muneri miſit, ſeque tecum adfinitate coniungi cupit. Quare ſi tibi videtur, des ei filiam tuam nuptam. Id ſi feceris, & Sparten, & cæteram Græciam ſub tuam poteſtatem, te adiuuante, redacturum ſe pollicetur. His de rebus ſi quid geri volueris, certum hominem ad eum mittas face, cum quo colloquatur. Rex tot hominum ſalute, tam ſibi neceſſariorum magnopere gauiſus, confeſtim cum epiſtola Artabazum ad Pauſaniam mittit, in qua eum collaudat. Petit, ne cui rei parcat, ad ea perficienda quæ pollicetur, nullius rei à ſe repulſam laturum. Huius Pauſanias voluntate cognita, alacrior ad rem gerendam factus, maiora quotidie moliri, nec ſolum mores patrios, ſed etiam cultum veſtitumque mutare, apparatu regio vti; more Perſarum epulari, faſtum & inſolentiam præ ſe ferre, denique omnia conſilia ſecum voluere, quibus patriã & vniuerſam Græciam hoſti proderet, ipſeque ſimul regno Græciæ potiretur. Cum autem conuictus proditionis, in ius eſſet vocatus, & tandem condemnatus, confugit in delubrum Mineruæ: Hinc ne exire poſſet, ſtatim Ephori valuas eius ædis obſtruxerunt; tectumque ſunt demoliti, quo facilius ſub diuo interiret. Dicitur eo tempore Alcitheam Pauſaniæ matrem fuiſſe ſuperſtitem, eamque, vbi de filii ſcelere comperit, cum muro fores obſtruerentur, primum lapidem in ea obſtructione locaſſe.

Mors Pauſaniæ.

Cumque ſemianimis de templo elatus eſſet, confeſtim

confeſtim animam efflauit. Hic exitus Pauſaniæ fuit, eo triſtior, quod oſtendit tantam eſſe imbecillitatem naturæ hominum, vt non ſolum fortuna ſit inſtabilis, ſed virtus etiam, quæ durabilior & firmior eſſe debebat in præſtantibus viris, ſæpe extinguatur. De hoc autem plura Diod. lib. 11. Thucyd. ſub finem primi libri, Aemilius in eius vita, Plut. in varijs locis, præſertim vero in Parallelis, vbi hæc breuiter ſubiungit: Perſis, Græciam populantibus, Pauſanias, acceptis à Xerxe 15 talentis, voluit Spartam prodere. At re comperta, Ageſilaus eum vſque ad fanum Mineruæ Chalcioeci perſecutus eſt, obturatiſque fani foribus latere coctō, fame necauit, mater etiam inſepultum abiecit, &c. Huius autem neſaria proditione, atque Ariſtidis virtute, maritimum à Lacedæmoniis eſt translatum Athenas imperium. Quam vero fuerit animi elati & arrogantis, quantaque laudis gloria flagrarit, hoc præcipue declarat, quod Tripodem aureum, quem Græci ex Perſarum manubiis Delpho conſecrandum cenſuerant, ibi apponi voluit, epigrammate ſcripto, in quo erat hæc ſententia, ſuo ductu Barbaros apud Platæas eſſe deletos, eiuſque victoriæ ergò Apollini donum dediſſe. Hos verſus Lacedæmonij protinus excindi atque aboleri iuſſerunt, & inſcribi nomina earum ciuitatum, quarum auxilio Perſæ erant victi. Duo quidem exempla ædidit ſingularis modeſtiæ. Primum, quod apud Platæas rebus proſpere ac feliciter geſtis, cum Lampo Aegineta & plerique alij vehementer inſtarent, vt capita Perſicorum ducum, & Mardonij in primis, affigerentur cruci, ſicut Perſæ caput Leonidæ regis Spartani ſimili contumelia affecerant, reſponderit, ſe mortuos nulla iniuria & ignominia affecturum eſſe, ac ſatis ſibi eſſe, ſi iuſta faciens & dicens, Spartanis ſuis placeat: Alterum, quod mulierem Coam, filiam Hagetoridæ viri nobiliſſimi, raptam à Pharadante Perſa, cum omni eius muliebri ornatu & reliqua ſuppellectile domum liberam & intactam remiſit. Cæterum, poſtquam Græci eius ductu Byzantium occupaſſent, plurimum à ſeipſo degenerauit. Cum enim adhuc apud Helleſpontum hæreret, puellæ Byzantiæ ex præcipuo ſtemmate, quam Pauſanias Cleonicen vocat, cupidine inflammatus, omnibus ſtudijs atque artibus, eius amore potiri conabatur: ſtatim itaque illi quibus erat imperatum, ingruente iam nocte, in eius cubiculum adducunt. ſopitum intere[illegible] Pauſaniam, ſtrepitus excitauit. in uita enim cum ad eum iret puella, lucerna[illegible] ardentem comprehendit. Pauſanias, vtpote qui conſcius ſibi de Græciæ proditione erat, atque ideo in perpetua ſuſpicione ac metu verſabatur, ſtati[illegible]exit, & puellam in ſubita animi conſternatione interfecit. Hoc piaculum, inquit Pauſanias, effugere nō potuit, quamquam luſtrationes omnimodas quæſierit, & Ioui exuli ſupplex ſit factus, & in Phygaleam Arcadum ad Pſychagogos peruenerit. Pœnam vero, qua dignus erat, & Cleonicę perſoluit, & Deo. Plutar. etiam in eo pulcherrimo tractatu, cui titulus eſt De his, qui ſero à Numine puniuntur, hanc hiſtoriam recenſet, atque addit inter alia, Pauſaniam, hanc puellam ſępe dormientem vidiſſe ſibi dicere. Perge ad ſupplicium: valde eſt damnoſa libido. quod viſum cum non deſineret, Heracleam nauigaſſe ad Pſychopopeion, qui locus erat curandis animabus deſtinatus, puellęq; animam deprecationibus inferiíſq; certis euocauiſſe, atque eam in conſpectū veniſſe, ac finem ei malorum fore prędixiſſe, vbi Spartam veniſſet: reuerſum autem Lacedæmonem, ſtatim perijſſe. Cęterum quod extat apud Aelianum lib. 10. hîc neutiquā ſilentio prætereundum videtur. Cum in quodam conuiuio, inquit, Simonides adeſſet, aiunt Pauſaniam Lacedæmonium, qui vna epulabatur, iuſſiſſe, vt aliquid è ſapientię præceptis deprōptum narraret: & Ceum illum arriſiſſe, atq; , Memento te hominem eſſe, dixiſſe. Id Pauſanias tunc temporis non magnopere curauit, & nihili fecit, captus iam ſuperbia, eo quod ad Medorū partes ſe applicuiſſet & elatus ob hoſpitij ius, quod ei cum rege intercedebat: forſitan etiam vino depulſus à ſede rectæ rationis. Cum vero iam eſſet in Chalcœco, & cum fame luctaretur, iamq; calamitoſiſſimam omnium mortem ob oculos cerneret, tunc in mētem ei venit Simonidis, & ter magna voce exclamauit: O Cee hoſpes, magnū quiddā in tuo ſermone inerat: ego vero inani perſuaſione ſum adductus, vt

Exempla ſingularis modeſtiæ.

eum nullius momenti putarem. Hactenus de Pauſania, cuius quidem obitus incidit in annum 4. Olymp. 25. & ab orbe condito 3492. Xerxes, cum proditionis dolum publicatum videret, ex integro bellum inſtituit. Hoc vbi primum Græcis ciuitatibus innotuit, cum maxima ex eo pericula ſibi impendere animaduerterent, nihil habuêre antiquius, quam vt ſeipſos ad omnem defenſionem pararent. Cæterum Ariſtidis & Cimonis moderatione & humanitate inuitantur, vt relictis Spartanis, ſe Athenienſibus adiungant, & quotannis ad ſumptus belli aduerſus Perſas conferant quingenta ſexaginta talenta, ſeu 276000. coronatos, in Delum inſulam, vbi publicum ærarium conſtitueretur, ipſeque Ariſtides ſumma integritate cenſum de tota Græcia agens, & tributum ſingulis imponens, Iuſti cognomen accepit. Thucyd. pag. 22. & Plutarchus in vita ipſius Ariſtidis. Interim Athenienſes ducem creant Cimonem Miltiadis filium. Proxime recenſuimus, Pauſaniam ob proditionem ab Ephoris Lacedæmonijs fame necatum eſſe. Hi vero, haud multo poſt, miſſis ad Athenienſes Legatis, Themiſtoclem, eiuſdem, cuius Pauſaniam, criminis inſimulant, quod ſocietatem cum rege Perſarum ad Græciam opprimendam iniiſſet, vt compererunt ex factis circa Pauſaniam probationibus, poſtulantque eiſdem eum affici ſupplicijs. Iſti fidem verbis habentes, miſerunt vna cum Lacedæmonijs ad illum ſimul perſequendum paratis, quoſdam cum mandatis, vt adducerent vbicunque eum nanciſcerentur. Hunc enim antea per exoſtraciſmum patria expulerant, illius dignitatem & excellentiam diminuentes, quemadmodum ſolebant agere cum omnibus iis, quos potentia nimia graues, & ad æqualitatem popularem non ſans compoſitos eſſe iudicabant. Is autem Argos habitatum conceſſerat, ibique propter multas eius virtutes magna cum dignitate viuebat. Itaque vbi primum certior factus eſt, ſe abſentem accuſatum, & miſſos qui eum comprehenderent, quod non ſatis tutum ſe Argis videbat, ex Peloponneſo Corcyram, quam ciuitatem beneficio antea ſibi deuinxerat, traiecit. Ibi cum eius Principes ciuitatis animaduertiſſet timere, ne propter ſe bellum his Lacedæmonij & Athenienſes indicerent, in Epirum, & ad Moloſſorum regem Admetum antea ſibi inimicum diuertit. Huc cum veniſſet, & in præſentia rex abeſſet, quo maiore religione ſe receptum tueretur, filium eius paruulum arripuit, & cum eo ſe in ſacrarium quod ſumma colebatur cærimonia, coniecit. Inde non prius egreſſus eſt, quam rex eum data dextra in fidem reciperet; quam deinde ſumma conſtantia præſtitit. Nam cum ab Athenienſibus & Lacedæmonijs publice expoſceretur, ſupplicem non prodidit, monuitque, vt ſibi mature conſuleret: difficile enim eſſe in tam propinquo loco, eum tuto verſari. Eum igitur Pydnam deduci iuſſit, & quod ſatis eſſet præſidij, dedit. Hic in nauem omnibus ignotus, aſcendit. Quæ cum maxima tempeſtate Naxum ferretur, vbi tum Athenienſium erat exercitus, ſenſit, ſi eo perueniſſet, ſibi eſſe pereundum. Hac neceſſitate coactus, domino nauis quis ſit, aperit: multa pollicens, ſi ſe conſeruaſſet. At ille clariſſimi viri captus miſericordia, diem noctemque procul ab inſula in Salo nauem tenuit in anchoris, neque quenquam ex ea egredi paſſus eſt. Inde Epheſum peruenit: ibique Themiſtoclem expoſuit: cui ille pro meritis gratiam poſtea retulit. Scio autem plæroſque, vt Aemilij verbis vtar, ita ſcripſiſſe, Themiſtoclem Xerxe regnante, in Aſiam tranſiſſe. Sed ego, idem inquit, potiſſimum Thucydidi credo, quod ætate proximus erat, qui illorum temporum hiſtoriam reliquerunt, & eiuſdem ciuitatis fuit. Is autem ait, ad Artaxerxem eum veniſſe: atque his verbis epiſtolam miſiſſe.

Themiſtocles accuſatur à Lacedæmonijs apud Athenienſes.

Athenienſium mos.

Themiſtoclis fuga.

Eiuſdem epiſtola ad Artaxerxē.

THEMISTOCLES veni ad te, qui plurima mala omnium Graiorum in domum tuam intuli: cum mihi neceſſe fuit aduerſus patrem tuum bellare, patriamque meam defendere. Idem multo plura bona feci, poſtquam in tuto ipſe ego, & ille in periculo eſſe cœpit. Nam cum in Aſiam reuerti vellet, prœlio apud Salaminam facto, literis eum certiorem feci id agi, vt pons, quem in Helleſponto fecerat, diſſolueretur, atque ab hoſtibus circumueniretur. Quo nuncio, illo periculo eſt liberatus. Nunc autem confugi exagitatus à cuncta Græcia, tuam

cia, tuam petens amicitiam: quam ſi ero adeptus, non minus me bonum amicum habebis, quam fortem inimicum ille expertus eſt. Ea autem rogo, vt de his rebus, quas tecum colloqui volo, annum mihi temporis des, eoque tranſacto, ad te venire patiaris. Huius rex animi magnitudinem admirans, cupienſque talem virum ſibi conciliare, veniam dedit. Ille omne illud tempus literis ſermonique Perſarum dedit: quibus adeo eruditus eſt, vt multo commodius dicatur apud regem verba feciſſe, quam hi poterant, qui in Perſide nati erant. Hic eum multa regi eſſet pollicitus, gratiſſimumque id, ſi ſuis vti conſilijs vellet, illum Græciam bello oppreſſurum, magnis muneribus ab Artaxerxe donatus, in Aſiam rediit; domiciliumque Magneſiæ ſibi conſtituit: namque hanc vrbem ad flumen Mæandrum ſitam, omnium Aſiæ totius vrbium frumenri feraciſſimam, ei rex donarat, cum duabus alijs, quæ panem præberet, ex qua regione 50. talenta quotannis redibant. Lampaſeum item, agro vitibus conſito cultum, vnde vinum ſumeret, & Myuntem, ex qua obſonium haberet. Hæc enim piſcium copia, quippe quæ mari iuncta ſit, quam maxime præſtat.

Themiſtoclis mors.

De huius morte multis modis apud plæroſque ſcriptum eſt. Sed Probus potiſſimum Thucydidi adhæret, qui ait, hunc Magneſiæ morbo interijſſe, neque negat fuiſſe famam, venenum ſua ſponte ſumpſiſſe, cum ſe quæ regi de Græcia opprimenda pollicitus eſſet, præſtare poſſe deſperaret, vel contra patriam, licet erga ſe ingratiſſimam, nollet arma ſumere. Idem auctor teſtatur, oſſa eius clam in Attica ab amicis ſepulta: quoniam legibus non concederetur, quod proditionis eſſet damnatus.

Eiuſdem laus.

His autem verbis laudatus eſt ab eodem Thucydide. Erat Themiſtocles præcipue dignus admiratione præ alijs, quia acie mentis ſuæ non præmonitus, nec diu conſiderans, in rebus ſubitis optima conſilia habebat, & de futuris, quid euenturum eſſet, rectiſſime conijciebat. Et quæ in præſentia in manibus habebat, explicare poterat, & quæ non norat, non deſtitit inquirere. In obſcuris autem rebus, quid melius aut deterius eſſet, omnium maxime proſpiciebat, &, vt in ſumma dicam naturæ viribus & celeberrima deliberatione optime id eligebat, quod maxime profuturum erat. Huius res geſtæ paſſim celebrantur à veteribus, ac extat integra eius vita deſcripta à Plutarch. & Aemilio. Multa etiam de hoc videre eſt apud eundem Thucyd. & Diod. lib. 11. Vixit annos quinque & ſexaginta. Poſt Themiſtoclem, Pericles dux Athenienſ. præfuit annis 40. eiuſque crebra fit mentio in veterum annalibus. Supra narratum eſt, Cimonem ab Athenienſibus militiæ præfectum deſignatum, idque contigit anno 3. Olymp. 77. Archonte Athenis Demotione:

Cimonis victoria.

Hic cum Imperator in maritima Aſiæ mitteretur cum ingenti exercitu, vt Græcas vrbes aliquot à Perſicis præſidijs liberaret, inſignes victorias adeptus eſt, vt narrat Diod. lib. 11. pag. 256. Nam in ea expeditione, in qua Perſarū dux fuit Tithraciſtes, filius Xerxis ſpurius, duabus victorijs, vna nauali, altera terreſtri vno eodemque die potitus eſt, ac trophæum erexit. Huius rei mentionem faciens idem auctor: Poſtera die, inquit, trophæum eius rei erigitur: inde duabus victorijs clariſſimis, altera pedeſtri, altera nauali certamine potiti, nauigant in Cyprum: res ſane admiratione digna. Nam ad hæc vſque tempora inauditum eſt, res tantas vna die terra marique confectas. Cimon vero peritia rei militaris ſimul & virtute diuulgata, rerum optime geſtarum fama celebre paſſim nomen habebat. Nec inter ciues modo, ſed per vniuerſam Græciā eius facta extollebantur. Trecentis namque triremibus, & nauibus quadraginta hoſtem pugnando ſpoliarat. Captiuos ſupra viginri millia ducebat, ingentem præterea pecuniam. Cęterum Perſę, rebus ſuis duplici clade afflictis, alias rurſus triremes ædificant, multo prioribus plures; quippe quibus Athenienſium opes & incrementa formidini iam eſſe cœperant: ex eo namque tempore res Athenienſium magna ſimul pecunia, & gloria bello & virtute parta, maxime pollere & vigere cœperūt. Hęc Diodorus. Aliquanto poſt, Lacedęmonij, cum ſupplices, qui in templū Neptuni prope Tęnarum cōfugerant, occidiſſent, in maximas & grauiſſimas calamitates inciderunt.

Terremotus apud Lacedemones.

Siquidem ipſorum vrbs terręmotu continuo atq; horribili eſt concuſſa, adeo vt nulla Lacedęmone domus non corrueret: ſupraq; vigintj

millia Spartanorum ſama eſt, ruinis obrritos interiiſſe. Hac vrbe terræ motu quaſſata, defecerunt εἵλωτες, ſeu ſetni, & Ithomen in Meſſenla occuparunt. Ob hanc defectionem, cum ab alijs, tum ab Athenienſibus auxilium petierunt. Hi vero ſelectiſſimos viros, & Cimonem Miltiadis F. ducem eis miſerunt. quos cum ſuſpectos haberent Lacedæmonij, domum remiſerunt. Athenienſes intolerabili ſe affectos eſſe ignominia rati, ſocietatem in tegreſſu cum Argiuis, qui omni tempore fuerant Lacedæmoniorum hoſtes, inierunt.

Odium inter Laced. & Athen. vnde emanarit.

Horum itaque abalienatis iam palam animis, magis ac magis indies odia atque iræ accendi. Ita hinc inimicitiæ atque diſcordiæ exorta origo, poſt, adeo paulatim coaluit, vt ipſas etiam ciuitates ad extrema odia & pericula excitarit.

Græcia inteſtinis bellis diuexatur.

ſiquidem multis varijſque bellis & diſſidijs, partim externis, partim ciuilibus vniuerſa Græcia iactata fuit, quæ Thucidides obiter exponit; ſed tandem, quinquageſimo nimirum anno poſt Xerxis è Græcia diſceſſum, bellum illud ingens natum eſt, quando Peloponneſus tota coniurauit in Athenienſes, quorum in eo bello dux erat Anaxagoræ Philoſophi diſcipulus, Pericles, quem dicendo fulgurare, tonare, permiſcere Græciam ait Ariſtophanes. nam ijdem erant olim & virtutis & eloquentiæ magiſtri. Ex altera parte ſummæ rei præfectus fuit Archidamus, rex Lacedæmoniorum. Periclis erat æqualis & æmulus Thucydides, qui & bellum illud deſcripſit. Priuſquam vero ad res Perſicas tranſgrediar, id breuiter ſubijciam dignum memoria, nempe his temporibus, quibus Xerxes, ac eius filius Artaxerxes, de quo ſtatim ſum dicturus, vſque ad vltimum Darium, in Perſia regnarunt, floruiſſe præſtantiſſimos viros, qui per totum terrarum orbem ingenij monumentis inclaruerunt, & quorum inclyta & celeberrima nomina nulla vnqnam vetuſtas abolebit.

Inſignes viri hoc tempore apud Græcos florent,

Hi autem fuēre Hecateus Mileſius, qui etiam attigit tempora Darij Hyſtaſpis, Simonides, Pindarus, Zenon, Empedocles, Anaxagoras, Hellanicus, Herodotus, Thucydides, Sophocles, Euripides, Ariſtarchus, Prodicus, Hippocrates, Democritus, Pericles, Archelaus, Soctates, Eudoxius, Ariſton, Plato, Timeus, Phædon, Gotgyas, Zenophon, Ariſtoteles, Theophraſtus, Ariſtippus, Cleanthes, Chryſippus, Euclides, Democritus, Cebes, Speuſippus, Xenocrates, Polæmon, Iſocrates, Theodectes, Erythreus, Theopompus, Ephorus Cnmęus, Heraclitus, Ariſtophanes, Diogenes, Demoſthenes, Ariſtogenes, & complures alij, quibus Græcia mirum in modum nobilitata eſt. De his autem videre eſt, cum apud alios auctores, tum in primis apud Laërtium, Suidam, & Aulum Gellium varijs in locis.

Præcipui Græcorum Duces.

Quatenus vero attinet ad præcipuos maximeque claros Græcorum duces, quorum alij de tota Græcia, alij de ſua quiſque parria benemeriti ſunt, poſt Codrum, Polydorum Spartanum, & Ariſtomenem Meſſenium, hi potiſſimum inſigniores habentur Miltiades, Leonidas, Themiſtocles, Pericles, Ariſtides, Pauſanias, Xantippus, Leotychidas, Cimon, Conon, Epaminondas, Leoſthenes, Aratus Sicyonius, Philopœmen; ex ijs pleriqne fuerunt iuſſi tandem exulare. Ariſtides tamen & Cimon qui & res magnas, & vtiles patriæ geſſerunt, & cum eſſent in omni officio iuſti & moderati, placidos exitus habuēre. Verum enimuero, vt in præſentia Græcorum rebus omiſſis, ad res Perſicas reuertar, Xerxes, poſtquã octo & viginti annos in imperio expleuiſſet, ab Artabano ſuo cognato anno 4. Olymp. 78. per dolũ ac ſummã perfidiam interficitur.

Xerxes ab Artabano interficitur.

Inueni apud probatos auctores, ipſum Xerxem, diem, qua Rex dictus fuerat, tanquam imperij natalem, ſingulis annis inſignem celebraſſe, eaque diademate ornatum, gaudio delibutum, cœnam proceribus dediſſe, cui Titan dixiſſe nomen, fuiſtèque adnotatum diem, qua Alcibiades Athenas ab exilio remeauit, certiſſimum illi præſignaſſe exitium, qnod funeſta tunc colerentur ſacra, qua templi ornamenta deponere, pauimenta tegere, & iuſtitio indicto, à negotijs quieſcere, mos erat.

Quiſnam dies Xerxi fuerit funeſtus.

Quinam vero dies atri, quive fauſti ſint, ex veterum annalibus facile colligi poteſt, exque recentioribus ſcriptoribus, Alexander de Alexandris lib. 4. cap. 20. planiſſime oſtendit. Ad hoc autem neſarium parricidium nulla res alia ipſum Artabanum impulit, quam dira cupiditas regnandi; eaque ſpe ſubnixus, cum præſertim haberet ſeptem liberos fortiſſimos viros atque omnes multis clientelis ſuffultos, quo-

toſ,quodam die ſub Solis occaſum, regiam, quæ illi pro iure affinitatis atque amicitię perpetuo patebat, ingreſſus, Xerxem inopinato caſu aggreditur, eumque atroci vulnere confodit. Herodotus auctor eſt lib. 7. in toto ipſius exercitu, qui tam numeroſus extitit, neminem aut ſpecie, aut magnitudine corporis fuiſſe, qui cum eo potuiſſet contendere, tanquam dignior, qui illud imperium obtineret. Poſt ipſum, à pulchritudinis forma, & ſtatura præter omnes alios commendat Tigranem, qui fuit dux Perſarum ad Mycalen. De commeatu vero qui ſequebatur Xerxem, ita breuiter inquit Aelianus libr. 12. variæ hiſt. Cum alij commeatus magnificentia & oſtentatione pleni ſequebantur Xerxem, tum etiam aqua ex Choaſpo ſimul vehebatur. Cum vero in loco deſerto ſitiret, neque ſiti remedium vllum inueniretur, proclamatum in exercitu eſt, ſi quis aquam ex Choaſpo haberet, vt regi eam bibendam daret: & inuentus eſt quidam, qui pauxillum haberet, idque putridum. Bibit igitur illam Xerxes; & eum qui dederat, in benefactoris loco habuit: quoniam niſi illa fuiſſet inuenta, perijſſet ſiti. Quanquam vero hic Princeps ob ea, quæ proxime recenſuimus, nempe ob inceſtum & fraternam cædem, iure merito reprehenditur, in eo tamen fuerunt aliquæ inſignes dotes, propter quas haud mediocrem laudem adeptus eſt. Siquidem quod Ioſephus, grauiſſimus auctor, de illo teſtatur, id ſane huiuſinodi eſt, vt omnino maximam commendationem mereatur. Nam quod Græcorum templa diripuerit atque incenderit, id ſane hoſtile, ſed minime impietati & ſacrilegio aſcribendum, cum ea, nihil in ſe aliud, quam idola & falſos cultus continerent. Cæterum quod extat apud Herod. lib. 7. quis non maxime admiretur & extollat? Cum enim Lacedæmonij, ob legatos Perſarum apud Spartam interemptos, irato Deo, peſtilentia conflictarentur, & Pythius iuſſiſſet, vt pro nece caduceatorum ſatisfacerent, Xerxi, Bulis & Sperchis vltro ad Perſas aſcenderunt; daturi pœnas. Rex vero admiratus, reliquit eos incolumes. Nam, præ magnanimitate, inquit Herod. negauit ſe fore Lacedæmonijs ſimilem. Illos enim, interimendis legatis, ius omnium hominum confudiſſe: ſe vero, quod illis merito exprobraret, id non eſſe facturum, neque eos occidendo, Lacedæmonios culpa ſoluturum. Hac re per Spartiatas geſta, iram Thalthibij ceſſaſſe, morbumque deſiiſſe. Huius rei meminit quoque Suidas in Xerxe. Idem, cum Græcorum exploratores in exercitu ſuo deprehendiſſet, nullo ſupplicio affecit, ſed circumduxit, vt omnem viderent exercitum, & illæſos dimiſit. De hoc etiam poſteris traditum eſt, ipſum, cum vidiſſet vniuerſum Helleſpontum nauibus ſuis conſtratum, omnia littora, atque Abydenorum plana hominibus referta, iactaſſe ſe beatum, & mox fudiſſe lachrymas. Tam ſubitam mutationem admiratum Artabanum eius patruum, qui eam expeditionem diſſuaſerat, auſum fuiſſe rogare cauſam. Tum Xerxes: Subijt, inquit, animum meum cogitatio, quam breuis ſit hominum vita, quando ex tam numeroſa multitudine poſt annum centeſimum nemo ſuperfuturus eſt. Ferunt etiam, cum à trecentis Lacedæmonijs ad Thermopylas vexatus eſſet, tantum militum ducens multitudinem, hoc ſe deceptum dixiſſe, quod multos quidem homines haberet, milites autem perpaucos. Senſit enim, non perinde referre, quam multos educat imperator exercitus, ac potius quam peritos & exercitatos. Ad hæc, cum iratus eſſet Babylonijs, quod à ſe defeciſſent, poſteaquam illos in poteſtatem ſuam redegerat, interdixiſſe, ne ferrent arma, ſed pſalterijs tibijſque canerent, ſcorta alerent, cauponas haberent, ac ſinuoſis tunicis vterentur, quo voluptatibus euirati, non molirentur denuo defectionem. Quam autem excelſi pectoris fiducia ſui extiterit, hinc vel facile colligi poteſt. Cum enim ad eum importarentur Atticæ caricæ venales, negauit ſe illas eſurum, donec regione potitus eſſet quæ illas ferret. Diodorus tradit, illum fuiſſe ingenio facili ad credendum, idque verum eſſe, apparet ex eo, quod nuntijs Themiſtocleis tam facile fidem habuerit. Memoriæ quoq; proditum eſt, ipſum, cum è Phrygia cum exercitu in Lydiam veniret, comperiſſe Platanum quam ob pulchritudinem aureo monili donarit, eamque tuendam viro, vni ex his qui appellabantur immortales, delegaſſe; de qua Aelianus lib. 2. ita ſcriptum

Eiuſdem ſpecies, ac proceritas.

Commeatus in bello.

Xerxis magnanimitas & clementia.

Platanus à Xerxe adamata.

reliquit: Ridendus profectò eſt, inquit, Xerxes, quod cum mari terriſque Iouis operibus poſthabitis, noua itineta & inſolitam nauigationem ſibi paraſſet, ſeruiuit Platano, & arborem admiratus eſt. In Lydia igitur, vt tumor fert, cum vidiſſet proceram Platanum, integrum diem ibi commoratus eſt, nulla poſtulante neceſſitate, & caſtra poſuit in ſolitudine circa Platanum. Sed & multiplicem ac pretioſum ornatum ex ea ſuſpendit, torquibus armilliſque ramos veneratus: & curatorem ei reliquit, quaſi cuſtodem & propugnatorem Amaſiæ. Sed quid tandem ex his ad arborem emolumenti rediit? Nam ornatus appoſititius, & nihil ad ipſam pertinens, fruſtra pependit, neque vllum momentum ad ſplendorem & fructum arboris attulit. Sed in arbuſtis commendantur generoſi rami, foliorum frequentia, ſtirps firma ac ſtabilis, radices in profundum actæ, ventorum agitatio, vmbræ ex ijs procedentis amplitudo, redeuntis inuicem fructus, aquarum per ſulcos alimentum ſuppeditans, tum cælo frequenter defluens. At chlamydes Xerxis, & autum Barbari, reliquaque munera, neque ad platani, neque ad vllius alterius arboris generoſitatem quicquam faciunt. Hactenus de Xerxe ac eius irritis conatibus in Græcos. Bellum hoc Perſatum, vel, vt Thucydides vocat, Medorum, eodem fere tempore fuiſſe ſcribit Cicero, quo bellum Volſcorum, cui Coriolanus exul Romanus interfuit. Id autem incidit in annum vrb. cond. 266. Xerxe defuncto, eius filius Artaxerxes Longimanus, cui etiam pater in Græciam profecturus, regni adminiſtrationem reliquerat, Perſicum imperium ex legitima ſucceſſione adeptus eſt. Huic erant duo fratres ſuperſtites, nempe Darius, & Hiſtaſpes, quorum prior in regia verſabatur; alter tunc abſens, Satrapiam Bactrianorum gerebat. Artabanus interim poſt cædem perpetratam ad Artaxerxem properat, eique nunciat, à Dario fratre parentem necatum, regnumque occupatum iri. Hortatur, antequam frater principatum adeat, rexque declaretur, ſuis rebus mature conſulat, nec ſeruire fratri per negligentiam, & deſidiam, quam fortiter auſus imperare malit: regnumque ipſe præoccupans, fratris parricidæ ſcelus vlciſcatur: tum ſe ad id facinus perpetrandum regios ſtipatores pollicetur adhibiturum adiutores. His itaque adductus Artaxerxes, caternis ſatellitum ſtipantibus, fratrem repente incautum adoritur, atque interimit. Quod cernens Artabanus, per inſidias excepta conſilia vbique ſibi ſuccedere, liberos ſuos ad ſe accerſit, docetque iam tempus adeſſe, quo regnum audendo ſibi vendicent: tum gladio ſtricto inuadens Artaxerxem, vulnerat. Ille percuſſus, cum tamen nil lethale vulnus inflixiſſet, ſeſe ocyus Artabano fuga ſubripit: nec vſquam vulnere impeditus, te commutata, Artabanum inſectari, & meritis ſuppliciis afficere pergit. quem per oportunas torturas diſceptum necat. Ita tantis præter ſpem omnium inſidijs liberatus Artaxerxes, vltuſq; parentis necem, parricida ſceleſtiſſimo crudeliſſimoq; necato, Perſarum potitur regno, & annos 40. imperauit. Præfecto Athenis Archidemide conſules à Romanis creati, A. Verginius, & T. Minutius. Olympias tum agebatur 79. in qua ſtadio vicit Xenophon Corinthius. Hæc potiſſimum ex Herod. ſententia retulimus. At Iuſtinus initio libri 3. ſcribit, Artaxerxem veritum Artabani numerum filiorum, in poſterum diem paratum eſſe exercitum, armatumque iuſſiſſe, recognitutum & numerum militum, & in armis induſtriam ſingulorum. Proinde cum inter cæteros & ipſe Artabanus armatus aſſiſteret, regem ſimulaſſe, ſe breuiorem loricam habere, ac imperaſſe Artabanum ſecum commutare: exuentem ſe ac nudatum gladio traieciſſe. Tum & filios eius corripi mandaſſe: atque ita & cædem patris, & necem fratris, & ſe ab inſidijs Artabani vindicaſſe. Hic Artaxerxes dictus eſt cognomento Longimanus, quod dextra ei quam ſiniſtra eſſet maior, fuitque, vt Plut. inquit, inter reges Perſarum manſuetudine & magnanimitate præſtantiſſimus. Hic, auctore Ioſepho Ant. lib. 11. cap. 6. poſt ſuſceptum imperium, & conſtitutos ab India vſque Aethiopiam 127. Satrapas, anno regni tertio amicos & duces gentium Suſis accipit epulo ſumptuoſiſſimo, vt decebat regem opulentum, magnificos centum octuaginta dierum apparatus oſtentantem: cui plurimæ gentes, earumque legati, per continuos

Artaxerxes V rex Perſarum, dictus Longimanus.

Artabani cædes.

Eiuſdem ſumptuoſiſſ. epulum.

continuos ſeptem dies interfuerunt. Quomodo autem hoc inſtructum fuerat, & cur poſtea erga priorem vxorem Vaſthem nomine, minus affectus, Eſtherem Iudaicę gentis puellam & eximia pulchritudine, quę vtroque parente orbata, apud patruum Mardochęum ex tribu Beniamin, educabatur, in coniugem acceperit, eaque ſuos populares, & auunculum defenderit, qui regi inſidias detexerat, quas propter edictum regium contra Iudęos in obſcuro loco deliteſcens audierat, idem auctor diſerte ac eleganter proſequitur. Hę autem nuptię celebratæ ſunt anno regni ſui duodecimo, menſe qui Ader dicitur. Is etiam refert, quomodo Aman, qui præcipua gratia & auctoritate apud regem pollebat, 60. talentorum argenti millia, (Suidas ſcribit decies mille talenta) ei promiſerit ſe collaturum, ſi Iudæos perderet. Quo impetrato, literæ omnibus gentibus ſcriptæ ſunt, vt vno die Iudæos omnes delerent. Priuſquam vero hæc conficerentur, Mardochæus per Eſtherem regi inſidias comparatas detexit. Is igitur ſcriptis reuocatis, in crucem egit Amanem, Mardochæo ab illo paratam: plurimique ex inimicis à Iudæis ſunt occiſi, quibus ij dies feſti ac ſolennes ſunt. De his autem omnibus videre eſt eundem Ioſephum præfato loco, vbi etiam inſerit hanc epiſtolam Artaxerxis, huiuſmodi verbis conſcriptam:

Esther nubit Artaxerxi.

REX magnus, inquit, Artaxerxes, ab India vſque Aethiopiam, centum viginti ſeptem prouinciarum ducibus ac principibus, qui noſtræ ditioni obediunt, ſalutem dicit. Multi bonitate Principum, & honore, qui in eos collatus eſt, abuſi ſunt in ſuperbiam, & non ſolum ſubiectos regibus nituntur opprimere, ſed datam ſibi gloriam non ferentes, in ipſos qui dederunt, moliuntur inſidias cogitare: nec contenti ſunt gratias non agere beneficijs, & humanitatis in ſe iura violare, ſed Dei quoque cuncta cernentis arbitrantur ſe fugere poſſe ſententiam: & in tantum veſaniæ proruperunt, vt eos qui credita ſibi officia diligenter obſeruant, & ita cuncta agunt, vt omnium laude ſint digni, mendaciorum funiculis conentur ſubuertere: dum aures Principum ſimplices, & ex ſua natura alios æſtimantes, callida fraude ſubuertunt. Quæ res & ex veteribus probatur hiſtorijs, & ex his quæ geruntur quotidie, quo modo malis quorundam ſuggeſtionibus regum ſtudia deprauantur. Vnde prouidendum eſt paci omnium prouinciarum. nec putare debetis, ſi diuerſa iubeamus, ex animi noſtri venire leuitate; ſed pro qualitate & neceſſitate temporum, vt Reipub. poſcit vtilitas, ferre ſententiam. Et vt manifeſtius quod dicimus, intelligatis, Aman filius Amadathi, & animo & gente Macedo, alienuſque à Perſarum gente, & pietatem noſtram ſua crudelitate commaculans, peregrinus à nobis ſuſceptus eſt: & tantam in ſe expertus humanitatem, vt pater noſter vocaretur, & adoraretur ab omnibus poſt regem ſecundus. Et in tantum arrogantiæ tumorem ſubleuatus eſt, vt regno nos priuare niteretur, & ſpiritu. Nam Mardochæum, cuius fide & beneficijs viuimus, & conſortem noſtri regni Heſter, cum omni gente ſua nouis quibuſdam atque inauditis machinis expetiuit ad mortem; hoc cogitans, vt illis interfectis, inſidiaretur noſtræ ſolitudini, & regnum Perſarum transferret in Macedonas. Nos autem à peſſimo mortalium Iudæos neci deſtinatos, in nulla penitus culpa inuenimus, ſed è contrario iuſtis vtentes legibus, & filios altiſſimi, & maximi ſemperque viuentis Dei, cuius beneficio & patribus noſtris, & nobis regnum eſt traditum, & in hodiernum vſque diem cuſtoditur. Proinde & eas literas, quas ſub nomine noſtro ille direxerat, ſciatis eſſe irritas. Pro quo ſcelere, ante portas huius vrbis, id eſt, Suſis, & ipſe qui eſt machinatus, & omnis cognatio eius pendet in patibulis: nō nobis, ſed Deo ei reddente quod meruit. Hoc autem edictum quod nunc mittimus, in cunctis vrbibus proponatur, vt liceat Iudæis vti legibus ſuis. Quibus debetis eſſe adminiculum, vt eos qui ſe ad necem eorum parauerant, poſſint interficere decimotertio die menſis duodecimi, qui vocatur Adar. Hunc enim diem omnipotens Deus mœroris & luctus, eis vertit in gaudium. Vnde & vos inter cæteros feſtos dies hanc habetote diem, & celebrate eam cum omni lætitia, vt & in poſterum cognoſcatur, omnes qui fideliter Perſis obediunt, dignam pro fide recipere mercedem: qui autem

Epiſtola Artaxerxis ad ſuos ſatrapas & duces prouinciarum.

illorum regno inſidiantur, perire pro ſcelere. Omnis autem prouincia & ciuitas, quæ noluerit ſolennitatis huius eſſe particeps, gladio & igne depereat: & ſic deleatur, vt non ſolum hominibus, ſed etiam beſtijs invia ſit in ſempiternum, pro exemplo contemptus & inobedientię. Igitur equites epiſtolas deportantes exierunt, & viam propoſitam peragebant. Mardochęus vero regia indutus ſtola, & corona aurea & torque proceſſit ornatus. Quem videntes ita honorificatum à rege Iudæi Suſis inhabitantes, communem æſtimauerunt felicitatem, &c. Hanc epiſtolam eo libentius adieci, quod ex ea datur intelligi, quanta fuerit Perſarum regum potentia, quorum ditioni ea tempeſtate centum viginti ſeptem Prouinciæ ſubdebantur. Anno viceſimo, ex quo Artaxerxes imperarē cęperat, menſe Casleu venerunt quidam reſidui de captiuitate Ieruſalem ad Nehemiam pincernam regis, & narrauerunt miſeriam eorum qui erant in Iudæa, & ſequenti menſe Niſan, nutu reginæ impetrauit à rege, vt inſtauraretur Ieruſalem, 2. Eſdr. 1. Quocirca vt primum ſermo regis egreſſus eſt, vt renouaretur edictũ Cyri, & inſtauraretur Ieruſalem, Nehemias à die illo, quo præceperat rex, vt eſſet dux in terra Iuda, ab anno 20. vſque ad annum 32. Artaxerxis, per annos 12. rexit populum, & præfuit reſtaurarioni murorum. Nehem. 5. adiuuantibus eum principe ſacerdotum Eliaſi filio Ioacim, & Reſa Moſolla, filio Zorobabel, aliiſque principibus plebis 2. Eſd. 3. Sic ergo paulatim, iuuante Deo, certa ſedes Eccleſiæ in Iudæa reſtituta eſt, & in magno imperio Perſico nota fuit, vt multi inde doctrinam petere poſſent. Et mediocris in Iudæa pax fuit, vſque ad tyranni Ochi tempora. De hoc rege Plut. in ſuis Apophth. ita breuiter ſcriptum reliquit: Artaxerxes, inquit, Xerxis F. Longimanus cognomento, quod alteram manum haberet longiorem, dicebat, Magis regium eſſe addere, quam detrahere. Hic primus in venatione ſociorum iuſſit eum, qui vellet ac poſſet, primum coniicere telum. Idem primus inſtituit, vt cum principes viri ſupplicio afficerentur, non corpora, ſed veſtes, quibus ſe exuiſſent, flagellarentur, & non crines capitis euellerentur, ſed tiara deponeretur. Satibarzani cubiculario iniuſtum aliquid à ſe petenti, cum intelligeret, hoc fieri impetrandorum trigeſies c t ɔ Darticorum gratia, eam pecuniam à quæſtore iuſſu ſuo allatam tradidit, inquiens: Accipe Satibarzana. hoc enim largitus, nihilo pauperior fuero; iſthuc vero ſi feciſſem, eſſem iniuſtior. Hic ſane, quia manu alteram longiorem habuit, Macrochir nomē tulit. Hunc tradunt, Athoſim atq; Meſtrim filias, iuſtæ vxoris loco habuiſſe. Aiunt etiam pro vxoris ſalute, Terræ votum feciſſe, ſe illam, attacta humo, ſolenni prece adoraturum promiſiſſe. Artaxerxes principio hyemis anni 7. belli Pelopon. nondum finiti, cuius tam crebra fit mentio cum apud alios, tum in primis apud Thucyd. & Diod. lib. 12. qui de illo integram hiſtoriam pertexuerunt, ſupremum diem obijt, poſtquam regnaſſet annos 40. Veterum Annales perhibent, illum, puerum admodum, & adoleſcentem adhuc fuiſſe, cum pater occideretur ab Artabano; vnde veriſimile eſt, illum natum poſt primam expeditionē In Græciam, aut ſub finem eiuſdem. Secundam vero expeditionem in Græciam parante Xerxe, iuxta Perſarum legem, quæ eſt Herod. lib. 7. in princ. Rex à patre deſignatus fuit. Hunc autem, præter alias eximias animi corporiſque dotes, fuiſſe amantem litteratorum hominum, eoſque amplis præmijs donaſſe, facile apparet ex his, quæ extant apud Suid. pag. 430. cum de Hippocrate Coo Medico, qui tunc temporis florebat, mentionem faciens, teſtatur, ipſum, ſcriptis ad Hyſtanem literis, doctrinam huius viri maximopere expetiiſſe. Harum vero exemplar, huiuſcemodi fuiſſe narrat. Rex regum Artaxerxes, Hyſtani Helleſponti præfecto, S. Artis Hippocratis medici Coi, ab Aeſculapio oriundi, ad me fama perlata eſt. Auro igitur illi dato, quantum voluerit, & cæteris abunde, quibus eget, ſuppeditatis, illum ad nos mittito. Erit enim principibus Perſarum par. Quod ſi quis alius eſt in Europa vir præſtans, eius amicitiam regiæ domui conciliato, non parcens opibus. Viri enim qui conſilio polleant, haud temere inueniuntur. Vale. Huius quidē temporibus, Aegyptij à Perſis defecerant, & quēdam Inarum ſibi regem crearunt, fœduſque inierunt cum Athenienſibus, qui

Artaxerxis erga Iudaeos beneuolentia.

Artaxerxis obitus.

Eiuſdem in litteratos munificentia.

300. tri-

300. triremes omni bellico apparatu inſtructas, illis præſidio miſerunt. Sed tandem ab Artabazo, & Megabyzo deuicti ſunt, & in obſequium redacti. Athenienſes autem, certis conditionibus domum incolumes dimiſſi. Quomodo autem Iſmenias Thebanus hunc regem adierit legatus, nec tamen illi, iuxta morem & conſuetudinem regum Perſarum, qui ſane mos à Cyro Perſicæ Monarchiæ auctore inchoatus, ad vltimum vſque Darium continuauit, cultum adorationis præbuerit, Aelianus lib. 1. De varia hiſtoria his verbis oſtendit, inquiens. Iſmeniæ Thebani ſapientiſſimum & plane Græcum factum ſilentio præterire nullo modo poſſum. Is, patriæ cauſa legatione ad regem Perſarum ſuſcepta, venit, & voluit ipſe de ſuo negotio regem conuenire. Tribunus itaque militum, cuius officium erat, res nunciatas ad regem deferre, & volentes ad eum introducere. Verum ô Thebane hoſpes, dicebat, (hæc autem ioco loquebatur per interpretem: nomen erat tribuno Tithrauſtes) lex eſt vernacula Perſis, vt is, qui in conſpectum regis venit, non ante ſermonem cum eo conferat, quam genua inclinauerit. Quod ſi igitur vis ipſe eum adire, neceſſe eſt, vt, quod lex iubet, peragas. Sin minus, nos te cogemus, ſi non adoraueris. Iſmenias vero, Ageſis, igitur, inquit, deduc me. Cum autem in faciem regis ventum eſſet, annulum quem geſtabat, è digito detractum, clam abiecit ad regis pedes: confeſtimque procumbens, tanquam adoraret, ſuſtulit cum iterum, & honorem quidem adorationis Perſarum regi præſtitit, nihil tamen commiſit, quod ignominioſum, aut indecorum foret Græcis. Quicquid igitur petijt, impetrauit, neque quicquam à Perſa ei denegatum eſt. Huius autem rei meminit etiam Plut. in vita eiuſdem Artaxerxis, atque ita breuiter de illo ac Pelopida inquit. Iſmenias quoque Thebanus, & Pelopidas, qui victoriam ad Leuctra recens parauerat, ad regem profecti ſunt, quorum hic quidem nihil in ſe inhoneſtum admiſit. Iſmenias adorare iuſſus, annulum ante ſe in terram proiecit, inclinanſque ſe, eum ſuſtulit. itaque ſpeciem adorantis præbuit, &c. Quod vero ad huiuſmodi adorationem ſpectat, vt modo innumeras gentes prætercam, Græci ſane ab ea ſummopere abhorruerunt, grauique & atroci pœna in eos animaduertebãt, qui contra patrium morem & conſuetudinem vſi eſſent, quique largitionibus corrumperentur. De Thimagora quidem Athenienſi à veteribus proditum eſt, illum, quod Artaxerxem, ad quem legatus miſſus fuerat, contra Græcorum morem adoraſſet, & largitionibus corruptus eſſet, ab Athenienſibus capitali ſupplicio affectum. Tempore autem Alexandri, cum, conuocata Athenienſium concione, Demades ſurgens, decreto iuſſiſſet, vt Alexander ſcriberetur deus decimus tertius, populus impietatis magnitudinem non ferendam ducens, Demadi irrogauit mulctam centum talentorum, quod Alexandrum mortalem & hominem aſcripſiſſet Olympicis. Porro aduerſus hanc hominum adorationem extat elegantiſſima oratio Calliſthenis apud Arrianum libro quarto. Et de his quidem hactenus dictum ſit.

Iſmenia Thebani factum inſigne ac memorabile.

Mortuo Artaxerxe, Perſicum imperium delatum eſt ad Xerxem, quem fama eſt, annum regnaſſe, vel, vt quidam alij ſcripſere, non amplius duobus menſibus, eique ſuccedens in regno germanus eius Ogdianus, ſiue Sogdianus, ſeptem menſibus imperauit, iuxta Diod. ſiue, vt nonnullis placet, octo: Hunc, cum Darius Nothus intcremiſſet, ipſe regno potitus, præfuit annos 19. vt numerat Metaſthenes, & Græci. Pauſanias in Eliacis tradit, hunc fuiſſe Artaxerxis ex Pallaca filium, & multitudinis Perſarum ſtudijs fretum, Iſogæum legitimum Artaxerxis filium, regno expuliſſe. Alij vero in literas retulerunt, ipſum non fuiſſe filium Artaxerxis, ſed duntaxat ſororem illius habuiſſe in matrimonio. In huius regnum incidit illud, quod iam diximus, bellum Peloponneſiacum. Et Athenienſes quidem, licet ſatis domi impediti eſſent, tamen eius belli anno quarto, ſicut Thucydides ait, claſſem in Siciliam miſerunt, verbo quidem, vt Leontinis adeſſent contra Syracuſanos; reuera autem, vt inſulam illam ſuæ ditionis efficerent, quo ſic poſſent facilius atque commodius Græciam perdomare: cumque ſubinde reuerterentur, & factiones alerent, Hermocrates Syracuſanus auctor

Darius Nothus.

Bellum Peloponneſiacum.

fuit Siculis, vt depoſitis ſimultatibus, in mutuam gratiam & concotdiam redirent. Nam Athenienſes, ipſorum omnium libertati tendere inſidias. Itaque huius perſuaſione, reconciliatio inter eos ſequuta eſt, eius belli anno ſeptimo. Tribus poſt annis, pacem Athenienſes & Peloponneſiaci faciunt in annos quinquaginta: ſed non totum ſeptennium ea pactio durauit: tunc enim hoſtiliter multa fieri cœperunt: & licet non plane ſublata pax eſſet, ac ſubinde per inducias reſarcirentur offenſiones, nihilominus tamen anno 10. rurſus ad arma totis viribus conclamatum eſt, durauitque alterum hoc bellum annis 17. Tunc Athenienſes denuo claſſem ornatiſſimam in Siciliam mittunt cum exercitu quadraginta millium hominum armatorum, & primi duces erant inter alios Alcibiades & Nicias, & hic quidem, concionibus aliquot habitis, nauigationem valde diſſuaſit, Alcibiades vero contra. Huius itaque conſilio & auctoritate hoc bellum præcipue ſuſceptum eſt. Siculis opem ferebant Peloponneſiaci: tandem in portu Syracuſano Athenienſes cum hoſte confligunt; ſed poſt ancipitem ac ſubinde variantem fortunam, profligati fuerunt omnes atque conciſi, præter paucos qui fuga elapſi ſunt. Interea Lacedæmones, ac ſocij, potiſſime Alcibiadis conſilio, qui abſens ab Athenienſibus, capitis damnatus, ab eis defecerat, Darium regem Perſarum fœdere ſibi coniungunr. Darij legatus, ſeu præfectus, erat Tiſſaphernes, ad quem etiam ipſe Alcibiades, præ metu Athenienſium ſe contulit, & in eius intimam amicitiam peruenit. Portum Syracuſanum Cicero deſcribit, in eumque ſolam Athenienſium claſſem, poſt hominum memoriam inuaſiſſe trecentis nauibus, victam autem atque ſuperatam in eo ipſo portu, loci ipſius portuſque natura, & tunc primum opes ipſius ciuitatis victas, comminutas, atque depreſſas, & nobilitatis, imperij, gloriæ naufragium fuiſſe factum dicit. Hoc bellum Peloponneſiacum vniuerſam Græciam, vti diximus, grauiſſime afflixit. Nam & diuturnum fuit, & multæ ciuitates partim funditus deletæ ſunt: partim triſtiſſima ſeruitute oppreſſæ, idque ab exigua cauſa ortum eſſe tradunt, quam hic breuiſſime recenſebo. Erat commune fœdus Græcorum, ne qui alijs bella inferrent; ſed vt controuerſiæ communi iudicio dirimerentur. Sed inciderunt inter Megarenſes & Athenienſes de Luco incenſo contentiones, propter quem Attica ciuitas edictum propoſuit in Megarenſes, vt à portu Attico abſtinerent, ne liceret eis ingredi in terram Atticam. De hac iniuria cum Megarenſes apud Lacedæmonios queſti eſſent, petunt Lacedæmonij, vt edictum illud tollatur. Pericles fatetur, cauſam ipſam non magni momenti eſſe: ſed exemplum non tolerandum eſſe. Poſtea Lacedæmonios, maiorą imperaturos eſſe, ſi nunc in re parua cederent. Hac exaggeratione rē adducit ad bellum, vt ſuſpiciones, & aſtutiæ, ac virulentæ interpretationes ſæpe ſunt cauſſa magnorum bellorum. Has ingentes totius Græciæ calamitates denunciarunt eclipſis Solis initio belli facta, quæ medio die tenebras fecit, adeo vt ſtellæ conſpicerentur, & Cometa, qui arſit ſexaginta diebus. Cæterum, Athenis, priuſquam claſſis abiret in Siciliam, accidit, vt vna nocte omnes Hermæ, id eſt, ſtatuæ Mercuriales, quæ in veſtibulis ædium, vel in publicis vijs ſuper columnas conſtitui ornatus cauſa ſolebant, deijcerentur, præter vnum, qui ante ianuam erat, Androcideſque vocatus eſt. hoc cum appareret, non ſine magna multorum conſenſione eſſe factum, quod non ad priuatam, ſed ad publicam rem pertineret, magnus multitudini timor eſt iniectus, ne qua repentina vis in ciuitate exiſteret, quæ populi libertatem opprimeret. Porro extat integri huius belli non minus elegans, quam veridica enarratio cum apud alios, tum in primis apud Thucyd. Diod. & Xenoph. quam ſane iucundiſſimum eſt inſpicere ac ponderare. Vt vero ad inſtitutum redeam, regnante Dario, vixit Polydamas Scotuſæus, Niciæ filius, pancratiaſtes, ſtatura corporis maximus omnium ætatis ſuæ mortalium, qui etiamnum adoleſcens, in Olympo Macedoniæ monte, ingentem & præferocem Leonem prorſus inermis, nulliſque telis armatus, interfecit, cum in hoc ſe periculum Herculis incenſus æmulatione dimiſiſſet. Alterum edidit eximiæ fortitudinis miraculum: apprehenſum è grege medio maximum & ferociſſimum taurum, pedibus poſterioribus

Athenienſium clades in Sicilia.

Lacedæmones pacem ineunt cum rege Perſarum.

Cauſa belli Peloponneſiaci.

Eclipſis Solis & Cometa, præceſſerunt bellum Pelopon.

Polydamas Scotuſæus.

reſilientem,

reſilientem,& contranitentem, tam obnixe detinuit, vt vix, & relictis quidem vngulis, effugere potuerit. Aiunt, eundem Polydamantem, incitante equos auriga, altera tantum manu retractos à tergo currus ſiſtere ſolitum. Hac fama impulſus Darius, illum magnis per legatos donis & promiſſis inuitatum, Suſa ad ſe euocauit. Quo cum veniſſet, ex prouocatione tres de cohorte regia, exque illorum numero qui immortales vocabantur, occidit. Hæc eius facta, inſcriptione ſtatuę Olympicæ celebrata ſunt. Cæterum, huic robur, & virium ſuarum fiducia exitium attulit, ſicut Homerus de Hectore ſcripſit:

» *Tua te, fortiſſime, virtus*
» *Conficiet.*

Cum enim æſtiuo tempore cum ſodalibus & compotoribus ſuis in ſpecũ quendam ingreſſus, fortuito ſpeluncæ cacumen ingenti ruptura ruinam minaretur, ſocijs quidem Polydamantis, periculi metu dilapſis, ipſe viribus roborique ſuo confiſus, ſperans ruinæ ſe reniti poſſe, ſublatis manibus, montem fulcire conatus, caſuro ſpelũcę culmini ſeſe oppoſuit: ſed ſaxi pondere obrutus interijt, quemadmodum narrat Pauſan. in Eliacis, & Suidas pag. 803.

Artaxerxes Mnemon 7. rex Perſarum.

Poſt obitũ Darij, ſucceſſit Artaxerxes Mnemon cognomento, id eſt, Memor, vt quidam exponunt, Darij ac Pariſatidis filius. Is enim, ne poſt obitum, inter fratres de regno certamina orirentur, antequam è vita migraret, filium natu maximum, Artaxerxẽ, regem conſtituit. Tradidit autẽ ſecundo filio Cyro, ſine regio nomine gubernandam Lydiam & Ioniam. Sed poſt mortem patris, Cyrus ſiue à matre incitatus, quæ oderat coniugem Artaxerxis, ſiue alioqui ardens cupiditate dominationis, bellũ fratri intulit, & magnũ exercitum ex minore Aſia aduerſus fratrẽ vltra Euphratẽ duxit. Interea & Artaxerxes contraxit magnũ exercitũ, & cũ Cyro dimicauit. In eo prœlio Cyrus fratrem vulnerauit, & partẽ exercitus eius loco pepulit. Sed aliquanto poſt, cum paucioribus irrumpens in medios hoſtes Cyrus, interfectus eſt. Ita frater, qui ſine iuſta cauſa bellũ mouerat aduerſus fratrẽ & regem, quanquam in eo magnæ virtutes fuerunt, & robore exercitus antecelluit, diuino iudicio ſuperatus eſt. Huius in imperio iuſtitia, fides in pactis, modeſtia & munificentia erga principes & Reſpub. fortitudo in dimicando, comitas erga amicos, ac reliquæ eximiæ atque ingentes dotes, à Xenophonte, cuius titulo extat hiſtoria huius belli, & qui ei militauit, & valde familiaris fuit, adeo ſane, vt poſt, ab Athenienſibus, qui Mnemonem habebant amicũ, pulſus fuerit in exilium, honorifice deſcribuntur. Quomodo autem hoc prœlium geſtũ ſit, Plut. ex Cteſiæ narratione, quam breuiſſimus verbis oſtendit. Cyrus, inquit, trucidato Attagerſe, equũ in regem permiſit, & hic in illũ, ſilentio vterque. Occupat Cyri amicus Ariçus ferire regem, nec ſauciauit eum: rex miſſa lancea aberrauit, Tiſaphernem autem fidũ Cyro, & fortẽ virum percuſſit, atq; interemit. Cyrus, intorto per loricam regis, iaculo, vulnus pectori illius ingeſſit duos digitos altum: vnde ille ictus vi defluxit ex equo ad terram. Fuga & tumultu cohortis regiæ edito, rex aſſurgens cum paucis, inter quos fuit Cteſias, tumulum vicinũ cepit, vbi tenuit ſe quietum. Cyrum inter hoſtes volitantem equus ferox longe abſtulit: nec tenebris iam cognoſcebatur ab hoſtibus, & ab amicis quærebatur. Erectus autẽ victoria, ardoriſq; & fiduciæ plenus, per medios vehebatur hoſtes, clamans, Cedite miſeri. Dum hoc identidem lingua Perſica clamat, pars venerabundi decedunt ei via. Ibi cum tiara capiti eius defluxit, prætercurrens adoleſcens Perſes, (Mithridati nomen erat) tempus Cyri iaculo ſecundum oculũ ferit, inſcius qui ſit. Eructanti vim ſanguinis vulnere, captus Cyrus, vertigine & ſopore collabitur. Equus fugiẽs oberrabat: ſtratũ equi prolapſum capit comes illius qui Cyrum percuſſit, ſanguine redundans. Cyrum ex plaga ægre tandem colligentem ſe, aſſiſtentes eunuchi pauci alteri equo impoſuere, quo eriperent eũ. Quem equitandi impotentem, pedibusque connitentem ire, ſuſtinentes ducebant, corpore quidem ob vulnus in capite acceptũ grauem ceſpitantemque, ſed victorem arbitrantẽ ſe, quod fugientes audiret, Cyrũ regem alta voce appellantes, atque vt parceret ipſis, orantes. Interea Cannij quidam homines, tenues inopesque, qui hu-

Cyrus mouet bellum aduerſus fratrem, & in eo interficitur.

Eius virtutes.

milium miniſteriorum gratia regis caſtra ſequebantur, cõfuſi forte vt amici fuere cum illis qui circa Cyrum erant. Hi vt tandem puniceа ſagula eorum aduertere,(cum regij haberẽt omnes candida) intellexerunt hoſtes eſſe. Ita vnus eorum auſus eſt, ignarus qui eſſet, Cyrum iaculo à tergo ferire. Vulnerata poplitis vena prolapſus Cyrus, tempus ſimul ſaucium ad ſaxum offendit: vnde animam exhalauit. Hæc Plut. Et Xenophon de huius Cyri expeditione lib. 1. ſic breuiter inquit. Interea Cyrus regem Artaxerxem ſuo incinctum globo conſpicatus, continere ſe amplius nequit. Video, inquit, hominem, ſtatimq; in eum inuadit, & infeſta haſta per loricã pectus verberat. Quod ſe vulnus Cteſias medicus curaſſe refert. Ibi hoſtem incautius ferientem tragula ex hoſtili acie neſcio quis Cyrum alte ſub oculo vulnerat. pugnatur vtrinque acriter, dum ſuum vtraq; pars regem protegit. Cteſias quidem, qui ceciderint circa regem, memorat. in illis enim fuit partibus, &c. Poſt eius interitum, capta eſt in caſtris Aſpaſia, mulier Ionica, quam Cyrus magis amauit, quam cęteras concubinas, eum forma & ingenij ſuauitate omnes alias antecelleret. Hanc captam Artaxerxes valde amare cœpit. Cum autem filium Darium regem creaſſet, & conſuetudo eſſet, vt die, quo pater filium regem renuntiauerat, liceret filio donum petere à patre quodcunq; vellet, idque patrem largiri oporteret, filius Aſpaſiam petiuit. Et ſi dolebat eam pater ab ſe abduci, dedit tamen, nec multo poſt, rurſus eripuit. Inde inter patrem & filium orta ſimultate, filius incitatus & adiutus à Titibazo, conſtituto tempore, cum armatis irrumpit in cubiculum patris, vt eum interficiat. Sed præmonitus pater, effugit inſidias, & ibi Titibazus, & cęteri comites armati à patris ſatellitibus occidũtur, filius Darius capitur, & poſtea re iudicata in principum conſilio (quia pater ſolus de filio rege ſtatuere noluit) interimitur. Hęc pœna ſequuta eſt inceſtas libidines. Duxit autem pater vxorem filiam Atoſſam. Et cum iam Ochus filius regnum appeteret, fratrem Arſeman ipſe trucidauit. Alteri ſtatri tantum incuſſit terrorem, vt ipſe ſibi mortem conſciſceret. Hic aditus fuit Ocho ad regnum, qui poſtea cum filijs perijt, & Cyri poſteritas prorſus extincta eſt, & calamitas filiorum Mnemonis inceſta conſuetudine polluti, oſtendit peccata in ſemine, poſtea in

Ageſilaus. ſobole puniri. Hoc imperante, vixit Ageſilaus Archidami filius, illuſtris & generoſus Lacedęmoniorum rex, quem Theopompus teſtatur, ſummum ac præcipuum virum ſuę ætatis fuiſſe. Hic, ſimulac imperio potitus eſt, perſuaſit Lacedæmonijs, vt exercitum educerent in Aſiam, bellumque regi Perſarum inferrent, docens multo ſatius eſſe in Aſia, quam in Europa dimicare. Namque fama exierat, Artaxerxem comparare claſſem, ac pedeſtres copias, quas in Græciam mitte-

Eiuſdem victoria contra Perſas. ret. Data poteſtate ac imperator declaratus, tanta celeritate vſus eſt, vt prius in Aſiam eum exercitu peruenerit, quam regij ſatrapę eum ſcirent eſſe profectum. Et tandem cum Tiſſapherne qui ſummum imperium in regios præfectos habebat, in Hermis campis, vbi Ioniæ ſunt fines, cõgreſſus, illum prœlio fudit & ſuperauit. Pauſanias in Laconicis auctor eſt, huius equeſtres ac pedeſtres copias omnino ingentes fuiſſe. Cæterum, cum animaduerteret, hoſtes equitatu ſuperare, nunquam in campo, vt teſtatur Aemilius Probus in eius vita, ſui fecit poteſtatẽ: & his locis manus conſeruit, quibus plus pedeſtres copiæ valerent: pepulit ergo quotieſcunq; congreſſus eſt, multo maiores aduerſariorum copias, & ſic in Aſia verſatus eſt, vt omnium opinione victor duceretur. Hominis itaque in bellicis rebus alacritatem admirati Lacedęmonij, claſſis etiam imperium ei detulerunt. At ille cum ſtudium curamque omnem ad res magnas terreſtribus copijs gerendas contuliſſet, rebus naualibus Piſandrum vxoris ſuæ fratrem præfecit. Verum, quo minus voti fieret compos, & in Perſiam profectus, ipſum regem adoriretur, fortuna eius generoſiſſimis conatibus ſeſe oppoſuit. Vbi enim primum audiuit Artaxerxes, Ageſilaum, aliquot iam prœlijs proſpere factis, quæ ante pedes, vt aiunt, ſunt, pręter mittere, ac nouos ſemper rerum progreſſus quærentem, vlteriora appetere, Tiſſaphernem, apud ſe prius illuſtri gratia hominem, capitis damnatum, interfici iuſſit, eique ſucceſſorem, qui oræ maritimæ præeſſet, Tithrauſten mittit, hominem cum in rebus gerendis ſolertem, tum vero odio in Lacedæmonios

nios nonnihil laborantem. Hic,vt primum Sardes Lydiæ nobiliſſimam vrbem, quæ, præterquam quod opibus & omni copiarum genete cæteras longe anteibat,eius qui maritimam præfectutam obtinebat,ita regia erat,vti Suſa regis Perſarum,attigit,rationem excogitauit,per quam efficeret, vt Lacedæmonij ſuum Imperatotem cum exercitu ex Aſia reuocare cogerentur. Rhodium enim Timocratem cum pecunia mittit,qui corruptis ciuitatum principibus,Græciæ populos ad bellum contra Lacedæmonios ſuſcipiendum concitaret. Eorum nomina qui pecunias acceperunt videre eſt apud eundem Pauſ. In medio itaq; rerum bene gerendarum curſu,& in maxima ſpe totius Aſiæ potiundæ,Ageſilaus, Ephorum iuſſu domum reuocatus eſt,In quo,non minus eius pietas ſuſpicienda eſt,quā virtus bellica,qui cum victori præeſſet exercitui, maximamq;vt dictum eſt,haberet fiduciam,regni Perſarum potiundi,tanta modeſtia dicto audiens fuit iuſſis abſentium magiſtratuum,vt ſi priuatus in comitio eſſet Spartæ:Igitur opulentiſſimo regno bonam exiſtimationem præpoſuit, multoque glorioſius duxit,ſi patriæ inſtitutis paruiſſet,quam ſi bello vniuerſam Aſiam ſuperaſſet. Hac igitur mente Helleſpontum copias traiecit, tantaque celeritate vſus eſt,vt quod iter Xerxes anno vertente confecerat,hic tranſierit triginta diebus. Cum iam haud longe abeſſet à Peloponneſo,obſiſtere ei conati ſunt Athenienſes & Bœotij,cęteriq; eorum ſocij apud Coroneam, quos omnes grauiſſimo prœlio deuicit.Huius victoriæ,vel maxima fuit laus,quod cum plærique ex fuga ſe in templū Mineruæ cognomento Itoniæ recepiſſent,quæreretúrq; ab eo, quidnam his fieri vellet,etſi vulnus in pugna acceperat,& iratus videbatur omnibus qui aduerſus ſe arma tulerunt,tamen antetulit iræ religionem,& ſupplices vetuit violari. Cōceſſit & Thebanis pētentibus cadauera interfectorum ad ſepulturam. Poſt hoc prœlium,collatum eſt omne bellum circa Corinthum,quod eſt Corinthiacum appellatum ab his primum rerum nouarum motibus ortum, quod maiores in dies & grauiores habuit progreſſus,ita ſane, vt breui poſt toti Gręcię luctuoſum ac exitiabile fuerit. Hic cum vna pugna,decem millia hoſtium,Ageſilao duce, ceci diſſent,eoque facto,opes aduerſariorum debilitatæ viderentur, tantum abfuit ab inſolentia gloriæ,vt commiſeratus ſit fortunam Græciæ, quod tam multi à ſe victi culpa aduerſariorum concidiſſent. Namque illa multitudo, ſi ſana mens eſſet Græciæ,ſupplicium Perſis dare potuiſſet. Hæc, & plæraque alia memoratu digniſſima recenſentur à probatiſſimis ſcriptoribus de Ageſilao, & in primis à Xenophonte,qui de illius laudibus peculiarem librum ſcripſit,Plutarch. Pauſ.Iuſtin.ac Aemilio Probo,qui etiam eius vitam non minus preſſe ab breuiter quam eleganter poſteris ac memorię tradidit. Iiſdem temporibus,Conon Athenienſis,vir bellica virtute admodum clarus atque inſignis, patrię calamitatem, quam illi apud Aegos flumen Lyſander Lacedæmoniorum dux magis aſtutia & felicitate,quam virtute inflixerat,commiſeratus, enixe dabat operam, vt aduerſarios vlciſceretur. Hic ſane cum octo nauibus ex prœlio ad Euagoram regem Cypri aufugerat, & dum ibi eſſet, nihil aliud dies & noctes meditabatur,quam vt ſuis ciuibus præſidio eſſet, & patriam ab hoſtilibus armis liberaret. Itaque contulit ſe ad Pharnabazum Ioniæ & Lydiæ ſatrapam, eundemque generum regis Perſarum & propinquum,apud quem vt multum gratia valeret, mnlto labore multisque periculis effecit. Huius autem potiſſimum opera & ſtudio effectum eſt,vt Artaxerxes,Tiſſaphernem, cuius antea in regem plurima extabant merita,& illnd in primis,quod ipſius fide ac rei militaris peritia Cyrum fratrem ſuperarat,tandem hoſtem declararit, & Lacedæmonios bello perſequi iuſſerit,in eaque expeditione,Conon Pharnabazum coadiutorem habuit. Proinde regijs pecunijs opulentiſſima claſſe inſtructa, Lacedæmonios ad Gnidum adortus eſt,& nauali prœlio deuicit.Hac victoria non ſolum Athenæ, ſed etiam cuncta Græcia,quæ ſub Lacedæmoniorum fuerat imperio, liberata eſt, & hoc pacto Lacedæmones rurſus maris imperium amiſerunt, & paulatim ciuitatum defectio ſecuta eſt.Hæc clades nuntiata eſt Ageſilao in ipſo reditu ex Aſia vbi iam triennio fuerat, & ad hanc alia clades acceſſit ad Coroneam, de qua proxime

Bellum Corinthiacum.

Conon Athenienſis

Lacedæmoniorum clades ad Gnidum.

diximus. Hic tandem poſt multas res domi foriſque præclare ac fortiter geſtas, cum iam eſſet octogenarius, in Aegyptum adnauigauit, vt eos armis perſequeretur, qui à rege Nectanabo defecerant, ibique cum multa egregie preſtitiſſet, donatus à rege ducentis viginti talentis, veniſſetque in portum, qui Menelai vocatur, iacens inter Cyrenas & Aegyptũ, in morbum implicitus, deceſſit. Ibi cum amici, vt Spartam facilius perferre poſſent, quod mel non habebant, cera circumfuderunt, atque ita cadauer in patriam reportarunt. Lacedæmonij maiore mulro, quam aliorum regum ſepulturæ & funeris honore decorarunt. At Conon, vt etiam de huius exitu quam breuiſſime dicatur, poſt partam victoriam, cum parte nauium in patriam reuerſus, quinquaginta talenta, id eſt, triginta millia coronatorum, ſibi à Pharnabazo donata, ſuis ciuibus dedit, qua pecunia, muri Athenienſes à Lyſandro diruti, inſtaurati ſunt. Verum enimuero, huic accidit quod cæteris mortalibus, vt inconſideratior in ſecũda, quam aduerſa eſſet fortuna. Nam claſſe Laconica deuicta, cum vltum ſe iniurias patriæ putaret, pluraco cõcupiuit, quam efficere potuit. Neque tamen ea nõ pia & probanda fuerunt, quod potius patriæ opes augeri, quam regis maluit. Cum enim hæc naualis victoria, permagnam ſibi apud multas gentes auctoritatem conciliaſſet, non ſolum inter Barbaros, ſed etiam omnes Græciæ ciuitates clam dare operam cœpit, vt Ioniam & Aeoliam reſtitueret Athenienſibus. Id cum minus diligenter eſſet celatum, Tiribazus dux Perſicus, qui Sardibus præerat, Cononem euocauit, ſimulans ad regem eum ſe mittere velle: magna feſtinatione huius nuncio parens, cum veniſſet, in vincula coniectus eſt: in quibus aliquandiu fuit. inde nonnulli eum ad regem abductum, ibiq; perijſſe ſcriptum reliquerunt. Alij dicunt, eum effugiſſe: & ita quidem refert Aemilius. Ceterum, à quibuſdam in literas relatum eſt, Lacedæmonios, vt denuo creſcentem potentiam Athenienſium, & refectionem murorum impedirent, accuſaſſe Atticam ciuitatem, & nominatim Cononem apud præfatum Tiribazum, ac monuiſſe, periculoſam fore potentiam Athenienſium regno Perſico, præſertim cum & Enagoram regem Cypri Perſæ metuerent: Athenas miſiſſe legatos ad Tiribazum placandum: in his & Cononem fuiſſe. hunc à Tiribazo cõtra ius gentium captum, & in Perſiam abductum, vbi aiunt in carcere necatum eſſe, aut morbis extinctum. Addunt etiam, accuſatorem fuiſſe Antalcidam, Spartanum legatum, qui deinde à rege Perſico impetrarit edictum, quo Rex pacem omnibus Græcis imperabat, & bellum minabatur ijs qui non eſſent obtemperaturi, atque inde celebri appellatione nominata eſt pax Antalcidæ, cuius pleriquę ſcriptores meminerunt, & in primis Pauſ. in Bœoticis lib. 9. Et de his quidem hactenus dictum eſt.

Mors Ageſilai.

Muri Athen. inſtaurantur.

Cononis obitus.

Pax Antalcidæ.

Artaxerxi, præter Cyrum, fuerunt etiam duo fratres, nimirum Oſtanes, & Oxathres. Plutarchus, qui eius vitam eleganter deſcripſit, auctor eſt, ipſum vixiſſe annos 94. & regnaſſe annos 62. Cæterum alij ſcriptores, præſertim Græci, aſſerunt, illum non vltra quadraginta annos regnaſſe, licet eorum nonnulli, præter hunc numerum, tres alios addiderint. Huius obitus incidit in annum 3. Olymp. 104. Fuit natura manſueta & liberali, vt idem auctor teſtatur, comem ſe in congreſſibus præbendo, inque honoribus & beneficijs tribuendis pro dignitate cuiuſuis nimium etiam ſtudium adhibendo. à pœnis, ſi quas irrogaret, omnis aberat contumelia, cumque ineunda gratia non minus accipiendo, quam dando gauderet, humanum ſe & facilem in donãdo exhibebat. Nihil fuit enim, vt eiuſdem verbis vtar, tam vile eorum quo ſibi offerrentur, quod non alacriter acciperet. & cum Omiſus quidam, malum punicum mirabili magnitudine ad eum attuliſſet, per Mithram, inquit, hic vir vrbi paruę præfectus, videtur eam breui tempore magnam redacturus. Cum aliquando, alijs alia offerentibus in via, operarius homo, qui nihil aliud illo temporis articulo inueniret, ad fluuiũ accurrens, aquam inde hauſtam manibus ipſi attuliſſet, delectatus eo, pateram auream, & mille Darios dono homini miſit. Hæc duo, præter ipſum Plut. Aelianus etiam recenſet lib. 1. De varia hiſt. cuius verba propter inſignem elegantiam & ornatũ, hic equidem libenter ſubijciam, Ferunt, inquit, hominem Perſam, nomine Sinætam,

Artaxerxis Mnemonis obitus & natura.

nætam, procul à ſuo tugurio, factum obuiam Artaxerxi, qui Mnemon cognominabatur, & interceptum, metu legis ſeipſum cruciaſſe, atque verecundia regis. Cum vero, quid in præſentia faceret, non haberet, aiunt moleſte patientem ſe ab alijs Perſis officio ſuperari, neque committere volentem, vt ipſe ſolus donis non ferendis infamis eſſet, ad præterfluentem proxime fluuium, nomine Cyrum, ſumma celeritate accurriſſe, & è veſtigio procumbentem, aquam vtraque vola hauſiſſe, & ſic regem allocutum eſſe: O rex, inquit, Artaxerxa, regnes in æternum. Nunc ego pro locorum, & facultatis ratione, te honoro, vt non indonatus, quantum ad me attinet, & quantum in me eſt, prætereas. Honoro te Cyri aquis. Quod ſi tua caſtra veneris, domo mea, quantum meæ facultates patientur, precioſiſſima & optima feres. Artaxerxes hac re delectatus, Et ego, inquit, ô homo, grato animo munus tuum accipio, & in precioſiſſimis numero, & illis æquale ac par eſſe dico, primum quoniam aqua rerum omnium eſt optima, deinde quoniam Cyri nomen præ ſe fert. Et prorſus volo, vt mihi diuertenti, in caſtris appareas. Hæc locutus mandauit ſpadonibus, vt munus ab eo reciperent. qui ſine mora accurrentes, in auream phialam de manibus eius aquam exceperunt. Rex vero cum ad diuerſorium ſuum perueniſſet, miſit homini ſtolam Perſicam, & phialam auream, atque mille Daricos. Simulque ferentem ea dicere iuſſit: Viſum eſt regi, vt hoc auro tuum animum oblectes & exhilares, quoniam ipſius quoque mentem voluptàte affeciſti, qui non indonatum neque inhonoratum prætetire paſſus ſis: ſed quemadmodum neceſſitas patiebatur, ita ſis veneratus. Vult etiam, vt hac phiala aquam ex illo flumine hauſtam bibas. Hactenus de aqua Artaxerxi dono data, eiuſque beneficentia. De malo autem punico eidem regi donato, ſic idem auctor memoriæ prodidit. Miſes Artaxerxi per Perſidem equitanti, malum punicum maximum obtulit in vanno. Rex magnitudinem eius admiratus, interrogauit, E quonam horto depromptum hoc donum mihi adfers? Illo vero reſpondente, domo ſua, & ex ſuis agris: gauiſus rex ſupra modum, miſſis regijs muneribus, virum ornauit, &, Per Solem, inquit, iſte homo tali curatione & diligentia poterit etiam ciuitatem, meo quidem iudicio, ex parua ampliorem reddere. Videtur autem hic ſermo innuere, omnes res, cura & ſufficienti opera, & indefeſſo labore, contra naturam etiam meliores & præſtantiores effici poſſe. Hucuſque Aelianus. Anno Artaxerxis 32. facta eſt pugna Leuctrica, in qua victores fuerunt Thebani aduerſus Spartanos. *Pugna Leuctrica.* Huius etiam principatu, vrbs Roma à Gallis capta & incenſa eſt, Olympiade nonageſima nona, & anno, ex quo fuerat condita, trecenteſimo ac ſexageſimo quinto. *Roma à Gallis capta.* Eodem imperitante, Cteſias Gnidius circa annum mundi 3564 in Cyri iunioris aduerſus fratrem Artaxerxem expeditione captus, & propter artis Medicę peritiam, in regis familiam adſcitus, ex commentarijs regijs, vetuſtiſſimam regum Aſſyriæ & Babylonicæ, ac Perſiæ hiſtoriam, deductam à Nino, vſque ad annum 7. poſt captas à Lyſandro Athenas, Græcis prodidit, comprehenſam libris viginti tribus. *Cteſias Gnidius.* Quorum ſex priores Aſſyriacis & Babylonicis rebus tribuuntur. Sequentes quinque Cyri hiſtoriam complectuntur. Duo proximi, Cambyſis, Darij, & Xerxis vitam. Libro 14. & ſequentibus quatuor, Artaxerxis Longimani imperium, & interregna Xerxis ac Secundiani, & vitã Darij Athi comprehendit. Liber 19. 20. &c. Artaxerxis Mnemonis cum fratre Cyro bellum, & alia inde ſecuta commemorat. Quæ autem huius celeberrimi ac pręſtantiſſimi auctoris fragmenta extent eorum ſcriptorum, quę Perſica nominata ſunt, paucis ab hinc annis Latine reddita, ad ampliorem rerum Perſicarum notitiam, in calce huius operis adijciam. Scripſit & Metaſthenes ex Perſia oriundus, Perſicam hiſtoriam vſque ad Cyrũ, & deinceps Perſicos Monarchas vſq; ad Alexandri mortem. *Metaſthenes.* Fuerunt etiam complures alij, qui circa idem argumentum verſati ſunt, quorum omnium ne ipſa quidem fragmenta ſuperſunt. Cæterum inter Græcos ſcriptores, qui huius Monarchiæ, & rerum Græcarum quæ in tempora illa inciderunt, ſeriem complexi ſunt, & quorum monumenta maiori ex parte integra & illæſa Diodoro excepto, melior fortuna reſeruauit, illuſtriores fuerunt præter Cte-

Herodotus. Thucydides. Xenophon. Plutarch. Diodor.

ſiam,Herodotus,Thucydides,Xenophon,Plutarchus,& quem nominaui, Diodorus.Hic enim Bibliothecam,ſeu vniuerſalem totius fere orbis habitari hiſtoriam,omnium accuratiſſime temporibus & annis ſingulis diſtinctam,vſq; ad Iulij Cæſaris tempora,libris 40.complexus eſt.Ex his quinq; priores, quos Pogius Florentinus interpres in ſex diſtribuit, ex vltima vetuſtatis memoria repetitam originem mundi,& antiquitates Aegyptias,Aſſyrias,Libycas,Græcas,& aliarum gentium res geſtas,quæ bellum Troianum anteceſſerunt,ſummatim exponunt. Reliqui 34. libri continuam ſeriem annorum 1138.à bello Troiano vſque ad Diuum Iuliū Cæſarem comprehendunt.Ex vniuerſa tamē hac Diodori bibliotheca 15.tantummodo libri extant,&in his,quinq; priores,exacta temporum diſtributione carent.

Ochus.

A Mnemone regnauit Ochus,qui & Artaxerxes dictus eſt,ex tribus, ſiue quatuor filijs natu minimus.Huius gubernatio cum plena fuiſſet crudelitatis aduerſus domeſticos,externas nationes, & aduerſus Eccleſiam in Iudæa,quæ mediocrem tranquillitatem,&quaſi Halcyonia habuerat, tandem ipſe à quodam ſuo duce interfectus eſt.

Eiuſdem cædes, & crudelitas.

Initio gubernationis Sidonē proditione cepit,vbi cum ſupplices trucidaſſet,irati Sidonij,ipſi vrbem incenderunt. Ac perijſſe ibi quadraginta millia hominū ſcribitur. Poſtea Euagoram Cypri regem,de quo extat Iſocratis oratio,cum fuiſſet eius ſocius,interemit. Hic etiam recuperauit Aegyptū. Cumq; in vicinia Iudæa bellū gereret,ſęuitiam & in Iudæos exercuit, quibus ad id tempus,à Longimano vſq; Deus tranquillitatem dederat, vt inſtaurari vrbes templum,doctrinæ ſtudia,& totus ordo gubernationis poſſent.Sed tanta eſt humanę naturæ infirmitas,vt in rebus ſecundis lętitia afferat negligentiam in frænandis cupiditatibus.Cœperunt igitur iam fratres de ſummo ſacerdotio certare. Summus ſacerdos erat Iohanna.Hunc, vt frater eius Ieſus excuteret, petit à Vagoſe Perſico Præſide auxilium,& conatur vi occupare templum. Ibi à fratre Iohanna frater in templo trucidatur.Talia peccata irritarunt iram Dei. Venit igitur Ieroſolymam Vagoſes,& ingreſſus templum,inde ſpolia auexit. Cui cum diceret Iohanna,impie eum facere,reſpondet præſes Perſicus, illū vero magis impie feciſſe,qui ibi fratrem occidiſſet. Poſtea Ochus & annuas penſiones templo eripuit,donatas à Cyro & Longimano,& indixit tributa populo Iudæorum. Occupata etiā pręfectura, id enim ſignificat ἀπόδασμος,multa oppida deleuit,& multas familias procul tranſtulit in Hircaniam ad mare Caſpium. Rurſus igitur Eccleſiam exercuerunt magnæ calamitates vſque ad Alexandrum M. qui veniens Ieroſolymam,vt poſtea dicetur,reſtituit Iudæis αὐτονομίαν,& pacem, & tributa remiſit.De hoc autem Diod. lib.17.pag 381.ſic memoriæ tradidit. Cum rex Philippus adhuc viueret,Petſis Ochus imperabat; populis ſuis ob mores truces & ſanguinarios parum acceptus. Itaq; cum multis ex ſua aſperitate odioſum Bagoas militum mille præfectus,ſpado quidem,ſed tamen natura & ſceleſtus, & bellicis rebus tractandis idoneus,per medicum quendam data potione medicata, interemit:filiumq; regis iuniorem,Arſen nomine,in regnum intruſit: eius fratribus, qui omnes iuuenes erant,ſublatis è medio,quo rex ſolus relictus, ſibi obſequentior eſſet.Iam vero adoleſcente rege animum ad patrata ſcelera adiiciente, cum palam eſſet,de tot flagitiorum authore pœnas eum ſumpturum eſſe,Bagoas inſidias ſibi intentatas eſſe,in vulgus iaciens, Arſen, qui iam annum tertium regnabat,cum omni prole extinxit:ita domo regia in ſolitudinem redacta,cum nullus eius gentis ſupereſſet,cui regnum per ſucceſſionem deberetur,delegit eunuchus vnum ex amicis,cui Dario erat nomen, eumq; regem fieri curauit. Erat autem Darius Arſani,qui Ocho Perſarum regi frater fuerat,filius. Sed Bagoæ caſus quidam ſingularis & memoratu dignus contigit. Cum enim in conſuetudinem parricidia cōmittendi veniſſet,Dariū etiam veneno interimere aggreſſus erat. Verum,dolo cognito,rex comiter ad ſe Bagoam inuitat, poculumq; in ſe paratū ei porrigens,vti venenum ebiberet,coegit. Exiſtimatus autem eſt Darius regiæ dignitati ſuſtinendæ idoneus eſſe, quod Perſis omnibus virtute præſtare crederetur propter huiuſmodi facinus, Cum Artaxerxes antea rex Perſarum,contra Ca-

duſios

duſios bellum ſuſcepiſſet, ibi quodam è numero hoſtium, cuins robur & animi conſtanria in ore omnium erat, inuitante ad certamen ſingulare Perſarum aliquem, cum nullus progredi auderet, ſolus Darius periculo ſe obtulit, aduerſariúque victum interfecit. Qua ex re munera ingentia à rege, & à Perſis omnibus exiſtimationem eam retulit, vt ſibi fortitudinis quædam prærogatiua tribuererut. Principatum igitur, quem ſtrenue ſe gerẽdo metuiſſe viſus eſt, per ea ferme tempora Darius accepit, quibus Philippo mortuo, Alexander in Macedoniæ regnum ſucceſſit. Hucuſque Diod. qui etiam lib. 16. aſſerit, hunc regem Aegyptios qui à Perſis defecerant, eorum imperio adieciſſe, Nectanebo rege in Aethiopiam pulſo, in quo Aegyptiorum regnum deſtructnm eſt. De hoc autem Polyænus lib. 7. ſic in literas retulit. Ochus, Artaxerxe patre ſua vita defuncto, cum ſciret patrem ſuperſtitẽ adhuc formidabilem ſubditis extitiſſe, ſe vero poſt eius obitum pro nihilo habitum iri, cum eunuchis, catacomiſtis & Chiliarcho pactum inijt, ac mortem ad decem menſes celauit. Interea temporis regium ſigillum circummittens, nomine parentis edixir, vt Ochum regem promulgarent: cumque omnes eum regem ſalutarent, & obedientiam pręſtarent, tum denique confeſſus eſt patris mortem, regiumque luctum conſuetudine Perſarum imperauit. De huins ſæuitia & immanitate Curtius lib. 10. breuiter inquit: Subibat inter hęc animo, octoginta fratres ſuos eodem die ab Ocho ſæuiſſimo regum trucidatos, adiectumque ſtragi tot filiorum patrem. De hoc meminit etiam Valer lib. 9. cap. 2. inquiens: Apertior, & retrior alterius Ochi cognomine Artaxerxis crudelitas, qui Ocham ſororem, atque eandem ſocrum, viuam capite defodit, & patruum cum centum & amplins filijs ac nepotibus vacua area deſtitutum, iaculis cõfixit: nulla iniuria laceſſitus, ſed quod in his maximam apud Perſas probitatis & fortitudinis laudem conſiſtere videbat. Aelianus quoque lib. 2. De varia hiſtoria, cum de ſapientia Magorum Perſicorum mentionem faceret, de Ocho ita ſcriptum reliquit. Perſicorum Magorum ſapientia, tum alia tenuit, quæ ipſis ſcire fas eſſet, tum etiam vaticinandi ſcientiam calluit. Hi ergo prędixerunt etiam Ochi ſęuitiam aduerſus ſubditos & cædem, cum id ex ſignis qnibuſdam arcanis præuidiſſent. Nam cum Artaxerxe patre è viuis ſubtracto, regnum Perſarum Ochus capeſſeret, Magi cuidam ex Eunuchis præceperunt, vt poſita menſa, animum aduerteret, quibus rebus ex obiectis rex primum manum inijceret. Qui cum oculos ad hoc intentos haberet, Ochus vtraque manu protenſa, dextra vnum ex adiacentibus cultris arripuit, altera maximum panem accepit, quem carnibus impoſitum ſcidit, & alacriter comedit. Quibus anditis, Magi hæc duo vaticinati ſunr, frugum tempeſtiuam fertilitatem, atq; annonæ copiam, illo regnante, & cædium frequentiam protendentes: neque falſi fuerunr. Plutarchus in tractatu, cui titulus eſt, De Iſide & Oſiride, de Aegyptijs locutus, inquit. Aſinum quoq; arbitrantur ſimilitudinis, vt docuimus, pœnas dare non minus ob inertiam & petulantiam, quam ob colorem. Itaq; etiam de Perſicis regibus maxime exoſi Ochum, vt ſceleſtum & impurum Aſinum appellarunt. Ochus hoc fatus: At enim hic Aſinus veſtrũ Bouem epulabitur. Apim mactauit, vt narrat Decino. Is enim, ingenti coacta manu, occupauit Aegyptũm, & Apim immolauit. Quanta vero auaritia extiterit, ex hoc facile apparet, quod cum Perſarum reges, ſi quando Perſidem adirent, ſingulis mulieribus ad ſobolis inuitamenta, ſingulos aureos dare ſoliti eſſent, prægnantib⁹ vero duplices, illuc, ne quid elargiretur, adire recuſauit.

Ochi auaritia.

Ocho apud Perſas regnante, Philippus rex fit 22. Macedonũ anno 1. Olym. 105. Diod. lib. 16. circa annum V.C. 400. vt aſſerit Gel. lib. 17. cap. 21. Regnauit 24. annos. Anno autem 21. ſuſcepit imperium. Hic ſane inter reges præcipuos recenſetur: quia conſilio & fortitudine excelluit, & paruis copijs magnos exercitus vicit. Initio regni vicit Athenienſes, qnibus Thebani auxilio aduenerant. His autem victis ad Chæroneam, (in hoc autem prœlio ex ipſis Athenienſibus duo millia occubuerunt, & totidem capta ſunt) non tantũ profecit armis, quantũ moderatione & humanitate. Nam bello quidẽ & armis ſolos eos ſuperauit, qui in acie cõtra ſteterãt. Aequitate autẽ animi & moderatione omnes Atheniẽſes ſimul & il-

Philippus rex Maced.

lorum vrbem cepit, non iracundiæ ſecutus impetum in re gerenda, ſed eo vſq; bello geſto, perductaq; victoria, dum occaſio ſe obtuliſſet ſuę clementiæ & bonitatis declarandæ. Itaque ſine pretio dimiſit captiuos: & Antipatrum, Athenienſium occiſos humare iuſſit, atque etiã colligi eorũ oſſa: & eorum, quos domũ remittebat, pleriſque veſtitis, propter ingenij ſolertiã maximũ facinus edidit. Animis enim Athenienſium magnanimitate ſua perculſis, loco hoſtiũ eos ad quoduis officiũ alacres adiutores habuit. Quod vero extat apud Diod. pag. 376. haud ſane caret admiratione. Is enim refert, eodẽ die, & hora, qua ad Chęroneã conflictum eſt à Philippo, aliud certamen cõmiſſum fuiſſe inter Lucanos & Tarentinos, in quo, Archidamus Laced. rex, pro Tarentinis pugnans, interemptus ſit. Ochus regnauit annos 23. Diod. pag. 485. Anno ab orbe creato 3629.

Arſames 9. rex Perſarum.

Arſes, ſiue Arſames, Ocho ſucceſſit in regnum Perſiæ, & imperauit annis 3. non integris, vt liquet ex Diod. lib. 17. Nonnullis autem videtur eum regnaſſe annis 4. Ocho enim interſecto à principe Bagoa, vt ſupra commemoratum eſt, cum ipſe regnum in ſeſe transferre non poſſet, regem fecit Arſamen Ochi filium, qui cum annos 4. regnaſſet, etiam ab hoc ipſo Bagoa è medio ſublatus eſt, metuente filium, propter necem paternam. Huic ſucceſſit Darius filius Arſami, nepos Ochi regis ex fratre, qui paulo ante Philippi Macedonis obitum, rex Perſarum renuntiatus eſt. Regnauit annos ſex: ſed obſeruato eius initio, & morte, colligitur ex Diod. ſeptem ſere annis regnaſſe. Iuſtinus, Darium ante Codomamnum appellatum, & ob virtutem prius Armenijs præfectum, Darijque nomen accepiſſe ſcribit lib. 10. Diod. prętetea, regio eum genere natum fuiſſe teſtatur. Quomodo autem ad regale faſtigium peruenerit, ſupra ex ipſius Diodori ſententia ſatis luculenter oſtendimus. Cœpit regnare anno mundi 3604. & eodem anno, quo Philippus mortuus ẽſt, interfectus à Pauſania, anno 1. Olymp. 3. poſtquam 24. annos, vt dictum eſt, imperaſſet. In cuius locum ſucceſſit Alexander eius filius, annos ſere 20. natus. Huius iuuentutem Darius vir impiger, ac bello potens, primo aſpernatus eſt: At mox eius laude per orbem vulgata commotus, ingentem exercitum armauit, duces optimos accerſens, inter quos Memnon Rhodius fuit. Quid vero ipſum Alexandrum impulerit, vt bellum Perſicum moueret, plurimæ cauſæ commemorari poſſent cum publicæ, tum priuatæ. Publicæ quidem, propter memoriam prioris Darij, & Xerxis, quorum prior, Græcos, qui oram Helleſponti tenent, coloniasque Græcorum Ionas, ingenti clade vaſtauit, cum magno deinde exercitu mare traiecit, illato, vti iam diximus, Macedoniæ, & Græciæ bello. Alter, ad eos oppugnandos, cum immanibus copijs venit, qui tamen nauali prœlio victus, Mardonium reliquit in Græcia, vt abſens quoque popularetur vrbes, atque agros vreret, ipſamque aquam inficeret, adeo vt neque fontium hauſtum, nec ſolitos cibos relinqueret. Deinde Deûm templa ruinis & ignibus deleta, vrbes eorum extirpatas, fœdera humani diuinique iuris violata. Priuatæ vero, quod hic Darius ab ipſius patre Philippo tributũ requiſierat, miſſaq; prius ſuperba & contumelioſa legatione, ſe regem regum, ac deorum conſanguineum, Alexandrum autem famulum ſuum appellabat. Quin etiam ſuis Satrapis id negotij dederat, vt inſanientẽ iſtum Philippi adoleſcentulum, (ſic enim eum per contemptũ vocabat) verberibus puerilibus grauiter cæſum, indutumq; poſt veſte purpurea, ſibi vinctum traderent, nauibusq; vna cum nautis ſubmerſis, omnes eius milites ad vlteriora Maris rubri tranſportarent. Ad hæc accedebat etiam dolor cum patris interfecti, pro cuius interitu ingentem ſummam pecuniæ idem Darius ſpoponderat, tum etiam quia audierat, ipſum mille talenta ſe daturum pronunciari iuſſiſſe, qui ſe interficerẽt, quodque ſubinde ad Græcos de ipſo hoſtiles literas ſcripſiſſet, eosque ad arma contra eum capeſſenda, quantum in ipſo erat, cohortatus eſſet, atq; in eam rem ad Lacedæmonienſes, & alios quoſdam Græcorum pecuniam miſiſſet, quo facto ipſius amicos ac ſocios ab eo diſtrahere atq; abalienare conaretur. Poſtremo vel ſola ſufficere poterat ingẽs & inexhauſta cupiditas imperij ac nominis propagãdi, qua fiebat, vt etiã ipſius patri rerũ geſtarũ magnitudinẽ inuideret, verit⁹, ne is omnia occuparet,

Darius vlt. rex Perſarum.

Cauſa bellorum inter Alex. & Darium.

paret,nullumq; inſigne facinus ſibi relinqueret, quo ſuum nomen æternitati conſecraret. Hoc itaque ex inſidijs interfecto,cum iam vigeſimum ętatis annum attigiſſet,nihil ſibi antiquius duxit, quam vt ſtatim Perſis bellum, quod animo prius meditabatur,inſerret. Quocirca ſimul ac regnare cœpit, Corinthum in Peloponneſum profectus eſt,ibique habito generali totius Græciæ concilio, contra Perſas,vt imperator crearetur,petijt,quod quidem paulo ante Philippo patri conceſſerant. Porro cum compoſitis in Thracia rebus, in Illyricum promouiſſet exercitũ,aliquot ibi populis domitis,reuocatur in Gręciam,ob tumultuantes quaſdam ciuitates,rebus ipſius contrarias, maxime vero Thebanos,qui Macedonum in Cadmæa arce pręſidium eiecerant. Thebani quidem Græciæ libertatem ſe vindicaturos pretexebant, Alexander autem expeditionem in Perſas adornans,cupiebat Græciam poſt ſe quietam eſſe. Orto igitur inter Thebanos & Alexan. atroci bello, vrbs Thebæ à Macedonibus obſidetur: repugnant ſtrenue Thebani,ſed tandem vincuntur. Vrbs miſerrime diripitur, ac maxime à vicinis popusis affligitur. 6. millia Thebanorum cæſa,30. millia capta: quibus venditis,rex 440. talentorum,hoc eſt,264000. coronatorum, argenti ſummam coëgit. Vrbem ſolo æquauit,quam funditus deletam, poſtea Caſſander anno 20. poſtquam ab Alexandro diruta fuerat,reſtitui iuſſit. Et de exulibus,qui effugerant,decretum eſt,ne vſquam eis in Græcia hoſpitium præberetur. Sed Athenienſes memores veteris beneficij,cum contra Lacedæmon. decretum, Thebani ipſis hoſpitium prębuerant,tunc receperunt exules,nec eos expulerunt. Hanc gratitudinem poſtea Alexander comprobauit. Anni ſunt autem ab eo tempore,quo captæ ſunt Athenę à Lyſandro,60. nec ſunt plures. Tam exiguo tempore primum Athenæ. & imperium amiſerunt,& captæ ſunt. Deinde Sparta amiſſo imperio,duriſſime afflicta eſt. Nec multo poſt, vrbs Thebana funditus euerſa eſt. Fuitq; is annus tertius poſt luctuoſam pugnam ad Chæroneam. Ita cum Græcia ſingulari ſapientia & virtute diu floruiſſet, poſtea laxata diſciplina, cum iuniorum petulantia & ambitione bella non neceſſaria moueret, magnorum ſcelerum pœnas dedit. Dignum vero memoria eſt factum Timocleæ matronæ Thebanę,à qua cum poſceret quidam ex Alexandri ductoribus quicquid habebat auri & argenti,& illa corpori metueret,dixit, ſe monſtraturam, quo abieciſſet. Educit igitur militem ad puteum in hortum,& ait,ibi occultatũ eſſe. Cumq; oculi militis ad puteum conuerſi eſſent,ipſa eum impellit, & in puteum præcipitat. Poſtea ad Alexandrum adducitur Matrona: qui audiens eius narrationem,& nobilitatem familiæ,iuſſit eam cum filijs & filiabus liberam eſſe. Reges enim vt aliarum virtutum,ita & pudicitiæ defenſores eſſe debent. Alexander etiam Pindari Poetæ domum & cognatos ob ipſius reuerentiam incolumes ſeruari iuſſit. Vt vero & illud obiter dicatur. Thebæ fuerũt captę ac dirutæ menſe Bœdromione,eo fere tempore,quo myſteria agebantur. Plut. in Camillo,pag. 64 à pag. vero 256. c. in vita Alexan. inſtante ſolennitate myſteriorum funditus deletas eſſe clare inſinuat,nam ob mœrorem dirutæ vrbis ea intermiſſa ait. Diod. quoq; captas Thebas ponit, Eunęto Athenis Archonte,lib. 17. pag 536. Poſt Thebanũ excidiũ, Alexander petiuit ab Athen. vt ſibi dederent Oratores, Demoſthenem & Lycurgum,qui bellum ſuaſerant. Et cenſuit Phocion,vt teſtis eſt præter alios, Diod. lib. 17. pag. 385. ſicut olim Hyacinthidas & Lei filiæ factæ eſſent victimæ pro patria,ita ipſi quoque ad hoſtem accederent, ac ſe interfici paterentur,vt patria tranquilla eſſet. Hic Demoſthenes recitauit apologum de lupis,qui paſtoribus pacem offerebant,ea conditione,ſi canes dederent. Sed cum populus dubitaret,orator Demades ad Alexan. profecturũ ſe eſſe promiſit. Huic populus dat mandata, vt pacē petat,: Item,vt petat ne cogantur exules Thebanos expellere. Quæ omnia Demadis legatione impetrata ſunt. Hæc Alexandri moderatio in victoria excellens virtus fuit,& opus Dei,qui incēderat eũ ſingulari impetu,ad faciendam imperij translationē, & puniendam ſæuitiam & luxũ Perſarum, ſicut Siracides inquit cap. 10. Propter iniuſtitiam regnum à gente in gentem transfertur. Alexander,victis Thebanis, magnoque alijs ciuitatibus terrore iniecto,

Thebani vincũtur ab Alexandro.

Inſigne factũ Timocleæ.

Alex. petit ſibi dari ab Athen. Demoſthenem & Lycurgum.

Demoſthenis apologus

Demades mittitur ab Athen. orator ad Alex.

in Macedoniam reuerſus eſt, ibique cum ſuis ducibus conſultare cœpit, quibus copijs Aſiam ingrederetur, & qua ratione bellum aduerſus Perſas gerẽdum eſſet. Deniq; ſacrificia ac magnificum epulum principibus & exercitus ducibus parauit, militibus vniuerſis earum rerum participibus, eaque omnia quæ primo anno & reliquis ab eo geſta ſunt, Diod. eleganter refert. Olympiados eiuſdem anno ſecundo Alexander ex Europa in Aſiam proficiſcens, primum 60. nauibus Helleſpontum traiecit in Troiadem. deinde exercitum recenſuit, qui fuit peditum 30. millium, equitum 4. millium. At quingenti duces Perſarum, cum in prohibendo Alex. exercitu tardiores fuiſſent, conſultant, quo pacto bellum gerant. Ibi Memnon Rhodius, rem initio in diſcrimen deduci non oportere, ſed agros vaſtando, neceſſariorum inopia hoſtem prohibendum, ne vlterius progrederetur, ſimulque in Macedoniam nauales pedeſtresq; copias traducendas, ac totum bellum in Europam mouendum hortatur & ſuadet. Hoc optimum conſilium, vt rerum poſtea euentus docuit, reliqui Perſarum duces aſpernati, exercitum centum millium peditum, ac equitum decem millium in Phrygiam ad Helleſpontum duxerunt, ad Granicum amnem ripis probe munitis progreſſi. Contra quos Alex. profectus ex aduerſo illorum, ad eundem amnem caſtrametatus, ingenti audacia ad primum lucis ortum, antequam hoſtis ſe opponeret, copias traiecit, aciemq; ad conflictum inſtruxit. Ibi prima pugna Macedonum cum Perſis facta. Ceciderunt in eo conflictu Perſarum 7. Satrapæ, peditũ 10. millia, equitum duo millia, capti ſunt ad 20. millia, & falcati currus amiſſi 1011. Poſt hanc inſignem victoriam Alex. in Lydiam mouit, vbi mox Sardes eius gentis caput, ingenti allato theſauro per proditionem habuit. Deinde Miletum vi cœpit: & in Cariam pergens, omni ea prouincia potitur, præter Halicarnaſſum, in qua oppugnãda multum laboris exhauſit, multumque periculi adijt. Sed tandem & ipſa vrbe occupata, via illi data eſt, qua Cilicia quoque potiretur. Darius interea, ne Alexander vlterius procederet, contractis tam pedeſtribus, quam equeſtribus copijs, decreuit Macedonibus occurrere, priuſquam totam Aſiam ſibi ſubijcerent. Itaque vltra Euphratẽ traducto exercitu, & ſuperato Tauro monte Ciliciæ, ſtatuit in ea prouincia hoſtem prœlio excipere. Contra hunc Alexander progreſſus, ſigna cõtulit non procul ab Amano monte in faucibus iuxta oppidũ Iſſum. Cum autem ei locum opportunum fortuna dediſſet, munere hoc ad victoriam eo melius parandam prudenter vſus eſt: cum longe admodum inferior hoſtili multitudine, non modo id cauit, vti ne ab ijs circumueniretur: ſed & ipſe dextro cornu ſiniſtrũ eorum ita præterijt, vt ex obliquo irruens, in fugã oppoſitos ſibi hoſtes pugnans ipſe inter primos coniecerit. Ea quidem in pugna gladio femur ictus eſt, ſed tamẽ inſigni victoria potitus, cæſis amplius 110. millibus Barbarorum. At Darius, vbi ſe victum animaduertit, equam velociſſimam conſcendit, eiuſque beneficio, 4. aut 5. ſtadijs hoſtem anteuertit. In hoc prœlio capta eſt præter alios, Darij mater, vxor, & duæ ipſius filiæ virgines, in quas omnes Alexander ſumma clementia & benignitate vſus eſt. His feliciter peractis, in Syriam venit, ibique cepit Damaſcũ, & occupata Sidone, Tyrum quoque oppugnabat, quam vrbem poſt ſeptimum menſem ab obſidione haud ſane citra magnam difficultatem & iacturam ſuorũ militum expugnauit. Poſthæc, recta petijt Hieroſolyma, eo animo, vt hanc vrbem funditus deleret, iratus contra Iaddum pontificem, quod antea neglexiſſet imperata eius facere. Huic autem, ſicuti refert Ioſeph. Ant. Iudaicæ ſub finem lib. 11. vbi Indictis populo ſupplicationibus, & immolatis Deo victimis, ad opem eius confugiſſet, eique publicam ſalutem commendaſſet, proxima poſt ſacrificium nocte, in ſomnio Deus apparuit, iubens, vt bono eſſet animo, & coronata vrbe portas aperiret, vtque populus in albis veſtibus obuiam prodiret, ipſe vero cum reliquis ſacerdotibus ſolenni cultu ſui ordinis, ſecuri de Dei prouidentia. Experrectus autem è ſomno, lætus ciuibus hoc oraculum indicat, & paratis omnibus, vt in ſomnis præmonitus fuerat, regis aduentum prẽſtolabatur: & cum renunciatum eſſet, eum iam non procul ab vrbe adeſſe, progreſſus eſt cum ſacerdotibus & vrbanã multitudine pompa quadam noua & venerabili vſque ad locum

Perſarum clades.

Alex potitur Cilicia.

Darij apparatus.

Perſæ iterum vincuntur.

Tyrus ab Alexan. expugnata.

Iaddi Pontificis viſio.

cum qui dicitur Sapha, quę vox Speculam ſignificat, quod ibi & vrbs & templum in proſpectu ſit. Et cum Phœnices ac Chaldæi ſperarent ſibi licere quicquid iratus rex poſſet permittere, direptionem vrbis, & Pontificis exquiſitum ſupplicium, plane contrarium euenit.

Idem cum reliquis Alexando occurrit.

Alexander enim vt vidit è longinquo candidatum populum, & ſacerdos ante agmen in amictu byſſino, pontificemq; in ſtola hyacinthina auro diſtincta, tiaram in capite geſtantem cum præfixa aurea lamina inſculpta Dei nomine, ſolus ad eum accedens, nomen illud adorauit, & ſalutauit Pontificem. Iudæis autem omnibus vno ore Alexandrum conſalutantibus, & in orbem cingentibus, Syriæ reges & reliqui obſtupuerunt, vix credentes regem mentis compotem: ſolus Parmenio propius accedens, rogauit familiariter, quid ita cum ipſe adoraretur ab omnibus, nunc adoraret Iudæorum Pontificem.

Alex. Hieroſolymis adorat verum Deum.

At ille non hunc ſe adoraſſe reſpondit, ſed Deo, cuius Pontifex eſſet, honorem eum exhibuiſſe: Hunc enim, inquit, vidi, & antea hoc ipſo habitu, cum adhuc eſſem in Dio Macedoniæ, qui me deliberantem quomodo Aſiam poſſem ſubigere, hortatus eſt forti eſſem animo, & ſine mora exercitũ traijcerem, nam ſuo ductu potiturum me Perſarum imperio. Quapropter quia nunc primum talem habitum vidi, agnoſcens hunc, & viſionis memor, quæ me ad hanc expeditionem impulit, puto me non ſine numine in Darium exercitum ducere, & breui fore victorię compotem: ac ſublato Perſarum imperio, ceſſura mihi omnia ex ſententia.

Einſdem ſomnium.

Hęc locutus ad Parmenionem, & comiter complexus Pontificem, deducentibus ſacerdotibus in vrbem peruenit: & aſcendens in templum, immolauit Deo ex ſacerdotis pręſcripto, ac Pontifici ſuum honorem exhibuit. Oſtenſoque ſibi Danielis libro, in quo Græcum quendam Perſas debellaturum ſignificar, hunc ipſum ſe eſſe interpretatus, lætus dimiſit multitudinem. Sequenti vero die, ipſis vocatis, iuſſit, vt quicquid vellent, poſtularent. Pontifice autem petente, vt patrijs legibus viuere ſibi liceret, atq; ſeptimo quoque anno concederetur eis tributorum immunitas, perlibẽter eius poſtulatis aſſenſus eſt. Hæc Ioſeph. & plęraque alia ibidem tradidit.

Alexandri benignitas erga Hieroſolymitanos.

Darius vero, iterum inſtauratis copijs cõflixit cum Alexandro ad Gaugamela, vicum iuxta flumen Bumelum, qui locus ab Arbela diſtare dicitur quingentis ſtadijs, ibique demum commiſſo prœlio ſuperatus eſt. Cum vero ex acie aufugiſſet, à Beſſo tandem ſuo præfecto, proditus & interfectus eſt.

Tertia Alex. victoria contra Perſas.

Hic Darij exitus fuit, viri quidem, vt inquit Arrianus, ſi rem militarem ſpectes, nihil minus quam ad res bellicas nati. Per cætera vero qui nihil indecorum regiæ Maieſtati perpetrarit. Imo nec potuit quidem. Nam ſimulac regnare cœpit, à Græcis & Macedonibus diuexatus eſt. Quapropter volenti etiam non licuiſſet, populares ſuos iniuria afficere. Viuenti, multa alia ſuper alia aduerſa contigerunt, nec vlla requie frui potuit, ex quo regnare cœpit. Nam ſtatim à regni initio clades illa ad Granicum amnem ab eo accepta eſt. Deinde omnes illas prouincias, quarum ſupra mentionem fecimus, amiſit. Poſt hæc, ingenti pugna apud Iſſon victus, in qua, vt dictum eſt, mater, vxor, ac liberi eius capti ſunt. Phœnicia ac Aegyptus imperio eius detracta. Ad Gaugamela demum ſuperatus, amiſſo ingenti exercitu, ex omni nationum genere comparato, ipſe inprimis turpiter fugit, & mox regno expulſus, errans, egensque, ad poſtremum proditus à ſuis, eodẽ tempore, rex ſimul & captiuus, in vinculis fœdiſſime habitus, eorum inſidijs perijt, à quibus ſalutem ſperare debuerat.

Darij cædes.

Hæc tot mala & calamitates viuenti Dario acciderunt: At mortuo contra, & funus dignum regio faſtigio, & honeſta filiorum educatio (namque ab Alexandro educati inſtitutique ſunt) & Alexandri affinitas, qui eius filiam ſibi matrimonio copulauit, adeo vt beatior poſt mortem, quam in vita fuiſſe videatur.

Darius fuit fœlicior poſt mortem, quam in vita.

Annos fere 50. natus mortem obijt, poſtquam ſex annos in imperio præfuiſſet. occiſus eſt autem anno 3. Olymp. 112. & 7. imperij Alex. iuxta Euſeb. Hunc tradũt Hiſtorici, cum fuga aquam turbidam bibiſſet, & cadaueribus inquinatam, negaſſe vnquam ſe bibiſſe iucundius: nec enim fortaſſe vnquam ſitiens biberat. De eiuſdem ſplendore, delicijs & luxu, mira narrantur: nam omnis generis coquos, cupedinarios, fartores, artifices, magiſtrosq; gulæ, & vnguentarios habebat in caſtris, ne quid ad corporis volupta-

tem omnino deeſſet. Quantus etiam fuerit alioqui regum Perſarum ſplendor & apparatus in quotidianis epulis, non ab vno in literas relatum eſt. Cęterum, vt de Alexandro aliquid ſummatim ac breuiter dicamus, ſi quis eius vitam ætatis ſpacio, non gloriæ metiatur, malitque longam ſibi, quam multam vitam exoptare, fuit ſane perbreuis: At ſi rerum geſtarum magnitudinem præponderet, hæc ſane admodum diuturna cenſenda eſt.

De Alexandri natura, moribus & vita,

Statura corporis fuit ſupra hominem auguſtiore, ceruice celſa, lætis oculis, & illuſtribus, malis ad gratiam rubeſcentibus, reliquis corporis lineamentis non ſine maieſtate quadam decorus. Plutar. in ipſius vita, inter cætera, memoriæ prodidit, corporis figuram ſtatuas Lyſippi (à quo etiam ſolo fingi voluit) potiſſimum expreſſiſſe ceruicis erectione, leuique in ſiniſtram partem inflexione, oculorumque volubilitate, quem artificem tradit hæc omnia accurate effinxiſſe. Quod vero ad colorem attinet, ferunt, Inquit, fuiſſe album, ruboremque in pectore, præſertim & faciem albedini admixtam habuiſſe. Ad hæc, ſuauiſſimum odorem ab ore & vniuerſa eius carne exhalaſſe, ita vt & tunicæ fragrantia inde repletæ ſint, huiuſque rei cauſa fortaſſis erat, inquit, calidum & igneum corporis temperamentum: & citat Theophraſtum, qui bonum odorem dicit exiſtere, cum humores à calore coquuntur: & idcirco ſiccas & torridas orbis terrarum partes plurima & optima gignere aromata, quod Sol humorem, qui in ſummis corporibus, veluti materia putredinis innatat, attollit. Et conſentaneum eſt, inquit, Alexandrum, ob calorem corporis, bibacem iracundumque fuiſſe. Cum puer etiamnum eſſet, modeſtia in eo eluxit, quod cũ ad alias res magno impetu ferretur, ad corporis voluptates neq; facile alliciebatur, & modice admodum ijs vtebatur. In cupiditate honorum grauitas ei præter ętatem, & magnanimitas aderat. Non enim quoſuis, neque à quibuſuis honores gratos habebat: ſecus quam Philippus, qui rhetoris in morem arte dicendi ſe oſtentabat. Olympicas curruum victorias numiſmati inſculpebat. Quin & familiaribus quærentibus, vellet ne Olympiæ in ſtadio decurrere, (erat enim pedibus velox) ſiquidem, reſpondit, reges ſint mecum decertaturi. Scribit etiam Perſarum regum legatos, qui ad Philippum venerant, eo abſente, ab ipſo acceptos hoſpitio, conſuetudineq; cum ijs iniſſe, in qua familiaritate nihil ex ipſis puerile, aut paruum, ſed de itinerum ſpacijs, & commeatus, in ſuperiorem Aſiam modo ac ratione, ac de rege, qualem ſe is aduerſus hoſtes præberet, quod robur, quæ potentia Perſarum eſſet, percunctando, ita in admirationem ſui pertractos, vt nobilem illam Philippi vehementiam præ magnarum rerũ cupiditate eius pueri nihil ducerent. Quoties captam à Philippo vrbem, aut inſigni prælio partam victoriam renunciabatur, non admodum hilari vultu audiuiſſe, & ſuis æqualibus dixiſſe: Omnia, ó pueri, pater meus præripiet, neque vllam rem magnam mihi vobiſcum gerendam relinquet. Porro ex his facile apparebat, ipſum non ad voluptates, & corporis delicias, ſed ad virtutem & gloriam natum eſſe. Curtius autem lib. 10. de Alexandro, Herculem, inquit, æſtimantibus regẽ, liquet, bona naturæ eius fuiſſe vitia vel fortunæ, vel ętatis. vis incredibilis animi, laboris patientia propemodũ nimia, fortitudo non inter reges modo excellens, ſed inter illos quoq;, quorũ hæc ſola virtus fuit: liberalitas ſępe maior tribuentis, quã à Dijs petũtur: clemẽtia in deuictos: tot regna aut reddita, quibus ea dem pſerat bello, aut dono data: mortis, cuius metus cæteros exanimat, perpetua contemptio: glorię laudiſque, vt iuſto maior cupido, ita vt iuueni, & in tantis admittenda rebus. iam pietas erga parentes, quorum Olympiada immortalitati conſecrare decreuerat, Philippum vltus erat: iam in omnes fere amicos benignitas, erga milites beneuolentia: conſilium par magnitudine animi, & quantam vix poterat ætas eius capere ſolertia: modus immodicarum cupiditatum, Veneris intra naturale deſideriũ vſus: nec vlla, niſi ex permiſſo voluptas: ingentes profecto dotes erant: Vitia fortunæ, dijs æquare ſe, & cœleſtes honores accerſere, & talia ſuadentibus oraculis credere, & dedignantibus venerari ipſum, vehementius quam par eſſet, iraſci: in externum habitum mutare corporis cultum, imitari deuictarum gentium mores, quas ante victoriam ſpręuerat. Nam iracundiam & cupidinem vini ſicuti iuuen-

iuuenta irritauerat, ita ſenectus mitigare potuiſſet. Fatendum eſt tamen, cum plurimum virtuti debuerit, plus debuiſſe fortunæ, quam ſolus omnium mortalium in poteſtate habuit. Quoties illum à morte reuocauit! quoties temere in pericula vectum, perpetua felicitate protexit! Vitæ quoque finem eundem illi, quem gloriæ ſtatuit. Expectauere eum fata, dum Oriente perdomito, aditoque Oceano, quicquid mortalitas cupiebat, impleret. Hæc Curtius. Iuſtinus lib. 9. ſub finem 9. cap. collatione facta inter Philippum & Alex. Huic, inquit, Alexander ſucceſſit, & virtute & vitijs patre maior. Itaque vincendi ratio vtrique diuerſa: Hic aperta vi, ille artibus bella tractabat: Deceptis ille gaudere hoſtibus, hîc palam fuſis: prudentior ille conſilio, hic animo magnificentior: Iram pater diſſimulare plærunque & vincere: hi vbi exarſiſſet, nec dilatio vltionis, nec modus erat. Vini nimis vterque auidus, ſed ebrietatis diuerſa vitia. Patri mos erat & de conuiuio in hoſtem procurrere, manum conſerere, periculis ſe temere offerre: Alexander non in hoſtem, ſed in ſuos ſæuiebat. Quamobrem Philippum ſæpe vulneratum prœlia remiſere: hic amicorum interfector conuiuio frequenter exceſſit. Regnare ille cum amicis volebat, hic in amicos regna exercebat. Amari pater malle, hic metui. Literarum cultus vtrique ſimilis. Solertiæ pater maioris, hic fidei. Verbis atque oratione Philippus, his rebus moderatior. Parcendi victis filio animus & promptior, & honeſtior: frugalitati pater, luxuriæ filius magis deditus erat. Quibus artibus orbis imperij fundamenta pater fecit, operis totius gloriam filius conſummauit. Hæc Iuſtinus. Præter cæteros philoſophos, & poëtas, Homerum quanti fecerit, ex hac vna re facillime noſci poteſt. Cum eſſet ad ipſum allatum ſcrinium, quo nihil in rebus & impedimentis Darij captis precioſius repertum fuit, ex amicis quæſiuit, quidnam potiſſimum ei imponeret: ac multa multis dicentibus, Iliadam ipſe eo depoſitam, ſe adſeruaturum affirmauit. De hoc etiam fertur, ſic eũ Homerica poëſi delectatum eſſe, vt illam ſemper vna cum pugione ſub puluinari habuerit. Quid? Nonne cum oppidum Thebarum vetuſtate, opibus, gloria celebre, paſſim excinderetur, vnis Pindari poëtæ tectis ac ſtirpi, in honorem Muſarum, iuſſu Alexandri parſum fuit? Hic, poſtquam victor ex India rediiſſet, Babylonem profectus, febri, vel, vt nonnulli tradunt, veneno fuit extinctus 4. Cal. Quintiles. Vixit 32. annis, menſibuſque 8. Annis vero 12. regnauit ac menſibus illis octo, vt Arrianus ex Ariſtobulo colligit. Vitæ finem ei prædixerat Calanus Indus. Cum enim conſcenderet in rogum ardentem, & Alexander eum rogaret, ſi quid vellet, vt diceret: Optime, inquit, propediem te videbo. Paucis poſt diebus mortem obijt Alexander. Interitus eius ad centeſimam, decimam quartam ponitur Olympiadem, vrbis autem Romæ conditæ anno quadringenteſimo viceſimo nono, trecentis nimirum & viginti duobus annis ante natum Chriſtum. A veteribus memoriæ proditum eſt, illum, qua die in lucem editus fuit, eadem vita functum eſſe. Natus eſt autem, inquit Sol. cap. 44. ex Nepotis ſententia, M. Fabio Ambuſto, T. Quinctio Capitolino Coſs. poſt Romam conditam anno 385. quo quidem die, vt idem auctor eſt, conflagrauit templum Epheſi ab Heroſtrato incenſum, voto adipiſcendæ famæ latioris. Hic autem fuit Sextus Thargelionis dies, quo etiam Socrates natus perhibetur. Hunc diem Philippus Macedo, vt lætum & fortunatum mirifice obſeruauit, quod triplici gaudio delibutus fuerit: nam quadrigas ſuas ea die Olympia viciſſe accepit, & Parmenionem ducem hoſtes fudiſſe, natumque ſibi Alexandrum filium fuiſſe. Contra vero, hic dies Perſis longe infortunatiſſimus extitit. Eo enim iterum ad Platæas ingenti clade ſuperati traduntur. Quod vero ad Darij obitum ſpectat, is vtrique iuxta Diod. occiſus eſt anno 3. Olymp. 112. Apparet 6. annum Alex. apud eundem diligẽter perlegenti 4. circiter menſium ſpacio poſt pugnam ad Arbelam occiſum eſſe. Euſeb. occiſum notat anno 7. imperij Alexandri. Hæc in præſentia, de rebus Alexandri, ceu per tranſennam, pauciſſimis verbis delibaui. Porro in eius exercitu duntaxat triginta millia peditum, equitum quatuor & quingentos fuiſſe legimus, qui tam parua manu iuueniſq; viginti fere annos natus vniuerſum ferme terrarum

Collatio inter Philippum & Alexandrum.

Mors Alexandri.

orbem aggreſſus eſt, & vicit. Non alia quidem ratione, niſi quia militiæ peritus erat, & milites ad bellum idoneos elegerat. non quidem primo ætatis flore, ſed veteranos, & emeritæ militiæ viros, qui ſub eius parente, ſtrenuo rege, meruerant, vt non tam milites, quam magiſtros militiæ electos omnino putares. Nemo enim ordines, niſi ſexagenarius duxit. Nam ſi eius caſtrorum principia cerneres, Senatum te alicuius veteris Reipub. videre diceres. Quorum profecto nemo in prœlio fugam, ſed victoriam cogitauit, nec in pedibus & equis cuiquam ſpes, ſed in lacertis fuit. Erat enim ad obierendum hoſtem paratus, teſtimonio Gaudemi Athenienſis propter exilium Alexandro infenſi. qui de exercitu à Dario rege rogatus, ita reſpondit: Hic tanti apparatus exercitus, hæc tot gentium, & totius Orientis excita ſedibus ſuis moles, finitimis poteſt eſſe terribilis: purpura quidem nitet, auroque arma fulgent, & opulentia regum, quæ non feriunt, ſed hoſtē magis propter prædā, ad victoriam excitant. At Græcorum acies torua ſane & inculta, clypeis, haſtiſque immobiles cuneos, conſertaque virorum robora tegent. Nam ipſi phalangem, ſtabile agmen vocant, quo Paulus Aemilius, dum cum Perſeo confligeret, nihil terribilius eſſe dixit. Vir viro, arma armis conſerta erant, ad nutum monentis intenti, ſigna ſequi, ordines ſeruare, optime didicêre: quod rex iubet, omnes exaudiunt obſiſtere, circuire, in cornu diſcurrere, pugnamque mutare ſciunt: non duces magis, quam milites eam peritiam callent: & nec auri, argentive ſtudio teneri potes. adhuc illa diſciplina paupertatis magiſtra ſtetit. nam fatigatis, cubile eſt humus: cibus, quem occupati parant ſatiat. tempora ſomnij noctibus ſunt arctiora. iam Theſſali equites, & Achamanes, ac Aetoli inuicta belli manus, fundis & haſtis, igne duratis, credo, repellentur; pari robore tibi opus eſt. in illa terra, quæ hos genuit, auxilia quærenda ſunt. Hæc ab eo de Alexandri militia dicebantur. At rex Perſarum veritatis impatiens, hoſpitem ac ſupplicem, tunc maxime ſibi vtilia ſuadentem, capitis ſupplicio affici iubet: quippe qui eius vltorem cito adeſſe ignorabat. Itaque effectum eſt, vt ſæpe profligatus, vitam cum regno amitteret, quia eius ſalutis & armorum doctori minime obtemperare voluit, ſed potius interfici curauit. Putabat enim rex tanta & hominum & armorum pompa, ſtrenuum & veteranum militem vincere: ſed longe aliter expertus eſt. Plura de iiſdem rebus, atque alijs ad Alexandrum pertinentibus, videre eſt in Diodoro, Plutarcho, Arriano, Curtio, reliquiſque probatis auctoribus, qui eius res geſtas literis ac memoriæ conſecrarunt. Primi autem ex his, fuêre Calliſthenes Olynthius, Ariſtotelis diſcipulus, & Ariſtobulus, ac Ptolemæus, aſſidui itinerum illius comites, quorum ſcripta cum deſiderentur, à Græcis, quos nominaui auctoribus, & Q. Curtio, inter Latinos arguto, eleganti & neruoſo ſcriptore, harum rerum cognitio petenda eſt.

Alexandri militia.

Gaudentius Athenienſis, propter fidele conſilium à Dario interficitur.

Extincto Dario, Perſarum imperium, quod Magni Alexandri tempore erat ſummum in terris, in Macedones translatum eſt. A capta vero Babylone per Cyrum & Darium, vſque ad occaſum Darij vltimi, & Monarchiam, quam Alexander Macedo, capta Babylone, Græcis tradidit, conſtat regnum Perſarum habere annos 228. iuxta Agathiam, lib. 2. ſiue, vt plæriſque alijs placet, 230. idque Curtius lib. 5. planiſſime affirmat his verbis: Præterea, inquit, breues & mutabiles vices rerum ſunt, & fortuna nunquam ſimpliciter indulget. Forſitan ita dij fata ordinauerunt, vt Perſarum imperium, quod ſecundo curſu per 230. annos ad ſummum faſtigium euexerant, magno motu concuterent magis quam affligerent, admonerentque nos fragilitatis humanæ, cuius nimia in proſperis rebus obliuio eſt, &c. Idem annorum numerus proponitur ex ſententia diui Hieronymi. Quæ ratio fit etiam euidentior ac certior, ſi anni Monarchiæ ſequentis conferantur. Euſebius enim lib. 8. Demonſtrationis Euangelicæ refert, Alexandrum Macedonem eſſe mortuum Olymp. 113. anno 236. regni Perſarum. Si enim anni ſex Monarchiæ Alexandri adijciantur ad 230. perueníetur ad initium Perſicæ Monarchiæ. Ptol. numerat à prima Olymp. annos 446. & dies 96. ad deſtructionem Perſicæ potentiæ, & primam Calippi periodon. Sunt autem Olympiades III. & anni 2. cum parte anni tertij Olympiadis 112. Porro in confeſſo eſt, & plurimo-

Perſarum Monarchia quamdiu ſteterit.

plurimorum auctorum conſenſu longe teſtatiſſimum, Cyrum, & Darium, Monarchiam condidiſſe Olympiade 55. & propterea Olympiades 54. ſubtrahendæ ſunt, vel anni 216. & reliquentur 230. anni, & dies aliquot ad primum annum Alexandri vel Macedonicæ Monarchiæ pertinentes.

HISTORIAE RERVM PERSICARVM

Liber Tertius.

DARIO interfecto, armiſq; Macedonicis præualentibus, Monarchia à Perſis ad Alexandrum Magnum tranſlata eſt; poſt cuius obitũ, hæc deinceps in quatuor ſumma & præcipua regna diſtracta, & tantum non diuulſa & dilacerata eſt: quæ quidem imperij diſtractio incidit in annum à creatione mundi circiter 3647. Succeſſores fuerunt Ptolemæus Lagi, cuius poſteritas Aegyptum retinuit vſque ad Diuum Iulium Dictatorem: Seleucus, cuius poſteri Syria potiti ſunt: Antigonus initio minorẽ Aſiam tenuit: Antipater Macedoniã. Poſtmodum, deléta Antipatri poſteritate, Macedoniam tenuerunt poſteri Antigoni, donec Romani eam, rege Perſeo capto, vi atque armis ſuæ ditioni adiecerũt. Porro inter hos ipſos duces Alexandri, continuo poſt eius mortem, ingentia & cruentiſſima bella interceſſere, dum quilibet ſolus, proferendi nominis atq; imperij cupidus, ad Monarchiam aſpirat. Perſici autem regni adminiſtrationem ad Neoptolemum initio delatam fuiſſe, Iuſtinus perhibet lib. 13. At Aemilius Probus in vita Eumenis Cardiani, Peuceſtẽ, qui corporis cuſtos fuerat Alexãdri, Perſidem tenuiſſe narrat, ipſumque Neoptolemum in bello, quod geſtum fuit inter Antipatrum, ac præfatum Eumenẽ, vna cum Cratero & plæriſque alijs cecidiſſe ibidem teſtatur. Verum, haud multo poſt, Perſici regni habenas & gubernacula ſuſcepit Ptolemæus Lagi, ac deinde illius ſucceſſores vſque ad vltimum Ptolemæum Dionyſium eius familiæ duodecimum, & patrem Cleopatræ, in qua poſtrema, Macedonum apud Aegyptios defecit regnum. Huic Ptolemæo Arſaces bellum intulit, ac inſignem victoriam adeptus, ad Parthos Perſarum imperium tranſtulit, poſtquam in eo Macedones annis centum ſeptuaginta duobus, ſiue, iuxta nonnullos, ducentis nonaginta tribus cum ſuprema poteſtate dominati eſſent. Perdomuit etiam Nicanorẽ Seleucum, eiuſdem Alexandri ſucceſſorem, cui victoriarum crebritas hoc indiderat cognomentum. Zoſimus primo libro ſuarum Hiſtór. de hoc ita breuiter ſcriptum reliquit. Poſt Alexandrum, inquit, Philippi filiũ, & alios imperij Macedonum ſucceſſores, Antiocho ſuperiorib. illis ſatrapijs imperante, Arſaces Parthus, propter illatam fratri Teridati contumeliam, bello aduerſus Antiochi Satrapam ſuſcepto, Parthis auctor fuit, vt eiectis Macedonib. regnum ſibi vindicarent. Ab hoc autem Arſace Parthorum reges dicti ſunt Arſacidæ. Quandoquidem Parthi, omnes ſuos reges hoc nomine, ſicut Romani Cæſares Auguſtoſq; cognominauerunt; iſq; non minus memorabilis fuit Parthis, quam Perſis Cyrus, Macedonib. Alexander, atque Romanis Romulus quondam extiterat. Hunc tradunt fuiſſe corpore pulcherrimo atque conſpicuo, & animo plane regali, ac rei militaris peritiſſimum, eundemque vt erga ſuos ſingulari clementia, ſic in euertendis aduerſarijs longe acerrimum, & ipſis Parthis quam maxime deſiderabilem. Poſtquam vero, multis rebus domi militiæque non minus ſapienter quam fortiter geſtis, longe lateque inclaruiſſet, tandem in prœlio, dum magnanimi ducis, ac etiam ſtrenuiſſimi bellatoris partes adimplet, haſta in latere ictus, occubuit. Cæterum, quoniam in Parthorum mentionem incidimus, nõ ingratum lectori futurum ſpero, nec etiã à meo

Succeſſores Alex. Magni.

Arſaces, deuictis Macedonibus, occupat imperium Perſarum.

Parthorum reges dicti ſunt Arſacidæ.

Arſacis obitus.

inſtituto alienum, ſi ea quæ Dion Caſſius Nicæus lib.40. de ipſis memoriæ tradidit, hic ad maiorem huius gentis notitiam ſubiecero. Habitant, inquit, trans Tigrin fluuium, in arcibus, ac caſtellis, adeoque in vrbibus etiam, cum alijs, tum *Parthorum hiſtoria. Cteſipho.* Cteſiphonte, quæ regia eorum eſt. Etiam inter antiquos Barbaros genus eorum fuit: nam nomen Parthorum etiam ſub Perſico regno geſſerant. Cæterum eo tempore & regionem haud magnam obtinuerunt, neq; extra fines ſuos impetum ſuum extulerant. Poſteaquam autem & Perſicum regnum euerſum eſt, & Macedonum res floruerunt, ſucceſſoreſque Alexandri inter ſeſe diſſidentes, alijque alijs regiones certas vi adimentes, regna ſibi ſinguli conſtituerunt, tum primum ſub Arſace quodam Parthi quoque innotuerunt, vnde & poſteri eorum *Arſaces. Arſacidæ.* reges, Arſacidarum cognomentum habuere. Deinde rebus ſecundis vſi, omnes circum ſe poſitas regiones occupauerunt. Meſopotamiamque, quæ prius à præfecto regebatur, ſui iuris fecerunt. Tandem ad id gloriæ & potentiæ euecti ſunt, vt & tum temporis contra Romanos belligerarent, & in hunc vſque diem pro aduerſarijs habeantur. ſane bello multum poſſunt: nomen tamen re ipſa maius adepti ſunt, non quod Romanis ipſi quicquam ademerint (nam de ſuis quoque finibus nonnihil conceſſerunt) ſed quia in ſeruitutem redacti nondum ſunt, atque etiamnum in bello cum noſtris congreſſi, ſuperiores euadere ſolent. Ac de populo quidem iſto, regioneque, tum quæ propria ipſorum vitæ inſtituta ſint, multi ſcripſerunt, neque mihi ea perſequi conſilium eſt. Armatura eorum, *Parthorum armatura.* vſuſque armorum (huius enim rei expoſitio ſermoni noſtro coniunctior eſt, iſq; ea opus habet) talis eſt. Scuto nihil tribuunt: ſed, ſagittis iaculiſque ipſi equites vtuntur, armatique maiori ex parte: pedites inter eos pauciſſimi, iique infirmiores, ſed & ipſi ſagittarij, ad quod à pueritia exercentur, cælo ipſis ſuo ac regione ad vtrumque conducente. Regio enim plana vt plurimum eſt, & cum ad alendos equos, tum ad equitandum aptiſſima. Itaque armenta tota equorum in bellis ducunt, vt ſubinde mutatis equis, ſubito ex longinquo adequitare, rurſuſque repente procul referre pedem poſſint. Iam aër apud ipſos eſt ſicciſſimus, humoremque ne minimum quidem continet: itaque ſagittarum vſum ipſis intentiſſimũ præbet, excepto eo tempore, quo ſumma eſt hyems, ideoque ea tempeſtate nuſquam in bellum proficiſcuntur. Reliquis anni partibus ſi vel in ſua, vel in ſimilis naturæ terra bellum gerant, pugna ſuperari vix poſſunt. conſuetudine enim hoc habent, vt Solis æſtum acerrimum ferant: aduerſus potus defectum multa remedia inuenta ipſis ſunt, quæ res ipſis ad propulſandam vim, ſi quis fines eorum ingrediatur, haud parum prodeſt. Extra ſuos fines trans Euphratem aliquãdo pugnis, atque excurſionibus repentinis, nonnihil quidem egerunt, tamen iuſtum bellum gerere niſi domi ſuæ non valent; quippe qui in alienam ſibi & terræ & aëris conſtitutionem deueniant, ac commeatui impedimentiſque militum ferendis ſarcinas nullas vſurpent. Ita Parthorum res ſeſe habent. Plutarchus in vita Craſſi teſtatur, Parthos nec cornibus aut tubis ſeſe ad pugnam animare conſueuiſſe, ſed annulis cauis corio ſuperinducto tympana ferrea circundare. Hæc multos ſimul pulſare, ac reſonare graue & horribile: nam ferino latratui, tonitruiſq; ſimile quidpiam pulchre permixtum reddere. De iiſdem gentibus, moribus ac inſtitutis plura itidem videre eſt, cum apud alios, tum etiam apud Trogum. Hæc Parthorum Natio Perſicum regnum, adeoq; totius Aſiæ, præter *Quamdiu Arſacidæ Perſia potiti ſint.* Aegyptum, imperium obtinuit vſque ad Artabanum, quo quidem tempore, Romanis rebus Alexander Mammææ filius præerat, rerumque adminiſtrationem annis ſeptuaginta ſupra ducentos retinuerunt. Et primus quidem, vti antea diximus, fuit Arſaces, cuius memoriæ hunc honorem Parthi tribuêre, vt o*Arſaces ſecundus.*mnes exinde reges ſuos, Arſacis nomine nuncupent. Huius filius & ſucceſſor regni, Arſaces & ipſe nomine, aduerſus Antiochum Seleuci filium, centum millibus peditum, & viginti millibus equitum inſtructus, mira virtute pugnauit; ad *Pampacius.* poſtremum in ſocietatem eius aſſumptus eſt. Tertius Parthis rex Pampacius fuit, ſed & ipſe Arſaces dictus; nam, ſicut ſupra dictum eſt, omnes reges ſuos hoc nomine, ſicuti Romani Cæſares, Auguſtoſque cognominauerunt. Hic, actis in re-

gno 12.

gno 12. annis, deceſſit, relictis duobus filijs, Mithridate & Pharnace; quorum maior Pharnaces, more gentis, hæres regni, Mardos validam gentem bello domuit, nec multo poſt deceſſit, multis filijs relictis, quibus prætermiſſis, fratri potiſſimum Mithridati, inſignis virtutis viro, reliquit Imperium, plus regno, quam patrio deberi nomini ratus, potiuſque patriæ, quam liberis conſulendum. *Pharnaces.* *Mithridates.* Eodem ferme tempore, ſicuti in Parthis Mithridates, ita in Bactris Eucratides, magni vterque viri, regna ineunt. Sed Parthorum fortuna felicior, ad ſummum hoc duce imperij faſtigium eos perduxit. Hic enim Parthorum imperium à monte Caucaſo, multis populis in ditionem redactis, vſque ad flumen Euphratem protulit, & tandem aduerſa valetudine correptus, non minor Arſace proauo, glorioſa ſenectute deceſſit. Poſt necem Mithridatis, Phraates eius filius, Perſis imperauit; qui, cum aduerſus Scythas proficiſceretur, Græcorum fraude ac dolo, quos in belli ſocietatem acceſſiuerat, cum toto ferme exercitu in acie extinctus eſt. *Phraates.* In huius locum Artabanus, eius patruus, rex ſubſtituitur. Hic, bello Colchataris, (nam Scythæ contenti victoria, populata Parthia, in patriam reuerſi ſunt) illato, in brachio vulneratus, ſtatim deceſſit. *Artabanus.* Huic Mithridates filius ſucceſſit, cui res geſtæ Magni cognomen dedêre. *Mithridates ſecundus.* Quippe claritatem parentum, æmulatione virtutis accenſus, animi magnitudine ſupergreditur. Multa igitur bella cum finitimis magna virtute geſſit, multoſque populos Parthico regno addidit, & cum Scythis aliquoties congreſſus, proſpere dimicauit, vltorque iniuriæ parentum fuit: ad poſtremum Artoadiſti Armeniorum regi, bellum intulit, eoque feliciter confecto, haud multo poſt, à Prouincialibus, ob nimiam crudelitatem, qua in omnes promiſcue graſſabatur, Parthico regno expulſus eſt. Frater eius Orodes, cum regnum vacans occupaſſet, Babyloniam, quo Mithridates confugerat, diu obſidet, & fame coactos, in deditionem oppidanos compellit. *Orodes.* Mithridates autem fiducia cognationis vltro ſeſe in poteſtatem Orodis tradit. Sed Orodes plus hoſtem, quam fratrem cogitans, eum in conſpectu ſuo trucidari iuſſit. *Orodis crudelitas in fratrem.* Poſt hæc, bella cum Romanis geſſit, cum quibus antea Perſæ ſocietatem atque amicitiam coluerant. Siquidem L. Lucullus, cum aduerſus Mithridatē Ponti regem, atrociſſimum bellum gereret, ac certior factus eſſet de legationibus Tigranis ac Mithridatis ad Arſacem miſsis, ipſe quoque nonnullos ex ſocijs ad eundem ablegauit, minas ei, ſi illos auxilio iuuare, promiſſiones autem, ſi Romanorum rebus ſtudere ſtatuiſſet, proponentes. *Luculli ad Orodem Perſarum regem legatio.* Arſaces, quod eo tempore Tigrani Armeniæ maioris Regi iraſcebatur, nullamque de Romanis ſiniſtram opinionem animo conceperat, miſſis ad Lucullum ſuis etiam legatis, amicitiam cum eo ſocietatemque coniunxit. Verum poſtea cum Secilius ad eum veniret, ſuſpicatus hominem bello clarum, non tam pacti nuper initi cauſa, quam vt regionem copiaſque ſuas exploraret, miſſum, Romanis nulla auxilia ſuppeditauit: ita tamen, vt nec contra illos quicquam etiam moliretur: ſed in medio ſeſe partium contineret; quod, vt veri haud abſimile eſt, neutrorum potentiam augeri volebat: ſed ſi bellum vtrinque æquis viribus gereretur, ſummæ ſibi id ſecuritati futurum arbitrabatur. *Orodes neq; Romanos, neque Mithridatem adiuuat.* Hæc autem contigere circa annum ab V. C. ſexcenteſimum octuageſimum ſextum. At poſtquam Lucullo domum reuocato, C. Pompeio de vnanimi totius Senatus Populique Romani conſenſu ac voluntate, hæc expeditio perſequendi Mithridatis demandata fuit, cum Perſarum rex Pompeium maximo impetu ferri videret, Armeniamque, & Ponti partes eo loci pertingentes, ab eius oratorib. captas eſſe, Gabinium quoq; iam vltra Euphratem ad Tigrim vſq; proceſſiſſe; eorum terrore perculſus, vt fœdus ictum cum Romanis firmaret, in animum induxit, deque pactis renouandis ad Pompeium legatos miſit: nihil tamen ea legatione aſſecutus eſt. *An. 686. V. C.* Pompeius enim rerum ſucceſſu, ſpeque præſentium rerum fretus, eum paruipendebat: & inter alia reſponſa, quæ ſuperba legatis dabat, Cordnenem quoq; regionem, de qua Perſis erat cum Tigrane controuerſia, poſcebat. Cū legati de hac re (neque enim quicquam habebant in mandatis) nihil reſponderent, nonnihil ad Orodem ſcripſit: ſed non expectato reſponſo, confeſtim Afranium in eam regionem deſtinauit,

eamque nullo labore occupatam, Tigrani dedit. Afranius per Meſopotamiam in Syriam, præter pactum cum Perſis initum, proficiſcens, in itinere aberrauit, multumque ob hyemem & penuriam victus incommodi paſſus eſt: periiſſetque cum ſuis, niſi eos Carrenſes, qui Macedoniæ coloni eſſe feruntur, & circum ea loca inhabitant, excepiſſent ac deduxiſſent. Hæc Pompeius ſua confiſus potentia, tum cum Orode egit, iniuriam molientibus euidenti admodum exhibito documento, quod ab armis omnia pendeant; quibus qui præualet, eius legibus omnes neceſſario obtemperent. Orodis quoque titulos, quibus ille apud alios omnes, ipſoſque etiam Romanos gaudebat, quibuſque eum illi ſemper compellabant, ludibrio habuit, dum ſe regem regum appellaret. At Pompeius Regum vocabulo amputato, per literas ipſum regem ſimpliciter nuncupauit: quod nominis Tigrani etiam præter morem Romanum tribuit, cum eum in triumpho duceret. Orodes, quamuis Pompeium & timeret, & demereri ſtuderet; tamen indigne id tulit, vt qui regno etiam ſuo ſpoliaretur: itaque per legatos de acceptis iniurijs queſtus eſt, interdixitq; ne Euphratem tranſiret. Vbi nihil moderati reſponſum eſt, verno tempore (Conſules tum Romæ erant L. Cæſar, & C. Figulus) contra Tigranem, adhibito filio eius, ſuo genero, expeditionem ſuſcepit: ibi prœlio victus, poſtea hoſti præualuit. Cumque Tigranes Pompeium in Syria agentem, accerſeret, Perſa denuo ad eum legatos miſit, multa & Pompeium incuſans, & Romanos inſimulans, adeo vt & pudorem & terrorem Pompeio iniiceret. Igitur neque Tigrani auxilium tulit, & nihil deinceps hoſtile aduerſus ipſum exercuit, cauſas has edens, ſibi neque hanc expeditionem à Populo Romano eſſe demandatam, & Mithridatem in armis adhuc eſſe: adhæc ſe rebus confectis contentum eſſe, neque velle alia aggredi, ne dum plura appeteret, in his aduerſam fortunam, velut Lucullus, experiretur. Hæc enim tunc philoſophica adducebat, auaritiamq; rem eſſe pernicioſam, inimicéq; res alienas appeti tum demum dicebat, cum pro ſe haud quicquam ea facerent. Potentiam enim Parthi metuebat, & inconſtantiam rerum pertimeſcens, bellum illud, etſi multi ad id incitarent, non ſuſcepit: Barbari autem accuſationes dictis eleuabat, non quidem refutans, verum ei litem cum Tigrane de limitibus quibuſdam intercedere ferebat, ſe miſſurum tres viros, qui eam diiudicarent. Atque eos quidem miſit: hiſque Reges tanquam reuera arbitris acceptis, omnem ipſi inter ſe controuerſiam compoſuerunt. Tigranem ita ſtimulabat, quod ſuppetias non impetraſſet. At Perſa Tigranem quoq; ſaluum eſſe cupiebat, cuius olim, ſi res ita ferret, auxilio contra Romanos vti poſſet. Vtrique ſatis conſtabat, vter ipſorum alterum ſuperaſſet, quod is & Romanam rem ſibi infenſam redditurus, & ad reſiſtendum imbecillior eſſet futurus. His itaque cauſis moti, in gratiam redierunt. Hæc autem geſta ſunt anno ab V.C. ſexcenteſimo nonageſimo. Interea temporis, Cæſare in Gallia feliciter dimicante, Craſſus, cui, Senatus decreto, Syriæ prouincia obtigerat, cum & ipſe aliquid agere cuperet, quod gloriæ ſibi iuxta, atq; lucro, cuius perpetuo cupidiſſimus extiterat, eſſet futurum, poſteaquam in Syria nihil huiuſmodi eſſe præ manibus videt, (nam & Syri quieti erant, & qui prius Syriam bellis vexauerant, tum potentia Craſſi perterriti, nihil mouebant) in Parthos expeditionem ſuſcepit, cum neque vllam belli cauſam contra ipſos afferret, neq; id à Senatu decretum eſſet. enimuero & Parthos prædiuites eſſe acceperat, & Orodem, qui nuper rex factus eſſet, ſuperatu facilem ſperabat. Tum igitur Euphrate fluuio tranſmiſſo, magnam Meſopotamiæ partem populando peragrauit, nemine reſiſtente, quod eius tranſitus inexpectato Barbaris acciderat, itaque nulla exquiſita regni ſui cuſtodia vtebantur. Ac Talymenus Ilaces quidam, eius tum regionis præfectus regius, paucis equitibus ad Ichniam (id caſtello cuidam nomen eſt) congreſſus, victuſque, accepto vulnere, ipſe ad regem ſeſe recepit, eumq; de expeditione hac certiorem fecit. Interim Craſſus & caſtella & vrbes recepit, Græcas potiſſimum, atque in his Nicephorium. Nam quia Macedonum aliarumque Græcorum, qui militiæ Romanis adfuerant, coloni erant, vim Perſarum grauiter ferentes, atque in Romanis, à quibus Græcos amari ſciebant, multum

Armorum vis.

Orodes Tigranem vincit & ad Pompeium legatos mittit.

Tigranes & Orodes in gratiam redeunt.

Bellum Craſſi Parthicum.

multum ſpei collocantes, haud grauatim ad eos defecerunt. Soli Zenodotiæ ciues, quibus tyrannus Apollonius dominabatur, accerſitis Romanis aliquot militibus, quaſi ſe in fidem eorum daturi, eos cum intra muros accepiſſent, obtruncauerunt, quæ ipſis cauſa, vt vrbs euerteretur, fuit. Præter hoc vnum, nihil neque fecit, neque paſſus eſt hoſtile Craſſus. Ac profecto omnia quæ intra Tigrim ſunt poſita caſtella cepiſſet, ſi eodem impetu, Barbarorumque terrore vſus fuiſſet, ac præterea hybernis ſuis in ea regione habitis, omnia diligenti cuſtodia continuiſſent: nunc captis ijs locis, quos primo incurſu capere poterat, neque reliquorum, neque horum ipſorum quæ ceperat, vllam rationem habendo, dum in Meſopotamia commorari grauatur, Syriæque amœnitatem deſiderat, Parthis ſe ad bellum parandi ſpacium, relictoſque in Meſopotamia Romanos milites opprimendi occaſionem præbuit. Hoc initium belli Romanorum aduerſum Perſas fuit. Cum Craſſus iam ex hybernis copias educeret, & in Meſopotamiam ingreſſus fuiſſet, Orodes in Syriam ad eum legatos miſit, & literas in hanc fere ſententiam:

Craſſi deſidia.

Orodis ad Craſſum legatio.

Siquidem à Senatu, populoque Romano miſſus, contra nos exercitum ducis, ingens profecto bellum, & ſummo odio, atque omnino inſenſis animis gerendum cenſemus. Quod ſi aduerſante atque inuita patria, vt audiuimus, priuatæ tantum cupiditatis ac lucri cauſa Parthis intuliſti bellum, & iam regionis noſtræ particulam occupaſti, non ſane tuas vires aut exercitum magni facimus; itaque moderatius tecum acturum, & ſenectutis tuæ rationem habiturum Arſacem nuntiamus, & Romanis condonaturum viros quos in Meſopotamia incluſos magis quam aliena cuſtodientes habeat. Hæc ſibi ab Arſace, vt nuntiarent atque ſciſcitarentur, mandata fuêre, ac eius literæ idem prorſus continebant. Ad ea indignatus, & iactabundus Craſſus, in Seleucia, quæ vrbs eſt Meſopotamiæ, ſe cauſas belli editurum reſpondit. Tum Agiſis legatorum vnus, qui cæteros ætate & auctoritate antecibat, ſiniſtram manum dextræ digitis percutiẽs, Prius, inquit, hinc pili enaſcentur, quam tu in Seleuciam peruenias. His dictis legati diſceſsêre, moxque ad Orodem redeuntes, virum per ea tempora bellicæ virtutis gloria inſignem ad bellum capeſſendum incitarunt. Ipſe igitur, Surenæ, & Sillacæ viris ſtrenuis ac militaribus ad ea recipienda, quæ vel capta fuerant, vel defecerant, prouincia demandata expeditionem in Armeniam, quæ Tigranis quondam fuerat, inſtituit, ne Artauaſdes Tigranis filius, qui tum ibi regnabat, ipſe de ſuo regno ſolicitus, vllum Romanis auxilium mittere poſſet. Craſſo autem apud Zeugma (ita loco iſti nomen eſt ab expeditione Alexandri, quod ibi trans fluuium profectus eſt) tranſeunti, hæc dira atque ſiniſtra omnia contigêre. Primo enim cum peractis ſacris, templo Veneris ſeu Iunonis egrederetur, filius ante fores templi offenſo grauiter pede, proſtratus concidit, quem ſtatim pater eodem caſu lapſus ſecutus eſt. Ad hæc, Aquila exigua quædam eſt ſacelli effigies, inque ea aquila aurea eſt collocata. Solebat autem conſtitui in omnibus legionibus Romanis: neque prius hybernaculis efferri, quam vniuerſus exercitus egrederetur. Eam aquilam haſtæ impoſitam, vnus quidam vir geſtabat, cuius haſtæ pars infima præacuta erat, vt in ſolum defigi poſſet. Huiuſmodi ex aquilis vna noluit cum Craſſo Euphratem tranſire, ſed perinde ac ſi terræ adnata eſſet, ita infixa hæſit, donec tandem à multis circumſtantibus vi euulſa fuit, inuitaque comitata eſt ſuos. Vexillum præterea quoddam ex eorum numero, quæ magna, velorumq; ſimilia ſunt, inſcriptum Puniceis literis, ad notitiam exercitus Imperatoriſque faciendam, inuerſum vi vehementis venti, à ponte in flumen decidit. At Craſſus reliquis vexillis quæ eiuſdem erant longitudinis, præciſis, vt breuiora atq; ad ferendum aptiora eſſent, numerum prodigiorum auxit. Tanta enim in ipſo fluminis tranſitu coorta eſt nebula, vt & ipſi inuicem impingentes, corruerent: nec prius terram hoſtilem cernerent, quam in ea pedem poſuiſſent. Itaque & tranſgreſſi Euphratem ſunt maxima cum difficultate, & de ponte, quem ad traijciendum militem ratibus iunxerat, in continentem perquam difficulter deſcenderunt. Illum enim ventorum magno impetu ruens

Eiuſdem expeditio in Romanos.

Dira omina, quæ Craſſi cladem portenderunt.

Aquila.

procella diſiecit,& pluribus in locis perfregit. In ipſo autem traiectu miræ magnitudinis exorta tonitrua, & in aduerſa militum ora micantia fulgura, quaſi tranſitu prohibere milites videreutur. Caſtris etiam ponendis deſtinarus locus duobus fulminibus percuſſus eſt: equus præterea imperatorius egregie phaleris præ cæteris ornatus,quaſi percitus furore quodam, ſumma vi contranitente auriga in fluuium deſiliit, ac ſubito fluctibus obrutus, & adſtantium oculis ſubreptus,nuſquam appatuit. Mox poſt traiectum,cum neceſſaria militibus diſtribuerētur,contigit forte omnium primo lentes ac ſalem dati,quæ inter funeſta habere,& mortuis offerre Romani ſolebant. Præterea,cum Craſſus,vt moris erat, ſacrificio inſtituto, luſtraret exercitum,porrecta ab aruſpice viſcera,è manibus cecidēre: quod cum grauiter omnes qui aſtabant, perturbaſſet, arridens Craſſus, Talia nobis,inquit,incommoda ſenectus affert, attamen arma nunquam è manibus cecidēre. Hæc omnia cum ita eueniſſent, vt facile ſtupidum etiam atque imperitum quemq; docere poſſent,calamitatem ipſis prædici,reditumq; abnui, metus ac triſtitia ingens militum animos occupauēte. quos vt conſolaretur Craſſus, exercitum allocutus, non perterreri eos debere dixit, propterea quod pons deiectus eſſet,neq; id pro portento accipiendum, iuramentoq; confirmauit,ſtatuiſſe ſe per Armeniam copias reducere. His dictis cum animum ſuis reddidiſſet,addidit magna voce exclamans: Bono animo eſte milites, hac enim nemo noſtrûm reuertetur. Quo audito dicto milites,idque non minorem reliquis vim omnis habere arbitrati, in maiorem prolapſi ſunt mæſtitiam, vt iam neque cæteris eius cohortationibus animum aduerterent, Barbaros verbis eleuantis, temque Romanam prædicantis, ad hæc, pecuniam exercitui diſtribuentis, præmiaque promittentis: Nihilominus ſequebantur, neque aut verbo, aut re quiſpiam reſiſtebat, ſiue, vt videri poteſt,legi in hoc parentes,ſiue quod iam animis conſternati,neque conſilium ſuæ ſalutis capere, neque agere quicquam ſalutare poterant: Igitur deinceps omnia quæ vel animo vel corpore moliebantur,ad perniciem ipſis ſpectabant,quaſi iam tum ab aduerſo fato damnatis. Maximam autem calamitatis partem Augarus ipſis Oſrœnus attulit. Is, Romanis antea fœdere iunctus ſub Pompeio, Barbarorum partes tum potiores habuit, quod idem Alchaudonius quoque,ſiue,vt alij, Ariamnes Arabum Princeps, fecit,ſemper potentiori ſe ſolitus adiungere. Cæterum,hic,quia manifeſto defecerat à Romanis,caueri facile potuit. Augarus autem cum Partho ſtuderet, ſimulauit ſe Craſſi amicum,liberaliterque ei pecuniam ſuam impendens, & explorauit omnia eius conſilia,& Partho enunciauit. Idem ſi quod vtile conſilium Craſſus cepiſſet,dehortatus hominem eſt: ſin damnoſum, confirmauit, ac tandem huiuſmodi rem confecit. Craſſus Seleuciam contendere decreuerat,quo ſe tuto cum exercitu ac commeatu præter Euphratem, ac trans eundem peruenire poſſe cogitabat: à Seleucia (quam,vt à Græcis hominibus habitatam,facile ſperabat in ſuam poteſtatem venturam) ad Cteſiphontem vrbem haud difficulter ſe traiecturum. Id conſilium,tanquam multo tempore opus habiturum, vt repudiaret, ac potius aduerſum Surenam, qui prope cum parua manu eſſet, iret, Augarus perſuaſit. Quibus conſtitutis,cum Craſſum,vt periret, Surenam (cum quo ſub ſpeculandi prætextu frequenter congrediebatur) vt ſuperare poſſet, parauiſſet,Romanos,quorum erant peditum legiones ſeptem, & equitum quatuor millia, ac totidem velites, nihil ſolicitos, ac tanquam ad certam iam victoriam proficiſcentes eduxit, in eiſque tum per inſidias opprimendis Parthum adiuuit.Res tota ita acta eſt. Parthi maiore ſuarum copiarum parte abſcondita, (erat enim regio aliquibus locis inæqualis,arboribuſque conſita) Romanis occurrerunt. Quos cum Publius Craſſus, Imperatoris filius,qui ex Gallia cum mille equitibus lectiſſimorum virorum & aliqua pedeſtri manu, ad patrem peruenerat,conſpicatus eſſet,atque eos ſolos hoſtes eſſe putaret,cum aliqua parte equitatus,quingentis inſuper ſagittarijs,& Scutatorum cohortibus octo,patris iuſſu,ijs obuiam venit,fugæq; ſeſe dedita opera mandantes,victos ratus,inſecutus tantiſper eſt,dum procul à ſuorum acie ſubductus, deinde circumuentus ab hoſtibus, vtraq;

Craſſi vox in omen vertitur.

Augarus Oſrœnus ſub amicitiæ ſpecie Romanos in perniciem abducit.

Alchaudonius.

Craſſi conſilia.

Prœlium inter Parthos & Romanos.

vtraque manu grauiter vulneratus eſt;cumque neutra illarum vti amplius valeret, armigero tranſuerberandum latus præbuit. Eodem modo Cenſorinum obiiſſe ferunt:Plancus vero ſibi ipſi mortem conſciuit. Idem & optimatum fere omnes fecêre. In fugam tamen pedites Romani dati nequaquam, ſed Craſſi vlciſcendi cauſa acriter cum Parthis congreſſi:verum nihil ſuo nomine dignum efficere potuerunt, cum ob multitudinem hoſtium, tum ob genus pugnæ, præſertim inſidijs inſuper Augari circumuenti. Nam ſicubi orbem voluere intendebant, vt propter denſitatem ordinum ſagittas hoſtium euitarent, Parthorum haſtati equites magno impetu irruentes,aut confodiebant Romanum peditem,aut agmen vtique diſſipabant:ſin eius vitandi cauſa ſeſe diſiungebant, ſagittis Parthorum expoſiti erant. Ita multi ipſo haſtatorum incurſu conſternati peribant; alij ab equitibus deprehenſi, interficiebantur; alij contis proturbabantur,configebanturve.Quod ſi qui denuo pugnam tentarent,iacula quam plurima vndiquaque incidentia, plæroſque eorum letali vulnere ſternebant, reliquos pugnæ inutiles reddebant.Denique omnibus ſagittæ iaculaque negocium faceſſebant,in oculos, manuſque,& vniuerſum omnino corpus aduolantia, perque ipſa arma tranſeuntia, eademque nec caueri à Romanis poterant,& inermes eos, crebros ictus expectare cogebant. Nam dum quis aut à iaculo adueniente ſibi cauebat,aut infixum corpori ſuo euellebat, alijs ſuper alia vulneribus ſauciabatur. Itaque nec quo loco, ſeſe mouerent Romani ſatis ſcire poterant,an fixo potius veſtigio quiſque perſiſteret, quorum neutrum ſatis tutum ipſis relinquebatur:ſed vtrumque cum ipſorum pernicie coniunctum erat: quorum alterum non licebat per hoſtes; alterum, vt vulneribus opportuniores eſſent, efficiebat. Hoc modo pugnam aduerſus hoſtes aperte congreſſos Romani ſubſtinebant. Poſtquam Augarus quoque (nam is aliquandiu ſe continuerat) ex inſidijs eos aggreſſus eſt,ibi & Oſroeni conuerſos in Parthum à tergo ceciderunt; & vt à Parthis facilius cædi poſſent,fecerunt. Romani enim coacti aciem conuertere in Oſroenos,à tergo ſibi Parthos habuerunt: rurſum in Parthos conuerſi, atque iterum in alteros, tum denuo alteris ſeſe opponentes, crebris conuerſionibus maiorem ſuis quam ante, perturbationem attulerunt: ac quia ſemper ad eam partem, vnde tela ingruebant,ſeſe obuertere neceſſe habebant, proprijs ſe gladijs confixerunt,multique inuicem ſeſe occiderunt. Denique adeo in arctum ab hoſte vndiquaque irrumpente coacti ſunt, vt quiſque quod inerme in ſuo corpore erat, ſcuto proximè aſſiſtentis, tegendo, in vniuerſum ne mouere quidem iam ſeſe poſſent. Sed ob tantam cadauerum multitudinem fiebat,vt ne ſtare quidem firmis veſtigijs poſſent,ac collaberentur:tum æſtus, ſitiſque (quippe media æſtate, atque in Meridie pugnabatur) puluiſque, quem vndique circumequitando Barbari immenſum concitauerant, reliquos affligebat, ita vt multi his confecti, ſine vulnere caderent. Ac proculdubio occidione omnes occiſi tum eſſent, niſi Barbarorum haſtæ partim retuſæ, partim fractæ, neruique arcuum continenti iaculatione rupti, ſagittæ conſumptæ, omneſque gladij hebetati,& (quod erat maximum) ipſi viri cædendo deſatigati fuiſſent. Ita cum nox ſuperueniſſet, Parthi, quia procul ipſis ab hoſte recedendum erat, equis aucti ſunt;ita enim mos eorum fert, vt prope hoſtem ne maxime quidem imbecillum caſtra ponant, quod nec munitione caſtrorum vtuntur: & ſi quis eos in tenebris adoriatur, neque equis, neque ſagittis quicquam præſtare poſſunt. Plutarchus ex Romanis aſſerit, quingentos duntaxat in hoſtium poteſtatem veniſſe. At Dion, neminem fuiſſe ea pugna Romanum ab hoſte captum: ſed cum omnes eos Parthi ſtantes in armis conſpicarentur, neque vllum aut ea proiicientem,aut fugæ ſe committentem,adeſſe ijs adhuc roboris aliquid putauerunt,neque aggredi auſi ſunt. Poſt hanc cladem Craſſus cum cæteris quicunq; poterant,Carrhas, Meſopotamiæ vrbem, ſeſe recepit, quæ vrbs tuta ipſis à relictis in ea Romanis aſſeruata fuerat: multi ex ijs qui vulnerati cum neque pedibus viam capere poſſent, neque vehicula ijs præſto eſſent, neque ductores (optime enim reliqui contenti erant, ſi ſemetipſos hinc auferre poſſent) in ipſo pugnæ

P. Craſſus perit.

Craſſus Carras perfugit, ac rurſum inde fugere tentat.

loco remanſerunt. Eorum pars ex vulneribus mortui ſunt, pars ſibiipſis mortem conſciuerunt, reliqui poſtridie capti ſunt: quorum magna pars in via ſeſe vita exuerunt: multi deinceps quoque ſauciorum perierunt, cum ab initio, qui ipſos curaret diligenter, haberent neminem. Craſſus animo deiectus, ne in oppido quidem diutius manere ſe poſſe exiſtimans, ſtatim, qnomodo inde fuga ſe eriperet, rationes inibat. Siquidem fieri non poterat, vt interdiu diſcedens latêret, noctem ad id delegit: ſed proditus à Luna, quæ tum plena luce fulgebat, non fefellit. Proinde eas noctes opertus, in quibus Luna non luceret, cum ſuis profectus eſt: tum eos in tenebris, atque aliena in regione iter facientes, eademque hoſtili, ingens metus diſiecit; ac pars capti ſub diem, perierunt, pars in Syriam cum Caſſio Longino Quæſtore incolumes peruenerunt. Craſſus cum reliquis in montes euaſit: ibique ita ſeſe parauerunt, tanquam per eos in Armeniam aufugituri.

M. Craſſus à Surena deceptus perit.

Surenas, eo cognito, metuens, ne, ſi id ſucceſſiſſet, bellum contra Parthos deinde renouarent, cum Romanos in ſublimi loco, & equitatui alieno, aggredi non auderet, (armati enim erant, pugnaturique ex loco edito, tum quod ex deſperatione ad inſaniam iam aliquam redacti eſſent, haud citra periculum videbat ſe eos aggreſſurum) miſit ad eos ex ſuis, qui conditiones pacis offerrent, ſi omni intra Euphratem poſita terra excederent. Craſſus nihil in dubium vocatam rem credidit. Nam in ſummo metu conſtitutus, ac tum ſuæ, tum publicæ calamitatis terrore animo perturbato, ad hæc, milites iter longum aſperumque reformidare, & ab Orode ſibi timendum ſentiens, nihil eorum quę opus erant, præuidere poterat. Quem vbi ad tranſactionem paratum Surenas animaduertit, cum nollet id negocium per alios confici, ſed ipſum Craſſum cum paucis in ſuam poteſtatem accipere, oſtendit ſe cum eo ipſo velle in colloquium venire. Conuenit igitur, vt in medio inter vtriuſque ſtationem loco cum æquali virorum numero vtrinque congrederentur. Craſſus in planiciem deſcendit, eique, à Surena, quo celerius ad eum perueniret, equus longe pulcherrimus & phaleris aureis atque aureo fræno inſignis, dono miſſus eſt. Dum hæſitat Craſſus, ſecumque, quidnam ageret, deliberat, correptus à Barbaris, vi in equum impoſitus eſt. Ad hoc repugnantibus Romanis, res ad manus peruenit. quo in certamine çum aliquandiu pares fuiſſent Romani, tandem ſuccurrentibus alteri parti nonnullis (nam & in plano Barbari erant, & ad eam rem ſe compoſuerant, atque ita ſe Romanos ſuis auxilio venientes, anteuertebant) ſuperati ſunt.

Craſſi interitus, aurumq; in os eius infuſum.

Ibi cum nonnulli ſuorum cecidiſſent, Craſſus quoque (neque conſtat an à ſuorum aliquo poſt graue acceptum vulnus, à Pomaxarte Perſa, ne viuus in hoſtiũ manus veniret, an vero ab hoſtibus) occiſus eſt. Hic ei vitæ exitus fuit, in eiuſque os, vt quidam referunt, Parthi aurum liquefactum, verbis inſuper inſultantes, infuderunt. Tantum enim fuerat in eo homine pecuniæ acquirendæ ſtudium, quanquam longe ditiſſimus eſſet, vt quaſi pauperem eum miſeraretur, qui non ex ſuis facultatibus exercitum alere poſſet. Sexageſimum autem ætatis ſuæ tunc annum agebat, & ſi vetuſtiorem præ ſe ferret ætatem. Militum plærique per montes in amicorum fines perfugerunt, nonnulli ab hoſtibus capti ſunt. Cæterum Parthi eo tempore omni ditione intra Euphratem recuperata, eum tranſgreſſi non ſunt. Feruntur in eo bello viginti ferme hominum millia interempta, & decem millia capta fuiſſe. Poſthæc, Surenas Craſſi caput & dextram ad Orodẽ, qui tunc in Armenia, vt antea commonſtrauimus, bellum gerebat, miſit; quoſdam vero Seleuciam proficiſci iuſſit, qui non occiſum, ſed viuum captum eſſe Craſſum paſſim vulgarent, & illum non multo poſt, Seleuciam captiuum venturum.

Surenas.

Erat autem Surenas non humili ſane, aut obſcuro loco inter Perſas, oriundus, ſed qui diuitijs, genere, atque gloria ſecundus à rege numerabatur: corporis autem robore ac fortitudine ætatis ſuæ Perſarum omnium potentiſſimus: forma vero ac magnitudine corporis ſupra cæteros omnes admirabilis, magnaque in caſtris pompa & apparatu vtebatur. ſiquidem mille cameli impedimentis, quæ ſuo duntaxat vſui ſeruiebant, onuſti quacunque iter faceret, ſequebantur. Ducebat ętiam pellices circiter ducentas. Mille præterea cataphractos equites, ac

tes,ac totidem leuitèr armatos,cuſtodiendi corporis gratia circa ſe continue detinebat,peditum vero ac ſeruorum ingentem numerum. Iam ab initio autem illud à maioribus, velut hæreditarium acceperat, vt ei qui Parthorum rex declaratus eſſet,regium diadema primus ipſe imponeret. Paucis diebus interiectis, Parthi Syriam inuaſerunt, non magno tamen exercitu, quod in ea neque milites,neque tum Romanos eſſe putabant:Itaque Caſſius eos non magno negocio repulit. Huic Caſſio, cum Carris à militibus odio Craſſi adductis imperium eſſet delatum,atque ipſe etiam Craſſus ob magnitudinem calamitatis vltro id concederet, non acceperat: tunc autem neceſſitate rerum adductus,Syriam adminiſtrauit, idque deinde etiam, cum Barbari abincepto neutiquam deſiſterent.

C. Caſſius Parthos à Syria repellit.

Orodes interim pacem cum Armeniorum rege compoſuit, eiuſque ſororem Pacoro filio coniugem deſponſauit, multaque inuicem conuiuia ſumma laſciuia, ac maximo rerum omnium apparatu celebrauit, plurima in eis Græcorum more cantantes. Neque enim Græci ſermonis ac literarum Orodes ignarus erat. Armenus vero tragœdias quoque ſcripſit, & orationes plurimas edidit, hiſtoriam etiam compoſuit,quarum aliquæ in hodiernum vſque diem extare dicuntur. At Romæ non multo poſt, excitata ſunt maxima atque duriſſima bella ciuilia,Pompeio & Cæſare diſſidentibus,quorum bellorum multæ cauſæ feruntur; ſed certiſſima cauſa fuit primatum partium, & dominandi cupiditas. Pompeius enim etſi antea Cæſarem auxerat, tamen eius fortunæ & gloriæ poſtea cœpit inuidére; atque cum initio potentiam eius impedire clam ſtuduiſſet, deinde grauiter & aperte ſe inimicum oſtendit. Cæſar, qui nihil de dignitate ſua detrahi patiebatur, quique potius omnium maximus eſſe cupiebat, relicta Gallia, Romam contendit, ſcilicet imparatum adhuc Pompeium offenſurus. Cæſar enim propter belli apparatum, militeſque tanto tempore in bellis Gallicis exercitatos, & tot victorijs exultantes,ac eius donis, ampliſq; promiſſis permotos, paratiſſimus erat. Ex quo factum eſt, vt Pompeius Roma deceſſerit,& paulo poſt, Italia. Is ſecum habebat Senatum fere omnem, pecuniam, & multas nationes ac gentes, vti etiam Cæſar,ſuis ſtudijs atque partibus fauentes, inter quos fuerunt etiam Parthi, qui cum eo ſocietatem iniuerant, tum propter amicitiam ſecum bello Mithridatico iunctam,tum etiam propter Craſſi necem, cuius alter filius in partibus Cæſaris eſſe audiuerant, quem vltorem patris ac germani, victore Cæſare futurum non dubitabant. Cæterum deuictis Pompeianis, Caſſio & Bruto, auxilia aduerſus Auguſtum & Antonium miſere. Interea cum ipſe Antonius,relicta Aſia, & Syria ſub Planci & Saxæ præfectura, quorum prior Aſiæ, alter Syriæ, præerat, amore Cleopatræ in Aegyptum profectus eſſet, Labienus, qui præfuerat equitibus Pompeij Magni, vel potius filius eius hic Labienus, fuit, qui primo ad Parthos ſe contulit, deinde vna cum filijs Pompeij bellum contra Cæſarem geſſit,iiſque ſuperatis,ad Parthos confugit, & Orodi Parthorum regi perſuaſit, vt bellum inferret Romanis. Huic Orodes Pacorum filium tradit,deinde eum ab ſe cum exercitu dimittit. Ab iis Syria omnis præter Tyrum capta eſt: Palæſtina quoque, Cilicia, ac vrbes Aſiæ, quæ in continenti ædificatæ erant, omnes fere captæ ſunt. His rebus ſumma celeritate ac felicitate peractis, caſtra P. Ventidij, qui poſt Caſſium, abſente Pacoro, exercitum Parthicum fuderat, in munitis locis poſita, ingenti mole aggrediuntur: ſed ille, ſimulato timore diu ſe continuit, & inſultare Parthos aliquantiſper paſſus eſt. Ad poſtremum in ſecuros lætoſque, partem legionum emiſit, quarum impetu fuſi Parthi, in diuerſa abiere. Pacorus autem cum ſuos fugientes abduxiſſe ſecum legiones Romanas putaret, caſtra Ventidij, veluti ſine defenſoribus inuadit. Tunc Ventidius reliqua parte legionum emiſſa, in agro Cyreſtico vniuerſam Parthorum manum cum rege ipſo Pacoro interfecit, & ipſum Labienum cepit, Parthoſque omnes Syria expulit. Incidit hæc clades Parthis eo ipſo die, quo olim Craſſus Surenæ perfidia interfectus fuit. iſque primus de hac gente iuſtiſſimum triumphum egit, & Caſſianam cladem Pacori capite penſauit. Nec ipſe Surenas diu hac victoria lætatus eſt, quippe quem Orodes haud multo poſt, illius gloriæ in-

Bellum ciuile inter Cæſar. & Pomp.

Cauſa & origo huius belli.

Orodes ſuaſu Labieni bellum infert Romanis.

Ventidii in Parthos ſtratagema

Cædes Pacori.

Labienus capitur, Parthi vincuntur.

uidens,cum dolo peremit. Hæc cum nuntiata in Parthia eſſent, Orodes pater Pacori,qui paulo ante vaſtatam Syriam,occupatam Aſiam à Patı his audierat,& Pacorum victorem Romanorum gloriabatur, repente filij morte, & exercitus clade audita,ex dolore ad furorem vertitur. Multis diebus neminem alloqui, non cibum ſumere,non vocem emittere, ita vt mutus factus videretur. Poſt multos dies, vbi dolor vocem laxauerat, nihil aliud quam Pacorum vocabat:Pacorus illi videri,Pacorus audiri videbatur: cum illo loqui, cum illo conſiſtere,interdum quaſi amiſſum flebiliter dolebat. Poſt lõgum deinde luctum,alia ſolicitudo miſerandum ſenem inuadit, quem ex numero 30.filiorum in locum Pacori regem conſtituat. Multæ pellices, ex quibus generata tanta iuuentus erat, pro ſuis quęq; anxia atque ſolicita,ſenis animum obſidebant Sed fatum Parthię fecit,in qua, iam quaſi ſolenne erat reges parricidas haberi, vt ſceleratiſſimus omnium Phraates nomine,ætate maximus,Rex ſtatueretur. Is autem breui ſpatio interiecto Orodi, qui ex mœrore in morbum hydropicum inciderat, inſidias machinatus, venenum quaſi medicamentum ad leuandum morbum tradidit: quod eum profuturum ægritudini videretur,iamque corpus nonnihil conualeſcere cœpiſſet, breuiſſimam interimendi viam aggreſſus, propria manu ſpiritu præcluſo illum ſuffocauit,parique ſæuitia & crudelitate omnes fratres, ac etiam adultum filium è medio ſuſtulit. Cum enim propter aſſidua ſcelera ſibi optimates quam maxime infenſos animaduerteret,hunc etiam trucidari iuſſit,ne deinceps foret,qui regio faſtigio dignus cenſeri poſſet.

Phraates patrem Orodem & fratres interficit,

Exemplum horribilis crudelitatis.

Dum hæc in Perſia geruntur,magna populum Romanum cupiditas inceſſit, Craſſum, amiſſumque cum eo exercitum vlciſcendi,ſpeſque Parthos debellandi:Id igitur bellum Cæſari vnanimi conſenſu decreuerunt, ſummoq; ad id ſtudio ſeſe comparauerunt. Ac præter cætera quæ eius belli cauſa agebant,vt & adminiſtrorum copia Cæſari eſſet, & eo abſente, neque ſine magiſtratibus vrbs eſſet, neq; ſi ipſa eos delegiſſet ciuitas, res ad motus inteſtinos rediret, magiſtratus iam ante ad totum triennium (tantum enim temporis Parthicæ expeditioni impendendum exiſtimabant) conſtituere intenderunt, qui tamen non omnes tum ordinati ſunt.Horum dimidiam partem Cæſar,quod lege quadam ei conceſſum fuerat, te ipſa autem omnes deſignabat. Verum hæc omnia breui poſt, repentino ipſius Cæſaris interitu diſſoluta ſunt, & prorſus infecta remanſere. Poſt huius cædem, ſuprema rerum poteſtas fuit penes Triumuiros, nempe Octauium,Antonium & Lepidum;hiſque duobus tandem ſublatis, prior ſolus imperauit. Cæterum Antonio adhuc ſuperſtite, & vna cum Octauio aduerſus Caſſium & Brutum, reliquoſq; Cæſaris interfectores bellum gerente, cum Perſæ illis opem atque ſuppetias tuliſſent, Antonius, qui nomine populi Romani Aſiam atq; Syriam regebat, eos cum ſexdecim validiſſimis legionibus hoſtiliter inſecutus eſt,Sed multis prœlijs grauiter vexatus,tandem,cum præſertim eius exercitus fame ac peſtilentia laboraret, à Parthia refugit: qua victoria Phraates inſolentior redditus, & in nouam ſpem erectus, cum multa crudeliter ageret, in exilium à ſuis proceribus pellitur : ſed is, eum finitimas ciuitates diu multumque,ac poſtremo Scythas precibus fatigaſſet, horum tandem auxiliaribus copijs in regnum reſtituitur.Hoc abſente, regem Teridatem conſtituerant, qui,audito Scytharum aduentu,magna amicorum manu ad Cæſarem, qui poſt Actiaeam ac Aegyptiam victoriam, per Syriam in Aſiam profectus, hyberna ibi agebat,profugit,obſidem Cæſari minimum filium Phraatis ferens, quem negligentius cuſtoditum rapuerat. His rebus cognitis Phraates, legatos ſtatim ad Cæſarem mittit;ſeruum ſuum Teridatem,& filium remitti ſibi poſtulat. Cæſar & legatione Phraatis audita,& Teridatis poſtulatis cognitis,(nam & ipſe reſtitui in regnum deſiderabat,iuris Romanorum futuram Parthiam affirmans, ſi eius regnum muneris eorum fuiſſet) neque Teridatem redditurum ſe Parthis dixit, neque aduerſus Parthos Teridati auxilia daturum. Ne tamen à Cæſare nihil per omnia obtentum videretur, Phraati filium ſuũ pretio remiſit,& Teridati, quoad manere apud Romanos vellet, opulentum ſumptum præberi iuſſit. Sunt etiam

Parthicum bellum Cæſari mandatum.

Roma triũmuratus,

Antonius contra Parthos infeliciter dimicat.

Phraates regno deturbatur, ac breui poſt reſtituitur.

Teridates.

Auguſtus, ut controuerſiam Teridatis ac Phraatis diiudicarit.

etiam qui aſſerant, Cæſarem ipſius Phraatis filium, Romam ſecum adduxiſſe, obſidisque loco aliquandiu habuiſſe, deinde illum patri remiſiſſe, vt pro eo captiuos ſignaque militaria Craſſi & Antonij cladibus amiſſa, reciperet. Hoc ſtatu rerum, cum Auguſtus in Siciliam, indeque in Græciam adnauigaſſet, Parthi ſub rege Phraate per id tempus metuentes, ne Cæſar contra ſe exercitum duceret, obſides, quod nulli antea, vltro ei obtulere, creandique regis arbitrium permiſere, atque inſuper captiuos, & militaria ſigna, M. Craſſo, & M. Antonio prius, ſicut diximus, adempta, eidem repoſcenti, non inuitis animis reddiderunt, denique pluribus eo tempore de regno concertantibus, non niſi ab ipſo electũ comprobauêre: qua ex re Cæſar gloria efferebatur, quod abſq; labore recuperaſſet ea, quæ alij magnis prœlijs amiſiſſent: ob eam cauſam ſacra fecit, atque ouans vrbem ingreſſus eſt.

Parthi ſigna & captiuos reddunt Octauio Auguſto.

Phraates in ſuis literis ad Auguſtũ, appellat ſe regem regum.

Verum enimuero cum progreſſu temporis Phraates Armeniam occupaſſet, & Caius ad bellum contra Armenios miſſus eſſet, ipſe de pace ad Cæſarem literas miſit: cumque Cçſar Phraati ſimpliciter ſine regis nomine reſcripſiſſet, iuſſiſſetque de Armenia decedere, Phraates non eſt timore perterritus, ſed etiam ad eum reſcripſit arroganter, ſeque Regem regũ, illum tantummodo Cæſarem appellauit. Tamen in gratiam reditum eſt, poſtquam Phraates Caium in Syria adeſſe expertus, domeſticamque ſeditionem ob ſui odium veritus Armenia ceſſit. Huic fuerunt legitimi filij quatuor, nimirum Saraſpades, Ceroſpades, Phraates, & Vonones, ac etiam vnus ex cõcubina Romana Thermuſſa genitus. Ex his, Vononem ad Auguſtum, firmandæ amicitiæ obſidem miſerat, haud perinde Romanorum metu, quam fidei popularium diffiſus. Interim Phraates à tertio filio eiuſdem nominis interficitur, qui etiam parricidio inceſtũ addidit, matre nimirum in matrimonium ducta. ſed breui poſt, facinorum odio à prouincialib⁹ expellitur, nec diu ſuperſtes fuit. Huic in imperio ſucceſſit Orodes, incertæ prolis, qui cœtu popularium facto, cæſus eſt in ſacrificio, aut venatu, ob crudelitatẽ. At primores Perſarum ob internas cædes, in vrbem legatos miſêre, qui Vononem accirent. Magnificum id ſibi credidit Cæſar, auxitque opibus. Et initio accepere Barbari lætantes, vt ferme ad noua imperia. Mox ſubit pudor degeneraſſe Parthos, petitum alio ex orbe regem, hoſtium artibus infectum: iam inter prouincias Romanas ſolium Arſacidarum haberi darique. Vbi illam gloriam trucidantium Craſſum, exturbantium Antonium, ſi mancipium Cæſaris tot per annos ſeruitutem perpeſſum Parthis imperitet? Accendebat dedignantes & ipſe, diuerſus à maiorum inſtitutis, raro venatu, ſegni equorum cura, quoties per vrbes incederet lecticæ geſtamine, faſtuque erga patrias epulas: irridebantur & Græci comites, ac viliſſima vtenſilium anulo clauſa, ſed prompti aditus, obuia comitas, ignotæ Parthis virtutes, noua vitia, & quia ipſorum maioribus aliena perinde odium & honeſtis. Igitur petitum Roma, acceptumque regem, quamuis gentis Arſacidarum, vt externum aſpernati, Artabanum non ex recta priorum regum ſtirpe, ſed tamen Arſacidem, apud Dahas adultum, & Medorum regem, exciuere, primoque congreſſu fuſus, reparat vires, regnoque potitur.

Idem cedit Armenia.

Victo Vononi perfugium Armenia fuit, vacua tunc, interque Parthorum & Romanas opes infida, ob ſcelus Antonij, qui Artauaſden regem Armeniorum, ſpecie amicitię inlectum, dein catenis oneratum, poſtremo interfecerat. Eius filius Artaxias, memoria patris Romanis infenſus, Arſacidarũ vi, ſeque regnumque tutatus eſt. Artabanus Perſicum imperium adeptus, initio metu Germanici fidus Romanis, æquabilis in ſuos, mox ſuperbiam in eos, ſçuitiam in populares ſumſit, fretus bellis, quæ ſecunda aduerſum circumiectas nationes exercuerat, & ſenectutem Tiberij vt inermem deſpiciens, auidusq; Armeniæ, cui, defuncto rege Artaxia, Arſacen liberorum ſuorum vetertimum impoſuit, addita contumelia, & miſſis qui Gazam à Vonone relictam in Syria Ciliciaque repoſcerent, ſimul veteres Perſarum ac Macedonũ terminos, ſeque inuaſurum poſſeſſa Cyro, & poſt Alexãdro, per vaniloquentiã ac minas iaciebat. Cæterũ Parthi, auctore in primis Sinnace, inſigni familia ac perinde opibus, & proximo huic Abdo, ignaro rege, lega-

Parthi, ignauo rege, mittunt legatos ad Tiberiũ, & nouum Principẽ ſibi expoſcunt.

ros Romam miſêre. Ij, ſecreto aſcitis & alijs primoribus, quia neminem generis Arſacidarum ſummæ rei imponere poterant, interfectis ab Artabano plærique, aut nondum adultis, Phraaten, regis Phraatis filium, poſcebant. Nomine tantum & auctore opus, vt ſponte Cæſaris, vt genus Arſacis, ripam apud Euphratis cerneretur. Cupitum id Tiberio, ornat Phraaten, accingitque paternum ad faſtigium, deſtinata retinens, conſilijs & aſtu res externas moliri, arma procul habere.

Phraates ex gente Arſacidarũ ſubſtituitur rex Parthorum, qui obijt in itinere.

Interea cognitis inſidijs Artabanus, tardari metu, modo cupidine vindictæ inardeſcere. Et Barbaris cunctatio ſeruilis, ſtatim exſequi, regiũ videtur. Valuit tamen vtilitas, vt Abdum ſpecie amicitiæ vocatũ ad epulas, lento veneno inligaret: Sinacen diſſimulatione ac donis, ſimul per negotia, moraretur. Et Phraates apud Syriam, dum omiſſo cultu Romano, cui per tot annos inſueuerat, inſtituta Parthorum ſumit, patrijs moribus impar, morbo abſumptus eſt. Sed non Tiberius

Tiridates eiuſdẽ ſanguinis creatur rex Par.

omiſit incepta, Tiridaten ſanguinis eiuſdem, æmulum Artabano, recuperandæque Armeniæ Hyberum Mithradatem deligit, conciliatque fratri Pharaſmani, qui gentile imperium obtinebat: & cunctis quæ apud Orientem parabantur,

L. Vitellius præficitur Orienti.

Hyberi potiuntur Armenia.

L. Vitellium præfecit. Ex regulis prior Mithradates Pharaſmanẽ perpulit, dolo & vi conatus ſuos iuuare, repertique corruptores, miniſtros Arſacis multo auro ad ſcelus cogunt, ſimul Hyberi magnis copijs Armeniam irrumpunt, & vrbe Artaxata potiuntur. Quæ poſtquam Artabano cognita, filium Orodem vltorem parat, datque Parthorum copias, mittit qui auxilia mercede facerent. Contra Pharaſmanes adiungere Albanos, accipere Sarmatas, omnibusq; virib' copias augere, & mox auctus auxilio, Orodem ſociorum inopem, vocare ad pugnam, & detrectantem inceſſere, adequitare caſtris, infenſare pabula, ac ſæpe modum obſidij ſtationibus cingebat, donec Parthi contumeliarum inſolentes, circumſiſterent regem, poſcerent prœlium, atq; illis ſola in equite vis. Pharaſmanes & pedite valebat. Nam Hyberi Albanique, ſaltuoſos locos incolentes, duritię patientiaq; magis inſueuêre. Cæterum directa vtrinq; acie, Parthus imperium Orien-

Prœlium inter Perſas & Hyberos.

tis, claritudinem Arſacidarum, contraq; ignobilem Hyberum mercenario milite, diſſerebat. Pharaſmanes integros ſemet à Parthico dominatu: quanto maiora peterent, plus decoris victores, aut ſi terga darent, flagitij atque periculi laturos. Simul horridam ſuorum aciem, picta auro Medorum agmina, hinc viros, inde prædam oſtendere. Variæ hinc bellantium ſpecies, cum Parthus ſequi vel fugere pari arte ſueuerus, diſtraheret turmas, ſpatium ictibus quęreret. Diu vario atq;

Pharaſmanis victoria aduerſus Orodem.

Artabani fuga.

ancipiti Marte vtrinque pugnatum eſt, donec tandem Orode à Pharaſmane per galeam vulnerato, fama tamen occiſi falſo credita, exterruit Parthos, victoriamque conceſſêre. Tum omiſſa Armenia, verſęq; Artabani res, qui mox eum aliquot ex ſuis in longinqua & contermina Scythiæ fugam maturauit ſpe auxilij, quia Hircanis Carmanisq; per adfinitatem innexus erat. Atq; interim poſſe Parthos abſentium ęquos, præſentibus mobiles ad pœnitentiam mutari. At profugo Artabano, & flexis ad nouum regẽ popularium animis, Teridates, adiuuante

Vitellij cohortatio ad nouũ regem & Prouinciales.

Eiuſdẽ diſceſſus in Syriam.

etiam Vitellio, regni gubernacula ſuſcepit. quem poſtea in regio ſolio collocatum, monet, vt Phraatis aui, & altoris Cæſaris meminerit, primores autem, vt obſequium in regem, & reuerentiam in Romanos, decus quiſq; ſuum & fidem retineant. Exin oſtentaſſe Romana arma ſatis ratus, cum legionibus in Syriam remeauit. Teridates interim, volentibus Parthis, Nicephorium, & Anthemuſiada cæteraſq; vrbes, quæ in Macedonia ſitæ, Græca vocabula vſurpant, Halumq; & Artemitam, Parthica oppida recepit, certantibus gaudio, qui Artabanum Seythas inter eductum, ob ſęuitiam exſecrati, come Teridatis ingenium Romanas per artes ſperabant. Inde Seleucia petita, in qua ciuitate, ſepta muris, & ſumma

Surena Teridatẽ inſigni regio cinxit.

potentia atque opibus florenti, regia pompa exceptus eſt, atque illinc Cteſiphon ſedes imperij, vbi Surena, multis proceribus coram approbantibus, patrio more Teridatẽ inſigni regio cinxit. Dum vero ibi primores regni, & in primis Phraa-

Longa mora & cunctatio Teridati noxia.

tem, & Hieronem, qui validiſſimas præfecturas obtinebant, ſeque breui affuturos per literas erãt polliciti, opperitur, nimis longam moram protraxit. Ac ſi ſtatim interiora, cæteraſque nationes petiuiſſet, oppreſſa cunctantium dubitatio,

&omnes

& omnes in vnum cedebant. Adſidendo caſtellum,in quod pecuniam & pellices Artabanus contulerat,dedit ſpatium exuendi pacta. Nam Phraates & Hjero,& ſi qui alij,dilectum capiendo diademati diem non concelebrauerant, pars metu,quidam inuidia in Abdageſen,qui tum aula , & nouo rege potiebatur,ad Attabanum vertere. Isque in Hircanis repertus eſt,inluuie obſitus, & alimenta arcu expediens:ac primo tanquam dolus pararetur,territus,vbi data fides reddēdæ dominationi veniſſet,adleuatur animum,& quæ repentina mutatio, exquirir. Tum Hiero pueritiam Teridatis increpat, neq; penes Arſacidem imperium, ſed inane nomen apud imbellem externa mollitia: vim in Abdageſi domo. Senſit vetus regnandi,falſos in amore,odia non fingere , nec vltra moratus quam dum Scytharum auxilia conciret,pergit properus, & præueniens inimicorum aſtus,amicorum pœnitentiam: neque exuerat pedorem , vt vulgum miſerarione aduerteret, prompti firmarentur. Iamque multa manu propinqua Seleucia aduentabat,cum Teridates ſimul fama atque ipſo Attabano perculſus, diſtrahi conſilijs,iret contra,an bellum cunctatione tractaret. Qnibus prœlium & feſtinati caſus placebant diſiectos & longinquitate itineris feſſos, ne animo quidem ſatis ad obſequium coaluiſſe diſſerunt , ptoditores nupet hoſteſque eius quem rurſus foueant. Verum Abdageſes regrediendum in Meſopotamiam cenſebat,vt amne obiecto Armenijs Elymeisque.& cæteris à tergo excitis, aucti copijs ſocialibus,& quas dux Romanus miſiſſet,fortunam tentarent. Ea ſententia valuit, quia plurima auctoritas penes Abdageſen, & Teridates ignarus ad pericula erat: ſed fugæ ſpecie diſceſſum,ac principio à gente Arabum facto, cęteri domos abeunt,vel in caſtra Artabani , donec Teridates cum paucis in Syriam reuectus,pudore proditionis omnes exſoluit. Et hæc quidem geſta ſunt, Tiberio adhuc ſuperſtite. Libet autem hic ſubiungere quæ de ijſdem tebus, Ioſephus lib. 18. De antiquitate Iudaica poſteris ac memoriæ mandarit. Poſtquam enim de morte Cæſaris Octauiani paulo ante narraſſet, mox, in illis diebus, inquit, moritur etiam Phraates Parthorum imperator,inſidijs illi à Phtaate filio præparatis,ſecnndum hunc modum. Phraates imperatot,poſtquam legitimos filios habuit; aſciuit ſibi Italici generis concubinam,cui nomen erat Thermuſſa , à Cæſare Iulio cum alijs muneribus hæc ei fuerat condonata,& primū quidē ea , ſicut dixi; pro concubina vtebatur,captus mira pulchritudine mulieris. Procedente vero rempore, filioque ex ea Phtaate ſuſcepto,coniugem eam legitime deſignauit : quam honorifice tractabat in omnibus,quicquid etiam ei diceret , obediebat. Itaque feſtinat,vt Parthorum principatus filio ſuo contingeret , quod videbat aliter fieri non poſſe,niſi exinde legitimos filios aliquibus argumentis excluderet: perſuader Imperatori,vt illos Romam obſides deſtinaret. Proinde illico(non enim facile fuit Phraati , diſpoſitionibus Thermuſæ reſiſtere) Romam à patre mittuntur,& ſolus in regno Phraares filius nutritur. Sed poſtquam adoleuit , graue reputans ac moleſtum,vt Principatum patre tribuente ſuſciperet, inſidias præparat patri,cooperante ſibi etiam matre. Nam ſermó quoque ferebatur,quod ei concubitu miſceretur. Itaque pro vtroque facinore genti factus eſt exoſus,tam parricidio,quam amore matris infando:& ſeditionibus excitatis,antequam amplior fieret,ex regni poteſtate depulſus emoritur. Concordantes itaque in vnum Parthorum fortiſſimi,cernenteſque ſine Principe ſe non valere conſiſtere, cœperunt inſpicere,quiſnam illis ex genere Arſacidarum fieret Imperator : nam aliunde fieri non licebat : vnde quoque vſque in hodiernum diem pollutum dicunt & contaminatum ex ſemine mulieris Italicæ illud imperium. Herodem itaque per legatos aſciſcunt. Sed poſtquam iſte quoque ſuſcepit imperium, cœpit inuidioſus eſſe multitudini, atque ſuſpectus, propter immenſam crudelitatem: erat quippe ferus,& omnibus modis immitis. Hunc ergo congregati ſimul extingunt. Plærique autem dicebant,quod eum in ſacrificijs inter altaria peremerūt:nā eis moris erat in diuinis celebrationibus cultros portare. Apud plurimos tamē opinio illa eſt,quod dum venatū pergit,occiſus fuerit. Legationē itaq; Romā mittūt,vnū ex obſidib' ad impetiū poſtulantes:& mittitur illis Vonones,cæ-

Artabanus quærendam procerū auxilio amiſſum regnum recuperat.

T. videtet aufugit in Syriam.

teris ſuis fratribus antelatus, quod iudicabatur fortunâ ſuam poteſtatemq; nõ inſolenter aut nimie tractaturus. Sed Barbaræ multitudinis celerrima conuerſio ſuboritur. Siquidem ſunt etiam natura mutabiles. Manſuetudinem itaque eius cœperunt contemnere,indignnm putantes,vt ſeruo ſubijcerentur alieno. Nam oblidum ſeruitutem eſſe definiebant: neque enim iure belli datum,ſed quod prius putabant,in pace ad iniuriam ſuę gentis & regni alienigenis eſſe contraditum. His ergo querelis gens vniuerſa commota, illum proturbat imperio,confeſtimque Artabanum euocant Medorum regem, ab Arſacidarum genere deſcendentem. Perſuaſus itaque Artabanus,venit cum omni militia. Cui Vonones occurrit,& multitudine congregata Parthorum,cum eo,bello congreditur. Artabanus autem victus,confugit ad montes Mediæ, & non poſt multum temporis,congregans etiam ipſe magnas turmas exercitus,cum Vonone cõfligit, & victus Vonones,cum pauco ad Seleuciam fugit equitatu. Artabanus autem fuſum Parthorum exercitum inſequens,magnam ſtragem edidit. Tunc Barbaris grandi metu compreſſis,ad Cteſiphontem cum magna multitudine perrexit. Illo itaque Parthis imperante, Vonones in Armeniam venit, & primo quidem in illa regione cœpit imperare,deinde vero ad Romanos legationem mittit. Sed vbi Tiberius petitionem eius abnuit,ille recta ad Parthos conuertitur, & bellum Artabano denunciat, quandoquidem nulla illi recuperandi regni machinatio ſuccurrebat. Cæterum Armenij,qui circa Nipharem habitabant, Artabano fuere ſociati,à quibus detentus Vonones, Syllano Syriæ rectori deditur. Ille autem ex verecundia,quoniam eum Romę nouerat,cuſtodiuit, honorificeque tractauit. Armeniam autem Artabanus Horodi vni ſuorum filiorum tradidit. Hæc Ioſephus. Poſt mortem Tiberij, Caio Caligula Romæ rerum potiunte, Parthi,ſeu Perſæ,(nam hæc duo regna olim confuſa,tunc eadem prorſus extitêre) cum regnante Artabano,non ſolum Armeniam inuaſiſſent,verum etiam Syriæ inhiatent,

L. Vitellius rem contra Artabanũ præclare gerit.

L. Vitellius,cuius proxime fecimus mentionem, illi cum exercitu ad Euphratem occurrit,collatisque ſermonibus, coegit ſtatuis Auguſti Caijque ſacra facere,ſancireque fœdera ad commodum & vtilitatem populi Romani, filijs eius Dario & Artabano obſidibus acceptis. Verum enimuero hæc fœdera ſub Claudio Caij ſucceſſore ab eis violata ſunt, quandoquidem Armeniam iterum

Perſæ iterũ à Romanis deficiũt, & occupãt Armeniam.

ſuo imperio adiecerunt, & Romanorum legiones ſub iugum misêre. At breui poſt, Mithradates, qui antea ipſis Armenijs imperitauerat, monente Claudio,in regnum remeauit,fiſus Pharaſmanis opibus. Is rex Hiberis,idemque Mithradatis frater. Interea temporis, in Perſide omnia inteſtinis ſimultatibus laborabant,

Seditiones in Perſia, à Gotarze fratre Artabani excitata. Vardanes accerſitur à Perſis.

ſummaque imperij ambigua, minora ſine cura haberi. Nam inter Gotarzis plæraque ſæua,(qui necem fratri Artabano, coniugique ac filio eius maturauerat, vnde metus eius in cæteros) acciuere Vardanem Artabani fratrem. Ille, vt erat magnis auſis promptus, biduo tria millia ſtadiorum conficit, ignarumque & exterritum Gotarzem proturbat: neque cunctatur,quin proximas pręfecturas corripiat,ſolis Seleucenſibus dominationem eius abnuentibus, in quo, vt patris ſui quoque defectores ira magis quam ex vſu pręſenti accenſus, implicatur obſidione vrbis validæ, & munimentis obiecti amnis, muroque & commeatibus firmatæ. Interim Gotarzes Daharum Hircanorumque opibus auctus, bellum renouat, coactusque Vardanes omittere Seleuciam, Bactrianos apud campos caſtra contulit. Tunc diſtractis Orientis viribus, & quoniam inclinarent incertis, caſus

Mithradates Romanis adiuuantibus inuadit Armeniam.

Mithradati datus eſt occupandi Armeniam vi militis Romani ad excidenda caſtellorum ardua, ſimulque Hybero exercitu campos perſultante. Nec enim reſtitere Armenij, fuſo qui prœlium auſus erat Demonacte præfecto. Paululum cunctationis attulit rex minoris Armeniæ Cotys, verſis illuc quibuſdam procerum, deinde literis Cæſaris coercitus. At Parthi imperatores, cum pugnam pararent,

Gotarzes & Artabanus inuicem reconciliantur.

fœdus repente faciunt, cognitis popularium inſidijs, quas Gotarzes fratri patefecerat, congreſſique primo cunctanter, deinde complexi dextras more Perſarum apud altaria Deûm pepigêre, fraudem inimicorum vlciſci, atque ipſi inter ſe concedere. Potior Vardanes viſus retinendo regno. At Gotarzes, ne quid æmulationis

nis exſiſteret penitus, in Hyrcaniam abiit; regreſſoque Vardane, deditur Seleucia ſeptimo poſt defectionem anno, non ſine dedecore Parthorum, quos vna ciuitas tamdiu eluſerat. Exin validiſſimas præfecturas inuaſit, & animum ad recuperandam Armeniam adiecit. Sed Vibio Marſo Syriæ legato bellum minitante, ab ea expeditione ſuperſedit. Atque interim Gotarzes pœnitentia conceſſi regni, & reuocante nobilitate, cui in pace durius ſeruitium eſt, contrahit copias, & huic contra itum ad amnem Erindem, in cuius transgreſſu multum certato, peruicit Vardanes, proſperisq; prœliis medias nationes ſubegit ad flumen Ginden, quod Dahas Ariosque diſterminat: nam Parthi, quanquam victores, longinquam militiam aſpernabantur. Igitur exſtructis monimentis, quibus opes ſuas teſtabantur, nec cuiquam ante Arſacidarum tributa illis de gentibus parata, regreditur, ingens gloria, atque eò ferocior, & ſubiectis intolerantior.

Vardanis victoria aduerſus Gotarzen.

Qui dolo antè compoſito, incautum venationique intentum, interfecere primam intra iuuentam, ſed claritudine paucos inter ſenum regum, ſi perinde amorem inter populares, quàm metum apud hoſtes quæſiuiſſet.

Eiusdem cædes.

Nece Vardanis, turbatæ Parthorum res inter ambiguos quis in regno acciperetur. Multi ad Gotarzen inclinabant, quidam ad Meherdatem filium Vononis, obſidem Romanis datum. Sed præualuit Gotarzes, potitusque regia, per ſæuitiem ac luxum adegit Parthos mittere ad principem Romanum occultas preces, quîs permitti Meherdatem patrium ad faſtigium orabant.

Meherdates.

Perſæ ob tyrannidem Gotarzæ Meherdatem Roma accerſunt.

Legati Romam profecti, Senatum ingrediuntur, mandata in hunc modum incipiunt: Non ſe fœderis ignaros, nec defectione à familia Arſacidarum venire; ſed filium Vononis nepotem Phraatis accerſere aduerſus dominationem Gotarzis, nobilitati plebique iuxtà intolerandam. Iam fratres, iam propinquos, iam longiùs ſitos, cædibus exhauſtos: adiici coniuges grauidas, liberos paruos, dum ſecors domi, bellis infauſtus, ignauiam ſæuitia tegat. Veterem ſibi ac publicè cœptam cum Romanis amicitiam, & ſubueniendũ ſociis virium æmulis, cedentibusque per reuerentiam. Ideò Regum obſides liberos dari, vt, ſi domeſtici imperij tædeat, ſit regreſſus ad Principem patresq;, quorum moribus aſſuefactus rex melior aſciſceretur.

Cur dentur obſides regum liberi.

Vbi hæc atque talia diſſeruêre, incipit orationem Cæſar, de faſtigio Romano, Parthorumque obſequiis: ſeque diuo Auguſto adæquabat, petitum ab eo regem referens, omiſſa Tiberij memoria, quanquam is quoque miſerat. Additque præcepta, etenim aderat Meherdates, vt non dominationem & ſeruos, ſed rectorem & ciues cogitaret, clementiamq; ac iuſtitiam quantò ignara Barbaris, tantò tolerantiora capeſſeret. hinc verſus ad legatos, extollit laude alumnum vrbis, ſpectatæ ad id modeſtiæ: ac tamen ferenda Regum ingenia, neque vſui crebræ mutationes. rem Romanam huc ſatietate gloriæ prouectam, vt externis quoq; gentibus quietem vellit datam. Poſt hæc C. Caſſio qui Syriæ præerat, deducere iuuenem ripam ad Euphratis iubet. Is primò excitis quorum de ſententia petitus rex, poſitisq; caſtris apud Zeugma, vnde maximè peruius amnis, poſtquam illuſtres Parthi, rexq; Atabum Acharus aduenerat, monet Meherdatem, Barbarorum impetus acres cunctatione langueſcere, aut in perfidiam mutari; itaq; vrgeret cœpta. Quod ſpretũ fraude Arabi, qui iuuenem ignarũ, & ſummam fortunam in luxu ratum, multos per dies attinuit apud oppidum Edeſſam. Et vocante Carrhene, promptasq; res oſtentante, ſi citi aduenisſent, non cominus Meſopotamiã, ſed flexu Armeniam petunt id temporis importunam, quia hyems occipiebat. Exin niuibus & montibus feſſi, poſtquam campis propinquabant, copiis Carrhenis adiunguntur. Transmiſſoq; amne Tigri, permeant Adiabenos, quorum rex Iuliates ſocietatẽ Meherdatis palàm induerat, in Gotarzẽ per occulta & magis fida inclinabat.

Meherdates amittit regnum propter nimiam cunctationem, & nonnullorum procerum perfidiam.

Sed capta in tranſitu vrbs Ninos vetuſtiſſima ſedes Aſſyriæ, & Arbela, caſtellũ inſigne fama, quòd poſtremo inter Darium atq; Alexandrũ prœlio Perſarum illic opes conciderant.

Ninos & Arbela capitur à Meherdate.

Interea Gotarzes apud montem, cui nomen Sabulos, vota diis loci ſuſcipiebat, præcipua religione Herculis: qui tẽpore ſtatuto per quietẽ monet ſacerdotes, vt templum iuxta, equos venatui adornatos ſiſtant. equi vbi pharetras telis onuſtas accepêre, per ſaltus vagi, nocte demũ vacuis pharetris, multo cũ au-

Gotarzis aſtutia.

helitu redeunt. Rurſus Deus quas Syluas penetrarunt, nocturno viſu demonſtrat: reperiunturque ſuſæ paſſim feræ. Cæterum Gotarzes nondum ſatis aucto exercitu flumine Cotma pro munimento vti. Et quanquam per inſectationes & nuntios ad prœlium vocaretur, nectere moras, locos mutare, & miſſis corruptoribus, exuendam ad fidem hoſtes emercari. Ex quîs, Ezates Adiabenus, mox Acharus Arabum cum exercitu abſcedunt, leuitate gentili, & quia experimentis cognitum eſt, Barbaros malle Roma petere reges, quam habere. At Meherdates validis auxilijs nudatus, cæterorum proditione ſuſpecta, quod vnum reliquum, rem in caſum dare, prœlioque experiri ſtatuit.

Conflictus inter Gotarzem & Meherdatem, in quo Meherdates dolo capitur, & traditur victori.

Nec detrectauit pugnam Gotarzes, diminutis hoſtibus ferox. Concurſumque magna cæde, & ambiguo euentu, donec Carrhenem profligatis obuerſis, longius euectum integer à tergo globus circumueniret. Tum omni ſpe perdita, Meherdates promiſſa Parrhacis paterni clientis ſecutus, dolo eius vincitur, traditurque victori. Atque ille non propinquum, neque Arſacis de gente, ſed alienigenam & Romanum increpans, auribus decisis viuere iubet, oſtentui clementiæ ſuæ, & in Romanos dehoneſtamento.

Exemplum crudelitatis. Gotarzis obitus. Vonones rex Perſarum. Vologeſes Vononi ſuccedit in regno, & Pacorũ ac Teridatẽ fratres ornat præfecturis Prouinciarum.

Dein Gotarzes morbo obijt, accitusque in regnum Vonones, Medis tum præſidens. De hoc nulla proſpera, aut aduerſa quis poſſet recenſere, quippe qui breui & inglorio imperio perfunctus ſit, resque Parthorum in filium eius Vologeſen translatæ. Hic poſt regni habenas, & gubernacula ſuſcepta, caſum inuadendę Armenię obueniſſe ratus, quam à maioribus ſuis poſſeſſam, Rhadamiſtus externus rex flagitio obtineret, contrahit copias, fratremque Teridatem, (nam alterum, maiorem natu, Pacorum nomine, Medis pręfecerat) deducere in regnum parat, ne qua pars domus ſine imperio ageret. Inceſſu Parthorum ſine acie pulſi Hyberi, vrbesque Armeniorum Artaxata & Tigranocerta iugum accepere. Dein atrox hyems, ſeu parum prouiſi commeatus, & orta ex vtroque tabes, perpellunt Vologeſen omittere præſentia: vacuamque rurſus Armeniam Rhadamiſtus inuaſit, truculentior quam antea, tanquam aduerſus defectores, & in tempore rebellaturos.

Rhadamiſtus propter ſæuitiã deturbatur Armenia, & fugit ad Hyberos.

Atque illi, quamuis ſeruitio ſueti, patientiam abrumpunt, armisque regiã circumueniunt. Nec aliud Rhadamiſto ſubſidium fuit, quam pernicitas equorũ, quîs ſeque & coniugem abſtulit. Sed coniux grauida, primã vtcumque fugam ob metum hoſtilem & mariti caritatem tolerauit. Poſt, feſtinatione continua, vbi quati vterus, & viſcera vibrantur, orare, vt morte honeſta contumelijs captiuitatis eximeretur. Ille primo amplecti, alleuare, adhortari, modo virtutẽ admirans, modo timore ęger, ne quis relicta potiretur. Poſtremo violẽtia amoris, & facinorũ non rudis, diſtringit acinacẽ, vulneratamq; ad ripam Araxis trahit, flumini tradit, ne corpus etiã auferretur. Ipſe præceps Hyberos ad patriũ regnũ peruadit.

Zenobia Rhadamiſti coniux, ab eo vulnerata, & in Araxim flumen proiecta, à paſtoribus illinc extrahitur, & viua ad Teridatem perducitur.

Interim Zenobiam, id mulieri nomen, placida illuuie, ſpirantẽ ac vitæ manifeſtã aduertere paſtores, & dignitate formæ haud degenerẽ reputantes, obligant vulnus, agreſtia medicamina adhibent, cognitoque nomine, & caſu, in vrbem Artaxata ferunt, vnde publica cura deducta ad Teridatem, comiterque excepta, cultu regio habita eſt. At Romæ, vbi turbidis rumoribus nuntiatum eſt, prorupiſſe rurſum Parthos, & rapi Armeniam, quæ aut ſemper Romanæ ditionis extiterit, aut ſubiecta regi quem Romanus Imperator delegiſſet, pulſo Rhadamiſto, qui ſæpe regni eius potitus, dein profugus, tum quoq;, vt diximus, bellum deſeruerat, continuo inter patres diuerſis ſententijs diſceptatum eſt, quanam ratione hoſtis propulſari poſſet, eaq; cura tanto magis eos ſolicitabat, quo, paulo ante Claudio humanis rebus ſubtracto, Neronem principem nacti erant vix ſeptemdecim annos egreſſum. Viſum eſt tamen de imperij Romani maieſtate, vt delectis ad hoc præcipuis belli ducibus, primo quoq; tempore hæc iniuria vindicaretur.

Romanorũ expeditio pro recuperanda Armenia, duce Domitio Corbulone.

Itaque aſſentiente Cæſare, decretum eſt, vt copiæ Orientis ita diuiderentur, vt pars auxiliarium cum duabus legionibus apud prouinciam Syriam, & legatũ eius Quadratum Numidium remaneret, pars ciuiũ ſociorumque numerus Domitio Corbuloni eſſet, additis cohortibus, alijſque, quæ apud Cappadociam hyemabant. Socij reges prout bello conduceret, parere iuſſi. ſed ſtudia eorum in Corbulonem, virum, præter generis claritudinem, ſingulari prudentia, fortitudine

dine reique militaris gloria florentem, promptiora erant, qui, vt famæ inſeruiret, quæ in nouis cœptis validiſſima eſt, itinere properè confecto, apud Aggæas ciuitatem Ciliciæ, obuium Quadratum habuit, illuc progreſſum, ne ſi ad accipiendas copias Syriam intrauiſſet Corbulo, omnium ora in ſe conuerteret. Cæterùm vterque Vologeſem regem nuntiis monebant, pacem, quàm bellum mallet, datiſque obſidibus, ſolitam prioribus reuerentiam in populum Romanum continuaret. Et Vologeſes, quò bellum ex æquo modo pararet, an vt æmulationis ſuſpectos per nomen obſidum amoueret, tradit nobiliſſimos ex familia Arſacidarum, accepitque eos centurio Haſtorius ab Vinidio miſſus, fortè priore de cauſa adito rege. Quod poſtquam Corbuloni cognitum eſt, ire præfectum cohortis Arrium Varum, & recipere obſides iubet. Hinc ortum inter præfectum & centurionem iurgium, ne diutius externis ſpectaculo eſſet, arbitrium rei obſidibus legatiſque, qui eos ducebant, permiſſum. Atque illi ob recentem gloriam, & inclinatione quadam etiam hoſtium, Corbulonem prætulere. Vnde diſcordia inter duces, quærente Vinidio, prærepta, quæ ſuis conſiliis patrauiſſet, teſtante contrà Corbulone, non prius conuerſum regem ad offerendos obſides, quàm ipſe dux bello delectus, ſpes eius ad metum mutaret. Nero, quò componeret diuerſos, ſic euulgari iuſſit: Ob res à Quadrato & Corbulone proſperè geſtas, Laurum faſcibus imperatoriis addi. Cæterùm proximi anni principio, mollibus adhuc initiis prolatatum inter Parthos Romanoſque de obtinenda Armenia bellum acriter ſumitur: quia nec Vologeſes ſinebat fratrem Teridatem dati à ſe regni expertem eſſe, aut alienæ id potentiæ donum habere: & Corbulo dignum magnitudine populi Romani rebatur, parta olim à Lucullo Pompeioque recipere. Adhæc, Armenij ambigua fide vtraque arma inuitabant, ſitu terrarum, ſimilitudine morum Parthis propiores, connubiiſque permixti, ac libertate ignota illuc magis ad ſeruitium inclinantes. Proinde vndiquaque habito delectu, iamque appetente vere, ſtatuit manifeſto bello Armeniam inuadere. His rebus cognitis, Teridates miſit legatos literaſque ad Corbulonem, qui ſuo Parthorumque nomine expoſtularent, cur datis nuper obſidibus, redintegrataque amicitia, quæ nouis quoque beneficiis locum aperiret, vetere Armeniæ poſſeſſione depelleretur. Ideò nondum ipſum Vologeſem commotum, quia cauſa, quàm vi agere mallet. Sin perſtaretur in bello, non defore Arſacidis virtutem fortunamque, ſæpius clade Romana expertam. Ad ea Corbulo, ſatis comperto, Vologeſem defectione Hircaniæ attineri, ſuadet Teridati precibus Cæſarem aggredi: poſſe illi regnum ſtabile, & res incruentas contingere, ſi omiſſa ſpe longinqua & ſera, præſentem potioremque ſequeretur. Placitum dehinc, quia commeantibus inuicem nuntiis, nihil in ſumma pacis proficiebatur, colloquio ipſorum tempus locumque deſtinari. Sed cùm alter alteri diffideret, mutuus congreſſus impeditus eſt, ac vterque hoſtiliter agere incipit. Et Corbulo, ne irritum bellum traheretur, vtque Armenios ad ſua defendenda cogeret, exſcindere parat caſtella, ſibique quod validiſſimum in ea præfectura cognomento Volandum, ſnmit: minora Cornelio Flacco legato, & Iſteo Capitoni caſtrorum præfecto mandat. Tantus inde ardor certantis exercitus fuit, vt præſari oppidi mœnia, intra tertiã diei partem propugnatoribus nudata ſint, obices portarum ſubuerſi, capta eſcenſu munimenta, omneſque puberes trucidati, nullo milite amiſſo, paucis admodum vulneratis, & imbelle vulgus ſub corona venundatum, reliqua præda victoribus ceſſit. Pari fortuna legatus ac præfectus vſi, tribuſque vna die caſtellis expugnatis, cætera terrore, & alia ſponte incolarum, in deditionem veniebant: vnde orta fiducia, caput gentis Artaxata aggrediendi: nec tamẽ proximo itinere ductæ legiones; quæ ſi amnem Araxem, qui mœnia alluit, ponte tranſgrederentur, ſub ictũ dabantur: procul & latioribus vadis tranſiuère. At Teridates pudore & metu, ne ſi conceſſiſſet obſidioni, nihil opis in ipſo videretur; ſi prohiberet, impeditis locis ſeq; & equeſtres copias illigaret, ſtatuit poſtremò oſtendere aciẽ, & dato die prœlium incipere, vel ſimulatione fugæ, locum fraudi parare: igitur repentè agmen Romanum circumfundit, non ignaro duce Romanorum, qui

Vologeſes tradit obſides Romanis.

Diſcordia inter duces Romanos propter obſides Parthorum exorta.

Eadem compoſita per Neronem.

Bellum inter Perſas & Romanos.

Teridates mittit legatos ad Corbulonem.

Corbulonis fidoliſſimum conſilium datum Teridati.

Volandum expugnatur à Corbulone.

Exercitum Corbulo inſtruit ad pugnam ineundam.

viæ pariter & pugnæ compoſuerat exercitum: latere dextro tertia legio, ſiniſtro ſexta incedebat, mediis decumanorum delectis: recepta inter ordines impedimenta, & tergum mille equites tuebantur, quibus iuſſerat, vt inſtantibus cominus reſiſterent, refugos non ſequerentur. In cornibus pedes ſagittarius, & cætera manus equitum ibat, productior cornu in ſiniſtro per ima collium, vt ſi hoſtis intrauiſſet, fronte ſimul & ſinu exciperetur. Aſſultare ex diuerſo Teridates, non vſque ad iactum teli, ſed tum minitans, tum ſpecie trepidantis, ſi laxare ordines, & diuerſos conſectari poſſet. Vbi nihil temeritate ſolutum, nec amplius quàm decurio equitum audentius progreſſus, & ſagittis confixus, cæteros ad obſequiũ exemplo firmauerat, propinquis iam tenebris abſceſſit.

Teridates diſcedit cum ſuis copiis.

Et Corbulo caſtra in loco metatus, an expeditis legionibus nocte Artaxata pergeret, obſidioneq; circumdaret, agitauit, conceſſiſſe illuc Teridatem ratus. Dein poſtquam exploratores attulêre longinquum regis iter, & Medi, an Albani peterentur, incertum lucem opperitur: præmiſſaque leui armatura, quæ muros interim ambiret, oppugnationemque eminus inciperet. Sed oppidani, portis ſponte patefactis, ſe ſuaque Romanis permiſêre, quod ſalutẽ ipſis tulit.

Artaxata deditur Romanis & diruitur.

Artaxatis ignis immiſſus, deletaq; & ſolo æquata ſunt, quia nec teneri ſine valido præſidio ob magnitudinem mœnium, nec id virium eo tempore Romanis erat, quòd firmando præſidio, & capeſſendo bello diuideretur. Vel ſi integra & incuſtodita relinquerentur, nulla in eo vtilitas aut gloria, quòd capta eſſent. Corbulo, poſt deleta Artaxata, vtendum recenti terrore ratus, ad occupanda Tigranocerta, quibus exciſis, metum hoſtium intenderet, vel ſi pepercíſſet, clementiæ famam adipiſceretur: illuc pergit non infenſo exercitu, ne ſpem veniæ auferret: neque tamen remiſſa cura, gnarus facilem mutatu gentem, vt ſegnem ad pericula, ita infidam ad occaſiones. Barbari pro ingenio quiſque, alij preces offerre, quidam deſerere vicos, & in auia digredi, ac fuêre qui ſe ſpeluncis, ac cariſſima ſecum abderent. Igitur dux Romanus diuerſis artibus, miſericordia aduerſus ſupplices, celeritate aduerſus profugos, immitis iis qui latebras inſederant, ora & exitus ſpecuum ſarmentis virgultiſque completos, igni exurit. Atq; illum fines ſuos prętergredientem incurſauêre Mardi, latrociniis exerciti, contraq; irrumpentem montibus defenſi. quos Corbulo immiſſis Hyberis vaſtauit, hoſtilemq; audaciam externo ſanguine vltus eſt. Ipſe exercitusque, vt nullis ex prœlio damnis, ita per inopiam & labores fatiſcebant, carne pecudum propulſare famem adacti. Adhæc, penuria aquæ, feruida æſtas, longinqua itinera, ſola ducis patientia mitigabantur, eodem plura, quàm gregario milite tolerante. Ventum dehinc in locos cultos, demeſſæque ſegetes, & ex duobus caſtellis in quæ confugerant Armenij, alterum impetu captum, qui primam vim depulerant, obſidione coguntur. Vnde in regionem Tauraunrium transgreſſus, improuiſum periculum vitauit.

Coniuratio patefacta.

Nam haud procul tentorio eius, nõ ignobilis Barbarus cum telo repertus, ordinem inſidiarum, ſeque auctorem & ſocios per tormenta edidit. Conuictique & puniti ſunt, qui ſpecie amicitiæ dolum parabant.

Tigranocerta facit deditionem, & mittit Corbuloni auream coronam.

Nec multò pòſt, Legati Tigranocerta miſſi, patêre mœnia afferunt, intentos popularis ad iuſſa. Simul hoſpitale donum coronam auream tradebant. Accepitq; cum honore, nec quidquam vrbi detractum, quò promptius obſequium integri retinerent.

Regium præſidium vi expugnatum.

At præſidium regium, quod ferox iuuentus clauſerat, non ſine certamine expugnatum eſt. Nam & prœlium pro muris auſi erãt, & pulſi intra munimenta aggeris, demum irrumpentium armis ceſsêre: quæ facilius proueniebant, quia Parthi Hyrcano bello diſtinebantur. Miſerantq; Hyrcani ad Principem Romanum ſocietatem oratum, attineri à ſe Vologeſen pro pignore amicitiæ oſtentantes. eos regredientes Corbulo, ne Euphratem tranſgreſſi, hoſtium cuſtodiis circumuenirentur, dato præſidio ad littora maris rubri deduxit. Vnde vitatis Parthorũ finibus, patrias in ſedes remeauêre.

Teridates profligatur ex Armenia.

Quin & Teridatem per Medos extrema Armenię intrantem, pręmiſſo eum auxiliis Verulano legato, atque ipſe legionibus citis, abire procul, ac ſpem belli amittere ſubegit, quóſque Romanis ob regem auerſos animi cognouerat, cædibus & incendiis perpopulatus, poſſeſſionẽ Armeniæ vſurpabat: cùm aduenit Tigranes à Nerone ad capeſcendum imperium delectus, Cappadocum ex nobilitate, regis Archelai nepos,

nepos,ſed quòd diu obſes apud vrbem fuerat, vſque ad ſeruilem patientiam demiſſus. Nec conſenſu acceptus,durante apud quoſdam fauore Arſacidarum. At plærique ſuperbiam Parthorum peroſi,datum à Romanis regem malebant. Additum etiam præſidium mille legionarij,tres ſociorum cohortes, duæque equitum alæ,& quò facilius nouum regem tueretur, pars Armeniæ vt cuiq; finitima, pars Nipoli & Ariſtobolo atque Antiocho parête iuſſæ ſunt. Corbulo in Syriam acceſſit,morte Vinidij legati vacuam ac ſibi permiſſam. Interea Vologeſes, cognitis Corbulonis rebus, regemq́ue alienigenam Tigranem Armeniæ impoſitum,ſimul fratre Teridate pulſo, ſpretum Arſacidarum faſtigium irę vltum volens,magnitudine rurſum Romana & continui fœderis reuerentia, diuerſas ad curas trahebatur,cunctator ingenio, & defectione Hyrcanorum gentis validæ, multisq́ue ex eo bellis illigatus. Atque illum ambiguum nouus inſuper nuntius contumeliæ exſtimulat. Quippe egreſſus Armenia Tigranes, Adiabenos conterminam nationem,latiùs ac diutiùs per latrocinia vaſtauerat. Idque primores gentium ægrè tolerabant,eò contentionis deſcenſum, vt ne duce quidem Romano incurſarentur, ſed temeritate obſidis, tot per annos inter mancipia habiti. Accendebat dolorem eorum Monobazus, quem penes Adiabenum regimen,quod præſidium,aut vnde peteret,rogitans. Iam de Armenia conceſſum, proxima trahi;& niſi defendant Parthi,leuius ſeruitium apud Romanos deditis, quàm captis eſſe. Teridates quoque regni profugus, per ſilentium haud modicè querendo,grauior erat. Non enim ignauia magna imperia contineri, virorum armorumq́ue faciendum certamen. Id in ſumma fortuna æquius, quod validius. Et ſua retinere priuatæ domus: de alienis certare,regiam laudem eſſe. Igitur commotus his Vologeſes, concilium vocat, & proximum ſibi Teridatem conſtituit,atque ira orditur. HVNC ego eodem mecum patre genitum, cùm mihi „ per ætatem ſummo nomine conceſſiſſet,in poſſeſſionem Armeniæ deduxi: qui tertius potentiæ gradus habetur. Nam Medos Pacorus anteceperat, videbarq́ue contra vetera fratrum odia & certamina, familiæ noſtræ penates ritè compoſuiſſe. prohibent Romani, & pacem ipſis nunquam proſperè laceſſitam, nunc „ quoque in exitium ſuum abrumpunt. Non ibo inficias, æquitate, quàm ſanguine,cauſa quàm armis retinere parta maioribus malueram, ſi cunctatione deliqui,virtute corrigam. Veſtra quidem vis & gloria in integro eſt,addita modeſtiæ „ fama,quæ neque ſummis mortalibus ſpernenda eſt,& à diis ęſtimatur: ſimul diademate caput Teridatis euinxit, promptam equitum manum, quæ regem ex „ more ſectabatur, Moneſi nobili viro tradidit, adiectis Adiabenorum auxiliis: „ mandauitq́ue Tigranem Armenia exturbari, dum ipſe poſitis aduerſus Hyrcanos diſcordiis,vires intimas,molemq́ue belli ciet, prouinciis Romanis minitās. Quæ vbi Corbuloni certis nuntiis audita ſunt, legiones duas cum Verulano Seuero,& Vectio Bolano,ſubſidium Tigrani mittit, occulto præcepto, compoſitiùs cuncta,quàm feſtinantiùs agerent. quippe bellum habere quàm gerere malebat. ſcripſeratq́ue Cæſari, proprio duce opus eſſe, qui Armeniam defenderet: Syriam ingruente Vologeſe acriter in diſcrimine eſſe. Atque interim reliquas legiones pro ripa Euphratis locat. Tumultuariam prouincialium manum armat. hoſtiles ingreſſus præſidiis intercipit. Et quia egena aquarum regio eſt, caſtella fontibus impoſita, quoſdam riuos congeſtu arenæ abdidit. Ea dum à Corbulone tuendæ Syriæ parantur, acto raptim agmine Moneſes, vt famam ſui præiret,non ideò neſcium aut incautum Tigranem offendit: qui occupauerat Tigranocerta,vrbem copiâ defenſorum & magnitudine mœnium validam. Adhæc,Nicephorius amnis haud ſpernenda latitudine partem murorum ambit, & ducta ingens foſſa,qua fluuio diffidebatur. Inerant milites & prouiſi ante commeatus,quorum ſubuectu pauci auidiùs progreſſi,& repentinis hoſtibus circumuenti,ira magis quàm metu cæteros accenderant. Sed Partho ad exſequendas obſidiones nulla cominus audacia: raris ſagittis,neque clauſos exterret & ſemet fruſtratur. Adiabeni cùm promouere ſcalas & machinamenta inciperent, facilè detruſi,mox erumpentibus Romanis cæduntur. Corbulo tamen quamuis ſe-

Tigranes à Nerone rex Armeniæ deſignatur.

Syriæ adminiſtratio Corbuloni demandatur.

Vologeſes variis curis diſtrahitur.

Eiuſdem Oratio ad proceres ſui regni.

Teridatis expeditio in Armeniam duce Moneſe.

Corbulo mittit ſuppetias Tigrani aduerſus hoſtem.

Eiuſdem prouidentia in tuenda Syria.

Tigranocerta à Teridate fruſtra obſidetur.

Corbulo legatos ad Vologeſem.

cundis rebus ſuis, moderandum ſortunæ ratus, miſit ad Vologeſem, qui expoſtularent, vim prouinciæ illatam, ſocium amicumq́; regem cohortes Romanas circum ſedere, omitteret potius obſidionem, aut ſe quoque in agro hoſtili caſtra poſiturum. Caſperius centurio in eam legationem delectus, apud oppidum Niſibin ſeptem & triginta millibus paſſuum à Tigranocerta diſtantem, adit regem, &

Vologeſes pacis cum Romano Imperatore auidior quàm belli.

mandata ferociter edidit. Vologeſi vetus & penitus infixum erat, arma Romana vitandi: nec præſentia proſperè fluebant, irritum obſidium, tutus manu & copiis Tigranes, fugati qui expugnationem ſumſerant, miſſæ in Armeniam legiones, & aliæ pro Syria vltrò irrumpere: ſibi imbecillum equitem pabuli inopia. nam exorta vis locuſtarum ambederat quicquid herbidum, aut frondoſum. Igitur metu

Idem reuocat Moneſen ab Armenia.

abſtruſo mitiora obtendens, miſſurum ad Imperatorem Romanum legatos ſuper petenda Armenia, & firmanda pace reſpondet. Moneſen omittere Tigranocerta iubet, ipſe retrò cōcedit. Hæc plures, vt formidine regis, & Corbulonis minis patrata & magnifica extollebant. Alij occultè pepigiſſe interpretabantur, vt

Vologeſis legati miſſi Romam irriti redeunt.

omiſſo vtrinque bello, & abeunte Vologeſe, Tigranes quoque Armenia abſcederet. Iuter hæc, Parthus Romam legaros miſit, qui, peracta legatione, infectis rebus reuerſi ſunt, bellúmque propalàm ſumptum à Parthis, nec Ceſennius Pætus, qui recens in Syriam, tuendæ prouinciæ, vt Corbulo antea petierat, ſtudio

Bellum inter Parthos & Romanos cum ipſorum Romanorum haud exigua clade.

aduenerat, detractauit. Huius autem belli is tandem exitus fuit, vt Vologeſes poſt haud mediocrem cladem Pæti inſcitia & imprudentia Romanis legionibus in Armenia illatam, ſuperuētu Corbulonis cum ſuo exercitu, animum ad mitiora conſilia flexerit, & per Vaſacen præſectum equitatus à Pæto miſſum, pax vtrinq; certis formulis, & conditionibus, quibus etiam poſtea Nero annuit, tranſacta eſt.

Pax inter vtramque gentem.

Harum autem præcipuæ fuerunt, vt liberarentur obſidio Romanæ legiones, & decederet omnis miles finibus Armeniæ, caſtellaque & commeatus Parthis traderentur. Exin Pætus per Cappadociam hibernauit. At Vologeſis ad Corbulonem miſſi nuntij, detraheret caſtella trans Euphratem, amnemq́ue, vt omnium medium faceret. Ille Armeniam quoque diuerſis præſidiis vacuam fieri expoſtulabat. Et poſtremò conceſſit rex. Diruptaq́;, quæ vltra Euphraten communierat

Vologeſis legati ad Neronem.

Corbulo, & Armenij ſuo arbitratu relicti ſunt. Interim veris principio, legati Parthorum mandata regis Vologeſis, literasq́;, ad Neronem in eandem formam attulere: Se priora & toties iactata ſuper obtinēda Armenia nunc omittere, quoniam dij quanuis potentium populorum arbitri poſſeſſionem Parthis non ſine ignominia Romana tradidiſſent. Nuper clauſum Tigranem, pòſt Pætum legionésque cùm opprimere poſſet, incolumes dimiſiſſe. Satis approbatam vim, datum & lenitatis experimentum. Nec recuſaturum Teridatem accipiendo diademati in vrbem venire, niſi ſacerdotij religione attineretur. Iturum ad ſigna & effigies principis, vbi legionibus coram regnum auſpicaretur. Talibus Vologeſis literis, quia Pætus diuerſa tanquam rebus integris ſcribebat, interrogatus centurio qui cum legatis aduenerat, quo in ſtatu Armenia eſſet, omnes inde Romanos exceſſiſſe reſpondit. Tum intellecto Barbarorum irriſu, qui peterent quod eripuerant, conſuluit inter primores ciuitatis Nero, bellum anceps, an pax in hoſte placeret. Nec dubitatū de bello. Et Corbulo tot per annos militum atque hoſtium gnarus, gerendæ rei præficitur, ne cuius alterius inſcitia rurſum peccaretur,

Romanorum bellum contra Parthos decernitur.

quia Pæti piguerat. Igitur irriti remittuntur, cum donis tamen, vnde ſpes fieret, non fruſtrà eadem oraturum Teridaten, ſi preces ipſe attuliſſet, Syriæque exſecutio Cintio, copiæ militares Corbuloni permiſſæ, & quintadecima legio ducente

Legati Vologeſis redeunt cum muneribus.

Mario Celſo, è Pannonia adiecta eſt. Scribitur tetrarchis, ac regibus, præfectisque & procuratoribus, & qui prætorum finitimas prouincias regebant, iuſſis Corbulonis obſequi, in tantum fermè modum aucta poteſtate, quem Populus Romanus Cn. Pompeio bellum Piraticū geſturo dederat. Regreſſum Pætum, cùm grauiora metueret, facetiis inſectari ſatis habuit Cęſar his fermè verbis: Ignoſcere ſe

Corbuloni ſumma rei gerendæ committitur.

ſtatim, ne tam promptus in pauorē longiore ſolicitudine ęgreſceret. At Corbulo quarta & duodecima legionibus, quæ fortiſſimo quoq; amiſſo, & cæteris exterritis, parum habiles prœlio videbātur, in Syriam translatis, ſextam inde ac tertiam

Neronis clementia in Pætum.

legiones,

legiones,integrum militem & crebris ac proſperis laboribus exercitum, in Armeniam ducit. Addiditque legionem quintam quæ per Pontum agens, expers cladis fuerat. Simul quintadecimanos recens adductos,& vexilla delectorum ex Illyrico & Aegypto,quodque alarum cohortiumque, & auxilia regum in vnum conducta apud Melitenen, hæc autem eſt pars Suſianæ, qua tranſmittere Euphratem parabat. Tum luſtratum rite exercitum ad concionem vocat; orditurque magnifica de auſpicijs imperatorijs,rebusque à ſe geſtis, aduerſam inſcitiam Pæti declinans,multa auctoritate,quæ viro militari pro facundia erat. Moxiter L.Lucullo quondam penetratum,apertisque vetuſtas obſepſerat, pergit. Ea venientes Teridatis Vologeſiſque de pace legatos haud aſpernatus, adiungit ijs cẽturiones cum mandatis non immitibus. Non enim adhuc eo ventum, vt certamine extremo opus eſſet. Multa Romanis ſecunda, quædam Parthis eueniſſe, documento aduerſus ſuperbiam: proinde & Teridati conducere intactum va-ſtationibus regnum dono accipere, & Vologeſen melius ſocietate Romana, quam damnis mutuis genti Parthorum conſulturum. Scire quantum intus diſcordiarum,quamque indomitas & præferoces nationes gereret. Contra imperatori ſuo immotam vbique pacem,& vnum id bellum eſſe. Simul conſilio terrorem adijcere,& Megiſtanas Armenios qui primi à Romanis defecerant, pellit ſedibus,caſtella eorum exſcindit,plana,edita,validosque,pari metu complet. Nõ infenſum,nedum hoſtili odio Corbulonis nomen etiam Barbaris habebatur, eoque conſilium eius fidum credebant. Ergo Vologeſes neque atrox in ſummam,& quibuſdam præfecturis inducias petit. Teridates locum diemque colloquio poſcit. Tempus propinquum,locus in quo nuper obſeſſæ cum Pæto legiones erant,cum à Barbaris delectus eſſet,ob memoriam lætioris ſibi rei, non eſt à Corbulone vitatus,vt diſſimilitudo fortunæ gloriam augeret. Neque infamia Pæti augebatur,quod eo maxime patuit, quia filio eius tribuno ducere manipulos,atq; operire reliquias malæ pugnæ imperauit. Die pacta Tiberius Alexander illuſtris eques Romanus Procurator Iudææ poſt Cuſpium Fadum, miniſter bello datus,& Viuianus Annius gener Corbulonis,nondum Senatoria ætate,quę erat annus vigeſimus quintus,ſed pro legato quintæ legioni impoſitus, in caſtra Teridatis venêre honore eius,ac ne metueret inſidias tali pignore, viceni dehinc equites aſſumpti,& viſo Corbulone, rex prior equo deſiluit: nec cunctatus Corbulo,ſed pedes vterque dextras miſcuere, quod quidem apud Perſas erat maximum fœdus. Exin Romanus laudat iuuenem, omiſſis præcipitibus, tuta & ſalutaria capeſſentem. Ille de nobilitate generis multum præfatus, cætera temperanter adiungit. Iturum quippe Romam,laturumque nouum Cæſari decus, non aduerſis Parthorum rebus ſupplicem Arſaciden. tum placuit Teridaten ponere apud effigiem Cæſaris inſigne regium, nec niſi manu Neronis reſumere, & colloquium oſculo finitum. Dein paucis diebus interiectis, magna vtrinque ſpecie, inde eques compoſitus per turmas, & inſignibus patriis, hinc agmina legionũ ſtetere fulgentibus aquilis, ſigniſque & ſimulacris deũm in modum templi. Medio tribunal ſedem curulem,& ſedes effigiem Neronis ſuſtinebat. Ad quam progreſſus Teridates,cæſis ex more victimis,ſublatum capite diadema imagini ſubiecit, magnis apud cunctos animorum motibus, quos augebat inſita adhuc oculis exercituum Romanorum cædes,aut obſidio. At nunc verſos caſus: iturum Teridatem oſtentui gentibus, quanto minus quam captiuum? Addidit gloriæ Corbulo comitatem,epulaſque,& rogitãte rege cauſas, quoties nouum aliquid aduerteret; vt initia vigiliarum per centurionem nuntiari, conuiuium buccina dimitti,& ſtructa ante Auguralem aram ſubdita face accendi: cuncta in maius extollens,admiratione priſci motis affecit. poſtremo die ſpatium orauit, quo tantum itineris aditurus, fratres ante, matremq; viſeret: obſidem interea filiam tradit, literaſque ſupplices ad Neronem. Et digreſſus, Pacorum apud Medos, Vologeſen Echbatanis reperit, non incurioſum fratris, quippe & propriis nuntiis à Corbulone petierat, ne quam imaginem ſeruitij Teridates perferret, neu ferrum traderet,aut complexu prouincias obtinentium arceretur, foribusq; eorum aſſiſteret,

Corbulonis bellici apparatus,& militaris diſciplina.

Eiuſdem oratio ad milites.

Legati Vologeſis & Teridatis miſſi ad Corbulonem amanter excipiuntur

Corbulo etiam ab hoſtibus colebatur.

Vologeſes petit inducias,& Teridates colloquium cũ Corbulone.

Tiberius Alexander.

Viuianus Annius,

Teridatis & Corbulonis mutuus congreſſus.

Teridates prior equo deſilit.

Iungunt dexteras.

Horum colloquium oſculo finitur

Teridates diadema Neronis imagini ſubiicit eiq; ſacrificat.

Teridates à Corbulone conuiuio excipitur.

Teridates priuſquam diſcedat,iturus ad Neronem, fratres ac matrem inuiſit,& filiam obſidem tradit,

tantúſque Romæ, quantus Conſulibus honor eſſet. ſcilicet externæ ſuperbiæ ſucto, non erat notitia Romanorum, apud quos ius imperij valet, inania transmittuntur.

Teridates rex Armeniorum magna pompa Romam ducitur.

Nec multò pòſt Teridates habens ſecum non ſolùm ſuos, ſed etiam Vologeſi, Pacori, & Monobazi liberos, Romam deductus eſt, fuítque eorum iter vt in triumphis per omnes regiones ab Euphrate. Vigebat Teridates ætate, forma, nobilitate, prudentia, magnóque famulorum comitatu & apparatu regio: conſequebantur eum tria millia equitum Parthorum, cùm frequētibus Romanis, eúmque vrbes magnificè ornatæ, ac populi magnis lætiſque clamoribus excipiebant: quæq; neceſſaria erant, omnia gratis ei pręſtabantur.

XX. myriades dra. h.

In quam rem populus Romanus ſumptum faciebat ſingulis diebus octingenta ſeſtertia, idq́; nouem menſibus, quibus iter fecit, factum eſt. Teridates equo vbique vehebatur, quouſque in Italiam venit: itidem vxor eius faciebat, gerebatq́ue galeam auream pro integumento, ne contra morem patriæ conſpiceretur. In Italia vehi cœpit curribus à Nerone miſſis, ad eumq́; Neapolim per agrū Picentinum venit. Dum Neronem conueniret, quanquam iuſſus eſt gladium quem gerebat, deponere, tamen noluit, ſed cum vaginæ clauis affixit: quamuis illum genu flexo, ac manus viciſſim ad cælum tendens, veneratus, dominum appellauerit. Hunc Nero ob eā cauſam admiratus, benignè & comiter excipit, ac præter cætera,

Ludi gladiatorij apud Puteolos à Nerone facti.

Ludos gladiatorios Puteolis facit. Præfectus ludorum fuit Patrobius libertus eius, tantaque fuit eorum magnificentia, atque ſumptus, vt vnius diei ſpatio, nemo præter viros & mulieres, & pueros AEthiopes amphitheatrū ingrederetur; quibus de cauſis Patrobius aliquo honore dignus erat.

Teridates in ſpectaculis duos vno ictu tauros conficit.

Ibi Teridates de ſuperiore loco, in quo ſedebat, belluas iaculo traiecit, duoſq́ue tauros vno ictu, ſi tamen credibile eſt, vulnerauit ac confecit. His perfectis rebus, Nero Romam eum abduxit, eiq́ue diadema impoſuit. Ibi tota vrbe luminibus ſertisque ornata, magna viſa eſt vbique hominum multitudo, ſed forum in primis refertū erat. nam populus albatus, laureatusq́ue certis ordinibus medium forum tenuit: cætera tenebant milites armati ſplendidiſſimè, eorumq; arma & ſigna relucebant, inſtar fulguris, nulliusq́ue apparebant ędificij tecta, propter multitudinem eorum qui in ea aſcenderant. Quibus rebus de nocte comparatis, Nero ornatus veſte triumphali, prima luce forū introiit cum Senatu & prætorianis militibus, deinde tribunal conſcendit, & in ſede principali conſedit. Teridates cum iis, quos ſecum habebat, per ordines armatorum, qui vtrinque inſtructi fuerant, tranſiit. pòſt vbi ad tribunal veniunt, Neronem, vt antea fecerant, venerantur. Quas ob res editis magnis clamoribus, Teridates perterritus, mutúſq; quaſi actum de ſe foret, aliquanto tempore remāſit. Sed vbi indicto ſilentio, animum recepit, coactus ſeruire tempori, & neceſſitati parēre, obedire non curauit, ſi quid paulò humilius loqueretur, adductus ſpe eorum, quæ poſtea conſecutus eſt.

Teridatis ad Neronem oratio deprecatoria.

Ego, inquit, domine, Arſaci nepos, Vologeſi & Pacori regū frater, tuus ſeruus ſum; veniq; vt te deum meum non ſecus ac μίθραν, id eſt, Solem colerē. Equidem is ero, quem tu me fato quodam efficies. Tu enim fatum meum es & fortuna. Huic Nero ita reſpondit: Tu quidem, quòd huc veneris, rectè, inquit, feciſti, vt præſens præſente me fruereris. nam quæ neque pater tuus tibi reliquit, neque fratres, quæ dederant, ſeruauerunt, ea ipſe tibi nunc do,

Teridates in Armenia regem à Nerone coronatur.

teq́; regem Armeniæ facio, vt tu, atq; illi ſimul intelligatis, in mea eſſe poteſtate, regna dare, & adimere. Hæc cùm dixiſſet, iuſſit eum aſcendere in ſedem, quę ante tribunal ob eam cauſam parata fuerat. Tum Teridates ad pedes Neronis conſedit, eiq́; Nero diadema impoſuit, & ingentes clamores editi ſunt. Poſt hæc, actus eſt decreto Senatus celebris conuentus in theatro, cuius non modò ſcena, ſed etiam ipſum totum circuitu intus erat inauratum, itémque cætera omnia, quæ

Dies aureus

intromittebantur, auro ornata erant. Quibus de cauſis ille dies aureus nominatus eſt. Peripetaſmata, quæ in aëre extenſa erant, ad defendendos Solis ardores, purpurea fuerunt, ſtellis aureis circum vndique relucentibus; in medio horum Nero currum agitans, acu pictus erat, inde magnificum conuiuium actum eſt. Poſt hæc Nero cithara publicè cecinit, currúſque praſina veſte indutus, & galero aurigatum ornatus agitauit. Hîc Teridates Neronem reprobare, & deteſtari,

Corbu-

Corbulonem in primis laudare; hoc tantum in eo reprehendere, quod talem dominum perferret. Qua de re nec ipſum quidem Neronem celauit: nam ei ita aliquando dixit: Domine, inquit, optimum ſeruum Corbulonem nactus es. Sed id Nero non intellexit, quod ei Teridates in cæteris rebus aſſentaretur, ſeque ſtudioſiſſime in eius familiaritatem inſinuaret. Cuius rei cauſa multa munera accepit, quorum pretium aiunt fuiſſe ad bis millies ſeſtertiûm, permiſſumque eſt ei Artaxata inſtaurare, ob eamque cauſam magnum numerum fabrorum, quos partim à Nerone acceperat, partim perſuaſerat pecunia, Roma abduxit, ex quibus Corbulo eos tantum, quos à Nerone acceperat, paſſus eſt in Armeniam tranſire. Quamobrem Teridates hunc magis admirabatur, illum damnabat. Reuerſus eſt non per Illyricum, & trans Ionium, qua via venerat, ſed Brunduſio Dyrrhachium nauigauit, viditque vrbes Aſiæ munitiſſimas, atque pulcherrimas & propter eas obſtupuit imperium populi Romani: poſt Artaxata, condita olim ab Artaxia rege, inſtaurauit, eaque cognominauit Netonia. Vologeſus autem ſæpenumero acceerſitus venire ad Neronem, noluit, cui etiam ad extremum infeſtus fuit, atque ita reſcripſit:

Corbulonis laus apud Neronem à Teridate decantata.
Quinque milia myriadum drach.
Teridatis in Armeniam reditus.
Artaxata inſtaurata.
Neronis cometas.

TIBI quidem, inquit, longe facilius eſt tam magnum mare tranſire, quam mihi. ſi ergo in Aſiam veneris, conſtituemus, quando nobis congrediendum ſit. Nero tamen nec aduerſus eum, nec contra Aethiopas & Pylas Caſpias, vti cogitabat, nauigauit: ſed miſſis vtroque exploratoribus, in Græciam tranſiit, non vt maiores eius fecerant, Flaminius, Memnius, Agrippa, Auguſtus: ſed vt currus agitaret, cithara caneret, præconis officio, & tragœdias ageret. Non enim Roma ei ſufficiebat, non Theatrum Pompeij, non Circus maximus; ſed expeditione opus fuit, vt fieret, ſicuti dicebat, περιοδονίκης, tantamque ſecum multitudinem adduxit, non ſolum Auguſtalium, ſed etiam aliorum hominum, quantus ſi bellicus exercitus fuiſſet, aut Parthos, aliaſve gentes cepiſſet. At Corbulo, vt etiam de ipſo, cuius proxime tam præclara mentio facta eſt, aliquid breuiter dicatur, accitus honorificentiſſime, quem virum Nero præter cetera, patrem & beneficum appellabat, poſtquam Cenchreas appulit, ab eodem occidi iuſſus eſt, priuſquam in conſpectum eius veniret. Nero enim, vt aiunt, cum ſtatueret cithara canere, Orthoſtadium, quod eſt muſicæ veſtis nomen, habens, ab eo ſe videri non ſuſtinuit: ſed Corbulo, vt mandatum Neronis intellexit, gladium accipit, ſeque ipſe fortiter percutiens, ait, Ἄξιος, Dignus. Tum enim primum errorem ſuum agnouit, quod citharœdo pepereiſſet, & quod ad eum inermis veniſſet. Hic ſub Caio conſulatum geſſerat, & ſub Claudio fuit in Germania exercitui præfectus, remque militarem, quæ iam antea diſperſa & neglecta erat, primus ſua tempeſtate reſtituit, ac Barbaros, præcipue autem Chaucos vexauit, multaque præclare ac fortiter egit: cuius vbi virtutem ac ſtudia Claudius cognouit, nō paſſus maiora augmenta accipere, ex hoſtico reuocauit. Et rediit Corbulo dicto parens, hac tantum voce emiſſa, felices fuiſſe quondam exercituum duces: quo oſtenderet priſcis illis licuiſſe citra periculum præclare rem gerere, ſuæ virtuti Imperatoris inuidiam officere. Triumphauit tamen nihilominus. Quæ autem poſtea ſub Nerone contra Parthos geſſerit, ſuperius aliqua ex parte oſtendimus. Is non ſolum genere clarus & viribus corporis, ſed etiam prudentiſſimus erat, poteratque cum veteribus Romanis comparari, vir magna fortitudine & iuſtitia, & fide non modo in ſuos, ſed etiam in hoſtes. Cuius rei cauſa Nero eum pro ſe ad bellum gerendum miſit; eique tantam poteſtatem dedit, quantam vnquam nemini. Credidit enim eum ſuperaturum eſſe Barbaros, & ſecum in fide perpetuo permanſurum: quibus in rebus haud eum fefellit opinio. Nam Corbulo reliquos homines ob hanc vnam cauſam offendit, quod Neroni fidem ſeruaret, cumque, dum principem pro illo habere cuperent, hac in re duntaxat non probabant. Cum enim propter res domi foriſque ſumma cum laude geſtas, magnam potentiam & gloriam adeptus eſſet, ob eaſque poſſet facillime Imperator deſignari, omnibus hominibus Neroni grauiter infenſis, omneſque res ipſius admirantibus, nō modo nihil vnquam molitus, accuſatuſq; nunquam eſt,

Neronis ad Vologeſum litera, ac eius reſponſum.
Inſignis Neronis mollities.
Periodonices qui in ſtadio & aurigatione vincit.
Corbulo à Nerone interfectus.
Mors Corbulonis.
Eius in Germania, & contra Parthos res geſta.
Chauci.
Virtutes.
In Neronem fides.

ſed tum etiam magis continens fuit. Cæterum ſuæ ſingularis fidei, ſuorumque maximorum meritorum in Senatum ac populum Romanum, hunc tandem fructum ab immaniſſimo tyranno retulit. Verum enimuero, vt ad rerum ordinem veniam, cum poſt obitum Neronis, ſplendidiſſimus quiſque prætorianorum militum, & Romana Reſp. Flauium Veſpaſianum ſibi imperatorem aſciſceret, Vologeſes, qui multa de ipſius inclytis ac heroicis virtutibus audierat, illi per ſuos legatos quadraginta millia Parthorum equitum vltro obtulit ac promiſit, quibus in expeditione contra Galbam ac Vitellium, eiuſdem imperij æmulos, quorum quidem alter tum temporis erat in Hiſpanijs; alter vero in vrbe Roma, & hunc poſtremum fouebant Germanici milites, adiuuaret, atque ad imperium promoueret. Hæc ſane oblatio fuit magnifica & tanto rege digna, ſed quoniam per id tempus, fortuna Veſpaſiani rebus quamplurimum fauere inceperat, duntaxat gratiæ Vologeſo actæ, mandatumque, vt legatos ad ſenatum mitteret, & pacem eſſe ſciret. Cum vero iam ipſe, ſublatis tandem æmulis, rerum potiretur, Vologeſum, qui ad ſe ſcripſerat his verbis: Rex regum Arſaces Flauio Veſpaſiano ſalutem: ne reprehendit quidem, ſed eiſdem verbis, non aſſcriptis Imperatorijs nominibus, reſpondit. Sub hoc interim Imperatore, ac Tito eius filio, Domitiano, & Nerua nullum bellum inter Perſas & Romanos interceſſit, eaq; pax continuauit vſque ad tempora Traiani, ipſius Neruæ ſucceſſoris, qui bellum intulit Armenijs, Parthiſque, propterea quod, vt ipſe dicebat, rex Armeniorum non abs ſe, ſed à rege Perſarum diadema, cæteraque regni inſignia, atque iura ſumpſiſſet. At reuera id bellum ſuſcepit gloriæ cupiditate adductus. Namq; ſimul ac Parthorum & Armeniorum fines ingreſſus fuit, regionis ſatrapæ, ipſiq; mox reges, cum muneribus ei occurrerunt, equumque duxere ita edoctum, vt regem adoraret. Nam pedes anteriores in morem ſupplicantis flexit, caputque pedibus eius qui proximus eſſet, ſubiecit. Traianus cum fere vicina omnia ſine armis & certamine ſubegiſſet, in Satalam, & Elegiam Armeniæ oppida profectus, Heniochorum regem honore proſecutus eſt. Parthamaſſitem vero qui in Armenijs regnabat, grauiter mulctauit. Ita omni potitus Armenia, reges qui ſponte deditionem feciſſent, aut in fidem veniſſent, hos, vt amicos benigne habuit: qui vero contumaces obſequium abnuiſſent, parereque recuſarent, eos omnes paruo negotio ſubegit. Non multo poſt, Niſibi & Ecbatanis potitus, Parthicus appellatus eſt, quod quidem cognomen antea ſibi à militibus inditum, vbi etiam Cteſiphontem occupaſſet, à ſenatu confirmatum fuit, qui etiam præter alia multa decreuit, vt triumphos quotquot vellet, ageret. Nam cum Traianus tot gentes abs ſe ſuperatas eſſe ſcriberet, Senatus eas neque cognoſcere, neque nominare ſatis poterat. Itaque cum alia multa, tum vero arcum triumphalem in foro ipſius ædificari iuſſit. Parabant ciues redeunti longius obuiam procedere: ſed is nunquam in vrbem reuerſus eſt, neque vt extrema principijs reſponderent, efficere potuit: ea enim quæ ſubegerat, amiſit. Dum enim nauigat Oceanum, atque inde reuehitur, ea quæ ceperat, omnia maximo tumultu defecerunt, præſidiis, quæ apud eas gentes reliquerat, deiectis cæſiſque. Atque hæc ad Traianum, dum eſſet in naui, perferuntur: nauigabat autem adductus fama eorum, quæ illic eſſe ferebantur, quæ tamen opinioni non reſponderunt, nihil enim vidit præter aggeres, fabulas, ruinas; itemque propter Alexandrum, cui etiam parentauit in his ædibus, in quibus mortem obierat. Igitur cognita defectione, Lucium & Maximum contra rebelles mittit. Maximus prœlio ſuperatus obijt, Lucius præclare ſe geſſit, recuperauitque Niſibin, Edeſſam expugnauit, direptamque incendit. Seleucia ab Erycio Claro, & Iulio Alexandro legatis capta & incenſa eſt. Traianus metuens, ne Parthi quoque aliquid molirentur, regem eis dare conſtituit. Proinde vt Cteſiphontem venit, conuocatis in magnam planiciem Romanis omnibus Parthiſque, qui tum aderant, excelſum tribunal conſcendit. Ibi apud eos de rebus ab ſe geſtis gloriatur: deinde Parthis regem Parthamaſpatem deſignat, eique diadema imponit. Inde profectus in Arabiam, adoritur Agarenos, qui & ipſi defecerant, quorum ciuitas neque magna erat, nec diues, ſi-

Vologeſes quadraginta millia Perſarum pollicetur Veſpaſiano.

Idem in litteris ad Veſpaſianum ſcriptis, vocat ſe regem Regum.

Diuturna pax inter Perſas & Romanos.

Nouum bellum ſub Traiano.

Triumphi Traiano à Senatu decreti.

Parthorum Armeniorumq; defectio a Romanis.

Lucii res geſtæ.

Seleucia capta & incenſa.

Parthamaſpates Parthorum rex à Traiano deſignatur.

ties, finitimaque regio magna ex parte deſerta, quod in ea aquæ raro inueniantur, atque illæ parum ſalubres, quodque in ea ligni pabulique magna ſotet penuria. Ex quo fiebat, vt ibi magna hominum multitudo diu eſſe non poſſet, tum vero ardentiſſimus caloribus, quibus expoſita eſt, defendebatur. Itaque eam Traianus tunc, neque poſtea Seuerus cepit, cum tamen partem aliquam muri diruerint. Dum hæc à Traiano geruntur, ipſeq; infectis rebus, & prius P. Aelio Adriano in Syria cum legionibus relicto, in Italiam, ceu poſtliminio redire ſtatueret, Armenia & Meſopotamia rurſus à Romano imperio deficiunt.

Agarenorum deſertio.

Perſæ etiam, repudiato Parthamaſpate, quem indignum regno exiſtimabant, ipſi res ſuas priſco gentis inſtituto adminiſtrare cœperunt.

Noua Perſarum defectio.

Inter quæ Traianus, breui poſt, apud Selinuntem Ciliciæ vrbem, quæ deinde Traianopolis cognominata eſt, maximo ſui propter ingentes animi corporiſque dotes, quibus refulſerat, deſiderio relicto, fatis ac naturæ conceſſit, anno mundi quater milleſimo, octogeſimo, ab vrb. cond. octingenteſimo, ſexageſimooctauo, & ab humana redemptione centeſimo ac duodeuiceſimo, poſtquam ipſe ætatis annum ſexageſimum quartum, imperij annos decem & nouem, menſes ſex, dies quindecim expleuiſſet. Huius heroicas virtutes haud pauci ex veteribus ſcriptoribus celebrauere, & de his etiam extat Plinij 2. Panegyricus ipſi Traiano Auguſto dictus.

Mors Traiani.

Fuit ſane Princeps laudatiſſimus, & nulli Imperatorum ſecundus. Hic ſane cum ſua clementia & humanitate anteceſſores ſuos omnes ſuperaret, amicis aliquando culpantibus, quod nimis clemens erga ſuos eſſet: reſpondit, talem ſe Imperatorem eſſe priuatis, quales eſſe ſibi Imperator priuatos optaſſet. Idem dicere ſolebat, Principes omnes multum abeſſe à Neronis quinquennio. Nam Domitius Nero primis annis quinque, ſumma cum laude geſſit imperium, priuſquam ad Caligulæ auunculi ſui crudelitatem appelleret animum. Adhæc, Fiſcum lienem vocare ſolitus eſt, quod eo creſcente, reliqui artus omnes tabeſcerent. Iuſtitiam vero & æquitatem in Principe plurimum commendare conſueuerat: qui his potiſſimum virtutibus Principes, cæteros homines excellere debere dictitabat, quorum & ipſe, dum Romanum gubernaret imperium, ſtudioſus adeo fuiſſe fertur, vt, quemadmodum in primo lib. oſtendimus, aliquando enſem ſtrictum præfecto vrbi in conſpectu omnium dederit, atque dixerit: Cape ferrum hoc, & ſiquidem recte imperium geſſero, pro me; ſin aliter, contra me hoc vtere.

Eiuſdem ſingularis virtus.

Memorabilis plane vox, & optimo Principe digniſſima.

Traiani vox memorabilis.

Hic, ſucceſſorem habuit Publium Aelium Adrianum, qui bellum Perſarum colloquio repreſſit, eoſque in amicitia ſemper retinuit, quod illinc regem retraxerit, quem Traianus impoſuerat. Idem Armenijs regem ſuo arbitratu habere permiſit, cum ſub Traiano legatum duntaxat habuiſſent.

Adrianus cum Perſis & Armenijs ſocietatem coluit.

De hoc autem imperatore plurima videre eſt cum apud alios, tum inprimis apud Dionem, qui inter cętera, memoriæ tradidit, ipſum, poſtquam Cæſar deſignatus eſſet, adeo contempſiſſe inimicos, vt vni, quē habuerat capitalem, forte obuio, dixerit: Euaſiſti. Principibus in priuatis offenſis debet eſſe ſatis, potuiſſe vlciſci. Idem auctor teſtatur, eum in colloquiis etiam humillimorum, mire affabilem & comem extitiſſe, ac illos deteſtari ſolitum, qui hanc humanitatis voluptatem ipſi inuiderēt, hoc prætextu, quod dicerent, Principis maieſtatem vbiq; ſeruandam. Hunc etiam ferunt, ex Matheſeos peritia præſciuiſſe futura, ac Lucium Aelium Verum ſuum nepotem, quem imperij ſucceſſorem declararat, non fore longæuum dixiſſe ex Virgiliano carmine:

Eiuſdem ſingularis manſuetudo, & generoſitas.

Oſtendent terris hunc tantum fata, neque vltrà
Eſſe ſinent, &c.

Adriano, poſtquam vixiſſet annos ſexaginta duos, menſes quinque, dies nouemdecim, regnaſſetque annos viginti, menſes vndecim, vita defuncto, cum Perſarum rex nouas res moliri videretur, Antoninus Pius Adriani ſucceſſor, ipſum ab Armeniorum inuaſione ſolis literis repulit, eique ſellam regiam, quam Traianus ceperat, pernegauit. Hic autem, quatuor & viginti annos in imperio expleuit. Eius autem pietas & virtus maximopere commendatur. Cum iam ad imperii habenas declaratus, reprehenderetur, quod quoſdam accuſatos abſolueret,

Adriani obitus.

Antoninus Pius Imp.

Eiuſdem eximia virtutes.

reſpondit: Principatum non à pœnis, aut ſuppliciis, ſed à manſuetudine potius auſpicandum eſſe. Idem Caſſium Senatorium virum, imperij affectatorem, occidi paſſus eſt, non iuſſit occidi, poſt etiam extinctum doluit, dicens: Voluiſſe ſe ſine Senatorio ſanguine imperium tranſigere. Mire autem adamabat illam Scipionis celebratiſſimam ſententiam, ſubinde dicens; Se malle vnum ſeruare ciuem, quam mille hoſtes perdere: Pacem videlicet bello præferens, & in ipſo bello ſentiens hanc oportere primam eſſe ducis curam, vt quam minima ciuium iactura pararetur victoria. Ad hæc, cum Omuli viſens domum, ac miratus columnas porphyreticas, quæſiſſet, vnde eas haberet? Omulus ei reſpondit: Cum in ædes alienas veneris, & ſurdus, & mutus eſto: Sentiens, cum in alieno priuato nō oportere eſſe curioſum. Hoc tam libero ioco non eſt offenſus Imperator, qui etiam priuſquam vita excederet, rogatus, Cui nam filium commendaret: Vobis, inquit, ſi promeretur, & diis immortalibus: fauorem nolens ſuæ auctoritati tribui, ſed filij meritis. Hæc breuiter de Antonino Pio. At temporibus M. Antonini

Vologeſus II. M. Antonino Philoſopho bellum infert.

cōgnomento Philoſophi, Vologeſus, prioris Vologeſi filius, prior bellum intulit, omnemque Romanum exercitum collocatum à Seueriano ad Elegiam, quæ eſt in Armenia, atque interclusum vndique vna cum ipſis ducibus, telis conſecit atque perdidit; ob eamque cauſam, fugato etiam Atilio Corneliano tunc Syriæ procuratore, ciuitatibus Syriæ valde formidoloſus erat. His rebus commotus

Lucii Veri contra Perſas res geſtæ.

Antoninus, Lucium Verum ſuum generum ad bellum cum Perſis gerendum miſit. Qui, vt Antiochiam profectus eſt, collecto maximo militum numero, & optimis ducibus delectis, in oppido remanſit, vt inde conſtitueret omnia, & cōmeatum militibus compararet, Caſſio exercitu permiſſo. Caſſius ad orientem ſe Vologeſum fortiter ſuſtinuit, deſertumque tandem à ſocijs ac terga vertentem inſecutus, Seleuciam & Cteſiphontem venit: deinde vaſtata Seleucia, atque incenſa, regias Vologeſi, quæ in vrbe Cteſiphonte erant, ſolo æquauit. In Armenia quoque res proſpere geſtæ, adeo vt Armeniacum nomen vtrique principum retulerint, ſicuti etiam bello Parthico poſt quinquennium feliciter abſoluto, vterque Parthicus appellatus eſt. Cum autem reuerteretur, magnum ſuarum copiarum numerum amiſit, quæ partim fame enectæ ſunt, partim morbo extinctæ, rediitque tamen in Syriam cum reliquis militibus. Poſt aliquot annorum decurſum, cum ipſemet Cæſar in Syriam perrexiſſet, ibi multa egit cum diuerſis Regibus, & pacem confirmauit, ſibi occurrentibus quam plurimis Dynaſtis & Regibus, ac etiam legatis Perſarum, omnibuſque Orientalibus Prouinciis longe

Pax inter Rom. & Perſas.

cariſſimus & acceptiſſimus fuit. Pax vero cum Perſis hac conditione facta eſt, ne deinceps in Syriam tranſirent. Cæterum, L. Septimio Seuero imperante,

Nouum bellum ſub Lucio Septimio Seuero.

quoniam Perſæ, quibus ea tempeſtate Artabanus imperabat, Nigri partes fouerant, ipſo tandem apud ſinum Iſſicum, vbi quondam extrema illa & cruentiſſima pugna debellatus eſt Darius ab Alexandro M. in ſecundo prœlio, deuicto &

Perſarum clades.

profligato, haud exigua clade à Seueriano exercitu, cui Valerianus & Anylinus præfuerant, ſicuti etiam Oſroeni, Arabes & Adiabeni, quibus ob eundem cauſam grauiſſime ſuccenſuerat, affecti fuerunt. Cum autem Seuerus iam maximam Romani imperij partem teneret, in Italiam rediens, bellum mouit aduerſus Clodium Albinum, quem antea collegam fecerat, eumque magno & atroci prœlio ad Lugdunum deuicit; & mox, ſuperatis aduerſarijs, vrbem triumphans inuectus eſt, multis acclamationibus omnique ſplendore, ac magnificentia populo illum excipiente. Ibi haud multos menſes commoratus, ad nouas expeditiones animum adiecit, ac denuo in Orientem reuerſus, Armeniam & Arabiam peruagatur, vbi expugnatis vicis vrbibuſque permultis, omnemque agrum depopulatus, in Atrenorum regionem mox ingreſſus, Atras circumſedit, vrbem videlicet altiſſimo impoſitam monti, ac maximis validiſſimiſque mœnibus præcinctam, & ingenti ſagittariorum copia præſeptam. Cum vero, propter acerrimam oppidanorum defenſionem eiuſque loci difficultatem, conatus irriti procederent, ac exercitum priuſquam vniuerſus periret, alio tranſportare decreuiſſet, fortuna magis quam conſilio inſignem victoriam contra Perſas, qui paulo ante, ipſo

ante, ipſo Seuero, cum quo etiam Vologeſis frater fuiſſe dicitur, in bellis ciuilibus occupato, ſecuri Meſopotamiam ceperant, victoriam adeptus eſt. Nam impoſitus permultis nauibus quas circa Euphratem recens fabricari iuſſerat, exercitus vniuerſus, nequaquam ſcilicet, quo intenderat, Romanæ appulſus ripæ, ſed vndarum impetu, Parthorum ad agrum prouectus, haud procul Cteſiphonte, qua in vrbe ſedes regis erat. is tunc pacem agitans, nihilque ad ſe pertinere Seueri pugnas quas gereret cum Atrenis, exiſtimans, ocioſus, nihil mali expectabat. Seueri exercitus, cum ad eas ripas vi fluminis inuectus, moxque in terram eſſet expoſitus, omnem illico agrum deuaſtare cœpit, abactiſque, vt in quæque inciderunt, pecoribus ad veſcendum, viciſque aliquot incenſis, paulatim vſque ad Cteſiphontem petrexerat, qua in ciuitate magnus rex Perſarum ſubſiſtebar. Igitur hoſtes imperatos nacti, cæſis primis quicunque reſtitiſſent, *Cteſiphon à Romanis diripitur.* direptaque mox vrbe, ac circiter centum millibus ſuperſtitum hominum, in captiuitatem abductis, tantum ipſo rege cum paucis equitibus elapſo illius theſauros omnique ornatu ac ſuppellectile potiti, victores regrediuntur. Interim Seuerus, cum adhuc eſſet in Britannica expeditione, annis ætatis 65. menſibus 9. & in imperio annis ſeptemdecim, menſibus octo & diebus tribus expletis, fato ac naturæ conceſſit. *Seueri obitus.* Hic ſane, cum milites Baſſianum ſuum filium, qui poſt Antoninus Caracalla dictus eſt, Auguſtum conſalutaſſent, eo quod pedibus æger, bellum moraretur, iuſſit ſe deferri ad tribunal, ſimulque adeſſe *Eiuſdem auctoritas, & plaraq; alia.* omnes tribunos, centuriones, duces, & cohortes, quibus auctoribus hoc acciderat, ſiſti deinde & filium, qui Auguſti nomen non recuſarat. Hic, cum in omnes eius facti auctores iuſſiſſet animaduerti, excepto filio, omneſque ante tribunal proſtrati rogarent veniam, Seuerus manu caput contingens, Tandem, inquit, ſentitis caput imperare, non pedes. Huius imperatoris dictum celebratur: Omnia fui, ſed nihil expedir. ſentiens, ſeſe ex humili loco, per literarum ac militiæ officia pluribus gradibus fauore fortunæ ad imperij faſtigium fuiſſe prouectum: ſed nihil feliciter ceſſiſſe, aut nulla in re ſibi placuiſſe. Memoriæ traditum eſt, epigramma, quod in laudem Peſcennini Nigri fuerat aſſcriptum illius ſtatuæ ad viuum effictæ, cum præfecti ſuaderent eradendum, Seuerum noluiſſe, additis his verbis: Si talis fuit, ſciant omnes, qualem vicerimus: ſi talis non fuit, putent nos omnes talem viciſſe. Hunc præterea mores habuiſſe adeo malos cum bonis mixtos, vt de eo dixerit Senatus, aut naſci non didiciſſe, aut non mori. Cum vero in grauiſſimum morbum incidens, vitæ ſuæ finem inſtare animaduerteret, ad ſe vocauit M. Antoninum & Getam filios, à quibus, quid vellet, percunctatus: Facite, inquit, vt conueniat inter vos: locupletate milites, cæteros omnes contemnite. Sciebat enim filios regni cupidiſſimos, poſt mortem de ſucceſſione diſceptaturos, & niſi militum animos pecunia flecterent, penitus interituros eſſe. Poſt huius vero obitum, Antoninus Caracalla Romanum im- *Antoninus Caracalla.* perium adeptus eſt, qui fratrem Getam in ipſo ſinu matris interfecit; rebuſque domi compoſitis, in Aſiam perrexit, ac Pergamum ciuitatem atque Ilium, tum in hoc Alexandrum imitatus, ad Achillis tumulum proceſſit. Deinde vt Alexandri monumentum inſpiceret, Alexandriam contendit, & ſub hoc quidem prætextu hanc vrbem ingreſſus fuit ſed reuera, vt potiſſimum Alexandrinos, qui multis dicterijs & ſcommatibus eius nomen proſcinderant, commodius atq; facilius vlciſceretur; eorumque ingentem multitudinem trucidauit: tantaque *Eiuſdem crudelitas in Alexandrinos.* cædes facta eſt, vt riuis cruoris per planitiem decurrentibus, cum fauces ipſæ Nili ingentes, tum littus omne circa vrbem purpuraſceret. Cum poſt aliquot menſes, ad eum tanquam ad amicum, Augarus rex Oſrœnorum veniſſet, ei fidem fregit, comprehenſumque in vincula coniecit, & Oſroênem rege deſtitutam cœpit, itemque regem Armeniorum, qui cum filijs diſſentiebat, ad ſe vocauit amice per literas, vt eos in concordiam reduceret, ijſque eodem modo, quo Augaro vſus eſt; quanquam Armenij arma capere, quã ad ipſum deficere maluerunt. *Augarus & Armeniorum rex contra amicitia ac hoſpitalitatis leges ab Antonino capti.* Quod cum eſſet factum, ei nemo amplius fidebat, vt re ipſa cognoſceret, quam graue damnum eſſet Imperatori fraudem amicis facere. Cum hybernaret in Ni-

comedia, exercuit phalangem Macedonicam, & compatanit duas ingentes machinas ad Armenicum & Parthicum bellnm, vt ea diſſoluta in naues imponeret, atque in Syriam deueheret. Poſt hæc, bellum intulit Perſis, cuius belli cauſa fuit, quod Vologeſes Teridatem & Antiochum quendam, quos ille poſcebat ad ſupplicium non dederet. Erat Antiochus Cilix natione; qui primo philoſophiam Cynicorum ſimulauerat, eaque ex re magnam opem in bello tulerat militibus: quos, cum maximo frigore obriguiſſent, propterea confirmauit, quod ſe ipſe in niuem abiecerit, in eaque volutatus ſit. Sed cum ei Seuerus, atque ipſe Antoninus pecuniam dediſſent, affeciſſentque honore, his rebus elatus, cum Teridate ſe coninnxit, & cum eo ad Perſam defecit. Vtrumque tamen ab ipſo metu perterrito recepit, hiſque imperratis, ſtatim à bello deſtitit. Breui ab hoc ſpatio interiecto, Vologeſes mortalitatem expleuit, in cuius locum Artabanus eius filius ſubſtitutus eſt. Antoninus interim affectans Parthici cognomentum, famamque deuictæ ad Orientem Nationis, quanquam in altiſſima pace, tale quiddam imaginatur.

Perſici belli occaſio & initium.

Artabanus.

Antonini litera ad Artabanum.

D A T literas ad regem Parthorum Artabanum, ſimulque legatos cum muneribus mittit, materiæ atq; artis conſpicuæ. In eis literis fuerat ſcriptum, velle ſe regis filiam ducere in matrimonium, Principem ſe eſſe, & Principem natum, quare haud decorum priuati cuiuſquam & tenuis fieri generum, ſed reginam ducere potius, filiamque magni Regis. Duo maxima imperia eſſe, Romanum, & Parthicum, quibus affinitate illa in vnum coeuntibus, ac nullo iam diſcriminante fluuio, vnam tantum potentiam factum iri, nullis omnino viribus expugnabilem. Nam reliquas Barbaras nationes quæ nunc amborum imperijs ſubiectæ ſunt, facile iugum toleraturas, ſi propior gens quæq; & conuentus ſit habitura rectores. Eſſe Romanis pedeſtrem exercitum, qui haſtis, & ſtataria pugna reliquos antecellat. Parthis vero equitatum plurimum, peritiſſimoſque ſagittarios. His igitur concurrentibus, & quæ vſui ad bellum ſunt, in vnum conſpirantibus, facile ipſos ſub vno diademate totius orbis terratum imperium retenturos. Præterea, adornamenta, quæ apud illos proueniant, telaſq; laudatiſſimas, contraque apud Romanos metalla ipſa, & quæcunque arte aliqua conſpicua viſuntur, non iam vix, ratoque, & clanculum, per mercatores importatum iri, ſed in vna duntaxat terra, vnoq; imperio, communemque fore vtriſque vſum rerum omnium, minimeque impeditum. His literis Parthus acceptis, primo quidem abnuere, negare Romano conuenire Barbarum matrimonium. Qnam enim fore concordiam, neque voce ſatis congruentibus, & victu habituque inter ſe diſtantibus? Eſſe Romæ patricios permultos, quorum ſibi ille optare liberos in matrimonium poſſit, ſicut itidem apud ſe Arſacidas. Neqne vllam ſane extare cauſam, cur adulterum genus adulteretur. Hæc igitur à principio reſcribens, conditionem aſpernabatur. Sed inſtanti Antonino, doniſque & iureiurando fidem ſtudij ſui, & charitatis vxoriæ facienti, credidit Barbarus, ac pollicitus daturum filiam, generum iam ipſum appellitabat. Cuius rei vulgata mox fama, Barbari ſcilicet omnes ad Romanum ſuſcipiendum Principem ſe comparabant, ſpe quadam ſempiternæ pacis exultantes. Cæterum Antoninus, nemine prohibente fluuios tranſgreſſus, ac iam Parthicam tegionem quaſi propriam peragrans, ſacrificantibus paſſim vniuerſis, ſupraque coronata altaria odores incendentibus, lætum ſe honore illo Barbarorum magnopere ſimulabat. Poſtea vero quam magno itinere facto, ad ipſam Artabani regiam appropinquabat, occurrit ei Rex in quadam ante vrbem planitie, nouum nuptum excepturus, generumq; ſnum. Sed Barbarorum magna multitudo floribus indigenis coronati, atque induti veſtes auro, diuerſiſque odoribus varie feſtum agitabant, ad tibiarum, fiſtularumq;, & tympanorum ſonitus ſaltantes numeroſe. Quippe huiuſcemodi tripudijs ſupra modum delectantur, præſertim cum ſe temeto largius inuitarunt. Sed vbi omnis multitndo confluxit, ac relictis equis, pharetriſque, & arcubus depoſitis, inter libamina & calices agitabant, collectique in vnum Barbarorum quamplurimi, temere inordinatique conſtitetant, nihil ſuſpectantes mali,

mali,ſed pro ſe quiſque ſtudentes videre nouum nuptum, tum ſigno dato Antoninus, militibus imperat, imperum cædemque in Barbaros faciant. Illi, re ſubita perterriti, cædentibus ſauciantibuſque Romanis, terga obuertunt. Ipſe Artabanus à ſuis ſtipatoribus raptus, atque equo impoſitus, vix, ægreque, cum paucis fugiens elabitur. Reliqua vero multitudo Barbarorum paſſim cædebatur. Quippe neque equos habebant, quibus maxime vtuntur. Deſcenderant enim ex ijs, paſtumque dimiſerant, neque ipſi fuga euadere poterant, impediente curſum fluxa veſte ad pedes vſque deducta. Porro pharetras & arcus omnino non attulerant: Nam quid illis opus ad nuptias? Ita ingenti cæde Barbarorum facta, Antoninus, prædaque & hominibus magna copia captis, diſcedit, nullo reſiſtente, viciſque, & vrbibus incenſis, data poteſtate militibus rapiendi quod quiſque poſſet, aut vellet. Hanc igitur calamitatem haud opinato Barbari acceperunt. Antoninus autem regionem Parthicam penitus ingreſſus, defeſſis iam rapiendo, cedendoque militibus, reuertitur in Meſopotamiam, populoque Romano per literas ſignificat, ſubactum à ſe orientem, cunctoſq; illius regni mortales in ſuam ditionem conceſſiſſe. At Senatus, quanquam totius negotij gnarus, (quippe Principum res latêre nullo pacto poſſunt) metu tamen atque aſſentatione cunctos illi honores victoriæ decernunt. Artabanus, his tantis iniurijs affectus, maxima celeritate, ingentem ac numeroſum exercitum comparauit, pœnas exacturus, & cæſis inter pacem ac libationes miſſurus inferias. Inter hæc, Antoninus, dum iterum Parthicam expeditionem molitur, apud Carras vrbem, inſidijs ab Opilio Macrino præfecto prætorio poſitis, per Martialem centurionem interficitur, & in ipſum Macrinum militaribus ſuffragijs transfertur imperium. Fuit ſane Antoninus iſte vir nefarius & crudeliſſimus, qui, cum direptis ciuium bonis, atque omnibus exhauſtis ærarijs, ſua crudelitate ingentem corraſiſſet pecuniam, eamque promiſcue perditis hominibus diſtribueret, obiurgatus à Iulia matre, vt pecunijs aliqua ex parte parceret, atque prædæ opimæ partem in alium vſum ſibi reſeruaret, ſtrictum gladium oſtentans matri, reſpondit: Læto ſis animo, quamdiu hunc habebimus, nulla nobis deerit pecunia: Oſtendens, nullam pecuniam apud ſubditos adeo reconditam eſſe, quam ſua ſæuitia extorquere non poſſet. De hoc etiam hiſtorici tradiderunt, quod eius nouerca, cum eſſet pulcherrima, veluti per imprudentiam, corpus magna ex parte nudauit. Cumque dixiſſet Caracalla; Vellem, ſi liceret: Si libet, inquit illa, licet: An neſcis, te Imperatorem eſſe, & leges dare, non accipere? Ea mulieris vox Caracallam, ſicuti etiam ſupra oſtendimus, ad tam deteſtabile facinus pertraxit. Cum vero idem multa ſibi cognomina aſſereret, vtpote Germanici, Parthici, Arabici, Alemanici; Helius Pertinax, Cur non, inquit, vocaris etiam Geticus Maximus, & ideo quidem, quod fratrem tuum Getam turpiter occideris? Eidem, cum Baſſianus præfectus ſuaderet, vt ad mitigandam inuidiam parricidij, fratrem Getam appellaret diuum: Sit, inquit, diuus, dum non ſit viuus. Et ſic fratrem in diuos retulit. Atque ita vbique, vt Aelii Spartiani verbis vtar, regnandi cupiditas, neſcit iura pietatis. Hactenus de Caracalla. Nunc ad eius ſucceſſorem Macrinum mihi ſermo flectendus eſt.

Parthi Caracallæ dolo & perfidia vincuntur.

Antonini cædes.

Eiuſdem crudelitas & libido.

Macrinus.

Hic porro, ſimulatque imperium adeptus Intellexit Artabanum cum multis copiis ac viribus adeſſe, nec non equitatum ingentem, & ſagittariorum multitudinem adducere, præterea cataphractos camelis inſidentes, qui prælongis contis prœliarentur, nihil prius atque antiquius habuit, quam vt pro Romani Imperii maieſtate, contra hoſtem, exercitum, quem habebat longe inſtructiſſimum, educeret. Proinde rebus omnibus rite diſpoſitis atque ordinatis, & habita concione, deuentum eſt ad prœlium, & vno atque altero die à mane vſque ad veſperam vtrinque vario Marte atque alternante fortuna quam acerrime dimicatum. At Macrinus cognito, non alia de cauſa tam fortiter ac pertinaciter pugnare Artabanum, niſi quia ſe pugnare contra Antoninum arbitrabatur, mittit Parthis legatos cum literis, quæ declararent, occidiſſe Imperatorem, ac debitum ſupplicium luiſſe, qui fœdera & iuſiurandum temerauerat: ſibi eſſe à Roma-

Macrinus Imperator deſignatur.

Prœlium inter Perſas & Romanos.

nis, quorum ipſum tandem imperium ſit, ſummam rerum traditam. Non placere vero quæ acta forent. Itaque captiuos quicunque ſupereſſent, raptaque omnia redditurum. Cupere ſe illum ex inimico amicum facere, pacemque iureiurando ac libaminibus ſancire. Quibus lectis Artabanus, edoctuſque à legatis de Antonini cæde, ſatis dediſſe ſupplicij violatorem fœderis arbitratus, contentuſque reddi ſibi citra vllum cruorem captiuos, prædamque omnem, fœdus cum Macrino ferit, atque in proprias ſedes reuertitur, ſimulque Romanus Imperator deducto ex Meſopotamia exercitu, Antiochiam contendit. Quod quidem incidit in annum mundi quater milleſimum centeſimum octogeſimum ſecundum: in annum Romæ nongenteſimum ſeptuageſimum & Chriſti ducenteſimum viceſimum.

Fœdus inter eoſdem.

HISTORIAE RERVM PERSICARVM

Liber Quartus.

Perſa, victis Parthis, regnũ recuperant.

REBVS in Perſia ita ſeſe habentibus, haud multo poſt, maxima, vt fert humanarum rerum viciſſitudo, illic cõuerſio ſubſecuta eſt. Siquidem Alexandro Seuero qui poſt Macrinum, & Varium Heliogabalum, quorum alter, annum & duos menſes cum Diadumeno filio, adoleſcente ſpecioſiſſimo, alter circa triennium, ſummæ rerum præfuit, Romanis imperitante, tertio decimo anno eiuſdem imperij, Artaxares natione Perſa, virque animi excelſi ac militaris, Artabano, qui propter rerum à ſe geſtarum gloriam atque amplitudinem, Magni cognomine appellari meruit, duplicique diademate redimiti, variis caſibus defatigato, ac tandem triplici prœlio ſuperato, non ſolum Orientis regno, ſed vita quoq; exuto, cœpit ſubigere vicinos Barbaros ac ſibi vectigales facere, neque iam intra fluuium Tigrim tenere ſe, ſed ſuperatis ripis, ac Romani finibus Imperij, excurrere per Meſopotamiam, Syriæque minitari, omnemque Europæ oppoſitam continentem, quæ mari Aegæo, fretoque Propontidos terminatur, atque Aſiæ nomen habet, ceu veterem Perſarum poſſeſſionem, ſibi vindicare: quod iam inde à Cyro, qui primus, vti antea demonſtrauimus, imperium à Medis in Perſas tranſtulit, ad Darium vſque extremum Perſarum regem, cui Regnum Alexander abſtulit, cuncta olim Ionia Cariaq; tenus à Perſarũ Satrapis gubernabantur. Quare ſui muneris eſſe arbitrabatur, vt vetus atque integrum imperium Perſis reſtitueretur. Porro inter Arſacem & Artabanum regem, anni ducenti interceſſerunt. Et ipſe Artaxares hac victoria potitus eſt anno Chriſti ducenteſimo trigeſimo. Hæc autem vbi primum Seuero per ſuos duces ac procuratores, quos in Syria Meſopotamiaque habebat, innotuêre, haud mediocriter re ſubita & inopinata perturbatus, quippe in altiſſima pace educatus à puero, atque vrbanis deliciis innutritus, conuocato prius amicorum conſilio, decreuit legatos cum literis mittere, qui ſpem Barbari conatuſque inhiberent. Igitur literæ in hanc ſententiam compoſitæ.

Parthi quãdiu regnarint in Perſia.

Alex. Seueri literæ ad Artaxar.

OPORTERE illum ſuis finibus contentum, nihil rerum nouarum moliri, neque ſublatum vana ſpe ingens bellum excitare: debere vnumquemque ſuis fortunis acquieſcere: non perinde ſibi pugnam proceſſuram aduerſus Romanos, vt aduerſus vicinos, & eiuſdem corporis Barbaros. Admonebat præterea victoriarum, quos contra eos nonnulli ex Romanis Imperatoribus adepti fuiſſent. Huiuſcemodi literis Alexander perſuaſurum ſe Barbaro, metu ſcilicet perterrito, pacem quietemque arbitrabatur. Quibus ille contemptis, remque armis potius, quam verbis gerendam ratus: tum vero ferociſſimus ingruere, decurſaq;

ac per-

ac perequitata Meſopotamia omni, prædas agere, atque oppugnate Romanorum caſtra, impoſita fluminum ripis, quæ ſcilicet imperij limites rnerentur. Cnmque homo eſſet natura glorioſus, ac ſublimes ſpiritus gereret, ſucceſſu rerum inopinato ſe omnia ſubacturum exiſtimabat. Neque enim parua erant, quæ illius animum ad maius regnum concupiſcendum inflammabant. Primus namque ipſe Parthis bellum inferre auſus, Perſarum imperium recepit; regnoq; Perſis reſtituto, & circumiacentibus locis per vim ſubactis, facile iam Romanam quoque potentiam laceſſebat. Quæ vbi Alexandro Romæ agenti nunciata ſunt, minime iam ferendam putans inſolentiam Barbari, vocantibus illuc ſe ducibus, cum maximo apparatu illinc in Perſas profectus, conſertoque prœlio, poſt innumeros vtrinque vulneratos, atque interfectos, tandem ſortuna ad Seuerum inclinauit. Fuſo igitur fugatoque tanto Rege, qui cum ſeptingentis elephātis, mille & octingentis curribus, equitum vero multis millibus ad bellum venerat, ſtatim Antiochiam redijt, & de præda quam Perſis diripuit, ſuum ditauit exercitum, cum ea quæ per vicos diripuerant, per tribunos, duces, & ipſos milites diſtribui iuſſiſſet. Tumque primum Perſæ, ſerui apud Romanos fuerunt: quos quidem, quia indigne ferunt Perſarum Reges quempiam ſuorum alicubi ſeruire, acceptis pretijs reddidit, pretiumque vel his qui manu ceperant ſeruos, dedit, vel in ærarium contulit. Poſthæc, Romam victor atque ouans ingreſſus eſt. Extat apud Lampridium concio, qua apparatum belli, & arma Perſarum deſcribit, ſupplicationeſque pro rebus geſtis dijs decernendas petit. Extant & acclamationes, quibus Parthicus & Perſicus dictus eſt. Herodianus contra ſcribit, Alexandri exercitum in hoc Perſico bello, morbo, ferro, frigore, diuerſiſque alijs calamitatibus maiori ex parte extinctum atque deletum eſſe, victumque potius quam victorem extitiſſe. Cæterum, maior pars cum veterum rum recentium ſcriptorum hac in re Lampridio aſſentitur, qui addit, ſe iſta in annalibus, & apud multos reperiſſe, ipſiuſque Herodiani ſententiam, ceu minus veram atque probabilem, quæq; à multorum opinione diſſentiat, omnino reijciendam exiſtimat. In hoc autem ſuum cuiq; liberum eſto iudicium. Scio equidem, Herodianum inter grauiſſimos auctores recenſeri, & in his, quæ poſteris ac memoriæ tradidit, ab eruditis hominibus maximopere commendari. Hic porro ſeptuaginta annorum res quas ſibi maxime cognitas fuiſſe aſſerit, ſub diuerſis Principibus geſtas, in vnum corpus comprehenſas, in literas retulit; atq; ipſemet in fine libri ſecundi fatetur, ſe nihil ad gratiam affingere, neq; tacitum quippiam præterijſſe, ſi quid modo mentione dignum ac memoria videretur. Sed maior pars ſcriptorum, inter quos præter ipſum Lampridiū, eſt Eutropius, Oroſius, Ruffus Sextus, ac itidem Zoſimus, qui etiam ſcribit, ipſum Perſas bello aggreſſum, vno impetu Cteſiphontem atq; Babyloniam cepiſſe, Arabes percurriſſe, Arabiam vniuerſam in poteſtatem redegiſſe, aliaque complura fortiter geſſiſſe, longe diuerſum tradidêre Proxime à nobis demonſtratum eſt, Artaxarem natione Perſam, Artabano qui fuit vltimus ex Arſacidarum familia, interfecto, Perſicum regnum in auitam atque priſtinam gloriam & dignitatem aſſeruiſſe. Hunc plerique Artaxerxem vocant: ſed Herodianus & Agathias, Artaxarem nominant, atq; ita hoc nomen pronunciandum eſſe, nobiliſſimus iuxta & doctiſſimus vir. Io. Leunclæus in Agathiæ Myrrhinæi annotationibus tradit. Is fuit pater Choſroë Magus, primuſq; inter Perſas cidarim ſumpſit. Ex quibus autem parentibus oriundus fuerit, qua de cauſa, quove modo cidarim, inſigne regium, aſſumpſerit, & cur etiam Magus ſit appellatus, idem Agathias lib. 2. diſerte commemorat. Qui etiā lib. 4. recenſet catalogum & nomina multorū regum, qui poſt deletos Parthos, in Perſia regnarunt, & quandiu itidem rebus gerendis præfuerint. Huius autem verba vt hic ſubijcerem, operæpretium me facturum exiſtimaui. Nec enim aliunde melius ac certius hæc omnia cognoſci atque intelligi poſſunt, cum ipſe auctor teſtetur, ſe ex archiuis & Perſicis libris ea deſumpſiſſe. Artaxares, inquit, annis octo & triginta ad quingentos, poſt Magni Alexandri Macedonis principatum, quaternis poſt alterius Alexandri Mammeæ filij, ſuſcepit imperium, in quo

Artaxares mouet bellum in Romanos.

Prælium inter Romanos & Perſas.

Nomina quorundam regum Perſarum qui poſt deuictos Parthos, in Perſia dominati ſunt. Artaxares.

annos quindecim, menſibus demptis duobus, peregit. Huic in imperium Sapores ſucceſſit omnium crudeliſſimus.

Sapores.

Vixit hic vnum & triginta integros annos, & ſucceſſorem habuit filium Hormiſdam, qui breui admodum tempore imperauit.

Hormiſda.

Vararanes I.

Poſt annum ſiquidem vnum & decimum diem, fato ſuo perfunctus, is obiit mortem, nulla re geſta, quæ merito tradi memoriæ poſſet. Poſt hunc Vararanes, annos tres cum obtinuiſſet imperium, eius filius patri non abſimile nomen ſortitus, annos ſexdecim in regno permanſit.

Vararanes II.

Vararanes III. dictus Seganeſna.

Deinceps Vararanes tertius, menſes duntaxat quatuor imperium deguſtauit. Seganeſna ei cognomen erat, quod illi inditum non ab re fuiſſe exiſtimarim, nec temere eum vetuſti & patrij moris participaſſe. Perſarum ſiquidem reges, cum magnam aliquam nationem oppugnando cepiſſent, eſſentque illorum locis potiti, haudquaquam de cætero victos necabant, ſed ſubactos dependere tributa cogebant, & loca inhabitare, ac captum armis agrum excolere, primoribus duntaxat gentis miſerrime trucidatis: vnde & ſæpe noui principatus & nationis ex nomine liberos vocitabant, memoriæ, vti apparet, pro trophæis iam partis & iactantiæ gratia. Vbi itaque Seganorum gens illa ab Vararane huius patre deuicta eſt, iure & filius pro regia illa conſuetudine Seganeſna, id eſt, Seganorum rex nuncupatus eſt. Hoc confeſtim deperdito, Narſes imperium annos ſeptem & menſes nouem tractauit.

Narſes.

Miſdates.

Huius Miſdates filius in principatu ſuccedit, patris hæres effectus non ſolum potentiæ, ſed annorum æqualitatis & ſpatij. Miretur namque id quiſpiam, patri filioque annos menſeſque imperij exactiſſime fuiſſe pares admenſos.

Sapores. 2.

Hos Sapores ſubſecutus, longiſſimis temporum ſpatijs potitus imperio eſt, cum tot annos regnaſſet, quot etiam vixerit. Hunc mater adhuc in vtero geſtabat, & regij generis ſucceſſio ad regnum vocabat, qui ex matre hac naſceretur: erat autem dubius partus, maremne paritura hæc eſſet, an feminam. Vnde Principes omnes & ſatrapæ, præmia magicis viris ac dona expoſuêre, vt ea de re futura prædicerent. Grauidam deinde equam producunt in medium, partui proximam, iuſſereque Magos ſuper hac prius periculum facere, vaticinarique quodcunq; futurum exiſtimarent. Hoc pacto ſe paulo poſt cognituros putabant, quò proceſſuræ iſtorum eſſent de equa prædictiones, ex hiſque poſſe ſe ſimul imaginari haud ſecus euaſura, quæ de homine & mare, futuroque rege prædicerentur.

De Magorum prædictionibus.

Quid vero Magi de equa pronuntiarint, nil habeo quod pro certo affirmem: ſed alioquin ſic omnia euenêre, vti prædictum iis fuerat. Cum itaque & cæteri cognouiſſent, vaticinandi artem Magos optime percallere, præmiſerunt reginæ qui explicarent, quæ ipſi non ignorarent futura.

Magi reginæ filii partum prædicunt.

Ventri corona impoſita.

Hi itaque, affirmantibus Magis, marem omnino fore, qui partu edendus propediem eſſet, nulla interpoſita mora, cidarim ventri imponunt, & vix dum conceptum regem pronunciant, & nomine internoſci recens formatum his placuit, quod vtique organum eotenus iam ſuſcepiſſet, vt & palpitaret iam ſenſim, & ſubſiliret. Sic igitur quod naturæ obſcurũ eſt, & incertum, pro re certiore indubitataque, hi opinando ſuſcipiunt. Haud tamen ſpes eos fefellit: ſed longe magis ad opinionem ſuccedentibus rebus, quam opinati iam eſſent, aſſecuti ſunt quæ ſperabant: naſcitur namque nõ longe poſt, & cum imperio Sapores, in eoque & iuuenilem agit ætatem, & conſeneſcit, nimirum qui ſeptuageſimum annum iam exegiſſet, vbi ad quartum eius & vigeſimum imperij annum Niſibis ciuitas ſub Perſarum ditionem, quæ Romanorum fuiſſet, peruenit, Iouiniano hanc imperatore prodente, &c. Deinde paulo poſt ſubiungit: Poſt Saporem, Artaxerxes germanus frater, vt regni rum particeps, quatuor vbi regnans egiſſet annos, emoritur.

Artaxerxes.

Sapores II.

Huius filius, Sapores & ipſe dictus, annos quinque regnauit, totidem vero & geminatos, alteroque adiecto, Saporis filius Varanes, qui & Cermaſat, à Cerma Natione quadam, in poteſtatem redacta; haud ſecus dictus, ac Romani aſſueuêre, qui ab Africa Africanum dixerunt, & Germanicum à Germania, & ex alijs item alios denominarunt. Poſt hunc, Iſdigertes filius ſuſcipit principatum, qui & magnus apud Romanos habetur, & celeberrimus.

Iſdigertes rex clarus.

Hæc Agathias de his Regibus Perſarum, qui expulſis Parthis, Perſico imperio præfuerunt; eaque tanto veriora cenſenda ſunt, quanto, vt dixi-

vt diximus, ex ipſiſmet archiuis ac Perſicis libris hæc omnia deſumpta eſſe, præfatus auctor teſtatur.

Supra enarrauimus bella geſta inter Alexandrum Seuerum, Mammææ filium, & Artaxarem Perſarum regem. Nunc de ipſo Seuero eiuſque dictis & factis hæc paucula ſubiungam. Hic ſane initio belli Perſici, cum audiuiſſet, Perſarum regem cum validiſſimo atque inſtructiſſ. exercitu Romanum Imperium inuadere conſtituiſſe, Fortes, inquit, viros atq; moderatos decet optima quidem optare, ſed ferre etiam quæcunq; accidant contra animi votum. Fortitudinis quippe eſt, rebus proſperis non extolli, in fauſtis nequaquam deiici animo. Idem, priuſquam ſeſe ad bellicam expeditionem accingeret, militibus diligenter proſpexit de commeatu, dicens, ſe magis ſeruare milites, quam ſeipſum, quod in his ſita publica ſalus eſſet. Facilius eſt enim inuenire nouum Imperatorem, quam nouũ & exercitatum militem, vt inquit Lampridius. In hoc autem Imperatore fuiſſe ſingularem clementiam cum pari ſeueritate coniunctam, ex his quæ proferam exemplis, perfacile colligi poterit. Cum enim obiurgaretur à matre, & Memmia vxore, quod nimia humanitate & clementia vteretur, eaq; contemptibiliorem relinqueret imperij poteſtatem, quam ab anteceſſoribus ſuis accepiſſet, reſpondit, Sed ſecutiorem & diuturniorem. Cum vero humili veſtitu contentus ſæpenumero incederet, reprehenſus ob id à ſuis aulicis, reſpondit: Imperatoriam maieſtatem conſtare virtute, non corporis cultu. Hic porro in expeditionibus, ſi quis de via in alicuius poſſeſſionem deflexiſſet, pro qualitate loci fuſtibus aut virgis cædebatur, aut alioqui condemnabatur. Si dignitas perſonæ tales pœnas non recipiebat, grauiſſimis contumelijs afficiebatur, cum diceret: Velleſne hoc in agro tuo fieri, quod facis in alieno? Clamabat ſæpius, quod à Chriſtianis audierat, idque per præconem, quoties aliquem emendabat, dici iubebat: Quod tibi fieri nolis, alteri ne feceris. Amicos autem & cognatos, ſi malos competiſſet, puniebat. Id ſi vetus amicitia aut neceſſitudo non patiebatur, à ſe dimittebat, dicens, His charior eſt mihi tota Reſpub.: ſignificans, priuatos affectus vtilitati publicæ poſthabendos. At Vetronium Thurinum familiarem, quod his qui petebant aliquid à Cæſare, vendidiſſet ſuum patrocinium, mentiens interim multa, conuincendum curauit, & conuictum damnatumque in ſtipite alligari iuſſit, ſuppoſito igni ex humida materia, præcone clamante: Fumo punitur, qui fumos vendidit. Honores ſiquidem iuris & gladij nunquam vendi paſſus eſt, dicens, Qui emit, & vendat neceſſe eſt. Deſcriptum quoque habebat, quid cui præſtitiſſet, qui nihil, aut minimum petiiſſent, eos appellabat, dicens: Quid eſt, cur nihil petis? an me tibi vis fieri debitorem? pete, ne priuatus de me queraris. Agnoſcebat nimirum, Principes debere ſuo recte fungẽtibus officio: nec æquum iudicabat, vt probe ſuo munere defunctus, priuatus egeret. Idem interrogatus, quis eſſet rex optimus? Qui, inquit, amicos muneribus retinet, & inimicos beneficiis ambit & reconciliat. Hic ſane aurum & argentum raro cuiquam, niſi militi diuiſit, nefas eſſe dicens, vt diſpenſator publicus, in ſuas, ſuorumque voluptates conuerteret id, quod prouinciales dediſſent. In templis vero, argenti minimũ, auri ne guttulam quidem aut bracteolam poſuit, ſubinde repetens illud Perſianum: *Dicite Pontifices, in ſanctis quid facit aurum?*

Hæc in præſentia de Seuero, cui Maximinus in imperio ſucceſſit, iſq; vna cum filio ſuo eiuſdem nominis, triennio duntaxat imperauit. Inter vtramque gentem nihil omnino inſigniter peractum fuit. Cæterum ſub Gordiano tertio iuniore, qui, cum annorum eſſet ferme tredecim, Princeps ab vniuerſis declaratus, Romanum imperium ſuſcepit, cruentiſſima bella inſtaurata ſunt, & Gordianus conſilijs atq; prudentia Miſithei viri doctiſſimi ac eloquentiſſimi, cuius filiam, Tranquillam nomine, vxorem duxerat, eumq; dignum putauit familiæ ſuæ inferendum, quippe qui, vt plærią; tradunt, à Scipionibus ortum atq; originem trahebat, in Perſas cum ingenti exercitu profectus, contra eos feliciſſime dimicauit. Primum vero fecit iter in Mœſiam, & quicquid hoſtile in Thracia reperit, deleuit, fugauit, expulit. Inde per Syriam in Antiochiam à Perſis occupa-

Seueri fortitudo.

Eiuſdem pietas in ſuos milites.

Maximinus imperator.

Gordianus III, iunior.

Miſitheus gener Gordiani.

Eiuſdem in Perſas proſpere ſucceſſus.

tam petrexit. Illic frequentibus prœliis pugnauit,& vicit,Sapore Perſarum rege Artaxaris filio ſubmoro,qui tametſi erat ſtatura procerus, & corpore horribilis, adeo tamen ipſum Gordianum extimuiſſe ferunt, vt deductis ex vrbibus præſidijs,eas integras ſuis ciuibus redderet. Sic Carræ,& Niſibis,quæ Antiochia eſt, captæ:ſic & aliæ vrbes, quæ tum temporis ſub Perſarum Imperio erant, in Romanorum poteſtatem ceſſerunt. Effectum denique eſt, vt Perſæ, qui iam vniuerſæ Italiæ haud mediocrem terrorem incuſſerant, ſub hoc laudatiſſimo Principe,ductu & auſpicio ſui ſoceri, in regnum ſuum redierint, totumque Orientem Romana Reſpublica retineret. Quæ omnia Senatui Gordianus perſcripſit,eaque Miſitheo,qui idem Timeſſocles dicebatur,præfecto,& ſocero accepta retulit. Ob quæ, Senatus dijs ſupplicationes, Gordiano triumphum decreuit,& Miſitheo currum triumphalem, & titulum magnorum honorum cum ijs verbis:

MISITHEO EMINENTI VIRO PARENTI PRINCIPVM,PRAETORI TOTIVS VRBIS,TVTORI REIPVB. S. P. Q. R. VICEM REDDIT.

Philippus Arabs Gordiano ſuccedit, & mox init pacem cum Perſis.

Philippopolis.

Idem Perſis bellum indicit.

Eiuſdem cædes.

Decius Imperat.

Gordiano, viceſimo ſecundo ætatis ſuæ anno, aſtu atque inſidijs Philippi Arabis, quem primum ferunt ex Romanis Cæſaribus factum eſſe Chriſtianum, interempto,faſces Imperij Romani ad ipſum Philippum deuolutæ ſunt, qui, ſimulac Principatum adeptus eſt,nihil habuit antiquius, quam vt cum Perſis pace facta,percuſſoque fœdere,in Italiam aduentaret. Proinde dimiſſa Syria ac Meſopotamia hoſtibus, iter per Arabiam ſuſcepit, ac paterno in ſolo Philippopolim vrbem ſui nominis condidit. Dehinc Romam petens, anno ſecundo imperij ſui ludos ſeculares fecit ingenti pompa Cal. Maij, cum milleſimus annus eſſet vrbis conditæ. Verum enimuero cum ſe propter amiſſas prouincias populo Romano minus gratum acceptumque eſſe animaduerteret, vt eum ſibi reconciliaret,mox Perſis bellum indixit. Cæterum ipſis, prouincias reſtituere pollicentibus,res ſine ſanguine peracta eſt. Philippus interim,poſtquam annos quinque regnaſſet,Veronæ à ſuis militibus interfectus eſt, ac Decium imperij ſucceſſorem reliquit. Hic autem vix biennium ſummæ rei vna cum filio præfuerat, cum aduerſus Getas, qui Iſtrum tranſierant, vires atque arma conuertens, in priore prœlio triginta millia Getarum, qui & Gothorum,ſic enim poſtmodum appellati ſunt,interemit: At in poſteriore prœlio, cum Gothi arte traxiſſent Decium in loca paluſtria,filius fortiter dimicans,in prima acie trucidatus eſt. Pater ira & dolore longius procedens, merſus eſt in paludem, & ibi perijt, moxq; Gallus Hoſtilianus,& Galli filius Voluſianus Imperatores creati,qui, vix completo biennio,cum aduerſus Aemilianum in Mœſia res nouas molientem cum exercitu profecti eſſent, ambo Interamnæ occiſi ſunt. Hinc Licinius Valerianus in Rhetia & Norico agens,ab exercitu Imperator,& mox Auguſtus eſt factus: Galienus quoq; Romæ à Senatu Cæſar eſt appellatus. Horum autem imperium Romano nomini pernicioſum, & pene exitiabile fuit, ita vt vel infelicitate Principum,vel ignauia,Germani Rauennam vſq; venirent. At Valerianus anno quarto imperij in Orientem contra Perſas profectus, & in Meſopotamia bellum gerens,à rege Perſico Sapore victus & captus eſt,qui aliquot annos, quoties equũ conſcendit,pedem ceruici Valeriani imponens, pro ſcabello eo vſus eſt. Tandem in extrema ſenectute viuenti cutem à ceruice, vt nonnulli aſſerunt, ad pedes detrahi iuſſit. Hic fuit exitus huius nobiliſſimi ac præſtantiſſimi viri, quem dicunt ex familia Romana, longe ſplendidiſſima, videlicet, Cornelia, oriundum fuiſſe. Hic autem intueri licet inſigne ac miſerabile fortunæ ludentis exemplum, atque humanarum rerum inconſtantiam,ſicuti etiam, vt de reliquis in præſentia ſuperſedeam, in Baiazete primo, Turcarum Rege, qui à Tamerlane ad Stellam montem in acie deuictum,victori itidem equum aſcendenti,dorſo ſubdito, ſcabelli vſum præſtitit. Quomodo autem in hoſtium poteſtatem deuenerit, varie narratur. Zoſimus primo libro ſuarum hiſtoriarum,de illo ſic memoriæ prodidit: Valerianus,inquit,intellectis Bithyniæ calamitatibus,ex diffidentia nemini ducum

Eiuſdem obitus, & filii cædes.

Hoſtilianus & Voluſianus, interfecti.

Valerianus creatur Imperator.

Idem capitur à Perſis, & fit exemplum humanæ calamitatis.

dncum credere defenſionem illius contra Barbaros audebat; ſed miſſo Felice, qui præſidio Byzantinis eſſet, ipſe, relicta Antiochia, ad Cappadociam vſq; progrediebatnr, & tranſitu duntaxat adtritis vexatiſque oppidis, pedem referebat. Cumq́; peſtis inuaſiſſet exercitus, eorumq́; maiorem partem ſuſtuliſſet, Sapores Orientem adgreſſus, in ditionem omnia redigebat. Interim Valeriano propter molliciem ac ſocordiã de ſubleuandis ad extremnm prolapſis rebus deſperante, dataq́ue pecunia, bello finem imponere volente, miſſos hoc nomine legatos, Sapores ab ſe, rebus infectis dimiſit, & ab ipſo Imperatore petiit, vt de negotiis, quæ ad eum pertinere viderentur, ſecum in colloquinm veniret. Ille, nulla prudentia poſtulatis adſenſus, & incõſultò cum paucis ad Saporem profectus, quaſi de pace cum eo collocuturus, ab hoſtibus ſubitò comprehenditur, & in hac fortuna captinus, apud Perſas viuendi finem fecit, maximo dedecore nomini Romano apud poſteros relicto. Hæc Zoſimus. Cæterùm Agathias lib. IV. tradit, hunc à Sapore viuum excoriatum, & inter cętera ſubiungit, hunc Saporem fuiſſe virum ininſtiſſimum, & humano ſanguine contaminatum, itaq; fermè inflammatum, & in ſæuitiam proruere ſolitum, ad parcendnm verò dandamq́; precantibus veniam, ſegniorem. Vtrum verò, inqnit, id ſcelus in alios prius patrauerit, nil habeo, quo affirmare id apertum queã. Quòd autem Valeriannm, tunc Romanorum Imperatorem, is, cui fuerat per hunc bellum illatum, victum ab ſe, viuumq́; captum eo modo excruciauit, (qno ſcilicet Choſroes, qui fuit temporib' Iuſtiniani, Nachoragan viuum excoriari iuſſerat) teſtis eſt omnis hiſtoria. Poſtremo addit hunc, omnium crudeliſſimum, vixiſſe vnum & triginta integros annos, & ingentibus iactutis Romanos affeciſſe, nimirum qui regem ſuum necando, nil denique ſibi ad eam rem impedimento fore præcogitarat. Eundem, imperium propagaſſe, quippe qui & Meſopotamiorum vaſtarit agrum, deinceps, finitimos quoſque, Cilices, Syros, Cappadoces vſque peruadentem, depopulatum eſſe, & incredibilem his cladem intuliſſe, atque adeo, vt abruptas illas & vacuas monrium intercapedines anfractuſque cæſorum repleuerit cadauetibus, complananerit colles, & loca editiora inter ſe diſtantia, ac poſtmodum ſic equitaſſe, & peruaſiſſe, ac ſi montium faſtigia in infimo deſcendiſſent. Hunc deinde, cum domum rediiſſet, nec mediocriter vteretur, qnæ per impietatem paraſſet, ſed immodica elatum iam inſolentia, haud longe poſt vt ſuperbire deſineret, Odenatũ Palmirinum coegiſſe, virum quidem tum primũ obſcuri plane incognitiq; nominis, ſed qui exillatis Sapori calamitatibus, & rebus aduerſus hunc geſtis, ingẽtem retulit laudem, & plæriſq; priſcis Hiſtoricis, vt dignus memoria, nobilitatus eſt. Hæc Agathias. Cæterum, priuſquam de Valeriano ſermonem abſoluam, omiſſis quæ de illo Sex. Aureli' Victor, Eutropius, Zonaras, Nicephorus, & plæriq; alij ſcriptores tradiderũt, ſubinngã quæ de ipſo Trebellius Pollio in literas retulerit. ſcribit enim, præfatnm Valerianum, ductu cuiuſdam ſui ducis, cui ſummã rerum commendauerat, in ea loca fuiſſe deductum, ſiue fraude, ſiue iniqua fortuna hoc euenerit, vnde nullis viribus, nullo conſilio, nullaque induſtria elabi potuerit. Sic itaque captum, ignobili, miſera ac perpetua ſeruitute apud Perſas conſenuiſſe, eoq; vitam, quo dictum eſt, exitu terminaſſe: quãquam amici Reges, Armeniorum Arthabeſtes, & Caduſiorũ, Valerius, & Belſolus, aliiq; finitimi Principes, Saporem regem, ea victoria nimis elatum, literis admonerent, ne abuteretur victoria. Quinimo & Bactrianos, Hiberos, Albanos & Thauroſcythas Romanis auxilia pollicitos fuiſſe pro liberando Valeriano: Saporem, literas, quas ad ſe de ea victoria dederat, aſpernatum. ſed cum Valerianus, inquit, apnd Perſas conſeneſceret, iam ſeptuagenario maior, Odenatus Palmirinus decurio, qui inter triginta quoq; tyrannos (tot enim numero iiſdem temporibus Romanum imperium ſupramodum afflixerant & dilacerauerant) connumeratur, collecto exercitu, agreſtiumq; manu, rem Romanam quæ vndique ruinam minabatur, egregie tutatus eſt, ac labore vigiliiſq; in priſtinum prope ſtatum repoſuit. Nam Regis theſauros, regiaſque concubinas, quas theſauris chariores rex Perſicus habebat, ſui iuris fecit. Qnocirca timore perculſus Sapor, ſeſe quam citiſſime

Saporis crudelitas.

Odenatus Palmirinus.

Odenati Palmirini victoria contra Perſas.

in ſuum regnum recepit, cùm præſertim Baliſtæ Valeriani quondam præfecti exercitum, qui ſeſe Odenato aſſociauerat, pertimeſceret. Iam enim Odenatus cum vxore ſua Zenobia imperium Orientis multa & fortuna, & virtute à Romanis partum, occuparat. Quod niſi aſſumpſiſſet, in Oriente res omninò perditæ eſſent. Cæterùm viriliter ac intrepidè contra Perſas bellum gerens, Niſibin primùm, & Orientis pleraque cum omni Meſopotamia in poteſtatem recepit, & deinde ad Cteſiphontem vſque profectus, Saporem cum liberis in fugam vertit.

Eiuſdem interitus. Zenobia. Poſt hæc, compoſito maiori ex parte Orientis ſtatu, à conſobrino Mæonio, qui & ipſe imperium ſumpſerat, vnà cum filio Herode interfectus eſt. Hoc viuis ſublato, Zenobia, virilis animi, eximiæque virtutis ac fortitudinis fœmina, non ſecus ac Semiramis, duxit exercitum, & contra Perſas feliciſſimè dimicauit.

Gallienus Imperat. Dum inter ſeſe Romani duces ſub P. Aurelio Licinio Gallieno Valeriani fratre, ſiue, vt aliis placet, filio, qui Caligulæ ac Vitellio ſimillimus, Romanum Imperium per annos vndecim turpiſſimè ac fœdiſſimè adminiſtrauit, belligerantur, Dei Eccleſia non mediocriter adaucta eſt. Multi enim libentius amplexi ſunt doctrinam de vero Deo, cùm viderent ſcelera, furores, & pœnas impiorum Principum, qui idola defendebant. Simul autem, vt fit in confuſionibus imperiorum, praua ingenia ſparſerunt impias opiniones. Ac præcipuè duæ furiæ diuerſis *Manes Perſa, vnde Manichæi.* locis valdè pernicioſæ ac exitiabiles fuerunt. Manes in Perſea, à quo Manichæi nominati ſunt, & Paulus Samoſatenus Antiochiæ. Attigit Aureliani tempora vterque. Impoſturæ autem diſſimiles extiterunt. Manichæa pugnans cum iudicio rationis, & ciuili conſuetudine vitę, abſurda, monſtroſa, barbarico ſpectro ſimilis, ſeu Chimæræ, ſeu Empuſæ, conflata ex Stoicis deliramentis, & fanaticis furoribus, ac ſimulatis afflatibus. Samoſatenica verò, vt bella meretricula, fucata philoſophicis coloribus, laſciuiens, & blandis illecebris inuitans curioſa ingenia, non tunc primùm nata, ſed antea Plotini diſputationibus Alexandriæ comta. Porrò extant vetuſtæ refutationes ſcriptæ ab Irenæo contra Marcionem, & ab *Manichæorum præcipua dogmata.* Auguſtino contra Manichæos, quotum hæc pręcipua capita fuerunt, Videlicet, duo principia eſſe pariter æterna, & inter ſe pugnantia, Bonum & malum. Bonum nominarunt lucem; malum, tenebras, & materiam, quam dixerunt malorum omnium cauſam eſſe. Ortos à malo, nominarunt χοϊκοὺς καὶ ὑλικούς. Hos dixerunt, qui haberent ſemina malæ materię, neceſſariò ſceleratè facere, nec poſſe ad Deum conuerti. Contrà verò, ortos à bono Deo, neceſſariò rectà facere, nec damnari eos poſſe, quia ſint in eis lucis ſemina. Nec teneri eos lege, etiam cùm contraria legi faciant, quia lex tantùm iudicet ortos à materia. Ita docuerunt omnia neceſſariò fieri, bonas & malas actiones, & prorſus nullam eſſe humanæ voluntatis libertatem in bonis & malis actionibus, interioribus, & exterioribus. Hic Manes præter cętera, Solem & Lunam, diuinum quiddam eſſe putauit, ac de eis multa ſilentio digna portentosè confinxit. Dæmonem, nunc materiam, nunc materiæ principem vocauit. Coniugium, diaboli legem & conſtitutionem eſſe dixit. Dominum autem, neque animam, neque corpus recepiſſe, ſed hominem tantùm viſum eſſe, nihil humani habentem, aſſeuerauit. Perpeſſiones verò, ei per ſpeciem duntaxat & fucum accidiſſe. Reſurrectionem corporum, veluti fabulam repudiauit. Animarum autem tranſitiones è corpore in corpus, & quidem etiam in volucrum, & pecorum, & ferarum corpora, docuit. Cuius ſectatores etiam elementa omnia animata eſſe arbitrati ſunt. Horum autem præcipui, tres fuiſſe dicuntur, videlicet, Addam, Thomam, & Hermam: ex iis, Addam ad Syros, ad Indos autem Thomam miſiſſe pręcones. Qui reuerſi, cùm ſe dicerent, multa dura paſſos eſſe, neque quenquam doctrinam eius recipere voluiſſe, eò temeritatis atque impudentiæ deuênit, vt ſeipſum Chriſtum nominaret, & Spiritum ſanctum, aliumque Paracletum miſſum eſſe diceret. Et duodecim ſecum ducens diſcipulos, in Meſopotamiam peruênit, Perſarumque regnum peragra- *Manes trucidatur à rege Perſarum.* uit, ac temerario impotentique animo cùm ſe pro medico venditaret apud regem Perſicum, eiusq; filium in curatione ſeu dolo, ſeu inſcitia necaſſet, rex Perſarum cutem ei detrahi iuſſit, atque ita nudus canibus eſt obiectus. Hoc exitu

Manes

Manes vitam terminauit. Ipſius autem hæreſis ſeſe per multas prouincias & regiones longe lateq; diffudit, & præſertim in Perſia, ita ſane, vt maior fere pars indigenarũ hoc peſtifero ac exitiabili veneno infecta fuerit. Huius ſectæ profeſſores, feſtum omnium apud ſe celeberrimum, quod vitiorum vocabant interitũ, peragebant, in quo & ſerpentium plæraque, & qnorumuis animantiũ, quæ feta & ſolitaria ſunt, interficere, & magicis offerre conſueuerant, perinde ac inſigne aliquod pietatis argumentũ; hac via ſe arbitrati, Hornuſdati quod bonum appellabant, gratã operam exhibere, moleſtiam vero, & perniciẽ Arimano, pernicioſo ac peſſimo dæmoni, qui bono aduerſaretur. Aquam in primis venerabantur, adeo vt ne hac quidẽ faciẽ abluerent, nec eam quoquo pacto attingerent, ſiue potandi gratia, ſiue arbores irrigandi, ſeu aliqua alia ratione. Quin etiam deos alios plerosq; nuncupabãt, & Græco ritu propitiabant. Vtebantur præterea ſacrificijs, purgationibus, oraculiſque, & his quidem Græcorũ more. Ignem vero precioſiſſimum & ſanctiſſimum cenſebant, quem, in ædiculis quibuſdam, vt ſacris ſemotiſque, Magi perennem ſeruabant, eundemque, dum intenti cuſtodirent, arcana peragebant ſacra, & de futuris interrogabant. Hæc, & multa his conſimilia ab eis fiebant, præter & contra expreſſum Dei verbum, & plurimos mortales in ſuam ſententiam abduxere. Cæterum, ne in his ſathanicis & monſtroſis erroribus diutius immorer, ad ſuſceptum ordinem reuertar.

In Italia, poſtquam Gallienus Imperaror prope Mediolanum à Cecropio Dalmata interemptus eſſet, à Romano exercitu Flauius Claudius Cęſar renuntiatus, & à Senatu in eodem imperio confirmatus, regnauit annum vnum & menſes nouem, eique ſucceſſit Valerius Aurelianus, vir militari virtute excellens. Hic, præter cætera, duxit exercitum aduerſus Zenobiam, quæ Syriam & loca finitima in ſua poteſtate retinebat. Cum ea congreſſus, aliquot prœlia infeliciter geſſit. Tandem circumſeſſa Palmyra, cum Zenobia ex ea vrbe in loca tutiora diſcederet, conſpectam in eo itinere Aurelianus cepit. Viua Romam perducta eſt, vbi in triumpho ſplendidiſſime ornata, currum Aureliani, in magna turba captiuorum, cum filijs & filiabus anteceſſit. Poſtea conceſſum eſt Zenobiæ, vt Romæ, more priuatę matronæ cum filiabus viueret. Hic deinde, compoſito vrbis ſtatu, rebuſque omnibus rite conſtitutis atq; ordinatis, in Galliam ſe cõtulit, & Vindelicos Barbarica obſidione liberauit, ac etiam Monetariorum bellũ compeſcuit. Deinde cum per Illyricum iret, contra Perſas iterum pugnaturus, quod Zenobię auxilium tulerant, magnum cogens exercitum, apud Cænophrurium, qui locus eſt inter Heracleam & Byzantium, malicia notarij ſui, & manu Mucaparis interemptus eſt, anno ſexto imperij : ab orbe autem condito quater milleſimo, ducenteſimo, viceſimo quinto: anno Romę milleſimo viceſimo tertio : à Chriſti vero natiuitate, anno ducenteſimo, ſeptuageſimo tertio. Huius extat epiſtola militaris, ad vicarium ſuum data, præclaras leges militares continens, quam hîc inſerere non grauabor.

Flauius Claudius. *Val. Aurelianus.* *Eiuſdem victoria cõtra Zenobiam.* *Aureliani cædes.*

SI vis, inquit, tribunus eſſe, imo ſi vis viuere, manus militum contine. Nemo pullum alienum rapiat. Ouem nemo contingat. Vuam nullus auferat. Segetem nemo obterat. Oleum, ſal, lignum, nemo exigat: Annona ſua contentus ſit. De præda hoſtis, non de lachrymis prouincialium habeat. Arma terſa ſint, ferramẽta ſamiata, calciamenta fortia, veſtis noua veſtem veterem excludar. Stipendium in balteo, non in popina habeat. Torquem, brachialem & annulum apponat. Equum ſaginarium ſuum defricet. Captum animal non vendat. Mulum cẽturiatũ comiter curet. Alter alteri, quaſi ſeruus obſequatur. A medicis gratis curentur. Aruſpicibus nihil dent. In hoſpitijs caſte ſe agant. Qui litẽ fecerit, vapulet.

Eiuſdẽ epiſtola ad ſuum vicarium. *Exemplum ſeueritatis.*

Flauius Vopiſcus tradit, hunc Aurelianum ſceleratis militibus tanto fuiſſe terrori, vt poſteaquam ſemel cum ingenti ſeueritate caſtrenſia delicta correxerat, nemo deinde peccare auderet. Militem, qui adulterium cum hoſpitis vxore commiſerat, ita puniuiſſe, vt duarum arborum cacumina inflecteret, quæ ad pedes militis deligaret, eademque ſubito dimitteret, vt diſtractus, vtrinque penderet. De hoc itidem Imperatore in literas relatum eſt, cum Tyanam veniſſet, eam-

Eiusdem in victoria moderatio.

que occluſam reperiſſet, iratum dixiſſe, Canem in hoc oppido non relinquam. Hac voce milites erectos fuiſſe in ſpem prædæ, & Heradamum Tyanenſem, metu, ne cum cæteris occideretur, prodidiſſe ciuitatem. Qua capta, ipſum Aurelianum, Heradamonem patriæ proditorem, occidiſſe. Militibus vero ex Cæſaris promiſſis direptionem oppidi flagitantibus, reſpondiſſe: Agite, canem me negaui relicturum, canes omnes interficite. Hoc pacto & proditori mercedem rependiſſe, & militum auaritiam eluſiſſe. Videtur autem hic ſermonis color, vt hoc etiam obiter adiungam, ſumptus ab Hebræis, in quorum literis reges qui minantur internecionem, negant ſe quenquam relicturos, vſq; ad mingentem ad parietem: canem hac periphraſi ſignificantes. Hunc etiam perhibent, petenti vxori, vt ſe vnico pallio ſerico vti ſineret, reſpondiſſe: Abſit, vt auro fila penſentur. Libra enim auri tunc libra ſerici fuit.

Annius Tacitus. *Florianus.* *Valerius Probus.*

Poſt Aureliani interitum, Annius Tacitus conſenſu Senatus ac militum, Cæſar deſignatus fuit, qui tantummodo ſex menſes regnauit, mortuus in vrbe Tarſo, eiusque frater, ex alio tamen patre, Florianus, dominandi cupiditate impulſus atque incitatus, imperium tanquam hæreditarium inuaſit, quod fatis concedens, vix duobus menſibus tenuit. In cuius locum Valerius Probus, vir illuſtris gloria militari, multíſque heroicis virtutibus clarus, communibus ſuffragiis totius exercitus ac ſenatus ſuffectus eſt. Is, præter multas inclytas & inſignes victorias ex variis ac diuerſis nationibus cum æterna ſui nominis laude, maximóque Romanæ Reipub. beneficio adeptas, Perſas & Parthos ita exterruit, vt ad eum legatos mitterent, pacem efflagitantes, quam etiam per id quidem tempus benignè conceſſit. Cùm verò ipſi, haud multo pòſt, res nouas molirentur, illis bellum inferre ſtatuit. Cæterùm fortuna eius conatibus obſtitit. Cùm enim per Illyricum iter faceret, à ſuis militibus per inſidias interemptus eſt anno VI. Imperij. Hic laudatiſſimus Imperator non patiebatur militẽ eſſe ocioſum, ſed multa opera militari manu perfecit, dicens: Annonam gratuitam militem comedere non debere. Idem, cùm multa Barbarorum loca purgaſſet latrociniis, vbi perueniſſet ad Iſauros, dixit, ab illis locis facilius arceri latrocinia, quàm tolli: Sentiens dandam eſſe operam ne latronibus illuc eſſet aditus, néve iuuenes latrocinia diſcerent. Itaque loca omnia, quæ anguſtum habetent aditum, veteranis conceſſit; addens, vt eorum filij ab anno decimo octauo ad militiam mitterentur, ne antè prædari diſcerent, quàm militare. Hoc tum rectè Probus, cum multum intereſſet, inquit Vopiſcus, inter militiam & latrocinium. Huic etiam cùm equus eſſet oblatus, qui ob miram currendi velocitatem admodum laudaretur, (centum enim ad diem millibus paſſuum currere dicebatur, credentibus hoc vniuerſis) Fugitiuo, inquit, militi potius hic equus, quàm forti conuenit.

Perſarum legatio ad Val. Probum, pro pace. *Probi interitus.*

Carus Narbonenſis.

Probo ſucceſſit Carus Narbonenſis, qui vt primum ab exercitu Cæſar renuntiatus fuit, imperiíque molem ſubiit, conſenſu omnium militum, bellum Perſicum, quod Probus parabat, cum omni militari apparatu aggreſſus eſt, liberis ſuis Carino atque Numeriano prius Cæſaribus nuncupatis. E quibus, Carinum ad Gallias tuendas miſit, recepto ſecum Numeriano. Confecto autem bello Sarmatico in Pannonia, vbi tum Sarmatæ Pannoniam vaſtabant, in Italiam ſeſe irrupturos minantes, ſexdecim millibus interfectis, & diuerſi ſexus viginti millibus captis, inter eundum ad Perſas cum totis Probi viribus, recepta Meſopotamia, Cteſiphontem peruenit: & niſi fulmine ictus concidiſſet, ingentem omninò victoriam à Perſis reportaſſet. Nonnulli in literas retulerunt à præfecto ſui prætorij Apro, qui & ipſius, & filij exitium quærebat, vt ipſe imperaret, longius abductum, donec in morbum caderet. Interim ſæua atque atroci tempeſtate exorta, immani corruſcatione ac immaniori tonitru exanimatum eſſe. Vnde quidam dixerunt, in fatis eſſe, Romanum Principem Cteſiphontem non tranſire: imò Carum fulmine abſumptum, quòd fines fatales transgredi tentaſſet: Cecinerant enim vates antiquiſſimi: Romana arma Cteſiphontem tranſire neſas eſſe: & duces qui auſi fuiſſent, pœnas daturos. Putant M. Craſſum id cogitantem, cum exercitu periiſſe. M. Vlpium Traianum, transgredi auſum, Italiam non repetiiſſe,

Idem fulmine ictus perit.

petijſſe,& quinque Prouincias trans Tygrim ſtatim amiſiſſe: ſatiuſq; fuiſſet, iter non rentaſſe. Legiones longo labore attriuit,& fere conſumpſit. Et quamuis victor longius produxerit terminos,tamen non multum profecit:dubium, an ſic voluentibus fatis,an culpa ſucceſſoris Adriani. Cteſiphontem cupiens tranſire, ſuperato Tygride, Valerianus,à Sapore Perſarum rege, vt antea commonſtrauimus,captus eſt. Verum Odenatus Palmirinus victor Romanæ maieſtatis, Cteſiphontem vſque trans Tygrim peruenit. Carus Imperator exercitum Probi Sarmatico bello late victorem duxit in Perſida,hoſtile regnum vaſtauit: Seleuciam cinctam Euphrate , quam olim ceperat Aelius Verus Antoninus, expugnauit. Deinde Cteſiphontem petentem,& longius progredi volentem,vel morbus,vel ictus fulminis cœlo turbido & coruſcante,abſumpſit. Sed oracula plerunque aut vana,aut credentes ſæpius eludunt. Galerius enim,vt infra oſtendetur,Cteſiphōtem tranſiult,& Romanos fines auxit & dilatauit. Caro imperij anno ſecundo, vitæ muneribus defuncto,traditæ ſunt rerum habenæ eius filio Numeriano, qui comes patri bello Perſico fuit , & nimio fletu ob paternam necem ſibi oculos corrupit. Proinde cum oculis æger eſſet,eique aer & vigilia in bello Perſico plurimū obeſſent, occluſa lectica ferebatur. Arrius Aper,cuius filia nupſerat Numeriano,imperium affectans,illum,nihil huiuſmodi ſuſpicantem , occidit: fœtore tamen cadaueris homicidium eſt proditum,Aperque inuaſus , quem Diocletianus,educto gladio,mox iugulauit. Carinus autem,alter Cari filius,vbi Diocletianum audiuit ab exercitu in Perſide Imperatorem electum , cum exercitu contra eum progreſſus,& multis tandem prœlijs apud Mergam in Dalmatia victus, occubuit. Sex. Aurelius tradit,Carinum trucidatum eius tribuni dextra,cuius dicebatur vxorem polluiſſe.

Numerianus electus Imp. ab Arrio Apro interficitur.

Carinus vincitur à Diocletiano.

Diocletianus interim,profligato ac prœlijs victo Carino, Auguſtus eſt appellatus,& à Senatu magno honore exceptus. Cum autem in diuerſis mundi partibus inſignes excitarentur tumultus ac vndique plures tyranni inſurgerent, in Gallijs,Britannia,Aegypto,ac Italia , Maximianum Imperij conſortem elegit, quem Cæſarem & Auguſtum , mox Conſtantium , & Galerium Maximianum Cæſares fecit. Pacatis demum in Occidente rebus,atque in Aegyptum profectus, illam breui ſub Romani imperij priſtinam fidem atque obſequium reduxit, & aduerſus Arabas expeditionem parauit. Cæterum ad res in Oriente turbatas ſedandas, Galerium Maximianum cum exercitu præmiſit. Narſeus enim rex Perſarum, Varranis ſecundi filius,& Varracis nepos,qui Varranem primùm patrem, Hormiſdam auum,Saporem abauum,& Artaxarem atauum habuit,tum Armeniam,ac Meſopotamiam bello laceſſebat,pluribus regibus Sironitarum & Albanorum,multiſque regulis propinquis in auxilium vocatis. Contra hunc iuuenili ardore progreſſus Galerius,primum æquo Marte pugnauit. Vnde animoſior factus,dum contra tantam multitudinem inconſultius progrederetur, haud longe à Carris victus , omnem pene amiſit exercitum. Atque hinc per Syriam ad Diocletianum venit,ad quem antea aduerſi belli fama peruenerat, cui poſt cladem acceptam,ante Carpentum per mille paſſus currere conatus eſt , veluti homo gregarius,priuſquam audiretur. Quem vbi Princeps minis acerrime caſtigaſſet,hac contumelia quaſi cote vſus eſt ad virtutem. Itaque refecto ſupplemento ex lectiſſimis militibus Daciæ,Illyriæ ac Mœſiæ, contra Perſas feliciore auſpicio profectus,vt ignominiam aboleret , omnia prius diligentius explorauit, quam manus conſereret. Reperto autem hoſte in maiori Armenia , noctu caſtra hoſtilia de improuiſo cum viginti millibus equitum adortus,ingentē Perſarum multitudinem felici victoria ſtrauit,dedecus aboleuit , fineſq; Romani imperij longius produxit. Nam totam Aſſyriam expugnata Cteſiphonte cepit,& quinq; Prouincias Tranſtigrytanas , quæ ſtatim redeunte ad vrbem Traiano defecerant, ſubegit,& imperio adiunxit. Fugatus vulneratusq; Narſeus, ad inuios Parthorum montes receſſit: Regiæ proles, vxores, ac ſorores captæ ſunt. Perſarum nobilitas abducta,reguli & duces triumpho reſeruati. Ictum eſt fœdus,vt Perſæ ab Armenijs,Meſopotamia,Aſſyria,notiſque prouincijs abſtinerent. Victor Galerius

Diocletianus renunciatur Cæſar.

Narſeus rex Perſarum.

Eiuſdem victoria & clades.

Fœdus inter Perſas & Romanos.

ad Diocletianum, qui cum firmiſſimo ſubſidio in Meſopotamiam conceſſerat, vt Romanis animum, & hoſti terrorem præberet, peruenit ouans, ingenti honore ab eo ſuſceptus, & poſt, Auguſtus appellatus. Diocletianus interim, rebus toto Oriente compoſitis, Europam repetijt. Hunc tradunt hiſtorici primum extitiſſe, qui regiæ conſuetudinis formam magis quam Romanæ libertatis, inuexerit, ſeque primum adorari, & pedes exoſculari iuſſerit, cum ante eum cuncti ſalutarentur, quibus etiam venerationem adhibuit, exornans calceamenta auro, gemmis, & margaritis. Nam prius Imperij inſigne in chlamyde purpurea tantum erat: reliqua vero cum cæteris communia. De hoc autem poſteris ac memoriæ traditum eſt, ipſum, pacato demum orbe, poſt annorum imperium 20, apud Nicomediam ſponte Imperiales faſces reliquiſſe, atque in proprijs agris conſenuiſſe. Rem ſane miram, & ad eam ætatem incognitam, vt nec prægrauante ſaltem ſenecta, vel rerum mole, ex tanto faſtigio, ad priuatum vitæ ſtatum remearet, ac ſeſe vltro in ordinē redegerit. Qui dum ab Herculio atq; Galerio, ad recipiendū imperiū rogaretur, tanquā peſtem aliquam deteſtans, in hunc modum reſpondit: Vtinam Salonæ poſſetis viſere olera noſtris manibus inſita, profecto nunquā iſtud tentandum iudicaretis. Itaq; per decem annos, quot priuatus Salonis ſuperfuit, hortorum amœnitati vacans, à priuata vita abduci non potuit, teſtatus, nullos ſibi vnquam Soles lætiores affulſiſſe. Maximianus quoque, Mediolani imperium eadem die depoſuit. Sed Diocletianus certe conſtantius in propoſito permanſit, eique contigit quod nulli poſt natos homines, vt, cum priuatus obijſſet, inter Diuos tamen referretur.

Diocletianus ſponte abdicat ſe imperio.

Vbi autem vterque ſimulque Maxentius & Maximianus imperare deſierunt, imperium ad collegas, nempe, Conſtantinum, & Licinium deuolutum fuit. Initium autem imperij Conſtantini collocatur paulo ante Maxentium, videlicet, in annum mundi quater milleſimum, ſeptuageſimum ſecundum: Annum Romæ milleſimum ſexageſimum: Annum Chriſti treceenteſimum decimum. Sunt ergo ab initio Diocletiani ad hunc annum qui fuit initium Conſtantini Magni, viginti duo anni. Hic fuit primus, qui relicto Occidente, imperium in Orientē tranſtulit, & regnauit annos triginta duos, minus duobus menſibus, vixitq; annos 66. Iam ſenex, Perſis Meſopotamiam diripientibus, bellum indixit, & copias ad hanc expeditionem paratas eduxit, claſſeq; tranſuexit. Ipſe interea, Sotiropolim vrbem, Pythiam antea vocatam, petijt, vt ſenile corpus calidis aquis foueret, & languidas vires inſtauraret. Priuſquam vero ſe ablueret, medici pharmacon dedêre. Cæterum miniſtri ab affinibus pretio corrupti, nocua immiſcuêre. Ille, nihil doli ineſſe ſuſpicatus, poculum ebibit, & mox incidit in morbum, quo ingraueſcente, ductus eſt in villam publicam prope Nicomediam.

Conſtantinus Imperator.

Conſtantinus iunior, qui exercitum aduerſus Perſas Antiochiæ colligebat, de aduerſa patris valetudine certior factus, Nicomediam aduolauit, vt patet diligentius curaretur. Sed intrinſecus abſumente veneno, medicorum fomenta nihil profuere, atque ita extinctus eſt, & Byzantium regale funus perductum. Denuntiata mors eius etiam per crinitam ſtellam, quę inuſitatæ magnitudinis aliquandiu fulſit. Imperij ſucceſſores tres filios reliquit, ſcilic. Conſtantinū, Conſtātem, & Conſtantium, quib. etiā Dalmatium, Anniballiani fratris filium, adiunxit. Ex his Conſtantius, cui in partitione imperij Oriens ceſſerat, cōtra Perſas improſpera fortuna prœliatus eſt.

Eiuſdem obitus.

Cometa.

Conſtantini ſucceſſores.

Cæterum antequam inſtituti argumēti ſeriem proſequar, neutiquam alienum ab re fuerit, ſi breuiter annotauero tempora, quibus Perſica gens, diſcuſſis veteris erroris tenebris, diuini numinis fauore, ad meliorem mentem vocata ſit, & Chriſtianam religionem ſuſceperit. Quamuis maior pars Romanorum Imperatorum à Tiberio vſque ad Diocletianum, & Maximianum Herculeum, Chriſtianæ fidei, eiuſque profeſſori, longe infenſiſſima extiterit, atque illos varijs ſupplicijs & cruciatibus affecerit, nullus tamen eorum tam atrociter in eos deſæuijt, ac debacchatus eſt, quam hi duo prænominati Cæſares. Hi namque, pacatis iam omnibus Prouincijs, cum circiter decem annos regnaſſent, Nicomediæ conueniunt, & de delendis Chriſtianis deliberant: quia diſſenſio religionis magnas diſcordias in familijs, & in imperio pariebat. Et

Diocletianus & Maximianus acerrimi hoſtes Chriſtianorum.

quia

quia inter ipſos Chriſtianos multa diſſidia erant, diuulſos inter ſeſe facilius opprimi poſſe ſperabant, iuxta dictum: Concordia paruę res creſcunt, diſcordia maximæ dilabuntur. Erant enim multi transfugæ, & alij ſycophantæ inter eos, qui tanquam furiæ incitabant & armabant Imperatores. Durauit autem hæc ſæuitia circiter decennium, & numerari poteſt inter exempla diuinæ crudelitatis, præcipua, quæ Eccleſia ſenſit, qualem in Aegypto Pharaonis tempore, & deinde Antiochi, experta eſt. Edictum propoſitum, ſimile Antiochi edicto: Vt omnes homines vbique ſacrificarent Dijs Imperatorum: non ſacrificaturi, afficerentur ſupplicijs, & vt templa, & libri delerentur. Nulla magna vrbs fuit, in qua nō quotidie circiter centum raperentur ad ſupplicia. Conſpectum eſt, beſtias pepercisse multis, qui eis obiecti erant: Abſtinuiſſe etiam ſanctorum cadaueribus. Ita oſtendit Deus, belluas mitiores tyrannis. Et tamen eæ ſæpe lacerarunt ipſos carnifices, & impios ſpectatores. Annotatum eſt in vno menſe ad ſeptendecim millia in diuerſis locis interfecta fuiſſe. Hæc fiebant Diocletiani, Maximiani & Maximini crudelitate: poſtea etiam Maxentij. At Conſtantius, qui Galliam, & Germanias regebat, non fuit huius ſæuitiæ ſocius, ſed Chriſtianis in hac parte imperij quam ipſe tenuit, pepercit. Huius filius Conſtantinus, apud Diocletianum militabat in Aegypto, vbi & ipſe, & Maximianus, inſidias ei ſtruxerunt, vt eum è medio tollerent, ſed effugiens, redijt ad patrem in Galliam. Ita cum in Aſia, Syria, & in Italia nobiliſſimi homines contrucidati eſſent, & multæ vrbes ad vaſtitatem ac ſolitudinem redactæ, Diocletianus & Maximianus imperium vno die, vti antea recenſuimus, volentes depoſuerunt, vel dolore, quod perfici non poſſe viderent ea quæ moliti fuerant, vel metu Conſtantini, qui Maximianum Maſſiliæ interfecit, nec multo poſt, huius filius Maxentius ad pontem Miluium ab eodem deuictus, cum magna multitudine in flumine ſubmerſus perijt. Conſtantinus, his duobus tyrannis ſublatis, atque Occidentali imperio potitus, pacem in Occidente reſtituit, aboleuit decreta tyrannica, Chriſtianos iniurijs affici prohibuit, & in prouincijs iudicia & præſidia ordinauit. Interea cum Licinio tenente Illyricum, quem Maximinus Cæſarem nominauerat, fœdus contraxit, eique ſororem Conſtantiam vxorem dedit, ac deinde illum miſit in Aſiam contra Maximinum, qui ad Tarſum in acie ſuperatus, phthiriaſi inter ſæuos cruciatus perijt, cum examina vermium ei in inguinibus nata eſſent. Deuicto Maximino, Licinius Orienti præfuit: qui, poſt imperium adeptus, impotenter ac tyrannice regnare incepit, adeo vt tandem Conſtantinus filium ſuum, Criſpum nomine, cum ingenti exercitu contra eum miſerit, quem ad vrbem Adrianopolis magno prœlio vicit, ipſeque ex Europa aufugit in Bythiniam, & rurſus exercitum collegit: ſed ibi quoque victus, pacem petijt, miſſa ad victorem ſorore ipſius Conſtantia, quæ vitam Licinio marito impetrauit, ſed ita, vt priuatus Theſſaloniæ cum coniuge viueret. Aliquanto poſt, cum nouos motus excitaret, à Conſtantini prę̨ſide Theſſaloniæ interemptus eſt. Extinctis igitur quinque tyrannis Diocletiano, Maximiano, Maxentio, Maximino, & Licinio, tenet Monarchiam ſolus Conſtantinus, qui, cum leges & iudicia deleta eſſent, & non ſolum bellis ciuilibus, ſed etiam ſæuitia, quam tyranni aduerſus Chriſtianos exercuerant, vaſtatæ eſſent prouinciæ, victor Conſtantinus & Eccleſias & imperium reſtituere cepit, & rurſus Chriſtianorum templa erigi, & reditus paſtoribus attribui iuſſit. Sub hoc igitur præſtantiſſ. atque Chriſtianiſſ. Principe Chriſtiana Religio per varias orbis partes mira incrementa ſuſcepit, adeo vt diuerſi populi & Nationes Seruatori noſtro certatim nomina darent, & patrijs ritibus poſthabitis, puriorem doctrinam amplecterentur. Conſtat enim huius potiſſimum temporibus, non modo Italos, Germanos, Gallos, Britannos, Celtas, qui vltimi ad Oceanum habitant, Gothos, & finitimas eis nationes, Iſtrum incolentes, verum etiam Iberos, interiorem Armeniæ partem, ad Septentrionem, & Euxinum verſus, inhabitantes, Indoſque, & Armenios, falſis cultibus reiectis, ad veram fidē certamque diuini verbi cognitionem perueniſſe, atque illam ſummo ardore, & incredibili animorū conſtantia ad ſupremum vſque vitæ halitū retinuiſſe. Nec longe poſt, per

Conſtantius & Conſtantinus eius filius, fuere maximi fautores Chriſtianæ Relig.

Maximianus & Maxentius tragicum exitum ſortiti ſunt.

Licinius vincitur in acie à Criſpo f. Conſtantini, & tandē interficitur à præſide ipſius Conſt.

Sub Conſtantino Chriſtiana Religio mirum in modum florere cœpit.

Perſæ, quibus temporibus Chriſtianam fidem amplexi fuerint.

finitimos populos, ad plurimos alios hæc doctrina permanauit, à quibus & ad Perſas eandem pet id tempus detiuaſſe pethibetur. Nonnulli etenim ex Perſis, cum Oſroënis & Armenis familiatius agentes, & cum ſanctis quibuſdam viris vetba conſerentes, paulatim virtutem illorum experti, ad vitæ eorum æmulationem tacite fetti, & Chriſtianiſmum amplecti cepère. Vbi autem ptogreſſu temporis eorum numetus augeſcetet, Eccleſiæ conſtructæ: miniſtrotum ordo inſtitutus, aliaque, quæ noſtrorum ſunt ſacrotum, peracta, non mediocrem ea res Magis attulit plagam, Ij enim antiquitus, veluti familię quędã, ad quã ſacerdotiũ pertineret, rem diuinam ptocurabant. Quin & Iudæi tum ibi degentes, qui iamdudum ingenti odio atque inuidia aduerſus Chriſtianæ fidei ptofeſſotes, flagrabant, Magis admixti, ambo Sapotem ea tempeſtate in Perſide regnantem, aduerſus Chriſtianos mirum in modum inflammatunt, ita ſane, vt eos omni ſuppliciorum genere petſequeterur, nec illis etiam parceret, qui ſibi antea longe chariſſimi extitetant, quiq; apud eum ſumma gratia & auctoritate pollebant, ſicuti Vſthazanes eunuchus, ipſius olim Sapotis pædadogus, qui eo tempore ptimum in regia dignitatis locum obtinebat. Quę omnia luculenter videre eſt apud Nicephorum lib. 8. & cap. 36. ac etiam duobus alijs ſubſequentibus. At cap. 38. eiuſdem libri, infert Conſtantini epiſtolam ad pręfatum Saporem ſcriptam, quam hîc ſubijcere non grauabot: POSTEAQVAM autem, inquit, laudatiſſimus Imperator, Chriſticolas ibi ita affligi intellexit, ægre id fetens, magnopete eſt perturbatus: & patatus quidem ad opem illis ferendam erat, ſed quod faceret, vt illi eo quoque loco quietam ducetent vitam, non habebat. Sed enim accidit, vt legati tum ex Perſide ei adeſſent, quorum optatis cum ſatisfeciſſet, rectè ſe ſactutum putauit, ſi Sapori de Chtiſtianis qui ſub eius tegno eſſent, quidquam etiam ſignificaret. Itaque epiſtolam ad eum, dignam profecto illam, quæ maxime celebrerut, dedit: maximam ſe illi debiturum eſſe gratiam oſtendens, ſi quietem eis qui ſacra Chtiſti coletent, permitteret. Neque eſſe quod religionis eius cætemonias criminatetut. quippe illos non victimis mactatis, quemadmodum ipſos, ſed incruentis gaudere ſactificijs: & preces ad Deum fundere, cui non effuſus ſanguis gratus eſſet, ſed anima virtutem ſincete exhibens, & dogmata veræ pietati maxime conuenientia. Proinde laudandos eos eſſe magis, qui ſibi ita credendum, Deumque colendum ſtatuetent. Ad hæc, Deum illum habiturum eſſe propitium reecpit, ſi Chriſtianotum pietati conſulendum putatet. Ad quæ, ad id indicandũ, Galienum illum & Valerianum, præterea veto ea quæ ſub ipſo accidiſſent, produxit. Illos enim tantiſper dum Chriſtianos quieſcere paſſi eſſent, facile imperij cutſum tenuiſſe: eoſdem autem, potiſſimum vero Valerianum, poſteaquam ſicuti reliqui Imperatores Romani, perſecutionem aduerſus Chriſtianos excitaſſet, ab ipſis Perſis victum, in diſcrimen diuinæ vltionis incidiſſe, & apud eos captiuum miſere vitam finijſſe. Sed enim ſibiipſi, propter fidem in Chriſtum, Deum opitulatorem fuiſſe, omnemque inde Romani impetij ditionem ab ipſo vſq; Occidentali Oceano, cum bona Orientis parte, in poteſtatem ſuam perueniſſe: multa à ſe bella confecta, & de grauibus tyrannis diuino nutu trophęa eſſe ſtatuta. Ad quas tes nihil ſibi opus fuiſſe hoſtiarum mactatione, vel vatum ariolorumque prædictione: ſed ad victoriam omnem ſatis fuiſſe, ſolam Crucis, quæ copijs ſuis præiret, armaturam, & orationem prætetea, ſanguinis prorſus expertem. Ad finem porro epiſtolæ hæc etiam verba affert. Hoc hominum genere, Chriſtianorum dico, (de his enim mihi eſt ſermo omnis) quomodo me elatum iri lætitia putes, ſi audiam, Perſarum quoque tes florentiſſimas, pro eo atque cupio, plurimum ęxornari? vt tes ſimul & tibi pulcherrime, & illis itidem optime, atque ita vtriſque ex æquo feliciter eant. Sic namque vniuerſitatis huius Deum clementem habiturus eſſes, & benignum. Hos igitur, quando ea amplitudine es, tibi commendo: hos ipſos, quoniam pietate quoque præclarus es, tibi trado: hos congruenti tibi humanitate & beneuolentia complectere, à te ipſo ſimul, & à nobis, per fidem, immenſam initurus gratiam. Tanta diuino huic viro, de omnibus qui vbiuis locorum in cognitionē Chriſti veniſſent,

Magi & Iudæi Chriſtianam Relig. ſumme odio proſequuntur.

Conſtantini ad Saporem Perſarũ regẽ pro Chriſtianis epiſtola.

Exempla, Chriſti perſecutoribus Principibus res eſſe aduerſas, defenſoribus autẽ Chriſtianorum ſecundas.

ſent,inerat ſolicitudo.Quapropter talis cum fuerit, abunde quoque diuina cura fretus,Europa, Libya, & plurimis Aſiæ prouincijs ditioni ſuæ ſubiectis, ſubditis ſuis,qui perlibenter ei paruêre, beneuolis vſus eſt. Iam vero & ex Barbaris plurimi,partim ſua ſponte,partim bello ſubacti, non grauate eúm coluêre. Vbique deniq; trophæa excitata,victorem Imperatorem cum promulgarunt. Hęc Conſtantinus.

Ampliſſimu poteſtas Conſtantini fructus. Subditorum beneuolentia. Barbarorum nationum obſeruantia.

Porro,antequam vlterius progrediar,illud obiter dixerim,ad ipſum Conſtantinum,Perſam quendam, cui nomen Hormiſdas, regio ſanguine procreatum, ex huiuſmodi cauſa transfugiſſe. Cum pater eius, qui rex Perſarum erat, diem ſuum natalem more Perſico celebraret,Hormiſdas regiam ingreſſus eſt, magna ſecum adlata ferinæ copia. Cum inuitati ad conuiuium, nullo cum honore dignati eſſent,nec,vti decuerat,adſurrexiſſent, indignatus, eos ſe Marſyæ morte mulctaturum minatus eſt. Eam orationem complures, vt peregrinam,non intelligebant.Sed Perſa quidam,qui vixerat in Phrygia, & narrationem de Marſya audiuerat,minarum Hormiſdæ ſententiam adſidentibus expoſuit. Illi memoria minarum ſuis animis inſcripta,cum primum patrem Hormiſdæ mori contigit, earum recordati,fratrem ipſius natu minorem, regno præficiunt, quantumuis lex maiori natu inter regios liberos rerum ſummam tribueret. Hormiſdam vero compedibus vinctum,in ſuo quodam ante vrbem colle cuſtodiunt. Poſteaquam aliquid temporis interceſſiſſet,vxor eius hoc modo molitur, vt euaderet.Magno piſce capto,limam ventri eius indit, eoque rurſus conſuto, piſcem Eunucho fideliſſimo tradit cum mandato,vt Hormiſdę diceret,hoc piſce nemine præſente veſceretur,& ad opem,eo quod in illius ventre reperiret, vteretur. Hoc captato conſilio,camelos ablegat,vino cibiſq; copioſis oneratos, & marití cuſtodibus epulum prabet. Interea dum epulo cuſtodes intenti ſunt, Hormiſdas, piſce diſcerpto, limam inuenit, qua, cum pedibus iniectas compedes diſſecuiſſet,& Eunuchi ſtolam induiſſet,per medios cuſtodes iam temulentos egreſſus eſt,ſumptoque ſecum vno ex Eunuchis,ad regem Armeniorum amicum & hoſpitem ſuum peruenit.Eius opera,tutus & incolumis, ad Conſtantinum ſe contulit,qui eum omni tum honore,tum beneuolentia dignatus eſt, quod quidem contigiſſe dicunt,paulo antequam ab ipſo Conſtantino Licinius deuictus eſſet. Nunc autem inſtitutum proſequamur. Supra commemoratum eſt, præfato Imperatori tres filios fuiſſe ſuperſtites. Horum prior,cum paterna diuiſione minime contentus,ad Conſtantem fratrem legatos miſiſſet, vt nouam faceret diuiſionem,& cum nihil proficeret,armis eum aggrederetur, collecto exercitu Aquileiam peruenit,& dum incautius congreditur, equus vulnere ictus, ſeſſorem deiecit,incognituſque,humi multis confoſſus eſt ictibus, imperij trienno nondum finito,anno ætatis 25. Alter,inſidijs Magnentij in tentorio interſectus fuit anno ætatis 30. atque ita vniuerſum imperium ad Conſtantium cæteris iuniorem deuolutum eſt. Qui proſtrato Magnentio, quem milites Prætoriani Imperatorem ſalutarant,& Syluano Gallo, cæteriſque imperij æmulis è medio ſublatis,ac demum victricibus armis,pace parta,ſe,totius orbis dominum appellauit.

Conſtantius ſolus potitur rerum.

Cæterum is fuit magis felix ac fortunatus in bellis ciuilibus atque domeſticis,quam externis. Siquidem anno imperij eius vndecimo contra Perſas bellum gerens,aduerſam fortunam expertus eſt. Primo etenim Perſica palma illi ſemel prærepta eſt temeritate militum ad Singaram. Nam octies cum hoſte congreſſus eſt. Et in hoc prœlio cum aliquandiu victoria pro eo ſtaret, tandem ad hoſtes tranſijt,non ſine graui vulnere. Amiſſa eſt Singara,Bizabda,& Amida. Cum primum fratris cædem accepiſſet,dubius agebatur,permaneretne cōtra acerrimos Perſas, an ad vindicandam Europam remearet. Dum hic rerum ſtatus eſſet, Sapores,Armenias,& Meſopotamiam infeſtis graſſationibus diuexabat,& in ditionem redactis omnibus ad Niſibin ſitis, vrbem ipſam totis viribus obſidebat. Sed cum dux Lucillianus obſidioni ſuſtinēdæ idoneus, partim oblatis forte fortuna occaſionibus,partim ſtratagematis,recte fuiſſet vſus, vrbs imminentibus malis erepta eſt, licet ad extremum periculum deueniſſet. Hoſtis enim cupiens

Eidem aduerſus Perſas expeditio infeliciter ſuccedit. Perſarum victoria.

Sapores Niſibin obſidet.

alneum fluminis qui vrbem præterlabitur, alio ductis foſſis deducere, occluſit meatum fluminis, deinde emiſit, vnde impetus aquarum mœnium partem ſubuertit: ſed Niſibenſes, regios conatus inanes atque irritos fecêre, illum intempeſta nocte quam citiſſime tabulis, trabibus, atque aggeribus obſtruendo. Vbi dies illuxit, rex ab expugnatione, re infecta, mæſtus abijt. Niſibenſes, muros quamprimum inſtaurauêre, in eaque expeditione rex circiter viginti millia hominum amiſit: Coactus etiam regnum ſuum tueri, quod iam Maſſagetæ, ipſo abſente, inuaſerant. Conſtantius ſubſidiarios milites miſit, Niſibis mœnia firmauit, atque inducias cum Sapore iniuit. Quibus rebus peractis, rebuſque in Oriente iam pacatis, in Italiam perrexit, & Mediolanum veniens, Iulianum patruelem Galli fratrem, Cæſarem fecit. Poſthæc, Romam conceſſit, comite Hormiſda regis Perſarum filio. Is nobilitatem vrbis cum maieſtate eſt admiratus: tam proceres, quam vulgus benigne audiuit: veriſſimum fuiſſe dicens, Cineæ teſtimonium, qui apud Pyrrhum affirmauit, Romę non ciues ſe vidiſſe, ſed reges. Deriſus tamen cum triumphales arcus aureo ſuo curru tranſgreſſus, more anſetis ceruicem inclinaret, cum eſſet alioqui ſtatura puſilla. Et cum nimium ſe efferret Conſtantius, hunc titulum ſibi vſurpauit, Domitianum forſitan ſuperare annixus, qui ſe Dominum & Deum ſcripſit, ipſe totius orbis dominum appellauit. Et cum Hormiſdæ, qui pone ſequebatur, dixiſſet, ſe equeſtrem locaturum ſtatuam, quæ Traiani, & aliorum omnes ſuperaret, (nam Tarpeij Iouis delubra, Pantheum, Pompeij theatrum, Traiani forum, & vrbis ſingula ædificia, admiratione digna, attonitus ſpectabat) faceriſſime Hormiſda reſpondiſſe fertur: Prius oportere ſtabulum fieri molis equi capax, ſi vellet opus hoc procedere: quo ſcommate læſus Imperator, conticuit. ſed iterum interrogatus Hormiſda, Ecquid de Roma ſentiret, id tantum ſibi placuiſſe aiebat, quod didiciſſet, ibi quoq; homines mori. Triginta itaq; diebus puriore ocio fruebatur in vrbe Auguſtus. Sed cum à Sarmatis Mœſiam & Pannoniam populari intelligeret, quarto Cal. Iunij ab vrbe profectus, per Tridentum, iter in Illyricum feſtinauit. Bellis ciuilibus, quibus admodum fortunatus erat, vt in Perſicis ſemper infelix, fine impoſito, ac redeunti ad Orientem, Narſeus Saporis legatus occurrit ad Sirmium cum muneribus ac literis, in hanc ſententiam.

Perſarũ clades in obſidione Niſibis.

Conſtantius ingreditur Romam vna cum Hormiſda.

Facetũ reſponſum Hormiſda

Saporis literæ ad Conſtantium.

REX Regum Sapor, particeps ſiderum, frater Solis & Lunæ, Conſtantio Cæſari, fratri meo, ſalutem plurimam dico. Gaudeo, tandemque mihi placeo, ad optimam te viam reuertiſſe, & incorruptum æquitatis agnouiſſe ſuffragium, rebus ipſis expertum, pertinax alieni cupiditas, quas aliquoties ediderit ſtrages. Quia igitur veritatis oratio ſoluta eſſe debet & libera, & celſiores fortunas idem loqui decet, atque ſentire, propoſitum meum in pauca conferam, reminiſcens hæc, quæ dicturus ſum, me ſæpius teplicaſſe, aduſque Strymona flumen, & Macedonicos fines tenuiſſe maiores meos, antiquitates quoque veſtræ teſtantur: hæc me conuenit flagitare (ne ſit arrogans quod cordi eſt, recordatio) qui coalitus ab adoleſcentia prima, nihil vnquam pœnitendum admiſi. Ideoque Armeniam recuperare cum Meſopotamia debeo, auo meo compoſita fraude præreptam. Illud apud nos nunquam acceptum fuit, quod aſſeritis vos exultantes, nullo diſcrimine virtutis ac doli, proſperos omnes laudari debere bellorum euentus. Poſtremo ſi morem gerere ſuadenti volueris recte, contemne partem exiguam ſemper luctificam & cruentam, vt cætera regas ſecurus, ac prudenter reputans, medelarum quoque artifices vrere nonnunquam, & ſecare, & partes corporum amputare, vt reliquis vti liceat integris, hocque beſtias factitare, quæ cum aduertant, cur maximopere capiantur, illud propria ſponte amittunt, vt viuere deinde poſſint impauidæ. Id ſane pronuntio, quod ſi hæc mea legatio redierit irrita, poſt tempus hyemalis quietis exemptum, viribus totis accinctus, fortuna conditionumque æquitate ſpem ſucceſſus ſecundi fundante, venire, quoad ratio ſiuerit, feſtinabo. His literis diu libratis, tecto pectore, quod dicitur, conſiderateque reſponſum eſt hoc modo.

Conſtantius Sapori.

VICTOR terra marique Conſtantius, ſemper Auguſtus, fratri meo Sapori

Regi

Regi ſalutem plurimam dico. Soſpitati quidem tuæ gratulor, vt futurus ſi velis, amicus: cupiditatem vero ſemper indeflexam, fuſiuſque vagantem, vehementer inſimulo. Meſopotamiam poſcis, vt tuam, perindeq; Armeniam: & ſuades inregro corpore adimere membra quædam, vt eius ſalus deinde locetur in ſolido: quod refutandum eſt potius, quam vlla conſenſione firmandum. Accipe igitur veritatem non obtectam præſtigijs, ſed perſpicuam, nulliſq; minis inanibus perterrendam. Præfectus prætorio meus Opinatus aggredi negotium publicæ vtilitati conducens, cum duce tuo per quoſdam ignobiles, me inconſulto, ſermones conſeruit ſuper pace: Non refutamus hanc, nec repellimus, adſit modo cum decore & honeſtate, nihil pudori noſtro prærepturа, vel maieſtati. Eſt enim abſonũ & indecens, cum geſtarum rerum ordine explicatæ ſint aures, quas inuidiæ nobis multipliciter incluſerunt, cum deletis tyrannis, totus orbis Romanus nobis obtemperet, ea prodere, quæ contracti in Orientales anguſtias, diu ſeruabimus illibata. Ceſſent autem quæſo formidines, quæ nobis intentãtur ex more: cum ambigi nequeat, non inertia nos, ſed modeſtia, pugnas interdum excepiſſe potius quam intuliſſe, & noſtra, quoties laceſſimur, fortiſſimo beneuolentiæ ſpiritu defenſare, id experiendo legendoq; ſcientes in prœlijs: raro rem titubaſſe Romanã, in ſumma vero bellorum nunquam ad deteriora prolapſam.

Hanc legationem, nulla re impetrata, remiſſam, poſt pauciſſimos dies ſecutus eſt Proſper comes, ſpectatus tribunus, & Euſtachius, legati ad Saporem miſſi, qui Cteſiphonta reuerſum Regem adiere, literas proferentes Imperatoris & munera, poſcebantque, rebus integris, pacem, & mandatorum memores, nuſquam ab vtilitate Ro. rei maieſtateq; diſcedebant, amicitiæ fœdus ſub hac lege firmari debere aſſeuerantes, ne ſuper turbando Armeniæ, vel Meſopotamiæ ſtatu quicquam moueretur. Diu igitur ibi morati, cum obſtinatiſſimum regem, niſi harum regionum dominio ſibi adiudicato, obdureſcentem ad ſuſcipiendam cernerent pacem, infecto negotio redierunt, & mox atrociſſimum bellum vtrinq; redintegratum eſt, quod latiſſime proſequitur Ammianus lib. 18. & in ſequenti.

Atrociſſimũ bellum inter Conſtantiũ & Saporem Perſarum regem.

Bello inſtaurato, cum Sapores fruſtra Niſibin obſideret, ab ea repulſus, Amida, quæ non ſatis firmo præſidio tenebatur, potitus eſt, eamque ſolo æquauit. Ob id cenſuit Conſtantius, patruelem Iulianum, Galli fratrem, quem in Italiam reuerſus, Mediolani Cæſarem deſignarat, & Gallijs præfecerat, conſortem imperij ac [illegible]erſiri. Qua tempeſtate, iam literæ venêre ad ipſum Conſtantium in Cappadocia tunc commorantem, quibus ſignificauit Iulianus, ſe inuitum ab exercitu Imperatorem renuntiatum, ſimulque rogabat, vt ipſum æquo animo ad communionem imperij admitteret. Quibus perlectis, mirum in modum excanduit, nihil interim reſcribens, ſed contra Perſas expeditionem, cuius rei cauſa Orientem petierat, edixit, tametſi contractas copias in Iulianum vertere mallet. Tum Oratores cum Leona Quæſtore ad eum miſit, ac literas, quibus amanter iuuenem admonebat, vt Cæſaris nomine contentus, Auguſti maieſtatem poneret. Dedit & mandatum Leonæ, vt beneficia Imperatoris, ceu homini ingrato, obijceret. Leonas Pariſijs honorifice exceptus, cum militibus mandatum Conſtantij propalaret, Iulianum Imperatorem Auguſtum acclamauit. Tum ſubmoro Florentio, Nebridius præfectus prætorij factus, conſentiente tamen Iuliano, alioqui minus proceſſiſſet, atque iterum legatos ad Conſtantium dirigit, licet ſe armaret contra Imperatorem, veritus ne quid ſibi aduerſi accideret. Interea Cõſtantius, Arſacen regem Armeniȩ ad ſe accerſiuit, cumque adhortatus eſt, vti fidus Romanis perſeueraret, neue fallacijs Perſarum ſe ab ipſorum amicitia diſiungi pateretur, ſimulque Tranſtygritanos cohortatus eſt, vt in fide permanerent, neue ad Perſas deficerent. Cum ſic anceps hæreret, fortuna iam ſubſiſtente, & aduentante fato vitæ, ſæpe nocturnis vmbris terrebatur. Et cum eſſet moturus exercitum, nocte quadam nondum penitus merſus in ſomnum, imaginem patris vidit, ac obtuliſſe pulchrum infantem, eumque ſuſceptum & locatum in gremio ſuo, excuſſam ſibi proieciſſe ſphæram, quã ipſe dextra manu geſtabat. Quod planȩ permutationem temporum indicabat, licet interpretes pro captu ingenij

ſui blanda reſponderent. Poſthæc, familiaribus ſibi charioribus confeſſus eſt, ſe eſſe deſertum à Genio ſuæ tutelæ, ac ſalutis auctore, qui familiaris olim ſecum multa commentatus, tum ſqualidus & horrendus ſibi videretur, tanquam mox eum deſerturus. Hæc illi apparuêre, eum ex Antiochia verſus Tarſum veniret, moturus arma Iuliano: ſed incidit in febriculam ſemper æqualem, ratuſque eſt

Conſtantij obitus.

geſtarione eam aboleri. Vectus eſt lectica per inuia itinera vſque ád radices Tauri montis, atque ibi in ſtatione quadam quæ à Græcis appellatur Mopſocrenis, intrinſecus exurente calore, febris aucta eſt, adeo vt corpus tangi non poſſet, ſed

Iulianus Imperat.

cum eſſet defecturus, Iulianum ſucceſſorem ſtatuit, paulo poſt mortuus, anno imperij viceſimo quarto, ætatis quadrageſimo primo. Hinc Iulianus rerum potitus, nihil ſane prius & magis in votis habuit, quam vt eueſtigio Perſis bellum inferret, qui per ſexaginta ferme annos ſæuiſſima cædium monumenta in Oriente fecerant, Romanis exercitibus ſępe repulſis atque deletis. Cum ijs igitur ardebat congredi, quod impatiens ocij erat, & in flore ætatis Parthicum nomen affectabat: ſed prius legatos miſit Delphos, interrogatus de euentu belli Perſici,

Iuliani victoria prope Argentoratum.

Ipſe interim Gallias à Germanorum incurſionibus ſtrenue ac viriliter defendit, & prope Argentoratum, totum ferme Alemannorum exercitum perdidit, eorumque regem Chonodomarum cepit. His rebus proſpere ac feliciter geſtis, ſoli Perſæ domandi & profligandi reſtabant. Proinde cum ingenti apparatu

Eiuſdem expeditio in Perſas.

egreſſus Cōſtantinopoli, tranſmiſſo Boſphoro, à Chalcedone Nicomediam proceſſit. ſuper quam ingemuit altius ac fleuit, memor illic olim ſe in regia & ampla vrbe, ædificiorum ſumptibus inſigni, educatum, quæ tum terræmotu corruerat. Mox per Bithynos Gallograeciam venit, & inde Antiochiam, quo tempore Adonidis ſacra adamati à Venere celebrabantur. Vbi hybernans, nullis voluptatum illecebris, quibus abundant Syriæ omnes, potiebatur: ſed iudicialibus cauſis intentus, & maximis curis implicitus, ſummam iuſtitiam exercuit, adeo vt multi Iuſtitiam cœlo ſublatam, dicerent tum eſſe ad mortales ceu poſtliminio reuerſam. Vere ſequenti Hierapolim profectus, in Meſopotamiam ſigna commouit. Cum vero in Cercuſio oppido, quod ſere inſtar inſulæ inter Euphratem & Xaboream amnes extenſum iacet, à Diocletiano olim mœnibus aucto, & excelſis turribus munito, cum exercitu moraretur diutius, à Salluſtio, qui eius in quarto conſulatu collega fuerat, literis eſt admonitus, expeditionem in Perſas differendam eſſe, dijs ita vetantibus. Nam in libris Sibyllinis lectum erat, hoc anno Imperatorem à militibus diſceſſurum. ſed Regum vndique auxilia promiſſa, Iulianum excæcabant. Et quanquam vaticinijs multum crederet, fatis tamen vrgentibus tranſgreſſus flumen, pontem auelli iubet, nauesque comburi, vt omnis reditus militibus negaretur: Zaitamq; ventum eſt, qui locus olea arbor interpretatur, vbi Gordianum Imperatorem exercitus quondam tumulo intulit. Hic haud longe abeſſe hoſtes audiens, ſubſtitit, videns aduenantem militum cohortem, qui leonem pluribus telis confoſſum afferebant. Quo omine lætus, proſperiora ſibi pollicebatur, cum obitum potius Regis hoc portentum denuntiaret. Tum milites conuocat, pluribus exemplis à Venridio ad Maximianum recenſitis, (nam memoria plurimum valuit) docuit maiores fere omnes laureatos rediſſe, præter Gordianum & Carum, quorum illum inſidijs mortalium, hunc ira

Iuliani exercitus, terreſtris & naualis, contra Perſas.

Deorum ſublatum dixit, pluribuſq; milites cohortatus, exercitum educit. Erat autem numerus omnium, ſexaginta quinq; hominum millia, quibus Hormiſda & Victor, cum ſuprema poteſtate atque imperio præerant. Habuit & claſſem longe inſtructiſſimam, in qua erat numerus nauium ſexcentarum, quæ de lignis factæ fuerant: de corio quingentarum: præter has aderant & quinquaginta naues militares, & aliæ latiores comitabantur, quibus, ſi vſus ita poſceret, iungendi pontes eſſent, per quos itinere pedeſtri fluuios exercitus tranſmitteret: ſequebantur & alia complura nauigia, quæ partim milites vehebant, partim ligna fabricandis machinis idonea, partim iam fabricata tormenta obſidionalia. Vniuerſæ claſſi præerat Hierius quidam, ordinū militarium dux, quem, cum adhuc ipſe eſſet Hierapoli, iuſſit cū tota re nauali conuenire Samoſatis, eiq; poſtea adiū-

xit

rit nauarchos Lucianum & Conſtantium. Talis cum eſſet exercitus tam terreſtris, quam maritimus, de ſuggeſtu quodam Imperator ad vniuerſa ea quæ dicenda foret, prolocutus, & militibus congiario centum & triginta nummorum argenteorum viritim dato, Perſicum ſolum adgreſſus eſt; pedeſtribus copijs Victore duce præfecto, equeſtribus Hormiſda, cui Arinthæum adiunxit. De Hormiſda prius etiam diximus, fuiſſe natione Perſam, & filium Regis, qui à fratre læſus aufugerit, & ad Conſtantinum Cæſarem peruenerit, eumque Cæſar propter haud mediocria fidei ac virtutis documenta exhibita, ad ampliſſimos honores ac magiſtratus euexerat. Quocirca, vbi Perſarum fines inuaſiſſet Imperator, vniuerſam Aſſyriam depopulatur, vrbes & oppida partim vi cepit, partim deditione, hoſtes enim prœlio abſtinuerant. Quinimo crebris legationibus pacem petentes, offerebant patriæ ſuæ magnam portionem, ſed omnibus recuſatis, per inuia deſertaque loca vagatus, fame militem macerabat, ac victor cum ingenti gloria, cuius erat longe cupidiſſimus, profligato exercitu hoſtili, vſque ad Cteſiphontem peruenit: illic cum exercitu caſtrametatus, dum remeat, crucem ſereno vidit cælo. Aruſpices vetabant, quicquam tentandum, cum ſignum illud infelix eſſet. Cæterum & hos contempſit, vt nuper Salluſtium, neque præſagijs plæriſque, neque viſo ingenti globo in cælo, quo die pugnatum erat, abduci à bello poterat, neque terræmotu, quo paulo ante Conſtantinopolis pulſabatur, deterritus eſt. Cum ergo caſtra cum ſatis lecto exercitu moueret, Perſæ ſæpius afflicti, & diſſimulantes more ſuo, confuſos à tergo inuadunt, & priuſquam laborantibus ſubueniretur, Romani hoſtili globo circundati, vndique fatigantur, iam itineris labore ac inedia confecti. Imperator à transfuga quodam in inſidias deductus, cum hinc inde vrgeretur, arrepto tantum clypeo, procurrit incautius incõſulto ardore, nititurque ordines ad prœlium componere. Interim conto militis transmiſſo brachio, & coſtis, letale vulnus excipit. Dum auellere è fibris iecinori conatur, ſcindit digitorum neruulos: prolapſus in ceruicem equi, veloci curſu in tentorium relatus eſt. Vbi vero vulnus letale aſpexiſſet, manu e tuore repleta, vt Seruatori noſtro blaſphemaret, in aërem ſanguinem proijciens, dixit: Viciſti tandem Galilæe, viciſti. ſic enim Chriſtum vocare ſolebat, cum eius cultores, impios Galilæorum filios appellaret. Hac voce emiſſa, qua fatebatur impiam ſuam voluntatem, & oſtendebat ingentem fremitum, ac ſenſum pœnarũ, tum adhibitis fomentis, vt paulifper dolorem leniret, ruſus poſcit equum, & arma, vt prœlium reuiſat. Ad cohortandos ſuos egreſſus, concionem habuit, ac diſſeruit, mortem eſſe ſummum præmium: deinde cum philoſophis, quos ſemper ſecum habuit, de immortalitate animæ ſermonem fecit, petijtque, quidnam ageret Anatolius, qui tum erat magiſter officiorum. Salluſtius præfectus reſpondit, beate degere. Ingemuit amici caſum, quod interfectus eſſet. Tum circumſtantes, qui dolore conciti caſum deflebant, ſua auctoritate caſtigauit, turpe eſſe Principem ſyderibus conciliatum lugere. Cumque paulatim ſanguine vacuatus, circa noctis fere medium, ſpiritus deficeret, popoſcit aquam, epotaque frigida aqua, vita ſolutus eſt, anno ætatis ſuæ vno ac triceſimo, cum Imperaſſet ſolus annum vnum, menſes ſeptem; ab eo quod Cæſar fuit, annos ſeptem. Vtiliſſimum eſt autem in hiſtoria Iuliani hoc conſiderare, quod Deus duobus illuſtribus miraculis oſtendit eodem tempore ſuam iram aduerſus Iudæos, & Ethnicos. Cum enim Iudæi Ieroſolymæ concedente Iuliano, rurſus cõdere templum cœpiſſent, terræmotu diſſectæ ſunt moles, & abſorpti multi homines, & pars operum, & machinarum, & homines fulminibus accenſi perierunt. Eodem tempore, in alia orbis terrarum parte, Delphicum templum, quod Ethnicis pręcipuum fuit, diuinitus, non hominum manibus, ſed terræmotu, & fulminibus deletum eſt, cum Iulianus Oratores eo miſiſſet, de belli Perſici euentu, ſicut antea diximus, interrogaturus. Sæpe autem direptum, & aliquoties deletum eſt Delphicum templum, ſed rurſus extructum & reparatum: At poſt hanc euerſionem, cælitus factam, Iuliani tempore, nunquam deinde inſtauratum eſt. Hactenus maiori qua fieri potuit breuitate, Iuliani bellum contra Perſas geſtũ recenſuimus. Cæterum

Eiuſdem ſœlices ſucceſſus.

Prœlium inter Romanos & Perſas.

Iulianus Vulneratur. Eiuſdem blaſphemia in filium Dei.

Mors.

Iudæorum calamitas ſub Iuliano. Delphicum templum ſub eodem corruit.

extat eiuſdem luculenta narratio apud Zoſimum lib.3. in qua minutim oppida & vrbes ab Romano exercitu aut vi, aut deditione occupatas, omnemque illius in hoſtilem agrum progreſſum recenſet, & quoties vtrinque manus conſeruerint. Inter cætera vero commemorat prœlium, geſtum tertio die antequam Romani Tigrin flumen traijcerent. Secundum hæc inquit, congreſſis exercitibus, à media nocte prœlium ad meridiem vſque perdurauit. Tandem Perſæ cedentes, totis viribus fugam arripiebant, facto eius ab ipſis ducibus initio. Hi duces erant Tigranes, genere dignitateque ſecundum regem antecellentes, & Anateus, & ipſe Surenas. Fugientes inſecuti Romani, & Gothi, multos interemerunt, & auri, argentique magna potiti ſunt copia, variiſque tam virorum, quam equorum ornamentis, & argenteis lectis, atque menſis, quaſcunque relictas à ducibus in foſſis repererunt. Ceciderunt in pugna, Perſarum tria millia quingenti: Romanorum non plures, quam ſeptuaginta quinque. Ouationem exercitus, ob partam victoriam, viſus eſt quodammodo dux Victor catapulta læſus, imminuere, &c. Idem narrat, Romanos de conſenſu Imperatoris, traiecto flumine, cum relictis ripis, exercitus per mediterranea ducendus eſſet, naues, demptis decem & octo Romanis, Perſicis quatuor, igni abſumpſiſſe: cuius quidem facti poſtea non parum pœnituit. Deinde, cum ad Durum amnem progreſſi eſſent, ponte iuncto, tranſmiſiſſe. Mox adiicit exemplum quoddam inſigne ac memorabile cuiuſdam Mauri, quem dicit, cum in quodam conflictu habito inter nonnullos Romanos qui hoſtium conſilia atque itinera exploratum iuerant, & quoſdam Perſas, eius frater Macamæus præ animi alacritate inermis in hoſtem irruens, quatuor ex eis interfeciſſet; verum pluribus ſimul in eum conuerſis interimeretur; conſpectum medios inter Perſas fraternum corpus arripuiſſe, & eum, qui primus ictum intulerat, occidiſſe; neque telis petitum, animum deſpondiſſe, donec fratrem adhuc ſpirantem exercitui reddidiſſet. Poſt hæc narrat, cum Romani vlterius progreſſi, ad vicum Maronſa peruenißent, turmas Perſarum, extremi agminis præſidio relictos adortas, manum conſeruiſſe, & cum alios milites, tum Vetranionem turmæ ducem, viriliter dimicantem, interfeciſſe. Hoc tamen rerum ſtatu, Perſicis legionibus conſpectis, initaque pugna, Romanos ſuperiores euaſiſſe, multis Perſarum contrucidatis. Nouiſſime recenſet poſtremum prœlium, in quo Iulianus è medio ſublatus eſt anno ab orbe redempto, trecenteſimo ſexageſimo ſeptimo, cum iam Perſarum impetium, propemodum, vt eius verbis vtar, ad extremum exitium redegiſſet: atque addit, Romanum exercitum vſque adeo ſuperiorem extitiſſe, vt quinquaginta maximæ poteſtatis Satrapæ cum infinita multitudine caderent. Vbi mors Principis innotuit, iamque milites reuerſi eſſent ad tentorium, in quo cadauer iacebat, pugnabant adhuc quidem nonnulli Romani, atque hoſtem ſuperabant: verum cohortes quædam de caſtello Perſico milites adortæ, cum eis certamen inibant. Acri occepto prœlio, Antonius cecidit, ordinum Palatinorum dux, quem Romani Magiſtrum officiorum vocant. Et Salluſtius, præfectus prætorio, cum ex equo decidiſſet, parum abfuit, quin imminentibus hoſtibus contrucidaretur; niſi quidam ex adparitoribus equo deſcendens, fugæ capeſſendæ facultatem ei præbuiſſet: recedentibus vnà cum ipſo & iis ordinibus duobus, qui principem ſtipare conſueuerunt, ac ſcutatij dicuntur. Cæterum ex his, qui terga dederant, ſexaginta duntaxat milites, cum ſua, tum Romani nominis dignitate, ad animum reuocata, & ad mortem vſque diſcrimini ſemper obijcientes, eo caſtello potiti ſunt: de quo Romanos adorti Perſæ, ſuperiores extitiſſe viſi fuerant. Cumque continue deinceps triduo circumſiderentur ab hoſtibus, non exigua parte copiarum obſeſſores adgreſſa, ſalui atque incolumes euaſerunt. Tum vero cunctis optimatibus vna cum exercitu collectis, cõſultatum eſt, cuinam rerum ſumma committenda eſſet; quod fieri nullo modo poſſet, vt ex imminentibus medio in hoſtico periculis, ſine Principe euaderent, ideoque communibus ſuffragijs Iouinianus, Varroniani domeſticorum tribuni filius, Cæſar deſignatur. De hoc autem priuſquam aliquid enarrem, hæc paucula de Iuliano ſubnectam. Hunc ferunt, eunuchos, coquos, tonſores, ac etiam ſeruos eieciſſe

Romanorũ victoria.

Exemplum fortitudinis.

Romanorũ virtus.

Iuliani abſtinentia.

eieciſſe ex palatio, & rogatum, quam ob cauſam, negaſſe, ſibi opus eſſe eunuchis, cum vxor deceſſiſſet: nec opus eſſe coquis, quod ſimpliciſſimis cibis veſceretur: de tonſoribus dixiſſe, vnum multis ſufficere: ſeruis autem non opus eſſe, cum minori ſumptu viuere poſſet. Idem contra Perſas exercitum ducens, grandem *Impietas.* mulctā Chriſtianis intulit, qui grauius ab Ethnicis tractati, ſæpius pro auxilio Imperatorem acceſſerant. Quibus impie reſpondit: Veſtrum eſt, vt mala ſuſtineatis, cum hoc ſit præceptum veſtri Dei. Idem, cum iam extremum traheret ſpiritum, audiens ſuorum lachrymas, ait: Nolite deplorare ac lugere Principem, iam quidem moribundum, ſed cælo Dijsque reconciliatum. Hæc breuiter de Iuliano: cuius bella in Gallijs & Germanijs geſta, Ammianus Marcellinus, natione Græcus, qui cum ipſo multos annos militauit, ceu oculatus teſtis, luculenter ac ornate explicauit. Iouinianus interim, induta purpura, ſumptoque diademate, coram *Iouinianus Imperat.* tribunis & militibus initio profeſſus eſt, ſe Chriſtianum eſſe, & amplecti Nicænā Synodum. Cuius quidem rei ampliſſimum ſpecimen & apertiſſimum teſtimonium ſub Iuliano præbuerat. Cum enim Iulianus lege ab exercitu egiſſet Chriſtianos, cingulum militiæ deſerere, quam obtemperare maluit. Poſthæc, de imminenti periculo, & rerum præſenti ſtatu verba fecit. *Eiuſdem conſtantia in religione.* Cumque de Sapore Perſarum rege, quæ animo ſentiret, in medium protuliſſet, exercitus in Meſopotamiam deduci inſtabat, ipſeq; huius poſtulatis aſſentiens, conclamatis vaſis, atque receptui canens, feſtinatis itineribus eo pergere incepit. Ad Suma caſtellum *Conflictus inter Perſas & Roman.* vbi veniſſet, Perſicus equitatus, irruptione facta, nec paucis adductis elephantis, dextrum cornu infeſtabat, in quo Iouiniani, & Herculiani conſtituti erant. Eæ ſunt à Diocletiano, & Maximiano profectæ legionum appellationes, habentium cognomina Principum illorum, quorum alter Iouis, alter Herculis cognomentum vſurpauit. Ac initio quidem ab elephantorum robore vim patiebantur, & multi fugientes cadebant: ſed vbi pariter & equitatum, & elephantes Perſæ in hoſtes concitabant, ventum eſt ad accliuem quendam locum, in quo Romanorum forte calones erant. His in periculi ſocietatem venientibus, telaque in Perſas de ſublimi iacientibus, elephanti quidam vulnerati ſunt, qui more ſuo fugam dolore perciti barritu capeſſebant, & equitatum omnem conturbabant, ita *Conflictus habitus inter Romanos & Perſas.* quidem, vt in hac fuga elephanti à militibus interficerentur, & in ipſo prœlio complures ex aduerſarijs caderent. Perierunt & Romani legionum tribuni tres, dum fortiter dimicarent, Iulianus, Maximianus, & Macrobius. Cumque humi iacentes perquirerent, & inter eos Anatolij cadauer reperiſſent, id ea ſepultura cohoneſtarunt, quam temporis anguſtia concedebat, hoſtibus vndique vrgentibus. Dies progreſſi quatuor, & ab iiſdem vndique vexati perſequentibus, ſi Romanos proficiſci viderent, fugientibus, quoties ipſos inuaderent, vbi latius ſpatium nacti fuiſſent, Tigrim tranſmittere decreuerunt. Itaque colligatis vtribus, cum ex ijs iuga quaſi quædam confeciſſent, his ipſis inuecti tranſiecerunt. Poſteaquam aduerſa ripa milites potiti fuiſſent, etiam duces cum reliquis ſecure tranſmiſerunt. *Perſarum in bello pertinacia.* Verum vbi ne ſic quidem abſcederent Perſæ, ſed magna cum multitudine hominum ab omni parte, qua eundum erat, imminerent, nullo non in periculo Romani verſabantur, qui & à malis circumſtantibus, & prætereà commeatus inopia premerentur. Licet igitur hæc foret exercitus conditio, nihilominus tamen Perſæ de pace tractabant, Surena, & alijs apud eos *Colloquia de pace.* poteſtate præditis, ad Romanos ablegatis. Hanc pacis mentionem cum Iouinianus admitteret, ac Salluſtium præfectum prætorij cum Arinthæo miſiſſet, inſtitutis inter hos de pace mutuis colloquiis, annorum quidem triginta factæ ſunt induciæ: ſed vtrinque conſenſum, vt Romani Rabdicenorum gentem Perſis cederent, itemque Carduenorum, Rheſenorum, & Zalenorum, ac præter *Pacis leges.* hæc omnia quæ in his eſſent caſtella, numero quindecim, vna cum incolis, prædijs, iumentis, & omni penu: Niſibin vero, ſine incolis traderent; hos enim placuit, quocunque Romanis viſum eſſet, commigrare. Præterea, Perſæ magnam Armeniæ partem adimebant, perpuſillum quiddam Romanis poſſidendum relinquentes. His conditionibus cum maxima Rom. Imperij cala-

mitate, initio fœdere, & literis vtrinque ſubſignato, facultatem Romanis redeundi domum conceſſit, ita quidem, vt Perſarum fines illi non vexarent, ac viciſſim nullis Perſicis inſidiis peterentur, maioriſque ſecuritatis gratia, nobiles inſuper dati tribuni obſides. Tum exercitus Romanus ex confragoſis atque aſperis itineribus, in tutum iter productus eſt, licet multi inedia, plærique inopia potus laborarent. Pars imperitia nandi, in gurgitibus abſumpta, pars à Saracenis clam infeſtata. Sex dierum iter ita emenſum eſt, cum præter herbas, quas ſecum ferebant, pauciſſimas, quandoque nec gramina inuenirent, donec Dux Meſopotamiæ Caſſianus cibos afferret. Multa in Meſopotamia tum accidêre cum iam exercitus Antiochiam perueniſſet, vbi per continuos dies multa dira & horribilia portenta videbantur, Maximiani ſtatua, quæ locata erat in veſtibulo regiæ, amiſit repente ſphæram æream, formatam in ſpeçie poli, quam geſtabat. Cometes interdiu conſpectus eſt. Conflagrauit locupletiſſima bibliotheca Antiochiæ. Iouinianus interim, Antiochiam profectus, iuſſit reuocari exules qui pulſi erant propter veram profeſſionem. Magnum Athanaſium per Cappadociam iter faciens, Alexandriam reduci imperauit. Mandauit Eccleſiis reſtitui partem redituum, quos eis Iulianus ademerat; ac teſtatus eſt, propter famem nunc veteres reditus integros non poſſe reſtitui. Iuſſit denuo claudi idolorum templa. Breui poſt, cum recta Conſtantinopolim pergeret, iamque ad locum, Dardaſtana vocatum, qui diuidit Bithyniam à Galatis, perueniſſet, aſſiduo longi itineris labore, aut recenti tectorio, poſitis ibi prunis, ſiue, vt aliis placet, morbo qui ex intemperantia ortus eſſe exiſtimabatur, cum circiter octo menſes imperaſſet, anno ætatis triceſimo ac tertio in fata conceſſit.

Portenta. *Cometes.* *Iouiniani Pietas.* *Mors.*

FINIS LIBRI QVARTI.

HISTO-

HISTORIAE RERVM PERSICARVM

Liber Quintus.

QVISNAM hactenus rerum Perſicarum ſub Romanis Conſulibus,& nonnullis Imperatoribus,fuerit ſtatus,quæve alternantis fortunæ mutatio, atque adeo quam magna bellorum & pacis ſubinde inter ipſos Romanos & Perſas ſubſecuta fuerit viciſſitudo,quam pauciſſimis potuimus verbis perſtrinximus,ab eo potiſſimum tempore, quo Reipub. forma mutata, imperium ad vnius ſolius Principis nutum atq; arbitrium communibus omnium ordinum ſuffragijs deferebatur. Quippe cum Monarchiæ ſucceſſio non ſemper eodem atque ſolito tenore procederet: verum interdum ex legitima imperij ſucceſſione, nonnunquam vero ex cohortium prætorianarum ſuffragijs, ſæpiſſime vero ex Senatus & procerum auctoritate, vel rurſus ex vtriuſque partis mutuo conſenſu ac voluntate ſupremus Magiſtratus decerneretur. Cuius quidem imperij ratio vſque ad Iouinianum Iuliani ſucceſſorem perpetuo quodammodo ſucceſſu conſtitit, vt ex ſuperiorum librorum enarratione videre eſt; qui ſi penitius introſpiciantur,facile ratio elici poterit,cum quanta rerum mutatione,atque fortunæ,vt diximus,inconſtantis flatu Reges per ipſam Perſiam dominari ſint. Nūc reliquum eſt,vt continuata rerum ſerie,ac ne tantillum de inſtituto curſu deflectentes, deinceps pari ſtudio atq; diligentia,quæ reſtant,perſequamur. Poſt mortem Iouiniani, exercitus Niceæ, quæ vrbs caput eſt Bithyniæ, Valentinianum Gratiani filium, Cibali è Pannonia oriundum, virum eximia virtute præditum, & qui ſemper præſenti fortuna melior apparebat, & apice principali longe digniſſimus, de vnanimi voluntate atque conſenſu Imperatorem renuntiauit, anno Chriſtianæ ſalutis trecenteſimo ſexageſimo octauo. Is,poſt triginta dies, ex Pannonia,vnde genus trahebat, Valentem fratrem, illinc accerſitum, conſortem imperij fecit, & Auguſtum nominauit; breuique ſpatio interiecto, Gratianum quoque filium iiſdem titulis atque honoribus inſigniuit. Ipſe autem Valentinianus cum ſumma æquitate ac moderatione imperauit annos 11. menſes octo, dies viginti: vixit annos quinque ſupra quinquaginta, atque obijt in Gallia. Fuit veræ pietatis ac fidei ſtudioſiſſimus,& maximus propagator, & fratri Valenti, quem Orienti præfecerat, ſæpe hortator fuit, vt & veritatem iuxta Synodum Nicænam amplecteretur,& ne ſæuitiam in recte ſentientes exerceret. Verum ipſe,omni cohortatione poſthabita, ſeſe Arriani dogmatis acerrimum defenſorem præbuit. Valentinianus nondum Imperator, templum Fortunæ ingrediens cum Iuliano, hinc atque hinc ſtantibus æditu is, qui aquam introeuntibus aſpergerent; vbi vidit in chlamyde purpurea guttam aquæ, pugno percuſſit æditu um: Hoc, inquit, non eſt purificare, ſed inquinare. Nam illi tales aſperſiunculas appellabant purificationes. Idem iam Imperator Romanorum electus, cum ſolicitaretur à militibus, vt ſibi imperij ſocium deligeret: Veſtrum quidem, inquit, fuit, vt priuatum me ad imperialem extolleretis dignitatem: res autem adminiſtrare, non iam veſtri, ſed Principis ipſius arbitrij eſſe, vos ipſi quoque dixeritis: Itaque vos deinceps imperata facere,& quietos eſſe: me autem, quid facto opus ſit, curare decet.

Valentiniani.

Eiuſdem obitus.

Huic Valens in imperio ſucceſſit, ſub quo Sapores Perſarum rex, neglecto fœdere, cuius paulo ante hîc fecimus mentionem, in Armeniam irrumpit, & cauſatus, illam iure ad ſe pertinere, quippe quam à ſuis maioribus tanquam per manus accepiſſet, ſuæ ditioni adijcere, quibuſcunque poterat modis, annitebatur. Sed Perſis Arinthio legato cum prævalidis copijs occurrente, prouincia per id tēpus fortiter ac ſtrenue defenſa eſt, omniq; hoſtili metu liberata, & arma trade-

Valens Imp.

Sapores mouet bellum in Romanos.

re coactos, in oppida ſua propter Iſtrum poſita, diſtribuit cum mandato, vt ibi aſſeruarentur. *Cteſiphontem occupat.* Cæterum Sapores haud multo poſt, reparato exercitu, Cteſiphontem occupauit, atque illic hyemem tranſegit. Interea, vt Perſarum conatus reprimeret, cum expedita manu militari, Antiochiam perrexit, eo quidem animi decreto, vt in eos quamprimum arma conuerteret. Reuocatus autem in Thraciam, quia Gothi, duce Fridigerno, vrbem Conſtantinopolim oppugnabant, & per omnia loca circumuicina longe lateque graſſabantur, omiſſa per id tempus Perſica expeditione, conuerſoque itinere, caſtra in eos mouit; ſed circa Adrianopolim magna clade victus, & lachrymabili bello obrutus, terga dedit, & in fuga vulneratus ſagitta, decidit ex equo, acceptuſque eſt in vile tugurium, iuxta quod palearum ſtrues erat cumulata, quod igne ſuppoſito, in flammas ſolutum, Imperatorem Valentem abſumſit. *Valentis obitus.* Locus enim ſeptus ab hoſtibus, quia primo impetu capi non potuit, dum victor Alanus Imperatorem perſequitur, inſcius illic eum latere, ignem iniecit, quo concrematus eſt. Alij tradunt, ipſum mutato imperiali habitu, inter prœliandum ad pedeſtres turmas deſcendiſſe, quia iam equites diffugerant, ignoto illic vulnere tum confoſſum, & ita pœnas dedit ſæuitiæ, quam aduerſus pios exercuerat. Proficiſcenti ad prœlium, Iſaacius vir ſingulari ſanctimonia præditus, ei prædixit interitum. Vixit annos quinquaginta, & imperauit annos tredecim, poſt fratrem ſolus annos tres. Quantus autem fuerit Arriano dogmati addictus, & eorum, qui Nicænæ ſynodo adhærebant, perſecutor & oppugnator, cum ex alijs, tum præcipue ex Nicephoro Eccleſ. hiſt. lib. 11. & præſertim circa finem, cuius facillime conſtabit. *Gratianus Imperat.* Huic, Gratianus Valentiniani primi filius, natus ex Seuera in vrbe Syrmio, & Valentinianus ſecundus, Gratiani frater, natus ex Iuſtina, in imperio ſucceſſerunt. Fecit autem Gratianus conſortem imperij Theodoſium, ex oppido Hiſpanicæ Galleciæ Cauca oriundum, hominem bellicoſum, & multis heroicis dotibus inſignem, cum quo annos quatuor regnauit, cum antea cum patre annos octo, cum patruo tres regnaſſet. Dum vero ipſe Gratianus, Theodoſio in Thracia Gothos reprimente, ob Vandalorum incurſionem in Galliam rediret, ibique omiſſa cura gubernationis, deditus venationi & ludis, ſimulque Alanos milites domeſticis anteferret, in odium venit, & Lugduni à Maximo Galliæ præſide, interfectus eſt anno ætatis viceſimo nono. *Eiuſdem mors. Maximi cædes.* Valentinianus frater, propter Maximi tyrannidem, in Orientem fugiens, à Theodoſio perhumaniter excipitur, & mox collectis copijs, ipſum Maximum apud Aquileiam prœlio ſuperauit, & captum interimi iuſſit, quia Gratianum occiderat. Valentinianus interim in Galliam diſceſſit, quam poſt Maximi interitum rexit annos circiter quinque. *Valentinianus ſtrangulatur.* Erant autem apud eum Eugenius ſcriba, & dux exercituum Arbogaſtus, vir Gothicus, qui Francos repreſſerat. Per hos duos corrupti cubicularij Valentinianum in vrbe Galliæ Vienna laqueo ſtrangularunt. Eugenius qui ſe Imperatorem nominauerat, poſtea captus non procul à Mediolano, proſtratus ad pedes Theodoſij, à militibus trucidatus eſt. Arbogaſtus ſibi manu ſua mortem conſciuit. Ita ſeditioſi & parricidæ pœnas dederunt. Zoſimus refert lib. 4. ipſum Valentinianum ab Arbogaſto, vt eo ſublato, rerum ſummam Eugenio traderet, Valentinianum dum apud oppidum Celticum Viennam commoratur, & propter muros eius ludicra cum quibuſdam militibus exerceret, nihil tale cogitantem, de improuiſo impetu facto, letaliter vulneratum atque interfectum. Cæterum reliqui omnes ſcriptores illum gula fracta interijſſe commemorant, cum vix viceſimum ætatis annum attigiſſet.

Theodoſius Imperat. Hoc ſtatu rerum, Theodoſius Romanum Imperium in Occidente, atque Oriente tenuit annos decem & ſeptem, comprehenſis annis 12. quibus Gratiani & Valentiniani ſecundi collega extiterat, fuitque quadringenteſimus quintus ab Augusto. *Rex Perſarum mittit Oratores ad Theod.* Hic multa praeclare ac fortiter geſſit, & præter alia egregia facinora, Gotthos Thraciæ finibus pepulit; Hunnoſque ac Alanos Scythicas gentes, ipſi etiam Alexandro formidatas, multis magniſque prœlijs vicit, ac fugauit. *Fœdus inter Perſas & Romanos.* Iiſdem diebus, dum deuictis hoſtibus, Theodoſius Cõſtantinopoli ſubſiſteret, ad ipſum venêre oratores miſſi à rege Perſarum, ac nomine ſui regis pacem petierunt, qui

ſeu Prin-

ſeu Principis bonitate permotus, ſiue ſatiatus victoria, qua olim Iulianum ſtrauerat, & Valentem in fugam verterat, Romani Imperatoris ſocietatem atque amicitiam expetebat; quam & libens conceſſit, fœduſque iterum inter vtramque gentem renouatum eſt, quo vniuerſus pene Oriens Romanis reconciliatus fuit. Poſt liberatas tandem Barbarorum incurſionibus Thracias, Theodoſius Arcadium & Honorium filios, quorum alter in Oriente, alter in Occidente præeſſet, conſortes imperij fecit, & Imperatores atque Auguſtos nominauit: ſed propter ætatem adiunxit tutores præcipuos duces, Arcadio Ruffinum, Honorio Stilliconem, & Africæ Gildonem præfecit. Hos cum putaret fidos fore, quanquam ſapiens Princeps, tamen deceptus eſt. Impulit enim eos ad perfidiam regni cupiditas, vt ille inquit, ſi ius violandum eſt, regnandi gratia violandum, in alijs pium eſſe decet. Theodoſius obijt Mediolani anno ætatis ſuæ ſexageſimo, ſiue, vt nonnullis placet, quinquageſimo, die ſeptimo decimo, anno imperij decimo ſeptimo. Corpus, eodem anno, Bizantium tranſlatum, maiorum monumentis illatum eſt. Zoſimus tradit, ipſum obijſſe Conſtantinopoli. Sed priori ſententiæ magis, hac quidem in parte, aſſentior. Hic Imperator, cum Arſenio viro doctiſſimo filios in diſciplinam tradidiſſet, ſempiterna memoria dignum & vere imperiale illud verbum prolocutus eſt: Si tales ſe præbituri eſſent, vt mores vitamque ſuam ad diſciplinam & leges Dei componerent, propenſum ſe fore, vt eius imperium in manus tradat, ad ciuium & ſubditorum commodum, & vtilitatem accommodatum: ſin minus, conducibilius eis eſſe, vt ſic priuati vitam agerent, quam nulla doctrina cum periculo imperarent. Idem dicere ſolebat, Nihil eſſe noui, ſi homo creatura adeo caduca, è vita excedat. Vnius autem Dei eſſe, qui ſemel mortuos ad vitam reuocaret. Cum vero aliquando ex familiaribus cuidam dicenti, neminem illorum ab eo morte mulctatum eſſe, qui iniurij ei fuiſſent, reſpondit: Vtinam etiam eos in vitam reuocare poſſem, qui iamdudum mortui ſunt: licet hoc poſtremum nonnulli Theodoſio iuniori aſcribant. Imperij ſucceſſores, Arcadium & Honorium, ſicuti antea demonſtrauimus, reliquit. Iis autem regnantibus, cum cæteræ prouinciæ, tum in primis Gallia, & Italia, per Gothos, Hunnos, Viſegothos, Alaciros, Sueuos, Vandalos, & reliquas Barbaras nationes, ingentibus ærumnis & calamitatibus atrociſſime diuexatæ ſunt, adeo vt nemo ſit tam ſingulari eloquentia præditus, qui eas pro dignitate queat exprimere. Siquidem anno eiuſdem Honorij decimo octauo, Radagiſus ad ducenta millia Gothorum in Italiam duxit: ſed cum tranſiſſet Apenninum, ad Feſulam multitudo fame diſſipata, à Stilicone conſule oppreſſa & deleta eſt. Radagiſus fugiens captus, & ſtrangulatus: captiuorum greges ſingulis aureis diuenditi. Et ſi autem hæc initia Gothis in Italia non fuerunt læta, vt plærunque Deus ſcelera vtriuſque partis, varijs bellorum vicibus punit, tamen non mox finis fuit horum bellorum. Reliquiæ crearunt regem Alaricum, qui paulo poſt, perrexit Romam, & circumſeſſam biennio, cepit Cal. Aprilis, anno ſalutis quadringenteſimo decimoquarto; anno Romæ milleſimo, cēteſimo ſexageſimo quarto, anno poſt Radagiſi mortem quinto. Quomodo autem Roma tunc capta fuerit, cum ex alijs ſcriptoribus, tum etiam ex Procopio quam pleniſſime intelligitur. Quoties vero, hæc vrbs, quondam totius orbis domina & regina, ante hæc tempora, & poſtmodum, iuſtiſſima diuini Numinis vltione capta, direpta, ac etiam funditus euerſa ſit, paſſim eſt inuenire apud celebres auctores, ideoque ab huiuſcemodi enarratione ſuperſedeo. Vixit Arcadius annos vnum & triginta, tenuit imperium poſt mortem patris annos tredecim, ac filium reliquit pium & ſalutarem Orienti, quem pater viuens Auguſtum nominauerat. Honorius vero, cum iam regnaſſet annos 31. cum patre 11. cum fratre 13. cum fratris filio 16. morbo aquæ intercutis, vel, vt alijs placet, febri correptus, Romæ, nulla ſuperſtite ſobole, fatis conceſſit. Tradunt hiſtorici, & in primis Procopius, præfatum Arcadium iam moriturum, ac de ſucceſſore ſollicitum, Theodoſio filio paruo admodum, & pene in cunis exiſtenti, cogitaſſe, quemnam curatorem, ſociumque adminiſtratio-

Mors Theodoſii.

Eiuſdem memorabilis vox.

Arcadius & Honorius.

Variarum nationum irruptiones in Galliam & Italiam.

Roma capitur ab Alarico.

Arcadius & Honorius quamdiu regnarint.

nis ſimul & inſtitutionis optimæ adhiberet, qui & inimicos virtuté expelleret, & ſua potentia imperium incolume ſeruaret. In hac animi anguſtia conſtitutum, quanquam alias minime ingenioſus erat, quia plures offerebantur, ſalutare conſilium iniiſſe, quo filium pariter & imperium ſeruauit: ſiue de procerum ſuorum, qui continue aſſiſtebant, ſententia, ſeu diuino ſpiritu impulſum, teſtamentum condidiſſe, in quo hæredem illum inſtituit, tutorem vero illius Iſdigertem Perſarum regem.

Iſdigertes Perſarum rex ab Arcadio, filio tutor ſubſtituitur.

Sic mortuo Arcadio, Iſdigertes, lecto teſtamento, fidem Arcadij minime ſpernens, pacem cum Romanis toto tempore, tum imperium Theodoſio cuſtodiuit. Ac literas ſtatim ad Senatum ſcribens, officium ſtatim, aſſumpto negotio, ſeſe præſtaturum, & hoſtes, ſi opus omnino foret, prohibiturum recepit: & mox Antiochum cæteris eunuchis in aula ſua honorationem miſit ad procurationem & cuſtodiam regis Theodoſij, literis magiſtratus & primotes commonefaciens, vt regi ſuo parerēt; minas adijciens & vindictam, ſi id detrectarent. Hîc autem operæpretium eſt videre, quidnam Agathias libro quarto ſuper hoc facto Arcadii memoriæ prodiderit, & quomodo ipſum Procopium tacite perſtrinxerit, quod Arcadium hac in re plurimum commendauerit. Poſt Varanem, inquit, Iſdigertes filius ſuſcipit imperium, qui & magnus apud Romanos habetur, & celeberrimus. Arcadius namque ferme iam moriens, cum more mortalium ſua diſponeret; hoc vſum cuſtode ferunt, Theodoſij filij, & totius Imperij curatore. Is ſane vulgatior ſermo per priſcos poſteris proditus, vel ad hanc tempeſtatem, vt apud doctos, ita & imperitos, ſedulo circumfertur: haud tamen vſpiam literis commendatum comperimus, vel celebratum, nec apud eos forte, qui de Arcadij morte plæraque hiſtoriæ tradiderunt, niſi in Procopij rhetoris ſcriptis. Nec ſane miror hominem, qui multa didicerit, & omnem, vt ita dicam, collegerit hiſtoriam, vel id factum commemoraſſe, alteri cuipiam prius forte elaboratum: me vero qui minimam in partem hæc nouerim, haudquaquam eius narratio ceperit. Sed illud equidem admiratione dignum exiſtimauerim, quod cum hæc Procopius narret, haud tamen ſimpliciter per ſe cognita explicet, ſed Arcadium ipſum laudibus ferat, quod optimo ſit vſus conſilio. Ait namque, in cæteris eum haudquaquam ſatis ingenioſum fuiſſe, in hoc ſolo & ſapientem, & prudentiſſimum viſum.

Num Arcadius recte fecerit quod filio ſuo tutelam regi Perſarum commiſerit.

Mihi vero, qui id demiretur, apparet, nullam habuiſſe primi & repentini conſilij rationem, ſed rei euentus. Quo enim pacto par erat, homini alieno ac Barbaro, & Regi nationis inſenſiſſimo, alienæque opinionis & mentis viro, nec ſatis iam cognito, vtrum æquitatem & fidem ſeruaret, quæ chariſſima ſunt, commendaſſe? Quod ſi nihil ille in infantem deliquit, ſed huius imperium firmiſſime procurante ſe, ſeruabatur, præſertim cum infans ſub mammis adhuc nutriretur, Iſdigertes potius ilie benignitatis erit collaudandus, quam Arcadius facti. De his vero, vt

Iſdigertes quandiu regnarit.

ſenſerit quiſque, ſententiam ferat. Iſdigertes igitur, cum vnum & viceſimum regnaſſet annos, aduerſus Romanos bellum nunquam ſuſcepit, neque vlla hos vnquam affecit moleſtia, ſed beneuolus ſemper erga hos, & pacificus fuit, ſiue ita tulerit caſus, ſiue quia parceret puero, communibuſve liberis procreandis & legibus. Hactenus Agathias. Illud vero, quod extat apud probatos auctores, neutiquam mihi ſilentio inuoluendum eſt, nempe ſub hoc Perſarum rege Chriſtianiſmum permagna cepiſſe incrementa. Cum enim Iſdigertes, vt iam diximus, Theodoſii à patre inſtitutus tutor, & cum Romanis pacem ac ſocietatem coleret, frequentes extitere cauſæ, vt inter Romanos & Perſas crebræ vltro citroque mitterentur legationes.

Maruthas Meſopotamia epiſcopus apud Perſas Romanus legatus, in magno eſt apud regem Perſarum honore.

Itaque neceſſitate flagitante, Maruthas quoque Meſopotamiæ antiſtes, illuc orator miſſus eſt. Qui poſtquam ad Perſas veniſſet, propalam Rex illum in magno honore habuit, vt virum ſingulari ſapientia & virtute præſtantem. Magi, vbi tantum honorem Romanæ ditionis epiſcopo haberi viderunt, qui plurimum apud ipſum Regem gratia & auctoritate pollebant, ſummopere indoluerunt, variiſque cogitationibus æſtuabant; veriti, ne illum in ſuam fidem ac religionem alliceret, cum præſertim Maruthas, grauem ac diuturnum capitis dolorem, cum quo Iſdigertes diu conflictatus fuerat, precatione,

vt aiunt,

vt aiunt, Deo exorato, ſtatim curaſſet: quod quidem Magi, cum omnia tentaſſent, ſe vnquam effecturos deſperarant. Proinde aſtu ac dolo Regem aggredi ſtatuerunt. Quandoquidem Perſæ ignem tanquam Deum colebant, & Magos, eos appellabant, qui elementa in numerum deorum referebant, Rexque ex veteri conſuetudine perpetuum ignem adorabat, virum quendam in foſſam ſub terra eo tempore quo Rex aduenire ſolitus erat, demiſerunt, eumq; verba hæc Magi proclamare iuſſerunt: Exire oportere Regem; quẽ Deus impium iudicaret, quod Chriſtianorum præſulem, Deo charum atq; acceptum exiſtimans, tantopere amaret.

Idem capitis dolorem diuturnum in rege, precatione depellit.

Magi Maruthæ aduerſantur, & callido ſermone conantur efficere, vt à ſe Marutham rex dimittat.

Hoc vbi Perſa audiuit, Marutham, honeſte quidem & reuerenter, omnino tamen à ſe reijciendi conſilium cepit. Maruthas, diuinis precibus vehemẽtius incumbens, perfacile Perſarum dolum edoctus eſt, & Iſdigertem adiens: Ne ita illudi tibi, ait, patere ô Rex. Sed ſacrarium ingreſſus, cum ad te perferri vocem ſenſeris, effodi terram iubeto, & dolus ipſe illico patebit. Ignis enim vocem edere, vt qui inanimatus ſit, haudquaquam poteſt: ſed humana fraude hæc fabula inſtituta eſt. Rex illius verbis obſequitur. Atque vbi rurſus in ædiculam eam, in qua perpetuus ignis aſſeruabatur, ingreſſus, & eadem vox ad eum delata eſt, protinus eum locum effodi iubet, & qui ſub terram deum ſe aſſimulauerat, mortalis eſſe deprehenditur. Itaque ira percitus Perſa, Magorum genus decimauit.

Magorum dolus detegitur.

Quare ita acta, Maruthæ præceptum eſt, vt quocunque vellet loco, in Perſarum ditione Eccleſiam exſtrueret. Vnde Chriſtiana religio, etiam in Perſarum finibus longe lateque propagata eſt.

Chriſtianiſmus in Perſide propagatur.

At non multo poſt Maruthas, peracta legatione, Conſtantinopolim remigrauit. Et cum iterum Oratorem in Perſia mitti oporteret, denuo legationis munus obiuit. Magi autem idem quod antea, moliebantur; hoc vnum in primis agentes, vt ne rex, eo, ſicuti prius, vteretur, neve apud eum in tanto eſſet honore ac nominis dignitate. Proinde ex arte & machinatione quadam intolerandum excitarunt fœtorem, quo tempore Rex more ſuo deambulabat: atque inſuper calumniam confinxerunt, illum à Chriſtiani epiſcopi comitibus fuiſſe ſubornatum. Princeps vero, Magos, ex eo quod antea fecerant, iudicans, & eorum quoque id inuentum eſſe ſuſpicans, omni ſtudio in eius rei auctores inquiſiuit. Atque vbi ipſi rurſum teterrimi illius odoris patratores eſſe comperti ſunt, permultos denuo ſupplicijs ſubdidit.

Magorum noua fraus & dolus patefit, ac etiam grauiter coercetur.

Quocirca Romanos dilexit, & illorum amicitiam atque beneuolentiam mirifice coluit. Quin etiam, alio Maruthæ facto allectus, quod ille vna cum Abda Perſidis antiſtite peregit, cum vterque continuis orationibus incumbens, à filio eius dæmonem, à quo ſummopere vexabatur, penitus expuliſſet, Chriſtianorum ſacris adhærere ſtatuerat. ſed prius vita exceſſit, quam omnino Chriſtianus fieret: regnum autem eius ad filium Varanem, ſiue, vt alij, Vararanem deuolutum eſt, qui non eodem, quo pater, in Chriſtianos animo fuit.

Maruthas & Abdas Perſidis epiſcopus regis filium dæmonio liberant.

A Magis enim, qui illis hoſtiliter infenſi erant, perſuaſus, tum fœdera cum Romanis icta ſoluit, tum Chriſtianos, qui ibi erant, nouis Perſicis ſupplicijs excogitatis, crudeliſſime perſecutus eſt, anſamque præbuit nouorum bellorum, quæ inter ipſum & Theodoſium ſecundum Romanorum Imperatorem exorta ſunt.

Varanes ſuccedit Iſdigerti in Principatu.

Hic enim cum ab ipſis incunabulis ab Anthemio, viro eximijs ac præſtantiſſimis animi dotibus ornato, in Chriſtiana pietate quam optime inſtitutus eſſet, his omnibus qui eam amplectebantur, mirifice fauebat. Hos vero, qui in eius profeſſores ſe hoſtiliter gerebant, ſummo odio proſequebatur. Proinde, cum Chriſtiani qui erant in Perſia, innumeris calamitatibus preſſi, ad ipſum confugerent, eiuſque opem atque auxilium implorarent, ſtatuit illorum cauſam etiam armis tueri atque defendere.

Theodoſius Chriſtianæ pietatis fuit acerrimus propugnator.

Id quoque ad Perſis bellum inferendum non mediocrem ſtimulum addebat, quod videlicet, Romanæ ditionis hominibus, qui mercede in aurifodinis opus faciebant, illinc redite non permittebatur, & Romanorum mercatorum merces diripiebantur. Ad quas iniurias Chriſtianorum in vrbem Conſtantinopolitanam acceſſit perfugium. Et cum Perſa, legatione miſſa, perfugas ſibi reddi poſtularet, Imperator id prorſus recuſauit, non ſolum quod ipſos tanquam ſupplices & precatores ſeruare voluerit, ſed etiam quod pro ſua religione

Bellum inter Rom. & Perſas redintegratum.

tuenda & propaganda quiduis potius facere decreuiſſet, quam vt eos, cum quibus communem fidem haberet, vllo modo deſpiceret atque contemneret. Igitur pace ſoluta, & animis vtrinque mirum in modum exacerbatis, grauiſſimum & cruentiſſimum bellum inter Romanos ac Perſas redintegratum eſt, quod quam breuiſſimis fieri poterit verbis, enarrabitur. Ardaburius ex Imperiali aula cum non ita multis copijs miſſus dux, per Armeniam in Perſidem excurrit, & quandam eius prouinciam Azazanem ſiue Azamæam vocatam, vaſtauit. Aduerſus quem à Rege Perſarum dux alius Narſes venit, ingentem ſecum ducens exercitum. Hic, commiſſa cum Ardaburio pugna, cum ingenti ſuorum clade victus; in fugam ſe dedit. Ex qua conuerſus, Meſopotamiam Romanorum ditionem, omni tum præſidio exutam adoriri, & acceptæ cladis ignominiam abolere ſtatuit: ſed conſilium quod Narſes ceperat, Ardaburium latêre non potuit, qui quam maxima potuit celeritate, regione Azazena ſumme vaſtata, & ipſe Meſopotamiam pet jt. Narſes, quamuis varij generis copias coaceruaſſet, ingredi tamen Romanorum fines auſus non fuit. E Niſibi tamen ciuitate, quæ in finibus Perſarum & Romanorum ſita eſt, Perſis nihilominus ſubiecta, hominibus certis ad Ardaburium miſſis, de conditionibus pugnæ committendæ loco & die conſtituto, eum certiorem fecit. Cui ille renunciari iuſſit, Romanos, non quando ille vellet, ſed quo tempore ipſis commodum viſum eſſet, prœlium facturos. Et cum Perſam magnis viribus ſuas copias inuaſurum putaret, maximas & ipſe vires contraxit, ac protinus eos qui in vrbe Niſibi clauſi & circumuallati erant, obſidione premens, turres ligneas fecit, quæ rotis quibuſdam & machinis prouolutæ, mœnibus admouebantur, & ex eis longiore, pro muro, certamine commiſſo, multi è ſuperioribus locis vrbem propugnantes cædebantur. Vararanes autem Perſarum rex, vbi Azazenam regionem exciſam, & ſuos Niſibi inclusos muralium tormentorum vi affligi cognouit, cum omnibus copijs, quas tum paratas habebat, fortunam belli experiri conſtituit. Cum vero Romanorum virtutem metueret, Saracenorum auxilijs vſus eſt, quos Alamundarus vir fortis & bellicoſus duxit, qui cum multa eorum millia ſecum adduxiſſet, bono animo Regem Perſarum eſſe iuſſit, quamprimum ſe primo conflictu Romanos ſuperaturum, atque ipſi vna cum magna Syrorum vrbe Antiochiam ſubiecturum eſſe dicens. Hæc ille quidem iactabat, ſed eius verba minime ad optatum exitum peruenêre. Quibus namque rex quam maxime fidebat, Saraceni, quodam Panico terrore correpti, ſeq; ab ingentibus Romanorum copijs inuadi atque propelli opinati, & in magnum tumultum coniecti, ita, vt neque quid eis præcipue agendum, quoue effugiendum eſſet, ſcirent, vnà cum armis in Euphratem amnem ſe præcipitarunt. Opinio ſane obtinet, ibi ad centum millia virorum perijſſe. Romani vero, qui excitatis expugnatoribus vrbium machinis Niſibim obſidebant, cum audiſſent, Perſas magnam elephantorum multitudinem adducere, & ea de cauſſa non parum conſternati eſſent, omnibus cis machinis igne conſumptis, ad ſua loca ſunt reuerſi. Cæterum, quot poſtea prœlia ſint commiſſa, & quomodo alius Romanorum dux Areobundus item magiſter equitum, & conſularis, ſingulari certamine eum, qui apud Perſas omnium fortiſſimus habebatur, interemerit: & quomodo Ardaburius ſeptem fortiſſimos Perſarum ductores inſidijs exceptos, trucidarit: adhæc, vt Gratianus, alius Theodoſii dux, reliquias Saracenorum funditus extinxerit; breuitatis cauſa prætereo. Imperator Theodoſius, res in eo bello geſtas Palladio quodam celeri vſus, quamprimum cognouit. Is cum corpore fortis, tum animo adamantinus fuit: qui tanta celeritate equo inſidens vectus eſt, vt diebus tribus in fines, qui medij inter Perſas & Romanos ſunt, perueniſſe dicatur, totidemque poſtea diebus Conſtantinopolim reuerſus. Ob eam vero celeritatem, non ad Perſarum fines tantum, ſed etiam ad reliquas orbis partes, quo cum Imperator miſit, expeditiſſime peruolauit. Quapropter aliquando ex præclaris viris quidam, eius incredibilem celeritatem admiratus, dixit: Virum eum, tam amplam Romani imperij ditionem, anguſtam expedita celeritate ſua reddidiſſe.

Perſarum clades.

Narſes Romanis diem pugnæ conſtituit.

Romanorum reſponſum.

Niſibis obſidetur ab exercitu Rom.

Saraceni adiuuant Perſas contra Romanos.

Romanorum victoria.

Palladii celeritas.

diſſe. Inſuper, etiam Perſarum rex obſtupuit, quod legatione fungens, multorum dierum iter tam velociter perficeret. Hæc de Palladio. Theodoſius Conſtantinopoli degens, vbi Romanorum diuinitus conceſſam victoriam reſciuit, tanta probitate ac moderatione fuit, vt etiam in ſecundis rebus, pacis conſilia capeſſeret, & cum hoſtibus fœdus inire vellet. Helionem igitur ducem illuſtri dignitate præditum, ad pacem cum Perſis faciendam miſit. Atque is, poſtquam in Meſopotamiam peruenit, vbi Romani foſſam præaltam, quæ præſidio eis foret, duxerant, Maximinum, virum præclarum, & eiuſdem cum Ardaburio dignitatis, qui de pace ageret, ad Perſam ablegauit. Maximinus apud regem ſe à ducibus, non ab ipſo Imperatore, miſſum eſſe dixit: Illum enim, bellum hoc neſcire, atque etiam, vt maxime ſciret, parui tamen facere.

Theodoſii moderatio in rebus proſperis. Eiuſdem legatio ad regem Perſarum.

Porro Vararanes huiuſmodi legationem recipiens, quod eius exercitus propter illatas clades valde imminutus eſſet, tamdiu oratorem ſecum detinuit, quoad nouum exercitum decem millium armatorum, quos Immortales ipſi vocant, inſtrueret. Hi bifariam diuiſi, in medio partem quandam Romani exercitus non minimam, circumuentam concludere ſtatuerant. Romani ad eam hoſtium turmam, quam conſpexerant, conuerſi ferebantur. Nondum enim alteram, quæ derepente procurrerat, videbant. Et iam inter ſe acies concurrebant, cum Dei prouidentia, aliæ Romanorum copiæ ex colle quopiam proſpicientes, apparuêre, Procopij ducis ſigna ſequentes, qui ſuos ciues in diſcrimen coniectos animaduertens, contra Perſas duxit, eoſque à tergo aggreſſus eſt.

Vararanes parat bellum in Romanos.

Ita factum, vt qui paulo ante Romanos intercipere voluerint, ipſi ab illis circumuenti fuerint. Romani omnibus illis internecione deletis, ad eos inde qui ex inſidijs prodibant, conuerſi, itidem illos quoque iaculis confecerunt. Ad hunc igitur modum qui apud Perſas ſunt Immortales, ſubito mortales omnes eſſe comperti ſunt, ipſos in primis vleiſcente Seruatore noſtro, propterea quod plurimos eius cultores inſigni pietate præſtantes, acerbiſſimis tormentis atque ſupplicijs necauerint.

Perſarum clades.

Rex autem Perſarum, ea clade accepta, nihil ſe earum rerum ſcite aſſimulauit, & oratore è cuſtodia emiſſo, legationem recepit, pacem ſe, non vt Romanis gratificaretur, ſed ipſi oratori eximia quadam prudentia prædito, huiuſmodi honorem haberet, complecti teſtatus eſt, atque ita bellum Perſicum, quod initium propter ingentes perſecutiones aduerſus Chriſtianos motas ſumpſit, finem tum habuit. Cum ipſo autem bello, perſecutio quoque tunc maiori ex parte conquieuit. De his autem grauiſſimis perſecutionibus, quæ ſub hoc rege prius fuerant in Perſide, multa, vt reliquos omittam, Euſebius & Nicephorus in iis libris, quibus titulus eſt De Eccleſ. hiſt. tradidêre.

Pax inter Perſas & Roman.

Perſicis rebus ita ſeſe habentibus, Theodoſius Valentinianum conſobrinum ſuum Cæſarem renuntiauit, & cum matre Placidia Romam miſit. Tenuit imperium à morte patris annos quadraginta duos. Vixit annos quinquaginta vnum, & cum maxima pietate imperauit. Eo regnâre, Solis deliquium fuiſſe traditur, & apparuiſſe cometa, inde ab Idibus fere Iuliis, ad menſem vſque Septembris.

Mors Theodoſii.

Sub hoc Theodoſio magna fuit conuerſio imperii Britannici. Cum enim indigenæ Romanis, poſteaquam à Cæſare victi ſunt, annos fere quingentos paruiſſent, ſub hoc Imperatore, cum à Scotis & Pictis grauiſſime premerentur, ac de Romanorum auxiliis deſperarent, Anglorum & Saxonum opes è Germania euocarunt. Hi, pulſis Britannis, imperium facile occuparunt: ſed ita, vt ſeptem Reges diuiſis imperiis dominarentur, ac perpetuis bellis in ſeipſos graſſarentur, quoad Egbertus poſt annos circiter trecentos, quam Angli Britannos in Galliam expulerant, id eſt, anno ſalutis 800. pene ſolus imperauit. Poſtea Dani ac Scoti mox victi, & mox victores inſulam more prædonum annos fere 101. diripuerunt vſque ad Eduardum maiorem, qui Danis pulſis, imperium recepit.

Conuerſio Imperii Britannici.

Centeſimo poſt anno bellis inteſtinis flagrantes, Wilhelmum Normanum euocarunt. Is Haraldo cæſo, ac Republica conſtitura, regnum ſucceſſione ad ſuos detulit, eiuſque poſteritas, per annos quingentos & amplius, Regum ſerie continuata eſt, videlicet, vſq; ad ELISABETHAM inuictiſſimi & glorioſiſſimi

Wilhelmum Normanum.

Elſzenha Brittannia Regina.

Regis HENRICI VIII. & ANNAE BOLENIAE filiam, ex iuſtiſſimo legitimoque natam coniugio, &'auiti paternique ſceptri vnicam hæredem, quæ hoc noſtro tempore cum inclyta ſui nominis gloria, & maximo Prouincialium ac ſubditorum beneficio imperij ſui habenas tanta indicij rectitudine, conſilij maturitate, prudentia, iuſtitia, cæteriſque heroicis virtutibus moderatur & gubernat, vt Angliæ atque Hiberniæ regna, quibus illam Deus cum ſuprema poteſtate præeſſe vo.uit, ſub eius ſapientiſſimo regimine & adminiſtratione ſe iure merito feliciſsima nuncupare poſsint ac debeant. Equidem in huius celſiſsimæ atque laudatiſsimæ Reginæ dotibus recenſendis diutius immorarer, niſi conſtaret, has vniuerſo iam orbi prorſus innotuiſſe; meque ſuſcepti operis ratio, vt ad cætera proſequenda ſtylum & orationem conuertam, quaſi prehenſa manu retraheret atque impelleret. Proinde hæc tantum in præſentia delibaſſe ſufficiat.

Valentinianus tertius, ſub quo fuit declinatio Imp. Occidentalis. Vandalorum excurſiones.

Theodoſio humanis rebus excedente, Valentinianus tertius tenuit imperium annos triginta, fuitque vltimus Imperator Occidentis vſque ad Carolum Magnum, etſi interea multi ſeditioſi nominari Imperatores voluerint, qui tamen vix exiguam partem Italiæ habuerunt. Pœnas autem cumularunt & Valentiniani mores, qui mœchus, magus, & ducum benemeritorum parricida fuit. Circa hæc tempora, Vandali in Africam ingreſſi, vicerunt Bonifacium natione Thracem, qui tum Africam regebat, & alios Romanos exercitus, & Carthaginē occuparunt, anno eiuſdem Valentiniani decimoſeptimo, & ab orbe redempto quadringenteſimo quadrageſimo quinto. Sic regnum Occidentale vacauit annos fere 330. vſque ad ipſum Carolum Magnum. Hoc ſtatu rerum, in Perſia, Vararanes Iſdigertis filius, cuius ſupra mentionem fecimus, poſtquam annos viginti regnaſſet, ex filijs alteri imperium tradidit, cui deinde, cum in regno annos ſeptendecim, & menſes quatuor exegiſſet, Perozes in regno ſucceſſit, vir

Perozes rex Perſarum.

ſane, vt inquit Agathias, ſupra modum audax & bellicoſus, animique magnitudine præſtans, etſi cætera, mente & cogitatione haudquaquam fuerit conſtans, & longe plus audacia, quam conſilio pollens, in expeditione aduerſus Nephtalitas interijt, nec tam hoſtium robore, quam eius temeritate. Hic enim in hoſtili ſolo verſanti, præuidendæ ſimul & præcauendæ erant inſidiæ, quarum ipſe oblitus, in eas ſtatim præcipitauit. In ſcrobes nanque & foſſas cadendo, in-

Eiuſdem interitus.

genti per campos ſpatio in capturam paratas, cum vniuerſo exercitu perijt, vigeſimo imperij anno, vitamque finiuit inglorius, vt ab Hunnis turpiter debellatus. Nephtalitarum vero gens ipſa, Hunnica eſt, vt idem auctor teſtatur; qui etiam aſſerit, hunc bis contra eos arma ſumpſiſſe, & ex prima quidem expeditione in regnum ſuum, licet nulla re memorabili geſta, vel potius cum dedecore atque ignominia, rediiſſe. Cum enim in quibuſdam anguſtijs, vbi hoſtem perſequebatur, eſſet circumuentus, illarum exitu ab hoſtili agmine vndique occluſo, captus eſt, eoque neceſſitatis adactus, vt pacem à Nephtalitarum duce ſupplex peteret, nec prius ab eo pacis conditiones admiſſas, quam Perozes, corpore inclinato, adorationis honorem præſtiterit, & ſponſione vnà cum iuramento interpoſito confirmaret, nunquam ſe poſthac ipſis bellum illaturum eſſe. Cæterum inuitiſſimo animo huiuſmodi rem quæ præter decorum ac rationem eſſet, neceſſitate compulſum, hoc feciſſe, vt in ſuum regnum ſaluus atque incolumis rediret. Poſtea vero tam turpem ignominiam non ferentem, ſpreta iuriſiurandi religione, cum exercitu contra eos profectum, & cum illi rurſus inſidias ei

Bleſes Rex Perſarum.

ſtruxiſſent, propter iuſiurandum violatum cæſum eſſe. Bleſes deinde huius germanus frater, qui & Valens, ad regnum euectus, nihil eſt viſus ſiue domi, ſiue bello memoria dignum egiſſe, non ſolum quia mitior eſſet, ac placidis moribus, nec non ad impetus temerarios, & inimicitias obeundas non admodum promptus, ſed etiā quod breui extinctus eſt. Vix enim quatuor annos in imperio tranſegit. Huic ſucceſſit Cabades, ſub quo, rurſus inter Romanos, & Perſas bellum

Cabades Bleſis ſucceſſor.

redintegratum eſt, idque incidit in tempora Anaſtaſij. De hoc autem priuſquam ſermonem inſtituam, ad inchoatam ſeriem Romanorum Cæſarū reuertar. Su-

tar. Supra recenſuimus, poſt obitum Theodoſij ſecundi, Valentinianum tertium Imperij habenas ſuſcepiſſe. Hoc viuis ſubtracto, Fl. Val. Martianus imperium admodum ſenex adeptus eſt, qui Auguſtus deſignatus, pacatum tenuit Imrium. Cum Perſis & Vandalis fœdus percuſſit, paciſque adeo ſtudioſus, vt diceret, Donec liceret tranquille viuere, non decere Principem ſumere arma. Tarianum Iulinmq; fratres, alterum Illyrico, alterum Conſtantinopoli præfecit. Et cum annis ſex, ac totidẽ menſes imperaſſet, fatis ac naturæ conceſſit. Poſt huius mortẽ, Leo primus Græcanici ſanguinis, factus eſt ex Tribuno militari, Senatus & exercitus ſuffragijs Imperator, anno ab vrbe condita 1210. fuitq; nonus & quadrageſimus ab Auguſto. Septendecim annos Orientale imperium rexit. Princeps iuſtus, & in quo multæ clariſſimæ virtutes effulgebant, ſed omnium maxime erga homines calamitoſos miſeratio. Dicereq; ſolitus eſt, quemadmodum Sol, qui, quod ſuo ſplendore illuſtrat, nonnihil caloris impartitur, ſic Principem debere eos ſua dignari miſericordia, quos contueretur.

Martianus.

Leo primus Græcanici ſanguinis Imperator.

Eiuſdem egregia virtus.

Leone defuncto, Zeno ipſius gener regnare cœpit. Tenuit imperium annos ſexdecim, ſiue, vt alij volunt, ſeptendecim. Natus in Cilicia, obſcuris parentibus, ductor exercitus ſub Leone, raro exemplo à filio factus Imperator. Nam Leo Imperatorem fecerat Leonem ſecũdum, natum ex Zenone geneto, & Ariadna, quæ fuit filia primi Leonis. Moriturus autem filius Imperatorem fecit patrem. Hic obijt diem miſerabili morte. Cum enim ægrotaret, periodicis vehementijs ac exacerbationibus, vt medici ſcribunt, quaſi exanimatus iacens, viſus mortuus, impoſitus eſt ſepulchro: illic refocillatus, & ad ſe rediens, ſuffocatus dicitur, ne recordaretur illius illati incommodi: licet alij tradant aliam mortis ſpeciem. Cum enim in hæreſes ac impietatem, & corruptos mores prolapſus eſſet, omnibus eſſe odio cœpit. Nam ebrietati & crapulæ adeo deditus erat, vt plærunque mente penitus alienaretur, temulentuſque nihil à mortuo differret. Proinde cum ſe multo mero oneraſſet quadam vice, & moribundus iaceret, Ariadne vxor, alioqui ſatis illi inuiſa, veluti mortuum iuſſit ſepulchro, quo reges repónebantur, inferri, addito ingenti lapide, qui eum obtegeret. Poſteaquam reſipuit, & ebrietas reſoluta eſt, magnos edidit eiulatus, & clamores fruſtra, nullo opem ferente, ſic enim Ariadne ordinauerat, ne quis ſepulchrum aperiret, aut propius accederet, atq; ita extinctus eſt. Sub huius Principatu incendium adeo graue fuit Conſtantinopoli, vt, præter maximam vrbis partem conflagratam, centum & viginti librorum millia combuſta ſint, inter quæ & Homeri poema inteſtino draconis 120. pedũ aureis literis deſcriprũ. Poſt Zenonẽ, Anaſtaſius Dicorus ex humili loco ad imperij faſtigium euectus eſt, qui vixit annos octoginta octo, regnauit annos viginti ſeptem, & tres menſes. Fulmine ictum perijſſe exiſtimant. Cæterum, vt ad Perſas, quorum mihi præcipuus ſcopus eſt, ſeſe referat oratio, hi quidẽ, poſt fœdus ac ſocietatem initam cum Theodoſio ſecundo, ad hæc vſque tempora nullum bellum cum Romanis geſsẽte. Verum enimuero hæc diutina pax anno duodecimo imperij Anaſtaſij violata eſt, & inter vtramq; gentem atrociſſimum bellum ſubſecutum, Cabade apud Perſas regnante. Hic enim plurima Romanis intulit bella, ac ſæpe de Barbaris ſibi finitimis victoriam retulit, nihilque temporis intermittebat, quin turbis ſe & periculis inuolueret. vnde & in ſubditos ſæpe deſæuiebat, & implacabilis erat, ira vt perturbare res optime conſtitutas poſſet, & ciuili in ſtatu res innouare, ac conſueta peruertere. Ferunt pręterea, hunc legem tuliſſe, qua viris eſſent & in cõmuni expoſitę feminæ, nõ tamẽ iuxta Socratis Platoniſq; inſtituta & reconditas eorum in dictis cõmoditates, ſed vt cuiuis ex lege liceret, ad quamuis animus ferret, accedere, priuatique tori participare, vel ſi alteri nupſiſſet mulier, & in alterius eſſet hæc poteſtate: vnde id ſequebatur, vt iure & crebro ea in re peccare quis poſſet: ſed primoribus ipſis apertius id moleſte ferentibus, nec eſſe exiſtimantibus id iniurię tolerandum, ea lex regi & inſidiarũ, & exitij præcipua cauſa fuit. Siquidem conſpiratione facta, inſurgentibus vniuerſis, principatu hic ſtatim deponitur, vndecimo poſtquam regnare cœperat anno, & in Obliuionis præſidiũ, ſeu Lethes caſtellum truditur. Imperiũ vero ad Blaſem

Zeno Imp.

Eiuſdem miſerabilis mors.

Incendium Conſtantinop.

Lex Cabadis de Polygamia.

Lex iſta Cabadi exitio fuit.

Blaſes rex Perſarum.

transfertur,& hunc Perozo progenitum, qui ab humanitate iuſtitiaque plurimũ commendabatur. Cabades vero, è præſidio breui euadens, ſiue, vt ſcribit Procopius, vxore ad id doli iuuante, vt quæ viri vitam prætulerit ſuæ, ſiue aliqua alia ratione ad Nephtalitas ſe contulit, Imperatoremq; ſupplex adiuit, à quo benigniſſime exceptus, eiuſque gener factus, breui poſt, eius ope atque armis ad patrios lares deſcẽdens, ſine labore & periculis haud ſecus regnum recepit, ac ſi nunquam amiſiſſet, vacuumque id, & ſe perinde oppetiens, repperit. Blaſes namque, cui id traditum fuerat, volens quidem regio huic throno conceſſit, & imperium cenſuit per ſe relinquendum, in quo quaternos annos cum voluptate vixerat, idque renuere ex animi magnitudine maluit, & priuatim etiam ſecuritate vitam deligere: quo factum eſt, vt neceſſitatem ipſam optimum præueniret conſilium. Cabades vero, iterato potitus imperio, ad priores, & vndenos iam annos Monarchię in Principatu, alios triginta permanſit. Cæterum quomodo ex carcere liberatus fuerit, etſi varie narretur, hæc tamen præcipua cauſa fuiſſe dícitur. Cum eius coniux aditum ad eum peteret, quod venuſta forma eſſet, carceris cuſtos eius pulchritudine victus, & amore captus, ea conditione promiſit, ſe aditum conceſſurum eſſe, ſi ſuo amori obſequeretur. Illa cum caſta eſſet, & virum amaret, cuſtodis amorem ei indicauit, qui ſpe liberationis iubet vxorem voluntati cuſtodis parêre. Quod cum faceret, mulier poſtea familiariter intromiſſa, virum tandem liberauit: vbi enim nox aduenit, Cabades coniugi perſuaſit, vt veſtem illam ſuam indueret, atque in carcere conſideret: ipſe vero, illius habitu ſumpto, eam ipſam ſe eſſe probe aſſimulauit, & cuſtodia egreſſus eſt. Id vbi factum, Cabades, Seæ, ſiue vt alij volũt, Stoſen ductu, quam celerrime ſaluus ad Nephtalitas peruenit. Quorum Princeps illi, vt dictum eſt, & filiam matrimonio coniunxit, & exercitum attribuit, quo breui poſt, Perſicum regnum recuperauit, & quod vir ſagax atque induſtrius eſſet, illud poſtea quam tutiſſime tenuit. Eranno adminiſtrationis ſuæ vndecimo, pacem primum cum Romanis fecit: deinde vero, vbi mutuam ab Anaſtáſio pecuniam accipere voluit, atque Anaſtaſius ei reſponderet cautionis ſyngrapham, eum, ſi pecuniam recipere vellet, dare debere, abſque ea ne vnum quidem obolum accepturum eſſe, eam ob cauſam pacis fœdera rupit, & aduerſus Romanos bellum ſuſcepit. Quomodo autem hoc geſtum ſit, & Anaſtaſius per ſuos duces Amidam vrbem obſidere cœperit, Procopius libro primo De bello Perſico tradit. Magnnm enim exercitum illuc miſit, cui duces quatuot pręerant, Areobindus Olybrij ſocer, qui paulo ante in Occidente imperauerat, tũc Orientis Prætor, & Celer ordinum in palatio pręfectus, quem Magiſtrum Romani vocant. reliqui duo, Patricius Phryx, & Hypatus Imperatoris fratris filius, qui ambo Byzantij militum pręfecti fuêre. His additi erant Iuſtinus, qui poſt Anaſtaſium imperauit, & Patriciolus cum filio Vitaliano, qui contra Anaſtaſium tyrannidẽ corripuerat, & Phareſmanas Colchus genere, in rebus bellicis præſtans. Gogidaſclus, & Meſſas, Gothi homines, ex ijs qui Theodoricum è Thracia in Italiam venientem, non ſunt ſecuti, ambo & ſanguine illuſtres, & bello aptiſſimi. Deinde nonnulli fortes viri ſecuti ſunt, quo fortior exercitus nullus, nec prius, nec poſtea contra Perſas à Romanis exiuit. De his quidem luculenter Procopius, & quomodo Anaſtaſiam ciuitatem in Meſopotamia de ſuo nomine condiderit. Hoc autem bellum tandem Iuſtini tempore finitum eſt. Cæterum, antequam de hoc finem abſolnam, id quoque mihi adijciendum putaui. Inter Perſidem, & Indiam oppidum fuit Tzundadaer nomine. In eo Cabades maximam pecuniæ vim, pretioſoſque & pellucidos lapillos clam aſſeruari intellexit. Eis, vt vna cum oppidulo potiretur, nihil ſane intentatum reliquit: ſed quo minus quod volebat, efficeret, dæmones, qui eum theſaurum cuſtodiebant, obſtitiſſe dicuntur. Et poſtquam Perſicas euocationes & impoſturas expertus, dæmonibus videlicet, eum locum firmiſſime obtinentibus, nihil egit, per Iudæos rem expedire aggreſſus eſt: atque vbi per eos quoque optatis votiſq; ſuis potitus non eſt, per Chriſtianos tandem ſe quod conabatur, confecturum arbitratus eſt, quos aduerſus dæmones poteſtatem recepiſſe audiuerat. Itaq; Chriſtianorum, qui apud Perſas, erant,

Cabades aufugit ex carcere, & regnum recuperat.

Init pacem cum Romanis.

Contra eoſdem mouet bellum.

Anaſtaſii expeditio aduerſus Perſas.

erant, Præſulem ad ſe vocauit. Qui ea de cauſa Synaxi & conuentu Eccleſiaſtico populatium ſuorum coacto, & diuinis ſanctificarionibus perceptis, eiſdemque Chriſtianis, qui ibi conuenerant, datis, ſigno crucis, qui eum locum incolebant, dæmones exegit, & Cabadæ ſtatim ſine vllo labore ac difficultate oppidũ tradidit. Qua re conſternatus Perſa, primo ſubſellio Chriſtianorum Antiſtitem cohoneſtauit, cum ad id vſq; tempus, Iudæi, & Manichæi primarias ſedes obtinuiſſent. Atque ab eo tempore, vt deinceps quicunque vellent, Chriſtianorum ſacra colerent, omnibus liberam poteſtatem permiſit, quos ille antea excruciauerat, adeo vt etiam multis membra, & eas partes, per quas vox editur, ademerit, qui tamen illis etiam ſic amiſſis, non minus quam antea clate ſunt locuti: vt teſtatur Nicephorus Eccl. hiſt. libro 16. cap. 36.

Cabades oppid. Zundaaer cũ maximis opibus, quibus Dæmones incubabant, Chriſtiani epiſcopi opera, potitur. Idẽ ex perſecutore, protector Chriſtianorum fit.

Interea Byzantij mortuo Anaſtaſio ſucceſſit Iuſtinus anno ſal. 511. qui regnauit annos octo, & menſes aliquot, ſiue, vt alij, nouem annos, & tres dies, natus obſcuro loco in Thracia, patre armentario, ſed miles factus, virtute creuit. Tertio Iuſtini Principis anno, moto bello inter Romanos & Perſas, miſit idem Iuſtinus legatos & munera ad Zelioben regem Hunnorum, iſque repromiſit cum iuramento, ſe Imperatori contra Perſas auxilium præſtiturum. Mittentem autem deinde ad ſe regẽ Perſarum, admiſit, & ſuadenti promiſit, etiam ipſi idem ſe præſtiturum contra Romanos: Hoc vbi Iuſtino renuntiatum eſt, grauiter indoluit. Porro direxit Zeliobes ad Perſas viginti millia hominum armatorum ad expugnandos Romanos. At vero Iuſtinus deſtinauit Regi Perſarum legationem pro pace, & inter cætera etiam de Zeliobe ſignificauit, ipſum opitulationis iuramenta cum Romanis habere, & ab eis munera accepiſſe, ac velle proditor Perſarum fieri. Cæterum nos, inquit, cum ſimus fratres, amicitiam amplecti decet, & ſummopere cauere, ne ab iſtis canibus illudamur. Tunc Perſarũ rex, accerſens ſecreto Zelioben, ſciſcitatus eſt, num accepiſſet à Romanis munera, hortatus eos aduerſum Perſas. Qui dixit: Etiam. Et iratus, illum occidit, & per noctẽ miſſa multitudine Perſarum, interfecit populũ eius, ſuſpicatus, quod dolo ad illum veniſſent. Quotquot autem potuerunt fugere, ad ſuos redierunt. Quinto anno imperij Iuſtini, Zatus rex Lazorum, recedens à regno Perſarum, adhuc regnante Cabade, & Zatum amante, qui etiam illum in regem prouexerat Lazorum, venit Byzantiũ ad Iuſtinum, eumque rogauit, vt fieret Chriſtianus, & ab ipſo appellaretur Imperator Lazorum. At Imperator ſummo gaudio & lætitia illum excipiens, Chriſtiana fide ac religione imbuit, & mox filium appellauit. Profectus autem Lazorũ Imperator à Iuſtino, coronam & chlamydẽ Imperatoriam albam geſtauit. Quo comperto, Cabades Perſarum rex ſignificauit Iuſtino, ſe valde admirari, quod, cum amicitia & pax inter Romanos & Perſas vigeret, ipſe hoſtiliter ageret, & proceres viros ſibi ſubditos, à ſuo imperio abduceret. Cui Iuſtinus reſpondit, ſe neminem ex ſuis ſubiectis, ab eius fide atque obſequio alienaſſe. Cæterum, cum Zatus vltro ad ſe accederet, ac procidens, ſubmiſſe oraret, vt ab impio Ethnicorum dogmate, falſiſque cultibus & ſacrificijs liberaretur, ac fieret Chriſtianus, ſe illius honeſtiſſimæ petitioni aſſenſum eſſe, atque ipſum, vbi de more baptizatus eſſet, & Chriſtiana fide ac religione inſtitutus, in ſuam ditionem remigraſſe. His auditis Cabades, in eadem cum Romanis ſocietate atq; amicitia conſtanter permanſit. Memoria dignum & hoc eſt, videlicet, his temporibus Manichæos in Perſia deletos eſſe, quod Regis filium in ſua deliramenta & errores perrraxiſſent. Sunt enim qui in literas retulerint, hunc Regem, multa millia Manichæorũ vna cum ipſorum Antiſtite Indagaro, & plæriſque ex Senatorijs ac præcipua nobilitate viris, qui eorum partibus adhærebant, vno die contrucidari iuſſiſſe. Huius enim filium nomine Phatuarſam, Manichæi in ſuas partes pellexerant, eique certiſſimã ſpem præbebant, fore, vt patre iam deuexa ætate, in fata concedente, ipſe, neglectis prioribus fratribus, ad regale faſtigium promoueretur. Hæc vbi primum Cabadæ per fideles miniſtros renuntiata ſunt, comitia indixit, eo quidẽ prętextu, vt diceret, ſe hunc filiũ regẽ deſignaturũ: & iuſſit omnes Manichæos cum ſuo Antiſtite, mulierib. & liberis adeſſe cõuentui. Similiter & Principẽ Magorũ Glona-

Iuſtinus Imp.

Bellum inter Romanos & Perſas.

Zeliobes rex Hunnorum interficitur à rege Perſarũ propter perfidiam.

Zatus rex Lazorum fit Chriſtianus.

Amicitia inter Perſas & Romanos.

Quomodo ex Perſia, Manichæorum ſecta, deleta fuerit.

zen,Magos,& Chriſtianorum Præſulem Boazanem,quem Cabada propter fidei ſinceritatem & rei medicæ peritiam plurimi faciebat. Proinde conuocatis Manichæis,dixit,ſibi iamdudum eſſe probe cognitum ac exploratum,quanto amore & obſeruantia ſuum filium Phatuarſam proſequerentur, & quauropere expeterent,illum ſibi in regno ſuccedere. Se igitur cōſtituiſſe ipſorum optatis omnino morem gerere. Cæterum breui poſt,collecto exercitu, omnes ad internecionem vſque interfici iuſſit.

Stratagema

Septimo anno eiuſdem Principis, menſe decimo, Artemiſio menſe,cui apud Romanos Maij nomen eſt,vigeſimo nono die, Meridie maxime vigente, motus terræ vna cum concutienti ebullitione Antiochiæ incumbens,eandemque funditus quaſſans, deformem & horrendam reddidit: & quicquid in ea eximium fuit,in ſolum coniecit. Ad quam cladem fulmen quoq; acceſſit,ita vt ea mala calamitatem inter ſe diuiſiſſe viderentur. Maiorem enim ciuitatis partem terræmotus & concuſſio ſoloęquauit. Si quid vero clades eæ intactum reliquiſſent,ignis imminens conſumpſit,atq; in cinerem & puluerem admirando prorſus modo redegit. Eiuſdem Iuſtini imperij tempore Epidamnus etiam,quæ nunc Dyrrhachium dicitur,plurima à ſæuis terræmotibus damna ſuſtinuit. Erit em Corinthus,quæ vrbs in Græcia ſita eſt: Idem vero & Anazarbus, quæ ſecundæ Cilicum genti præeſt,pertulit. Quas vrbes magna pecunia Iuſtinus reſtaurauit.

Incendium & motus terræ Antiochiæ, atq; alijs in locis.

Sub eodem imperio, Edeſſenorum quoq; nobiliſſima ciuitas,quæ maxima ſimul & populoſiſſima in prouincia Oſroënorum eſt,mirifica Scirti qui eam præterfluit,amnis exundatione,in tantum eſt afflicta, vt, cum multa ædificia ſecum conuulſa ille abſtraxerit,tum infinitam hominum multitudinem abſtulerit atq; ſubmerſerit. Quos poſtquam vnda rapuit,confeſtim inſtar torrentis per mediam vrbem profluens,euanuit. Quod vbi malũ conquieuit, tabula marmorea apparuit,hieroglyphicis literis hæc ſignificans:

Edeſſa clades ex amnis ingenti exundatione.

Saltabit eius ſaltum ſaltator acerbum.

Viſa vero eadem tempeſtate eſt Gigantæi generis mulier quædam, cuiuſuis hominis ſtaturam excedens: longitudini ei proportione latitudo etiam reſpondebat. Porro Imperator Antiochenis atq; alijs calamitatibus in mœrorem coniectus,capitis diademate poſito,& pulla veſte ſumpta,luctui ſe dedit: & vrbs vniuerſa cum eo pullata & ipſa eorum quæ acciderant malorum cauſa luxit. Imperator vero non ſolum Antiochiam, ſed & Edeſſenorum ciuitatem atque Anazarbum,impenſis Imperatorijs ſplendide reſtituit, vt auctor eſt Nicephorus in Eccl. hiſt.

Gigantæi generis mulier.

Dum hæc ita geruntur,inter pręfatum Imperatorem,& Perſicum regem, adhuc ſocietas atq; amicitia continuabat,quæ tamen breui poſt à Perſa violata eſt. Cabades enim tum literis,tum oratoribus à Iuſtino petierat, filium Coſroëm ab eo adoptari,cum plures alij ſibi eſſent,quod quidem Proclus potiſſimum diſſuaſit. Vnde & orta ſunt à Perſis bella, quæ Procopius late ac diſerte proſecutus eſt. Iuſtinus interim,quia ſenex iam erat,& tandem morbi ad ſenectam accedebant,quarto menſe antequam obiret,Iuſtinianum ſororis ſuæ filium, præſentibus Epiphanio Patriarcha & pręcipuis Senatoribus, Cæſarem renuntiauit. Præfatus Patriarcha & Iuſtinianum, & Theodoram eius coniugem vno eodemque tempore coronauit.

Bellũ renouatum inter Romanos & Perſas.

Iuſtini obitus.

Iuſtinianus.

Iuſtinianus adeptus imperium,regnauit annos triginta octo, menſibus ſeptẽ, & diebus decem,vixitq; annos octoginta tres. Valuit conſilio,& imperij dignitatem ſumma cum militaris ac domeſticæ diſciplinę gloria reſtituit, eoq; felicior ac fortunatior extitit,quod induſtrios,præſtantes, ac fortunatiſſimos duces habuerit,per quos in maximis bellis in Aſia defendit Imperium, alibi recuperauit prouincias aliquas amiſſas. Siquidem Vandalis Africam, & Gothis Italiam eripuit,& Parthorum quoq; repreſſit incurſiones. Inter cæteros autem inſigniores ipſius duces,fuêre Belliſarius,& Narſes Perſamenius,quorum inclyta virtute ac felicitate,Vandali ex Africa,& Gothi ex Italia expulſi. De horum autem egregijs factis,& præclariſſimis victorijs, multa paſſim apud diuerſos auctores videre eſt,in primis autem apud Procopium Cæſarienſem,& Agathiam. Horum

Belliſarius & Narſes præcipui duces Iuſtiniani.

prior, quatuor volumina ad antiquitatis ſtylum accedentia compoſuit, quorum vnum Perſica nominauit in quatuor partes diuiſum opus. Secundum, pari diuiſione Gothica: quæ ſcripta, bella ab ipſo Iuſtiniano & Belliſario in orbe Romano feliciter geſta, complectuntur. Tertium ædificia inſcripſit, magnifice admodum commemorans, quæ opera Iuſtinianus conſtruxerit: templa ſcilicet, regias, oppida, vrbes, pontes, atque alia ad publicum vſum ſpectantia. Quartum opus, retractatio eſt eatum orationum, quas apud Iuſtinianum, laudibus eum vehens, habuit, quaſi quædam palinodia, ſeu recantatio minus recte ab eo dictorum. Belliſarij res deſcribens, cuius comes in bellica expeditione illi ſubſeruiens fuit, primum commemorat, quomodo Cabades Perſarum rex, Choſtoe filiorum ſuorum natu minimo, regnum relinquere volens, eum, ſicuti antea diximus, in adoptionem Romanorum Imperatori dare ſtatuerit, quo iuueni certius firmiuſq; regnum foret. Hoc vbi illi non ſucceſſit, Proclo impediente, qui apud Iuſtinianum quæſtoris dignitatem gerebat, grauiores inimicitias contra Romanos ſuſcepit. Et bellum Procopius inter Romanos, Belliſario duce, & Perſas geſtum, mira facundia & elegantia optime exequitur. Primum, vt Belliſarius vna cum Hermogene exercitus ductore, Perſas ad Daras, & Niſibim vicerit, ſcribit. Et victoriæ eorundem trophæa in Armenia erecta, attexit. Item Alamundari Scenitarum Barbatorum ducis, bello aduerſus Romanos ab eo moto, res geſtas. Qui Timoſtratum Ruffini fratrem, vna cum plurimis alijs eius comitibus captum, poſtea ingenti pecunia redemptum, reddidit. Poſtquam miſerabiliter autem memorat ipſius Alamundari, & Azareti aduerſus Romanorum imperium expeditionem, quemadmodnm copijs eorum militaribus per vim in regionem ſuam redire contendentibus, in Euphratis ripa Belliſarius occurrent, atq; cum eis prœlium commiſerit, & quomodo Belliſarij milites, quod eius conſilio parere noluerint, Paſchalium feriarum diebus inſtantibus, ſint conciſi. Quomodo denique Rufinus & Hermogenes perpetuam, quæ dicitur, pacem cum Perſis fecerint. Deinde ſeditionem popularem Byzantij ortam ſubiungit, quæ cognomen ſortita eſt Νίκα, Vince: quod eam teſſeram in ipſo conflictu perduelles habuerint, vt eo ſigno ſe earumdem partium ſectatores cognoſcerent. Hæc, & pleraque alia Procopius, ſcitu digna recenſuit, & literis conſecrauit. Ipſe quidem ab Arcadij morte exorſus hiſtoriam eſt, qui Iſdigerti Perſarum Regi, & imperij procurationem, ſicuti antea recenſuimus, & Theodoſij curam reliquit, & ab his inſuper quę Vrbano Perozoque acciderunt. Narrat præterea, quemadmodum Cabades regno priuatus ſit, idque ſtatim recuperauerit. Ad hæc vt Amidam Anaſtaſius Romanorum Rex ceperit. & poſt hunc, item Iuſtinus Imperator & ſenior, eadem in re vt plurimum inſudarit. Item, Perſarum prœlia explicat, & quæ Iuſtinianus Cæſar aduerſus Cabadem Coſroemque reges circa Syriam, Armeniamque, & per Abaſgorum confinia geſſerit. Contra vero, vt Surorum vrbs in Syria Berthœaque, & ad Orontem fluuium Antiochia hoſtiliter fuerit à Coſroe Perſarum Rege deleta. Edeſſaque ciuitas obſeſſa, à qua poſtmodum depulſus, abſceſſerit. Ex eodem etiam colligi poterit, quemadmodum Romanus exercitus circa Lazorum caſtella, & Petrę præſidium, in Chorianem, & Mermeroem, Perſarumque multitudinem ſe geſſerit. In his autem Procopius finem hiſtoriæ fecit, quæ ad annum vſque vigeſimum ſextum imperij Iuſtiniani ſunt geſta. Quæ vero ad ea, quæ ex his ipſis dependent, & ſubſecuta poſtmodum ſunt, quæq; Narſes bella fortiter ac feliciter confecerit, Agathias Smyrnæus, à Teia poſt Totilam Gothorum duce facto aduerſus ipſum Narſetem, initio deſumpto, non minus vere quam preſſe ac eleganter explicauit. Nec minori candore atque facundia recenſet bella per idē tempus inter Perſas & Romanos geſta in Lazico agro. Lazi autem olim, vt ipſe inquit, Colchi dicebantur, qui circa Phaſidem fluuium, & Caucaſum montem, & loca circumiecta degebant. Porro inter vtramque gentē, ſicuti hactenus oſtenſum eſt, iampridē maxima & crudeliſſima bella interceſſerant, ita vt creberrimis incurſionibus alternis agros popularētur, & deuaſtarent, nūc repētinos machinādo inſultus, nūc copioſo exercitu in aciē aperti' prodeū-

Procopij Cæſarienſis ſcripta.

Res geſtæ ſub Iuſtiniano.

Bellum Perſicum.

Belliſarius & Hermogenes duces.

Pax Perſica.

Seditio Conſtantinopolitana.

Agathias deſcribit bella geſta per Narſetem.

do,ita vt & ſi paulo ante inducias feciſſe viderentur, haud tamen omnino inter ſe concordes ac pacifici eſſent,neq; vbique bella ceſſabant,niſi Orientem verſus, & circa Armeniæ fines,vbi vtriſque ſancita pax erat firmior:ſed tum temporis etiam circa Colchos prœlia gerebantur.Horum quidem nonnulla loca Rex Perſicus,duce Mermeroë viro longe præſtantiſſimo,eiuſque ſucceſſore Narchoragra, occuparat,& Iuſtinianus eorum tutelam ac defenſionem ſuſcepit.Quęnam vero cauſa ipſum ad hoc impulerit,idem Agathias cum eorum bellorum explicatione lib.2.luculenter oſtendit.Hęc autem accidêre quinto anno,ex quo,apud Perſas Choſroes Cadabis ſucceſſor,& duodetrigeſimo,ex quo Iuſtinianus Romanis imperabat.Choſroes vero,cum animo agitaſſet, haudquaquam ſe poſſe in Colchico agro Romanis obſiſtere,vel marc ipſum tenentibus, quo exercitib' neceſſaria tranſuectabantur, & longe aliter ipſe vt longis deſertiſque itineribus,ita & per baiulos homines, & oneraria iumenta ſumma difficultate perpauca cibaria mittere ſuis copijs cogeretur, decreuit in poſterum à bello cum Romanis abſtinere.

Choſrois legatio ad Iuſtinianum.

Vt itaque pax non locis quibuſdam,& ad breue conſtitueretur,neue nõ diu eſſet,vt imperfectior,permanſura,& mutilata,ſed eodem tenore vbique confirmaretur,ad Iuſtinianum oratorem Byzantium mittit Perſam virum inter cæteros facundiſſimum,(Zich illi erat nomẽ) qui vbi ad Imperatorem peruenit,multis vltro citroque dictis,in id denique conuentum eſt,vt Romani Perſęque ea tenerent,quæ in agro Lazorum belli iure cepiſſent,ſiue caſtella,ſiue præſidia forẽt, neque de his poſthac certaretur,niſi maius aliquod interueniret rei principium. Zich itaque pro ſuo,& Imperatoris officio,hoc modo peractis rebus,ad ſua ſe cõtulit.Hæc vbi exercitibus nunciantur,ad multum temporis quieti , & ſine vllo prorſus bello manſêre , & quod ſponte antehac fecerant,ex pactione fuit tunc protinus confirmatum.

Pax inter Romanos & Perſas.

Poſt vero aliquot annorum decurſum,Choſroes vbi Romanorum in Libya & Italia res bello geſtas cognouiſſet,ingenti inuidia commotus, bellum Iuſtiniano indixit,eo quidem prętextu , quod ab ipſis Romanis fœdera violata,& pax ſoluta eſſet.

Choſroes pace violata, Romanis nouum bellum infert.

Quo audito,Iuſtinianus, oratores ad Choſroẽ miſit,qui ſignificarent,nullam ſe cauſam præbuiſſe,vt, quæ pacta eſſet pax perpetua,frangeretur,neque quicquam detrimenti conuentis intuliſſe, proindeq; petebat,vt de rebus controuerſis diſquiſitio fieret:& cauſæ , quæ in medium prolatæ eſſent,pacatis conſilijs placide atque amanter componerentur. At Choſroes, quod grauem, qua in animo ſuo flagrabat, inuidiam ac æmulationem non ferret,nihil prorſus quod rationi conſentaneum eſſet,reſpondit. Quin potius ingẽti exercitu ex ſuis populis coacto,decimo tertio imperij Iuſtiniani anno, Romanorum ditionem adortus eſt, & primo Surum oppidum ad Euphratem ſitum, expugnatum cepit,ciuibus partim per pacta conuenta allectis , partim per arma deuictis.Deinde Berrœam incenſam, igne vaſtauit, & Antiochiam vi oppugnatam,miſerabili clade affecit. Poſthæc, Edeſſa à Perſis fruſtra oppugnata, finem bello,per id quidem tempus,impoſuit. Nam paulo poſt, Choſroes in regnum ſuum reuerſus eſt.

Surum, Berrœa & Antiochia expugnantur à Perſis. Edeſſa defenditur à Romanis.

Cæterum qualis quantuſque hic Rex fuerit, quãdiu,multis rebus inſigniter geſtis clarus,floruerit,& quo tandem exitu vitam terminauerit, Agathias circa finem libri 4.his verbis apertiſſime declarat. Cadabe,inquit,mortuo,anno Iuſtiniani imperij quinto,Choſroes apud nos maximus ille,paternum ſuſcepit imperium,reſque eximias geſſit, quas rhetor Procopius, & prior quidẽ, hiſtoriæ demandauit,cætera vero,quæ ille omiſit , partim nobis ſunt explicata, partim ſubſequenter explicabũtur,quoad temporum commutatio ipſa exactiſſime obſeruetur. Sed illud in præſentia dixerim, per octo & quadraginta iam annos,quibus potitus imperio eſt , quam multas hunc retuliſſe victorias , & eo magnitudinis euaſiſſe , vt nullus priorum apud Perſas regum fuiſſe huic ſimilis comperiatur,vel ſi cum ſingulis eum quis conferat , ne Cyrum dicam Cambyſi huic parem facturus ſit,ſed ne Xerxem quidem ipſum,quem mare ferunt contabulaſſe,equitabileque id reddidiſſe,& nauigabiles montes. Choſroes itaque & ſi ſua magnitudine cæteros anteiuit , vitæ tamen eſt exitum vt calamitoſum & inglorium nactus,ita & alieniſſimum à ſui temporis Principum fine. Is namque,

Quanta fuerit Choſroa potentia, eiuſque proſperi ſucceſſus.

Eiuſdem obitus.

cum

cum interea circa Carduchios montes æſtiuo tempore in Thamanorum vico quodam, vitandi æſtus gratia & ob locorum temperiem ſecedendo diuerſaretur, Mauritius Pauli per Tiberium Conſtantini Romanorum Imperatorem Orientalibus copijs præeſſe iuſſus, in Arxianum agrum incurſionem de improuiſo fecit, qui vtique contiguus erat circumiectis vico, vbi Rex erat Perſarum: Caſtellis & agris protinus & intrepide deuaſtatis, Zirma flumine traiecto, in anteriora proceſſit, & proxima quæque depopulatus, igne demum ſuccendit. Cum is itaq; armis igneque omnia peruaſtaret, Choſroes ipſe, non enim longius aberat, quam vt in altum euectam lateque diffuſam flammam intueretur, hoſtilis perinde incendij inſuetus, haudquaquam eius proſpectum tulit, vnde pudore ſimul ac formidine percitus, nec hoſtibus obuiam iuit, nec quoquam pacto iniuriam vindicauit, ſed præter modum ex ea clade dolore ingenti perculſus, ac ſui prorſus deſperans, morbo ſtatim inſanabili quodam corripitur, vnde quam celerrime ac per manus elatus, ad Seleuciam Cteſiphontem regiam fertur, & in fugæ morem facta diſceſſione, non longe poſt vitam finiuit. Hactenus Agathias, qui inter cætera aſſerit, ſe, vt antea commonſtrauimus, ſuam hiſtoriam ex archiuis & Perſicis libris deſumpſiſſe, & in his perſcrutandis diligenter elaboraſſe, adeo, vt & Perſarum ſucceſſiones Imperatorum, & annorum numerum, & quæcunque alia memoriæ tradiderit, ſe nihil ambigere affirmet, quin vt veriora, hæc à ſe confirmata ſint. Porro non deſunt, qui memoriæ mandauerint, Choſroem iſtum paulo ante obitum, ſacris noſtris initiatum, atq; ad diuinum Lauacrum admiſſum eſſe, quod quidem nec inficiari, nec affirmare auſim. Proxime recenſuimus, inter cætera oppida & vrbes à Perſis occupatas, etiam Antiochiam fuiſſe captam & expugnatam.

Popularis & communis morbus in toto orbe perquam diuturnus.

Biennio autem ab huius expugnatione, morbus peſtilens obortus eſt, aliqua ſane ex parte ei quem Thucydides deſcribit, perſimilis: aliquo vero modo multum ab eo diſpar. Ortum cepit ex Aethiopia: vniuerſum vero prope peruaſit orbem, veluti incedens, & ſenſim tranſiens, ita vt neminem fere eius temporis hominem intactum prætererit. Quędam ciuitates adeo ſunt ab eo morbo occupatæ, vt ab incolis prorſus vacuæ fierent. Fuêre quas leuius carperet, & ſtatim inde tranſiret. Nec ille certa quadam periodo graſſatus eſt: neque vbi graſſari exorſus eſt, eundem curſum tenuit: verum quibuſdam in locis appetēte hyeme atrocius ſæuire cœpit, in alijs verno tempore, in nonnullis æſtate prima, alicubi autumno iam progreſſo: in quibuſdam oppidis partem aliquam attigit, à reliqua autem abſtinuit. Et videre erat in ciuitatibus hoc diro contagio affectis, domos prorſus omnes conſumptas: in alijs vnam atque alteram ad vaſtitatem redactam, reliquas autem intactas. Fuerunt homines qui certius deprehenderent, quæ ædes tunc immunes ab iſta lue extitiſſent, eas proximo deinceps anno ſolas illam ſenſiſſe. Illud vero in hoc malo nonum eſſe viſum eſt, quod ſi ciues aliqui earum vrbium quas peſtis inuaſiſſet, alio migraſſent, ſoli ipſi ea corriperentur, qui ex inſectis ſcilicet iam vrbibus inter intactos verſarentur. Porro malum hoc potiſſimum ſæuijt eis cyclorum periodis, quos Epinemeſes Græci, hoc eſt, depaſtiones vocant. Internecione autem prope interiêre homines ſecundo πεντεκαιδεκαετήριδος, hoc eſt, eius qui annos quindecim complectitur cycli anno. Et variæ erant peſtis huius ægritudines. In quibuſdam enim à capite incipiens, oculos ſanguinolentos & faciem tumentem efficiebat. Deinde gutturi inceſſens, vitam adimebat. Quoſdam ventris profluuium inuadebat. In alijs bubones etiam extabant, & acres accedebant febres. Moriebantur intra biduum & triduum, perinde atq; nihil paterentur, ratione & valetudine in eodem vigore permanentibus. Nonnulli vero mentis impotes moriebantur. Item carbunculi exorti, homines celeriter inflammarunt & extinxerunt. Erant qui ſemel atque iterum hoc malo capti & liberati, poſteá, tanquam poſtliminio correpti peribant. Diuerſa etiam fuit contagio, omnem rationem excedens. Nonnulli enim morbum ex conſeruatione tantum & conſuetudine ęgrorū contrahebant, alij ſolo contactu illorū interitum ſibi creabant. Erant qui, cum in domū ſaltem proſpexiſſent, inficiebantur: alijs id in foro contingebat. Nōnulli qui periculum

euaſerant,ex infectis vrbibus excedentes, contagionem morbi ad integros & valentes tranſmittebant. Quidam vero ea lue correpti prorſus non ſunt, quamuis familiariter cum multis ægris vixiſſent:& non ſolum eos ipſos ægros, verum etiam ex ea pęſte defunctos homines contrectaſſent. Multi namque erant,qui magno ſtudio vt obirent,agebant, propter liberorũ aut totius familiæ internecionem. Quam ob cauſam ægrotis immixti,cum morbo ipſo quodammodo colluctabantur. Nihilo tamen magis, pro eo atque cupiebant, ex hac vita migrabant. Lues iſta,ad quinquageſimum ſecundum annũ, peſtilentias priores omnes longe poſt ſe relinquens,graſſata eſt. Philoſtratus peſtẽ ſui temporis, quæ quindecim durauit annos,admiratur:ſed illam hæc multis modis ſuperauit.

Sub Iuſtin. plurima prodigia.

IVSTINIANO imperante, quamplurima etiam prodigia extitêre. Ingentes terręmotus,concuſſiones & hiatus,ſtellarum faces admirandæ, atq; exundationes maris,quod prope ad quatuor milliaria in Thraciam excurrit. Conſtantinopoli quidem & per alias vrbes anno eiuſdem Principis vigeſimo ſeptimo, factus eſt ingens terræmotus,qui tenuit dies quadraginta. Et in ſequenti anno facta ſunt tonitrua & fulgura horrenda,& ventus Africus terribilis, ita vt caderet crux quæ ſtabat intra portam Rheſij. At triceſimo eiuſdem Imperatoris anno, apparuit in cœlo Cometa ardens, quaſi ſpecies lanceæ, à Septentrione vſque ad Occidentem. Subſequenti anno factus eſt alius terræmotus valde horribilis, qualem vix vlla ætas meminerat. Concutiebatur enim terra nocte ac die, diebus decem, poſtea ceſſauit. Regnante, quem diximus, Iuſtiniano, præter cæteros inſignes viros,floruit etiam in Chriſtiana pietate ac literis Agapetus Diaconus,cuius extat exiguus libellus De officio pij & iuſti regis, ad eundem Iuſtinianum Græce conſcriptus,in quo ineſt explicatio capitum admonitoriorum,quæ apud Gręcos Tabella dicitur regia,exiguo admodum compendio pauciſq; verbis præcipua illa capita, & ſaluberrima præcepta complectens, quæ de boni Principis officio multis & prolixis voluminibus à theologis atque philoſophis olim tradita fuêre. Cum vero in his,non minus erudite ac ſapienter, quam breuiter ac ſummatim oſtendatur,quibus modis probus Princeps vel felicitatem adducere, vel infelicitatem auertere à populo ſuo debeat,minime alienum fore exiſtimaui,ſi ea hîc inſererem,vt quicunque rebus gerendis præſunt,in hac tabella,ſiue libello, habeãt propoſita illa præcepta,quę eos tanquam punctis admoneant illorum, quæ ſingulis diebus & horis erga Deum & homines ſint gerenda. Olim apud Perſas,cubiculario Regis hoc officij peculiariter incumbebat, vt ſummo mane in cubiculum Regium ingreſſus,diceret,Surge Rex,& cura negotia publica. Talis,excitatoris loco apud bonos Principes,erit Diaconus Agapetus. Ordo autem per primas capitum ſingulorum literas digeſtus ita habet:

Cometa.

Terræmotus.

SACRATISSIMO, VNAQVE PIENTISS. REGI NOSTRO IVSTINIANO, AGAPETVS MINIMVS DIACONVS:

1. SICVT dignitatem ſupra omnem hominem nactus es,Rex, ſummam,ita ſupra omnes homines honore proſequere Deum, qui iſta te dignatus eſt:quia ad ſimilitudinem regni cœleſtis,ſceptrum tibi dedit poteſtatis terrenæ, vt monſtres hominibus obſeruationem iuſti,& propellas latratum contra ipſum rabie furẽtium,quo tu legibus ipſius rectus,quos habes tibi ſubiectos,regas legitime.

2. Admodum peruigilis naucleri perpetuo excubet oculata regis mens, ſic, vt æquitatis gubernacula firme teneat,& iniquitatis procellas fortiter diſpellat: ne fluctibus iniuſtitiæ obruatur vniuerſum Reip. mundanæ nauigium.

3. Cum homo didicit noſſe ſeipſum,tum aſſecutus eſt ſcientiam diuinã & pręcipuam. Qui enim ſe nouit,Deum etiam nouit,qui autem Deum nouit, Deo ſimilis fit:Deo vero ſimilis fit,qui Deo dignus efficitur:Deo ſane dignus efficitur, qui nihil Deo indignum facit,ſed quæ ipſius ſunt,ſapit,& loquitur.

4. Res ipſa monet, neminem debere ob maiorum nobilitatem inſoleſcere. Primum enim generis parentẽ omnes habent lutum,& qui in purpura ac ſerico elati ſuperbiũt,& qui in paupertate imbecillitateq; afflicti ſqualent, & qui diademate ſunt coronati,& qui pro domib⁹ iacẽt abiecti. Ne igitur propter gen⁹ luteũ

ſuperbia-

ſuperbiamus,ſed ob morum probitatem gloriemur.

5. A Deo,cum factus ſis pietatis exemplar, ſcito, quod quo maioribus don's Deus te dignatus eſt,eo maioris gratiæ illi ſis debitor. Itaq; benefactori debitum gratiarum redde,gratiam tanquam debitum accipienti,& pro gratia beneficium remuneranti.Ipſe enim à beneficijs ſemper incipit,& beneficia,tanquam debita, reddit.Gratitudinem autem à nobis poſtulat, non per ſplendidorum verborum promiſſionem,ſed per piorum factorum declarationem.

6. Tam glorioſum quod reddat hominem, nihil eſt, quam facere poſſe,quæ velit,ſemper vero benigne & velle & facere. Cum ergo poteſtas à Deo tibi data ſit,qua,propter nos,bonæ voluntati tuæ opus erat,omnia fac velis,& facias, quæ ipſi placent,qui iſta te donauit.

7. Inſtabiles rerum terrenarum diuitiæ,fluxuum fluuiorum imitantur curſum, quę ad exiguum tempus affluunt his,qui eas ſe habere putant : paulo vero poſt, prætefluentes dilabuntur ad alios.Solus autem theſaurus beneficentiæ,durabilis apud eos eſt,qui illum poſſident: benefactorum enim gratię ad eos reuertuntur,à quibus illa ſunt profecta.

8. Solitus es eſſe difficilis acceſſu hominibus,propter celſitudinem regni inferni,acceſſu vero facilis eſto egentibus,propter imperium poteſtatis ſupernæ:atq; aures aperi his,qui paupertate premuntur, vt tu viciſſim aures Dei apertas inuenias. Quales enim nos fuerimus erga conſeruos noſtros, talem experiemur in nos Dominum.

9. Sollicitudinum multarum nebulam obductam mentem Regis, inſtar ſpeculi abſtergere decet,vt radijs diuinis ſemper fulgeat,& rerum iudicia inde diſcat. Nihil enim eſt,quod adeo faciat inſpicere ea, quæ decent, quam ſeruare illam perpetuo puram.

10. Id quod nauigantibus accidit,vt cum vector deliquerit, paruum damnum adferat connauigantibus: cum vero gubernator ipſe, totius nauigij interitum creet:idem & ciuitatibus euenit,vt cum ſubditorum quis peccauerit, nō tantum communitatem lædat,quantum ſe ipſum.ſi vero ipſe Princeps,vniuerſę Reipub. noxam adferat.Itaque tanquam graues pœnas daturus ſi quid eorum, quæ promiſſa oportuit,negligenter non animaduerterit,cum accurata attentione omnia & dicat & faciat.

11. Modo gyri reſcire cum feruntur humanæ, aliàs aliter eadem voluentis & reuoluentis. Et hęc quidem ineſt eis inſtabilitas,vt nunquam in eodem ſtatu maneant.Quamobrem in præcipiti harum mutatione te decet, Rex optime, pium animum ſeruare immutabilem.

12. Omnibus modis auerſare fallaces adulatorum ſermones, nō aliter quā rapaces coruorum mores.Nam hi corporis oculos effodiunt, illi vero iudicia animi excæcant,rerum veritatē cernere non ſinentes.Aut enim contingit, vt interdum laudent vituperiū merita,aut vituperent ſępenumero laudibus efferēda, vt in alterutro duorum peccent,vel malum laudando,vel bonum ludificando.

13. Vbique æquabilem conuenit regis eſſe animum: nam immutari cum mutatione rerum,indicium eſt mentis inconſtantis: firme vero fixum eſſe in rebus honeſtis,(quemadmodum fixum eſt pium imperium tuum) neque efferri inſolentia,neque deiici animo abiecto,firmo gradu eſt incedentium,& illabefactum animum habentium.

14. Nebulā deceptionis humanæ qui habet purgatū iudicium, & intuetur vanitatem naturæ ſuæ,ac breuitatem eius,quę hic degitur,vitæ,celeri fuga,ad diem à Deo præſcriptum,properantis,atq; ſordes eatni noſtræ coniunctas,in ſuperbiæ præcipitium non incidet,quamuis in alto dignitatis gradu collocatus ſit.

15. Ante & ſuper omnia regni ornamenta,corona pietatis Regē exornat. Nam diuitiæ intereunt,& honores prætereunt: gloria vero vitę ſanctę actæ,in ſecula immortalia extenditur,ac eam ducentes obliuione eximit.

16. Quod homines & diuites & pauperes ob res inæquales noxam patiantur æqualē,mihi valde indignum videtur,cum illi præ ſatietate diſcrepent,hi per ſamē

intercant:illi extremos terræ limites occupent, hi non habeant, vbi pedem ponant. Vt ergo ſanitatem aſſequantur ambo, ſubductione & adiectione vtriſque eſt medendum,& inæqualitas ad æqualitatem reducenda.

17. Vere nobis affulſit illud beatitudinis tempus,quod veterum quidam futurum prædixit,cum vel philoſophi regnarent,vel reges philoſopharentur:nam & philoſophiam tractans,dignus regno iudicatus es,& in negotia regni incumbēs, à philoſophia non deſiſtis. Si enim amor ſapientiæ parit ſapientiam, initium vero ſapientiæ,renerentia eſt Dei,quam tu in pectore tuo ſemper geris,manifeſtum eſt,verum eſſe,quod à me dictum eſt.

18. Ego reuera te Regem eſſe iudico,vt qui cupiditates tuas regere, & eis imperare potes:ita vt corona temperanntiæ ſis ornatus,& purpura iuſtitiæ indutus. Alia quidem dignitas mortem habet ſuccedentem vicariam, iſtiuſmodi vero regnum,diuturnitatem ſeruat immortalem. Ac illa quidem in hoc ſeculo diſſoluitur,hæc vero ab æterno vindicatur interitu.

19. Percipete volens fructum honoris ab omnibus, fac ſis beneficus in cōmune vniuerſis. Nihil enim adeo ad beneuolentiam allicit,quam beneficentiæ munus egentibus collatum. Officium enim metu præſtitum, fucata eſt adulatio,ficti honoris nomine eos faſcinans,qui aures ipſi præbent,

20. Iſtud tuum regnum merito eſt ſuſpiciendum,quia hoſtibus oſtendit potētiam,ſubditis vero impartitur benignitatem:ita,vt illos armorum potentia vincat,ab his vero charitate inermi vincatur. Quantum enim inter feras & oues intereſt,tantum diſcrimen eſſe inter vtroſque exiſtimandum eſt.

21. Eſt corporis natura rex ſimilis homini cuilibet, ſed potentia dignitatis, par illi,qui ſupra omnes eſt,Deo. Non enim in terris ſe habet ſublimiorem. Itaq; decet ipſum,& tanquam Deum,non iraſci,& tanquā mortalem,non efferri. Quāuis enim honore imaginis diuinæ affectus ſit, attamen è puluere lutoſo conflatus eſt,per quem docetur,æqualitatem ſeruandam erga omnes.

22. Ne grauate,ſed libenter eos admitte,qui ſalutaria conſulere nituntur,non, qui adulari quotidie conantur: ſiquidem illi,quod vtile eſt,cum eo,cui conſulūt, re vera prouident,hi vero,quę libita ſunt potentibus,ſpectant,ac corporum imitati vmbras,ijs,quæ ab illis dicuntur,ſuccinunt.

23. Talis in ſubditos tuos eſto,qualem erga te optas Dominum. Vt enim audimus,ita audiemur,& vt aſpicimus, ita aſpiciemur, ab aſpectu diuino intuente omnia. Conferamus ergo miſericordiam miſericordiæ, vt pro ſimili recipiamus ſimile.

24. Ita vt abſoluta ſpecula tales oſtendunt vultuum formas,qualia ſunt ipſa exemplaria,lætas lætorū, & triſtes triſtium,ſic & iuſtum Dei iudiciū actionibus noſtris aſſimulatur. Nam qualia à nobis facta ſunt,talia nobis reddit ex ſimilibus.

25. Si quæ agenda ſunt,de his lente delibera,vbi deliberaueris, mature ea confice,cum admodum pronus ſit lapſus in rebus antea non conſideratis. Quod ſi quis inconſultæ temeritatis intellexerit incōmoda, tum demum probe cognoſcet & conſultæ deliberationis commoda, quemadmodum ſanitatis beneficiū percipi ſolet,poſt ægritudinis experimentum. Quare, Rex prudentiſſime, par eſt, vt & velis prudenter, & optes ardenter, inueſtigando inuenire illa penitus,quæ mundo ſint vtilia.

26. Sic fauſtum tuum regnum adminiſtrabis optime,ſi ſtudueris,vt omnia perſpicias,& caueris,ne quidquam deſpicias. Non enim leue eſt in te, quod leue videatur comparatione tuorum,cum etiam verbum Regis leue,magnum pondus apud omnes habeat.

27. Ipſe tibi neceſſitatem ſeruandi leges impone, tanquam in terris non habens,qui te cogere poſſit. Ita namque & venerationem legum monſtrabis,ipſe ante alios eas colens,& ſubditi ſibi perſuadebunt,in leges impingere, non carere periculo.

28. Malum exiſtima par,& delinquere,& delinquentes nō cohibere, & ſi enim quis in adminiſtratione publica verſetur pie, fert tamē viuentes impie,particeps

malefa-

malefactorum apud Deum reputabitur. Si vero laudem vis aſſequi duplicem, & hos, qui bene faciunt, honore proſequitor, & illos, qui male faciunt, coarguito.

29. Opinor equidem perutile eſſe, prauorum fugere conſuetudines. Nam qui perpetuo eſt apud homines improbos, eum neceſſe eſt, mali aliquid vel perpeti, vel diſcere: qui vero eum probis verſatur, aut ad aſſuetudinẽ virtutum docetur, aut ad deſuetudinem vitiorum eruditur.

30. Regno mundano à Deo tibi credito, in adminiſtratione rerum, improborum nemine vtêre. Nam quæ peruerſe hi patrauerint, eorum tu Deo rationem reddes, qui poteſtatem ipſis dederis. Quamobrem magiſtratuum deſignationes cum accurata inquiſitione fiant.

31. Eſſe par malum iudico, & inimicorum iraſci offenſionibus, & amicorum delectari aſſentationibus. Oportet enim vtruſque generoſe reſiſtere, & à decoro neutiquam deſiſtere, neq; illorum vlciſcẽdo inſanam maleuolentiam, neq; horum munerando fictam beneuolentiam.

32. Genuinos & veros illos exiſtima amicos, non, qui omnia, quæ à te dicuntur, laudant, ſed qui cuncta quæ iuſta ſunt, recto iudicio facere ſtudent, quique gaudent recte factis, triſtantur vero contrarijs: hi namq; vere oſtendunt ſignum amicitiæ minime fallacis.

33. Immutare non debet generoſum animum tuum huius potentiæ terrenæ amplitudo: ſed tu, tanquam principatum adminiſtrans momẽtaneum, in rebus mutabilibus mentem retine immutabilem, neq; rebus proſperis elatus, neq; aduerſis deiectus.

34. Non aliter, quam aurum, aliâs aliter ab arte formatum, & in diuerſa ornatuum genera traductum, quod eſt, permanet, & mutationem non admittit: ſic & tu, Rex glorioſiſſime, alium ex alio principatum adeptus, ac ſupremum honorem conſecutus, idem in rebus non ijſdem perſiſtis, animum in eo, quod honeſtum eſt, immutatum conſeruans.

35. Oportet exiſtimes, tum demum ſecure te regnaturum, cum hominibus imperaueris volentibus. Quod enim inuitis iniungitur, in ſeditionem erumpit, vbi occaſionem nactum fuerit: quod vero beneuolentiæ continetur vinculis, firmum obtinet in imperio exercendo obſequium.

36. Si imperium regni reddere vis celebre, quantum iræ aduerſus ſubditos peccantes concipis, tantundem contra te ipſum delinquentem, tibi concipiendum puta. Nullus enim in tanta dignitate collocatum corrigere poteſt, niſi familiaris ratio, ex ipſo delinquente profecta.

37. Totis viribus, is, qui eximiam poteſtatem eſt ſortitus, poteſtatis imitetur datorem. Si enim imaginem quodammodo refert eius, qui ſupra omnes eſt, Dei, & per illum ſuper omnes principatum obtinet, in hoc Deum maxime imitabitur, ſi duxerit miſeratione nihil eſſe præſtantius.

38. Rationem hanc ineamus, vt ſupra aurum & lapidem precioſum, opes beneficentiæ, velut theſaurum, nobis reponamus, quæ nos hîc exhilaret ſpe fructus futuri, atq; illic oblectet perceptione beatitudinis ſperatæ. Quæ vero nunc ad nos ſpectant, quaſi nihil ad nos attineant, nos ne afficiant.

39. Ornare & munerare eos ſplendidioribus, quam alios, donis, ſtude, qui cum beneuolentia, quæ à te imperata ſunt, faciunt. Hoc namq; modo & bonorum augebis promptitudinem, & malos docebis dediſcere malitiam. Iiſdem enim rebus dignos iudicare non eadem facientes, perquam iniquum eſt.

40. Inter omnes res, honoratiſſimum eſt regnum, ac tum quidem huiuſmodi eſt potiſſimum, cum is, qui eius potitur imperio, non ad ferociam inclinat, ſed ad benignitatem ſpectat, immanitatem, tanquam rem belluinam auerſans, & humanitatem, velut ſimilitudinem naturæ diuinæ exercens.

41. Vt amicis, ita etiam inimicis ex æquo ſtatue iudicia, nec beneuolis ſuffragans propter beneuolentiam, nec maleuolis refragans propter maleuolentiam: cum eiuſdẽ ſit iniquitatis, tam iniuſtum facere iuſtum, etiam ſi amicus ſit, quã iu-

ſtum pronūciare iniuſtum, quantumuis inimicus ſit. Par enim in vtriſq; malum committitur, licet in contrarijs appareat.

42. Sane & attente auſcultare oportet cauſarum iudices, ſiquidem inueſtigatu difficilis eſt iuſti inuentio, facile effugiens non admodum attentos. Quod ſi vim dicentium omittentes, & ſuauitatem dictorum prætermittentes, ſe demiſerint in ipſum ſenſuum fundamentum ac puteum, tum rem à ſe indagatam exhaurient, & deprehendent, ac geminum ſimul peccatum euitabunt, neq; ipſi iuſtitiam proſtituentes, neq; alijs hoc facere permittentes.

43. Tot licet numero benefacta cumules, quot cœli ſtellæ ſunt, nunquā tamen bonitatem Dei vinces Nam quæcumq; quis Deo offert ex his, quæ ipſius ſunt, illi, quæ propria eius ſunt, offert. Atque profecto, vt nemo in Sole ſuperare poteſt vmbram propriam, ſemper præuertentem, etiam eum, qui inſtanter vrgeat, ita neq; homines benignitatem Dei inſuperabilem, beneficijs ſuperauerint.

44. Inexhauſtæ, beneficentiæ diuitiæ conſumi nequeunt, dando namq; accipitur, & diſſipando cumulatur: has, munifice Rex, in corde tuo geſtans, da liberaliter omnibus à te petentibus. Nam infinitas & innumerabiles pro his remunerationes adipiſcêris, cum venerit tempus compenſationis factorum omnium.

45. Nutu Dei regnum aſſecutus, imitare ipſum benignis factis, quoniam hoc tibi contigit, vt ex eorum numero eſſes, qui bene facere poſſunt, nō quibus, vt bene fiat, opus eſt. Cui namq; prompta ſuppetit pecuniarum abundantia, ei impedimentum non obſtat, quo minus benefaciat pauperibus.

46. Ita, vt oculus, corpori eſt inſitus, ſic rex mundo eſt aptatus, atq; à Deo datus, ad adiumentum & prouectionem rerum vtilium & ſalutarium. Itaque par eſt, ipſum proſpicere, vt proprijs membris, ita omnibus hominibus, vt procedant in virtutibus, & non impinganr in vitia.

47. Afficere nunquam ſubditorum quenqnam iniuria, crede tutiſſimam eſſe ſalutis tuę cuſtodiam. Nam qui nemini iniuriam facit, neminē ſuſpectum habet. Quod ſi ſecuritatem conciliat, abſtinere iniuria, multo certe magis benefacere: hoc enim ſimul & ſecuritatem adfert, & beneuolentiam non anſert.

48. Nitere, Rex pientiſſime, vt ſis ſubditis tuis metuendus, propter dignitatis excellentiam, & amandus, propter beneficentiæ præſtantiam: nō negligens metum propter amorem, neq; deſpiciens amorem propter metum, ſed benignitatem indeſpectam retinens, & deſpectionem non impunitam relinquens.

49. Omnes leges quas ſubditis tuis præſcribis verbis, eaſdē tu ipſe præiens oſtēde factis: vt ſcilicet verbis, quibus ſuades, vita proba reſpondeat. Sic namque glorioſum efficies imperium tuum, ſi dicendo feceris, & faciendo dixeris.

50. Audi, Rex ſereniſſime, pronius, beneficia ſuppliciter à te petentes, quā munera tibi offerre ambitioſe ſtudentes: his enim debitor remunerationis efficeris, illi vero debitorem tibi Deum conſtituunt, qui accipit, tanquam in ſe, quæ in illos ſunt collata, & compenſat animum tuum Dei hominumq; amantem remunerationibus eximijs.

51. Gratum Solis opus eſt, radijs illuſtrare creaturas, Regis verò virtus, miſereri egentinm. Atq; illo quidem Rex pius eſt ſplendidior, quandoquidem ille viciſſitudinem noctis ſubit. hic vero, caſtigationem malorum non præterit, ſed veritatis lumine, occultas iniuſtitiæ tenebras arguit.

52. Ante te, qui fuerunt Reges, eos regnum ornauit, tu vero, Rex optime, iſtud reddidiſti ornatius, dum lenitate, dignitatis grauitatem temperas, & manſuetudine, te adeuntium metum ſubmoues. Vnde accidit, vt omnes miſericordia egētes, ad portum ſerenitatis tuæ appellant: ac fluctibus egeſtatis exempti gratiarum actiones laudeſq; tibi deferant.

53. Pro viribus elabora, vt quanto omnes ſuperas potentia, tanto ijs præluceas & egregijs factis. Nam reputandum tibi eſt, amplitudinem poteſtatis, poſtulare actiones rebus præſtantibus pares. Vt igitur corona regni inuicti à Deo orneris, ſertum beneficentię pauperum etiam tibi compara.

54. Ea, quæ mandare vis, ante perpēde, quam iniungas, vt prudenter imperes,

quæ fas eſt. Nam linguæ inſtrumentum perlubricum eſt,& maximum negligentibus adſert periculum. Si autem pium ſermonem, tanquam muſicam illi aptaueris,concentum virtutis reſonabit dulciſſimum.

55. Talem eſſe Regem oportet,vt in omnibus quidem rebus celer & acutus ſit, ſed in iudicijs rerum difficilium maxime: aſt veto ad iram perquam tardum ſe oſtendat. Poſteaquam enim omnino non iraſci,facile contemptum pariat, & moderate iraſcatur,& non iraſcatur: illud quidem,vt improborum temeritatem coërceat,hoc vero,vt proborum formidinem exciter.

56. Vt mores eorum, qui tecum verſantur, perfecte intelligas,in exquiſitum cordis tui concilium ingreſſus, eos diligenter examina: ſic enim penitus cognoſces, tum eos,qui per amorem obſequuntur,tum illos, qui per impoſturam adulantur. Multi namque beneuolentiam ſimulantes, magna detrimenta adferunt credentibus.

57. Sermonem, qui prodeſſe poteſt,cum audis,non ſolum auditu, ſed & factu excipe. Ita enim Regis ſplendebit imperium,cum vel per ſe,quæ decent,perſpexerit,vel ab alio inuenta, non deſpexerit,ſed aut ſine pudore didicerit,aut abſque mora fecerit.

58. Mœnibus inexpugnabilibus munita arx, hoſtes eam obſidentes deſpicit, pium autem regnum tuum, eleemoſynis tanquam muris cinctum, & precibus, velut turribus firmatum, hoſtium telis eſt inſuperabile, illuſtria aduerſus illos trophæa erigens.

59. Iſto regno inferno probe vtere,vt gradus tibi fiat gloriæ ſupernæ. Nam qui hoc recte adminiſtrant,poſt hoc,& illo digni efficiuntur. Hoc autem recte adminiſtrant, qui ſubditis oſtendunt affectum paternum, & reuerentiam ab iiſdem recipiunt venerandam, lapſus quidem minis prohibentes, ſupplicii vero tentamenta ipſis non adhibentes.

60. Nulla vetuſtate deterendum beneficentiæ eſt indumentum,& nullo tempore interiturum veſtimentum,eſt ardens affectus erga pauperes. Oportet ergo pie regnare volentem,huiuſmodi veſtibus exornare animam. Nam qui purpura dilectionis pauperum indutus fuerit,regno etiam cæleſti dignus efficietur.

61. In manus tuas regni ſceptro à Deo tibi tradito, vide, quo modo illi places, qui iſto te donauit. Et vt ab illo præpoſitus es honore omnibus hominibus, ita remunerare illum contende magis omnibus. Hoc autem munus ducit maximum,ſi formam ipſius indutos,eodem aſpectu,quo ipſum, intuitus fueris, &, vt par eſt,tributum beneficentiæ exſoluens.

62. Memor & cupidus ſalutis,confugere debet ad ſupremum auxilium omnis homo,Rex autem præ omnibus,tanquam curam gerens pro omnibus. Qui enim à Deo cuſtoditur, & hoſtes proſternet generoſe, & ſubditos tutabitur ſtudioſe.

63. Vt Deus nullius eget,ita rex ſolius Dei. Imitare igitur nullius egentem, & liberaliter impartire opem petentibus, ad exquiſitos rationum calculos ſubditos tuos non reuocans,ſed quæ ad vitam ſuſtinendam orant, omnibus ſuppeditans. Satius enim eſt, miſereri indignorum, propter dignos, quam dignos reiicere, propter indignos.

64. Si veniam peccatorum tuorum petere vis, da veniam etiam ipſe in te delinquentibus. Nam remiſſio penſatur remiſſione,& ea, quæ vtimur erga conſernos noſtros, permutatione: quæ ſane, amicitia & familiaritas eſt, cum Deo inita.

65. Decet eum, qui inculpate regnare ſtudet, & aliorum dedecora cauere, & ipſum ſuorum pudere: vt & à palam peccando per illos deſiſtatur, & à clam delinquendo,per hunc ipſum abſtineatur. Si namque pudoris decet ſubditos, multo magis decet regem.

66. In homine priuato, vitium eſſe aſſero facere praua & punitione digna, in principe vero,improbitatem eſſe affirmo,non agere honeſta & ſalutifera. Neqꝫ enim abſtinentia malorum imperantem iuſtum facit, ſed adminiſtratio bono-

rum talem cotonat. Itaque ſic ſtatuendum eſt, vt non ſolum à vitio abſtineatur, ſed etiam contendendum, vt virtus ambabus vlnis comprehendatur.

67. Altarum dignitatum ſplendores, non perſtringunt oculos mortis, omnibus enim hæc dentes ſuos omnino ros infigit. Quamobrem ante aduentum eius inexorabilem, transferamus pecuniarum facultatem in cælum. Nemo enim, quæ in mundo colligit, illuc migrans aſportat, ſed omnia in terris relinquens, nudus vitæ ſuæ rationem reddit.

68. Cum Rex dominus ſit omnium, Dei tamen ſeruus eſt cum omnibus, tum autem maxime vocandus erit dominus, cum ſibi ipſe dominatus fuerit, & turpibus voluptatibus non ſeruiuerit, ſed pium animum ad ſe, commilitonem, tanquam inuictum Imperatorem, adiungens, ſubiugatrices perturbationum nullius rationis dicto audientium cupiditates, armis continentiæ proſtrauerit.

69. Omnino, ſicut vmbræ ſequuntur corpora, ita peccata ſectantur animas, viuas actionum imagines eis imprimentes: quare non licebit ea negare in iudicio, ipſa enim cuiuſque facta teſtabuntur, non vocem edentia, ſed talia, qualia à nobis patrata ſunt, manifeſto apparentia.

70. Nauis mare ſulcantis tranſitum imitatur breuis vitæ præſentis ſtatus, nos ipſius nautas latens, exiguo temporis momento curſum tranſuerſum rapiens, & quemque ad finem ipſi deſtinatum appellens. Quod ſi hæc ita ſe habent, prætercurramus res mundi prætereuntes, & adcurramus ad res in æternum permanentes.

71. Vt taurus alta ferens cornua, ne efferatur homo faſtuoſus & ſuperciliosus, ſed agnoſcat ſtatum carnis, & demittat elationem cordis. Quamuis enim Princeps ſit ſuper terram, non tamen ignoret quod conſtet è terra: qui vt ex puluere in ſolium aſcendit, ita ex ſolio in puluerem breui deſcendet.

72. Sicut hi, qui ſcalas aſcendere incipiunt, nō prius ad ſummum perueniunt, quam ſupremum gradum attigerint, ita & tu, inuictiſſime Rex, ſemper enitere, vt per virtutum aſcenſum, aſſequaris fructum regni ſuperni: quem tibi cum coniuge tua det Chriſtus, Rex tam regnantium, quam rectorum, in ſæcula, Amen.

Iuſtinus II. Imperator.

Hactenus de Iuſtiniano, poſt cuius quidem obitum, anno à partu virgineo D. LVIII. Iuſtinus, nepos Iuſtiniani ex filia, Imperator renuntiatus ab ipſo Iuſtiniano adhuc ſuperſtite, duodecim annos potentiæ expleuit. Hoc imperante, fœdus Perſicum diſſolutum eſt. Cum enim Romani per aliquod tempus, annuum ſtipendium libras auri quingentas Perſis perſoluerent, quo Romanæ ditionis oppida ſibi vicina, abſque noxa eſſe ſinerent, hic Princeps ignominioſum eſſe ratus, & Romani imperij maieſtati prorſus indecorum, Romanos Perſis vectigales eſſe, conſuetum tributum denegauit, miſſiſque legatis, Atetham Aethiopum Regem induxit, vti factis incurſionibus, Perſarum loca regno ſuo coniuncta, popularetur. Ita nouum inter Perſas & Romanos bellum exortum eſt. Ad quod Martinus patricius dux miſſus, pugna acerrima facta, anno quarto imperij, in qua vtrinque magnæ clades acceptæ ſunt. Victoria tamen ceſſit Romanis. Tum Hormiſdas Perſarum rex, qui Choſroæ ſucceſſerat, Ardamanem ad euaſtandas Romanorum Prouincias cum magnis copijs ſubmiſit. Hic longius progreſſus, facta ingenti præda; citra offenſam rediit, Martino ei congredi non auſo. Quod quidem adeo Principem offendit, vt ipſi honorem adimeret, & Archelaum ducem ſubſtitueret, qui cum Hormiſda pacem rurſus confirmauit.

Nouum bellum inter Romanos & Perſas. Hormiſdas Perſarum rex.

Duæ res valde dignæ memoria in huius Iuſtini gubernationem inciderunt. Initia Exarchatus in Italia, & initia regni Longobardici. Fuerunt autem Exarchi velut vicarij Imperatorum, Byzantio miſſi. Durauitque eorum gubernatio poſt Narſen annos centum & ſexaginta. Arx autem & ſedes Exarchorum Rauennæ fuit. Priores bella cum Longobardis infelicia geſſerunt. Poſtremis varia certamina cum Romanis Pontificibus fuerunt, donec Longobardi vrbibus illis, quas Exarchi reliquas tenuerant, potiti ſunt, quas tamen relinquere Longobardos Pipinus coëgit. Fuit autem primus Exarchus à Iuſtino ſecundo in Italiam miſſus Longinus,

Pax inter eoſdem. Exarchatus quando primum inceperit in Italia. Longobardi.

Longinns, cuius mores ita deſcribuntur, vt non ſit mirum Græcos in maius odium veniſſe. Quem vero tandem exitum res Longobardicæ habuerint, & quænam fuerit Exarchorum ſeries, non deſunt præſtantiſſimi auctores, qui de his omnibus diſerte ac luculenter diſſeruerint.

Tiberius Conſtantinus imperat.

Anno ſalutis 571. Tiberius Conſtantinus aſcitus ad imperium à Iuſtino adhuc viuente propter eximias virtutes, quæ in eo in gubernatione aulæ conſpectæ erant. Tenuit imperium annos ſeptem. Hic cum Longobardis pacem fecit. In Oriente vero feliciter res contra Perſas geſſit: quos ſæpe profligatos, intra ſuos fines compulit, Meſopotamia recepta cum ingenti præda, quam triginta elephanti atrulerant.

Idem bellum contra Perſas ſuſcepit, ac feliciter exequitur.

Nam cum imperium adminiſtrare cœpiſſet; miſſis ad Hormiſdam Perſarum Regem legatis, priſtinam pacem renouare cupiebat. Negante autem illam Principe Perſarum, magnas ad bellum Perſicum copias comparauit, ac Iuſtinianum inſignem virum Orientali exercitui præfecit. Qui contra Perſas contendens, poſtquam haud procul ab eis caſtrametatus eſt, antequam confligeret, habito cum hoſtibus colloquio, trium annorum inducias comparauit.

Prœlium inter Perſas & Romanos.

Quo tempore elapſo, Hormiſdas Perſa cum copiis in Armeniam irrupit, magnumque terrorem exercitui Romano incuſſit. Sed eorum dux, habita concione, effecit, vti firmiori animo eſſent, initaque cum hoſtibus pugna, Perſæ, quoad ingentem ſagittarum vim coniecerunt, viſi ſunt habere meliores partes, Romanis ſub clypeorum regmine ſeipſos tenentibus, neq; progredi auſis.

Inſignis Perſarum clades.

Sed poſtquam pharetras Perſarum telis exhauſtas cognouerunt, iunctis pariter clypeis, bellicum inclamantes Romani, eos inuaſerunt, gladiiſq; cominus rem agere cœperunt. Illi nec breui quidem imperum ſuſtinentes, fuſi fugatique ſunt. Facta igitur ingenti cæde, eorum caſtra victores diripuerunt. Tentorium Hormiſdæ, & totus apparatus regius in elephantis, vti ad Tiberium deueheretur, demandatum eſt. Reliqua militibus ceſſêre. Progreſſi etiam in vlteriora Perſidis, longe lateque magnam populationem fecerunt.

Exemplum ſingularis moderationis in victoria.

Adductos autem Conſtantinopolim captiuos omnes Perſas, magnificentiſſime veſtiuit Imperator, ac in patriam remiſit. Quos præter ſpem rediiſſe populares admirati, ſummis laudibus Romanum Principem efferebant: ſed cum Perſæ non multo ſpatio interiecto, iterum in Romanorum ditionem populabundi irruerent, Tiberius ex vrbana multitudine exercitum circiter duodecim millia iuniorum, qui robore ac fortitudine præſtabant, coëgit, voluitque, vt de ſuo nomine Tiberianus nominaretur exercitus, quibus Mauritium Comitem Prætorianorum præfecit.

Nouum bellum contra Perſas.

Secundas autem eius adminiſtrationis partes tribuit cubiculario Narſæ, atque ita miſit contra Perſas.

Romanorum victoria.

Prœlio commiſſo, victores Romani, vrbes agroſque multos Perſis ademerunt. Redeuntem ab ea expeditione Mauritium Princeps ſummo honore excepit, affinitateque ſibi coniunxit, filia Conſtantia illi in vxorem locata, ſic, cum relinqueret ſucceſſorem generum iudicio delectum, aliquanto poſt, morbo ex hac vita placide deceſſit;

Tiberii mors.

anno Imperij ſeptimo: anno autem mundi quater milleſimo quingenteſimo, quadrageſimo ſexto: anno Romæ milleſimo trecenteſimo triceſimo quarto: anno Chriſti quingenteſimo octogeſimo quarto.

Dotes.

Fuit Princeps iuſtus in gubernatione, liberalis & magnanimus. Noua quædam tributa aboleuit. Adeo multa diſtribuit ad alendas pauperes familias, vt à Sophia Iuſtini vidua reprehenderetur. Sed Deus viciſſim ei & opes auxit, & victorias egregias donauit. Dum enim auream Crucem marmori inſertam in terra leuari iubet, nolens eam pedibus calcari, magnos theſauros ſub ea reperit. Peruenerunt ad eum & theſauri, quos Narſes ex Italia miſerat. Extat apud Nicephorum vltimo libro cap. 6. elegantiſſima oratio eiuſdem Tiberij ad conuentum habita, priuſquam noui Imperatoris renunciatio promulgaretur. Idem auctor eodem lib. cap. 14. & nonnullis ſubſequentibus, plurima bella commemorat inter Romanos & Hormiſdam Regem Perſarum geſta ſub Imperatore Mauritio, de quo nũc nobis eſt ſermo.

Mauritius creatus Imp. contra Perſas feliciter pugnat duce Philippico.

Hic ſane præfuit in imperio annos viginti, fuitque multis victoriis illuſtris. Armenos & Perſas per legatos fudit. Nam Philippicum, cui nupta erat Gordia ſoror Mauritii, cum valido ac prępotenti exercitu contra Perſas miſit.

Qui ad Niſibin progreſſus,illinc in Perſidem excurſiones fecit,ac ingentem prædam reportauit,inter redeundum,inuaſit Mediam, neque minori illic populatione facta,tandem ſe intra fines Romanos recepit. Poſt id, morbo correptus, Martyropolim atque Byzantium reuerſus eſt:ſed vbi conualuit, denuo in Perſas miſſus,vocatos in concionem milites, interrogauit, An parato eſſent animo,ad confligendum cum hoſte. ſuccl amatum eſt ab omnibus, certam ſibi eius rei eſſe voluntatem,& hoc iureiurando confirmauerunt.Inito certamine,paulum Perſæ vim ſuſtinuerunt: ſed poſtquam Philippicus equitatum ſuum in hoſtilem equitatum iuſſit incurrere,eoque facto, illorum multi deturbati ceciderant, omnes Perſarum copiæ terga verterunt, acriterque Romanis inſtantibus, quamplurimi fuēre contrucidati. Ad hunc modum inſignis victoria cum numero captiuorum fere duûm millium,ceſſit Philippico. Cohortem inſuper quandam Perſarum, quæ opportuno loco conſederat, cum capere poſſet,nullis affectam malis dimiſit. Quæ ſe perſuaſuram Regi ſuo eſſe receperat, vt primo quoque tempore Oratores ad eum de pace mitteret. Paucis poſt menſibus, Sittas quidam nomine, inter militares copias, decurionis dignitatem obtinens,iniuria à quopiam ordinum ductore affectus, cum negligentius cuſtodiri Martyropolim animaduertiſſet,vrbem eam prodidit. Perſarum namque manum,perinde atq; Romana eſſet, noctu introduxit, atque vrbem, Romanis quam maxime commodam & opportunam,cepit. Et quæcunque ibi erant ætate florentes fœminæ, eas retinuit: reliquos vero mortales omnes, ſeruis quibuſdam exceptis,inde eiecit. Philippicus igitur ſtatim eo expeditionem conuertit,eamque vrbem cum omnibus copiis obſeſſam,oppugnare cœpit. Et quamuis tormenta ad vrbem expugnandam idonea ſibi tum præſto atque ad manum non eſſent, vtcunque tamen potuit, eam oppugnationem proſecutus eſt. Et cuniculis actis, vt turris vnà concideret, effecit. Minime tamen ipſam vrbem capere, vel ad deditionem cogere potuit. Nam Perſæ partem eam, quæ ſolo æquata fuerat, noctu refectam ſatis communierant. Porro vbi Romani fortiter expugnationem tentantes, fortius reiecti ſunt (crebra namque in eos ex ſuperiore loco coniiciebantur tela, ita vt ipſi plus detrimenti ferrent, quam oppidanis inferrent) obſidionem ſoluerunt, & paululum retrogreſſi, caſtra poſuerunt: hoc vnum agentes, ne à cæteris Perſis vllo præſidio ſubleuarentur: Et quoniam hyems inſtabat, exercitus in hyberna conceſſit. Apperente vero æſtate, copiæ iterum eductæ ſunt; & quod Perſæ etiam aduenilſent, ingens pugna ad Martyropolim commiſſa eſt, ex qua victor euaſit Philippicus. Verumenimuero, Perſis multis cæſis,& Maruza inter Perſarum proceres nobiliſſimo, proſtrato, ingens multitudo Martyropolim peruenit. Romani exinde vrbem oppugnare deſtiterunt, quod vi eam ad deditionem cogi non poſſe, probe ſcirent. Septem vero ab ea ſtadiis vrbem aliam in tutis montoſiſque partibus ſtatuerunt, vt inde hoſtilibus molitionibus atque excurſionibus militari arte reſiſterent, damnumque inferrent, idque æſtiuo tempore ab eis fiebat: hyeme autem aduentante, in ſtatiua ſe inde recipiebant. Interea temporis, Philippico ſucceſſor datus Commentiolus, genere Thrax, qui magna virtute cum Perſis congreſſus eſt. In eo certamine Perſarum dux Aſarthatus vna cum equo in terram deiectus interiiſſet, niſi eum quidam ex ſatellitibus in equum, quem ſecum ducebat, ſublatum è prœlio ſubduxiſſet. Reliqui vero Perſæ quam celerrime, etiam ſuis ducibus relictis, fugerunt, & ad Regem ſuum redire veriti, ſeſe Niſibim contulerunt. Is enim capitale ſupplicium illis minatus fuerat, ſi ſuos ductores deſererent. Ibi vero congregati, occulta & clandeſtina conſilia aduerſus Hormiſdam ineunt, Varamo, quem nonnulli Baram appellant, Perſicorum ordinum duce, præcipuo auctore, ſicuti mox dicetur. Commentiolus interea Martyropolim circumſidet: atque ibi quidem plurimam copiarum partem reliquit: ipſe vero vna cũ optimis & electiſſimis quibuſque, ad Ocbas, longe munitiſſimum caſtellum, ex aduerſo Martyropoli in vlteriori ripa, in prærupto ſcopulo ita ſitum, vt illinc vrbs tota conſpici poſſet, excurrit, caſtellum id oppugnat: & nihil intentatum relinquens, partes quaſdam munitionum tormen-

Sittas decurio Martyropolim Perſis prodit.

Martyropolis fruſtra à Romanis oppugnatur.

Perſarum clades.

Romani vrbem aliam prope Martyropolim extruunt.

Commentiolus Philippico ſuccedit.

Idem Ocbas caſtellum munitiſſ. expugnat.

tormentis ſaxa iacientibus deijcit, tandemque eis ſuperatis, magna vi id capit. Quapropter ad deſperationem Perſæ de Martyropoli deciderunt. Dum hæc ita agerentur, Perſæ ſuum regem non ſolum qnod inique ſubditos pecunia mulctarit, verum etiam quod nulla de cauſſa varijs ſuppliciorum generibus illos crudelem in modum necauerit, inſtigante in primis Varamo, per popularem tumultum ac ſeditionem adorti, & diademate de eius capite detracto, è regio throno deturbant, & mox in ipſius conſpectu coniugem & filium vnum iugulant, eumque oculis effoſſis, in cuſtodiam conijciunt. Hormiſdas enim Varamum cum iuſto exercitu probe inſtructo, aduerſus Romanos expediuerat, eique iuſſerat, vt cum ipſis in certamen veniret. Et contra hunc Mauritius Romanum qui illi occurreret, miſit. Hic decem tantum fortiſſimorum lectiſſimorumque millibus acceptis, cum illo eſt congreſſus. Et multis vtrinque cædibus patratis, in Albaniæ regione, victoria penes Romanos fuit. Hanc ſuorum eladem poſtquam Perſarum Rex intellexit, præfecturæ dignitatem Varamo ademit, eidemque muliebrem ſtolam miſit. Dedit inſuper literas de eo interficiendo ad ducem, qui ſecundas adminiſtrationis partes habebat in caſtris. Varamus conſcius periculorum ſuorum, protinus ad res nouas animum adijcere, eique, qui prior ſibi iniuriam intuliſſet, conuicia pro conuicijs reddere, & epiſtolæ verba hæc inſcribere. Hormiſdæ Choſroæ filiæ Varamus, nec non exercitum ſub ſignis ſuis merentem, ad defectionem quibuſcunque potuit ſtudijs atque artibus incitare, & confictas ſere aduerſus omnes literas exhibens, illiuſque crudelitatem, & inexplebilem auaritiam in memoriam eis reuocans: vt ſcilicet ille primarios viros omnes vel ferro occiderit, vel in Tygride amne ſubmerſerit, talicos & ſepultura & exequijs eiuſmodi dignatus. Sermonibus eius generis exercitu ſubducto, ad maximam rebellionem excitauit. Proinde iuramento, Varamo, quo tutior eſſet, præſtito, adimendi Hormiſdæ regni conſilium inierunt. Hormiſdas aduerſus hunc, cum ingentibus copijs Pherochanem mittit. Quem & ipſe Varamus ſubegit, minime Perſas inter ſe belligerari oportere, ſed eos, durum & violentum imperium, & præterea ſanguinarium ingenium, & inſatiabilem auaritiam Hormiſdæ ſcire, & beneuolentiam ſibi inuicem præſtare debere, dicens: Quæ vbi vera eſſe exercitus Pherochanis ſenſit, ducem ſuum necat, & ad Varami partes accedit. Exinde conſertim & populariter congregati, Hormiſdam, vt dictum eſt, aggrediuntur, oculiſque effoſſis in vincula coniiciunt. Huius autem potentia ſic creuerat, vt deuictis Turcis, illos etiam tributa Perſis quadraginta millia auri ſoluere coëgerit, cum prius æqualia Turçis ipſe perſolueret. Non deſunt auctores, qui in literas retulerint, cum Hormiſdas de nouo eligendo Principe interrogaretur, ipſum cenſuiſſe, Choſroën filium, quod eſſet arrogans, contumelioſus, auarus, & iniquus, non eſſe dignum imperio: Potius alium filium appellandum Principem, qua voce illum vitam ſimul perdidiſſe, & regnum. ſiquidem is vna cum matre raptus, in eius conſpectu, ſicuti antea cõmemorauimus, cæſus fuit, & Choſroës imperare iuſſus. Exercuit nihilominus in captiuum & cæcum patrem Choſroes ſingularem clementiam ac pietatem, omni cultu & obſequio ipſum proſequens, & inuitum ſe regni habenas & gubernacula ſuſcepiſſe deprecando allegauit, affatimque ei victum ſubminiſtrauit. Quæ omnia ille maledictis & contumelijs inceſſebar, filiumq; commouit, vt fuſtibus ſibi latera ad mortem vſque cædi imperaret. Ea vero indignitas Perſis ſummum dolorem & indignationem incuſſit, nec parum odij aduerſus illum excitauit. Et quoniam Varamum, præpotentem exercitum contra ſe ducere, haud falſis nuntijs intellexit, cum copiis non contemnendis aduerſus eum in planitiem quandam ad Zabam flumen eſt progreſſus. At cum plurimos ex ſuis proceribus atq; optimatibus Varamo fauere, ſibique Inſidias ſtruere animaduerteret, confeſtim omnes, quos ſuſpectos habebat, interfici iuſſit, eaque de cauſſa cum in caſtris permagna ſeditio ac tumultus cooriretur, celeriter ad Circeſium profugit vna cum coniugibus, & liberis tribus infantibus, & præterea quibuſdam Perſis ex præcipua generis nobilitate, qui eum ſponte ſecuti fuerant. Ad eum

Varamus Perſarum dux, eſt author rebellionis aduerſus Hormiſdam.

Romanorum victoria.

Choſroes, ſublato Hormiſda Perſis imperat.

Choſroes confugit ad Mauritium.

autem locum, quemadmodum ipſemet retuliſſe fertur, peruenit, cum Chriſtianorum Deum Seruatorem & viæ ducem inuocaſſet: eo ſe equum recta ire, quo ab illo duceretur, permiſſurum teſtatus. Inde ad Mauritium oratores miſit, Probo inſuper patricio, qui tunc forte illic erat, vt res acta eſſet, literis eidem indicante. Miſit ſane & Varamus ad Imperatorem legatos, qui ab eo, ne Choſroæ opem ferret, petebant.

Mauritius, vitæ humanæ inſtabilitatis memor, Choſroem ſuo regno exutum benigne excipit.

At Mauritius, qui humanarum rerum ſtatum inſtabilem, & cothurnum prorſus eſſe ſciret, & viciſſitudines volubileſque mutationes humanæ & miſerabilis huius vitæ noſſet, atq; hæc recte ſecum animo perpenderet, regem ſibi ſupplicem perhumaniter, ac perbenigne excipit, & pro exule ac fugitiuo, amicum ſibi, & filium per arrogationem germanum fecit, donis regijs, omnique beneficentia & liberalitate prolixe inuitatum. Nec ipſe modo ad eum Imperiali munificentia quæ decebat, miſit, ſed & Auguſta ipſa coniugibus eius, & liberi liberis eandem præſtiterunt pietatem. neque his officijs contentus, Hierapolim quoque ad vniuerſum exercitum, eiuſque ducem Commentiolum ſcripſit, qui

Choſroes ope Mauritij reducitur in ſuum regnum.

Choſroen regio prorſus ſatellitio & comitatu perduceret, & quocunque vellet, ſequeretur. Choſroes vbi Hierapolim, quæ principem locum iuxta Euphratem obtinet, peruenit, in regnum inde redijt, cum id è re eius Mauritius eſſe cenſeret, qui maiorem gloriæ & laudis ſuæ partem, ex commodo ac vtilitate ſupplicis Regis eſt meritus. Magna certe pecuniæ vi donatum Choſroem, quibuſdam etiam Perſis, impenſis ſuis in malitiam eius conductis, ſane quam magnifice in Perſidem remiſit, cum vtroque exercitu, Perſico ſimul & Romano.

Narſis victoria contra Perſas.

Narſes Romanis copijs præfuit: qui cum Perſis prœlio congreſſus, ad ſex millia Perſarum manu cepit, eoſque ad Choſroen adductos, haſtilibus confixit. In horum numero & Turci erant, qui ſub Varamo meruerant (nam tum primum nomen Turcicum auditum eſt) ad Mauritium ſunt miſſi. Interrogati, cur ſub Varamo militaſſent, reſponderunt, fame ſe patria abactos.

Turci cruce aliquando notati.

Et cum quidem in fronte inuſtam crucis figuram liquato atramento haberent, confeſſi ſunt, ſe à Chriſtianis edoctos, vt hoc ſimulachro famem repellerent. Sunt etiam qui referant, cum à Cæſare interrogati eſſent, quanam gratia quæ non colerent, circumferrent ſigna, reſpondiſſe, grauemante plures annos in Perſide & patria ſua peſtem coortam fuiſſe, à qua, cum multi mortales infecti interirent, Chriſtianos quoſdam, qui ibi fuere, hominibus, ſi hoc feciſſent, ſaluti ſuæ conſulturos eſſe, regionemque eam à tali lue intactam liberamque fore perſuaſiſſe.

Choſroæ victoria aduerſus Varamum.

Choſroes interim Romanis copijs ſtrenue fideliterque pugnantibus, & Varamo, qui turpiter ex prœlio ſolus profugit, debellato, Perſicum regnum recuperauit, & priſtino honori reſtitutus eſt, limitibus imperiorum diſtinctis, & pace vtrinque promiſſa, quæ durauit vſque ad Phocæ initium.

Pax cum Romanis conſtituta.

Is in throno ſuo conſidens, Romanis audientibus, verba hæc prolocutus eſt: Rex Choſroe, diei huius perpetuo te meminiſſe, atque hæc in animo tecum conſiderare oportebit, quod Romani regnum Perſicum tibi dono dant. Cæterum à nonnullis relatum eſt, Narſem, rediturum Conſtantinopolim, ipſi Choſroæ dixiſſe: Memor ſis Choſroe præſentis diei: Romani tibi regnum donant. Ferunt, priuſquam hic conflictus fieret, inter ipſum Choſroem, & Narſem ortam eſſe in ordinanda acie diſſenſionem, cum vterque ſe putaret ducis munia melius altero tenere, eſſeque inter eos iactata conuicia: Sed Choſroen, habita

Choſroæ vaticinium.

ratione temporis, his verbis eum affatum: O Dux, magnum Regem conuicijs laceſſis, præſenti fortuna inflatus. Audi, quid in poſterum Dij conſtituerint. Refluent in vos Romanos hæc incommoda. Tenebit gens Babylonica Romanas terras, ad tertiam vſque annorum hebdomada volubilem. Poſt id annorum, hebdomadas quinque Romani Perſas in captiuitatem ducent: his perfectis, dies ſempiterna hominibus aderit. Verum hæc vaticinia nullum euentum ſortita ſunt. Choſroes poſt adeptam victoriam, ſibi à Perſarum inſidiis non parum metuens, à Mauritio mille Romanos milites petiit, quos ille benigne attribuit. Reliquum exercitum, pace, vt dictum eſt, cum Perſis firmata, in Europam ex Syria

Eclipſis Solis.

Monſtrum.

reuocauit ad Regem Auarum Chaganum reprimendum. Quo quidem tempore Sol eſt obſcuratus. Et mulier quædam in Thracia puerum peperit abſque oculis,

oculis,palpebris,manibus & brachiis, cui piſcis cauda ad ſemora vſque protendebatur. Sittas vero, cuius ſupra mentionem ſecimus, proditionis pœnas laqueo perſoluit. Et Martyropolis, atq; item Daras caſtellum, decedentibus ex eo Perſis, Romanis redditum. Paucis poſt menſibus, Choſroes Gregorio Theopolitano Crucem illam miſit, quam Theodora Iuſtiniani vxor, auro multo & lapillis reſplendentibus ornatam, in honorem victoris martyris Sergij Deo dedicauerat, & Choſroes Hormiſdæ pater vnà cum alijs donarijs vaſiſque pretioſis à Sergiopoli, ſecum abſtulerat.

Choſroes diuo Sergio crucem aureā dedicat.

Cum iſta, aliam quoque Crucem miſit, quam Choſroes ipſe ex ingenti auri pondere fieri curauerat, cum eiuſmodi Græcarum literarum inſcriptione: Crucem hanc Choſroes Rex regum, filius Hormiſdæ, quo tempore propter diabolicum inſtinctum, & dolum malum perditiſſimi Varani, & qui cum eo fuēre Caballariorum, in Romaniam conceſſimus: & quod perditus Zadepram cum exercitu Niſibim veniret, abducendorum Niſibenæ partis Caballarios cum duce ſuo in Charchas miſimus; & propter ſancti Sergij, venerandi illius & celebris viri fortunam, quandoquidem datorem eum eſſe votorum atque petitionum audieramus, primo regni noſtri anno menſis Ian. die ſept. votum nuncupauimus: ſi Caballarij noſtri Zadepram occidiſſent, aut cepiſſent, Crucem auream nos lapillis diſtinctam, in ædem Sergij, venerandi nominis eius ergo, miſſuros eſſe. Porro cum 9. Februar. menſis die, caput Zadepram ad nos allatum fuerit, voti rei & optati noſtri compotes facti, vt manifeſtum id certumque cuiuis ſit, in venerandum eius nomen, Crucem hanc à nobis factam, vnà cum Cruce à Iuſtiniano Romanorum Imperatore in templum eius miſſa, & belli tempore, quod inter duo hæc regna geſtum eſt, à Choſroe Rege regum filio Cabadæ aui noſtri huc delata, & inter theſauros noſtros reperta, in ædem venerandi Sergij miſimus, cum hac inſcriptione:

Crux aurea à Iuſtiniano Cæſare diuo item Sergio conſecrata.

Choſroes cruces miſit, quas Gregorius ad ſe allatas, & de Mauritij ſententia acceptas, cum ſolenni pompa multoque comitatu, obſeruanter ſimul & religioſe in templo Martyris ſacrauit, & repoſuit, nihil prorſus ab Ethnicis donarijs Eccleſiam detrimenti capere arbitratus. Idem etiam, haud multo tempore interiecto, alia munera ſabreſacta, & diſcum etiam aureum non paucarum minarum ponderis eidem Sergio voti cauſa donauit, addita inſcriptione Græci ſermonis.

Diſcum aureum eidem Sergio voti cauſa inſcriptum.

Ipſius autem Choſroæ de Romano imperio prædictionem, ſeu vaticinium, cuius proxime meminimus, Nicephorus ita recenſuit. Quod vero, inquit, de Choſroæ rebus prope omiſi, id ita vt potero, hiſtoriæ mandabo. Magnum illud bellum, quod Romanis cum Perſis fuit, conquieuit; pacta conuenta ex æquo Romanis atque Perſis ſeruantibus. Non autem committam, quin ea exponam, quæ Choſroes in operoſa vanitate Chaldæorum aſtronomiæ diu multumque exercitatus, diuinando prædixit. Ea vero tum ad Ioannem Armenarum copiarum ducem, cum bellum maxime vigeret, dixiſſe fertur. Cum nãque Ioannes Choſroen acrius obiurgando reprehenderet, quod moribus eſſet ſiniſtris, & animo ad res gerendas alieno atque inepto, quodque Regem minime talem eſſe oporteret, huiuſmodi quiddam duci Barbarus reſpondiſſe dicitur: Niſi quodammodo tempora ipſa nos per tyrannidem ſuam affligerent, haudquaquam tu ſcommate perſtringere magnum inter homines Regem auſus fuiſſes. Quandoquidem autem te rebus præſentibus magnopere effers, audi, quid à Dijs de temporibus futuris ſit conſtitutum. Redundabunt, vt ſis ſciens, in vos Romanos, calamitates, & gens Babylonia Romanæ Reip. tribus in circulum circumactis hebdomadibus, dominabitur. Poſtea vero quinta annorum hebdomade Romani Perſas in ſeruitutem redigent. His ita peractis, dies illis veſpera carens hominibus aduenier, & expectatus Imperij finis aderit. Quo tempore corruptio abolebitur, & viuendi ratio ex inſtituto Dei obtinebit. Hactenus Nicephorus. Quæ vero interim poſt hæc Mauritius geſſerit cum Auaris (qui & Hunni ſiue Vngari appellantur) necnon cum Scythis, Longobardis, cæteriſq; nationibus, paſſim eſt videre apud eos, qui Cæſarum res geſtas poſteris ac memoriæ cōſecrarunt. Hîc tantummodo ſubiungam ipſius Mauritij tragicū ac funeſtiſſimum

exitum, quem etiam Cometes, cui nomen eſt Xiphias, & plæraque alia prodigia præceſſerunt. Hic enim, vt hoſtiles manus euaderet, ſeque ab imminenti periculo ſubtraheret, Imperiali prætexta poſita, ignotoque habitu, ſimul cum coniuge, liberis, & omni familia dromone cõſcenſo, in Orientem profugere conatus eſt, non exiguam ſecum pecuniæ vim portans. Et poſtquam in ſinum Nicomediæ, ad templum Autonomi martyris (Soræum patrio idiomate nuncupant) Byzãtio autem circiter centum & quinquaginta ſtadijs abeſt, veniſſet, ſæua atq; atroci tempeſtate reiectus, in Chalcedonem vrbem è regione Conſtantinopolis, portum Eutropij dictam, circumuectus eſt. Theodoſium vero filium, quem feſto Dominicæ reſurrectionis Regem publice appellarat, ad Choſroem miſit, vt accepti beneficij memor, pari officio filium regno pulſum proſequeretur. Cæterum Theodoſius è fuga retractus, ferro etiam ſublatus eſt; adeo vt vniuerſa huius Principis familia longe nobiliſſima, vno eodemq; tempore funditus interiret. Priuſquam ipſe tyranni iuſſu ſecuri percuteretur, cum ſibi cariſſimos quoſq; coram ſe trucidari conſpiceret, hanc vocem edidit: Iuſtus es Domine, & recta iudicia tua. Deinde ſumma & incredibili fortitudine mortem ſubijt. Mauririo regnãte, Cometa ſenis menſibus apparuiſſe, tunc etiã natus eſſe traditur Mahometes.

Vox Mauritii ante mortem.

HISTORIAE RERVM PERSICARVM

Liber Sextus.

HISTORIAE noſtræ ſeriem diligenter atq; ex fide deſcripturo, neceſſum erit, & equidem ſenrio, præfari, quam mirabili rerum conuerſione fortuna nunquam ſeſe bona fide in alteram pattem inclinante, ſed perpetua quadam inconſtantia omnia perturbante, imperium à maximis quibuſque viris, virtutiſque ac ſplendoris nomine commendabilibus, ad minimos quoſque & ignobiles traduxerit. Quippe Phocas, nulla maiorum ſuorum nobilitate commendatus, nulliſque certis innixus opibus, ab ineunte ætate relictis penatibus, militiæ aſſueuit, poſitoque inter gregarios milites tyrocinio, tandem eo fortitudinis atque roboris opinione inter æquales euaſit, vt centurio factus, deinceps vero per militarem ſeditionem, tanquam ex oſtenſa quadam benignioris fortunæ anſa, Imperator, interfecto Mauritio, crearetur. Cuius imperij initium ſete in annum reparatæ ſalutis 595. incidit, vir ptoculdubio, ſi ex virtutibus & vitijs dignitas eius imperij æſtimanda ſit, nulli ſuperiorum temporum nequitia & crudelitate inferior, atq; adeo ſibi tantum licentiæ per potentiam arrogans, vt ſe omni vitiorum genere conſpurcare non vereretur. Proinde non mirum, ſi huius immaniſſimi & nefarij hominis principatu, in Romanum imperium à multis populis diuerſis atque gentibus impetus certatim factus fuerit. Siquidem Germani, Galli, Itali, atque inprimis Hunni, duce Chagano Thracio, ac poſtremo Perſæ, tanto rerum omnium molimine in fines Romani Imperij inuaſere, vt parum abſuerit, quin ipſum imperium vna cum ipſo nomine funditus deleretur. ſed tandem Phocas à ſuis interfectus, ſuæ nequitiæ pœnas dedit, diis vltoribus tantum ſcelus in peruerſiſſimo homine diutius impune perferre non ſuſtinentibus. Cæterum nos, reliquis bellis prætermiſſis, ea dũtaxat hîc breuiter ac ſummatim perſtringemus, quæ hac tempeſtate à Perſis, in Romani imperij dedecus ac detrimentum geſta ſunt, & quam multæ calamitates illius prouinciis illatæ. Primo ſiquidem ſceleratus exercitus, qui conſperſus fuit ſanguine Mauritij, mox in Oriente pœnas dedit. Victor enim Choſroes duobus magnis prœlijs, & ingenti multitudine contrucidata, reliquos abduxit captiuos. His rebus proſpere ac feliciter geſtis, nullaque mora interpoſita, vniuerſam Meſopotamiam, Syriam, Aegyptum, Palæſtinam, &

nam,& Phœniciam occupauit. Deinde Hieroſolymam Romanis eripuit, & inter theſauros Crucem auexit,magnamque Chriſtianorum multitudinem occidit,nec mediocrem in captiuitatem abduxit. Præterea Iberos,Armenos,Arabes, Dardanos, & Mediterranea Macedoniæ ac Thraciæ abſtulit. In Cappadociam, Galatiam & Paphlagoniam incurſiones fecit, & ad Chalcedonem vſque omnia depopulatus eſt, ita vt Romanum imperium Perſæ vix vnquam hactenus maioribus cladibus affecerint.

Romanorum ingentes clades.

Credibile autem eſt,Choſroen nulla re alia in Romanos magis accenſum atque inflammatum fuiſſe, quam vt Mauritij de ſe tam benemeriti mortem vlciſceretur, cuius etiam filiam, nomine Mariam,in vxorem duxiſſe,à plæriſque traditur. Nec ſane ipſe Mauritius,ſuis rebus accisis,ac propemodum deſperatis, cum ſe poſtremis temporibus propter fœdam & inexplebilem auaritiam,qua mirum in modum laborabat; non modo vniuerſis militibus eorumque præfectis ac centurionibus, verum etiam generarim omnibus, quibus imperabat,quam maxime inuiſum ac exoſum animaduerteret,ſibi melius & conſultius proſpexiſſet,quam ſi ſtatim,ſicuti etiam cōſtituerat, in Perſiam aufugiſſet. Quid enim Choſroæ gratius & glorioſius accidere potuiſſet, quā vt eum Imperatorem,per quem ipſe auitum atque paternum regnum recuperarat,nunc in ſummo vitæ diſcrimine conſtitutum, pari gratitudine gratiam referendo; in ſolium ac Cæſaream maieſtatem vi atque armis reponeret? Cæterum, quod vis fatalis ſemel decreuit,nulla humana prudentia euitari poteſt.

Phocas interficitur.

At Phocas,ſeptimo Imperij anno,conſpiratione Priſci, Heraclonis & Heraclij, Conſtātinopoli captus,pudendiſque exectis,& capite præciſo,in mare deiectus eſt,totaque ſtirps impuriſſimi Principis ſublata. A quibuſdam etiam in literas relatum eſt,corpus truncum ad Bouem fuiſſe combuſtum. Is erat locus qui ex eo,quod æneus eſſet caminus forma bouis quem Pergamo allatum aiunt, vbi erat poſitus,Bouis appellatione nuncupabatur.

Heraclius Imperator.

Poſt Phocam interfectum Heraclius,Heracliani præſidis Aphricæ filius,natus in familia patricia, mox conſenſu Senatus, & exercituum Imperator factus, tenuit Imperium annos triginta,& iuxta nonnullos, vnum & triginta. Eodem die,& coronatus eſt à Patriarcha Sergio,& duxit vxorem Fabiam Eudoxiam,quę ſimul coronata eſt. Duabus rebus maximis inſignis eſt ipſius gubernatio, quarum altera felix fuit repreſſio Choſroæ Perſici regis: altera calamitoſa vniuerſo generi humano,videlicet initia ſectæ,& regni Mahometici. Nos autem hac modò prætermiſſa, de priori, quæ potiſſimum noſtri eſt operis atque inſtituti,agemus. Supra commemoratum eſt, Perſas ſub Phoca vniuerſo Oriente deuaſtato,& Romanorum legionibus funditus deletis,plæraſque illorum prouincias ſuæ ditioni atque imperio adieciſſe. Heraclianus interim, Heraclij pater,ex Aphrica cum ingenti exercitu Aegyptum, & Aſiam petebat; ſed eo,in medio conatu rerum extincto,Perſæ metu liberati,ex Aegypto Aphricam inuadunt, quæ tota ſui ducis præſidio ſpoliata,Perſicis armis ceſſit.

Aphrica in Perſarum poteſtatem redigitur.

Europam diripuerant Scythæ,& Auari;& Romanos milites ita interfecerant,vt pauciſſimi inter tot cædes ſupereſſent ex ijs qui ſub Mauritio & Phoca militauerant. Duos tantum ſuperfuiſſe à quibuſdam perhibetur. Erat in eo tumultu anceps Heraclius,Europamne an Aphricam vindicaret. Vtraque enim hoſtibus laceſſita,ingemiſcebat. Habito igitur nouo delectu, Criſpum eis præfectum miſit in Cappadociam. Qui cum Chagano plurimis atque ampliſſimis muneribus traditis, fœdus percuſſit,& ante longum murum Anaſtaſij (tum enim Thraciam is ſummopere diuexabat) tentoria poſuit. Cæterum ipſe iuriſiurandi & initæ amicitiæ immemor,impetū in Heraclium fecit,adeo ſane,vt parum abfuerit, quin captiuus in eius manus ac poteſtatem deueniret. Sed iterum miſſis legatis,pacem impetrauit,vt poſſet omnes vires conuertere in Orientem. Priuſquam tamen exercitum contra Perſas educeret, Oratores ad Choſroem Perſarum Regem deſtinauit,vt ab vrbium vaſtatione,ac Romanorum cæde abſtineret,vtq; iam ſatur humano ſanguine,in Perſida rediret. At Choſroes,ſuperioribus ſucceſſibus elatus, miraq; proferendi Imperij cupiditate incenſus & inflammatus,legatos contempſit,eoſq; cum con-

Heraclii legatio ad regem Perſarum.

tumelia protinus abire iuſſit. Heraclius anno octauo imperij ſui denuo ad eum legationem miſit, qua pacem etiam ignominioſam, aut ſaltem inducias ſub cōditionibus annui vectigalis pendendi ab eo poſtularat. Choſroes reſpondit, ſe nunquam depoſiturum eſſe arma, donec perfeciſſet, vt Deus Perſicus coleretur, abolita inuocatione eius Dei, qui diceretur crucifixus eſſe. Imperaror, hoc reſponſo habito, ſupramodum indignatus, confeſtim exercitum comparat, coque alacrius ſe ad bellum parat, quo non imperij cauſa illa tantum, ſed multo magis propter defenſionem Eccleſiarum, & Chriſtianæ doctrinæ dimicandum eſſe intelligebat. Erectus igitur ſpe diuini auxilij, exercitum ad vrbem Syriæ opulentiſſimam, patrio idiomate Azotum appellatam, vbi tum Choſroes commorabatur, deduxit, eo quidem animi decreto, vt de ſumma regni cum hoſte decerneret, ac belli fortunam experiretur. Cæterum is, de hoſtili aduentu certior factus, ilico ſeſe in Meſopotamiam recepit, adultas & flaueſcentes iam fruges populatus, vt perſequendi facultatem Cæſari adimeret. Heraclius tamē illum inſecutus, cum aſſequi nō poſſet, regionem ferro & igni vaſtauit. Iam Choſroes, Phoca regnante, Palæſtinam Iudæamque diripuerat, & Hieroſolyma deprædatus erat, ac etiā nonaginta millia Chriſtianorum trucidauerat, quo tempore Iudæi multos Chriſtianos emerant, vt eos interficerent. Imperator, cum neque copias, quę hoſtibus pares forent, neque belli neruum pecuniam in promptu atque ad manus haberet, aurum & argentum ex ſupremo templo, & alijs ſacris ædibus mutuatus, pecuniam ſignari iuſſit, & nouo delectu habito, in expeditionem ex vrbe cum ſuis poſt feſtum Dominicæ reſurrectionis egreſſus eſt. In hac vero, duos cōperit duces cum duobus exercitibus à Perſa relictus, qui opportunitate locorum freti [illegible] ſuum remorarentur. Heraclius, parte vna copiarum relicta, ad ſubigendas vrbes, quas poſt ſe relinquebat, ipſe cum robore copiarum ſuperato Tauro, ad Saronem fluuium Sarbatum ducem ſtrauit, & in fugam vertit. Cum autem Sarbatus Archiſatrapes apud Choſroem accuſaretur conſiliorum, quæ eum Romanis clanculum habuiſſet, & dictorum, quæ probroſa in ipſum iecisſe credebatur. Choſroes ad ducem qui erat ſub Sarbato, de eius nece literas miſit. Nūcius à Romanis interceptus, Byzantium perductus eſt. Reipub. curatores, viſis literis, & nuntium & literas Sarbato miſerunt, qui, illis lectis, hominem diligenter percunctatus eſt. Vt vero intellexit, Choſroen ſibi necem atq; interitum machinari, e veſtigio alteras confinxit literas, quibus ſua, & multorum præfectorum, ac tribunorum militarium, aliorumque, qui ordines ducebant, cædes mādaretur, induxitque veredarium à rege miſſum, vti literas illas ab eo ſe accepiſſe confirmaret. Tum conuocatis proceribus, palam literas recitari iuſſit, quæ ſtatim omnes ad tantam iracundiam & indignationem prouocarunt, vt primores omnes, quicunq; ordinibus præerant, ad Romanum Imperatorem tranſire conſtituerent, & extremum odium in ſuum Principem conciperent. Oſtanem inſuper Satrapam totis viribus aggreſſus Heraclius, in Perſida, commiſſo prœlio, & ipſo ſuperato, cæſiſque 30. hoſtium millibus, in fugam adegit. Saraces, & Sarabaſſes duces in eo prœlio concidēre. Says ſucceſſor datus, cum nouo ſupplemento pugnam inſtaurauit, edita magna hinc inde cæde. Perſa ſuperior videbatur, niſi denſus imber, mixta grandine, cum horribili fragore & ſtrepitu cælo effuſus, aduerſum Perſarum aciem perculiſſet, procella Barbarorum ora oculoſque vento & fulguribus perſtringente. Attoniti Perſæ cæduntur, pauciſſimi ſeruati; reliqui aut capti, aut cæſi. Interea Chaganus, fœdere violato, in Byzantinum agrum intrauit, poſitiſque ante longum murum caſtris, exteriora omnia loca depopulatus eſt. Tum patriarcha ciuitatis, & patricius Bonus, quos Conſtantini filij, omniumque rerum publicarum procuratores diſcedens Heraclius reliquerat, coactam virorum optimorum manum extemplo contra Barbaros imparatos nihilque huiuſmodi ſuſpicantes, expediuerunt, atque multis millibus interemptis, cæteri cum magna turpitudine intra ſuos fines ſe recipere compulſi ſunt. Interea temporis, Choſroes, tot rebus aduerſis neutiquā animum deſpōdens, Razatenem nouum ducem cum multo maioribus copiis denuo aduerſus

Heraclium

Eiuſdem altera legatio.

Choſroa ſuperbum & impium reſponſum.

Heraclii expeditio aduerſus Perſas.

Stratagema.

Heraclii victoria.

Heraclium expediuit, eo quidem ſucceſſu, vt poſt acrem & longam dimicationem vtrinque habitam, quæ, vt nonnullis placet, à prima luce vſque ad Solis occaſum continuauit, prætet ipſum ducem, & complures alios inſignes viros, in acie interſectos, ſeptem ac viginti militaria ſigna in Romanorum poteſtatem deuenerint. Victores Romani in viſcera Perſidis, traiecto Tygride, penettarunt, ſæuitumque eſt non modo in homines, verum & in vrbium direptiones. Nec temperatum eſt à profanis hoſtium templis. Veſtæ, quæ religioſe apud Perſas colebatur, templum, eſt funditus dirutum ac euerſum. Sic ſecundo & tertio prœlio victi Perſæ, cæſis multis millibus, in fugam reliqui omnes dilapſi abierunt, qui ſuis conterraneis quæ acciderant, enarrauêre; adeo vt qui prius in Choſroen male affecti erant, tum longe maiori odio in eum excandeſcerent. Choſroes interim deſperatis rebus, vltra Tygrim abiturus, Medarſen filium, ſiue, vt alii vocant, Mardaſen ſecundo genitum, primo filio Siroe, ſiue Siroche, præclaræ indolis adoleſcente, neglecto; regni hæredem ac ſucceſſorem renunriauit. Qua contumelia grauiſſime irritatus Siroches, occulre cum Heraclio conuenit, vt patre ſimul & fratre, quem pater ſibi prætulerat, cum omni regia gaza proditis, deductiſque præſidijs ex omnibus Romani imperij prouincijs, ipſe Perſarum regnum obtineret, paxque inter vtrunque imperium eſſet. Choſroe cum filio & vxoribus ex fuga retractis, in vincula conijcitur, nec multo poſt, ad Cteſiphonrem ambo, Sirochi iuſſu interſecti, forrunæ varietatis exemplum crudele fuerunt. Memoriæ proditum eſt, Sirochem, Choſroe patri cathenis vincto, auri magnam vim, & lapidum pretioſorum aceruos appoſuiſſe, dicentem: Ob hæc Romanis Perſas hoſtes feciſti, ac mutuis prœlijs innumeras cædes patraſti, patere & tu tua incommoda. Hinc fœdere cum Heraclio percuſſo, omnes captiui Romani qui apud Perſas erant, libere reſtituti. Crux quoque dominica iterum recepta eſt anno 14. quam ablata fuerat, & Zachatias Patriarcha Hieroſolymorum liberatus. Recepta eſt inſuper Aphrica, Aegyptus, & quicquid terrarum fuerar ex Romano imperio à Perſis occupatum à Meſopotamia ad oram Syriæ, ad Erythræum mare; Arabia tantum excepta, quam Mahometus pſeudopropheta, ſua execranda lege labefactarat. Viciſſim Heraclius reſtituit capriuos, paxque his conditionibus firmata, vt limes Perſici & Romani imperij Tygris eſſet, atque Perſæ Meſopotamia in poſterum abſtinerent. Durauit hoc ingens bellum annos ſex. Tertij vero conflictus dies faſtis Romanis aſſcriptus, dudum in magna veneratione habitus eſt. Fuit autem annus ille, quo tam præclara & inſignis victoria parta eſt, qnartus & viceſimus ſupta ſexcenteſimum humanæ ſalutis, ſextus Heraclij poſt eius egreſſum ab vrbe. Ipſe vero tandem ceu poſtliminio Byzantium reuerſus, ingreſſus eſt, ſedens in curru ſine ornamentis triumphalibus, tenens Crucem in manibus, ac filio Dei palam gratias agens pro victoria, cuius recordatio vt celebraretur, Feriæ exaltatæ Crucis inſtitutæ fuerunt. Cæterum ipſius Heraclij exercitus victor, laureatus, omnibusque ferculis & trophæis magna lætitia & ingenti gloria Conſtantinopolim redijt, ſummo applauſu & acclamatione exceptus. Pœna vero, blaſphemiarum Choſroæ, vt quondam Senacherib, Antiochi, Nicanoris, & ſimilium, memoria digna eſt.

Perſæ tribus prœliis vincuntur à Rom.

Choſrois fuga.

Idem vna cum filio interficitur.

Fœdus inter Roman. & Perſas.

Heraclius victor redit Byzantium.

Superius à me inter cætera, narratum eſt, Heraclij gubernationem duabus rebus maximis inſignẽ extitiſſe; quarum altera felix fuerit, repreſſio Choſroæ Perſici Regis: altera vniuerſo humano generi calamitoſa, videlic. initia ſectæ ac regni Mahometici. De priori ſatis abunde diximus. Nunc ſupereſt, vt etiam de altera dicatur. Ingens profecto atque horrenda mutatio generis humani, & quidem celeriter facta eſt, ſparſo dogmate Mahometi, quod primum amplexi ſunt Arabes natura creduli, & rerum nouarum admiratores, quiq; ante id tempus nullis legitimis imperijs obtemperauerant: ſed vel domi latrocinia exercuerant, vel ſuo arbitrio foris, alij apud alios mercede militarant. Huic genti cupidæ libertatis & militiæ, legem accõmodatam ad amplificationem libertatis & politiæ Mahometus, qui & Muhamed, præſcripſit. Hunc autem in Arabia deſerta natum eſſe conſtat, & paternum genus à Core Eſai, vel, vt quibuſdam aliis placet, ab Cedare

Iſmaëlis filio, genus duxiſſe perhibent, cuius pater Abedela, & mater Enima vocabatur, gente Iudæa, Itraripi Meccæ vrbis oppido, ac teuui fortuna, Anno Chri-*Mahometis ortus.* ſtianæ Sal. 560. menſe Febr. vnde à parentibus primis annis & Hebræorum riribus, & gentium cultu eſt imbutus. Hic poſtmodum, ducta vxore opulentiſſima, facile perfecit largitionibus, vt milites eum audirent, quibus tandem perſuaſit, vt ducem crearent, vtq; firmior eſſet conſenſus, tollerent religionum diſſidia, eligerent doctrinæ genus vtile concordiæ, ipſe doctrinæ formam propoſuit; addidit, ſe habere colloquia cæleſtia, & enthuſiaſmos, vt augeret auctoritatem. Creatus igitur Dux, paulatim initia regni confirmauit, adiuncto ſibi Saracenico exercitu, vnde poſtea Saracenici regni appellatio facta eſt. De quo cum aliquid breuiter dicturi ſimus, prius quænam fuerit gens Saracenica, & vbi fuerit, exponam. Ex *Saraceni vnde appellati.* Moſe notum eſt, poſteros Iſmaëlis, qui ex Agar natus eſt, tenuiſſe Arabiam. Inde Agar vrbs nominata eſt ab Agar matre Iſmaelis, & gens Agræi, qui in primo libro Paralip. cap. 5. nominantur Agareni, vbi & limites vicini Gaſuad monſtrantur. Nomen idem Agareni extat Pſalmo 81. In ea regione, in qua fuiſſe Agarenos certum eſt, collocat Ptolemæus Saracenos, & nomen Saracenorum extat in hiſtoria Zenobiæ in victorijs Aureliani. Veriſimile autem videtur, ipſam gentem Agarenam maluiſſe nominari Saracenam à Sara. Quia glorioſius erat, dici ortos à Sara domina, quam ab ancilla Agar. Mahometes etiam poſtea glorioſi nominis mentione confirmauit exercitum, vociferans pertinere ad eos promiſſionẽ regni mundi, Abrahæ poſteris traditam, quia eſſent filij Saræ, ſicut prætextu religionis ſæpe homines incitantur. Militauerat autem exercitus Saracenicus apud Heraclium contra Perſas, in eaque expeditione dicitur Mahometes interfuiſſe, ac bello feliciter peracto, rebuſque Perſicis fœdere pacatis, ipſum, regio comitatu & pompa ſtipatum, conueniſſe Heraclium ab eo prœlio redeuntem, & regionem ad habitandum petiiſſe, ac etiam obtinuiſſe. Cum vero militibus ſtipendium daretur, quererenturque Arabes, ſe merito ſtipendio fraudari, quæſtor imprudenter nimis atque arroganter, vix eſſe reſpondit, quod Græco & Romano militi daretur, nedum huic canum turbæ. Quę verba alte in pectus demiſſa, ac ſæpius inter ſectæ Principes gregarioſque commemorata, breui toti fere Chriſtianę Reip. exitio fuêre, & adhuc capita noſtra illius iniuriæ vindicta redundat: tot ſępe mala ex vnius imprudentia oriuntur, cum pręſertim viri fortes & militares iniuria afficiuntur. Hac enim contumelia ad iram accenſi Arabes, in Syriam ſeceſsêre, ſeque Mahometis aſſeclis adiunxerunt. Quamobrem Mahumetes his viribus auctus, breui poſt, Meccam, vrbem totius Arabię nobiliſſimam, terno *Mors Mahometis.* ante irrito conatu à ſe obſeſſam, expugnauit, & deinde plęraquę alia loca occupauit, donec tandem 3. Idus Maij naturę ac fato conceſſit, Anno Salutis 637. cum decem annos regnaſſet. Moriens autem Mahometes, Alim generum ſucceſſorem ſuum declarauit, & Calyſam, id eſt, Pontificem ſectæ ſuę eſſe voluit. Sed Eubocara ſocer, cognomine Abdalla, id vetuit, ęquum eſſe inquiens, vt cum Mahometes apud ſe deceſſiſſet, ſuoque fauore & opibus quęcunque adeptus erat, acquiſiuiſſet, ipſe ei ſuccederet prior. Cui Alis ſe opponere non potuit, quia potens erat, adhærebantque illi Homar, & Ozmenus ipſius propinqui, viri *Eubocara ſucceſſor Mahometis.* fortes, & factione pollẽtes. Igitur Eubocara Mahometicę ſectæ Pontifex creatus eſt, qui ſtatim cum ingenti exercitu finibus ſuis egreſſus, Romanum pręſidium fudit, & victor in Arabiam rediens, regni ſui anno tertio nõ expleto, nec ſine veneni ſuſpicione, mortuus eſt. Huic ſucceſſit Homarus eius propinquus, qui Boſ-*Homarus.* ram, totius Arabię caput, cum multis alijs expugnauit, & Gabaram vſque cuncta ſubegit. His deinde atque alijs victorijs elati Saraceni, Damaſcum petierunt, ea-*Proſperi Saracenorum ſucceſſus.* que vrbe expugnata, vniuerſam Phœniciam ſubegerunt. His peractis, breui poſt, Aegyptum quoque ſuę ditioni adiecerunt, & mox Hieroſolymam petentes, eam valida obſidione cinxerunt, & duorum annorum ſpatio obſeſſam, tandem deditione ceperunt; qua occupata, facile totam Aſſyriam ſuo imperio ſubiecerunt, breuique ſpatio interiecto, duce Iaidone, Euphratis fluuio traiecto, Edeſſam vrbem, nec non Conſtantiam, & Baram, partim vi, partim deditione occuparunt;

moxque

moxque vniuerſam Meſopotamiam ſubiugarunt. His rebus non minus celeriter, quam proſpere ac feliciter peractis, in Arabiam reuerſi ſunt. Poſt biennium Saraceni Perſas iam tot aduerſis rebus debilitatos, bello petierunt. In Perſide, vt ſupradiximus, Syrochis Choſroæ filius in imperio ſucceſſit, eique intra annum defuncto, Adheſyr eius filius regno potitus eſt, quo breui extincto (ſeptem enim duntaxat menſes regnauit) Sarbaras, & Botnaras imperarunt, quorum alter ſex menſes, hic vero ſeptem, rebus gerendis præfuerunt, His fato ſublatis, Hormiſdas Perſici regni habenas & gubernacula obtinuit, qui decimo anno Imperij contra Saracenos fortiter dimicans, in ipſo prœlio interfectus eſt, & ſic Perſæ in acie victi, non modo imperium, ſed nomen etiam amisêre: Saraceni deinceps pro Perſis appellati. Sunt auctores haud incertæ fidei, qui memoriæ mandauerint, Saracenos, regnante Choſroe, ſub ductu & auſpicijs Mahometis cum ingenti exercitu Perſas inuaſiſſe, atque illum, conductis Turcis, qui tributarij, & tanquam ſerui Scytharum intra Caucaſi clauſtra aſperrimasq; gentes incolebant, Saracenis occurriſſe, commiſſoque prœlio, quamplurimos vtriuſque gentis vulneratos, & primo ancipiti Marte dimicatum eſſe, donec tandem fortuna ad Perſas inclinarit, adeo vt Mahometes tandem ingenti clade ſuperatus, in fugam verteretur, deformi vulnere in faciem excepto à Turcis ipſis, à quorum poſteritate nunc maxime colitur & adoratur. Perſas interim, Mahomete in fugam verſo, nullis hortationibus nimiſue flecti potuiſſe, vt eius legem reciperent, quam tum ſummus, vt ipſi aiebant, Propheta ferret. Cæterum Arabes, Hormiſda apud Perſas rerum potiunte, ipſos iterum acerrimo bello perijſſe, iisq; tandem in acie deuictis facile ſubactos, & mox lege Mahometis accepta, non ſolum imperium, vt dictum eſt, verum etiam nomen amiſiſſe, Saracenos iam inde pro Perſis appellatos, & Turcos contra pro Saracenis, indiſcreta appellatione aliquandiu vocatos. Poſt acceptas enim & illatas clades, cum de pace tractaretur, etiam de nomine conuentũ eſt. Quoniam æquiore animo Saraceni in Aſia regnare Turcos paſſi ſunt, cum Turci, qui in Perſide habitarent, Saraceni appellarentur. Deinde Turcorum nomen inualuit, altero abolito, ob innumeras eius gentis opes, & infinitos populos ſubactos, ſicuti poſtea declarabitur. Imperium autem Perſarũ ab Artabano, Arſacidę familiæ vltimo, per Artaxarem, vti iam diximus, deuicto, ad Homarũ vſq;, cum maxima gloria militaris diſciplinæ floruit annos amplius quadringentos. Imperium itidem Romanum à Iuſtiniano primo in veterem auitamq; dignitatem, & decus aſſertum & vindicatum, quod poſtmodum viguit annos fere centum ac viginti, circa hæc tempora declinare cœpit ac prorſus corruere, adeo vt vix vllum deinceps ſui priſtini ſplendoris veſtigium retinuerit. Hæc autẽ Imperij declinatio incidit potiſſimum in tempora Imperatoris Conſtantis, Heraclij nepotis, ſicut inferius patebit.

Perſæ à Saracenis vincuntur.

Hactenus breuiter recenſui, quomodo Perſæ à Saracenis deuicti & ſubiugati fuerint. Operæpretium autem fore duxi, & Lectori harum rerum curioſo, haud ingratum, ſi etiam ſubiecero, quæ Hayto Armenus de ijſdem rebus tradiderit. Saraceni, inquit, poſt primam obſidionem Conſtantinopolis, rebus infectis domum reuerſi, aliquandiu quieuêre: poſtea vero, copioſo exercitu congregato, regnum Perſarum inuadere cogitarunt. Et primo fuerunt ingreſſi regnum Meſopotamiæ, deinde perrexerũt ad regnum Chaldæorum, quod erat ſub dominio Perſarum Regis, qui non poterat reſiſtere Saracenis, vnde de terra illa fecerunt omnia vota ſua. Rex vero Perſarum Aſcaioth nomine, timens Saracenorum poteſtati ſubiugari, ſuos nuntios miſit ad vrbes & regna, quæ erant circa flumen Phyſon, & ab eis ſubſidium implorauit, promittens venientibus magna ſtipendia & honores. De regno igitur Turqueſtan, quod propinquius erat regno Perſarum, congregauerunt ſe circa ſex millia virorum, qui nominabantur tunc temporis Turquiniani, & iter arripientes, Regi Perſarum dare ſubſidium conſtituerant. Tranſierunt quoque flumen Phyſon, ex eo, quod eorum conſuetudo talis eſt, vt, quocunque proficiſcantur ſecum ducant filias, & vxores, ideoque non poterant ire celeriter, ſed paulatim incedebant. Saraceni vero qui

erant in regno Chaldæorum, ab eis ſubiugati, vt dictum eſt, veriti, quod ſi Turcorum & Perſarum exercitus ſimul conuenirent, ſuis optatis haud facile potiri poſſent, accepto ſaniori conſilio, Perſarum Regem inuadere properant, antequam ei ſubſidium præberetur. Rex vero Perſarum cum non poſſet prœlium euitare, cum gente ſua ſe oppoſuit Saracenis, & inito bello iuxta quandam ciuitatem quæ Marga appellatur, ingens fuit dimicatio inter eos, & ab vtraq; parte innumeri bellatores ceciderunt. Demum vero Perſæ terga verterunt, & Saraceni viriliter perſequentes, Regem Perſarum inter alios occiderunt, & victoriam reportarunt. Actum anno 632. Perſarum itaque Rege interempto, & tam regno Perſarum, quam pluribus alijs ſubactis, præfati iniquitatis filij Agareni, ſibi Imperatorem elegerunt, quendam videlicet de progenie Mahometi, & ipſum vocauerunt Caliph, & ordinauerunt, quod ſedem teneret in Baldac, olim Babylone, opulentiſſima ciuitate. In quolibet vero aliorum regnorum, quæ ſubiugauerant Agareni, conſtituerunt vnum dominum, quem vocauerunt Soldanum: deinde ceperunt ciuitates & oppida, & totam maiorem Aſiam tenuerunt, pręter regnum Abcar, quod eſt in Georgia, & præter quandam aliam regionem regni Armeniæ, quæ Haloën vulgo appellatur: iſtę duæ regiones tenuerunt ſe contra Saracenos, nec voluerunt eis modo aliquo obedire, & ſic ſumpſerunt refugium & tutelam omnibus Chriſtianis, quos Saraceni perſequebantur, illos compellẽtes obedire Mahometi falſiſſimis documentis. Turquiani vero ſuperius nominati, peruenerant vſque ad quandam terram quæ Coraſen nuncupatur, ibique intellecto Regem Perſarum in conflictu interemptum, vlterius procedere noluerunt. Verum & ipſi etiam paulo poſt, à Saracenis deuicti ſunt, eiſque tributum perſoluere coacti, & Mahometicis ſacris adhęrere, &c. Ibidem præfatus auctor multa alia memoratu digna de Saracenis recenſet, quæ in præſentiarum breuitatis cauſa omitto. Cæterum, vt inſtitutam enarrationem proſequar, Homaro, viro bellicoſo & feroci, vt innumera bella ab eo geſta, & prouincię ſubactæ teſtãtur, nec minus prudenti, quam forti, humanis rebus ſubtracto, tertius à Mahomete Pontifex creatus eſt Ozmenus, qui ſequenti anno maximum exercitum Hucba duce in Africam aduerſus Gręcorum Patricium, qui Imperium in ea Prouincia occupauerat, miſit, eoque acie victo, & Carthagine deleta, Numidiam, Tingitaniam, Mauritaniam, & totam denique Africam ſuo Imperio adiecit. Tertio huius regni anno Muauias Ægypti procurator, cum mille & ſeptingentarũ, vel, vt alij volunt, cum ſeptingentarum nauium claſſe, Cyprum petijt, & vrbe nobiliſſima Conſtantia capta, totam inſulam populatus eſt. Vere poſtmodum redeunte, Muauias maiore quam antea claſſe ad Aradum Cypri vrbem perrexit, quam poſt multas oppugnationes tandem expugnauit, eamq; incolis quocunq; vellent, ſine vlla iniuria abire iuſſis, penitus deleuit, & inſulam vniuerſam habitatoribus ſpoliauit atque diripuit. Eodem quoq; tempore alius Saracenorum exercitus Buſurro duce, in Iſauriæ regionis fines irrumpens, regionem totam ferro flammaque vaſtauit, & quinq; mortalium millibus ex ea in ſeruitutem abductis, domum redierunt, quod quidem contigit ſub Conſtante Cæſare Byzantino, de quo mox dicetur, vbi hæc paucula ſubiunxero, ipſos videlicet Saracenos, vna cũ imperio, legem quoq; Mahometicam omnibus ſtudijs atque artibus propagaſſe. Etſi autem inter ipſos quoque variæ inimicitiæ regnorumque diuiſiones conſecutæ ſunt, vt in alijs regnis, tamen Saracenorum principes Sultani præcipuam potentiam in Syria, Aegypto, Aphrica, & magna parte Aſiæ circiter quadringentos annos retinuerunt, donec rex Saracenicus, qui Perſiam tenuit, contra Babylonicum Turcos attraxit, qui paulatim accepta lege Mahometica, excuſſerunt ex regno Perſico Regem Saracenicum, tempore Conſtantini Monomachi, ſeu Cunradi Franci, non multo ante Gotfridi expeditionẽ ſuſceptã ad Palæſtinam. Ac de Turcis eo loco plura dicemus, quos etiam veteribus temporibus nec ignotam, nec exiguam gentem fuiſſe, apparet ex Plinio, qui Turcos nominat tanquã vicinos Thuſſagetis, quod quidem eſt aut Turcæ, aut Τουρκοί. Conſentaneum eſt autem, gentem Turcicam ſignificari appellationibus Gog & Magog, quos Ezechiel

Prœliũ inter Perſas & Saracenos.

Saracenorum victoria.

Ozmenus.

Saracenorũ expeditiones ac victoriæ.

chiel ait gentē Septentrionalem eſſe cap. 18. & 19. Apparet & Danielem de Saracenico regno loqui, cum prædicit, quartæ monarchiæ diſtractionem, poſtquam tale regnum venturum eſſe ait, quod & nouam doctrinam contumelioſam cōtra Deum propagabit, & bella gerer aduerſus Sanctos. Id perſpicue cōgruit ad regnum Saracenicū, in quo doctrina expreſſe contraria Euangelio traditur, quæ, vt inuitaret animos militares, aſtute laxat in priuatis moribus licentiam, in publica conſociatione beneficentiam, concordiam, & decus militiæ confirmat.

Conſtans Imperator.

Verumenimuero, ad Græcos Imperatores reuertar, anno ſalutis 634. Conſtans, filius Conſtantini iunioris, nepos Heraclij, pulſa Martina inceſta cum filio, à Senatu, abſque militum conſenſu, & ſuffragijs, quod raro admodum apud Romanos vſu venerit, factus Imperator, tenuit imperium annos viginti ſeptem. Hic, cognita expeditione Saracenorum aduerſus Cyprios, claſſem inſtrui iuſſit, eique Carcoyirum cum imperio præfecit: ſed nihil ab ipſo inſigne ac memorabile geſtum fuit. Quin potius Conſtans, tot tantiſque cladibus acceptis, duorum annorum inducias à Muauia poſtulauit, quibus non impetratis, dum Muauias ingentem claſſem aduerſus Romani imperij prouincias apud Tripolim Syriæ vrbem parat, duorum fratrum virtute conatus ille aliquantiſper irritus eſt factus, qui carceribus, in quibus ingens Chriſtianorum numerus erat, effractis, omnes in libertatem vindicarunt, adeo vt repente impetum in Saracenos facientes, innumeros ex illis ceciderint, & reliquis fugatis, victores ad naues accurrerunt, ex quibus, ijs ſumptis, quæ ſibi erant neceſſariæ, reliquas incenderunt, atque ipſi in Thraciam venêre. Sed Muauias nihil omnino hac clade territus, aliam longe maiorem claſſem comparauit & inſtruxit, cum qua Phœnicen, Lyciæ portum, petijt, vbi Conſtans cum claſſe erat, eumque adortus, tantam Romanorum ſtragem edidit, vt mare illorum ſanguine ruberet. Conſtans vero, vili veſte indutus, paruo nauigio cum paucis Byzantium aufugit. Qua victoria elatus Muauias, Rhodum cepit, anno ſalutis 655. & Solis coloſſum, quem, Plinio auctore, Chares 12. annorum ſpacio trecentis talentis fecerat, demolitus, eſt, cuius ſtatuæ æs à Iudæo quodam Emeſſano emptum, nonaginta cameli extulerunt. Neque hanc ſolam ſtatuam, quæ ſeptuaginta cubitorum erat, inde Saraceni tunc aſportarunt, verum etiam innumeras. Nam Plinius, præter hanc Solis coloſſum, ſeptuaginta tria millia ſignorum, & centum coloſſos ea in inſula fuiſſe teſtatur. Rhodo autem populata, per Aegæum delati, pari clade Cycladas afflixerunt. Hoc ipſo etiam tempore, Iaidus, cuius ſupra mentionem fecimus, alterius Saracenorum exercitus Dux, Armeniæ fines ingreſſus, ad Caucaſum montem vſque omnia depopulatus eſt, & Muauias Rhodo reuerſus, claſſem in Siciliam miſit, quæ illam ferro & igni totam deuaſtauit, cum qua congreſſus Olympius Italiæ Exarchus, (ſic enim tunc vocabantur, qui pro Conſtantinopolitano Cæſare Italiam prouinciam gubernabant) cruentiſſima victoria adepta, eos expulit, qua pugna defatigatus, in morbum incidit, quo paulo poſt interijt. Ipſe autem Muauias, terreſtri exercitu comparato, illum in Cappadociam ad Cæſaream, eius prouinciæ oppugnandam duxit. Sed priuſquam aliquid memoria dignum ibi gerere poſſet, Ozmeni Califæ morte audita, quia illi ſuccedere cupiebat, exercitum reduxit. Ozmenus duodecimo Pontificatus ſui anno, Saracenorum, qui Ali Califam volebant, turba domum, vt ipſum interficeret, obſidente, ſibi ipſe, ne in illorum manus veniret, mortem conſciuerat. Hic annulum Mahometis, quem omnes Califæ ante ipſum geſtauerant, caſu quodam amiſit, aliumq; item argenteum ſibi comparauit, in quo hæc verba inſcribi iuſſit: O PERTINACES, O POENITENTES. Vixerat annos 87. noctu ſine vlla pompa ſepultus eſt, quia ſe ipſe interfecerat. Itaq; eo defuncto, magna inter Saracenos de nouo Pontifice eligendo eſt orta contentio. Alij enim Alim volebant, alij Muamadum Ozmeni filium, alij Muauiam. Sed Alis, armis contra Muamadum obtinuit, adeo vt omniū, præterquam Muauiæ, conſenſu, Pontifex crearetur: Muauias vero militib⁹ Aegyptijs atq; Aſſyrijs, quos ſecum tot bellis exercitatos habebat, fretus, arma cōtra eum, Ozmeni cædis vlciſcēdæ cauſa prætexens, mouit: & cum vterq;

Rom. Rom. expeditio aduerſus Saracenos.

Romanorum clades.

Rhodus capitur à Saracenis.

Siciliam Saraceni inuadunt.

Ozmenus ſeipſum interficit.

Prælium inter Alim & Muauiam.

cum exercitu ad Euphratem fluuium veniſſet, per vndecim menſes leuioribus vtrinque prœlis dimicatum eſt, nec deſierunt crebris excurſionibus ſe muruo vtriuſque partis milites interficere, & agros populari, donec tandem Alis in templo quodam prope Cuſam Arabiæ vrbem, Muauiæ inſidijs trucidatus fuit, ibiq; contumulatus, & ob id nunc locus ille Maſſadale, id eſt, Alis domus vocatur. Is in annulo hanc habebat inſcriptionem: CORDE SINCERO DEVM DOMINVM VENEROR. Ali mortuo, Cuſæ & Arathę ciues, Alhacemum, eius ex Fatema coniuge, Mahometis filia, maximum natu filium, Pontificem crearunt, qui auum maternum forma omnino referebat. Hic, exercitu contra Muauiam ducto, cùm acies ambæ ad pugnam inſtructæ, fronte oppoſita ſtarent, ſiue to prœlij euentum metuens, ſiue, vt alij tradunt, naturæ bonitate victus, ne tanta humani ſanguinis ſtrages ſua cauſa ederetur, Muauiam ſupplex adijt, eumq; ſuperiorem agnouit, ſic pace inter eos facta, ſimul Cuſam petierunt, & magna ibi accepta pecunię vi, Ietribum iuêre, vbi Muauias Alhacemum propria manu regio diadmate ornauit, Regemq; appellauit, quia nō diu victurum ſciebat. Nam ſexto Pontificatus ſui menſe nondum expleto, veneno quod illi Muauias dederat, obijt. Symbolum eius, quod in annulo geſtabat, fuit: SOLVS DEVS POTENS EST. ſic Muauias ſolus, æmulis ſublatis, regnauit. Rebus in hunc modum conſtitutis, anno Sal. 668. in Imperij Romani fines irrupit: ſed poſt, Conſtātio petenti pacem, dedit, ea lege, vt quotidie ab eo decem auri pondo, & ſeruum cum equo acciperet. Damaſcus his temporibus, Saracenorum Imperij ſedes & caput erat. Verum, in tanta felicitate, orta ſunt inter eos diſſidia ob religionem, ex Mahometis reſcriptorū varietate & repugnantia. Perſæ namque, vt diximus, Saraceni facti, longe diuerſa ab ijs, qui in Syria erant, Homaris Alcoranum ſequentibus, dogmata habebant. Quamobrem Muauias, exercitu in Perſidem ducto, ſectam illam depreſſit, & ſuam, quæ in Syria vigebat, extulit: conſtituitque, vt ſuę ſectę militibus duceni denarij in ſingulos dies numerarentur, Perſis vero ſolum triginta. Deinde Ciliciæ fines ingreſſus, totam ferro flāmaq; vaſtauit. Cùmque Damaſcum rediſſet, Sapor, locorum, quæ adhuc Romanum imperium in Perſide agnoſcebāt, Prætor, qui ab Imperatore defecerat, Sergium equitum magiſtrum ad eum miſit togatum, vt ſe ad Conſtantinopolitanum Imperium occupandum iuuaret: quo, hæc cum eo tractante, venit pariter ad Muauiam, Andreas Cæſaris miniſter, magna & ampla dona promittens, ſi Saporis rebus non fauiſſet. quibus Muauias reſpondit, ſe illi auxilio futurum, qui plus dediſſet, atq; ſic Sergio maiora dante, fœdus cum eo percuſſit. Andreas vero diſcedens, Sergium in Perſidem redeuntem, inſidijs ſtructis, cepit, & in crucem ſuſtulit, eo, cui fides data erat, ſublato: Muauiam retentis muneribus ſe promiſſis ſolutum cauillaturum ſperans: ſed maior fuit in Barbaro fides, quam Græcum ingenium capere poſſet. Muauias enim fidem ſine fuco ſeruare volens, Arabicas copias Fadala duce Sapori auxilio miſit. eoque, equi caſu mortuo, Fadalæ ſupplementum, Iazido filio ſuo duce, quo cœptum bellum ſuſtinere poſſet, dedit. quibus copijs Chalcedon valde afflicta fuit, & Armatia Phrygiæ ciuitas capta: ac quinq; milliū Saracenorum præſidio impoſito, quia hyems inſtabat, in Syriam cum exercitu redierunt. Interea Cæſar, quanuis hyems iam adeſſet, omniaq; niuibus tecta forent, Andream cum parua manu ad præſidium illud pellendum, & Armatiam recuperandam miſit. Proinde Græci, ſcalis repente ad mœnia applicatis, abſq; vllo impedimento in ciuitatem irruperūt, & Saracenos, qui nihil tale ſuſpicantes, cum ingens eſſet frigus, domibus incluſi erant, vt tot clades ab illis acceptas vlciſcerentur, omnes contrucidarunt. Inter hæc, Conſtans in Italia ex Græcia Romā profectus eſt, lectiſſimum viginti millium equitum ſecum trahens exercitū, quibus Suburrum Neapolitanum præfecit. Erat ei tum animus, vt ipſe iactabat, imperij ſedem iterum transferendi ad veterem Romam. Aiebat namque, magis matres, quam filias honorandas. Ipſe vrbem ingreſſus, à Pontifice admodum honorifice atq; amanter exceptus eſt. Conſtans, quinq; diebus in perluſtranda vrbe conſumptis, vbi omnia diligenter circumſpexit, ad prædam conuerſus, primum

Alis cædes.

Alhacemus creatur.

Califa cedit Muauiæ.

Muauias.

Diſſidia exorta inter Saracenos cauſa Religionis.

Conſtans Romam ingreditur, eamq; diripit.

mum laminas argenteas, quibus Pantheon tegebatur, & alia pretioſa, reliquias hoſtilium prædarum atque incendiorum, ſuſtulit: Deinde quicquid antiqui operis fuit ex ære, aut marmore, & quicquid oculos delectare potuit, ſublatum, & in naues delatum, Neapolim primo, indeque Syracuſas in Siciliam tranſmiſit, adeo vt plus ornamentorum ſeptem dierum ſpatio, quam tot Barbaræ gentes ducentorum quinquaginta octo annorum, (tot enim à Romani Imperij prima declinatione interceſſerant) vrbi detraxerit. Hac itaq; ſic ſpoliata, Cæſar duodena die Roma digreſſus, Neapolim primo, atq; inde in Siciliam traiecit, commoratus Syracuſis, quoad tributum Italiæ vrbibus & inſulis imperatum (quod tam auare & crudeliter exactum fuit, vt multi fortunis ſimul, & coniugibus ac liberis ſpoliarentur) exigeretur. Dum hic molliter & libidinoſe vitam agit, ac in balneis ſe lauat, à ſuis miniſtris, auctore Mazeſe interficitur, digna ſcelerum ſuorum vltione, *Conſtantij cædes.* vbi regnaſſet annos ſeptem & viginti, relictis tribus filijs ſuperſtitibus, Conſtantino, quem Byzantio diſcedens, Imperij hæredem deſignarat, Heraclio, & Tiberio. Sed Conſtantinus poſtea, minores fratres crudeliter necauit, veritus, ne quandoque ſibi imperanti officerent. A quibuſdam literis proditum eſt, Conſtantem, cum iam ſexennium in Sicilia fuiſſet, hinc haud abire potuiſſe ob conſpirationem domeſticorum in ipſum factam. Et ideo cum lauaret, in parte capitis periculo obnoxia, percuſſum eſſe vaſe, quo calida aqua hauriebatur, atque ita extinctum. Hoc autem interempto, Anneniumquendam Myziſium, *Annenium.* quem alij Magnentium, alij Mexentium vocant, virum & corporis proceritate, & pulchritudine inſignem, qui bello Perſico honeſtiſſimum ordinem duxerat, à militibus Imperatorem creatum, ſed breui poſt, fuiſſe oppreſſum, ac ſocios facinoris in vincula coniectos, & Byzantium, vna cum tyranni capite deportatos. Conſtante, vti diximus, violenta nece ſublato, Conſtantinus IV. Barbatus, ſeu *Conſtantinus IV.* Pogonatus cognomento, in Imperio ſucceſſit, qui cœperat regnare cum patre, cum ante Italicam expeditionem, ipſum Imperij conſortem feciſſet, & coronari iuſſiſſet. Regnauit annos decem, & fuit multo felicior patre, tametſi arma Saracenica illius Imperium per 7. & amplius annos atrociter diuexarint, nec exigua detrimenta & clades intulerint. Hi enim ab initio, Conſtantini cæde diuulgata, claſſem occulte comparant, Thraciam, & Græciam, ſi quid Byzantij tumultuatum eſſet, inuaſuri. Verum quia pacata ibi erant omnia, in Siciliam, Romanorum tunc & totius Italiæ ſpolijs refertam, impetu facto, Syracuſas, omni *Syracuſa capta à Saracenis.* tunc præſidio deſtitutas, repentina vi ceperunt. Cumque ibi, ob Italiæ propinquitatem tuto eſſe non poſſent, Romanæ vrbis ornamentis, omniqueSyracuſana gaza nauibus impoſita, opima præda onuſti, Aegyptum repetunt. Non deſunt tamen, qui tradant, ipſum Conſtantinum, patris cæde audita, in Siciliam nauigaſſe, ut in illius auctores animadverteret; & ſpolia inde Byzantium retuliſſe. Poſt, alius Saracenorum ingens exercitus Africam ingreſſus, incredibili ſucceſſu omnem maritimam oram (nam Mediterraneorum magnam partem poſſidebant) octingentis mortalium millibus in ſeruitutem abductis, populatus eſt: ab *Saracenorum excurſiones.* alia parte Muauias maximum exercitum Muamado & Caiſe ducibus emiſit: qui Lydiam, & Ciliciam Romanorum Prouincias ſubegit. Ac paulo poſt, vt Byzantium oppugnare poſſet, huic alium Sæuo duce ſubmiſit: quo priori coniuncto, Byzantium ambo petunt, obſidioneq; cingunt, anno videlicet 675. His claſſem etiam ingentem addidit, quæ ab Hebdomi occiduo promontorio, ad Cyglobiũ omnia cingebat: ac ſepius oppugnatione tentata, irritus illorum conatus fuit. Durauit hæc obſidio à menſe Aprilis ad Septembrẽ vſq;. Inde Cyzico vrbe capta, co in hyberna conceſſerunt. Vere deinde ineunte, rurſus in aciem prodeunt: ſicq; multis illatis & acceptis cladibus, bellũ hoc circa Byzantiũ in ſeptimũ annũ productum. Tandem vero Chriſtianorum rebus proſpere ſuccedentibus, *Byzantium fruſtra à Saracenis obſidetur.* multis militibus atque etiam nauibus amiſſis, deiecti animo illinc recedebant, cum tanta eos tempeſtas in mari corripuit, (erat enim hyems,) vt nauibus ad Chium Aegæi maris inſulam fractis, magna illorum pars ſubmerſa perierit. fortuna tunc mirũ in modum Chriſtianorũ rebus fauente. Paulo poſt, Conſtanti-

Saraceni ſiunt tributarij Romanorum. *Hæc pax incidit in annum 679.*

nus 10. ſui Imperij anno cum Suſia, Muauiæ nepote, prœlio in Aſia feliciter conmiſſo,& trecentis Satacenorum millibus in eo cæſis,eos ſibi vectigales fecit:ſœdere cum eis per Iohannem Pizigaudam patricium,quem ad hoc in Arabiam ad Muauiam Conſtantinus miſit,In triginta annos his legibus icto,vt Romanorum Imperatori quotannis auri pondo ter mille,octonos ſeruos, totidemq; præſtantiſſimos equos tributi nomine darēt:& præterea ex captiuis Chriſtianis,qui apud eos erant,quinquaginta,quos Cæſar petiuiſſet, libertate donarent. Fuerunt autem & alia,quę Saracenos ad hoc ſœdus impulêre.Nam his cladibus in Syria cognitis,quidam Saracenicarum nauium præfectus, Calinicus nomine, animo ex illorum aduerſis rebus ſumpto,naues omnes quæ ibi erant,incendit, & poſt,Byzantium conſugit. Et in Aegypto quoq; eadem ſortuna res illorum afflixit. Peſtilentia enim tantopere ibi tunc ſæuijt,vt Saracenorū genus in ea Prouincia pene extinctum fuerit. His autem ſucceſſibus viſa eſt nonnihil Romani Imperij maieſtas reuireſcere. Quod ſi Cæſari non magis præſens ocium, quam diuturna Reip.trāquillitas,quæ tamē nulla ratione diuturnior tutiorq; cum Barbaris,quā perfecta victoria paratur,tunc cordi fuiſſet,Saracenorū vires tunc mirum in modum fractę & conquaſſatæ, penitus opprimi ac deleri potuiſſent. Cæterum ea occaſione tunc temporis neglecta,poſtmodum effectum eſt, vt eadem gens Romanum Imperium haud raro in ſummum diſcrimen adduxerit.

Muauia obitus. *Iezidus.*

Dum hæc ita geruntur,Muauias breui ab hoc ſpacio interiecto, Damaſci,vbi ſedem habuerat,extremum diem clauſit, ibidemque ſepultus fuit. Vixit annos 77.Regnauit 24. vir maxime bellicoſus,& in rebus gerendis prudens. ſigillum geſtabat cum hoc Symbolo:O DEVS,IGNOSCE MIHI. Eo defuncto,ſtatim Iezidus eius filius,Pontifex & Rex fuit ſalutatus, qui nihil admodum memoratu dignum geſſit.Erat enim ocio & luxui deditus,nec corpore ſatis firmo: niſi quod multos ex Arabū nobilitate interſecit: ſororē ſuam libidinoſe adamauit,& literis atque poëticæ delectabatur,multaque carmina faciebat, legis Mahometicæ,& cuiuſuis religionis maximus contemptor.

Mutar Perſarum imperium occupat.

Hoc regnante,Mutar,quem ipſe Perſidi Prouinciæ præfecerat,eius ignauia cognita,ſe vatem eſſe prædicans, tyrannidem in ea inuaſit,ab eoque Perſarum Reges,qui hodie Sophi vocārur,originem duxiſſe dicuntur.Iezidi Symbolum fuit:DEVS EST MEVS DOMINVS. Regnauit annos tres. Obijt autem Arrani, ætatis ſuæ anno 40. cum paulo ante

Hocemus Alis F. ab Abdalamo interficitur.

Cuſæ ciues,Hocemum Alis filium,Pontificem creaturi vocaſſent, quem Abdalamus,Iezidi filius,in Carbalenſibus campis prope Cuſam inſidijs oppreſſum interemit:ibiq; ſepultus fuit.in cuius rei memoriam,ad eius ſepulchrum vrbs poſtea fuit condita Carbala,de campi,in quo eſt,nomine appellata. Hocemus duodecim filios mares reliquit. Ex his, poſtremum, nomine Muamedem Mahadinum,Perſę nondum obijſſe narrant,quem equo inſidentem, ad legem cunctis gentibus declarandam venturum,& omnes gentes conuerſurum. Id autem in Maſſadale vrbe,vbi Alis aui eius corpus iacet,inchoaturum aiunt: Ideoque ſemper ibi equum pro illo paratum habent, quem cum ſacra fiunt, facibus accenſis ad templum deducunt,& quodam anni die apud eos ſolenni, hunc equū quanta maxima poſſunt pompa ad templum,in quo Ales ſepultus iacet, ferunt,rogātes eum vt hunc ſuum nepotem,quem ipſi expectant, quam citiſſime mittat. Is dies magno vndique mortalium concurſu celebratur.

Maruanus creatus Pōt. ab Abdalamo deturbatur. *Abdimelicus deuictis æmulis, Pontificatum aſſequitur.* *Peſtis & fames vaſtant Saracenos.*

Itaque Hocemo interfecto,& Iazide mortuo,Maruanus quidam Pontificatum eſt adeptus,qui non plus quam nouem menſes regnauit,quoniam Abdalamus, Iazidi filius, eum regno expulit,eoque annum vnum ipſe potitus eſt, quo tempore Arabes, concilio in Cuſa interiori Arabiæ vrbe habito,Abdimelicū Pontificem crearūt, etiam tum iuuenem, aduerſus quem motus etiam excitauit quidam alius nomine Dadacus,quem breui poſt cum ſua factione deleuit,pariq; ſucceſſu Abdalamus à Ciafa ipſius Abdimelici cōſanguineo deuictus eſt adeo vt victor Damaſcū veniret.Non tamē diu ea lætitia frui potuit,quia & ſæua lues graſſari cœpit,quæ Saracenicam gentem ferme ad internecionem vſque deleuit: cui malo acceſſit dira etiam in omnibus ſuis regionibus fames. Et Mardaitæ monte Libano iterum occupa-

to,fi-

to, fines ſuos Hieroſolymam vſque promouerant, & Perſidis à Mutare occupatæ res animum eius ſupra modum angebant. Quibus aduerſæ fortunæ fluctibus agitatus, Abdimelicus, per legatos à Iuſtiniano, qui tunc annos natus 12. ſiue vt alijs placet 16. Imperium erat adeptus, pacis, quam Muauias cum Conſtantino pepigerat, confirmationem rogans, vt Mardaitæ Libano amouerentur, petijt: quod ſi fieret, ſe Romanis quotidie decem auri pondo, ſerui & equum eximiæ pulchritudinis tributi nomine datutum pollicebatur. Quibus conditionibus pacis, Iuſtinianus aſſenſus eſt, licet illas breui poſt violaret. Hic Iuſtinianus Iunior, quem alij Iuſtinum tertium vocant, à patre Cæſar creatus, illi in imperio ſucceſſit, anno recuperatę ſalutis 678. fuitq; vltimus ex ſtirpe Heraclij, in quo eius defecit progenies, quæ Imperium tenuit continuum annis 87.

Pax inter Iuſtinianū & Abdimelicum.

Defectio ſtirpis Heraclij.

Proxime narrauimus, Abdimelicum, miſſa legatione ad Iuſtinianum, pacem certis quibuſdam conditionibus impetraſſe. Quo autem facilius Cæſar poſſet Mardaitas, qui iam non vltra 12. millia erant, Libano monte amouere, Abdimelicus mediam Cypri, Armeniæ, & Iberiæ annuorum tributorum partem ei conceſſit. His igitur rebus ex ſententia confectis, & Mardaitarum ferociſſimorum hominum metu liberatus, quos Imperator, Leontio duce, profligauit, eiuſque opera Iberiam, Alaniam, & nonnullas alias Prouincias his finitimas recepit, Abdimelicus Ciafam, cuius ſupra mentionem fecimus, aduerſus Mutarem, qui ſub religionis ſpecie tyrannidem in Perſia occupauerat, cum magnis copijs ablegauit: quæ expeditio infelicem & ipſa exitum ſortita eſt: quoniam Mutarus cum exercitu occurrens, illum fregit ac fudit: vnde maiorem ſibi, quam antea, exiſtimationem comparauit. Abdimelicus, vtq; ex propinquiore loco Perſicas res ſpectaret, in Meſopotamiam tranſijt, vbi rurſus multis calamitatibus iactatus fuit. Siquidem Iuſtinianus, Sclauis partim deditione acceptis, partim armis domitis, delectis ex ea gente iuuenum fortiſſimorum circiter triginta millibus, Legiones conſcripſerat, quibus fretus, prætextu ex eo ſumpto, quod moneta annui tributi, non Romanum ſignum, ſed nouum Arabicum haberet, (haud enim licebat aureo nummo aliud ſignum, quam Imperatoris imaginem imprimere) fœdus violauit, & Leontio cum his nouis legionibus in Aſiam miſſo, Iberiam, Albaniam, Ircaniam, & Mediam, quæ regiones Saracenorum parebant Imperio, ſubegit. Eodem tempore, Saidus quidam ſeditionem contra Abdimelicum excitauit: aduerſus quem cum exercitu profectus Abdimelicus, ita eum terruit, vt ſupplex veniam peteret: cui Abdimelicus ſimulans condonauit, ſed paulo poſt, clam interfici iuſſit. Excitatus etiam eſt hoc ipſo tempore, inter Saracenos & alius tyrannus, nomine Abdala Zubir, qui Muſubum fratrem contra Mutarum in Perſiam miſit: ab eoque Mutarus & victus & trucidatus fuit: ſed eius victoriæ fructu frui non potuit. Abdimelicus enim totis viribus in eum collectis, prœlio victum cum exercitu deleuit, ac inde in Perſidem profectus, totam illam Prouinciam ſubegit, quo ſucceſſu territus Abdala Zubir, Meccam confugit, ad quem perſequendum Abdimelicus, Cagianum cum magno exercitu deſtinauit, qui, Mecca expugnata, Zubirum interemit, & antiquiſſimum eius vrbis idolum cum templo incendit: & ſic Abdimelicus, Perſide recepta, & æmulis extinctis, ſoluſque Saracenicarum rerum potitus, cum ſæpius Romanum Imperatorem fruſtra obteſtatus eſſet, ne fœdus frangeret, vires aduerſus Græcos, bellum contra iura omnia humana atque diuina inferentes, Muamate duce conuertit, quibus apud Sebaſtopolim inuentis, fœderis tabulas, & ſcriptas pacis conditiones, inſtar vexilli haſtæ appendit: ac Deum, cuius illæ numine interpoſito confirmatæ erant, vindicem implorans, acie inſtructa, in eos impreſſionem facit: Sclauis tamen prius pecunia corruptis, quorum ſtatim, vbi prœlium eſt initum, circiter 20. millia ad Saracenos defecerunt, quæ res ita Græcos perculit, vt nullo labore fuſi fuerint, quos illi perſecuti, ferc omnes ceciderunt: & Imperator Iuſtinianus, nam & ipſe huic prœlio interfuit, turpi fuga cum paucis conſeruatus, vbi ad Leucatem peruenit, reliquias Sclauicæ illius & nouę militię omnes trucidari, & cadauera in mare præcipitari iuſſit, Vnde Saraceni poſt, impune non modo ſua recuperarūt,

Mutari victoria contra Abdimelicum.

Iuſtinianus fœdere violato bellum infert Saracenis.

Mutari cædes.

Perſia ſubijcitur ob Abdimelico.

Inſignis Romanorū clades propter fœdus violatum.

Armenia Saracenis deditur.

verum etiam reliquas Romanas Prouincias inuaſerunt, & Sabatius patricius, Armeniæ prætor, Romanorum clade cognita, ad eos ſe contulit, eiſque Armeniam tradidit: neque illi Orientem vniuerſum vaſtare, & Chriſtianos in ſeruitutem abducere deſierunt. Nam etiam illa Perſidis pars, quæ adhuc Romanum agnoſcebat Imperium, à Cagiano ſubacta fuit: & Muamates cum Sclauis, qui ad eum transfugerant, Thraciam Prouinciam ingreſſus, eam ferro & flamma deuaſtauit: Romano Imperio interea ciuilibus diſcordijs atque inteſtinis odijs ita dilacerato, vt nemo illorum audaciam reprimere poſſet.

Thracia deuaſtatur à Saracenis.

Iuſtinianus à Leontio exuitur Principatu.

Leontius enim patricius, quem Iuſtinianus ob ſuſpicionem affectati Imperij, in vincula conijci iuſſerat, inde poſt biennium, amicorum & clientum ope, extractus, ipſo Iuſtiniano, cum iam annos decem imperaſſet, amputatis naribus, in Cherſonem inſulam relegato, Imperium occupauerat: ſtatimque Iohannem Patricium cum claſſe ad Saracenorum Africanorum, qui ex Mediterraneis, quæ illis ex fœdere ad inhabitandum erant conceſſa, denuo maritimam oram inuaſerant, vim inhibendam miſerat; qui Saracenos acie victos, Romanorum finibus expulerat: ſed cum opes illorum in Syria totoque Oriente formidoloſæ eſſent, & maiores copias ijs qui in Africa degebant, Saracenis ab Abdimelico auxilia ſubmitti crebris rumoribus nunciaretur, Iohannes ſe nimis paruum exercitum ad eam Prouinciam tutandam habere ratus, Byzantium, vt nouas à Leontio in ſupplementum copias acciperet, exercitu in Africa relicto, adnauigauit. Sed dum hæc nimis lente à Leontio comparantur, Abdimelicus, ſuorum, qui in Africa erant, ſtatu cognito, iacturamque iniquo animo ferens, claſſem ingentem mittit ad Prouinciam recipiendam: cui cum Romana claſſis longe impar eſſet, illinc receſſit: cumque in Cretam perueniſſet claſſis, Principes partim turpe rati, Africa amiſſa, & hoſtibus conceſſa, reuerti, partim ira in Imperatorem, qui tam ſegniter bellicas res tractaret, commoti, claſſiarios ad defectionem concitant, vtque Abſimarum, quem & Tiberium nominauerunt, Imperatorem ſalutent, ſuadent. Is cum copijs Byzantium confeſtim profectus, Leontium imparatum offendens, ſtatim vrbe potitus eſt, & Leontium truncis naribus in vincula coniecit, cum iam triennio regnaſſet.

Leontius à Tiberio in vincula cõijcitur.

Saraceni Africa potiuntur.

Saraceni vero Africam totam, Romanis vndique præſidijs pulſis, occuparunt, quod quidem incidit in annum ſeptingenteſimum ſextum. Erant autem qui tunc Africæ maritima loca tenebant, magna ex parte Gothici generis.

Maxima Saracenorũ clades in Aſia.

Tiberius, ſimul atque Imperium adeptus eſt, Heraclium fratrem ſuum cum maximis copijs in Aſiam contra Saracenos ablegauit, qui in Syriam irrumpens, Samoſata vſque progreſſus eſt, finitimaque loca omnia populatus, circa ter ducenta millia illorum cecidit, captiuiſque plurimis & ingenti præda parta, magnum eis terrorem iniecit: Eodem tempore, Armeniæ principes, Saracenos omnes, in Armenia degentes, per ſeditionem interemerunt, & legatis ad Abſimarum miſſis, Romanos denuo in Prouinciam receperunt: quam Muamates magnis copijs adortus, iterum Saracenico ſubiecit Imperio, ac Principes populi viuos cremauit: dein Ciliciam quoque inuaſit, totam eam deuaſtans: non tamen ſine maximo ſuo detrimento.

Saraceni trucidantur in Armenia, quæ iterũ ab ijſdem ſubijcitur.

Siquidem Heraclius cum eo congreſſus, permagnam eius exercitus partem deleuit, cæteris captis; quos Byzantium ad Imperatorem vinctos miſit: quo quidem tempore, obijt Abdimelicus regni ſui anno 22. eique Vlitus Abedramonis filius in Pontificatu ſucceſſit, Miralmuminus & ipſe appellatus, Anno Sal. Chriſtianæ 708. quo imperante, Armenia, iterum Saracenis pulſis, ſub Romanorum redijt Imperium: & Arabes, in Romanas Prouincias irruptione facta, Miſtam vrbem cum multis caſtellis ceperunt, atque opima præda onuſti, domum redierunt. Deinde rurſus Abatio duce in Galatiã irruperunt, eamque totam deprædati ſunt.

Mors Abdimelici.

Vlitus creatur Pontif.

Armenia rurſus Rom. imperio ſubijcitur.

Saracenorũ excurſiones.

Iuſtinianus recuperat imperium.

Eiuſdem in hoſtes crudelitas.

Circa hæc tempora, Iuſtinianus ex Cherſoneſo, fruſtratis cuſtodibus elapſus, ope atq; armis Trebellij Bulgarorum Regis, ad quem confugerat, in Imperium, ceu poſtliminio reſtituitur, ſtatimque Heracleum Apſimari fratrem, cum plæriſque alijs ex ſublimi ligno prope mœnia, magna ciuium multitudine interfecta, ſuſpendi iuſſit. Ipſum autem Abſimarum Apolloniada fugientem, exque itinere retractum, in vincula coniecit, breuique poſt, & ipſum,

qui

qui ſeptennio iam regnauerat, & Leontium, è carcere eductos, per forum & theatrum ſimul iunctos, rapi ab equis, atque ad eius pedes detractos, cum ceruicibus preſſis calcaſſet, in Cynegepio, ſpectante populo capita præcîdi, & Callinico Patriarchæ oculos effodi imperauit. Ipſe tandem, poſtquam denuo ſummæ rerum ad ſexennium præfuiſſet, propter intolerabilem eius tyrannidem atque ſæuitiam exercitu ab ipſo ad Philippicum Bardanem, quem communibus ſuffragijs Cæſarem renuntiauit, deficiente, ab Helia copiarum præfecto, cuius liberos paulo ante in ipſo matris ſinu interfici mandarat, iugulatus eſt, ſimulque eius filius Tiberius abſtractus ab ara, crudeliſſime trucidatus.

Cades.

Philippicus Bardanes.

Philippicus Bardanes rexit Imperium annos duos, deleuit imagines in templis, ſextæ Synodi decreta oppugnauit, & Monotheletas rurſus defendit. Princeps ad res gerendas prorſus ineptus & vecors, adeoque prodigus, vt magnam pecuniarum vim ab Imperatoribus cumulatam, temere in nullius rei vſum breui conſumpſerit, vt ſi diutius regnaſſet omnium fuiſſet factus egentiſſimus.

Bulgarorum excurſiones.

Sub eo Bulgari factis incurſionibus per totam Thraciam vſque ad ipſam vrbem, cum ingenti præda & captiuis ablatis, ad ſua redierunt. Hic tandem Arthemij ſecretarij conſilijs, oculis priuatus, in vincula coniectus eſt, & in eius locum ſubrogatus Arthemius dictus Anaſtaſius ſecundus, qui præfuit annū vnū & tres menſes, vir eximia quadā eruditione præditus, at in bello parum fortunatus.

Anaſtaſius ſecundus.

Quandoquidem à Theodoſio victus in prœlio iuxta Niceam Bithyniæ caput, ab eo imperatorijs faſcibus exuitur, & Byzantio proditione occupato, ipſum ſacris initiari iuſſit, ne amplius de imperio cogitaret.

Theodoſius.

Theodoſius cognomento Adramittenus, ſeu Adromitthemus, imperio potitus non amplius vno anno, illud volens atque vltro ceſſit Leoni Iſauro, de quo mox dicetur, enarratis prius nonnullis rebus paulo ante hoc tempus per Saracenos geſtis.

Saracenorum incurſiones.

Hi enim, adhuc regnante Iuſtiniano poſt exilium, multo maiore quam vnquam antea appatatu ex Aegypto profecti, vniuerſam Libyam ad Oceanum vſque occuparunt, eique Vlitus Pontifex, Mucam ſumma cum poteſtate, Admirantem dictum, præfecit, anno ſcilicet reparatæ ſalutis 712. quo tempore Imperij finibus in Africa ad ipſum Oceanum promotis, primum, Roderico Viſigotho ibi regnante, intulerunt pedem in Hiſpania, ſimulque Tarraconenſem, Bethicam, & Luſitaniam, ferro & flamma populati ſunt.

Iidem inundant Hiſpaniam.

Et licet Rodericus maximo exercitu collecto, Ignicum patruelem ſuum contra hos miſerit, is tamen ſæpius infeliciter cum illis congreſſus, tandem etiam cum ſuis omnibus deletus fuit. Saraceni vero quorum dux erat Tatiſes, magna populatione facta, præda onuſti, ingentemque mortalium multitudinem in ſeruitutem abducentes, in Africam redierunt. Quo tempore Vlitus in Aſia, dum ſe ad bellum Conſtantinopolitanum parat, extremū diem clauſit: & poſt illum factus eſt Pontifex Zulciminus, Abdimelici filius, quo regnante, Saraceni, vt mox dicetur, Byzantium ſecundo obſederunt. Statim enim vbi Pontificatum eſt adeptus, Malſamam cum terreſtribus copijs, & Aumarem cum nauali claſſe, Byzantium verſus amandauit. Ipſeq; cum maiori exercitū ſubſecutus eſt: ſed hunc tam validum conatum aliquantiſper repreſſit Leo, Armeniæ Prætor: quem, dum ipſi fallere nituntur, ab eo decepti fuerunt, qui, locis opportunis occupatis, eos tranſire nō eſt paſſus. Hic prius rexerat Alanos. Poſtea ab Arthemio aduerſus Saracenos miſſus, cum audiuiſſet contra Arthemiūm factum Imperatorem Theodoſium, ipſe tanquam defenſurus Arthemium, redit Nicomediam, & capto filio Theodoſij, paciſcitur cum patre, vt Imperio cedat. Ita Leo Iſaurus ſibi duces & exercitus omnes iurare iubet. De ipſo autem, eiusque rebus geſtis mox dicetur, ſi prius hæc paucula obiter ſubiecero, nempe ſub hoc Theodoſio, Tyberim fluuium, alucum ſuum egreſſum, vſq; ad pontem Milnium à Vaticano aqnas emiſiſſe, magnamq; vrbi cladem intuliſſe, ac eam innndationem ſeptem diebus non ſine horrendo metu, cum fœda domorum & animalium ſtrage, perduraſſe.

Tyberis exundatio.

Ad hæc ſubſecuta ſunt nonnulla alia prodigia cæleſtia, ſiquidem Luna per eos dies obtenebrata eſt à prima ad tertiam vigiliam noctis ſanguineo colore ſuffuſa. Apparuit & crinita ſtella terrifico aſpectu, cauda ad Arctum obuerſa.

Prodigia.

P 2

Leo Iſaurus. Leo tertius hoc nomine, Iſaurus Conon antea nominatus, poſt Theodoſium, anno Chriſtianæ ſalutis ſeptingenteſimo decimo octauo ad Romanum Imperium euectus eſt. Hoc imperante, Italia, cæteraque Imperij loca multis cladibus grauiſſime afflicta ſunt, primoque huius principatus anno, Athinus, & Amorrheus Saracenorum duces, citeriorem Hiſpaniam inuaſerunt, eo quidem ſucceſſu, vt victo paulo ante Roderico, vti diximus, paulatim, vtque nonnulli tradunt, quatuordecim menſium ſpacio, ſubacta fuerit vniuerſa Hiſpania, quod quidem illis facile fuit factu, populo præſertim armis & ducibus exuto, necnon Iuliano primum, deinde Opaſio, Egicæ regis filio. Sibiliæ Metropolitanos populos ad deditionem cohortante, ac ipſis, & religionem, & iura omnia, quibus antea fruebantur, integra fore promittente. quod tamen in paucis quibuſdam locis ſeruabatur, vt Valentiæ, Sibiliæ, ac Toleti, in quibus templa quædam reliquerunt Chriſtianis inhabitanda: Poſt has victorias quotidie Saracenorum numerus in Hiſpania creuit, adeo vt non ſolum religionem Hiſpani tunc mutauerint, & mores, ſed & linguam corruperint, & vrbium, oppidorum, montium, fluminum, aliorumque locorum omnium nomina maiori ex parte ſint mutata.

Hiſpania ſubijcitur à Saracenis.

Rebus Hiſpanicis hoc pacto ſeſe habentibus, in Oriente Saraceni apparatum, quem ſuperioribus annis ad Conſtantinopolis oppugnationem fecerant, irritum fuiſſe ægre ferentes, & Leonem, cuius opera conatus ipſorum repulſus fuerat, imperiũ adeptum eſſe audientes, ingentibus copijs collectis, denuo eandem expeditionẽ bipartito aggreſſi ſunt. Maſiamas quidẽ, ſiue vt alij appellant, Malaldas, Legatus, Abydo eum magnis copijs in Thraciam tranſuectus, haud mediocrẽ eius prouinciæ partem populatus eſt: impetuq; in vrbẽ regiam facto, ad Occidentalem eius partem, vbi iſthmus eſt, prope mœnia caſtra poſuit, atq; ab ea parte ipſe vrbem oppugnauit. Zulciminius autem Pontifex, è mati cum trium millium, vt multi tradunt, ſiue, vt alijs videtur, trecentarum nauium claſſe. His viribus Saraceni inſtructi, Byzantium terra marique arctiſſima obſidione cinxerũt, & prior quidem, oppugnationem cuniculis, turribus, omnique machinarum genere tentabat: Alter vero, non minori ſtudio ac diligentia inſtabat operi, & pontibus naualibus in altum ſublatis, tormentis item ijs, quę illa tempeſtate in vſu erant, oppugnationem vrgebat. Sed tanta erat propugnatorum vigilantia & virtus, vt omnes illorum conatus omni ex parte inanes atque irriti redderentur. Itaque ad diuturnam obſidionem cõuerſi ſunt: verum interea, Zulciminio hîc defuncto, Saraceni in nouo Pontifice cligendo, varijs ſeditionibus iactati ſunt, atq; ob id oppugnatio aliquandiu intermiſſa. Tandem vero Aumar Abdimazidi filius, in demortui locum Pontifex creatur, anno 721. quo quidem hyems tam ſæua extitit, vt non modo flumina, ſed Pontus & Boſphorus ipſe Thracius, glacie obductus fuerit, adeo vt tam hominibus, quam plauſtris onuſtus, bobus atque iumentis eſſet permeabilis. Quamuis autem commeatus aſſidue ex Aegypto in caſtra veheretur, tamen quia ingens erat hominum & iumentorum multitudo, & frigus immenſum, magna illorum pars fame, frigore, ac morbo perijt, & ingens illorum manus, quæ prædæ cupiditate è caſtris, in Bulgariæ fines irruperat, à Bulgaris, qui in eam populabundi impreſſione facta, magnam ſtragem ediderunt, oppreſſa fuit, vbi ad duo & triginta millia cæſa fuiſſe à nonnullis traditum eſt.

Byzantium denuo à Saracenis fruſtra obſidetur.

Zulciminius Pontifex Saracenorum.

Eiuſdem obitus.

Aumar Pontifex Saracenorum.

Et Leo Imperator artificio quodam ignis per ſpeculum, vt olim Archimedes Syracuſanus faciebat, cuiuſmodi ſpeculum & Alexandriæ Aegyptiacæ in Pharea turri fuiſſe perhibent, quo incolæ Solis radijs obuerſo, hoſtium naues, vel longe venientes, comburebant, in hoſtilem claſſem eiaculandi, quo vel marcipſum circa naues arderet, ab architecto quodam inuento (Zonaras tradit huius fluxilis ignis, & qui in aquis arderet, humectum appellatum, auctorem fuiſſe Fabrum Callinicum, qui aliquot ante annis ex Syria Byzantium venerat) & claſſem illorum ita afflixit, vt pancæ ſuperfuerint naues, quæ à Græcis concrematæ, aut captæ non fuerint, ipſis præfectis, illius ignis metu ſeſe ſponte dedentibus, & in Græcorum manus confugientibus. Interea vero, cum Mucas & Tariſes, qui Hiſpaniam ſubegerant, Aumaro ſuſpecti eſſent redditi, ambo ad nouum Põtificem

Ignis artificialis, quo naues incenduntur.

cem ſalutandum,& ſuſpitionis cauſas remouendas venerant : vbi Tarifes Mucam peculatus in Hiſpanicarum rerum administratione accuſauit, atque redarguit,cuius criminis damnatus,mœrore confectus obijt: in cuius locum Aumar Gizidum Africæ præpoſuit. Tariſem vero toti Hiſpaniæ. Itaque Gizidus trecentarum & ſexaginta nauium claſſe inſtructa, cum ſupplemento legionum & commeatu Byzantium verſus iter direxit: ſed ignis illius, quo Byzantini naues conſumebant,nuntio in itinere accepto, ad Bithyniæ littora prædabundus ſubſtitit: vbi Romanæ legiones,quę in præſidijs erant,eos aggreſſæ, multos occiderunt,ac territos repulerunt. Et nihilominus terreſtris exercitus oppugnationem vrbis non intermittebat,& ſi tanta fame premeretur, vt nullius animantis cadaueribus abſtineret: quin & ſtercus exſiccatum comedebant, & humanis quoque carnibus manus admouiſſe perhibentur: tanta Barbarorum animos Regię vrbis capiendæ cupiditas inflammauerat. Nec tamen minus interea Byzantij laborarum fuerat,qua in vrbe ad 300. hominum millia diro contagio abſumpta eſſe dicuntur. Sed Aumar tot tantarumq; cladium nuntijs territus, literis ad Malſamam datis,vt exercitum reduceret,imperauit. Malſamas exercitu nauibus quæ ſuperfuerant,impoſito,diſceſſit. At mox vehementi tempeſtate exorta, omnes, decem tantum nauibus exceptis,perierunt,quarū quinq; à Romanis captæ ſunt, reliquæ cladis nuntiæ domum rediere.

Non multo poſt,in Oriente Aumaro Caliſa defuncto, ſucceſſit anno ſalutis 722. Gizidus, Abdimelici filius,quo imperante, excitatus eſt in Perſide alius Caliſa Gizidus,& ipſe Moalabs appellatus,contra quem miſſus fuit cum magno exercitu Maſalinicus, qui eum prœlio vicit, Perſidemque ſubegit, & ſic Gizidus, Abdimelici filius,ſolus Saracenorum omnium Caliſa manſit, qui, cum tres annos regnaſſet,in fata conceſſit,& poſt,Euelitus eius filius, Caliſa renuntiatus eſt, qui magnis viribus Romanas Prouincias in Aſia atque Europa inuaſit: ſed nulla re memorabili geſta,ſe ad ocium & voluptates conuertit: Verum tamen iterum ſecundo imperij ſui anno Malſamam cum exercitu in Cappadociam miſit,à quo Cæſarea vrbs expugnata fuit,& ab altera parte Euelitum in Thraciam, eaque deuaſtata & direpta,in Syriam remigrauit. Hoc tempore prope Aſiæ minoris littora,terra in fundo maris ita arſit: vt primo fumus ex eo incendio, deinde tanta pumicum accenſorum copia extitit, vt monticuli in mari nati viderentur, quibus pumicibus omniā Aſiæ minoris,Lesbi, Abydi, & Macedoniæ littora repleta ſunt,mareque ipſum ijs ſtratum eſſe videbatur: quin etiam traditur, tunc inſula quædam propę Sacram inſulam nata eſſe. Iiſdem ferme diebus,Nicæa Bithynię vrbs,à Saracenis,quorum dicuntur fuiſſe 90. millia, ductu & auſpicijs Muauiæ & Ameri, Chriſtianis fortiſſime propugnantibus, & illos ſemper magna cum cæde repellentibus, fruſtra obſeſſa & oppugnata fuit. Poſtmodum Gazariæ Princeps,Caçani Bulgarorum Regis filius, Saracenis in Armeniæ finibus bellum intulit, & Gradaco Armenię ac Medię Prætore Saraceno,prœlio deuicto,ac trucidato, duas illas Prouincias rurſus Romano Imperio ſubiecit. Anno 730. Malſamas cum ingentibus copijs Caucaſia clauſtra ingreſſus,cum Turcis,qui & Vnni Teutazitæ,id eſt,gentiles tunc vocabantur, intra eos montes degentibus,ferociſſimis populis,cruento vtrinque prœlio per integrum diem dimicauit,donec tandem nox victoria adhuc incerta eos diremit. Sed Malſamas in Armeniam(iam enim cum Cacani filio pacem inierat) ſe recepit. Circa idem fere tempus, nempe decimo à victis Hiſpanis anno, qui fuit ſalutis ſeptingeſimus triceſimus,vel iuxta alios 21. Abiderama,quem alij Abiditamum,ſiue Abdimarum vocant,Saracenorum Africanorum dux, in Galliam duxit ingentem multitudinem Saracenorum. Hunc Eudo Weſtgotus, Aquitaniæ dux,ſuis virib. diffiſus,opera Mugnocis ſui generi,qui multa apud Saracenos gratia pollebat,contra Francos attraxerat. Iamque Burdegalam Saraceni vi captam diripuerant,& omnes ad vnum in ea,etiam mulieres cum paruis infantibus cæſi, nec non templa ſolo æquata. Dein per Pytagorum fines vltra Garumnam fluuium in Sanctones excurrerunt,atq; Angoliſmum,Blaiſiumque euerterunt.

Aumaro defuncto ſuccedit Gizidus, qui Perſiam ſubegit.

Euelitus ſuccedit patri.

Prodigium in mari.

Nicæam Saraceni fruſtra oppugnant.

Armenia & Media rurſus Romano imperio ſubijciuntur.

Prœlium inter Turcos & Saracenos.

Saraceni Galliam inuadunt.

Caroli Martelli inclyta victoria aduerſus Saracenos.

Duo Cometæ.

Inde per Lemouices & Pictauos in Turones deflexere, vbi Martini templum donatijs opulentiſſimum, direptum incenderunt. Sed Carolus Martellus, Brabantiæ Dux, qui fuit auus Caroli Magni Imperatoris, his cladibus commotus, robur regni Francici contra ipſos Saracenos adduxit, & cum Eudone reconciliatione facta, iunctiſque viribus, Abderamam in Turonum finibus ante ipſam vrbem trecentis ſeptuaginta quinque millibus Saracenis cæſis, prœlio fudit: ex Francis mille tantum & quingenti deſiderati eſſe dicuntur. Beda qui ea tempeſtate vixit, auctor eſt, ſub hoc tempus quo dimicatum eſt, bis ſeptenis diebus Cometas duos fulſiſſe, alterum, Solem matutinum antecedentem; alterum, veſpertinum ſubſequentem, face ignea Aquilonem ſpectantes.

Gallia Narbonenſis inuaditur à Sarac. & occupatur maxq. recipitur à Carolo Martello.

Saracenorū clades.

Hac tanta clade accepta Saraceni nondum quieuere. Nam aliquanto poſt, rurſus ex Hiſpania duo ingentes exercitus Saracenici in Galliam effuſi ſunt, flore iuuentutis militumque robore terra marique delecto, atque omnigeno commeatu inſtructi. Horum rex Atinus, ſiue, Athinius, vt alij vocant, cum præpotenti claſſe Galliam Narbonenſem adortus, illam ſubita vi, ſiue, vt alijs placet, Mauritij præfecti proditione, cepit, & cum Narbone belli arcem delegit. Hanc, duriſſima obſidione cinctam, rurſus Carolus Martellus, licet non abſque ſumma difficultate expugnatam, recipit, & Saracenos, magno numero trucidato, expellit. Atinus rex cum ſuis proceribus, ijs nauibus quæ inſtructæ in Rhodano ſtabant, deuectus, ſecūdo flumine aufugit. Complures in fuga cæſi, & multi aliorum ſuper alios ruentium multitudine obtriti: plærique, dum nauibus iam diſcedentibus, adnatant, vorticibus abſorpti. Atinus in mare delatus, Narbonem, vrbem valde munitam, opulentam, & maritimis auxilijs intromittendis opportunam, quamque alia Saracenorum manus inſederat, petijt. ad quam Martellus quoque oppugnandam contendit. Iamque non minore vtrinque certamine oppugnabatur, defendebaturque

Francorum victoria Duce Carolo Martello.

Narbo, quam modo Auenio, cum Amorræus, alter Saracenorum dux, ex Hiſpania veniens, vt obſeſſis opem ferret, Martellum in ſe conuertit. Hic enim ſumma celeritate vſus eſt, ne hoſtilis exercitus coniungeretur. In valle Carbona ad fluuium Birram, ſeu Illiberim, ſignis collatis, pugna atrox commiſſa: ſed tandem, cum Amorræus In prima acie fortiſſime dimicans, cecidiſſet, Francus vicit, cum acies morte Regis perculſa, fugere inciperet, adeo vt exercitu partim in flumine ſubmerſo, partim trucidato, ne nuncius quidem cladis domum redierit. Atinus, hac ſuorum clade comperta, ex Narbone cum ſuo exercitu aufugit, & præda ex inſulis Liguriæ vicinis aucta, in Hiſpaniam remeauit. Narbonam Carolus, ne Weſtgothi, cum quibus Saraceni fœdus ac ſocietatem inierant, noua bella molirentur, deleuit. Interea temporis, Saraceni, qui ſe Gallia & Italia potituros eſſe ſperauerant, his tantis ærumnis & calamitatibus repreſſi, ſeſe aliquandiu inter Pyrenæos montes continuerunt, fuitque propter has victorias mediocris

Caroli Martelli coadiutores in bello aduerſus Saracenos.

pax Europæ annos circiter centum, regnantibus Pipino, Carolo Magno, Ludouico Pio. In hac autem expeditione, quam Carolus Martellus in Gallia contra Mauros ſuſcepit, & tam proſpero ac felici Marte dimicauit, coadiutores & confœderatos habuit Lutbrandum Regem Longobardorum, Laudfridum Alemanorum Ducem, & Odillum Ducem Bauariæ, ex quarum gentium fortiſſimarum auxilijs omnino æſtimari poteſt, tum maximum toti Europæ à Saracenis periculum extitiſſe. Singulari etiam ſapientia, nec ſine cœleſtis numinis fauore ac prouidentia, tot gentes coniunctas fuiſſe ad tanti belli ſocietatem.

Saracenorū admirabiles progreſſus.

Supra commemoratum eſt, Mahometum cœpiſſe regnare anno ſalutis ſexcenteſimo, viceſimo tertio. Ab hoc anno, vſque ad initium Leonis Iſauri, videlicet, vſque ad annum Chriſti ſeptingenteſimum decimum octauum, ſunt anni centum & quinque. Intra hoc ſpatium, Mahumet, ac eius ſucceſſores, quos diximus Saracenos & Agatenos nominari, potiti ſunt Arabia, Palæſtina, Syria, Perſia, Aegypto, Africa. Traiecerūt & ex Africa in Hiſpaniam, quam vbi decenniū tenuiſſent, in Galliā ſeſe effuderunt, Alibi vero in minorē Aſiam progreſſi, circiter annū ſexcenteſimū ſeptuageſimū quartū, regnante Conſtantino Barbato, Byzā-

tium

tium obſedêre; indeque repulſi, poſt annos fere quadraginta ſub initium Principatus Leonis Iſauri ad eandem oppugnationem reuerterunt. Tunc denuo Conſtantinopolis, vti antea demonſtrauimus, triennio obſidetur: ſed iterum ſingulari ope diuina repulſi fuêre. Nam Saracenicus exercitus fame, ac dira peſtilentia periit: naues fulminibus ſubmerſæ ſunt; aliquæ, vt dictum eſt, ignibus arte ſub aqua factis incenſæ. Ita rurſus aliquantiſper Saraceni repreſſi, ne Aſia minore & Byzantio potirentur. At Leo, repulſis ab vrbe regia Saracenis, cum aliquid ocii nactus eſſet, edictum proponit, quo inter cætera, iubet deleri ex templis omnia ſimulacra & imagines, ac propterea nominatus eſt εἰκονόμαχος, & in eos qui dicto minus audientes forent, quam ſeueriſſime animaduertit.

Leo Iſauricus imagines è templis aboleri iubet.

Sub hoc Principe, ingens terræmotus factus eſt, quo plurima templa, multæq; domus ac ædificia Byzantij corruerunt, & ingens hominum multitudo obtrita eſt.

Terræmotus.

Statua itidẽ Arcadij, quæ in quadam columna Xerolophij ſita erat, collapſa. Cecidit & ſtatua Theodoſii, quæ ad auream portam erat, magnaque pars mœnium. Nicomedia Bithyniæ ciuitas, & huic vicina Nicæa, idem infortunium paſſæ ſunt. Imperator ad mœnia reparanda nouum vectigal indixit, ac Rempublicam nouo quæſtu onerauit, edicens, vt in ſingula numiſmata quatuor & viginti obolos ærario Principis ad reſtituendos muros inferrent: quod ſane deinceps in multa ſæcula obſeruatum fuit. Illud quoque mihi hæc ſcribenti, obiter in mentem venit, nimirum hoc imperante, Richardum Friſonum Ducem, Wolfraugi Senonenſis Antiſtitis, viri admodum pij ac eruditi, ſuaſu & cohortatione commotam, vt Chriſtianam fidem amplecteretur: cumq; iam baptiſmatis lauacro tingeretur, altero pede immerſo tantum, quæſiuiſſe, pluresne maiores ſui in inferno, an in Paradiſo cohabitarent: Reſponſum accepiſſe, plures eſſe in inferno: tum, educto pede à baptiſmate, dixiſſe, Satius eſſe vt plures ſequeretur quam paucos, & proinde ſe iturum, quo ſui maiores eum vocarent, ſicque ſtatim relicta Chriſti fide, ſe ad priſtinam ſuperſtitionem conuertiſſe. Cæterum, diuini Numinis vltione factum eſſe, vt propter huiuſmodi noſtræ fidei ac religionis contemptum, tertia die ſubita & repentina morte correptus, animam cum maximis cruciatibus exhalarit.

Exemplum diuinæ vltionis.

Circa eadem fere tempora, Mauris tota Aquitania pulſis, nouẽ Proceres ex Martelli exercitu viri fortes ac ſtrenui, Saracenis in Gottholania bellum intulerunt, & Martellus ipſe, poſt multa fortiter ac præclare geſta, obijt, anno ſcilicet ſeptingẽteſimo & quadrageſimo primo, vndecimo Cal. Nouemb.

Martelli obitus.

At in Oriente, paulo ante ipſius Leonis obitum, Malſamas, cuius ſupra mentionem fecimus, Thraciæ, quæ nunc patrio idiomate Romania vocatur, fines populatus, Curſianum, munitiſſimum Cappadociæ oppidum, occupauit. Deinde iterum ad Caucaſia clauſtra cum exercitu profectus, ea ab Vnnis, ſiue Turcis, ita munita reperit, vt cum eis confligere non auſus retroceſſerit. Biennio autem poſt, altera Saracenorum manus, Euelito, Mauniæ filio duce, rurſus in Thraciæ fines irrupit, magnaque populatione facta, in Syriam reuerſus eſt, qua in prouincia, per eoſdem dies multa Saracenorum millia morbo interiere. Nec tamen ideo ab incurſionibus in Romani Imperii fines abſtinuerunt. Zulciminius enim cum expedita manu militari Armeniam & Thraciam tertio deprædatus eſt, & Sideronium oppidum cepit: deinde in Cappadociam cum 60 millibus tranſiit, eademque tempeſtate Melicus & Batalus cum centum millibus Saracenorum quarto in Thraciam irrupêre.

Noua Saracenorum excurſiones in Armeniam, & in Thraciam.

At Leo Imperator cum exercitu contra eos qui Thraciam vaſtabant, profectus, pene omnes internecione deleuit. Quo tempore, Euelitus fato defunctus eſt: in cuius locum Gizitus II. Pont. Salutis anno 744. ſucceſſit.

Gizitus II. Pontificatum aſſumit.

Dum hæc ita geruntur, Leo Iſaurus, poſtquam 24. ſiue, vt aliis placet, 25. annis imperaſſet, diſſenterico fluxu extinctus eſt, relicto Conſtantino filio ſuperſtite, quem dudum conſortem Imperii effecerat.

Mors Leonis Iſauri.

Hic, patre adhuc viuente, coronatus fuit à Patriarcha, cui nomen erat Germanus. Tenuit Imperium annos triginta quinque. Nominatus Copronymus, quod infans in ſacro baptiſmi ritu in aquam baptiſmi ſtercus ex ventre eiecerit.

Conſtantinus Copronymus.

In delendis imaginibus templorum vehementior fuit patre. Ideo contra cũ factus eſt Imperator conſenſu Patriarchæ

& nobilitatis, Artabaſdus, abſente Conſtantino, qui ſecundo Imperij ſui anno cum valida claſſe in Saracenos arma corripuit, eo quidem animi decreto, vt Alexandriam inuaderet. Cæterum de nouo ſucceſſore certior factus, omiſſa protinus quam præ manibus habebat, expeditione, claſſe Byzantium reducta, vrbem, caſtris prope mœnia locatis, obſedit. Huic Artabaſdus ex vrbe occurrens, cum; ipſo manus conſeruit, ſed tandem prœlio victus, intra ciuitatem ſe recepit. Conſtantinus mare occupat, prohibetque ne naues vrbem ingrediantur, qua ex re orta fame, plures inedia conficiebantur. Captus præterea Artabaſdi filius Niceta, & Byzantium perductus, patri fuit oſtentatus, qui amoris impatiens, cum in defendendis mœnibus paulo negligentior eſſet, hoſti anſam atque occaſionem præbuit, vt Conſtantinopolim tanto facilius expugnaret. Artabaſdus rebus iam deſperatis, fugiens, pariter cum duobus filijs captus, oculiſque priuatus eſt. Patriarcham verberari iuſſit, & impoſitum aſino conuerſa facie ad caudam quam manibus teneret, in theatrum, dum certamen equorum fieret, per Dippium, circumuehi. Vt vero interim ad res Orientales reuertar, proxime oſtendi, Gizitum, Euelito in Pontificatu ſucceſſiſſe. Hic, ſimulatque regni adminiſtrationem ſuſcepit, ad Imperij Saraceniei res conſtituendas animum adiecit. Et quoniam Cyprus inſula ab indigenis tunc bene habitata, motus aliquos faciebat, populo vniuerſo in Syriam translato, inſulam pene vacuam reliquit: & cum annum regnaſſet, ex hac vita deceſſit. Ices poſt illum, Pontificatum eſt adeptus: quo ante annum expletum defuncto, Maruanus Pontifex creatus eſt, eoque imperante, multæ ſeditiones inter Saracenos coortæ ſunt, & plures tyranni facti, vt Tebidus, Dadacus, & Zuleiminius, quos armis perſecutus Maruanus, Tebidum cepit, atq; occidit. Zuleiminius autem fractus, in Perſidem aufugit: At Dadacus meliore fortuna vſus, Maruani filium in acie fudit: ſed non diu ea lætitia frui potuit. Breui enim cum ipſo Maruano atroci prœlio congreſſus, victus & trucidatus eſt. Horum inter Saracenos ciuilium bellorum occaſione, Copronymus Syriæ bello illato, magnam eius Prouinciæ partem occuparat. Itaque Maruanus Dadaco extincto, in Syriam victricia arma conuertit, eamque cum haud exigua Chriſtianorum cæde recuperauit. Eo autem anno, paulo antequam hæc clades Chriſtianis inferretur, Syria, Palæſtina, Aſia pene vniuerſa, Thracia, Græcia atque Italia cum plæriſque alijs regionibus ingenti terræmotu concuſſæ. Poſt, maiores motus in Perſide ſunt exorti. Quandoquidem Aſmulinus eius ſectæ, quæ à Mutaro, Alim Mahometo maiorem fuiſſe dicente, fuerat excitata, Princeps apud Coraſenos Perſidis populos degens, Catabani cuiuſdam conſilio, ſeruos ad ſuos dominos ſiue inſidijs, ſiue aperta vi interficiendos concitauit: quorum deinde diuitijs ſerui potentes facti, in duas factiones diuiſi ſunt, quorum hæc Caiſmorum, altera Lamonitarum vocabatur: Aſmulinus vero, Lamonitarum dux factus, Caiſmos deleuit: Inde in Perſiam cum Lamonitis & Catabano perrexit: cui Prouinciæ pro Maruano præerat Iblinus quidam, qui cum centum armatorum millibus ſe Aſmulino oppoſuit: ſed Lamonitæ, quamuis longe inferiores numero eſſent, tamen Aſmulini, & Catabani, quos ſanctos, & diuino Numine plenos exiſtimabant, promiſſis freti, fortiſſime dimicarunt, adeo vt Iblinum fuderint. Deinde tot victorijs elati, auſi ſunt etiam cum Maruano, qui trecenta mortalium millia in aciem produxerat, prope Zabanum amnem confligere, eumque exercitum profligarunt. Maruanus, ponte, ne ſe hoſtes perſequi poſſent, reſciſſo, cum quatuor tantum millibus in Aegyptum transfugit. Quem perſecutus Salinus, Aſmulini filius, in Aegypto cruentiſſimo prœlio deuicit, & ſic omne Maruanum genus expulêre. Cuius familiæ, quæ tot annos regnauerat, reliquiæ, pars in Mauritaniam, vbi Feſſæ regnum conſtituerunt, pars in Hiſpaniam tranſiit. Et ab Aſmulino poſt, orta eſt illa familia, quæ hodie in Perſide regnat, Sophiana nuncupata. Mortuo autem Aſmulino, & Catabano, Abubalanus cognomento Muamat, Syriæ, & Perſidi; Salinus vero Aegyptijs imperauit, & ſic cœpit Aegypti Sultanorum, qui Cairi ſedem habebant, imperium. Sic enim Aegyptii Califæ appellari voluerunt, quæ vox ſummum Principem & Regum Regem ſignificat.

Artabaſdus abſente Conſt. Imperator renitiatur. *Idem capitur, & oculis priuatur.* *Patriarcha Conſt. ſummo dedecore afficitur.* *Ices.* *Maruanus.* *Saraceni infeſtantur diuerſis ſeditionibus.* *Ingens terræmotus in Aſia, & alijs regionibus.* *Perſia nouis motibus agitatur.* *Serui concitati contra ſuos dominos.* *Maruani clades.* *Familia Sophiana vnde originem traxerit.* *Sultani Aegypti.*

Dum

Dum in Oriente ita res geruntur, in Gallia Pipino I I. illud regnum adminiſtrante, Saraceni iterum Pyrenæos tranſgreſſi, ab eo ſummoti ſunt, & ita mulctati, vt, quemadmodum inferius patebit, hoc amplius eo viuo tentare non ſint auſi. Cæterum, ne res Byzantinas prorſus obliti videamur, ad eas pauliſper mihi ſermo flectendus eſt. Copronymus, quem ſupra nominauimus, etiam cum Bulgaris varia bella geſſit, donec tandem cum Sabino ipſorum Rege, fœdus ac ſocietatem iniuit. Vbi autem rebus gerendis annos quinque ac triginta cum imperio præfuiſſet, lepra, ſiue elephantiaco morbo correptus, mortalitatem expleuit. Hoc regnante, deſiit Exarchatus in Italia. & Pipinus filius Caroli Martelli, cum fuiſſet Maior domus annos decem, conſenſu Procerum factus eſt Rex Frãcorum, anno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo primo. Leo quartus Copronymi filius, patri ſucceſſit. Præfuit annos 5. Coronatus à Patriarcha viuo patre, qui ei deſpondit coniugem Irenen Athenienſem. Patrem imitatus eſt in delendis imaginibus. Vnam duntaxat expeditionem ſuſcepit in Syriam, vnde leui certamine repulſus, domum rediit. Filium adhuc puerum, nomine Conſtantinum, coronari à Patriarcha curauit. Nec multo poſt, febre, ſiue, vt aliis placet, apoſtemate carbunculi in capite innato, extinctus eſt. Irene cum filio adoleſcentulo ſimul regnat annos decem. Initio imperij nihil antiquius habuit, quam vt pacem cum Saracenis faceret, promiſſo etiam tributo. Verũ enimuero, tametſi res Orientales compoſuiſſet, domeſticæ tamen diſcordiæ varias confuſiones pepererunt, licet hæc prima Irenes gubernatio paulo tranquillior exiſteret. Septima tum ſynodus Niceæ indicta, & templis reſtitutæ imagines. At filius cum adoleuiſſet, matrem imperare haud paſſus. Cæterum ipſa mox ciuium fauore reſtituta, annos tres ſola imperio præfuit. Filius vero in vincula coniectus oculis effoſſis, breui extinctus eſt, ipſaq; non multo poſt, à C. Claudio Nicephoro pulſa, in Lesbum inſulam relegatur, cum antea cum filio, annos decem, vti diximus, regnaſſet. Huius temporibus in Thracia ad Macron Tychus, cum quidam foſſam excauaret in ſepulchro cuiuſdam defuncti, inuentam ſcribunt laminã æneam in area lapidea, his verbis: Chriſtus naſcetur ex virgine. In eum credo; & Cõſtantini, & Irenes imperio. O Sol iterum me videbis. Huic Conſtantino deſponſata fuit Rhotrudis filia Caroli Magni, quam repudiare coactus à matre, Mariam puellam ex Armenia duxit, ob eamq; rem Rhotrudis innupta permanſit, neque impari ſe nupturã in animum inducens, neq; parem nacta. Nonnulli autem cẽſent Conſtantinum propria petulantia & leuitate, præterque vllam cauſam, cõiuge alia ſuper inducta, repudiaſſe. Intra hoc triennium, quo Irene, oppreſſo filio, ſola rebus gerendis præerat, cum Græci non ſolum deſpecti eſſent propter muliebre imperium, ſed etiam inuiſi propter multorum temporum tragica exempla, & recentem matris crudelitatem erga filium, ac ipſius patruos, & Italia defenſione indigeret, contra Longobardos, & ſimultates, (nam & Romæ Pontifex per ſeditionem captus & verberatus fuit) accerſitus eſt Carolus propter iuſtitiam & cæteras virtutes, præſertim cum & antea æquitatem & modeſtiam Caroli Martelli & Pipini Italia experta eſſet. Ita cum nomine Imperatoris gubernatio Italiæ ad Carolum Magnum deuoluta eſt, cum iam à Conſtantino Magno ſedes Imperij ex vrbe Roma Byzantium per quadringentos ſexaginta octo annos translata eſſet, fuitque pulcherrima coniunctio Italiæ, Galliæ, atq; Germaniæ. Cæterum, qui exiſtimant imperium à Græcis ad Gallos, à Gallis ad Germanos translatum, inepte illi ac nimium delirant. Nunquam enim Galli imperium obtinuerunt: ſed Francis quidem datum eſt, & primum Carolo Magno, Franco, qui nunquam Gallus fuit, ſed Francus, & in ea quidem parte Franciæ, vbi ſemper Germani habitauerunt, genitus. Patria illi fuit Ingelheym, oppidum quod duobus diſtat milliaribus à Moguntiaco, cui ſemper lingua patria fuit Germanica, quemadmodum & Franci populi fuerunt, ac etiamnum ſunt Germani. Huius pater Pipinus fuit, qui obijt octano Cal. Oct. anno ſalutis ſeptingenteſimo ſexageſimo octauo: fratrem habuit Carolomannum, cum quo partitus eſt regna paterna, quem paulo poſt amiſit, anno videlic. à Seruatore nato ſeptingenteſimo ſeptuageſimo

Saraceni fugantur à Pipino.

Copronymi obitus.

Leo IIII.

Mors.

Irene Imperatrix Romani Imperii.

Imagines reſtituuntur.

Irenes crudelitas in filium.

Eadem principatu exuitur.

Carolus Magnus.

Caroli Magni patria.

primo. Is autem primum bellum geſſit contra Aquitanos, relictum à patre Pipino, quod breui ſpatio interiecto, feliciter abſoluit. Cum vero interim Deſiderius Longobardorum Rex, poſt eiectos exarchos, iam vrbem Romam, & vniuerſæ Italiæ imperium animo inuaſiſſet, Carolus à Romanis euocatus, vt Italiæ defenſionem ſuſciperet, tranſmiſſis Alpibus, aduerſus Deſiderium arma conuertit, quem primo apud Vercellas acie deuictum, in fugam coniecit, eumque tandem Ticini poſt decem menſium obſidionem cum coniuge & liberis comprehenſum, relegauit Leodium, vbi in exilio mortuus eſt, atque hic finis fuit regni Longobardorum in Italia, quod durauit annos ducentos quatuor, ſiue 6. vt aliis placet. Longobardico bello confecto, rediji Carolus in Germaniam, & totum ſe ad bellum Saxonicum vertit quod ante expeditionem Italicam inchoauerat. Hoc autem perlongum fuit ac difficile. Durauit enim annos totos triginta tres, Saxonibus ad quaſcunque defectionum occaſiones bellum repetantibus. Bis tantum iuſto prœlio inter eos decertatum eſſe ſcribunt, Francis, ipſo Catolo magno duce victoribus, & quidem vno menſe, paucorum dierum interuallo. Excurſiones vero & velitationes, quæ crebræ fuerunt, multos vtrinque præſtantes viros mutuis cædibus confectos peremerunt. Huius belli tempore, quod productum eſt in annum Chriſti octingenteſimum octauum, multa alia bella difficilia & magna geſſit contra Saracenos, qui occupatas Hiſpanias fuerant partiti in duo præcipua regna, ſedibus conſtitutis Cordubæ, & Illiberi, quam hodie Granatam vocant, & ſæpè Galliam infeſtis armis tentarant. Contra illos ergo magnum duxit exercitum, ex Francis, Longobardis, & Italis, comparatum, anno ſeptingenteſimo ſeptuageſimo octauo, ac recepta Pompelone, præcipua Vaſconum vrbe, congreſſus cum Saracenis, ac victus, ad quadraginta millia hominum amiſiſſe dicitur. Cecidit in hoc cruentiſſimo prœlio Milo Anglerius Rolandi pater, vir fortiſſimus, qui vniuerſum ductabat exercitum. Poſt, reparatis atque auctis copijs, denuo cum illis conflixit; in quo quidem conflictu, cum Saracenorum dux Egolandus interfectus eſſet, Carolus, diſſipatis reliquijs Saracenici exercitus, totam citeriorem Hiſpaniam vſque ad Betim fluuium recepit. Paulo poſt, copiæ Francicæ, Vaſconum perfidia, iterum cum Saracenis congreſſæ, magnam acceperunt cladem, in qua Rolandus filius ſororis Caroli, quem valde diligebat, extinctus eſt, cum quidem inter præclara eius dici facinora, ſua manu Maſurium ſummum ducem exercitus Saracenici iugulaſſet. Quas autem poſtmodum expeditiones ſuſceperit, ac proſpero & felici Marte abſoluerit aduerſus Agariſonem ducem Beneuentanum, in Italia; itemque contra Taſſilonem Regem Boiorum, necnon in Sorabos, & contra Hunnos & Auaros, Godefridum Danorum Regem, cæteraſque nationes, longum eſſet explicare; nec deſunt ea de re doctiſſimorum virorum monumenta, qui hæc omnia diſerte & luculenter poſteris ac memoriæ tradiderint. Illud tamen haudquaquam mihi nunc ſilentio prætereundum eſt, ipſum è Saxonia cum exercitu reuerſum eſſe in Italiam, & Romam octauo Calendas Decembris, anno octingenteſimo ingreſſum, ibique compoſitis controuerſiis, & tumultibus exortis inter Romanos, & Leonem III. Pontificem ſedatis, octauo Cal. Ianuarii, id eſt, ipſo die Natalis Seruatoris noſtri, Imperatorem Romanorū renuntiatum eſſe à Leone Pontifice, populo his verbis acclamante: Carolo Auguſto, diuinitus coronato, magno & pacifico Romanorum Imperatori, vita & victoria. Tenebat imperium Orientis tum ſola Irene mater Conſtātini, quæ, licet antea cum Francis fœdus percuſſiſſet, nihilominus tamen haud multo poſt, ruptis fœderibus, incitauit reliquias Longobardorum, ſuis copiis adiunctis, vt ex Italia Francos expelleret; ſed re infeliciter tentata, cum Carolum confirmata potentia, videret Italia potiri, miſſis legatis, tranſegit cum eo, & totum Occidentis imperium ei conceſſit, coniugio inſuper promiſſo: quod indigne ferens Nicephorus, excuſſa Irene, rapuit imperium Orientis: ſed mox eodem modo cum Carolo tranſegit Saliſburgi, vt quod occuparat imperium Occidentis, retineret. Hæc pacta poſtea, renouauit Michael Curopalates, anno octingenteſimo duodecimo, qui Nicephoro acie victo, & cæſo à Bulgaris, ſucceſſorem

Deſiderius vltimus Longobardorum Rex vincitur à Carolo M.

Bellum Saxonicum geſtum ab eodem.

Prœlium inter Saracenos & Carolum M.

Eiuſdem clades, cum cæde Milonis Anglerii.

Noua clades, Mors Rolandi.

Carolus M. deſignatur Imperator à Leone Pont.

eius Stauratium filium imperio exuit. Confirmauit eadem Ludouico filio Caroli, Leo Imperator poſt Michaelem. Ita Carolus Magnus factus eſt Imperator Occidentis, primum iure belli, occupata armis Italia, & vrbe Roma. Longobardorum regno deſtructo, & pace reſtituta, atque legibus & præſidiis communita: deinde tranſactione cum Imperatoribus Græcis, qui, vt veri domini, omne ius, quod habuerunt in Imperium Occidentis, Carolo conceſſerunt. Eſt itaque primus, qui Occidentis imperium, poſt vltimi Valentiniani cædem, à diuerſis gentibus appetitum, tentatum, & horribiliter laceratum, ceu de collectis tabulis, ex trecentorum annorum naufragio, ſua virtute ac felicitate recuperauit.

Hoc ſtatu rerum, Saraceni qui erant in Oriente, domeſticis ac inteſtinis ſeditionibus, vt antea diximus, diuexabantur. Abubalano namque cognomento Muamat, cuius ſupra meminimus, in Syria imperante, multi motus in Arabia contra eum à Maruani defuncti factione, Maruanum nondum obijſſe dicentes, & ideo arma pro eo redimendo capiente, ſunt excitati: quibus motibus plærique mortales vtrinque ceciderunt, magnæque populationes factæ. Abubalano mortuo, ſucceſſit Abedela frater: quem alius quidam Abedela ad Pontificatum aſpirans, inſidiis oppreſſum interemit, ipſeque regnum occupauit, quo imperante, Turcica gens Caucaſiis portis egreſſa, anno videlicet, Chriſtianæ Salutis circiter octingẽteſimo, Armeniaque populata, in patriam redijt, & ſequenti anno iterum magno numero egreſſa, cum Saracenis pugnauit, donec multis vtrinque caſis, prœlium nox diremit. Abedelæ ſecundo, anno imperij ſui 19. defuncto, ſucceſſit Madi filius, qui, nulla re memorabili geſta, cum annis nouem regnaſſet, vita exceſſit, Moſen filium imperij hæredem relinquens, quo, anno ſecundo viuis ſubtracto, in eius locum Aaron Caliſa creatus fuit. Vt vero interim ad Occidentis res reuertar, Carolus, poſt aſſumptum imperium, hoc inprimis ſtuduit & procurauit, vt compoſitis rebus cum Conſtantinopolitanis Cæſaribus, & aliis quoque regibus ac dynaſtis, tametſi à Chriſtiana fide alienis, quo illi erga Chriſtianos ſub eorum imperio degentes, tanto mitius atque moderatius ſeſe gererent, ſocietatem ac fœdus iniret. Et Hieroſolyma quidem miſit oratorem Zachariam ſacerdotem. Ad Perſas vero Lanfredum & Sigiſmundum, nobiles Francos cum Iſaaco, gente religioneque Hebræo, Perſicæ linguæ perito. Hique adire primum Aphricam iuſſi. Ipſe interim, poſtquam Moguntiæ conuentum procerum habuiſſet, cum Pipino in Italiam profectus eſt, & Venetias perrexit, quæ vrbs, vti ſuis vteretur legibus, & bello paceve neutrius cenſeretur iuris, partito imperio cum Irene, vtrinque ſancitum fuerat: & deinde Rauennam conceſſit. Inter hæc, nonnulli monachi, viri ſumma quadam ſanctimonia præditi, cum Zacharia ſacerdote reduce Oratores ex ſancta vrbe Hieroſolymis ad Carolum aduenêre, afferentes pia magis, quam magnifica munera religionis gratia, nempe claues ſacroſancti ſepulchri, ac Caluarij montis vexillum. Hique nuntiabant, mox affore legatos Aaronis ſummi Perſarum, & Arabum Calyſæ, ſeu Regis, & munera etiam ex Africa. Cum autem peractis rebus in Italia, Germaniam repeteret, vix Vercellas peruenerat, cum duo legati, alter Perſarum nobiliſſimus, alter Saracenicus, limitis Aegypti præfectus, illic præſto cum muneribus affuêre. In his elephantum, rem oculis Francorum nouam, & ſpectaculo dignam, quem ad portum Piſanum expoſuerant. A nonnullis etiam proditum eſt, Perſicum Oratorem, præter elephantum, & reliqua munera à ſuo Rege miſſa, detuliſſe horologium αὐτόματον mira arte fabrefactum, quod ſonitu tinrinnabuli horas diſtinxit & indicauit, idque Carolum præcipue admiratum eſſe, & imitatum, ipſoſque Oratores quam benigniſſime ab eo auditos fuiſſe, ac poſtmodum liberaliter dimiſſos. Cum his, reuerterat etiam Iſaacius Hebræus, defunctis Sigiſmundo, Laufredoque, ſiue longinqui torridique cæli inſolentia, ſiue nunquam fido inter Hebræos noſtroſque collegio. Simul, velut propoſito gratulationis certamine, Abrahamus Maurorum Rex munera miſit; oratoreſque, qui, cũ ſpeculandi potius quam gratulationis amicitiæue

Abedela creatur Pontif.

Turcarum incurſiones.

Prœlium inter Turcos & Saracenos.

Aaron Calyſa rex Perſarum.

Carolus M. mittit legationem Ieroſolyma, & in Perſiam.

Munera Aaronis miſſa ad Carolum M.

Conuentio inter duos Imperatores.

Saracenorum clades, & incurſiones in Sardiniam & Corſicam.

Chriſtophorus Plantinus.

Ludouicus conſtituitur hæres imperii à Carolo Magno. Caroli M. obitus.

gratia veniſſe viderentur;e veſtigio,ſed cum muneribus,placidoque reſponſo dimiſſi ſunt. Nicephorus quoque,recens ad imperium Conſtantinopolitanum euectus,ad eundem oratores ablegauit,quorum opera fœdus renouatet, idque in has conditiones ictum eſt,vt alter Orientis, alter Occidentis Auguſti, fratreſque eſſent, ac dicerentur: ſimul hinc à Neapoli,illinc è Siponto quicquid vlterioris Italiæ in mare procurrit, cum ſuis è regione inſulis, à Græco, reliquum à Franco iura peteret.inter duo imperia medius cardo Venetiæ, vtriuſque imperii maieſtatem pie conſeruarent. Carolus interim ſexto anno poſt acceptum imperium, cum bellum Saxonicum præcedenti anno proſpere finiuiſſet,filiis hæreditaria & acquiſita regna teſtamento reliquit. Ex tertia vxore (quinque autem habuiſſe,ex nonnullis Annalibus conſtat) nomine Hildegarda,nata ex nobili familia Godefridi ducis Alemanorum, prætet totidem filias,tres liberos ſuſtulit,nempe Carolum,Pipinum,& Ludouicum,ex quibus, duo priores, viuo patre deceſſerunt. Pipinus octauo Idus Iulii,anno octingenteſimo decimo,relicto filio Bernhardo,& quinque filiabus. Carolus pridie Nonas Decembris,anno ſequenti. Horum prior iamdudum à patre,Rex Italiæ declaratus fuerat. Cumque Saraceni, excurſione facta,in Corſicam veniſſent,Abdemarum,virum,præter natalium ſplendorem, eximiis animi corporiſque dotibus inſignem, cum Genuenſi claſſe contra eos miſit, & repulſi ſunt,qua in pugna ipſe Abdemarus fortiſſime dimicans, interfectus eſt. Iidem,cum aliquanto poſt,Sardiniam & Corſicam occupare conarentur,Carolus Pipini frater, Bucharedi Comitis ductu, quinq; Saracenorum millibus cæſis,circa Sardiniam vicit, ac deinde etiam Corſica expulit. Pipino cum Venetis bellum gerente Saraceni,qui in Hiſpania erant Chriſtianorum diſſidia in ſuum commodum vertentes, Sardiniam, vnde non multo prius fuerant repulſi,cum inſigni cæde ſuorum, ex improuiſo inuadunt, indeque ſubito auerſi, Corſicam petunt;Alcriaque vrbe direpta,præter eius Antiſtitem,& ſenes admodum paucos,cæteram multitudinem inde auehunt. Hæc autem omnia luculenter à me explicata ſunt in Hiſtorijs atque Annalibus Genuenſibus à D. Chriſtophoro Plantino, viro ſingulari eruditione,induſtria, fide ac probitate præſtanti, deque omni te literaria quam optime merito,æditis atque impreſſis Antuerpiæ, anno Chriſtianæ Salutis ſupra milleſimum quingenteſimum ſeptuageſimo nono. Vtroque fratre extincto,cum Saraceni & Mauri Italiam inuaderent, Imperator ad eius tutelam ac defenſionem miſit Bernhardum nepotem. In hac vero expeditione Saraceni duas vrbes captas diripuerunt, Nicæam in Gallia Narbonenſi,& Centumcellas in Hetruria. Poſt partam pacem,& munitum contra hoſtes imperium,præcipuæ ei curæ fuit conſtituere Eccleſias, & regna ædificijs exornare. Annis ante mortem quatuor proximis,crebris laborauit febribus, quibus grauiter afflictus, cum ſe non diu ſuperſtitem fore ſentiret, accerſitum ad ſe ex Aquitania Ludouicum filium; Aquiſgrani Imperatorem Romanorum creauit & renuntiauit;Bernhardum ex Pipino nepotem, Regem Italiæ fecit anno octingenteſimo decimotertio. Tandem menſe Ianuarij anni ſequentis ardente febre correptus,latetum dolore,quem vocant pleuritidem, extinctus eſt quinto Cal. Februarij, hora diei tertia, & in præfata vrbe, in qua longe auguſtiſſimum templum extrui iuſſerat, ſepultus eſt, cum vixiſſet annos ſeptuaginta duos, regnaſſet quadraginta ſeptem,& imperaſſet quatuordecim. Obijt anno Chriſti octingenteſimo, decimoquarto: à mundo condito quater milleſimo ſeptingenteſimo,ſeptuageſimo ſexto. Rem Chriſtianam auxit armis, pietate, templis. Magni cognomen promeruit, digniſſimus habitus, ad quem,propter excellentiſſimas & heroicas animi corporiſque dotes, iura inſigniaque Imperii poſt multas ætates,ceu poſtliminio,reuocarentur. Huius Imperatoris vitam, & res domi foriſque geſtas primus expoſuit Eginardus, ipſius Caroli M. familiaris & Conſiliarius, ex quo, Abbas Vrſpergenſis,& ſequentes, eam deſcripſerunt.

HISTO-

HISTORIAE RERVM PERSICARVM

Liber Septimus.

SARACENI ſub Ludonico primo, cognomento Pio, Caroli filio, arque Imperii ſucceſſore, in Galliam, duce Azone deſcenderunt, & poſt multas deprædationes & damna indigenis illata, tandem à Pipino eius filio repulſi ſunt, licet à patre grauiſſima verborum contumelia increpitus fuerit, quod in ea expedirione haud maiori diligentia vſus eſſet: quippe qui illos non prius quam vſta prope omni ea regione, repuliſſet. Iidem, anno 867. cum regnante Lothario, prædæ cauſſa in Italiã denno irruptionem facerent, & Beneuentanum agrum in Samnitibus igne ſerroque vaſtarent, à Ludouico Lotharii filio, in fugam conuerſi ſunt. Carolus Iunior, cognomento Craſſus, ſextus à Carolo Magno Imperator, audiens Italiam à Saracenis diuexari, ingenti parato exercitu, in Barbaros ſummam virtutem religionemque præſtitit. Nec ſane aliud per longam annorum ſeriem ab Occidentalibus Imperatoribus aduerſus hanc nationem geſtum eſſe ex vetuſtis Annalibus comperi, niſi expedirionem contra eoſdem habitam à Friderico Aenobardo, cognomento Barbaroſſa. Cæterum ab his Imperatoribus, qui in Oriente regnarunt, vtpote vicinioribus, eiuſdemque imperii æmulis, crebra & plurima bella variis temporib. & diuerſis euentibus aliquandiu ſuſcepta & adminiſtrata ſuerunt, donec tãdem Saracenica, & poſtmodum Ottomannica potentia vniuerſum Orientis imperium non modo grauiter afflixit, vernm etiam progreſſu temporis maiori ex parte diſcerptum & laceratum, funditus euertit atque deſtruxit. Conſtat ſiquidem, ipſos Saracenos, Mahomete auctore, poſtquam ſub Heraclio Imperatore, ſicuti antea demonſtrauimus, à religione Chriſtiana, ſimulque à Romano imperio defeciſſenr, breui tempore tantis ſucceſſibus vires auxiſſe ſuas, vt non modo Palæſtinam, Syriam, Arabiam, Meſopotamiam, & bonã Aſiæ partem celerrime occupaſſe; at etiam Perſarnm regnum, ipſis Romanis infeſtum ac ſormidab le, ſublatis regibus antiquiſſimi ſtemmatis, cepiſſe, & Aſricam littoralem omnem ad montem Atlantem vſque, cum mnltis maris Mediterranei inſulis, complexos eſſe. Tantis aucti acceſſionibns, duo condiderunt præpotentia regna, vnnm in Aſia; alterum in Africa: Huins ſedem conſtituerunt Alcaitum Aegypti vrbem, quæ Memphis eſt: Illius, Babylonem; quam Bagadat, & Baldacum ſua lingua vocarunt, etſi Baldacnm aliqui Suſan eſſe volunt. Vtrique vnum Monarcham, Calipham nomine, præfecerunt, qui populo domi foriſque dux eſſet exemplo Moſis & Ioſuæ. Nonnulli autem collocant principium regni Mahometici in annum Chriſti ſexcenteſimum viceſimum tertium. Sed Saraceni annos Hegyræ, vt vocant, altius ordiuntur, ab anno Chriſti quingenteſimo nonageſimo primo. Inde enim annorum ſuorum ſeriem detexuerunt. Græcos Imperatores Saraceni, dum inter ſe conſentirent, magnis affecerunt detrimentis, ita vt eorum potentia labefactata, deinceps illi, nec retinendæ Italiæ, pellendiſque, quæ inuolarant, peregrinis gentibus, neque arcendis ac reprimendis nouis hoſtibus, quos è Septentrione excitabant occaſiones acquirendæ prædæ, & nouæ potentiæ, pares eſſe amplius poſſent. Cæterum, cum domeſticæ diſſenſiones hornm etiam animos mutuis odiis incenſos, ad arma in ſe mutuo capienda perpuliſſent, robore partim diſtracto, partim mutu s cædibus comminuto, deſperatio imbecilliores coegit accerſere peregrina auxilia: Ita adducti ſunt Turci, qui cum militaſſent Sultano Perſico contra Calypham Baldącenſem, ſeu Babylonicum, poſtea vtriſque oppreſſis, ſibi regnum

Ludouicus Pius.

Saraceni funduntur à Chriſtianis Imp. Occidentalibus.

Egregia virtus Caroli Iunioris in reuellendis Barbaris.

Orientale imperium euerſum à Saracenis ac Turcis.

Præcipua ſedes Principis Saracenorum.

Initium regni Mahometici.

Saracenorum potentia domeſticis ſimultatibus collapſa, interiit. Turci, oppreſſis Sultanis Saracenorum, ſibi regna conſtituunt.

conſtituerunt, à Perſide intra Pontum & Armenios montes ad Helleſpontum, & illinc per totam anteriorem Aſiam ad Syriam vſque dilatatum. Sic concidit Saracenorum in Aſia regnum, vt fere omnis magna potentia, non alienis & externis, ſed ſuis diſſolutum atque diſſipatum viribus. Turcos rurſus attriuerunt primum in Aſia noſtri argonautæ profecti ad recuperandam Terram ſanctam, & condendum regnum Hieroſolymorum: Eoſdem prorſus regno Aſię exuerunt Tartari, euocati ab Armeniis: ſed cum hos viciſſim aliquanto poſt diſſipaſſent atque excuſſiſſent Turci, redintegratis viribus reſtituerunt regnum, quod cætera tandem abſumpſit vniuerſa, Perſico excepto. Verum enimuero priuſquam de his aliquid ſpeciatim enarrem, quid potiſſime geſtum ſit inter cæteros Imperatores Græcos, qui poſt vtriuſque Imperii diuulſionem, Conſtantinopoli dominati ſunt, & Perſas ſiue Saracenos, explicandum.

Nicephorus, expulſa Irene, imperium Orientis inuadit. Eiuſdem imprоſpera expeditio contra Saracenos. Aaron Perſas rebellantes, ad obſequium reducit. Idem plurima detrimenta infert Roman. imperio.

C V M Aaronis ſummi Perſarum atque Arabum Califæ vires, Græcis quam maxime formidabiles eſſent, Græcorum proceres, vt virum, & ſui generis ducem haberent, Nicephoro, viro patricio, nomen Cæſareum atque imperium inuadenti, comprehenſa Irene, & Lesbum, vti iam diximus, deportata, ne ſuis nuptiis reliquam Græcorum ſpem in Franciam deferret, præſto ac promptiſſimis animis adfuerunt. Is, primo anno rebus domi compoſitis, atque ordinatis, proximo, cum valido exercitu in Syriam contra Saracenos perrexit, & apud Craſſem Phrygiæ, cum eis congreſſus, magna clade affectus eſt, adeo vt ipſemet ægre euaſerit. Cæterum inſequenti anno, cum nonnulli Perſarum Satrapæ ac Dynaſtæ in Perſia res nouas molirentur, Aaron Perſarum Arabumque Rex, cum expedita manu militari eo profectus eſt, vt illos ad priſtinam fidem atque obſequium redigeret. Perſicis rebus tandem pacatis, mouit exercitum, in quo trecenta millia lectiſſimorum virorum fuiſſe dicuntur; & cum Tyanam, vbi ædem Mahometo dicauit, & plæraque alia oppida, longe munitiſſima, inter quæ fuit Heraclium caſtrum, Thebaſa, Malacopa, Sydcropolis, & Amandaruſum, partim vi, partim deditione occupaſſet, ſexaginta millia hominum armatorum ad excurſiones faciendas miſit, qui prædabundi, ad Ancyram vſque Galatiæ peruenientes, Romanum imperium grauiſſimis atque innumeris cladibus afficiebant. Nicephorus, horum excurſione audita, ſummoque terrore ac trepidatione perculſus, rebuſque ſuis iam deſperatis, confeſtim, pacis impetrandæ gratia, Metropolitam Synodorum, Petrum Egumenum, & Gregorium œconomum oratores cum literis ad præfatum Aaronem prope in hanc ſententiam miſiſſe dicitur.

Nicephori epiſtola miſſa ad Perſarum Regem.

C V R tam iniuſte mihi bellum inferas, aut quo impulſore id facias, non video; niſi fortaſſe, quod cædibus & rapina gaudes. Nam re id religionis cauſſa facere, cauſari non potes, cum Mahometes, vates tuus, Chriſtianos omnes fratrum loco habere vos iubeat. An exiſtimas, Deum Opt. Max. omnium rerum opificem, & mortalium curam gerentem, quos ipſe ad imaginem ſui creauit, ſanguine iniuſte fuſo delectari? ſed neque huiuſmodi piacula illi exhibere vos iuſſit Mahometes veſter. An fortaſſe argenti, auri, aliarumque rerum inopia compulſus, alienas prouincias inuadis? Atqui cum earum rerum nos egentes ſimus, pretioſiſſima quæque & paratu difficilia apud vos in magna copia ſunt. Quin, ſi qua re noſtra opus habes, amice petis, & nos eam tibi illico amanter exhibebimus. Si genus humanum, & mortalia contemnis arma: ſcito Deum eſſe memorem fandi atque nefandi. Cum enim mortales ſimus, non decet nos immortalia odia inter nos ipſos exercere: in eoque dæmonem imitari, qui perpetuum gerit cum genere humano bellum. His literis, quibus & dona quædam erant adiecta, placatus Aaron, & ipſe multa munera Nicephoro miſit, & pacem ea lege iniit, vt Cæſar ipſi quotannis aureorum nummûm triginta millia, & terna pro ſuo, totidemque pro filii capite penderet, neve oppida à Saracenis vaſtata, inſtauraret. Sed leuior fuit apud Græcum, quam apud Barbarum fides. Nicephorus enim, Saracenis digreſſis, ſtatim ea reparauit, atque muniit, quo cognito Aaron, exercitu rurſus in Græciam ablegato, Thebas cepit, miſſaque in Cy-

Pax inter Perſas & Romanos cum maxima Rom. ignominia.

Bellum renouatur.

in Cyprum claſſe, templa euertit, & Cypros expulit; breuique poſt, Aaton, tertio ac viceſimo anno regni ſui expleto, deceſſit, Muamatem filium, Califam, id eſt, regni ſucceſſorem relinquens, qui cum Haldale fratre hoſtiliter confligens, vbi ſuarum partium fortunam inclinare vidit, conuenit, vt ambo eodem titulo, æquoque iure imperarent. Inde quatuor tyranni ſunt creati, quorum vnus Hiſpaniam, alter Africam, tertius Aegyptum, quartus Syriam & Palæſtinam obtinuerunt. Vnde Saracenorum potentia inclinare cœpit, & aliquandiu Orientis res à Saracenis pacatæ fuerunt. Syriæ autem Califa Muamates, non iam Damaſci ſedem habere voluit, ſed nouam vrbem prope veteris Babylonis ruinas, Bagadat nomine, condidit, in eaque Pontificiam regiamque Syriæ & Orientis ſedem collocauit. Etenim & Perſæ adhuc parebant. Cæterum progreſſu temporis mutuæ ſimultates ac inteſtinæ diſcordiæ, tyrannorumque multitudo, ita ipſorum vires ac potentiam attriuêre, vt poſt hos, quos enumerauimus Pontifices, paulatim decreuerint, ſic ſane, vt tandem Turcis pene omne Saracenorum nomen ceſſerit, quemadmodum inferius declarabitur. Vt vero interim ad Nicephorum redeam, anno imperii nono, qui ei ſupremus fuit, & 13. Cal. Augusti, contra Bulgaros expeditionem ſuſcepit, plurimum dehortante quodam ex ſuis familiaribus qui futurum incommodum quaſi præſagiebat, & res inſeliciter ſucceſſuras prædixit: Sed cum Nicephorus nullas perſuaſiones admitteret, à rege Bulgarorum Chrumno poſtulans æqua, vel maiora munera, qualia ipſe Perſarum regi dediſſet, Chrumnus ira percitus, reique indignitate commotus, cum illo manus conſeruit. Cæterum à maiori exercitu primo congreſſu ſuperatus, ſuccubuit. Cum Græcus Imperator ferocitate inſoleſceret, obque animi inſolentiam nullas pacis conditiones reciperet, Chrumnus intempeſta nocte ſuos congregans, vireſque vt reſumerent, cohortatus, per medium Græcorum peditatum ſecure dormientium inopinate perrumpit, ac tentorium Imperatoris penetrans, Nicephorum obtruncat, & paſſim alios dormientes, paſſim vigilantes, ſed inermes, atque imparatos, occidit. Diripitur regia ſupellex, auferuntur diuitiæ, arma & equi complures. Stauratius filius in humerum dextrum & collum vulneratur. Multi excellentes viri obtruncati, qui & dignitate & generis claritudine florebant. Pauci per noctem conceſſa fuga, qui aut ſyluis, aut paludibus tecti latuerunt. Nicephori cadauer repertum, Chrumnus obtruncat, caput haſtæ affigit, & ludibrio circumfert: dehinc pilis purgatam caluam, argento induxit. Eaque cum ipſe libaſſet, ſuos proceres bibere iuſſit; ſic fore, vt auri cupidiſſimus Cæſar, mero poſt fata expletus, alienam ſitim elueret ſedaretque. Hæc res Conſtantinopolim nunciata, vrbem maximo dolore ac trepidatione affecit. Quiſque enim ſuum deflebat amiſſum: nam magna nobilitatis pars periit. Dolorem vero minuebat regis interitus & calamitas, qua quiſque optimus lætabatur, Rempub. tanto monſtro verius quam homine liberatam. Erat enim inſatiabilis, omniumque mortalium auariſſimus, vtque breuiter dicam, ſcelerum receptaculum, qui ſuam iniquitatem ac ſcelera diſſimulare haud diu potuit: ſed mox arrepto imperio, latentem nequitiam aperuit. Ferunt, cum Bulgariam ingrederetur, frequenter ita fatum: Quis ibit, & decipiet Achab? Quia ſiue Deus, ſiue aduerſarius, trahit me nolentem. Poſt eius interitum, Stauratius filius, prius à patre in conſortem imperii aſſumptus, qui eodem bello ſaucius, Adrianopolim aufugit, indeque Conſtantinopolim peruenit, tertio menſe, poſtquam imperare cœperat, à ſororio Michaële Curopalate Rangabe cognomento, deiectus eſt, & tonſis capillis, cœnobio includitur. Zonaras tradit, ipſum Stauratium ex vulnere mortuum, poſtquam duobus menſibus & ſex diebus imperaſſet, ac in monaſterio, quod Stauratii dictum eſt, ſepultum. Verum, de his, ſuum vnicuique eſt iudicium. Hoc depreſſo, præfatus Michaël, Nicephori gener, factus Imperator, præter cætera, Caroli legatis honorifice vſus, antiquum fœdus ſub ſocero inceptum, de terminis Orientalis & Occidentalis Imperii innouauit, viciſſimque oratores ad Carolum deſtinauit, Michaëlem Arſatium, Theognoſtũ, & Protoſpatharum, qui omnia confirmarent. Quos Aquiſgrani Græca lingua,

Mors Aaronis.

Diſcordia Saracenicam potentiam euertunt.

Nicephori cades, cum clade Romani exercitus.

Michael Curopalates.

Fœdus renouatur in-

ter vtrumque Imperatorem.

cuius & Carolus non fuit ignarus, perorantes, humaniſſime audiuit, & magnis muneribus honeſtatos, miſit in vrbem ad Leonem III. Pont. à quo fœderis libellum acceperunt. Eſt tum Hiſpaniarum pars Conſtantinopolitano adiecta imperio. Et Veneti, vt antea oſtendimus, ſuis legibus viuere iuſſi, immunitate ijs ſeruata, quam ad eam diem in Italia retinuerant. Apparuit hac tempeſtate Cometes varia inſignitus figura, vt qui hominem ſine capite referret. Agareni item, ſeu Saraceni, à Leone Armenio, Orientalium copiarum duce, ſunt fuſi ac fugati, exque ijs, circiter duo millia, ablatis armis, equis, & magna præda, interfecti. Hic Imperator, eum in Bulgaros profectus, exercitu fuga dilapſo, rem infeliciter geſſiſſet; ac intelligeret, inſidias ſibi parari propter imperium à Leone Armenio, quem proſperi ſucceſſus contra Saracenos habiti, in ſpem regni erexerant, deſperatione imperio, cui iam præfuerat annos quatuor & menſes nouem, ſiue, vt aliis placet, biennium, ſponte ceſſit, ſeque in cœnobium abdidit in inſula Prota.

Cometes.

Saracenorum clades.

Leo Armenius.

Deſertum à Michaele imperium, cum Leo Armenius inuaſiſſet, & conſecutus eſſet, Theophylactum Michaëlis filium, quem pater Auguſtum appellarat, mutilatum ea parte, qua vir erat, vna cum matre ac fratribus in exilium egit. Fuit vir acer & induſtrius, ſed crudelis & malus. Ante imperium adeptum, Saracenos, vti iam diximus, in imperio Bulgaros magnis cladibus affecit. Tandem à coniuratis, in ſuo cenclaui obtruncatus eſt, eum annos ſeptem, ac menſes quinque imperaſſet. Poſt Leonis cædem Michael Thraulus, ſeu Balbus cognomento, obſcuris parentibus ortus, in oppido Phrygiæ ſuperioris, quod vocatum ſcribunt Amorium, ad imperium euectus eſt. Hic de imperio cum Thoma quodam, qui, mutato nomine, ſe Conſtantinum appellarat, & Saracenorum ope atque armis ſubnixus, regnum affectarat, mari terraque vario euentu dimicauit. Nam duplici victoria illius copias diſiecit. Sed tandem eum, Bulgarorum opera, quibus eum triennales inducias pepigerat, captum, brachiiſque & pedibus truncatum, interemit. Anno partæ Salutis 826. ſub huius Principatu Saraceni, qui paucis ante annis, videlicet 807. Sardiniam, & Corſicam inſulam, vti ſupra demonſtrauimus, deprædarunt, Cretam inſulam, Græcis duplici prœlio ſuperatis, ſuæ ditioni ſubiecerunt. Biennio tranſacto, Saraceni Aſiatici, in Palæſtinam, Africani in Siciliam irrupere, & Panormum, clariſſimam eius inſulæ vrbem cœperunt, nec quiſquam erat eo tempore ex Chriſtianis Principibus, qui eorum conatibus obuiam iret, niſi Bonifacius Corſicæ Comes, cum Beatrio fratre, & paucis Hetruriæ Comitibus claſſe in Africam delatus, ac inter Vticam, & Carthaginem in terram egreſſus, quatuor ingentibus prœliis tot hoſtes cecidiſſet, vt, non ſecus ac Pœni olim Annibalem, ſic Saraceni tunc ſuos ex Sicilia reuocare coacti. Ita Sicilia peſtifero bello liberata eſt. Boniſacius vero ex Africa victricem claſſem multiſque ſpoliis onuſtam, reduxit. At non diu Saraceni quieuerunt: quin mox maiore quam vnquam antea vi Italiam adorti, Centumcellas iterum capiunt; indeque citato agmine Romam perunt, & Vaticano, nullis adhuc munitionibus ſepto, facile potiti ſunt, templumque D. Petri direptum, & argenteis, quas habebat ingentis pretij foribus ſublatis, ferro & igne prophanarunt, ibique plures dies commorati, cum vrbem oppugnare in animo haberent, audito auxiliatium ex Ciſalpina Gallia copiarum aduentu, recedentes, inter Appiam & Latinam vias ſuburbana omnia deuaſtant, Pauli Baſilicam Oſtienſi via diripiunt, atque igni iniecto, magna ex parte abſumunt. Inde in Latinam viam flectentes, populabundi in Chaſſinenſem vſque ſaltum excurrunt. Caſſinenſe fanum opulentiſſimum, ſacra veſte & donarijs ſpoliant, magnaque ex parte excindunt. Hine dextra Liris ripa ad mare, inſtar rapidæ procellæ, ſeſe effundunt, ibique præda nauibus ſuis, quæ illic præſto ſuêre, impoſita, in altum abiuêre. Dum Sicilia Saracenicis armis dinexaretur, non potuit Ludouicus Occidẽtis Imperator, à Paſchale Pont. per Oratores moueri, vt opem ferret, cauſatus, eã iniuriam, ad Michaelem, cuius imperio tunc Sicilia tenebatur, pertinere. Hic vero, vbi primum de horum irruptionibus comperit, nulla mora & cunctatione, inter-

Eiuſdem clades.

Michael Thraulus.

Creta occupatur à Saracenis.

Saraceni vincuntur à Bonifacio Corſica Comite.

Vaticanum diripitur à Saracenis.

ne interpoſita, aduerſus hoſtilem claſſem inſignem exercitum eduxit, qui, commiſſo prœlio, adeo victus eſt, vt perpauci remanſerint, qui in patriam nuntium referrent. Hac clade Imperator minime conſternatus, nouam & præpotentem claſſem inſtaurauit, eique Craterum Cibiritarum præfectum cum ſuprema poteſtate atque imperio ſuffecit, vt Saracenos debellaret: Hic ferox admodum, cum in Cretam appuliſſet, Saracenos inuenit neqnaquam pugnam ſubterfugientes; Quamobrem prima luce ad Meridiem vſque acerrime vtrinque, & dubio euentu pugnatum eſt; ſed tandem die ad veſpera vergente, Saraceni ſuperati, fugæ ſe mandarũt: quorum multi in pugna occiſi ſunt, plures, abiectis armis capti; adeo, vt etiam vrbs illorum eadem die, niſi nox ingruens obſtitiſſet, capi potuiſſe videretur. Quæ quidem nox & victoria Græcis exitium attulit: Dum enim ſecundis rebus tumidi, vt qui ſuperſtites paucos ſe poſtridie nullo negotio in ſuam poteſtatem redacturos ſperarent, perinde ac non in hoſtico, ſed domi ſuæ agerent, potationibus & luxui ſe dedunt, neque excubiarum, aut vllius ſalutaris rei curam habent, de ſomno duntaxat & quiete, ac ſocordia facile omnia ſalutaria conſilia euertente, cogitantes, à Saracenis, id probe animaduertentibus, alto ſomno vinoque ſepulti, intempeſta nocte opprimuntur, & ſic omnes, ne nuncio quidem ſuperſtite, cæſi ſunt. Solus dux Craterus, mercatoris vſus nauigio, ſaluti ſuæ conſulere eſt conatus: quem Saracenorum dux diu multumque inter cadauera, & captinos quæſitum, cum non inuenirer, ac fuga elapſum perciperet, miſit qui eum perſequerentur, à quibus in Co inſula comprehenſus, in crucem actus fuit. Quibus auditis, Michaël, Orypham, virum prudentem, & rei militaris peritiſſimum, prætorianam legionem, quæ tum, quod quadraginta aurei nummi ſingulis illius legionis militibus penderentur, quadragenaria vocabatur, colligere iuſſit. Is, Saracenos, paſſim per alias inſulas prædatum excurrentes, partim inſidiis locatis, partim aperto Marte, cum ipſis congreſſus, interemit: & eorum qui Cretam obtinebant, immodicam audaciam repreſſit. Sub hoc Imperatore Dalmatia, excuſſo iugo imperij Græci, ſeſe in libertatem aſſeruit: Vnde regnorum Dalmatiæ, Boſnenſium, Croatiæque origo eſt, quæ aliquandiu his proximis annis Reges Pannoniæ tenuerunt. Ferunt, ea tempeſtate vetus oraculum, ſuum fuiſſe vaticinium aſſecutum, rem ſcilicet Romanam præcipitem collapſam iri, & principatum malorum in terra futurum, quando Dracon Babyloniæ dominabitur impedita lingua, & auariſſimus, qualis hic vir fuit, balbutiens, & admodum auarus. Perijt profluuio ventris, quod Dyſenteriam vocant, ad quod acceſſit Phrenitis, cum annos octo & menſibus nouem crudeliſſime imperaſſet, filio ſuperſtite relicto, nomine Theophilo, qui communibus ſuffragijs Cæſar renuntiatus eſt. Hic fuit Princeps in gubernatione iuſtus & ſeuerus, in vita priuata honeſtus & caſtus. Imaginum vero & ſimulacrorum acerrimus oppugnator. Vrbem muniuit & ornauit magnifice, inſtauraris mœnibus, quæ collapſa erant, & altius eductis. Per id tempus, in Aſia Impraëlus Syriæ Calyfa, qui Muamati ſucceſſerat, cum maximis copijs Imperij Romani fines irrupit. Aduerſus quem Imperator validiſſimum exercitum eduxit, ſub præfectura & imperio duorum præſtantiſſimorum virorum, Manuelis ſcilicet, qui ſua virtute etiam hoſtibus, quibuscum ſæpiſſime prius manus conſeruerat, ac ſtrenuiſſime pugnauerat, cognitus erat, & Theophobi, è Perſia oriundi; ſed tamen Conſtantinopoli educati, qui aliquandiu in obſcuris latuit, licet eius pater ex regia Perſarum tribu progenitus, deficiente regia ſtirpe apud Perſas, alius ſe ex hac tribu finxiſſet, & honorem huic præripuiſſet, Abiit itaque cum filio, & tandem cognitus Theophobus, in altiorem fortunam euectus, patricio honore inſignitus eſt, nec non ſororis Regiæ maritus factus. Erat præterea in hoc exercitu Michaël Rangabæ filius protoſtrator exercitus, hoc eſt, primipilis. Horum præclariſſimorum ducum inclyta virtute fretus atq; confiſus Theophilus contra Arabas iuit, locatis in proximo caſtris, omni arte atque induſtria communitis. Saracenicus Imperator, ſimul atque Romanorum Cæſarem aduentantem vidit, & ad prœlium paratum, ſiue arrogantia ductus, ſiue quod

Varii conflictus inter Roman. & Saracenos.

Saraceni funduntur.

Christianorum clades, & deinde victoria.

Dalmatia ſeſe in libertatem vindicat.

Mors Michaelis Traul.

Theophilus.

Impraelus Muamatis ſucceſſor mouet bellum contra Rom.

Theophili expeditio aduerſus Saracenos.

belli fortunam timeret, Abuzachare quodam cum 80. armatorum millibus ad pugnam relicto, cum parte exercitus diſceſſit. Commiſſo autem prœlio, cum Saraceni eſſent ſuperiores, Theophilus cum prætoria cohorte duobuſque Perſarum millibus, & Theophobo in collem quendam euaſit: quo ab Saracenis cincto, illis ſummo conatu Rom. Imperatorem capere nitentibus, his autem Imperatorem ſuum fortiſſime propugnantibus, in veſperam vſque acriter dimicatum eſt. Sed vbi nox venit, Theophobus Saracenos arte deluſit. Mandauit enim militibus, vt, quantum poſſent, ſtreperent ac conclamarent, ſonitumque cithararũ & chordarum atque tubarum ederent, quaſi ſubſidium ipſis aliunde aduentaret. Quod ſuſpicantes Saraceni, ne ab hoſtibus circumdarentur, ab 6. M. P. receſſerunt, & ſic Imperator cum ſuis periculo ereptus, ad exercitum, qui fugam è prœlio fecerat, contendit. Quamobrem Imperator Theophobum vniuerſo exercitui præpoſuit, & appetente iam hyeme, Byzantium remigrauit. Cæterum inſequenti anno, iterum contra Saracenos expeditione ſuſcepta, factoque ſupplemento, cum ipſis apud Charſianum manus conſerens, proſpero Marte dimicauit, adeo ſane, vt præter magnum interfectorum numerum, ad 25. millia captiuorum ſecum domum rediens abduxerit. Inter hos, Agarenus quidam erat, ambidexter, ſcholæ gladiatoriæ princeps, duabus haſtis in equo pugnans, quem ſecum Imperator in triumphum adduxit. Rurſum tertio anno in eoſdem profectus, commiſſa pugna, ab hoſtibus circumuentus, pene in manus eorum peruenit. Quod ſentiens Manuel dux exercitus, animis ſuorum vehementi oratione collectis, eo perrupit, Imperatoremque iam fatigatum, ac de ſalute ſua penitus deſperantem, cauſantem tamen fuga ſe ſuos prodere nolle, etiam inuitum periculis eripuit, mortem ei, ni ſe iter ferro aperientem ſequeretur, minatus. Sic Cæſar ſoſpes atque incolumis reductus, Manueli regia munera donauit. Sed cum inuidia ſit humanæ felicitatis comes, non potuit Manuel maledicorum linguam, licet vir eſſet ſtrenuus, ac miræ probitatis, effugere, quin apud Auguſtum affectati imperij criminaretur, eaque perſuaſio tantopere illius animum inuaſit, vt de eo excæcando conſultaret. Manuel, de his rebus certior factus, ad Saracenos defecit, & illic contra Perſas tumultuantes multa fortiter ac præclare geſſit, deque illis varia trophæa erexit. Proinde ipſis Saracenis magnæ admirationi eſſe cœpit, & Perſis formidini. Theophilus errorem ſuum agnoſcens, magna pœnitudine ductus eſt, quod tantum virum, tam inſigni iniuria affeciſſet, ideoque Chryſemanthum monachum cum fide ac iuramento manu ſua ſcripto, ad reuocandum Manuelem miſit. Edoctus à monacho, & perſuaſus, Iſmahelitarum Principem adit, & ab eo exercitum petit, vt Cappadociam inuadat, illic eſſe ſuos delatores, quos vlciſci cupiat. Simulque eius filium, quem militaribus diſciplinis iamdudum inſtituere cœperat, petit, vt rebus bellicis aſſueſcat. Vtrumque accipit, & filium, & exercitum, fineſque Romanorum attingit, atq; illic relictis copijs, cum filio Ducis Agarenorum, & paucis Saracenis, quaſi venatum iret, in Romanam regionem peruenit. Filium Iſmahelitarum Principi perquam honeſte eum Saracenis remiſit. Ipſe Byzantium ingreſſus, ab Imperatore quam benigniſſime excipitur, & ſtatim Magiſter equitum creatur, quo ve illum ſibi arctiori vinculo obſtringeret, Imperator voluit, vt ſuum filium ſacro baptiſmatis fonte ſuſciperet, quem pater mox corona inſignitum, Regem Romanorum renuntiauit. Et quarto cum copijs vtrique exercitus in aciem progreſſi, nulla re inſigniter geſta, domum rediêre. Quinto, Theophilus, longe in Syriam vaſtando ac populando progreſſus, Sozopetram Impraëlis patriam expugnauit. Qua re vehementer irritatus Impraëlus, copias vndique ingentes comparat, vt Amorium ipſius Theophili patriam expugnaret. Eius copiæ Tarſum conuenêre, vbi cum Impraëlus veniſſet, filium ſuum cum parte exercitus ad Romanum exercitum, qui ad Dorylæum triduo ab Amurio itinere caſtra habebat, tentandum præmittit, eique decem Turcorum millia, & omnes Armeniæ copias adiungit: qui, cum ad Drazynum eſſet metatus, Theophilus contra eum progreſſus, ad locum venit, cui Anxino eſt nomen; atque inde

Idem Theophobi ſtratagemate, incolumis euadit.

Theophobi noua expeditio in Sar. cum ingenti victoria.

Romanorũ clades. Cæſar Manuelis virtute conſeruatur.

Manuel fugit ad Saracenos.

Idem redit ad Imp.

ſtatuit,

ſtatuit,priuſquam belli aleam experiretur,hoſtium multitudinem ſpeculari. Itaque à Manuele in altiſſimam ductus ſpeculam,hoſtile agmen (etſi Manuel non multitudinem,ſed haſtarum ſegetem ſpectandam moneret) ſuo robuſtius atque validius iudicauit: ſed tamen poſt multam deliberationem, prima luce prœlium acerrime initum eſt,quo in prœlio Romanis legionibus fortiſſime pugnãtibus, Saraceni fugæ ſe dederunt. Sed Turcis ſagittarum nimbo Romanos ab illis perſequendis arcentibus,mutata eſt pugnæ fortuna. Romanæ enim legiones Turcicarum ſagittarum vim non ſuſtinentes,Imperatore deſerto fugerunt, ducibus illarum & Perſis pro eo ſumma vi dimicantibus. At cœlum tunc Imperatorem valde iuuit: Pluuia namque exigua delata, neruos arcuum Turcicorum relaxauit: quo factum eſt, vt Romani ſagittarum metu liberati, ſalutis parandæ occaſionem inuenerint. Hac ſuorum victoria cognita Impraëlus,filij copijs cum ſuis coniunctis, Amorium petijt: cumque profunda foſſa cinctum, omni vi oppugnare cœpit. Theophilus patriæ ſuccurrere conatus,exercitum, cui Theodorum Fortem præfecerat,educit. Nam Manuel,qui nocturnis pręſidijs præſidebat,Perſarum proditiones,qui ad Saracenos erant defecturi, intellexerat, cum eorum linguam peroptime calleret. Quapropter ſuaſit Imperatori, vt continuo cum exercitu diſcederet. Impraëlis interim obſidioni Amurianæ intentus, crebris incurſionibus oppidanos vrgebat,qui, cum ſtrenuiſſime pugnarent, omnes illius conatus irritos atque vanos reddebant,ita ſane, vt expugnationem minime pertimeſcerent. Cæterum Amorienſis quidam, Bœditzis nomine,muneribus corruptus,quanam ex parte facilius in muros euadere poſſent, Saracenis indicauit,& ſic vrbs Orientalium pulcherrima expugnata deletaque fuit; in qua, magna mulierum ac ſenum multitudo periclitata eſt,iuuenum ingens turba capta,& cum hac etiam duces excellentiores, nempe Caliſtus, Cõſtantinus & Fortis Theodotus patricij,& ipſius Imperatoris conſobrini,atque etiam complures alij,qui militari diſciplina & præcipua dignitate perinſignes habebantur. Hac victoria elatus Impraëlus,Cæſaris legatos ante oppugnationem cum ingentibus muneribus ad ſe,vt ab incepto deſiſteret, rogandum miſſos, & hactenus in vinculis detentos,omnia prius inſpicere iuſſos, cladis nuncios ad dominum remittit. Quos cum Imperator rurſus,vt de clarioribus captiuis agerent, ac pro eis redimendis duo millia & quingenta auri pondo offerrent,miſiſſet, Barbarus iterum contumelioſe remiſit,ſtultum ſe fore inquiens, ſi captos ea pecunia redderet,cum ipſe eo bello decies tantum impendiſſet. At Theophilus, hoc reſponſo habito,cum ſibi longe cariſſimos viros, nullo ære, nulliſque pollicitationibus,licet ampliſſimis,redimere poſſet,ad tantum animi angorem ac mæſtitiam redactus eſt,& tam vehementer perturbatus, vt præ doloris magnitudine,cum multos dies,ſolo frigidiſſimæ aquæ potu vſus,ab omni cibo abſtineret,in dyſenteriam incideret,& inteſtinis collabefactis,Inualeſcente quotidie morbo, ſalutis ſuæ nullam ſpem habens,de regno cogitare inciperet. Quocirca vocato ad ſe Senatu,iuramentum exigit,vt vxorem Theodoram,filiumque Emanuelem adhuc impuberem,pro Regibus ſuſcipiant, eoſque ſeruent: quod promiſſum factumque eſt. Cœpit autem maxime ſuſpicari Theophobum, quem ipſe Perſis præfecerat,(habuit enim Imperator Perſarum exercitum) à quibus & ipſe Rex fuit,licet inuitus,appellatus. Et quanquam tres myriades,quas habuit, diuiſerat,& in diuerſa loca diſtribuerat,tamen ob Perſarum proditionem, quam attẽtauerant,multis præcipue hunc inſimulantibus, illum quammaxime ſuſpectum habuit. Dum igitur paulatim corpus inſumitur,Theophilus timens, ne poſt ſuũ obitum, Theophobus regnum inuaderet,intra regiam cõtineri mandat;& cum illum vires paulatim desererent,ac tenuiſſimo filo eius vita teneretur,Theophobũ iubet trucidari,eiuſq; caput afferri, quod manibus ſuis contrectaſſe fertur his verbis: Nec tu poſthac Theophobus,nec ego Theophilus ero. Et hoc dicto,animam efflauit,cum iam duodecim annos & menſes tres regnaſſet. Sub hoc Imperatore,vt hoc etiã obiter dicatur,Saraceni Saba duce Italiã ingreſſi, eam in multis locis depopulati ſunt. Et cum Veneti auxilio occurrerent, eorũ naues partim

Acerrimum prœliũ inter Rom. & Saracenos,cũ quibus & Turci ſe coniunxerant.

Romanorũ fuga.

Amorium à Saracenis occupatur, & diripitur.

Theophobũ Theophilus moriens, ob regnandi ſuſpitionẽ trucidari iubet.

Italia plurimum infeſtatur à Sar.

naufragio, partim oppugnatione fractæ, ſubmerſæ perierunt, eſtque Tarentum & Ancona Piceni vrbs, ab ipſis Saracenis direpta, & ſinns etiam Crotoniates infeſtatus.

Michael Theophili filius Imp.

Theophilo, mortalibus rebus exempto, cum filius Michaël nondum eſſet idoneus ad gubernationem, matet Theodora imperium adminiſtrauit. Hæc, breui poſt, cum Bulgaris pacem fecit, reddita Regi ſorore, quam bello Græci ceperant. Et cum eſſet in Chriſtiana fide ac religione recte inſtituta, perſuaſit fratri, vt pro Ethnica, Chriſtianam amplecteretur. Hac occaſione Bulgati ad cognitionem Chriſti peruenerunt.

Bulgari amplectuntur fidem Chriſtianā ſuæ ſuę regia ſororis.

Filius Michaël cum adoleuiſſet, matrem omni poteſtate priuatam, in cœnobium relegauit, vbi præ nimio dolore haud ſane diu ſuperſtes fuit.

Michaelis expeditio aduerſus Saracenos.

Ipſe interim, aduerſus Saracenos expeditione ſuſcepta, Samoſatam vrbem, ad Euphratem fluuium ſitam, opibus ac robore inſignem, obſidione vallauit. Sed dum, propterea quod Saraceni metum ſimulantes, intra mœnia ſe cōtinerent, exercitus nimis ſecure, & ſine excubijs degit, tertio obſidionis die cum milites omnes (erat enim is dies Domino conſecratus) ad ſacra cōueniſſent, Saraceni armati ſeſe patentibus portis effundunt, & Romanos, nihil huiuſmodi ſuſpicantes, de improuiſo adoriuntur, & ſtrepitu ac vociſeratione omnia complent. Vallo ſuperato, regium tentorium diripiunt, impedimenta omnia, regioſque apparatus rapiunt. At illi vndequaque oppreſſi, fugæ ſe omnes committunt, adeo, vt præter magnum interfectorum numerum, plærique, inter quos viri erant illuſtres, à quibus deinde ingentem pecuniarum ſummam pro redemptione acceperunt, captiui abducerentur. & Imperator ipſe, equi celeritate incolumis effugiens, Conſtantinopolim reuerſus eſt.

Euſdem clades.

Rurſus biennio poſt, Saracenis Imperij Romani fines cum 30. millibus ingreſſis, Michael, vt cladem prius acceptam, victoria ſarciret, 45. millibus Thracum atque Macedonum collectis, eis obuiam procedit: Sed illi, hoc cognito, per ardua & difficilia loca compendioſo tramite, eum in itinere diſſipatum, repente adoriuntur, atque in fugam conijciunt, & tūc quoque Michaëlem in hoſtium poteſtatem venturū fuiſſe tradunt, niſi Manuel phalange perrupta, cum dicto citius eripuiſſet.

Mamumus Impraëlis filius.

Deinde biennio poſt, Mamumo, Impraëlis filio, Calyſa Syriæ, viroque rei aſtronomicæ peritiſſimo, & multis eximijs virtutibus ornato, imperante, Saraceni 40. millium exercitu coacto, Armeniam, & maritima populati, vaſtarunt. Quo quidem tempore, Calyſam Xerxis factum imitatum ferunt, qui mare flagris cædi iuſſerat, quod vlterius ſibi ad libitum progrediendi facultatem ademiſſet. Id grauiter ferens Michaël, Petronam, ſuum auunculum, qui tunc Thraciæ prouinciæ præerat, cnm magnis copijs contra Mamumum miſit. Petrona, priuſquam cum hoſte confligeret, Monachum quendam, qui vicinum montem incoluit, rerum futurarum præſcium, & diuinarum peritum, adijt, ab eoque percunctatur, nnm pugnam inire debeat. Cumque is futuram polliceretur victoriam, huius perſuaſione ductus atque alacrior factus, in loco quodam Lalacœon nuncupato, metatus, inſidijs vndique poſitis, Mamumum ad certamen prouocat: qui inſtar feræ indagine cinctus, deque exitu haud mediocriter anxius, de regionis, locique, in quo caſtra poſuerat, ac præterlabentis fluuij nomine, quendam è captiuis Romanis percunctatus, cum audiuiſſet, regioni Lalacœonis, loci Ptoſontis, amnis Gyris nomen eſſe, vt erat Græcarum Latinarumque literatum non ignarus, & Philoſophiæ ſtudijs deditus, ſtatim nomina illa ſibi copiarum cladem eaſque in gyrum à Romanis incluſum iri denunciari dixit, omniaque infauſta, malum ſibi pugnæ euentum minari. Aiebat enim, Lalacœonem, populi malum, Ptoſonta, ſeu Ptoſanta, cadentem, & Gyren circumſeſſionem hoſtium ſignificare. Suos tamen graui & militari oratione admonet, ne deſperent, ſed fortiter ſe ad pugnam parent. Itaque ſequentis diei prima luce ſe vndique incluſum ſentiens, per eam partem, quam Petrona ſtatione tenebat, exitum quærere ſtatuit, hoſteſque ingenti ſublato clamore inuadit: ſed conatum ſuum irritum cernens, paulatim ſe recipit, ac rurſus inde impetum facit, idque ſæpius iterauit. Tandem deſperata ſalute, in aduerſos hoſtes vehementi cum impetu irruit, ibiqne & ipſe cadit, & exercitus eius ad internecionem deletur, eiuſque filius cum parte copiarum populatum miſſus, cladis nun-

Saracenorum ingens clades.

cio

ctio accepto,ſtatim fuga Melitenam petit:ſed eum,qui Charſianis anguſtijs præerat,inſecutus,captum Patronæ tradidit.Hic deinde victor, Byzantium cum inſigni triumpho ingreſſus,& honorifice exceptus,cum Manuel iampridẽ vita functus eſſet,præpoſitus gladiatoriæ domeſticus factus eſt. Nec diu poſt, & ipſe ſuperſtes fuit.Dum ita res geruntur,Mauritani Saraceni, ex Sicilia, in qua iam diu multa oppida obtinebant, Saba duce in Italiam traijcientes, Tarentum oppugnabant,cum Græca & Veneta claſſis, ſimul iunctæ, in Calabriam delatæ ſunt, ad eam vrbem obſidione liberandam. Quo audito,Saba timorem, vt hoſtem in certamen traheret,fingens,ſoluta obſidione,virabundo ſimilis, in Crotoniatem ſinum conceſſit:vbi non multo poſt,prœlio commiſſo,& Gręcorum agmine ſtatim in fugam verſo,omnis Saracenorum vis in Venetos fortius dimicãtes, verſa eſt,pauciq; à tã valida claſſe circumuenti,partim cæſi,partim fluctibus merſi,Veneti ad vnũ eo prœlio periêrunt. Qua victoria clarus Saba, Ionij maris ora celeriter enauigata,Illyricũ petit:cuius Prouinciæ orã dum populabũdus legit,ad Venetarum nauium,quæ Syriaca merce onuſtæ,aduentabant,famam,in Tergeſtinum ſinum claſſem celeri curſu contrahit:vnde naues ex inſidijs adeptus,diripit; negociatores, & ſocios nauales, remigeſque omnes incredibili Veneti nominis odio trucidat. Hinc tranſgreſſus, Amonem, nobilem Piceni vrbem,& pulchro portu celebrem,vi capit: captam diripit,& incendio abſumit, paucis oppidanorum captis. Omnes enim fere repentina trepidatione dilapſi, in Mediterranea ſe receperant. Paulo poſt, alia eiuſdem generis claſſis, vrbis Romæ oppugnandæ conſilio ad Hetruriæ oram appulſa eſt, cuius repentinus aduentus totam vrbem maximo terrore repleuerat. Cæterum Populus Romanus Leonis IV. Pontificis cohortatione collectis animis, omnique metu depoſito, vniuerſas cogitationes ac ſtudia protinus ad patriæ propugnationem conuertit: Proinde omnes,qui ad militiam erant apti, e veſtigio arma corripuerunt,cumque,Oſtiam vſque ſe curſſunt,aduerſarios in littus egredientes prœlio excepturi, quos,vbi in conſpectum habuêre,ingenti animorum alacritate,acie inſtructa,ſignoque pugnæ dato,ipſos adoriuntur. Pugnatum primo eſt aliquandiu æquo Marte,fuitque cruentum certamen. Poſtremo fuſi fugatique Saraceni,& ad naues cum multa cæde compulſi ſunt. Ingens hoſtium numerus varijs caſibus periit,& multi capti. At Saraceni,qui Cretam obtinebant, in Illyricum & Hiſ[illegible]m delati,Gradum,vrbem Venetorum imperio ſubiectam, circumſederunt. Sed hinc ſubito Veneti ducis acceſſu depulſi, nauibusque repente eductis, in altum abiêre. Quod quidem incidit in annum ab orbe reparato 861. Interea temporis,Saraceni qui erant in Syria,poſt acceptam cladem,ſuumque regem interfectum,reparatis viribus, nouoque exercitu collecto, iterum Græcos ad bellum prouocarunt: Michaël vero,ad hoſtilis exercitus famam, nouas copias inſtruxit,& contra eos profectus eſt,nullaque re memorabili geſta, domum redijt, & Baſilium Macedonem, cuius opera in domandis & exercendis ad curſum & aurigationem equis vſus fuerat,& poſtremo illum cubiculari dignitate ornarat, Cæſarem creauit,Eudocia Iceris ſuæ concubinæ filia in vxorem tradita, ſed breui poſt,ab hoc Baſilio 9. Cal. Maij, anno 867. interemptus eſt,cum vino madidus,Baſilicinum quendam,qui Baſilij primus remex erat.porrectis ei calceis purpureis,eadem dignitate ornaſſet. Imperauit annos tredecim cum matre Theodora:ſolus annos vndecim.

Petrona Michaelis auũculus Byz. victor reuertitur.

Eorundem excurſiones ex Sicilia in Italiam, Saba duce.

Venetorum clades.

Prœliũ inter Romanos & Saracen.

Romanorũ victoria cõtra Saracen.

Michaelis cædes.

Baſilius ad imperium euectus, bellum contra Saracenos Cretenſes ſuſcepit,in quo victus eſt,multiſque cæſis, parum abfuit,quin ipſe caperetur. Quorum poſt audaciam fregit Chriſtophorus,eius ſocer,contra eos in Cretam ab eodem cum exercitu miſſus,& ipſe Imperator cum exercitu in Syriam profectus, caſtellis quibuſdam captis,& magna populatione facta, Tephricam, nobiliſſimam Saracenorum vrbem oppugnauit:ſed cum eam,niſi longa obſidione capi non poſſe animaduerteret, caſtris inde motis,Euphratem fluuium nauali ponte traiecit,ac circumiecta loca populatus,multis oppidis atq; arcibus oppugnatis,alijs vero deditione acceptis,Byzantiũ reuerſus eſt.Inde rurſus expeditione in Syriam contra

Baſilius Macedo.

Baſilij diuerſæ expeditiones in Saracen.

Saracenos ſuſcepta, Getmaniciam inuadit, & ſuburbijs incenſis, vrbem Adatan obſidet. Cum vero hanc itidem oppugnationem parum ſibi proſpere ſuccedere animaduerteret, ab ea receſſit, & relictis in Syria ducibus ac præſidijs, Conſtantinopolim remigrauit.

Iiſdem ferme diebus, Saraceni Africani Raguſium in Illyrica ora obſederunt, & Raguſinis à Baſilio auxilium poſtulantibus, ipſe centum bellicas naues eis ſubſidio miſit. Quod vbi Saraceni cognouerunt, ſoluta obſidione, Italiam petunt, captoque Barro, Calabros, Apulos, Lucanos, & Salentinos, incendio, cæde, rapinis, pene ad internecionem affligunt, & iam de Roma, ac totius Italiæ imperio inter ſe diuidendo agitabant, cum Iohannes Pont. publico periculo motus, ab Alberico, cuius opes tunc late in Hetruria vigebant, opem atq; auxilium implorat, qui cũ validiſſimo exercitu, etiam Romæ delectu habito, cum illi iam in Romanum agrum irrupiſſent, primum eos non procul ab vrbe prœlio vicit: Inde ad Lirim fluuium circa Minturnas ſic eos fudit, vt de Italia deſerenda mox cœperint cogitare: quamobrem omni maritima ora incenſa, in Apuliam concesſêre, & arce in Gargano monte facta, ac ſub iugo montis oppido ad belli ſedem communito, illinc per multos annos Italiam infeſtarunt. Inde Beneuentum adorti, vi capiunt, diripiunt, & incendunt. Quo exemplo territæ finitimæ vrbes, eius gentis præſidia admiſerunt. Verum ſubſidiarijs copijs à Romano Pont. miſſis, Barbari præda magis, quam iuſto bello rem gerentes, ſine prœlio Romanis finibus ceſſerunt.

Noua Saracenorũ excurſiones in Italiam.

Albericus deuincit Saracenos.

Beneuentum capitur à Saracenis.

Et alia eiuſdem gentis claſſis ex Africa profecta, Genuam graui obſidione preſſam, vi cepit: propugnatores primo ingreſſu trucidati, puellas, matronas, & mares impuberes, nauibus impoſitos, in Africam, vna cum ingenti præda, tam ſacra quam profana deportarunt. Sed Dandalus Venetus tradit, omnes virilis ſexus poſt, in patriam rediſſe: quo autem modo id factum ſit, nemo ſcribit.

Genua capitur & diripitur à Saracenis.

Fuit Genua capta anno ſalutis Chriſtianæ ſupra nongenteſimum trigeſimo quinto. Hanc Genuenſium cladem præceſſit fons ſanguinem manans, magnam, quæ illi vrbi imminebat, calamitatem portendens. Inde anno ſexageſimo nono ſupra nongenteſimum, ab Othone Germanorum Impetatore, à Gargani arce, prius à Dalmatis deiecti, & à Pannonibus multis cladibus attriti, protſus Italia pulſi ſunt Saraceni: Græci hîc Italiam Conſtantinopolitani Imperatoris ope, Francis in ipſius Imperatoris gratiam adiuuantibus, Saracenorum metu liberatam gloriantur.

Baſilius interim, poſtquam rem Chriſtianam adiuuantibus cæteris d... ſtis, fregiſſet in mari potentiam Saracenorum, omni ſtudio ac diligentia enitebatur, vt ex alijs quoque locis in quibus Romanum Imperium diuexabant, illorum vires atque potentiã proſterneret. Proinde cum ex Tarſo ac Melitene, Romanas prouincias varijs incurſionibus deuaſtarent, omniaque miſerrime depopularentur, contra eos Andream, cognomine Scytham, & Magiſtrum equitum expediuit, quo illorum impetum & audaciam reprimente, Amyras Tarſenſium rex indignatus, minaces, & in Deum contumelioſas literas ad eum exarauit, quibus, inter cætera, ſcribebat, ſi ipſe illum inuaſiſſet, nihil ei virginis Mariæ filium, neque robur ſuum profuturum, quorum verborum mox pœnas dedit. Siquidem Andreas, his literis inſpectis, grauiſſima ira accenſus eſt, ac protinus imagine Virginis in vexillo erecta, & diuini Numinis auxilio implorato, contra inſolentẽ hoſtem copias eduxit, commiſſaque pugna, Saraceni in fugam verſi, maxima ex parte cadunt, ipſeque rex trucidatus. Et licet hic Andreas præclara & inſigni victoria potitus eſſet, non potuit tamen ob inuidiam, apud Cæſarem euitare calumniam, quaſi Tharſum capere, cum potuerit, noluiſſet, vnde ablatum eſt ei imperium, & Stypero, ſiue vt alij appellãt, Stypiotæ traditum, qui in eius locum exercitui præpoſitus fuit, quod Tharſum ſeſe euerſurum promiſiſſet, & quæ ab Andrea neglecta eſſent, emendaturum. Qui non modo nihil eorum, quæ iactauerat, præſtitit, verum etiam in maximum ex ſua negligentia incidit periculum. Quandoquidẽ Saraceni, eius caſtra negligenter locata, nullaſq; in eis excubias eſſe agnoſcentes, noctu incautos ſomnoq; ſepultos aggreſſi, multos ceciderũt, reliquos in fugam compulêre.

Amyras Tarſenſium Rex interficitur in bello.

Exemplum diuinæ vltionis.

Supta

Supra commemoratum eſt, Raguſium Baſilij ope à Saracenorum obſidione, atque adeo vniuerſam Siciliam & Italiam ab horum incurſionibus liberatam. Nunc, priuſquam de ipſo ſermonem abſolnam, hæc pauca breuiter ſubiungam. Cum, hoc Imperatore, Francorum regi, eidemque Cæſari Occidentali, opem ac ſuppetias ferente, vniuerſa Agarenorum militia, vti diximus, in Italia deleretur; inter cæteros præcipui nominis viros, etiam illorum dux Sultanus captus fuit, qui toto anno Capuæ in captiuitate detentus, nunquam ridere viſus eſt, non ſine omnium qui aderant, admiratione. quoad ſemel videns rotam currus circumuolui, & imam partem nonnunquam in altum erigi, Sic, inquit, res vertuntur humanæ, quod ſine cachinno explicare neſcio. Et forte ego, qui nunc ad ima detruſus iaceo, exurgam quandoque, & denuo regnabo.

Sultanus capitur à Chriſtianis dolo euadit.

Rex, huius fortunam miſeratus, ſibi familiarem hunc fecit, adeo vt ſæpe cum illo deinceps conſilia ſua communicaret. Barbarus callidus inſidias Regi moliri incipit: ſuadens, vt, ſi Capuam, ac Beneuentum firmiſſimo dominio poſſidere velit, nobiliores vrbis alio migrare faciat, vt ea ratione plebs citra vllam difficultatem in officio atque obſequio retineri queat. Rex, conſilium ex animo ſuo arbitratus fore, clam vincula fabricari, & compedes iubet. At Sultanus omnia nobilioribus patefacit, vtque ſibi tanto facilius fides adhibeatur, compedes, manicaſq; ferreas illis clanculum oſtentat. Cæterum populares Regem in venationem progredientem, vrbe excludunt, & Sultano precium, libertatem ſcilicet captiuitatis, donant. Qui egreſſus, nouoque exercitu inſtaurato, ac priſtinis viribus recuperatis, longa obſidione Capuam & Beneuentum iterum cingit: qui obſidione preſſi, iterũ ad Regem (hunc autem plærique cenſent fuiſſe Carolum Craſſum V. Romanorum Imperatorem) ſuppliciter confugiunt, facti veniam petentes, & cauſantes, Barbari aſtu ſe deceptos, Rex, legatos non admittens, ſe ob delicta merito pœnas luituros eſt proteſtatus. Baſilium itaque adeunt, & opem petunt, quo periclitantibus mature ſuppetias ferat: qui benigniſſime legatos complexus, bono animo eſſe iubet, & mox auxilia ac præſidia affutura pollicetur. Sultanus oratores ex itinere redeuntes capit, lectiſque literis, quæ Baſilius promiſerat, edoctus, mandat, vnum ex legatis, ſuis ciuibus, ſi modo vitam cupiat, contraria nunciare, Baſilium ſcilicet, confœderationem recuſare; nec poſſe, hac quidem tempeſtate, vllum auxilium præſtare. Ductus itaque legatus ante mœnia vrbis, ſtans, elata voce, legationem ſe abſoluiſſe, & mox venturum auxilium pronunciat, popularibus ſuis bene audientibus. At Sultanus mox mille enſiũ ictibus illũ iubet cõfodi, & relicta obſidione, diſceſſit.

Admiranda conſtantia cuiuſdam Oratoris Capuani pro ſalute patria.

Verum enimuero ne in commemorandis Saracenicis rebus, quæ, Baſillo adhuc ſuperſtite, vtrinque in Aſia & Africa geſtæ ſunt, nimium excreſcat oratio, ab earum exacta enarratione prudens ſciensque ſuperſedeo, & quonam exitu ipſe Baſilius vitam terminauerit, oſtenſo, mox ad alia tranſgrediar. Hic Imperator, Chriſtianæ religionis proferendæ atque amplificandæ maximo & incredibili ardore flagrans, ingentem Iudæorum multitudinem, haud mediocribus pecuniarum largitionibus ac promiſſis induxit, vt ſacro baptiſmatis fonte abluti, fidem Chriſtianam ſuſciperent.

Baſilij pietas in proferenda puriori doctrina.

Cum Roſſis itidem pacem iniuit, eiſque perſuaſit, vt relicto Ethniciſmo, eandem religionem amplecterentur. Tandem Imperator progreſſus in venationem, ceruo occurrit, qui itam erectis cornibus præ ſe ferebat, torue Regem inſpiciens: cui gladium magnum attollens, in collum vibrabat. Sed Rex, cerui cornibus implicitus, zona, qua cingebatur, altero eius cornũ ramo adhæſit: vnde in altum eiectus, in cornibus feræ, Rex tum vitam finiuiſſet, niſi quidam, enſe ſtricto, zonam abrupiſſet, quare in terram delapſus, ſaluatus eſt. Cui ingratus Rex, mox caput pro ſalutaribus donis ademit, quod nudum enſem in ſe ſtrinxiſſet, non in feram: falſo illud in innocentẽ ſimulans, qui pro ſalute Regis male mulctatus fuit. Sed mox diuina vltio affuit: lethaliter enim ſauciatus à ceruo, qui cornibus violento inſultu in imum ventrem adactis, equo eũ excuſſit, paulo poſt, eo vulnere mortuus eſt, eũ iam regnaſſet cum Michaele anno vno, ſolus decem & nouem, relictis ex Eudocia vxore tribus filijs; Leone, qui illi in imperio ſucceſſit, Alexandro, & Stephano. Nam quartum

Eiuſdem ingratitudo in de ſe benemeritum, & mors.

Conſtantinum multo ante amiſerat, & filiabus totidem, quas omnes ſacris initiatas, cœnobijs incluſit.

Leo Imperat.

Leo filius Baſilij, à ſtudijs Philoſophicis, quæ vehementer coluit & amplexus eſt, cognomentum obtinuit. Princeps fuit in Rep. moderanda diligens, & in vrbe cuſtodienda tuendoque ſemetipſo contra inſidias ſolicitus & ſolers. quod quidem & res exegit, cum & vrbs vndiquaque à vicinis Barbaris hoſtibus ex propinquo circumſideretur, qui imperio inhiabant, & ipſe multiplicibus inſidijs impeteretur. Proinde hoſtes tam externos, quam domeſticos omni qua potuit diligentia nunc circumuenit, nunc debellauit, nunc cum ijs pacem inſtituit. Bulgaros violata pace deficientes, ſuis, & ſocijs Turcorum armis repreſſit, etſi ſemel ab eorum Rege Simeone Laba ſimulatæ pacis conditionibus deluſus, & ex improuiſo circumuentus, haud exiguam cladem accepit, ſitque prima Turcorum mẽtio in hiſtoria huius Leonis. Cum Saracenis pariter conflixit, Marte ancipiti.

Anceps prælium inter Romanos & Saracenos.

Cæſare namque naualibus parandis intento, antequam claſſis eſſet parata, ipſi claſſe ſua, quam longe inſtructiſſimam habebant, Taurominium deprædantur, Siciliam deuaſtant, Lemnum occupant, inſularibus magna clade afflictis. Inde vicinas Cycladas perpetuis & improuiſis depopulationibus diuexant: quibus cũ claſſe Niceta ductore vario euentu dimicatum eſt. Inde aliquandiu quieuerunt ad Romani iunioris imperium vſque, de quo mox dicemus. Paucis ante annis quam hæc gererentur, in Oriente, Eſman Calyfa cum magna claſſe Euripi vrbem aggreſſus, nihil effecit, quin potius ipſe in oppugnatione lethali vulnere accepto, viuis ſubtractus eſt.

Eſman Calyfa in Euripi obſidione interficitur.

Et Cretenſium Saracenorum claſſis, dum Aegæi maris oram & inſulas populatur, in Romanam incidit: à qua multæ naues igni in cineres redactæ, multæ fractæ, & complures demerſæ ſunt. Quod periculum qui ex illis euaſerunt, cum magis irritati, Peloponneſum, & vicinas inſulas diuexarent, Byzantinæ claſſis præfectus, cum ad portum Cenchrearum applicuiſſet, ac hoſtiles naues circa Methonem, Pylon, & Patras crebro ſtationes habere didiciſſet, triremibus per Iſthmum Corinthiacum celeriter terra traductis, eos repente adoritur, ijſque improuiſa impreſſione perculſis, hoſtium naues partim cremat, partim cum ipſis viris demergit, duce quoque illorum Photio interempto.

Variæ Saracenorum incurſiones.

Verum ex Africa ſexaginta ingentes naues ad Romanas Prouincias deuaſtandas emiſſæ, Cephalenem, & Zacynthum vſque proceſſerunt, contra quos, Narſa Byzantinæ claſſis Nauarchus, miſſus eſt: ſed triremibus remigum fuga pene euacuatis, cum hoſte congredi non eſt auſus. Cum vero claſſiarios aliquot Saracenorum captiuorum, quos claſſiariorum more indutos, palis affigi iuſſit, ſupplicio terruiſſet, reliquis captis, profligarunt. Deinde in Siciliam tranſuecti, vrbes, quæ Saracenis parebant, vaſtarunt. Interea vero Meſembriaci Saraceni, nauibus aduecti, Phœniciæ, & Syriæ oram infeſtarunt. Et hæc quidem paulo ante geſta ſunt, quam Leone templis ædificandis (plurima enim condidiſſe, Annales referunt) occupato, Lemnum inſulam inuaderent ac expugnarent. Porro hic Imperator anno imperij decimo quinto in feſto Pentecoſtes ſub publicis ſacris ictu baculi grauiter læſus ex inſidijs, cum mentis alienatione ſanguinem vomuit, adeo vt pro ſemimortuo ſit è templo elatus. Aberat frater Alexander, qui in multorum ſuſpicionem venit, ab eo has paraſſe inſidias: ſed cum autor per indices non inueniretur, qui hoc facinus perpetrarat, diſſectis manibus ac pedibus, in ignem proiectus eſt.

Leonis mors.

At quarto, ſiue quinto, vt alijs placet, & viceſimo anno, tribuſque menſibus ſui imperij (tandiu enim regnaſſe ferunt) tranſactis, cæliaco morbo correptus, paulo poſt extinctus eſt. Vxores habuit quatuor, ex quarũ poſtrema filium ſuſcepit Conſtantinum, quem moriturus, cum imperij tutela fratri Alexandro commendauit.

Alexander Imperator.

Alexander Baſilij Macedonis filius, frater Leonis fuit, cuius mandato, imperij adminiſtrationẽ ſuſcepit, nihil prorſus regiũ habuit, ſed ſtudijs & moribus fratri longe diſſimillimus erat. Totus enim prouolutus ac demerſus in heluationes & libidines, curã imperij cõmiſit adulatoribus, præſtigiatoribus, & flagitiorũ ſocijs: cumq; nõ niſi à balneo prandiũ ſumeret, aliquando immoderate impletus, cum

conſcen-

conſcenderet equum,corpore vehementer extenſo, venam interius rupit,è qua largiſſimo ſanguine ſupra infraq; effuſo,animam ſimul euomuit, porci inſtar ingulatus ſua ingluuie,cum imperaſſet annum vnū,& menſem vnum , quo vaticinium fratris Leonis compleuit.

Eiuſdem mors. Conſtantinus Leonis filius.

Alexander moriturus,tutelam Conſtantini, qui Leonis fratris filius,& puer ſeptennis erat,cum imperio,matri,& quibuſdam nobilibus commendauit,conſtituto duce copiarum terreſtrium Phoca, claſſi vero præpoſito Romano Lacapeno,Armenio,viro ignobili & obſcuro. Sed male res Græcorum per id tempus adminiſtratæ ſunt effæminatorum,mulierum,& puerorum conſilio.Nam & appetitum eſt,& tentatum imperium à plurimis, & magnis cladibus affectum.Mox à morte Alexandri, ad illud aſpirauit Conſtantinus Ducas Andronici filius,quæ familia id tandem conſecuta eſt,ſed cito fuit oppreſſus.

Bulgari obſident Byzantium, & capiunt Adrianopolin.

Bulgari ſub eorum rege Simeone,quaternis expeditionibus vrbem Conſtantinopolim bis obſederunt.Hinc Adrianopolin ceperunt,& diripuerunt,ſed non diu retinuêre.In vltima expeditione,peruaſtata Thracia , in Macedoniam vſque penetrarunt.Cum autem præfatus Simeon,quietis ocijque impatiens, ac imperij proferendi cupidiſſimus, contra nationem , quæ Chabata dicebatur, bellum mouiſſet , ab ea tandem victus , in æditos montes ſeſe cum exercitu recepit , vbi paulo poſt,præ nimij doloris magnitudine atque anguſtia ſupremū diem expleuit.Huic ſucceſſit ex ſecunda eius vxore filius Petrus , qui inducias cum Romanorum Rege fecit,quod Bulgari maxima peſte premerentur , accipiens inſuper in vxorem neptem regis,filiam Chriſtophori maioris natu filij. Præfectus claſſis Romanus, cum, matre Conſtantini à gubernatione remota in monaſterium, Conſtantino filiam ſuam deſpondiſſet,hoc etiam excluſo,ſe, & filios Imperatores conſtituit,tenuit imperium annos viginti ſex.ſed tandem à filijs captus, & in exilium actus eſt.Filios rurſus Conſtantinus comprehenſos, totosq; in ordinem redegit,& ſol⁹ imperio potitus,id prudenter adminiſtrauit.

Cum Saracenis variâ fortuna dimicatur.

Saracenis namq; Romanorum regiones euaſtantibus, ac littoralia deprædantibus,ingentē claſſem perbelle inſtructam,eis obuiam miſit.Cæterum ob imperitiam præfecti, qui vix à ſuis cuſtoditus euaſiſſet,niſi quamprimum ſeſe in triremem recepiſſet, aliæ naues ſuppreſſæ ſunt,aliæ captæ.Longe meliori ſucceſſu à Barda Phoca in Oriente contra eundem hoſtem dimicatum eſt.Is enim,militari diſciplina edoctus, plæraſque aduerſariorum vrbes expugnauit,& vicina loca prædatus, cum maximis ſpolijs ſe,ac ſuum exercitum ditauit.

Plerique ex Turcis relicto Mahomete, Chriſtianæ fidei adhærent.

Hac tempeſtate Turci , qui & Vgri nominātur,Iſtrum incolentes,cum aſſiduis excurſionibus imperij limites depopularentur,eoſq; armis Imperator haud facile coercere poſſet, varijs muneribus placans, eo rendem perduxit,vt illorum duces,Buloſydes,& Gylas, cum magna multitudine ad Chriſtianā religionem ſeſe conuerterent. Quorum vterq; Conſtantinopolim venit;& patricia dignitate donatus,cum multis muneribus, accepto ſecū Hierotheo Antiſtite,à quo multi poſtea in puriori doctrina inſtituti ſunt, læti ad ſuos rediêre:atq; hi Duces & fidē & pacem ſeruarunt. Reliqua vero multitudo, paucis exceptis,denuo ad Mahumeti ſacra deficiens,iterū arma in Romanos corripuit,qui paulo poſt,& capti ſunt,& cruci affixi.

Conſtantinus à filio inficitur veneno,& paulo poſt extinguitur.

Inter hæc,Conſtantinus,qui etiam Porphyrogenitus dictus eſt , corripitur ingentibus totius corporis doloribus ex hauſtu infecti poculi,quod Romanus eius filius,regnandi cupiditate impulſus,ei cum cōiuge Theophania adornarat : his aliquantulum ſedatis,in montē Olympum ad Theodorū Cyzicum,virū pietate illuſtrē ac celebrē,precū cauſa,ſeceſſit, cum imperaſſet cū patre Leone, Alexandro patruo , & matre annos tredecim,cū Romano Lacapeno ſocero,qui vi regnū arripuerat,annos ſex & viginti, ſol⁹ quindecim.Ibi cum totū ſeſe Deo,cultuiq; diuino addixiſſet, & conſecraſſet , reliquū vitæ precibus,& lectionibus ac ſtudijs ſacris conſumpſit , imperij cura depoſita, nec metu inſidiarum ad imperium eſt reuerſus.

Romanus Iunior.

Romanus Iunior filius Conſtantini Leonis & Helenæ filiæ Romani Lacapeni Imperatoris,qui cum omni familia extinctus eſt,cum patrem veneno ſubmouiſſet,imperiū eo viuo poſſedit. Vir ignauiæ, ocio , vino,luxui,ac omnibus voluptatibus deditiſſimus, licet ingenio nō eſſet malo,ſed ſi id intenderet, acuto atq;

ſolerti. Ocio id corrupit, cum alieno arbitrio regeretur, ac ſubinde crudeliſſimus fieret. Impius in matrem Helenam, ac ſorores, quas regia eiecit, exutiſque imperialibus ornamentis, in cœnobium relegauit. Quæ ob dolorem, regio veſtitu ſpoliatæ, impudicitiȩ ſeſe dediderunt, & meretricium quæſtum amplexæ ſunt. Vnde mater ſummo luctu paulo poſt vitam finiuit, diris imprecationibus filium execrata. Filium primogenitum Baſilium Imperij corona inſigniuit, ac mox aliũ natum parris nomine Conſtantinum, vt aui ſui nomen referret, appellauit. Quẽadmodum autem domi ob illecebras & incontinẽtem vitam fuit impius; ita foris, ſuorum fortuna in hoſtes vſus, ſatis felix & fortunatus. Duo vero eadem tempeſtate ſunt orta bella, in Creta vnum à Saracenis: contra quos miſit Nicephorũ Phocam, qui ſeptem menſibus idoneo exercitu ſæpe manus cum ijſdem conſeruit, & machinis obſidionalibus vrbes expugnauit, ac tandem ipſorum Metropolim Candacen, capto Saracenorum duce, cui Curupes nomẽ erat, & altero quodam, qui poſt hunc, in alijs primatum gerebat, quem Anemans vocabant, ſubegit ac euertit. Et niſi reuocatus fuiſſet ab Imperatore Nicephorus, quod iam paſſim omnibus innotuit, & Saraceni omnes eſſent in inſula eiecti, & Creta fuiſſet Romanis conſeruata. Alterum vero bellum excitauit Chamedas Turcus, Chalepi dominus, contra quem Romanus Imperator, Leonem Phocam, Nicephori fratrem, cum potenti exercitu miſit. Qui cum Chameda totis viribus congreſſus, Barbarum adeo vicit, vt magna eius exercitus pars prœlio ceciderit, reliqua capta ſit, ipſo duce cum admodum paucis ægre elapſo. Quamobrem Leo Byzantium reuerſus, magnifica pompa exceptus fuit, & triumphali honore cohoneſtatus. Sed Chameda vires reparante, Nicephorus ex Creta rediens, Syriam petere iuſſus eſt; qui pugna cōmmiſſa, hoſtes illuſtri victoria ſuperauit, & Berrhœa vrbem, præter arcem, vaſtata, ingentibus diuitijs potitus eſt, captiſque pene innumeris, multos Chriſtianos vinctos liberauit. Imperator tandem libidinibus & crapulis extenuatus, atque, conſectus vitam finiuit, nec citra veneni ſuſpicionem, vt nonnullis placet, anno imperij decimo tertio. Vxorem habuit Theophaniam, ex qua duos liberos, Baſiliũ, & Conſtantinũ progenuit, ac filiam Theodorã, quam Ioannes Zimiſces Imperator poſt Nicephorũ, vxorem duxit. Sunt vero qui tradant, ipſum vxores duas habuiſſe, primã quidem Bertam, filiã Hugonis Regis Italiæ, qua mortua, patre viuo, alterã, de qua hic loquimur, duxiſſe. Addũt etiã, præter Theodorã, alterã filiam, Theophaniam nomine, ſuſtuliſſe, quæ deinde Ottoni II. Imperatori Occidentis nupſerit. Verum de his, vnicuiq; ſuum eſto iudicium.

Romanorũ proſperi ſucceſſus contra Saracenos.

Mors Romani Iunioris.

Romano Iuniore viuis exempto, cum eius duo filij, Baſilius & Conſtantinus, adhuc impuberes eſſent, de procerum conſenſu atque ſuffragio imperij gubernatio tranſlata eſt in Nicephorum cognomento Phocam, qui Cęſar renuntiatus, Theophaniam Romani viduam, matrimonio ſibi iunxit, & mox, domi rebus compoſitis, animum, vti erat militaris, & laudis gloriæque appetens, ad res bellicas adiecit. Proinde Saracenos, perpetuos Romani Imperij hoſtes, vno eodemque tempore, terra marique inuadere conſtituit. Primo itaque Manuelem patricium, Leonis nothum, in Siciliam cum valida claſſe contra Saracenos miſit: qui, ob imperitiam locis aſperis & anguſtis à Saracenis concluſus, cum omni exercitu ab illis cæſus eſt. Deinde Iohannem Zimiſcam, qui poſt, imperium eſt adeptus, in Ciliciam cum magnis copijs expediuit, iſque apud Adanam vrbem cum Saracenis congreſſus, inſigni victoria potitus eſt. Secundo imperij ſui anno, ipſemet in Ciliciam cum valida manu profectus, comitante eum vxore ſua cum liberis, quam apud Drizion Ciliciæ promontorium, reliquit, Anabarzam, Rhoſum, ſiue Roſam, & Adanam, eius prouinciæ vrbes, aliaque plura caſtella & arces, in ſuam poteſtatem redegit: poſt, in Cappadociam in hyberna regreſſus, veriſque initio rediens, & fratre Leone cum copiarum parte Tharſum miſſo, ipſe Mopſiheſtiam obſedit: quæ, cum mediam flumen Sarus diuidat, altera eius parte oppugnata, Saraceni, igne iniecto, in alteram ſe receperunt, qua & ipſa capta, omnes ad internecionem extincti ſunt. Tharſenſes, vbi à Cæſare feliciter pugnatum intellexêre, continuo ſeſe ipſi dediderunt: ac triduo poſt, claſſis Aegyptia Tharſenſibus auxilio

Nicephorus cognomento Phocas, Imperator.

Eiuſdem variæ expeditiones contra Saracenos. Clades.

Victoria.

Tharſenſiũ deditio.

anxilio miſſa,ad terram appellendi facultatem non habuit; eademque in reditu & ventorum procellis, & Romanorum triremium incurſionibus maxima ex parte deleta. Imperator Conſtantinopolim reuerſus,æneas Tharſi & Mopſiheſtiæ portas,exquiſitis artificijs,nouis ornamentis additis, arci ad Orientalem,& Occidentalem portam accommodauit: primitias, quaſi Deo ſuæ expeditionis attribuens,& Sophiæ delubro dedicans.

Cyprus redit in poteſtatem Romanorum.

Eſt & Cyprus à Saracenis detenta,per ipſum Romano imperio adiecta.Dein Syriam inuaſit, & vrbibus ad libanum & mare ſitis,partim expugnatis,partim vaſtatis,ad Antiochiam, quam flumen Orontes alluit, peruenit : ſed Antiochenis acrius reſiſtentibus, accedente etiam commeatus penuria, & ſolo imbribus inundato, caſtellum in Tauro monte, quem hodie vulgo Maurum vocant,ædificauit, Michaële Burze, quem patricia dignitate inſigniuit,& Tauri montis ducem nominauit,ibi relicto.Petrum vero quendam ex ſuis Eunuchis,virum fortem,conſtantem, & rei militaris gloria florentem,caſtrorum Præſidem deſignauit,vt locum exercitui daret ad hybernandum in Cilicia : Ipſo autem Byzantium reuerſo, Burzes crebris excurſionibus Antiochenos Saracenos infeſtabat,aſſidue de capienda vrbe, & laude ſibi comparanda cogitans, & turrim eiuſdem altitudinis clam menſus, paratis ſcalis illi paribus,nocte hyberna,tenebroſiſſima & niuoſa,tacite mœnibus vrbis ſuccedit: affixiſque ſcalis cum trecentis lectiſſimis viris, quos clam adduxerat, aſcendit: cuſtodes turris,& obuios quoſque cædit, ac ſtatim caſtrorum Magiſtro nunciat quid fiat,illumque ad opem ferendam accerſit. Interea, Antiocheni, vbi turrim occupatam eſſe cognouerunt, eo alacriter ad Romanos repellendos concurrunt. Magiſter autem caſtrorum,vt qui in mandatis ab Imperatore,ne Antiochiam inuaderet,quod vrbis eius captiuitatem, interitum Cæſaris conſecuturum vulgata fama erat,accepiſſet,ancipiti cura diſtractus: tamen, ne tot viri fortes perirent,nullo modo committendum ratus, cum omnibus copijs Antiochiam oppugnat, quo facto, ſtatim & manus, & animi Saracenorum conciderunt. Burzes vero cum ſuis,iam deſperata ſalute reuixit,& porta bipenni refracta, liberum ingreſſum caſtrorum Magiſtro præbuit; & ſic facile clariſſima vrbs in Romanorum poteſtatem venit.

Antiochia vt capiatur à Romanis.

Nicephorus interim,cum eſſet auaritia inexplebili,adeo vt nullas extorquendæ à ſubditis pecunias, & quæſtus conficiendi occaſiones prætermitteret,& fame etiam graſſante,inſultaret egentibus, frumenti pretio plus æquo adaucto, nec non prætextu bellorum ſubditos deglutiret ac expilaret;numiſmata inſuper vſitati ponderis parte attenuaret: in maximũ odium ciuium totiuſque vrbanæ multitudinis incurrit, cuius occaſione, à Iohanne Zimiſca,quem antea grauiſſime offenderat,adiuuantibus Michaële Burze, qui etiam ira exaſperatus erat in Regem,quod ab eo,poſt adeptam victoriam, dignitate ſpoliatus fuerat,Leone Amalante,Theodoro Nigro,& Zipodeodoro cũ duobus alijs intrepidis viris,ac præcipue Theophania Regis coniuge,quæ,liberis ſuis ex priore marito natis,metuens,cum intelligeret, ipſum,his præteritis, Leonem fratrẽ ſuum ſucceſſorem inſtituere decreuiſſe,Nicephorũ ſummo odio proſequi cœperat,intempeſta nocte in cubili quam crudeliſſime trucidatus eſt, anno imperij ſexto,ætatis quinquageſimo ſeptimo.

Nicephori interitus.

Nicephoro,vti iam diximus,obtruncato,Iohannes Zimiſca, vir militari laude inſignis,imperio potitus eſt.

Ioh. Zimiſca Imperat.

Hoc imperitante, Saraceni ægre ferentes tot locorum iacturam,in primis vero Antiochiæ,communibus omnium tum Orientis,tum Occidentis viribus vndique coeuntes, & fœdera de bello ſociali percutientes,hanc omnibus ſtudijs atque artibus recuperare annixi ſunt. Et quoniam Syriæ Caliſæ iam tenues erant vires, Aphricæ Calyfæ opem atque auxilium implorarunt.Quo impetrato,vniuerſi ad huius vrbis recuperationem arma atque animos conuerterunt. Imperator, hac gentium conſpiratione cognita, ſimulque de ciuium conſtantia in patriæ ſalute ac defenſione tuenda pleniſſime edoctus,Bardã Sclerum, Meſopotamiæ ducem, obſeſſis opem ferre iubet: à quo breui poſt, prœlio commiſſo, Saraceni,etſi numero longe Romanis ſuperiores, profligati ſunt.Hanc inſignem victoriã ſubſecuta eſt altera nõ minus clara atq; il-

Eiuſdem victoria aduerſus Saracen. & Roxolanos.

luſtris,quam paulo poſt,adeptus eſt aduerſus Roxolanos, quos,auxilijs Bulgarorum Thraciam deuaſtantium,vicit, fuſo ac diſſipato exercitu trecentorum millium,& Suendoslao,illorum duce,ad pacem petendam adacto; quem,pace impetrata,reuertentem, cum reliquijs Boſſini oppreſſerunt atque interfecerunt. Hoc bello Cæſar feliciter confecto,Byzantium repetijt, ibique honorificentiſſime exceptus. Porro Patriarcha cum omni clero, tum Senatus ac vniuerſus Populus occurrit,coronas offerentes, & quadrigam albis equis ducentes,rogabant, vt Imperator currum triumphalem conſcenderet, & triumphaturus vrbem ingrederetur. Sed ipſe albo equo vectus,paludamenta regia, quæ Bulgarorum Principibus detraxit,quadrigæ impoſuit,ſuptaque ea imaginem Virginis matris:ipſe currum præceſſit. Et cum in forum perueniſſet,Borizen Bulgarorum Regem inſignibus regijs exutum, Magiſterij honore decorauit. Trophæa in templo Conſtantinopolitano locauit. Nummos quoque cum Seruatoris imagine ac ſequenti inſcriptione percuſſit.quod & ſequentes Cæſares Græci imitati ſunt. Talis autem eſt ea inſcriptio: IESVS CHRISTVS REX REGVM. In Oriente interea,cum plurimæ vrbes in Aſia à Romanis deficerent, Imperator ſubito in eas expeditionem ſuſcepit,quatum alias vi,plæraſque ſpontanea deditione ad priſtinam fidem atque obſequium redegit. His rebus non minori celeritate,quam felicitate peractis, domumque reuerſus, cum hauſiſſet poculum lento veneno infectũ à quodam Baſilio eunucho ſuo cubiculario, cui ſe potentiã derogaturũ interminatus fuerat,lenta tabe abſumptus,& parricidij,& idololatriæ pœnas dedit. Manichæos etenim ex Aſia in Europã deductos, collocauerat in vrbe Philippopoli,cum imperaſſet annos ſex,menſes totidem.

Zimiſca Byzantium ouans ingreditur.

Eiuſdem obitus.

Defuncto Iohanne Zimiſce,imperium deuolutum eſt ad eos, qui iure hæreditario ſuccedebant,id eſt,ad Romani Iunioris liberos,Baſilium, qui iam viceſimum ætatis annum expleuerat,& Conſtantinum,qui ſeptimum & decimum attigerat. Vterque regijs inſignibus ornatus eſt.ſed omnis imperandi poteſtas Baſilio ceſſit.Hic à ciuilibus ac inteſtinis bellis gubernationem inchoauit. Nam Bardas Sclerus elatus fortuna ac ſucceſſibus ſub Zimiſce,& militari fauore ac ſtudio confiſus,magnam imperij partem,ſuæ ditionis fecerat. Cum hoc bis cõflixit terra marique infeliciter:tertio victum duce Phoca Barda, & omni exercitu exutum,coëgit fugere ad Choſroen Babylonium,à quo in cuſtodia detentus,præter ſpem elapſus eſt. Ea tempeſtate,Perſarum regno à Saracenis euaſtato,vir quidam Perſa,Inagros nomine,dictis Perſas demulcens, perſuadet,vt à ſeruitute Saracenorum deficiant,ſeque duce,arma in Saracenos ſumant. Sæpius autẽ Choſroes Perſis prœlio occurrit,ſemper tamen victus abijt. Quamobrem deſperatione, vt fit,à Romanis cuſtodia detentus;opem conſiliumque petit, ex carcere eos liberans.Sclerum in primis rogat,vt omnis offenſæ immemor, de belli ratione libere dicat quod ſentiat. Qui in primis bellum diſſuadet,cuius exitus ſemper anceps atque incertus eſt:Sed Babylonio inſtante. vtpote vindictæ cupido,tandem annuit, promittens, ſe ſolis cum Romanis bellum obiturum. Nam plus tribus millibus,ergaſtulis detinebantur, qui omnes educti & armati, Sclero duce prœlium cum Perſis, quibus eo tempore Muchumetus imperabat,inierunt,ac deuicerunt.Redeuntes,Choſroen,tanquam barbarum,declinarunt, vincula timentes, quæ prius experti fuerant, atque ideo ſeſe fugæ commiſerunt. Quos Choſroes magna hominum multitudine ſubſecutus,partim occidit, partim obruit,plæriſq; viriliter pugnantibus & occumbentibus:Sclerus autem, & qui cum eo erant,Romani imperij limites attigerunt,ipſeque poſtmodũ,deuicto in acie à Baſilio,Phoca Barda,in gratiam receptus fuit.Imperator, domeſticis bellis tandem feliciter compoſitis,ad externa vires atque animũ adiecit.Georgium fratrẽ Dauidis Curopalatæ,dominum interioris Iberiæ,carpentem limites imperij.pacem pecunia redimere coëgit, & eandem, dato obſide filio, ſancire,quem tandem,cum,non ſeruatis pactis,bellũ redintegraret, magna ſtrage deuictũ, profligauit.Saracenos etiã,qui Phœniciã,& vicinã illi Syriam depopulabãtur,domuit, & imperatis acceptiſq; obſidib9,Romanæ ditioni ſubeſſe cõpulit.Bulgaros,quib. tunc

Baſilius & Conſtantinus fratres.

Perſæ vincuntur à Choſroe Babylonio.

Baſilij victoria contra hoſtes.

tunc Samuel imperabat, non modo Thraciam & Macedoniam diuexantes, ſed & Græciam, atque ipſam Pe'oponneſum, flammis ſerroque haud mediocriter affligentes, duce Nicephoro Cæuo, ſiue Vrano, vt alij appellant, ingenti prœlio, ipſorum rege fuga elapſo, debellauit, nouoque crudelitatis exemplo, ad cæteros deterrendos, quindecim captiuorum millibus oculos eruit, in ſingulis centurijs relicto vno monoculo, qui ſocijs domum reuertentibus dux itineris eſſet. Tandem vniuerſam Bulgariã perdomuit, & ſuo imperio, regioni duce peculiari impoſito, ſubiecit, ſimulque gentes Chorbatorum, & qui Sirmium incolebant, ſub iugum miſit. In Italia ducibus Baſilio Sanio, & Conto Leone Cephalonio, contra Melen Barenſem res infeliciter geſſit. Poſtremo cum inſtrueret claſſem aduerſus Saracenos Siculos, & ipſe in Ciliciam cum nouo exercitu expeditionem præpararet, fatali morte præuentus, neutram abſoluit. Iam enim in extremam ſenectutem vergebat, & cum aſſiduis morbis conflictabatur. Quibus mox defecit, anno ætatis ſeptuageſimo ſecundo, cum regnaſſet annos quinquaginta duos.

Eiuſdem ſæuitia in Bulgaros.

Obitus.

Baſilio fratri mortuo Conſtantinus in Imperio ſucceſſit, ætate illo paulo minor, & gubernationis prorſus imperitus, vt qui viuo fratre, res imperij neque attigerat, neque curarat; ſed ſuis voluptatibus indulſerar, & iam tum ætate fractus, tum ocio, ignauia, luxu, ac libidinibus effeminatus languebat. Hoc imperante, Conſtantinus Diogenes, Syrmij & Bulgariæ Præſes, Boſſinos vltra Iſtrum reiectos, compeſcuit. Per idem ferme tempus, Aegypti Princeps Daber, qui fœdus cũ Romanis habebat, eo violato, Hieroſolymitanum templum, in quo Chriſti Seruatoris ſepulchrum eſt, & ſacra loca omnia diruit. Nam ſub illius imperio tunc erant Hieroſolyma. Et paulo poſt, claſſem contra Cycladas inſulas miſit: quam Sami Præſes, duodecim nauibus vna cum vectoribus captis, reliquis diſſipatis, deuicit. Contra eoſdem, in Sicilia, & Italia, quanquam bis reparato exercitu, nihil proſpere geſtum eſt, propter imperitiam & audaciam Oreſtis ducis. Ipſe Imperator, triduo, priuſquam obiret, Romanum Argitum, virum Senatorij ordinis, atq; illuſtri familia oriundum, ſibi, Zoe ſecunda filia in vxorẽ tradita, generum delegit, cumque imperij hæredem ac ſucceſſorem renuntiauit, & ſeptuagenario maior, poſtquam annos tres, vno menſe dempto, imperaſſet, in ſata conceſſit.

Conſtantinus frater Baſilij.

Eiuſdẽ improſpera expeditiones.

Mors.

Dum hæc ita fierent, Saracenorum imperium, cum quibus iam per quadringentos ferme annos, varia ſemper ſortuna Romani Imperatores cruentiſſima bella geſſerunt, adeo vt quamuis ingentes fuerint, ſtatim ab initio illorum vires, & Chriſtiana Reſp. tunc ſemper & inteſtinis ſeditionibus agitaretur, & Barbarorum creberrimas incurſiones perferret: necnon Byzantij vt plurimum eneruati molleſque Imperatores præeſſent, ſæpe tamen ingentibus illos cladibus affixerint. & modo Syriam, nunc Armeniam, interdum etiam Perſidis partem, aliaſque Prouincias recuperatint: ſemper autem Aſiam minorem, Mediam, Parthorumque regna, Bithiniam & Cappadociam, cum multis alijs prouincijs obtinuerint, ad finem excidiumque, vt omnium humanarum rerum viciſſitudo eſt, properare incipiebat, idque potiſſimum contigit Baſilio Porphyrogenito Byzantij imperante circa annum ſalutis noſtræ milleſimum, cum plures tyranni Saracenicum imperium inter ſe diuiſiſſent, & quatuor de ſummo Pontificatu ſemper contenderent, atrocibus bellis inter ſe dimicantes. Quo tandem factum eſt, vt in Oriente illorum potentia, Turcis præualentibus, paulatim conciderit, atque in nihilum redactum fuerit. In Hiſpania vero, & in Aphrica, vbi etiam longe lateque regnabant, propter eadem ciuilia bella, & mutuas diſſenſiones, illorum imperium ſenſim imminutum eſt, donec tandem penitus corruerit. Iis etenim inter ſe contẽdentibus, Chriſtianorum vires in Hiſpania quotidie magis atque magis adaugebantur, ita ſane, vt Mahometo Enaſir, Marroci Pontifice, prope Valentiã in Gottalania victo, & ſexaginta Saracenorũ millibus cæſis, anno ſalutis ſupra milleſimũ centeſimo & quinquageſimo, poſt, triginta annorũ ſpatio, Chriſtiani Valentiã, Deniam, Alicantẽ, Murciam, Cathaginem nouam, Cordubã, Hiſpalim, Iaem, & Vbedã recuperarint; & Saraceni ſolũ Granatę regnũ retinu-

Saracenici imperij declinatio propter domeſticas diſſenſiones.

erint,quo demum à Ferdinando,poſtremo Tarraconenſium rege,Caroli V. Cæſaris auo materno,exuti fuerunt. Et in Aphrica itidem eorundem vires ac potentia indies vehementius labefactata eſt,atque imperij illorum nomen prorſus extinctum. Verum enimuero,inter omnia domeſtica diſſidia & ſimultates dominandi cupiditate ac æmulatione inter ipſos Regulos, varijs temporibus exortas,nullæ ipſis fuêre vnquam pernicioſiores, nullæque ipſorum vires ac potentiam magis imminuerunt,ac tandem penitus attriuêre, quã poſtremæ quæ fuerunt exortæ inter Muchemetum Perſidis, Coraſmiorum, aliorumque populorum Principem,& Syriæ Calyſam,qui Bagaderi ſedem habebat, inter quos, grauiſſimum bellum,ſicuti proxime narrauimus,interceſſerat. In hoc autem,cum Babylonius Muchumetum, Scleri, & Romanorum captiuorum opera, ſuperaſſet;Muchumetus deinceps,adhuc Baſilio regnante,Turcarum auxilia accerſiuit,quorum ope,vt ſupra oſtendimus,iam ab aliquot annis Saraceni in bellis, vt qui religionem ipſorum,ritusque amplexi erant,ſtatim primis illis eruptionibus, quas in Saracenorum fines fecerunt, vti conſueuerant.

Babylonius Calyſa vincitur à Perſis.

Muchumetus,tribus millibus Turcorum, quibus præerat Tangrolipicus Mucaletus, impetratis,adiunctoque Perſico ſupplemento,Piſaſirium Babyloniæ Calyſam, Choſroe ſucceſſorem,inuadit;& commiſſo prœlio,Arabibus, Turcicarum ſagittarum vim non ferentibus,paruo negotio ſuperat;& ad ſuos victor reuerſus, iiſdem Turcis

Turcorum defectio à Perſis.

voluit etiam in pugna contra Indos, cum quibus pariter bellum gerebat, vti,& petentibus,vt domum ſibi redire liceret, atque vt præſidium ab Araxis fluminis ponte deduceretur,vim etiam minatus eſt. Turcis enim domum redeuntibus, Araxes fluuius,qui Perſarum regni finis eſt,traijciendus erat,iſque vnico tantum ponte tranſiri poterat. pons autem ille ab vtroque latere, turribus excitatis,ac prę́ſidijs impoſitis,communitus fuerat. Turci maiora pericula veriti,ab eo defecerunt,ſeque in Carbonitidem ſolitudinem ſubtraxêre,cum ipſi numero pauci,cum tam multis congredi non auderent,indeque crebris excurſionibus Saracenorum agros populabantur. Quod iniquiſſime ferens Muchumetus,ad triginta hominum millia contra eos mittit,decem nobiliſſimos notæque fortitudinis ac prudentiæ tribunos exercitui præficiens. Hi ad bellum profecti, intrare in deſertum,ob aquæ alimentorumque inopiam noluerunt; ſed proxime aditum ſolitudinis ſunt metati. Turcorum dux de aduentu Perſarum certior factus,re cum ſuis communicata,Saracenos & Perſas repente adoriri ſtatuit, biduoque magnis confectis itineribus,tertia nocte, eos ſecure in tentorijs agentes, nihilque ſuſpi-

Perſæ & Saraceni à Turcis profligantur.

cantes,inuadit,atque illico profligat. Ibi curribus,equis,pecuniaque plurima potitus,non iam,vt fugitiuus,latrocinia exercere,ſed palam exinde in aperto caſtra habere;ad quem vndique confluebant,qui ob maleficia ſupplicium metuebant, ſerui,atque alij rapto viuere aſſueti, adeo vt breui tempore eius copiæ vſque ad

Turcorum incrementa.

quinquaginta millia creuerint: At Muchumetus ob cladem acceptam iratus, decem illos duces luminibus orbat,& qui euaſerant milites,ſe eos muliebri veſte indutos, deuictis hoſtibus, in triumpho ducturum minatur, ipſe interim ſe ad

Perſæ deficiunt à Muchumeto.

bellum accingit. Qui antea victi à Turcis fuerant,minis perceptis, ad Tangrolipicen tranſeunt. Is tanta acceſſione auctus, cum omnibus ſuis copijs in Muchumetum progreditur,vt,collatis ſignis, iuſto prœlio rem decernat. Et Muchumetus,armatis Saracenis,Perſis,Arabibus,& Cebiris,circiter quingentorum millium exercitu coacto,ac centum turrigeris elephantis,hoſti apud locum, cui

Muchumetus interficitur in prælio

Aſpacham nomen eſt,occurrit. Ibi atroci conſerta pugna,multiſque vtrinque cadentibus,ipſe etiam Muchumetus, dum hinc inde incautius obequitat,ſuoſque verbis ad pugnam accendit,equo collapſo,ceruicem frangit, ac moritur,eo-

Tangrolipix Rex Perſarum.

que mortuo,exercitus cum Turcis conſpirat, ac omnium voluntate Tangrolipix Perſarum Rex declaratur,qui ſtatim ſuæ gẽti aditum in Perſidem aperit,quorum mox ingens multitudo ſe eo contulit,oppreſſiſq; Perſis,ac Saracenis, Perſiã

Turci expulſis Saracenis occupãt Perſiam.

occuparunt. Tangrolipicen,Sultanũ,id eſt,ſummũ Imperatorẽ, ſiue Regũ Regẽ appellant:is,omnes Magiſtratus,omneſque dignitates à Perſis in ſuos tranſtulit, & inter eos,indigenis prorſus conculcatis,vniuerſam Perſidem diuiſit, regnique ſui rebus præclare conſtitutis,in Piſaſirium Babyloniæ ducẽ,expeditionem fecit,

atque

atque illum pluribus prœliis vicit, ac interfecit, & ſic Babyloniis ſubactis, Cutlumum, fratris filium, cum exercitu contra Carbeſum Arabiæ Regem miſit, à quo ſuperatus Cutlumus, per legatos à Stephano patricio Mediæ, quæ hodie Baas Pracham vocatur, præfecto, per ipſius fines itineris faciendi facultatem petiit, quod non modo non impetrauit, verum etiam Stephanus armatus illi occurrit: qui multis ſuorum amiſſis, victus & captus eſt. Cutlumus autem ad Tangrolipicen reuerſus, Medicum bellum referens, eius regionis fertilitatem celebrat, eam expugnatu facilem eſſe aſſerens: ſed Tangrolipix, illi ob cladem acceptam ſummopere iratus, ipſe in Arabes proficiſcitur; Cutlumus metu, cum ſuis aufugit, & Paſare Choraſiniorum vrbe occupata, à Sultano deſciſcit. Verũ Sultanus, eo ad tempus, omiſſo, cum omnibus ſuis copiis contra Arabes perrexit; à quibus, ipſe quoque profligatus, domum rediens, maxima cum parte exercitus cum obſidet, cui Cutlumus loci munitione fretus, diu obſtitit. Et tamen interea, Tangrolipix, alterum nepotem, cognomine Surdum, cum viginti armatorũ millibus in Mediam ablegauit. Is, impetu in Prouinciam facto, & prœlio cum Romanis commiſſo, cum toto exercitu, pauciſſimis exceptis, cadit. Quo Sultanus cognito, vt iacturam illam ſarciret, Alimum Abraimum cum centum armatorum millibus in eam Prouinciam mittit: cuius præfectus, auxilijs ab Imperatore petitis, Lyparitam partis Iberiæ dynaſtam expectabat: nec prius ſibi cum Turcis dimicandũ cenſebat, quam Iberũm auxiliares copiæ aduentaſſent. Quãobrem Romanis intra munitiones ſe continentibus, Alimus, negata pugnandi copia, Arzeni vicum nullo muro circundatum, quẽ innumeri ditiſſimiq; mercatores incolebant, ſe primo impetu capturum ratus, inuaſit: ſed cũ incolæ aditus trabib. obſtruxiſſent, tela in hoſtes ex tectis conicientes, multos è medio ſuſtulerunt. Alimus, eo per ſex dies oppugnato, cum Arzenos fortiſſime ſe defendere, nec facile obſideri poſſe cerneret, ignem tectis iniecit; quo vndique ſæuiente, & incolis in fugam verſis, Turci vico potiti, multum auri, & aliarum opum, quas flamma non abſumpſerat, inuenerunt. Inde, cum Liparites Iberiæ copias iam adduxiſſet, contra Romanum exercitum properarunt, prœlioque ſub veſperam commiſſo, Turci fuſi fugatique ſunt, Romanis eos in multam noctem perſequentibus. Qua tamen in pugna, Liparites, qui alterum exercitus cornu ducebat, captus fuit, & ad Sultanum perductus: cuius redimendi gratia Imperator, magnam pecuniam, & munera miſit, fœdus cum eo petens. Sed Sultanus, omni pecunia & muneribus remiſſis, Liparitem gratis reſtituit; hortatur, ne in poſterum arma contra Turcos ſumeret, quin ipſe etiam legatum ad Imperatorem deſtinauit, ſummæ dignitatis virum, Seriphem appellatum: quæ dignitas ea apud illos eſt, vt Calyfa mortuo, Seriphes ſuccedat. Nam Turci ſtatim Mahometis ſectam amplexi, Calyfas, etſi regna illis profanamque poteſtatem in ſuo imperio ademiſſent, vt Sacerdotes & Pontifices in ſummo honore habuerunt.

Subicit Babylonios.

Idem contra Arabes, & Medos infeliciter pugnat.

Arzenum incenditur à Turcis, & diripitur.

Turcorum clades.

Is igitur Byzantium ingreſſus, cum ſuperbe ab Imperatore, vt tributum Sultano penderet, petiiſſet, re infecta, dimiſſus eſt. Qua re indignatus Sultanus, ipſe Romanos adortus eſt, cumque Comium, Iberiæ vrbem, propterea quod incolæ ſe, & res neceſſarias, caſtellis, quorum tunc in Iberia multa erant, & locis munitiſſimis mature incluſerant, nulla re memorabili geſta, progreſſus eſſet, Romanas copias Cæſareæ colligi audiens, in Mediam eſt regreſſus: vbi, cum omnia, non ſecus atque alibi, muris defendi videret, animum ad oppugnationem conuertit, ac primo Manizichiertem, vrbem in planicie ſitam, ac triplici muro cinctam, multiſque intus fontibus irriguam, in quam præterea, magnam commeatus copiam oppidani importarant, aggreditur, & vallo prope mœnia poſito, omnis generis machinis per triginta continuos dies oppugnat: tandemque rebus infectis, & plurimis ex ſuo exercitu deſideratis, inde caſtra deduxit, Abramium deinceps nepotem perſequens, quem Cutlumo conſobrino ſuo coniunctum, prœlio apud Paſarim vrbem victum, necauit.

Perſici Regis improſperi conatus in Media occupanda.

Abramius necatur à patruo.

Cæterum, antequam vlterius progrediar, præſentis argumenti ſeries omnino exigit, vt, cum deinceps Turcorum mentio creberrima futura ſit, de illorum

Turcorum origo,

origine aliquid ſummatim ac breuiter dicatur. Pomponius Mela in fine Geographiæ libri, cum Scythiæ populos, & qui Tanaidem paludem, ac Riphæos mõtes incolunt, deſcribit; Iuxta, inquit, Thuſſagetæ Turcæque vaſtas ſyluas occupant, aluntur que venando: Quod Plinius repetit lib. 6. cap. 7. Thuſſagetæ & Turcæ, à quibus hodie, qui late in Aſia imperitant, Turci orti exiſtimantur. Ptolemæus inter Sarmatas Aſiaticos ſupra Caſpias portas Tuſcos ponit, qui iidem videntur cum Turcis. Neoterici omnes hanc ſecuti opinionem, illinc prodiiſſe Turcos commemorant, anno humanæ redemptionis circiter ſeptingenteſimo quinquageſimo nono, & cum Auaribus populis, qui hodie Hungari dicuntur, multis diſſipatis, conflixiſſe, Pipino Caroli Magni patre apud Francos regnante. Quidam etiam aſſerunt, Turcos ex Caucaſiis portis egreſſos, primum finitimas gentes, & in iis Armenios inuaſiſſe: Inde minorem Aſiam ab iiſdem armis occupatam anno à mundi origine tertio & ſexageſimo, ſuper nongenteſimum ac quinquies milleſimum. Anno vero ſalutis octingenteſimo quadrageſimo quarto, cum Byzantii imperaret Conſtantinus V. Leonis III. filius, Stephano III. Romæ Pontificatum gerente. Sunt etiam qui affirment, Turcos, meliores ſedes ſibi poſtulaſſe, ac primum Alanos, mox Colchos, & Armenios, inde minoris Aſiæ populos, poſtremo Perſas & Saracenos viciſſe & oppreſſiſſe, atque hos fuiſſe Scythas, ex iis præſertim, quos Alexander Macedonum Rex, intra Hyperboreos montes ferreis repagulis clauſerit, quod videlicet gentem indomitam, in anguſtum illum tanquam in ergaſtulum incluſiſſet. Nonnulli, & linguam, & mores ſecuti, Scythas eos autumant, qui ex Tanaide profecti ſint, & Parthis late imperantibus, Perſarum, Medorum atque Aſſyriorum ditiones & regna inuaſerunt. Poſtquam vero in Aſiam progreſſi ſunt, fuëre, qui Parthorum progeniem exiſtimarent. Parthi enim & ipſi à Schythis orti. Alij nomen fortaſſis ſecuti, à Turce, Perſarum vrbe, & magna, & opulenta, eam gentem ortam crediderunt. Plæriq; etiã arbitrati ſunt, Turcos à Teucris deduci. Verũ enimuero, quæcunq; illis origo eſt, ex Scythia proculdubio eſt, &, vt quidã adiiciunt, ex Europæis Scythis, qui præ cæteris ad Orientẽ vergunt, ſedeſq; circa Tanaim habent, idq; certo conſtat, ipſos Turcos per Caucaſi anguſtias ex Septentrione in Aſiam irrupiſſe, ac primo parua manu prædonum inſtar, clandeſtinis quibuſdam excurſionibus atque inſultibus, ampliores vires ſibi vendicare conatos eſſe: confluenteque ſubinde, vt fit, huiuſcemodi generis hominum numero ac multitudine, quibuſdam montibus & clauſtris, ſibi admodum opportunis, vnde per occaſiones facile irruptiones fieri poſſent, occupatis, vſque adeo emerſerunt, atque animis ſublati ſunt, vt iam palam, & pari Marte aduerſum finitimos de agri poſſeſſione certare non vererentur, & in Perſas Medoſque proceſſerint. Denique progreſſu temporis, ſiue Græcorum negligentia, ſeu fatali quadam neceſſitate, atque humanarum rerum varietate & inconſtantia, ſiue cæleſtium Superũ, aliter iam de huiuſmodi imperio præſcribentium, decreto ac voluntate, ob Chriſtianorum ſcelera, hæc immaniſſima poſteris flagella diuinitus immiſſa ſunt, atque ita celeri ſucceſſere curſu, vt breuiſſimo temporis ſpatio, variis ducibus vſi, non modo Pontum & Cappadociam, verum etiam Galatiam, Bithyniam, Pamphyliam, Piſidiam, vtramque Phrygiam, Cilices, Cares, & Aſiam minorem, ad oras vſque Ioniæ, Græcique maris littora occuparint, ac ſui iuris fecerint, donec tandem ad eam imperii amplitudinem, quam deinceps adepti ſunt, peruenêre. Initio autem hæc gens adeo fuit obſcura fama, & nomine, vt eo bello, quod Heraclius Princeps aduerſus Choſroem Perſarum Regem geſſit, cum Hieroſolyma, quæ ſemper hactenus ſub Romano imperio fuerant, caperet, vix ſit eorum nomen à quoquam auditum. Inde gentis opibus circa Perſidem auctis, Saracenos ad eam deſperationem deduxêre, vt Mahomerica fide ab his recepta, eos in Perſide regnare paſſi fuerint, adeo ſane, vt neſcias, vtra Natio maiorem iacturam fecerit, ea ſcilicet, quæ tanto regno ceſſerit, an vero quæ hanc ſibi peſtem inculcari, æquo animo tulerit, regnandi cupiditate. Vnius itaque fidei vinculum ita vtroſque copulauit, vt Saraceni pro Turcis, & contra, Turci pro Saracenis indiſcreta appellatione aliquandiu vo-

diu vocati ſint. Nunc Turcorum nomen ita inualuit, vt alterum pene deletum ac extinctum eſſe videatur. Creuerunt inde plus nimio gentis opes ac potentia, innumeris populis, alijs poſt alios ſubactis, vſque ad Ottomani tempus, idque potiſſime ob mutuas Chriſtianorum ſimultates atque diſcordias. Et hæc in præſentia de Turcorum origine dictá ſufficiant. Cæterum de tempore neutiquam inter omnes ſatis conuenit. Aliqui Turcos Carmaniam inuaſiſſe, atque illam obtinuiſſe prodiderunt, cum Parthi, excuſſo Macedonum dominatu, Perſiã ſuo imperio adiecerunt. Nam, poſt Alexandri mortem, Macedonibus inter ſe dimicantibus, etſi poſteri Seleuci Babylonem aliquamdiu retinuerunt, nihilominus tamen non ita multo poſt, arma Parthica præualuerunt, duce Arſace, à quo, vt ante diximus, qui ſecuti ſunt reges, longo ordine vſque ad annum quartum Alexandri Mammeæ, qui fuit annus Chriſti ducenteſimus viceſimus octauus, à morte Alexandri quingenteſimus qninquageſimus, Arſacidæ nominati ſunt. Eo ſiquidem anno Artaxares, natione Perſa, Artabano, Parthorum Rege, qui Arſacidarum vltimus fuit, interfecto, Perſiam à Barbarorum dominio liberatam, in auitam gloriam & decus reſtituit. Huius Artaxaris poſteritas Perſicum imperium rexit vſque ad Heraclium Imperatorem, & initium Saracenicæ potentiæ, id eſt, ad annum Chriſti ſexcenteſimum triceſimum ſecundum, per annos continuos treeentos, viginti nouem, & cum Græcis Imperatoribus continenter bella geſſit. A penultimo Sirocho Heraclius, ex pacto, quæ imperio Conſtantinopolitano ſui maiores ademerant, recepit. Saraceni Orimaſdam Sirochi ſucceſſorem, prœlio victum, interemēre, cum potiti Syria, Cilicia, Cappadocia, Meſopotamia, & in mari, Cypro inſula, improuiſa irruptione regnum Perſicum obruerunt. In eo regno, prioribus legibus, & inſtitutis abolitis nouam prorſus politiæ formam condiderunt, regnique ſedem conſtituerunt Babylonem. Eam ſummo Principi Calyphæ tribuerunt, penes quem, ſumma & religionis & imperii poteſtas fuit. Calyphæ addiderunt Seriphen, qui, illo extincto, proxime ſucceſſit. Prouincias, inter Præfectos, quos nominauerunt Sultanos, ſicuti veteres Perſici Reges Regiones per Satrapas adminiſtrarunt, diſtribuēre. Hæc autem vox Calypha, dominum generalem ſonat: Seriphes, principem, cuius eſt certa definitaque poteſtas. Sultanus, præfectum. *Calypha. Seriphes. Sultanus.* Sultanorum fuit magnus numerus, qui Prouincias ex deſtinatis ſedibus rexêre, vt Damaſci, Antiochiæ, Iconii in Licaonia, Cæſareæ in Cappadocia, Edeſſæ, quæ hodie eſt Orpha in Meſopotamia, Sebaſtiæ, quæ hodie Suias dicitur, Tigranocertæ, quæ olim Sultania dicta fuit. Soli Armenij, Iberi, & Alani, quorum regnum vno nomine Cumaniam vocant, Saracenis primo impetu, ſtrenue ac fortiter depulſis, poſtea ſemper ſeſe aduerſus ipſorum vim atque arma, tutati ſunt; & liberam Chriſtianæ religionis profeſſionem inter tot hoſtiles incurſiones tamque crebras rerum viciſſitudines conſtanter retinuerunt. Sunt ergo haud incelebres ſcriptores, qui ſub hoc tempus irruptionis Saracenicæ in Perſiam, Turcos ab Orimaſda è Septentrione in auxilium excitos eſſe tradiderint. Alii è Carmania euocatos prodiderunt. vndecunque autem erupetint, dubium non eſt, quin ab initio contra Saracenos, Perſis ſubſidio venerint, cumque, Rege Orimaſda cæſo, regnum iam in ſuam poteſtatem deueniſſe comperiſſent, ſoli amœnitate ac fertilitate capti, ad mare Hircanum in terra Choraſenorum, quæ antiquitus Sogdiana fuit, vel Hircania, conſedere; ac tandem cum Calypha Babylonio initis conditionibus pacis, ita tranſegerunt, vt terram, in qua conſederant, poſſiderent & colerent, viciſſimq; accepta Mahometis religione, ipſi Calyphæ ſubiicerentur. His conditionibus cum Turci acquieuiſſent, rem pecuariam in loco vbere ac fertili, ſine peculiarib. Principibus ſub imperio Babylonico exercuerunt. Fuit autem imperium Aſiæ ac Perſiæ, penes Saracenos, annos centum nonaginta octo, quo quidem tempore, hi nihil admodum detrimenti vel ab heſternis hoſtibus, vel ab inteſtinis ſimultatib. atq; diſſidiis paſſi ſunt; ſed graues ipſi Imperatoribus Conſtãtinopolitanis clades intulerunt, quamdiu ſolus Calypha rerum potitus, eam gẽtem in officio ac metu continuit. *Saracenorum imperium quãdiu floruit.* Hanc tranquillitatem cum variæ inimicitiæ

atque diſcordiæ ex dominandi cupiditate & æmulatione inter Sultanos & Calypham exortæ plurimum turbaſſent, poſtmodum ſecuta eſt inclinatio illorum potentiæ, ac ruinæ. Cum enim Sultani inter ſeſe & cum ipſo Calypha dimicaſſent, tandem Perſidis, Sogdianæ, & Mediæ Sultanus, Mahomet nomine, viribus Calyphæ impar, Turcos, ſicuti antea teceni ſuimus, armauit, quorum opera cum viciſſet, quod pacta ſtipendia ſoluere recuſaret, mox ab illis, hac iniuria mirum in modum irritatis, victus, & regno exutus eſt. Ab eo tempore, quod potentia Saracenorum inteſtinis bellis eſſet attrita, Turcæ paulatim progredi, prædarique, & bello continenter incumbere cœperunt: donec ditati ſpoliis, deq; proſpero bellorum ſucceſſu indies maiora ſibi polliciti, in plurimis regionibus ad Pontum Euxinum, in vtraque Armenia, Cappadocia, Galatia, & Bithynia, ſibi peculiare regnum inchoarunt. Quanquam autem ab initio Calypham Babylonium non ſuſtulerunt, tamen illum regno Aſiæ, ac Perſidis exutum ac ſpoliatum, eo tandē adegerunt, vt eum, quem ſibi delegerant Principem, ſit coactus creare Imperatorem Aſiæ: quod factum eſt anno Chriſti milleſimo, quinquageſimo primo. Eo enim cœperunt in Aſia Turci dominari, Saracenis partim ciuilibus bellis, partim ab Imperatore Diogene Græco, vt mox dicetur, attenuatis & languefactis.

Cæterum, vt ad inchoatam orationis ſeriem reuertamur, poſt Baſilium Porphyrogenitum, & Conſtantinum fratres, cum Romanus Argyrus, ſiue, vt alij ſcribunt, Argyropylos, Zoen, Conſtantini filiam, vxorem duxiſſet, Cæſar creatus, mox ſocero in imperio ſucceſſit, iam ſexagenarius; Græcarum literarum, iuris ciuilis, Philoſophiæ, ac rerum plurimarum cognitione excellens, & natura moderatus; Princeps nobiliſſimus, & qui initio gubernationis multa in melius commutauit, omnibuſque ſeſe beneficium & iuſtum exhibuit. Sed poſt acceptam à Saracenis cladem ad Alepum Syriæ, moribus immutatis, facultates priuatorum immodeſtis & acerbiſſimis exactionibus exhauſit. Quo ſane factum eſt, vt in multorum odium incurreret, omniumque ferme ſubditorum ac Prouincialium beneuolentia excideret. Ea tempeſtate, cum Bulgaria ſub Romani Imperij obſequium redacta foret, cum Solis Saracenis bellum gerebatur. Hi enim, vrbes, quas Nicephotus, & Ioannes Zimiſca, in Syria cepetant, præſidiis cæſis, occuparant, & Chalepi Princeps perpetuis excurſionibus, populationibuſque ipſam Antiochiam, aliaſque finitimas Syriæ gentes, Romano imperio ſubiectas, infeſtabat: à quo, & Dux Antiochenus, Conſtantino adhuc ſuperſtite, turpiter victus, plæriſque ſuorum amiſſis, vix effugerat. Cui Romanus, ſucceſſore dato, ipſe quoque cum expedita militari manu ad bellum proficiſcitur; primoque ſtatuit, Calepi vrbem, nunc Berrœam dictam, & antiquitus Berytus vocatam, Metropolitanam Phœniciæ, & Auguſti coloniam, quæ à Plinio Fœlix Iulia nuncupatur, armis adoriti conſtituit. Eo itaque cum exercitu progreſſo, Chalepitæ legati multis cum muneribus in itinere Cæſari occurrunt, & ab eo ſuppliciter veniam petentes, annuum tributum, & beneuolentiam, quam hactenus nō præſtiterant, ſeque deinceps Romano imperio ſubditos fore pollicentur. Et quamuis multi ex ducibus & proceribus viris, eum ad pacem hortarentur, & conſulerent vt oblatas conditiones amplexus, ab ea expeditione recederet, tamen horum conſilio poſthabito, cum ſe facile hoſtes debellaturum, & magnam ſibi gloriam paraturum ſperaret, atque in animum induxiſſet, in Syriam omnino progredi voluit: cumque prope Chalepum caſtris communitis, finitima quæque popularetur ac euaſtaret, prædaſque abigeret, certam atque indubitatam ſibi victoriam pollicitus, Arabes, homines audaces, atque expediti, in celerrimis equis nudi, inſidiis vndique collocatis, ſi qui pabulatum, aut aquatum exibant, illos ſtatim, impetu facto, cædebant, aut capiebant. Quo plane factum eſt, vt & milites, & equi vehementiſſima ſiti deficerent, deinde huiuſmodi incurſionibus magis aſſuefacti, & Romanos ignauiæ accuſantes, ſubito ex montibus decurrere, & clamore ſublato, ſpeciem multitudinis ingerentes, omnem exercitum territum in fugam verterunt; ipſeque Imperator, cuius equus telo perfoſſus cecidit, à prætorianis militibus præ metu deſertus, ac timore pene exanimis, niſi quidam, eum in ſuum

Romanus Argyrus ſiue Argyropylus, Imperator.

Eiuſdem expeditiones aduerſus Saracenos.

ſuum equum ſublatum, ad celerem fugam cohortatus eſſet, haud dubie captus fuiſſet. Saraceni vero, fictam & ſimulatam fugam eſſe ſuſpicati, fugientes haudquaquam perſecuti: ſed caſtra ingreſſi, paucis illuſtribus viris captis, direptoque Imperatoris tentorio variarum opum, & regiæ magnificentiæ referto, reliquiſque impedimentis in equos impoſitis, receſſerunt. Cæſar vix ſaluus Antiochiam peruenit, atque illinc tandem Conſtantinopolim conceſſit. Cæterum fortuna, quæ Romano in hac terreſtri expeditione tantopere aduerſata eſt, & prorſus nouercam ſeſe illi exhibuit, hæc eadem, mox vultu immutato, in re nauali quam benigniſſime effulſit, & ſe illi matrem longe piiſſimam in duobus naualibus prœlijs oſtendit. In primo etenim, cum Aegyptia claſſis Cycladas inſulas, & littoralem Græciam deprędaretur, Græca, duce Nicephoro Caranteno, cum hac congreſſa, multas illorum naues incendio abſumpſit, & qui è pugna euaſerant, in mari Siculo tempeſtate perierunt. In altero, cum poſt exigui temporis intercapedinem ex Africa circiter mille naues egreſſæ, multas inſulas, & loca maritima popularentur, ab Romanis rritemibus, earum parte adempta, multiſque interfectis, quingenti captiui ad Imperatorem miſſi. Præterea Georgius Maniaces, vrbium quæ ad Euphratem fluuium ſitæ ſunt, prætor, Edeſſam, inſignem vrbem Euphratis, vi cepit ac expugnauit, in eaque epiſtolam ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti manu ſcriptam, (ſi modo vera ſint, quæ nonnulli memoriæ prodiderunt,) inuenit, eamq; Cæſari tranſmiſit. Narrant vero, hanc epiſtolam à Chriſto Ieſu priuſquam pateretur, Regi Abagato conſcriptam fuiſſe, & ex Syrorum lingua tranſlata, ab Euſebio, primo Eccl. hiſt. libro inſerta eſt. Romanus interim, poſt acceptam cladem in Syria, domum reuerſus, mirum in modum à ſua natura & moribus degenerauit, multaque indigna imperatore egit, quæ paſſim videre eſt apud probatos auctores, donec tandem morbo, vt quibuſdam placet, ex veneno ſibi ab vxore propinato, breui poſt, toto corpore intumeſceret: ſic affectus, cum in balneum ingrederetur, Michaelis Paphlagoni, qui cum Zoe conſueuerat, inſidiis, capite in dolium aqua plenum demerſus, & cum iam expiraturus eſſet, retractus, atque in lectulo collocatus, vitam finiit, poſtquam imperaſſet annos quinque, & menſes ſex. Hoc imperante, in Cappadocia, Armenia, & Paphlagonia, locuſtis pene omnem Orientem vaſtantibus, ingenti fame laboratum eſt, adeo vt quamplurimi mortales ob nimiam penuriam, deſertis penatibus propriiſque laribus, alio migrare coacti fuerint, eorumque complures Byzantiũ confugêre, quos quidem Romanus dicitur auri diſtributione ac beneficentia plurimum ſubleuaſſe.

Romani clades.

Eiuſdem victoriæ re nauali.

Edeſſa expugnata à Romanis.

Romani obitus.

Locuſtarũ ingens vis.

Romano Imperatore iam viuis ſubtracto, Zoæ reginæ nihil prius & antiquius fuit, quam vt Michael Paphlago ſtatim Cæſar deſignaretur. Huius ſiquidem caput, ſtola regia iniecta, diademate præcingit, eoque in regali ſede collocato, illique aſſidens, regem ſalutat, & omnibus itidem, qui aderant, iubet, vt eum pro Cæſare agnoſcerent, moxque Patriarcham Alexium accerſit in palatium & mortuum Romanũ nunciat, vtque hic protinus inauguretur, hortatur: & noctu nuptiales ceremoniæ peractæ ſunt. Hic, poſtquam regni habenas & gubernacula ſuſcepit, ſeſe admodum clementem, iuſtum & beneficum in imperio præbuit: hoſtibus vero magnanimum & formidabilem. Hoc regnante, Arabes Edeſſam obſedêrunt, quam proculdubio recuperaſſent, niſi Antiochiæ Dux Conſtantinus, Michaelis frater, obſeſſis mature opem tuliſſet. Cuius fidem ac diligentiam vt rex aliqua ex parte compenſaret, illi Orientalium legionum pręfecturam dedit: ſed parum abſuit, quin hæc ciuitas breui poſt, à Saracenis dolo caperetur. Nam duodecim illorum Principes, quingentos camelos Edeſſam adducentes, onis oneratos ciſtellis, quæ totidem armatos claudebant, ſimulantes ſe Imperatori munera ferre, qui, ſi intromiſſi eſſent, in animo habebant, noctu eductis armatis vrbem inuadere. Cum vero quidam Armenus mendicus, Arabicæ linguæ peritus, apud Arabes foris commorantes mendicaret, audiret, quendam è ſuis percunctantem, vbi eſſent? vrbem ingreſſus, Prætori inſidias aperuit. Is Arabum Principes in vrbe conuiuantes reliquit, & cum ſuis egreſſus, apertis ciſtis,

Michael Paphlago.

Edeſſa à Romanis defenditur.

Saracenorum ſtratagema patefactum.

omnes armatos interfecit. Mox in vrbem regreſſus, duces quoque trucidauit, vno tantum dimiſſo, cui ambas manus, naſum, & aures abſcidit, vt eam cladem nunciaret. Sic denuo Edeſſa eſt liberata. Per idem ferme tempus, cum duo fratres Saraceni Siciliæ imperantes, inter ſe diſſiderent, eorumque alter Cæſaris opem imploraſſet, Georgius Maniaces patricius, illi ſubſidio miſſus eſt. Qui, antequam in Siciliam traiiceret, ipſi in mutuam gratiam redeuntes, & Maniacem inſulæ aditu prohibere conati, Carthagine auxilia euocarunt: ſed commiſſo certamine, Romanus exercitus ſuperior fuit, magnaque cæde Saracenorum edita, primo tredecim vrbes vaſtauit; deinde paulatim progreſſus, vniuerſam Siciliam Romano imperio reſtituit.

Romanorũ inſignis victoria ductu Maniacis.

Hæc vbi primum Cairoani Aphricæ Calyphæ innotuerunt, ſuarum copiarum interitum ægerrime ferens, ipſe cum maiori exercitu in Siciliam adnauigat. Maniaces vero, caſtris contra eum poſitis, Stephano regis affini, claſſis præfecto, mandat, vt oram maritimam diligenter tueatur, ne Carthaginenſis victus, effugere queat: deinde prœlium committit, in quo multa Saracenorum millia perierunt: ſed illorum Princeps fuga elapſus, conſcenſa celoce domum rediit. Cæterum, hæc inſula breui poſt, iterum ad ipſos Saracenos deſciuit, præter Meſſanam vrbem, quæ ſola conſtanter perſtitit in Romanorum obedientia, idque potiſſimum fide ac ſtrenuitate ſui ducis, cui nomen Cecaumenus, qui non modo ipſam tutatus eſt, verum & aliquot hoſtium millia occidit.

Cecaumeni virtus & fides erga Romanos.

Paulo ante hoc bellum Siculum, ſub eiuſdem Principis dominatu, Amyr Aegyptius Romano imperio longe infenſiſſimus hoſtis, vita deceſſit, cuius vxor, cum Chriſtiana eſſet, filio perſuaſit, vt pacatis animis, ſublatiſque omnibus controuerſiis, cum Romanis pacem coleret, & cum ipſis ſocietatem ac fœdus percuteret. Hæc itaque vnà cum filio triginta annorum inducias cum Michaele pepigit, & templum, aliaque ſacra loca Hieroſolymis inſtaurari curauit.

Amyri Aegyptii obitus.

Fœdus inter Romanos & Saracenos.

Rebus cum hac gente compoſitis, ſupererant Bulgari, quos Cæſar iterum ab imperio deficientes, tandem victricibus armis compeſcuit, ac deinde Byzantium cum triumpho ingreſſus eſt, fauſtis omnium plauſibus & acclamationibus exceptus. Verum ipſe haud multo poſt, cum in varios morbos, quibus perſæpe laborare conſueuerat, tum poſtremo in hydropem incidiſſet, cumque hæc ingraueſceret, mole ventris augeſcente, parum ad res gerendas idoneus videretur, Michaelem Calaphatem, ſuum nepotem ex ſorore, imperij hæredem inſtituit, & mox in monaſterium ſeſe abdidit, cum in imperio ſeptem annos præfuiſſet.

Michael Paphlago Principatu ſe abdicat.

At Michael Calaphates vix menſes quatuor, & dies quinque rerum potitus, propter tyrannidem principatu eiectus eſt, ac etiam oculis priuatus, regni gubernatione tranſlata in Zoen, quam ipſe, omnis officii penitus immemor, inauditam, indictaque cauſa, palatio exegerat, & tonſis capillis, atque monaſtico habitu indutam, in inſulam quæ vocatur Principis, vna cum eius ſorore Theodora relegarat. Ipſe vero inglorius, ac miſer, luminibus orbarus, periit in exilio, quo ſane, dignior fuit, quam imperio.

Michael Calaphates ob tyrannidem imperio exuitur.

Interim, penes duas ſorores erant imperii faſces & maieſtas. ambæ æquali poteſtate præſidebant, cunctaque ab eis rerum gerendarum moles præferebatur. Cæterum Senatus, & exercitus auctoritas, erat longe maxima & ampliſſima. Satellitio eadem, quæ ſub Regibus, forma remanſit, quique primi conſilii, & qui vltimi erant, in ſuo ordine aderant. Iudiciorum inquiſitio, & publicarum cõtentionum exſolutio, ſenum interpellationes atque comitia, & reliqua ad imperium ſpectātia, ab ipſis fuêre adminiſtrata.

Romanum imperium penes Zoen & Theodoram.

Verum enimuero vix tribus menſibus exactis, opera ipſius Zoæ, quę illum ſibi maritum delegerat, Conſtantinus Monomachus, Cæſar renuntiatur, atque ita feminarum imperium in ipſo deſiit. His autem regnantibus, Georgius Maniaces, cuius antea meminimus, vir manu ſtrenuus atque animo & conſilio promptus, Longobardis auxiliantibus, atque ope Nortmannorum, qui recens in Italiam venerant, oppreſſis Saracenis, Siciliam recepit, anno Chriſti milleſimo quarto, quæ paulo poſt, iterum iniuſtitia & auaritia confœderatorũ animis abalienatis, amiſſa eſt. Conſtātinus ab exilio reductus, & ex priuato ad imperium, beneficio Imperatricis euectus, hac non diu poſt, quippe quæ ſexagenaria, extincta, ſolus rerum potitur, vir moribus quidem facilis, ſed

Conſtantinus Monomachus Imperator.

effeni-

effeminatus, & luxui ac libidini deditus: literatum ignarus, ſed tamen literatorum amans. Publicæ pecuniæ profuſiſſimus, cumque fiſco exhauſto, pecuniæ inopia gentibus etiam, quæ ſuis ſumptibus fines conrra vicinotum hoſtium irruptiones tutabantur, ideoque à publicis oneribus immunes eranr; tributa imperaret, factum eſt, vt Orientis imperium, & belli neruis & præſidiis ſpoliatum, vndique externis hoſtibus deinceps patuerit. Hoc ergo imperante, ſeſe paulatim extulit & dilatauit Turcorum potentia, qui, Saracenis in Perſide, & Babylone oppreſſis, magna celeritate in anteriorem Aſiam effuſi, ibidem, cum prætertim nemo eſſet, qui illorum conatibus obuiam iret, Græcorum vitibus arttitis, tegnum conſtiruerunt, quod ſane, quibus temporibus quave occaſione cœperit, ſupra expoſuimus.

Turcorum gentis incrementa.

Magnam Orientis partem Monomachus amiſit, cum nec pecuniæ, quas inconſultis largitionibus dilapidarat, ad bellum ſuppeterent, nec ipſe ex incontinenti luxuria & delicatiore viuendi ratione, articulari motbo eneruatus, rebus gerendis idoneus foret. Sub eodem, Nortmanni paulo ante, auaritia Georgij Maniacis, quo cum ſocia arma ad Saracenos in Sicilia debellandos, certis pactionibus coniunxerant, irritati, omnem Calabriam & Apuliam Græcis ademerunt, illinc etiam Saracenorum præſidiis exturbatis, & tandem anno Christi milleſimo nonageſimo, vniuerſa Sicilia potiti ſunt, quam inſulam, vna cum Apulia & Calabria Nortmanni ad annos centum triginta quinque tenuerunt.

Nortmanni Calabriã, Apuliam & Siciliam ſua ditionis faciunt.

Quæ autem bella, & domeſtica, & externa hic Imperator geſſerit, primo aduerſus præfatum Maniacem in Epiro, qui fretus copi s quas habebat inſtructas & exercitaras, ad imperium aſpirabat, quod quidem bellum, cuiuſdam Eunuchi ipſius Imperatoris cubicularij præfectura, ſecundo Marte, cum Maniaci interitu breui finitum eſt; quæ itidem cum Tornitio Leone ad Oreſtiadem, ſiue Adrianopolim, ob eandem cauſam, & contra Roxolanos, & Boſſinos, quiſve illorum exitus fuerit, enarrare ſuperſedeo, ne longius vltra inſtitutum ſermo euagetur. Interea temporis, Conſtantinus, annis duodecim, & menſibus octo in imperio exactis, cum prius propter incontinentiam, articulati morbo, vt diximus, atrociſſime torqueretur, accedente demum Pleuritide, extinctus eſt: At Senatus, priuſquam vita excederet, cum de ipſius ſalute iam actum videretur, nulluſque imperii certus hæres ac ſucceſſor deſignatus eſſet, Theodoræ coniugis ſorori Auguſtales faſces vltro detulit, ac Imperatricem declatauit.

Mors Conſtantini Monomachi.

Theodora Imperatrix.

Quæ maritum in imperij ſocietatem nullum adduxit. Sed ſola imperium abſque vllo externo ac domeſtico tumultu & ſeditione adminiſtrauit. Quanquam autem ætate effœta, corpore tamen non fuit inualida; ſed tandem Iliaco motbo correpta, cum vitam deſperatam eſſe ſentiret, ſuaſu procerum Michaeli Stratiotico patricio Byzantino, & admodum ſeni, imperium delegauit, cum, poſt Monomachum ſola quietiſſime annum vnum, & menſes nouem præfuiſſet. Hæc, & mulietum, & virorum imbellium imperia, Cæſaream dignitatem atque potentiam mirum in modum labefactatam & prope acciſam, adeo debilitarunt, vt ex eo tempore nũquam poſtea ſeſe recollegerit.

Michael Stratioticus.

Michael, vix annum in imperio tranſegetat, cum, illo adhuc ſuperſtite, in eius locum, Iſaacius Comnenus, Patriarchæ in primis ope, ac ſuffragijs Romani exercitus, cui iamdudum ipſe præfuerat, ſubſtituitur. Hic, accuſatus aliquando, quod tyrannidem artipuiſſet, Grauabar, inquit, conſeruo ſeruire, nec ſortiri decentia, ſeſeque id Reip. cauſſa feciſſe exclamauit, nihil iniuſti à ſe factum eſſe cauſatus.

Iſaacius Comnenus.

Imperio tamen potitus, ſuam felicitatem, non Deo, vt omnino debuerat, ſed ſibi acceptam retulit. Quod quidem publico numiſmate atteſtatus eſt, quo imaginem ſuam, ſtrictum gladium manu extenſa ferentem, cum hac inſcriptione fieri, iuſſit: MIHI HOC IMPERIVM PEPERI. Bellum geſſit cum Vngaris, & Boſſinis, quibus vtriſque pacem petentibus, inducias conceſſit, non exigua detrimenta à cæli & tempeſtatum inclementia perpeſſus. Extinctum ſcribunt, cum biennio ac tribus menſibus imperaſſet. alii r' uritide, ex corporis nimia commotione ſub cælo gelidiore obotta: & nonnulli epilepſia, vel inſtar hominis attoniti, cum inter venandum circa Neapolin,

Eiuſdem mors, & ingenium.

aprum aſpectu horrendum perſecutus, quem ſpectrum fuiſſe conſentaneum eſt, & hoc in mari demerſo, ipſe ſubito fulgure tetritus, ex æquo præceps decidiſſet. Vir ſtrenuus alioquin, licet moribus arrogans & immitis, bello paceque infractus, in negociis vero celer & expeditus; atque in bellicis rebus, præſtantiſſimus Literis ac liberalibus diſciplinis, tametſi non vſque adeo deditus eſſet, in eas tamen, earumque ſtudioſos quam optime affectus. In Venere temperatus, ſummæque continentiæ.

Conſtantinus Ducas.

Conſtantinus Ducas, Iſaacio ſucceſſit, quem ipſe ante obitum nominarat Imperatorem, vir à iuſtitia & pietate non parum commendatus. Cæterum ingenio tardus & hebes, atque incredibili corradendæ pecuniæ ſtudio, & negligens in imperij defenſione contra Turcos, qui ab Oriente vlterius progreſſi, ad littus contra vrbem Conſtantinopolim vſque acceſſerunt. Vzi itidem, gens Scythica, ex Patzinacis, aliis Scythicis gentibus, & generis præſtantia, & militari multitudine ac robore inſignior, per idem tempus Macedoniam, & Græciam depopulati ſunt, qui omnino grauiora damna & clades intuliſſent, niſi plurimis peſte abſumptis, reliquias domum reductas, cum magna præda Bulgari internecione deleuiſſent. Hanc nouorum hoſtium inopinatam irruptionem, & Turcorum progreſſum, anteceſſit Maio menſe Cometa qui poſt ſolis occaſum plenæ lunæ fulgore effulſit. Erat prius & in luna ingens magnitudo, poſtea, Cometes vt factus eſt minor, decreuit, quantumque per comas creſcebat, tantum deficiebat magnitudine. In Orientem radios protendnes, quadraginta diebus apparuit, & paulatim deflagrauit. Secutus poſtea viceſima tertia die Septembris terræmotus valde horribilis, qui Conſtantinopoli, Cizici, Niceæ, & alibi plurima templa ac ædificia ſubuertit, & in Cizico, præter cæteras domos, Græcum templum, opus pulcherrimum, & admiratione digniſſimum, corruit, ac funditus euerſum eſt.

Turcorum & Vzorum incurſiones.

Cometa.

Ingens terræmotus.

Supra enarrauimus, Cutlumum, Tangrolipieis, Perſarum Regis nepotem, ab eo defeciſſe. Hic poſt Abramium alterum nepotem, & huius conſobrinum, prœlio apud Perſarim vrbem victum, & necatum, cum ſex millibus, & Melecho Abramij filio fugiens, per legatos ab hoc Imperatore ſe in fidem ſocietatemque recipi poſtulauit, reſponſum in Perſamenia ad Charſe vrbem expectans: quem mox inſecutus Sultanus, cum copijs in Iberiam contendit. Cutlumus vero in felicem Arabiam confugit. Sultanus in Iberia obuia quæque populatur, & vaſtat; ſed Michaelem cum copijs contra ſe venire ſentiens, & turpe ſibi cũ Imperatoris miniſtro congredi exiſtimans, in ſuos fines ſe recepit: quidam vero ex eius ducibus, Samuchus nomine, obſcuris parentibus ortus, at bello egregius, cum tribus millibus remanens, atque hinc inde per plana maioris Armeniæ loca vagatus, repentinis & crebris incurſionibus Romani imperij fines grauiſſime infeſtabat. Interim Conſtantinus diutino morbo extenuatus, deceſſit, ſexagenario maior, cum regnaſſet annos ſeptem cum dimidio. Commendauit autem imperium Eudociæ coniugi, iuramento obſtrictæ, ne id cuipiam concederet, niſi natis ex ipſo filijs, Michaeli, Andronico, & Conſtantino. Fratrem Iohannem, Cæſarem nominauit. Cuius filius Andronicus poſtea patrueles in imperio recuperando adiuuit. Cæterum Eudoxia, ſuſcepta adminiſtratione, cum ingruentem vndique vim hoſtium pertimeſceret, & lacero ac ruenti imperio, ſtrenuo propugnatore opus eſſe animaduerteret, ſpreto iuramento, quo, marito viduitatem ſpoponderat, ſex poſt obitum prioris menſibus, & aliquot diebus elapſis, Romanum Diogenem ex illuſtri familia oriundum, & bellica virtute florentem, ſibi in matrimonio copulauit. Fuiſſet profecto Reſpubl. non incommode à muliebri prudentia tractata, ſi ab externis pax affuiſſet: ſed Barbarorum motus effecit, vt iuramenti oblita Imperatrix, vel potius eo, publici emolumenti ac vtilitatis gratia, neglecto & poſthabito, hunc virum, eximijs animi corporiſque dotibus inſignem, ſibi in matrimonio, vt diximus, coniungeret. Siquidem ea tempeſtate Romani imperii hoſtes, qui erant in Oriente, quãdoque in Meſopotamiam irrumpere, aliquando Iconium vſque progreſſi, Cappadociam, quandoque

Conſtantini obitus.

Eudoxia Imperatrix.

doque Ciliciam,& modo alias Prouincias Romanis ſubiectas, variis excurſionibus infeſtare.

Romanus Diogenes.

Inter hæc, Romanus Diogenes propter connubium Eudociæ imperio potitus, quod Turcis, priorum Cæſarum ignauia animatis, proſperoque ſucceſſu in ſpem occupandæ Aſiæ erectis, ac longe lateque graſſantibus, nemine prohibente, mature occurrendum cenſeret, mox contra datam fidem, excluſa Eudocia, ſuo conſilio & arbitrio cuncta regere & adminiſtrare incepit. Tangrolipice, cuius ſupra mentionem fecimus, vita defuncto, ſumma rerum apud Turcos tunc erat penes Axanem. Hic ſedem habebat in Perſia,& per Sultanos cum cæteras Prouincias gubernabat, tum finibus prolatis, regnum proferre atque ampliare ſummis viribus annitebatur. Hic denuo cum validiſſimis copiis Romanæ ditionis limites ingreſſus eſt. At Diogene cum exercitu contra ipſum expeditionem ſuſcipiente, retroceſſit, ſuoque agmine in duas partes diſtributo, alteram partem Saracenorum in Auſtralem Aſiam, alteram vero in Aquilonarem deſtinauit: qui obuia quæque populati, & Neocæſarea ſubita incurſione vaſtata, ingenti præda onuſti, illinc recedebant. Sed Auguſtus hoc audito, expeditionibus militibus aſſumptis, per loca inuia & montoſa, vt hoſtes anteuerteret, iter faciens, eos repente adortus, ita exterruit, vt ſtatim arrepta fuga, & prædam, & impedimenta reliquerint. nec tamen, quia Romani longo itinere fatigati, eos vlterius perſequi non potuerunt, magna illorum ſtrages fuit ædita: ſed plurimi ex captiuis in priſtinam libertatem reſtituti fuerunt. Inde Syriæ iter ingreſſus, phalange vna Melitenam miſſa, Chalepo magnam & hominum & animantium prædam abduxit, ac Hierapolim Syriæ deditione cepit. Dein, cum Turci Romanorum copiarum partem ſuperaſſent, Imperator, qui Hierapoli erat, hoc nuncio accepto, confeſtim ad opem victis ferendam accurrit. Chalepi vero præfectus, Romanorum clade audita, cum ſuis ad Turcas deſciuit. cumq; aduerſarii Romana caſtra corona cinxiſſent, Cæſar, prœlio eis non denunciato, exercitum eduxit; & nullo tubarum ſonitu, aliove manifeſto ſigno dato, hoſtes aggreſſus, illos in fugã coniecit. Quibus peractis, Hierapoli arcem condidit, & plæriſque aliis oppidis captis, Alexandriam, Ciliciæ vrbem, perrexit: exercituque in hyberna, vbi nulla commeatus inopia premeretur, ducto, Byzantium reuerſus eſt. Sub veris autem initium, Diogenes altera expeditione ſuſcepta, cum Cæſaream veniſſet, cognito, magnam Turcorum multitudinem, eam prouinciam incurſare, illis aut cæſis, aut captis, ad Euphratem contendit: ibique parte vna exercitus Philareto duce relicta, ipſe ad Septentrionem declinauit. Turci autem, Philareti militibus territis, omnibus eorum impedimentis potiuntur, & in Cappadociam progreſſi, omnibus agris deuaſtatis, Iconium, ſiue Lycaonium, vrbem tunc temporis florentiſſimam, petiêre. Qua quidem re Imperator Sebaſtię comperta, prorinus eodem contendit. Verum, vbi illa vrbe euerſa, hoſtes ſuo aduentu diſceſſiſſe audiuit, Cathagurio, Antiochiæ duci, Romanarum legionum partem tradidit, eique mandauit, vt ad Mopſiheſtiam veniret; & Turcos illac tranſituros aggrederetur Qui, cum in Tharſi planiciem veniſſent, ab Armenis omni fere præda ſpoliati ſunt, & magna ex parte contrucidati, quique ſuperſtites remanſerant, Romanorum ad Mopſiheſtiam inſidiis cognitis, diffugerunt. Vere ineunte, Turci denuo Romanas Prouincias diuexantes, à Michaele Comneno Cæſaris legato deuicti ſunt, & paulo poſt, ipſe propter nonnullorum procerum, vt fama eſt, inuidiam, ab Imperatore cum minoribus copiis in Syriam miſſus, à Turcis ſuperatus & comprehenſus fuit. Quocirca ipſemet Auguſtus in Orientales Prouincias cum exercitu progreſſus, cum ad Theodoſiopolin, vulgo Ctiapegam, caſtra haberet, prœlio cum hoſtibus congreſſus, & Scythis, quos in caſtris habebat, ad Turcos deficientibus, fortiſſime pugnans, equo ex lethali vulnere collapſo, captus fuit, & ad Sultanum perductus; qui, vt erat iuſtiſſimus, & ſumma animi moderatione præditus, vbi Imperatorem eſſe certo cognouit, (neque enim prius credidit, quam & legati, ad eum miſſi, eum eſſe teſtati ſunt, & Græci duces, quos in vinculis habebat, coram illo perducti, ad eius pedes prouoluti cecide-

Romanus feliciter pugnat contra hoſtes.

Idem Hierapolim occupat.

Noua Romani expeditio contra Turcos.

Turcorum clades.

Diogenes capitur in prælio & perductus ad Sultanũ, ſtatim liber dimittitur,

Exemplum ſingularis clementiæ ac moderationis in victoria.

rant) ptius tamen de more, vt victum, ante ſuos pedes proſtratum, erexit: atque vt fratrem amplexus eſt, & mox huiuſmodi verbis ſolatus: Noli mœrere Imperator: hæc enim eſt rerum humanarum viciſſitudo, vt belli fortuna, modo hos, modo illos deprimat, alios vero extollat: tu, multa bella præclare geſſiſti; ſemper tua virtus, & fortitudo celebrabitur, modo te in aduerſis non minus fortem atque conſtantem præbeas, quam in ſecundis prudentem hactenus præſtiſti. A me tamen, non vt captiuus, ſed vt Imperator tractaberis: ſtatimque ei ornatiſſimum tentorium, & miniſtros ac reliqua omnia, quæ Imperatorem decent, tribui iuſſit, & menſæ adhibitum, iuxta ſe collocat, captiuis quotquot peteret, perbenigne redditis: & ſic per dies aliquot cum eo familiariter verſatus, & collocutus, pace perpetua ſancita, promiſſaque affinitate inter liberos ipſorum contrahenda, Diogenem cum egregio comitatu, & honore, Barbarica etiam veſte ornatum, à ſe dimiſit. Cum vero ipſe apud Eudociam coniugem, & liberos ex priore marito natos, in odio eſſet, Byzantini proceres huic abſenti imperium abrogarant, atque illud Michaeli natu maximo, Conſtantini Duci filio, tradiderat, qui Diogeni reduci, præter iuriſiurandi fidem capto, oculos eruit, ex qua re, cum vulneris curatio negligeretur, toto capite intumeſcente, & verminante, in inſula Praten, vbi relegatus fuerat, in qua ipſe antea delubrum in editiori loco exexerat, tragico exitu vitam terminauit, poſt annum tertium & menſem octauum imperii: quem Imperatrix Eudoxia ſplendidiſſime ſepeliri iuſſit. Tradunt Annales, ſub hoc Imperatore Nortmannos, quorum ſupra meminimus, duce Roberto Guiſcardo, Apuliam, atque Calabriam occupaſſe. Et cum Cyriacus dux exercitus, qui ſummæ rerum præerat, à Cæſare miſſus, fruſtra pertinacibus Normanorum armis reſtitiſſet, Græcos illinc pulſos & oppugnatos, vtramque prouinciam deſeruiſſe.

Romani Diogenis calamitoſus exitus.

Nortmanni Græcis Imp. adimunt Siciliam, &c.

Michael cognomento Parapinacius.

Monſtrum.

Capto à Turcis Romano Diogene, imperium, odio illius obtinuit priuignus Michael, cui ingens fames quæ ſub eo graſſara eſt, à Pinacio medimni quadrante, cognomentum Parapinacij attulit. Anteceſſit hanc famem natiuitas monſtri, quod pedes habuit caprinos, & in media fronte vnum oculum. Secuta eſt mox dira lues, qua plærique mortales è medio ſublati ſunt. Michael, etſi in liberalibus artibus ac diſciplinis optime profecerat, opera Michaelis Pſelli, celeberrimi ea tempeſtate Philoſophi, cuius adhuc Arithmetica circumferuntur, tamen imperio non fuit idoneus, quod quidem, eo regnante, à diuerſis partibus atrociſſime diuexatum eſt, & in Oriente quidem, maxima eius facta eſt auulſio & iactura. Sultanus ſiquidem, vbi primum accepit quæ Byzantij aduerſus Diogenem geſta fuerant, maximo dolore affectus, ac mirum in modum indignatus, eueſtigio ſuas copias in Romanorum Prouincias, non iam prædarum, ſed ad eas ſubigendas expediuit. Contra quem, Michael Imperator, Iſaacium Comnenum cum exercitu miſit, qui à Turcis victus, & captus, magna ſe pecunia redemit: Sed Cutlumo, quem ſupra oſtendimus, Tangrolipicis nepotem fuiſſe, arma contra Axanem nouum Sultanum, vt ipſe imperium occuparet, parante, Babylonius Calyfa, cuius etiam apud Turcos, vt qui à Mahometo genus, atque originem trahere putaretur, ſumma erat auctoritas, nihil ſectæ ſuæ perniciosius animaduertens, quam ſi eadem bella ciuilia, & inteſtinas ſimultates, quæ Saracenicum, ipſorumque Calyfarum imperium euerterant, iam inter nouos Saracenos, hoc eſt, Turcas quoque orirentur, quamuis loco ſuo excedere, & in publico verſari non ſoleret, ad eos, qui de regno contendebant, pergit, eiſque perſuadet, vt, omiſſo bello, Axan, quem Caſſanum quidam vocant, principatum ſuum, integrum teneat, cognatoque omni ope præſto ſit, vt Romanis prouinciis ſubactis, imperet; qui breui, Media, & totius Orientis locis ſubactis, inſulas quoque inuaſit, Zachabum quendam obſcuro genere natum mittens, qui Chio inſula cum paucis nauibus repente occupata, claſſeque ibi comparata, Lesbum, Samum, Rhodum, Cretam, & Cyprum expugnauit, quæ tamen paulo poſt, rurſus in imperij Romani poteſtatem redierunt. Damaſcum vero, & reliqua Syriæ loca ei propinqua, Axan Perſarum Sultanus, cuidam nepoti ſuo, Du-

Sultani expeditio aduerſus Romanos.

Turcorum proſperi ſucceſſus.

cat ap-

tat appellato, tradiderat, vt, quemadmodum ille alter cum Romanis bella gerebat, ſic iſte cum Aegyptiis faceret. Nam Aegyptius Calyfa, Laodicæam vſque omnia poſſidebat, & Alapiam, ſiue Calepum, Eunucho illi, cuius ſuperius mentionem fecimus, tradidit, ſed ita, vt hi, beneficiarij eſſent ſui. Cutlumus vero, Sultanus & ipſe, ſed Samuch Sangni filius, per multis bellis feliciter geſtis, Damaſci quoque regnum occupauit, eique ſucceſſit filius Norandinus, qui multa cum Hieroſolymitanis Regibus bella geſſit. Verum enimuero, vt ad res Byzantinas reuertar, Romanum imperium, præter externos aduerſarios, vndique mutuis ac domeſticis diſſenſionibus impetebatur, & in primis à Naſtore limitum ad Iſtrum præfecto. Cumque hic, deſperato imperio, ad Boſſinos tranſiſſet, Nicephorus Botoniates, Turcos in Aſiam duce Cutlumo attraxit, & Nicephorus Briennius Dyrrhachij dux, eoſdem in Europam adduxit. Sed Briennio profligato à Ruſelio Latino, cum Botoniatæ potentia Turcicis auxiliis fulta inualuiſſet, Michael, imperio, quod conſeruare non poterat, ſponte abdicato, vel potius relinquere coacto, Monaſticum habitum induit, & in ſolitudinem cum Maria Alana coniuge, & filio Conſtantino, iamdudum Auguſtali honore ac titulo inſignitum, ſeceſſit, poſt annum imperii ſextum & dimidium. Hoc regnante, regiones Aſiæ verſus Pontum omnes Turcis ceſſerunt, ibique conſtitutum eſt regnum, vocatũ Turcomanniæ regnum, quod quidem etiam his temporibus idem nomen retinet.

Turcomanniæ regnum

Nicephorus Botoniates.

Nicephorus, Botoniates cognomento, nobiliſſimus, quippe qui à Nicephoro Phoca Imperatore ſtemma deduxerat, cum & ignauia Michaelem ciuibus quam maxime exoſum reddidiſſet, & ipſe Turcicorum armorum fœdere ac ſocietate, eundem perterruiſſet, imperium ſibi aſſeruit, quod etſi confirmarit cæde Briennij Baſiliaci, qui idem affectabat, & reducto in ordinem Conſtantino, prioris Auguſti Conſtantini Ducę filio, quem ad Chryſopolim exercitus contra Turcos miſſus, Cæſarem nominarat, tamen conſpiratione Comnenorum fratrum violenter oppreſſus, cœnobium, imperio relicto, ingredi coactus eſt, tertio anno ſui Principatus, cum pœna talionis luiſſet iniuriam, ſuo prædeceſſori illatam.

Alexius Comnenus.

Amoto Nicephoro Botoniata, Alexius Comnenus Imperator ſalutatur, Iſacio maiori natu fratri prælatus, ſiue quod illi, ceu ad res bellicas propenſiori, milites magis fauerent, ſiue quod ſtudio ampliſque pollicitationibus ab eo, eiuſque fautoribus iam eſſent ſubornati. Vt vero inter ipſos fratres qui erant numero quatuor, nempe ipſe Alexius, Iſaacius, Adrianus, & Nicephorus, maior pax & beneuolentia coaleſceret, de procerum conſenſu inter ſeſe imperium partiti ſunt, ea lege, vt Alexius titulum imperij vſurparet, ac Cæſaream poteſtatem exerceret. Iſaacius, nouo ipſi nomine impoſito, Sebaſtocrator, quod ipſius Auguſti nomen ſuperaret, tertius Protoſebaſtes, & natu minimus, Sebaſtes diceretur. Inter ipſius quoque affines, qui horum ſorores duxerant, Michaelem Taronitem, & Meliſſetinm, aliqua rerum diſtributio facta eſt; adeo ſane, vt hac partitione reditibus Imperij quodammodo laceratis, non ſufficerent defenſioni limitum à vicinorum hoſtium incurſionibus. Quo factum eſt, vt Alexius ad rapinas & immodicas exactiones conuerſus, ſubditos mirum in modum expilaret; cumque, præter morem ſuorum prædeceſſorum, adulterato numiſmate, pro aureo & argenteo, æreum, ſiue æneum ſignaret, quo in expenſas Imperii vteretur, tributa in auro puriſſimo dependi voluit. Ingenio fuit verſuto, vaſro, ſuſpicaci, & rapaci, belloque infelix. A Nortmannis ad Epidamnum victus, fugatuſque, inſignem cladem accepit. In mari, eas inſulas, quas paulo ante nominauimus, amiſit, licet Cretam & Cyprum haud multo poſt, receperit. Bello petitus à Boſſinis, & victus, ſocietatem ac fœdus cum eis pepigit, pacem mercatus parte ſuæ ditionis, ad Moglenem, quam eis incolendam attribuit.

Infortunatus in prælio.

HISTORIAE RERVM PERSICARVM

Liber Octauus.

Chriſtianorum expeditio Hieroſolymitana.

ALEXIO Comneno, adhuc in Orientali imperio rerum potiunte, & Henrico quarto rebus Occidentalibus præſidente, ſuſcepta eſt à noſtris Argonautis ingens illa & memorabilis in Aſiam contra Turcos ac Saracenos expeditio, duce Godefrido Bilioneo, Lotharingiæ Principe, viro, armis pariter, & conſilio animoque prōptiſſimo & acerrimo, à quo, adiuuantibus confœderatis, omnis Syria & Palæſtina cum vicinis Prouinciis receptæ, & regnum Hieroſolymitanum conſtitutum eſt. Cum enim Chriſtiani, qui Hieroſolymis, & aliјs in locis ſub Turcico & Saracenico imperio degebant, durißime & crudeliſſime ab vtraque gente tractarentur, Concilio in Gallia apud Claromontem habito, Vrbanus Pontifex, Chriſtianis, qui erant in Oriente, per Petrum eremitam, natione Gallum, opem atque ſuppetias implorantibus, vniuerſos Chriſtiani orbis Principes ac Dynaſtas ad pium bellum cohortatus, effecit, vt de horum mutuo atque vnanimi conſenſu expeditio in Syriam ſuſciperetur. Proinde anno à partu Virginis milleſimo nonageſimo ſexto, & decima quinta die menſis Auguſti profecti ſunt diuerſis itineribus Godefridus, quem alii Gottifredum vocant, Euſtatius & Balduinus Belliones, Raimundus & Robertus Flandriç Comites, Vgo cognomento Magnus, Philippi Galliarum Regis frater, Stephanus Valeſius Carnutum Comes, Podienſis Antiſtes, & Petrus eremita, huius expeditionis præcipuus auctor atque promotor, cum circiter ſexcentis peditum armatorum millibus, & equitum Loricatorum centum millibus, qui multis cruentiſſimis prœliis cum Turcis, Saracenis, ac Aegyptijs commiſſis, alij Nicæam Bithyniæ vrbem, nonnulli Antiochiam, ad Orontem fluuium, plærique Ieroſolymitanam vrbem, alij alias ciuitates atque oppida, non abſque ſumma difficultate, multoque ſanguine receperunt. Et quoniam de his omnibus extant eruditiſſimorum virorum monumenta, ab huius particulari enarratione, ne actum agere videar, prudens ſcienſque in præſentia ſuperſedeo, cum præſertim ipſe hæc omnia in meis Annalibus atque hiſtorijs Reip. Genuenſis fuſe ac luculenter ſim proſecutus. Hoc duntaxat breuiter adiecerim, ipſam Antiochiam, de qua hic proxime locuti ſumus, poſt nouem menſium difficillimam obſidionem, tandem à noſtris proditione captam fuiſſe tertio Nonas Iunii, anno Chriſti, milleſimo nonageſimo octauo. Sed mox repentino & improuiſo aduentu auxiliorum Perſicorum, quæ à Sultano Belchiaroco adduxit Cardagatus Perſa, rurſus intra vrbem, nullo commeatu inſtructam, concluſos, obſidionem ſuſtinuiſſe, rerum neceſſariarum inopia, multo ſane difficiliorem, quam ipſi hoſtes pertulerant, cum natura ſcilicet luctatos ſimul & hoſtibus. Tandem fame compulſos, ad dimicandum ingenti auſu conatuque eruptione facta, & Perſicis copijs fuſis fugatiſque, ipſam vrbem obſidione liberaſſe. Cæterum, vt eo redeat, vnde fluxit oratio, Alexius Hugonem, ac reliquos Proceres Byzantium appulſos, initio, propter varias, vt fit, ſuſpiciones, de hac expeditione conceptas, parum benigne atque amanter excepiſſe viſus eſt. Quin etiam inter ipſos, & Græcos, quotidie nouæ rixæ ac variæ ſimultates oriebantur, adeo profecto, vt quam maxime verendum fuerit, ne illæ tandem in apertum ac periculoſiſſimum bellum erumperent; eoque deuentum erat, vt iam ipſi neque manere inter infeſtos, nec breui traiectu in Aſiam tranſmittere auderent, ancipiti & à Turcis & à Græcis metu, donec tandem confirmatis animis, fœdus inuicem percuſſum eſt, & ea quidem conditione, vt Græcus Latinos commeatu cæteriſque opportunis rebus iuuaret: Latini, quicquid de aduerſariis caperent, præter Hieroſolyma, Græcis reſtituerent: Huic autem Alexio,

Alexio, fortunæ aduerſitas multa progreſſu temporis in natura & moribus correxit, auaritia & rapacitate in liberalitatem ac beneficentiam, & occulta ſæuitia in clementiam commutata. Iiſdem ferme temporibus, aut certe nõ multo poſt, nuntiatum fuit Imperatori, Turcorum exercitum conſcribi, qui mox Romanos fines diuexaret. Sed enim cum ipſe articulari morbo impeditus, expeditionem contra hoſtes ſumere nequiret, ſuorum militum legionem duce Camitze, Euſtathio præpoſito, viro ex primoribus militarium ordinum inſigni eduxit. Qui, primo in haud modicam aduerſatiorũ multitudinem incidens, cum illis congreſſus, tandem victus, capitur, & exercitus pars cecidit, pars vero celeri fuga ſibi ſalutem quæſiuit.

Romanorum clades.

Quod ſimulatque Imperator accepit, ſeſe vlterius continere non potuit, quin actutum reparatis copijs, ipſemet ad bellum egrederetur, Turcis tamen nunquam occurrit. Quandoquidem ipſius Cæſaris contra ſe expeditionem intelligentes, illico laxatis equorum frenis, diffugerunt, inter quos. & Camitzes magnis pollicitationibus cuſtodes corrumpens, ſe illinc proripuit, & ſtatim ad Imperatorem vna cum cuſtodibus venit. Quibus Cæſar, muneribus ac pecunijs donatis, Byzantium reuerſus eſt. Breui ab hoc ſpatio interiecto, Alexius aduerſus eoſdem exijt, ac Philomellium profectus eſt. quam vrbem, plenam inuenit armatis hominibus, ob res pretioſas illuc aſportatas, reliquo exercitu qui Cæſaream expeditionem haud parum metuebat, recedente.

Philomelium capitur à Romanis.

Vrbs interim, haud multo poſt, vna cum propugnaculis ac ſpeluncis, quæ refugia indigenæ habuerant, expugnatur, omnesque incolas Imperator trãſmigrare, iuuenes quidem & pedibus validos iter facere iuſſit. Quibus vero ſenectus ad ambulandum impedimẽto erat, illis iumenta præbuit. Sed qui morbis aut præ nimia ſenectute, ægra & languida corpora habebant, hos, ſcutis longis impoſitos, vt à iunioribus atque robuſtioribus circumgeſtarentur, mandauit. ipſe, inter hos obambulans, ſi quem ſiti aut fame laborãtem animaduertit, illum, quoad fieri potuit, ſublcuabat. Hac ſingulari clementia & pietate, cum ſibi omnium fauorem atque beneuolentiam conciliaſſet, Turci in Occidentem adnauigarunt, dicentes, ſuum Principem, pacem ac fœdus cum Romanis facturum, quod quidem Imperatori nec iniucundum extitit. Ab Oriente igitur quidam Barbarorum Princeps, non Sattapa, ſed Sultanus, profectus, equoque inſidens, cum Cæſari occurriſſet, procul ab equo deſiliens, ac pedes eum accedens, adorationem peregit, conditioneſque pacis fecit, & accepit; breuique poſt, & ipſe, & eius comites, multis muneribus donati, ad ſuas ſedes redierunt.

Pax inter Romanos & Turcos.

Imperator interea iam ſeptuagenarius, & diuturno grauique morbo fractus, naturæ conceſſit, cum annos triginta ſeptem, & menſes quatuor cum dimidio imperaſſet. Vxorem habuit Irenem neptem Iohannis Cæſaris, fratris Conſtantini Ducæ, ex qua ſuſtulit filios, Iohannem, Andronicum, & Iſaacium filias, Mariam, Theodoram, & Eudociam. Iohannem ſucceſſorem in imperio deſignauit.

Mors Alexij Comneni.

Quorundam Annales perhibent, Alexio, adhuc regnante, in vrbe regia horribilem terræmotum in die Nicolao ſacra factum eſſe, quo plurimæ ædes tam publicæ quã priuatæ, multaq; delubra funditus corruerint, & cum his Porticus quoque, per quam vrbis viæ contegebantur, & plæroſque hac ruina obrutos, interijſſe.

Terræmotus.

Ad hæc, locuſtarum infinitam multitudinem, denſiſſimę nebulæ inſtar, volando, Solem pene obſcuraſſe, perque vrbem aduolantes, tandem in Oriente quieuiſſe, atque hoc incidiſſe in id tempus, quo à fœderatis Principibus Chriſtianis ſuſcepta fuit expeditio in Syriam pro recuperatione Hieroſolymitana, cuius hîc proxime fecimus mentionem.

Locuſtæ.

Tradunt etiam, ſub eiuſdem Principatu, quamplurima in diuerſis partibus Conſtantinopolis fuiſſe facta incendia, multaſque domos ac ædificia fortuito igne concremata, necnon, verno tempore tantam ventorum vim, ac rabiem potius, excitatam, vt, præter cæteras ruinas & clades quas ædiderit, Coloſſus quoque in prætorio ſitus, & rotunda ingentique columna ſuffultus atque innixus, corruerit, & complures, qui tũ ibi forte aderant, in foro deambulãtes, contriuerit.

Incendia.

Ventorum vis.

Ferunt, Cõſtantinum Magnũ, hanc ſtatuã æneã Apollinis admirandæ magnitudinis, ex Troade Byzantiũ, dũ vrbẽ dedicaret, ſuppoſito eius titulo, & ablato numinis capite, trãſtuliſſe. Quæ

poſtea,ſub hoc Alexio violentia ventorum,vt dictum eſt,corruit,cum tanta moles diutius in altitudine conſiſtere non poſſet. *Imber.* His quoque adijciunt, eodem imperitante,in ipſo Petri & Pauli Apoſtolorum feſto die, imbrem longe vehementiſſimũ decidiſſe,cuius impetu complures domus ac ædificia cõciderint, amniũque alueis oppletis,maris ſpeciẽ,cum ingenti hominum ac iumentorũ ſtrage aliquandiu præbuiſſe. Et hæc,in præſentiarũ obiter dicta ſint, quo lectoris animus hac rerum memorabiliũ varietate pauliſper relaxetur. Nunc ad Græcos qui ſuperſunt Imperatores,noſtra oratio referatur.

Caloioãnes. Alexio Comneno Caloioãnes filius ſucceſſit, patre & victorijs bellicis, & opibus ſuperior,& vir maiori probitate. Hic ad imperiũ euectus,ſuos omnes diuerſis præfecturis ac dignitatibus ornauit; in Iſaacium vero fratrem,quem incredibili charitate dilexit,longe propenſiſſimus extitit. *Euſdem victoria cõtra Turcos, Perſas, & alias nationes.* Varijs expeditionibus in Aſia vſus, primo Taniſmanium,ſiue,vt alij vocant,Solymanum, Turcorum ac Perſarum Regem,Cutlumi iam vna cum ſuo filio defuncti,nepotem,aliquot prœlijs deuicit,nec paucas illi vrbes ademit,Latinorum militum ſtrenuam fidelemque operam ſemper expertus. In Europa Scythas; Tartaros Thracia Macedoniaque expulit,in quas,dum ipſe rebus præeſſet, ex Septentrione tantis agminibus inuolarũt, vt locuſtarum inſtar,omnia obruerent atque complerent. *Tartarorũ prima irruptio.* Hæc Tartarorum, quos Græci vniuerſos veteri nomine Scythas appellant, prima fuit in Europam irruptio. Inde per Vngariam effuſi,Poloniam, & magnam Sileſiæ partem celeri per loca plana atque expedita progreſſu,cædibus, incendijs, rapinis,ac deprædationibus horribiliter peruaſtarunt. Paulo ante per Caſpias portas Aſiam adorti, tentatãt regnum Turcicum ad Pontum. Sed de his inferius plura. Tartaris ſummotis,contra Hunnos arma conuertit,quos,ad Saui, Iſtrique confluentem iuxtà Belgradum profligauit, & mox, haud mediocrem inferioris Pannoniæ partem edomuit. Legatos miſit ad Lotharium Saxonem,gratulatum, depulſo ex Apulia Rogerio. Poſtea & cum Conrado Sueuo fœdus percuſſit, & affinitatem contraxit,data filio Manuelis in vxorem ſorore Gertrudis coniugis Conrodi, filia Comitis Sultabachici. A Raimundo Principe Antiocheno emit vrbem Antiochiã cum ingenti pecunia,cum ipſe eſſet prædiues atque opulentus: Hanc occupaturus,cum à Præſule Gabulenſi,prohiberetur, maximopere indignatus, cum præualido exercitu Syriam depopulatus eſt. In reditu, ſimul atque Cilicum fines attigiſſet,memorabili ac tragico exitu vitam terminauit,in venatione manu ad digitum minimum venenatæ ſagittæ illapſu ſtrictim læſa, quam vna cum alijs aper ab eo ſauciatus,ſubito inſultu pharetta excuſſerat, ex læſa parte veneno celeriter in omnes corporis partes diſcurrente. *Caloioãnis interitus.* Deceſſit, cum imperaſſet annos viginti quatuor,ſiue,vt alijs placet,viginti quinque,& menſes octo. Liberos ſuſtulit quatuor,quorum duo, Alexius,& Andronicus obierunt adhuc viuo patre: de duobus reliquis, Manuelem natu minimum maiori Iſaaco, tanquam ad gubernacula parum idoneo, prætulit.

Manuel Comnenus Imperator. Hic Manuel à Caloioanne ad ſupremum imperij faſtigium euectus, Princeps fuit ingenioſus,leuis,turbulentus,infidus,impius,ſceleratus, perfidioſus, infelix, ſed eloquens,exercitatus in diſciplinis, amans Sophiſtices, & nouarum opinionum,in diſputando acer & curioſus. Venetos bello laceſſitos,cum ſuſtinere non poſſet,reſtitutione eorum quæ eripuerat, rurſus placauit. *Eiuſdẽ perfidia in Conradum Imp.* Conradum Sueuum Imperatorem,cum ad fœdus & amicitiam propter affinitatem blandiſſimis promiſſis inuitaſſet,poſtmodum fiducia amicitiæ ſecurius ſe, tranſmiſſo Helleſponto Aſiæ,committentem,inſigni perfidia pene grauius hoſtibus ipſis afflixit, ferro fraude,& veneno exercitum depopulatus. Maximam enim illius partem perdidit,ſubmiſſis panibus,qui parari etãt ex farina infecta commolliti gypſi tenuiſſimo puluere. Huius perfidiæ pœnas Rogerius Siciliæ Rex, bello perſecutus, Corcyra, Aetolia, Acatnania, Corynth o,& Acrocorynth o, partim vi, partim deditione captis atque direptis,claſſem regiæ vrbi admouit,& in eam impreſſione facta, ſuburbia flammis iniectis exuſſit, ægre ſeſe cum imperij titulo intra mœnia Imperatore conſeruante. Pax demum inter vtrumque, Romano Pontifice conciliante,

liante,inita & conſtituta eſt. Cum Scythis etiam, Turcis,Perſis,& Hungaris bella geſſit. Sed raro ſucceſſu,& cum Turcis quidem funeſtiſſimo prœlio dimicauit, *Infelix pugna contra Turcos.* adeo profecto,vt in eo pene captus fuerit,licet aliqui ſcribant, cum captum fuiſſe,cum Ciliciam fraude occupaſſet. Dicunt enim Turcam cum eo congreſſum, ſimulata fuga,cum toto exercitu in quaſdam anguſtias, & arctiſſimas montium fauces,poſitis cuſtodijs,Imperatorē deduxiſſe,partim cæſis copijs, partim captis, & ipſum quoque in eius poteſtatem deueniſſe,ac breui poſt, ab eo amanter atq; honorifice dimiſſum,Cilicia reſtituta, idque contigiſſe aiunt ſub Muchumeto, Turcorum Imperatore,qui Taniſmaio ſucceſſerat. Hic ſane,cum audiret, Manuelem eum inſtructiſſimo exercitu contra ſe aduentare,magnis auxilijs ex Perſide, ac Meſopotamia, alijſque eiuſdem gentis Regibus accerſitis, per legatos à Cæſare pacem petijt,quam omnes prouectioris ætatis ac Turcicis bellis exercitati duces,amplectendam ſuadebant, propterea quod omnia loca munita & opportuna, ab hoſtibus præoccupara fuiſſent. Verum ille, neglectis ſanioribus conſilijs, & iunioribus, qui forma tantum gemmiſque, & auro nitentes,nulla prudentia rerum gērendarum peritia conſpicui erant, percupide auditis, oratores voti prorſus impotes dimiſit. Cumque Sultanus iterum pacem per nouos legatos ab eo petijſſet, eiſque iactabundus diceret, ſe Iconij reſponſurum, Sultanus in anguſtijs Tauri montis,quæ Cliſura Zybriſzæ appellātur, per quas Romano exercitui,Myriocephalo caſtra mouente,iter faciendum erat,ſuas phalanges, *Manuelis clades.* vt imperium in eos prætereuntes facerent,abdidit,in quibus, cum acies explicati non poſſet,Manuel poſtmodum inſigni ſtrage affectus eſt,in eoq; prœlio,præter cæteros inſignes viros,Balduinus,qui dextrum cornu regebat, vna cum ſuis fortiſſime dimicans interemptus eſt,ac etiam complures genere clari, atq; illuſtres, ipſi Manueli arctiſſima affinitate coniuncti,inrer quos fuit etiam Iohannes Cantacuzenus nepris ſuę vir,ſtrenue pugnantes occubuêre. Cum vero Sultanus animaduerteret,Manuelem in ſummo vitæ diſcrimine verſari,cum præſertim eo *Exemplum ſingularis moderationis in victoria.* die Turci illius caſtra oppugnaturi eſſent,ipſius calamitatem commiſeratus,miſſis ad eum muneribus,pacem ei dedit, ea lege, vt Dorylæum,& Sublæum oppida,iterum euerterentur. Quæ pacta Imperator, præſtitæ fidei, atque acceptæ humanitatis penitus immemor,non diu ſeruauit. Nam Sublæum quidem euertit: Dorylæum vero,vt ita remaneret,præcepit. Quamobrem Sultanus Arapacum Ducem cum lectiſſimorum militum manu ad mare vſq; progredi, omnes vrbes ac prouincias vaſtare,neminiq; parcere iuſſit. Qui mandata ſedulo ac fideliter exſecutus,Phrygias,& Mæandrias vrbes deprædatus eſt,quem Cęſar in Męandri fluminis tranſitu inſidijs circumuentum,ipſo duce cum multis alijs cæſo, oppreſſit. Poſt hæc,Manuel,imperio,cui præfuerat annos triginta octo,ſponte relicto, ſeſe in cœnobium incluſit,in quo,non ita multo poſt, iam ſexagenarius,extremum *Manuelis obitus.* diem clauſit. Vxores habuit duas,vnam germanam ſororem, vt dictum eſt,coniugis Conradi Imperatoris;alteram Conſtantiam,Raimūndi Antiocheni Principis filiam,ex qua reliquit ſucceſſorem.

Alexius admodum puer patri Manueli ſucceſſit,qui Andronicum patruelem, *Alexius Comnenus, à patruo interfectus.* callidum & impium tutorem teſtamento ſibi à patre relictum, longe infenſiſſimum habuit. Hic enim,ſimulatque imperij adminiſtrationem ſuſcepit, omnes æmulos,quos ſuum regimen impedituros ſuſpicabatur,interfici iuſſit,quo tanto facilius atq; cōmodius,quod animo conceperat de imperio ſibi vſurpando perficeret: moxq; omni metu liberatus, Alexiū quoq; pupillum,imperij hæredē, eum vix annum decimum quintum attigiſſet,neruo arcu eliſo,immaniter ſtrangulatum,& arcæ plumbeæ incluſum,in mare demerſit. A quibuſdam in literas relatū eſt,Alexium,animi recreandi cauſa paruo nauigiolo in mare vectum,ab Andronico per ſuos miniſtros crudeliter præcipitatum,atque necatum, capite abſciſſo, ac reliquo cadauere in mare proiecto. Nec deſunt qui etiam tradiderint,eundē ipſius Alexij matrē & ſororem de medio ſuſtuliſſe, ac tam ſæuo & immani parricidio poſtmodum imperio eſſe potitum. Sic miſer Alexius tandem vitam ſimul cum imperio amiſit.

Andronicus Comnenus ſaeuitia & tyrannide ſibi imperiū vſurpat. Diuina vltio.

Andronicus Comnenus, occiſo Alexio cognato, & imperium adeptus, vt ſeipſum in tyrannide conſtabiliret, omnes proceres, quorum fidem ſuſpectam habebat, & inprimis ſuos, atque Alexij patrueles, conſanguineos, amicoſque, quoſcunque arripere potuit, vel crudelibus ſupplicijs tortos interemit, vel luminibus orbauit. Bello tandem à Wilhelmo Siciliæ rege, iniuſtam impuberis Alexij cædem vindicaturo, impeditus, ac prœlio ſuperatus, cum ob immanem ſæuitiam publico odio flagraret, Angelo Iſaacio, quem ad ſupplicium corripi mandarat, ſeditionem concitante, dum fugam parat, comprehenſus eſt, alteraque manu, & oculo mutilatus, ac etiam ſcabro camelo facie ad poſticam verſa, & capite alliotum reſte loco diadematis, præcinctо, per vrbem circunductus, vulgiq; tumultu vncis & harpagonibus pene fruſtillatim diſcerptus, ac dilaniatus, commeritas parricidij, raptæ tyrannidis ac ſæuitiæ pœnas dedit, poſtquam biennio rebus gerendis præfuiſſet. Quorundam Annales referunt, hunc, ſtipiti alligatum, quaſi metam ac ſcopum ſagittarijs propoſitum fuiſſe, in quem paſſim omnes propter immenſa eius flagitia, & horribilem crudelitatem, tela & ſagittas iaculati ſint.

Iſaacius Angelus.

Iſaacium Angelum è gente Comnena, qui Angeli vocabantur cognomine, cum reliqua Comnenorum ſtirps iam ſublata eſſet, Byzantini, deſtinatis ab Andronico tyranno ſupplicijs ereptum, ad gubernacula collocarunt. Hic cum Wilhelmo Siciliæ rege fœdus ac ſocietatem contraxit. Bellum vero cum Myſis, qui & Walachi dicuntur, Petro & Aſane fratribus defectionis auctoribus, infeliciter geſſit. In Alexium Comnenum, Cypri tyrannum, nauiganti, claſſem atrox tempeſtas diſiecit, & ad ſcopulos alliſam confregit. Hunc Alexium anno proxime ſequenti, Richardus Angliæ rex, expugnata inſula, cepit, & ſecum captiuum abduxit. Fridericum Aenobarbum, cognomento Barbaroſſam, ad Helleſpontum, aditu Aſiæ & traiectu prohibiturus, aliquot aduerſis prœlijs deuictus, à bello deſijt, initaque cum eo amicitia, & obſidibus confirmata, progredientem commeatu iuuit. Tandem ab Alexio fratre natu minore, cui ſemper ita indulſerat, vt præter nomen imperij, quod penes ſe eſſe voluit, cum eo ex æquo viueret, & poſtremo à Turcis captum, multo auro redemerat, per ſummum ſcelus imperio atque oculis priuatur, & in ſordidum carcerem detruditur, de illa ſpe excidens, qua ex falſo oraculi promiſſo imperium in annos triginta duos ſibi deſpõderat, cum regnaſſet annos nouem, menſes octo. Poſtmodum è carcere per filium extractus, cum inſueti aeris nouitatem & aſperitatem ferre nõ poſſet, morbo contracto, interijt. Byzantinis rebus in hoc rerum eatdine conſtitutis, in Oriente, Sultanus, qui Iconij ſedem habebat, poſt Manuelis obitum, pleraſq; Phrygiæ vrbes occuparat. Huic, poſt multas res domi foriſque præclare geſtas, ſucceſſit filius Chaichoſroes nomine; quo imperitante Fridericus Aenobarbus in Aſiam, arma conuertit, & Turcas ad Iconium Lycaoniæ vrbem, tribus magnis prœlijs vicit, fuditque. Inter quæ, Germanus quidam ex præclaro ſtemmate oriundus & procera corporis ſtatura, cum iter ſuum ſequeretur, poſt exercitum equum feſſum trahens, à quinquaginta Turcis circumuentus, non magis ſe commouit, aut gradum accelerauit, quam ſi nemo illum perſequeretur; ſed gladio vnum ex illis tam facile in duas partes ſecuit, à capite ſimul cum equo vſque ad tergum ſtrato, vt reliqui mox territi, ab eo inſequendo abſtinuerint. Cæſaris interea proſperi ac felices ſucceſſus, tam ſubitam rerum inclinationem in Aſia pepererunt, tantumque Saladino metum ac terrorem incuſsẽre, vt rebus prope iam deſperatis, munitarum vrbium propugnacula deijceret atque arces demoliretur, deq; Aſia relinquenda conſilium caperet. Fridericus enim victricibus armis progreſſus, mox ei Ciliciam, Saraceníco exercitu deleto, eripuit. Per idem quoque tempus, Richardus Angliæ Rex, plurima eidem oppida & maritimas vrbes ſuſtulit, adeo ſane, vt Aſia non paruo ſeruitutis metu ac formidine liberaretur. Quod ſi Cæſaris vita diutius propagata eſſet, Turci ac Saraceni tunc facile extingui, aut ſaltem ex Syria, & Aegypto expelli potuiſſent. Cæterum, quo minus id eueniret, fata obſtitêre. Cum enim, recepta Cilicia, Saladini exercitus ex minori Armenia reieciſſet,

Eiuſdem obitus.

Friderici Aenobarbi expeditio in Aſiam.

Cuiuſdā militis Germani robur & magnanimitas.

Eiuſdē proſperi ſucceſſus.

tiſſet.forte,ingenti labore atque æſtu defatigatus,in flumen, quod Serram indigenæ vocant,lauandi ſtudio deſcendit.Ibi alij ferunt,cum abreptum vorticibus, in flumine perijſſe;quidam vero perhibent,redeunti ex aqua, hepar male affectũ fuiſſe,quod quidem eo minus admiratione caret, quod in Cilicia Alexandrum Magnum,lauantem in Cydno,frigidiſſimo flumine,lethali morbo correptũ eſſe,literis proditum ſit.Morbo itaque infra paucos dies in Seleucia Syriæ extinctũ narrant quarto idus Iunij, anno Chriſti milleſimo centeſimo,octogeſimo nono.Anno mundi quinquies milleſimo centeſimo quinquageſimo primo. Imperij triceſimo ſeptimo. Verum,ſicuti etiam in reliquis meis ſcriptis reſtatum reliqui,non deſunt grauiſſimi auctores, qui aſſerant, ipſum, cum ad præfatum amnem,vulgo Serram,antiquitus Selephium,perueniſſet, & illius vadum incertum eſſet,equo inter tranſmittendum,vt fieri ſolet,ceſpitante,iam grauem ætate,lapſum,magno animi horrore fuiſſe affectum,atque ira commotum, vt attonito ſimilis,inter ſuorum manus ablatus, paulo poſt, non abſque ingenti ſuorũ omnium dolore,ſummoque Chriſtianæ Reipub. detrimento,expiraret. Quorum quidem poſteriorum ſententiæ,ceu veriſimiliori,& ratione magis conſentaneæ,ego,ſuo cuique interim libero iudicio relicto, mea ex parte accedo,præſertim,cum vix credi poſſit,quod ipſe,deuexa iam ætate,poſitis armis, & veſte,ad leuandum æſtum in fluminis alueo ſeſe confouere voluerit, præcipue cum id non citra magnam ſuæ maieſtatis neglectionē fieri potuiſſet, licet Alexandrum Macedonem,idem in Cydno flumine ex Tauro monte orienti,& mediam Tarſum interſecante,ſed tamen ætatis gradu excuſatum,feciſſe,in comperto ſit. Friderico,Principe optimo ac laudatiſſimo, viuis ſubtracto, Germani domum redierunt. Quo tempore,grauis ſeditio inter Turcas exorta eſt. Clizaſtlanus enim potentiſſimus Iconij Sultanus,moriens,quatuor filios reliquit,Mazutũ, Coppatinum,Rucratinum,& Caichoſroem.Maſuto,Amaſiam,Ancyram, Dorilæum, & alias Ponticas vrbes, aſſignauit: Melitenem, Cæſaream, & Coloniam,quæ nunc Taxara dicitur,Coppatino:Amiſam, Doceam, & alias maritimas vrbes, Rucratino: Caichoſroes Iconium tenebat, ipſius Sultani ſedem,& cum ea Lycaoniam,atque Pamphyliã.& quæ ad Cottianium vſque pertinent. Coppatino mortuo,de eius Principatu Rucratinus & Maſutus certant, ſed Rucratinus ingenio reique bellicæ peritia vincit,& Maſuto Principatus partem adimit:atque hac victoria elatus,Chaichoſroi,qui ex altera matre Chriſtiana natus erat, Iconij potiundi cupidus,ni ſibi regno cedat,bellum indicit. Caichoſroes igitur,ad Imperatorem Alexium Angelum confugit: Sed nullis auxilijs impetratis, domum reuerſus eſt.vix autem Iconium peruenit,cum à Rucratino pulſus, ad Lebunem in Armeniam fugit:vbi humaniter quidem acceptus fuit, ſed nulla ope impetrata, Byzantium remeauit, ibique per aliquod temporis ſpatium obſcurus vixit. Verum enimuero Alexius Angelus imperium fraude & patricidio raptum,haud ſane diu retinuit, cum natura meticuloſus eſſet, atque ignauus, totumque ſe in ocium & voluptates,neglectis vicinis Walachis & Scythis,effudiſſet. Nam Iſaaci filius Alexius,cui mortem machinatus erat, Francis & Venetis, quorum in vicinia tunc erant vires validiſſimæ,concitatis,& horum ope,vrbe ferro flammaque expugnata,fugatoque patruo,imperium recuperauit,tali occaſione: Bonifacius Marchio Montisferrati,Balduinus Flandriæ,Henricus S.Pauli Comites, & cum his,Allobrogũ dux,in Aſiam aduerſus Turcos & Saracenos expeditionem ſuſcepturi,conuenerant Venetijs,cumque interueniente mora, belli ſumptus exhauſiſſent,à Senatu Veneto pecuniam mutuo petierunt, quæ data eſt eis cum promiſſo maioris pecuniæ certis conditionibus,ſi Rempub. occupatam bello Iſtriano,& oppugnatione Iaderæ vrbis, quæ à Venetis ad Hungarorum Regē defecerat,iuuare vellent. Quas illi conditiones cum accepiſſent,obſidio Iaderæ tentata,ſed opinione omnium longius protracta eſt. Circumſidentibus vrbem,ſuperuenit Alexius Iſaaci filius,cum aliquot Gręcis proceribus,qui patrui ſceleratas manus effugerat,& multa queſtus de huius crudelitate, patris cæcitatē,ſordes & ſqualorē carceris,ac ſuum exilium,& multa etiã,ſi in imperiũ reduceretur, polli-

Eiuſdem obitus.

Grauis ſeditio inter Turcas.

Franci & Veneti Byzan. deditione capta, Alexiũ Iuniorem in imperium reſtituunt. Alexius Iunior.

citus,auxilia impetrauit.Claſſis ergo ex Dalmatia ad Boſphorum Thracium adducta: ſinus, qui Peram à Byzantio quadraginta ſtadiorum interuallo dirimit, rupta,quæ obtenſa fuerat,catena ferrea,occupatus:vrbs,deditione capta, & Alexio Iuniori,iis,quibus inter eos conuenerat formulis & conditionibus, reddita. Alter Alexius,his cognitis,Debelatum profugit, auectis ſecum theſauris imperij, poſtquam annis octo,& decem diebus imperaſſet,&irrito conatu imperium deinceps repetiuit.A nonnullis in literas relatum eſt,præfatum Alexium,deſperatis auxilijs,nocte concubia apud Irenem filiam,virginem monialem,ingentem defoſſum reliquiſſe theſaurum,& reliquam partem ſecum aſportaſſe. Cæterum, Alexij Junioris non diuturnum fuit imperium, quem inuiſum ſuis reddidit ſeu timiditas, ſeu potius ſuſpitio de confœderatione cum Francis & Venetis,quos cenſuerat,non laceſſendos bello,ſed auro placandos,Byzantinis vociferantibus, ignauia & perfidia Imperatoris fieri,quod per Græcorum prouincias,inque ipſo vrbis conſpectu,impune ac nemine vindicante graſſarentur. Quare illi per ſeditionem repulſo, datus eſt ſucceſſor Nicolaus Canabus, aliquanto minus ad imperium idoneus Alexio. Hac occaſione Alexius Ducas, cognomento Murzuphilus ſiue Myrtilus,vt alij vocant,vir Cæſarei ſtemmatis,& imperij cupidus,homo ſubdolus & ſceleratus, qui Alexium amicitiæ ſpecie ad ſe fraude traductum, tanquam eum contra iniurias defenſurus eſſet,inſanienti plebi vinciendum obiecit,& Nicolaũ,paucorũ ſtudijs ſubnixum,per ſuos ſatellites,præſidio diffugiente,cepit,ac vtroque amoto,imperium inuaſit: Alexio bis potu veneni fruſtra tentato,laqueo guttur ſua manu eliſit menſe imperij ſexto, die octauo. Ipſe cum exercitu Balduinum Flandriæ Comitem adortus, qui cum exercitu non procul aberat.ſed repulſus,ac Venetis,duce Dandalo,perſequentibus,intra vrbem compulſus,& obſidione cinctus,cum de vrbis defenſione deſperaret, clam ſeſe illinc ſubduxit,fuga vitam conſeruaturus. Obſidio terra marique in diem octauum & ſexageſimum continuata eſt,cui finem impoſuit inſana intra vrbem de imperio concertatio inter Theodorum Ducam, & Laſcarem. His enim inter ſe digladiantibus,ciuitas capta,direpta,incenſaque, maiore ſui parte conflagrauit,anno Chriſti milleſimo ducenteſimo primo. Tyrannus Muzuphilus deinceps in Peloponneſo comprehenſus,& Conſtantinopolin perductus, poſt exculptos oculos,de turri præcipitatus eſt,ac promiſcua plebe in cadauere deſæuiente,fruſtillatim conciſus.

Alexius Ducas.

Alexij Iun. nodes.

Conſtantinopolis capitur & diripitur.

Vrbe Conſtantinopoli recepta, conuênit inter Proceres, vt quindecim viri crearentur,quibus eligendi Imperatoris poteſtas foret,atque illud expreſſum eſt, vt, ſi Veneti nominis Imperator declaratus non eſſet, quem ipſi vellent, è ſua gente Patriarcham vrbi darent.Ita Flandrenſis & S.Pauli Comites quinos: Monferratenſis,& Allobrogum Duces,totidem deſignauerunt. Reliquos adiecerunt Veneti. Horum ſuffragijs ad Balduinum Flandriæ Comitem,imperium delatum eſt. Eidem dimidium vrbis,Prouinciarum,vectigalium, rerumque omniũ, quas ex fœdere cõmuni bello acquiſiuêre,attributum fuit. Thomas vero Maurocenus,Antiſtes vrbis deſignatur.Pacato ciuitatis ſtatu,caſtra in Thraciam promota,quæque intra Byzantium & Hadrianopolin continentur, in deditionem accepta.Balduinus,vt ſocijs,quæ ex fœdere decreta erant,exoluerentur, Bonifacium Marchionem,Theſſaliæ Regem declarauit. Venetis,Aegæi maris inſulas, & Cretam inſulam,quam dono Alexij Angeli,Bonifacius conſecutus erat, attribuit,Bonifacio cedente, quæ res primam æmulationis inter Venetos & Genuẽſes cauſam præbuit. Ita à Græcis ad Francos imperium Orientis translatum eſt.præter omnem Latinorum opinionem, qui ab initio Syriacam duntaxat expeditionem meditabantur. Horum autem copiæ dicuntur fuiſſe viginti millia pedeſtrium virorum: equeſtrium octo millia: naues ducentas quinquaginta: triremes ſexaginta: onerarias ſeptuaginta: hippagines centum viginti. Græcorum autem ad ſexaginta millia ex Græca iuuentute armata,& ita quidem, in quorundam Annalibus reperi. Balduinus, communi quindecim procerum ſuffragio Cæſar renuntiatus,nihil habuit antiquius,quam,vt domi rebus compoſitis, Hadriano-

Balduinus Conſtantinopoleos Cæſar deſignatur.

Imperium Orientis penes Gallos.

drianopolim Thraciæ vrbem celeberrimam, trium dierum itinere Byzantio diſtantem, Barbarorum auxilijs intro recipiendis, quam maxime opportunã, iamque ab hoſtibus occupatam, recuperaret, ſeque contra ſuorum aduerſariorum inſidias communiret. Cum his autem ad planiciem Oreſtiadis infeliciter congreſſus cæſusque, vix dum circumacto imperij ſui anno, vitam & victoriam amiſit.

Balduini obitus.

Huic ſtatim ſucceſſit Henricus frater, qui deceſſit anno imperij vndecimo, Iolanta filia Petro Antiſiodorenſi deſponſata, propter quam ille imperiũ, quaſi iure hereditario adijt. & poſt mortem, filium Robertum, ſiue, vt alij volunt, nepotem, Regni ſucceſſorem habuit, quo breui extincto, imperium deuolutum eſt ad eius filium Balduinum, ſub quo iterum amiſſum eſt circiter annum Chriſti milleſimum ducenteſimum quinquageſimum primum, & ſexageſimũ, ex quo, à primo Balduino fuerat occupatum, quaſi ſi fato eueniſſet, vt, quemadmodum à Balduino primo, Galli auſpicia regni cœperant, ſic in Balduino conciderent, poſtquam is annos pene viginti rebus præfuiſſet.

Henricus.
Petrus Antiſiodorẽſis.
Robertus.
Balduinus vltimus.

Imperium vero Michaël Paleologus, adhuc etiam ipſo ſuperſtite, ſed præ metu capta vrbe, in Italiam fugiente, occupauit. Græci etenim externum dominatum ægerrime ferebant, nullã occaſionem prætermittentes, quo illis ſubactis atque deiectis, ipſi denuo, vt antea, regnarent. Inter hæc, quiſq; ex proceribus dominandi cupiditate flagrabat, ſic ſane, vt eius cauſa, omnia ſacra atq; humana iura peruerterent.

Anno 1261. Conſtantinopolis à Græcis recuperata eſt, Latinis eiectis.
Michael Paleologus.

Supra enarrauimus Alexij Angeli perfidiam, & immanitatem erga ſuum fratrem Iſaacium natu maiorem, à quo, ingentibus beneficijs ornatus fuerat. Hic, iuſtiſſima diuini numinis vltione, amiſſo imperio, aufugit. Græci interea, Theodorum Laſcarum, eius generum, Imperatorem creant; qui non ſolum Bithyniæ, & maritimæ oræ imperauit, verumetiam in Mediterranea longiſſime progreſſus à Caria, & qua Meridies eſt, Mæandro fluuio, Septentrionem verſus, quicquid ad Galaticum pontum, & Cappadociam pertinebat, occupato, imperij ſedem Nicææ collocat. Nec dubium eſt, quin e veſtigio in Europam aduerſus Balduinum traiecturus fuiſſet, niſi id conantem remorati eſſent Turci, quos deinceps magis impulit & confirmauit ſocer eius Alexius, genero inuidens imperium, quod ipſe tueri atque defendere nequiuerat. Is enim, per mare Aegæum Aſiam ingreſſus, clam Iathatinem, Rucratini filium, Sultanum, ſupplex miſerabili habitu adijt, & mox, veterem amicitiam illi in memoriam reuocans, atque in ſuper aceruos pecuniarum pollicens, quam demiſſiſſime orat, vt ſibi ad imperiũ recuperandum opem ac ſuppetias ferret: Quibus rebus permotus Iathatines, ſtatim Theodoro bellum exitiumque per legatos minatur, ni ſocero cedat; & copijs collectis, Antiochiam ad Mæandrum ſitam, obſidet. Theodorus vero, & ipſe exercitu, numero quidem Turcico longe inferiori; ſed virtute pari, vel etiam ſuperiore, collecto, ei obuiam alacriter proceſſit: ſuperatiſque tertio die montis Olympi anguſtijs, quæ in maximam porrectæ longitudinem, Bithyniam ad Septentrionem, Phrygiam vero ad Auſtrum habent, deinde Cayſtro amne traiecto, vndecimo die, Turcos, nihil tale metuentes, adoritur, eoſque facile in loco anguſto, vt nec copias explicare, nec equis commode vti poſſent, ipſo Sultano propria manu obtruncato, ſudit, & Alexium captum, nõ modo vita donauit: ſed etiam benigne ac liberaliter apud ſe detinuit.

Theodorus Laſcarus.
Iathatines Sultanus.
Theodori Laſcari expeditio aduerſus Turcas.
Eiuſdem victoria.

Memoriæ proditum eſt, hunc primo, deuicta Conſtantinopoli, clam in Achaiam & Peloponneſum aufugiſſe, vbi, dum temere oberrat, bis à Boniſacio Marchione captum ac ſpoliatum, breuique poſt, cognito, ſuum generum ſalutatum eſſe Imperatorem, ſe ad Turcos, vt dictum eſt, contuliſſe: at ſcelerata conſilia infelicem euentum, ſicuti iam demonſtrauimus, ſortita ſunt. Hæc autem diſſidia inter proceres Græcos, poſt captam Conſtantinopolim, poſtremam & ſummam ad fatalem imperij Orientalis ruinam Inclinationem pepererunt, patefacto multiplici aditu ipſis Turcis ad Europam, velut per rimas fiſſæ diuulſæque in partes Græciæ, & ijſdem, ſi aditus ignoraretur, precio conductis, atq; adductis. In hac tanta imperij dilaceratione, Alexius Comnenus, cõtractis opibus quãtas potuit, relictaque Europa, nouum imperiũ Trapezunti, complexus, Cappadociã, &

Clementia in generum.
Alexius Comnenus nouũ Imp. Trapezunti condit.

Colchidem,condidit ac erexit. Ab hoc,origo eſt Imperatorum Trapezuntinorum,quibus ademit regnum Mahometus ſecundus,ſtirpe exciſa, & deleto Græcorum imperio,ſicuti inferius oſtendetur.

Theodori Laſcaris obitus.

Theod. Laſcarus iunior.

Theodorus Laſcares,cuius ſupra mentionem fecimus, ex coniuge Irene nullam maſculam prolem ſuſcepit,ſed duntaxat filiam eiuſdem nominis quam Ioanni Batazæ , ſeu Diplobatazio,nuptam dedit. Hic, ſocero poſt decimum octauum annum fatis excedente , pro illo imperium gerẽs,filium ſuſcepit cognomento Theodorum Laſcarem,iuniorem. Huic circiter annum ætatis ſexageſimum.imperij triceſimum tertium defuncto , ſucceſſit Theodorus Laſcares iunior,cui Helena Aſanis Bulgaris Regis filia peperit Iohannem filium & quatuor alios. Cura filij Iohannis,& imperij adminiſtratio , patris voluntate , & conſenſu procerum commendata eſt Michaeli Paleologo , viro in armis ſtrenuo atque acris ingenij,ſed fidei incertæ ac dubiæ,vt qui ad Turcos antea tranſierat, cum in affectati imperij ſuſpitionem veniſſet ; nec deinceps etiam,poſtquã receptus foret in gratiam,diſſimularet,quod aliquid moliretur. Proinde vt illum ſibi aliquo ſingulari beneficio obſtringeret,eoque placato ac beneuolo vteretur, dignitate deſpotæ ornauit,atq; inſuper filij tutelæ præfecit. At Michael Paleologus,haud multo poſt, recepto Byzantio eiectiſque Francis , Iohannem Theodori Laſcari iunioris filium,adhuc impuberem,interfecit,ipſeque ſibi , Laſcarina ſtirpe nobiliſſima,per ſummam perfidiam & ſcelus oppreſſa,vel potius extincta , imperium vendicauit , ac poſteris vſque ad Conſtantinum octauum & vltimum ex ea domo, ad annum videlicet milleſimum quadringenteſimum quinquageſimum tertium,tanquam per manus tradidit. Hanc familiam nonnulli perhibent ex Viterbio,haud ignobili Italiæ municipio, ſuum genus atque originem traxiſſe: Hic Paleologus bellum geſſit cum Michaele Angelo Epiri ac Aetoliæ deſpota ſed infelici ſucceſſu. Quare cum in imperio parricidijs acquiſito , & nondum ſatis confirmato,nemini tuto fideret,pacem cum Michaele , quanquam ignominioſam,fecit,ſua conſobrina filio eius Nicephoro in vxorem data. Sed minime diuturna fuit hæc pax. Genuenſibus,quorum auxilio imperium conſecutus fuerat,& Venetos depulerat,Peram vrbem , vltra ſinum è regione Byzantij in eodem littore Europæo ſitam,quam Galatam hodie vocant,tradidit. Recepit Eubœam,& aliquot Aegæi maris inſulas, Lemnum , Chium & complures alias, ſed non diu retinuit. Deceſſit annos natus quinquaginta octo , & regnauit , vt à plæriſque traditum eſt,annos quadraginta quinque. Filios reliquit Andronicum imperij ſucceſſorem,& Conſtantinum Porphyrogenitum. Hoc imperante,in Græcia Cometes conſpectus eſt,qui,cum exarſiſſet circa ſolſtitium æſtiuũ, ſole cancrum peragrante,fulſit ad Aequinoctium Autumnale vſque, & tandem ſub Tauri ſidere euanuit. Nec multo poſt,ſol obſcuratus , tantas terris tenebras effudit,vt ſtellæ interdiu effulſerint. Hæc autem prodigia, ſiue oſtenta, diuinitus immiſſa,proculdubio fuerunt præuia nouarum calamitatum ſigna,quæ poſtmodum per Turcicas irruptiones & progreſſiones in diuerſis orbis terrarũ partibus ſubſecutæ ſunt,quemadmodũ ſuo loco enarrabitur: hiſq; ampliſſimas occaſiones dederunt mutuæ Græcorum ſimultates atque domeſtica diſſidia , quibus tandem factum eſt,vt amiſſo imperio,atque omni libertate ſublata,Barbaricum iugum ac tyrannidem ferre coacti ſint, & in perpetua miſeria verſari , pluri-mæque aliæ nationes,ab eis ,cultu,fide,moribus ac legibus diſſentientes,illorum culpa deinceps in eaſdẽ ærumnas atq; miſerias præcipiti curſu deuolutæ ſunt, citra vllã omnino ſpem priſtinæ libertatis recuperandę. Cæterum periodis regnorum circumactis,cum ad finẽ illa tendunt,ruinã proxime antecedunt , ſicut ti veriſſime inquit Appianus,& diſcordiæ,quæ , ſi quid reliquum eſt , id labefactant. Nec fere niſi fatalibus diſcordijs magna imperia euertuntur: cumque momenta mutationum inſtant,inſigni petulantia accelerantur pœnæ, vt ſignificatum eſt tribus vocibus apud Danielem,quibus Baltaſari Regis denunciatur interitus,& regni dilaceratio. Priuſquam vero Turcarum potentia,eiectis Saracenis,ſeſe longe lateq; diffundens,maiora incremen ta ſuſciperet,& regni pomœria dilataret,

Michael Paleologus extincta Laſcarina, ſibi imperium vſurpat.

Pera Genuenſibus tradita.

Eiuſdem obitus

Andronicus Imp.

Cometa.

Solis eclipſis.

Tartari prius ipſos multis atrociſſimis prœlijs diuexarunt, ac etiam Europam innumeris calamitatibus obruêre. Proinde cum illorum vires tantopere præualuerint, vt eorum imperiũ vniuerſo terrarum orbi quam maxime tremendum, ac formidoloſum extiterit; neceſſarium omnino eſſe duxi, vt de illorum origine, ac rebus geſtis ſaltem aliquid ſummatim ac leuiter attingerem: ne ipſis, quorum tam crebrã in hiſtorijs mentionem fieri videmus, in hoc meo opere prætermiſſis, hac in parte iure merito reprehenderer, præſertim cum ea gens Perſarum imperiũ per aliquot annorũ volumina poſſederit, donec tandem, conuerſa fortuna, maiori potentiæ cedere coacta fuerit, & quæ regna atque prouincias ſibi victricibus armis ſubegerat, non ſecus ac ipſi etiam Saraceni, relinquere; atq; in alias ſedes commigrare.

Tartarorũ origo.

Scythas Aſiaticos, quos Tartaros vocant, qui mediũ inter Riphæos montes, & Oceanum Septentrionalem planiciem incolentes, paulo ante hæc tempora, denſiſſimis agminibus, locuſtarum inſtar effuſi, vniuerſam Aſiam, & plurimas Europæ prouincias, in primiſque Lituaniam, Poloniam, Sileſiam citeriorem, & Vngariam horribiliter vaſtarunt, & Turcis bellum inferentes, perſæpe inclytas & celeberrimas de illis victorias nõ ſine maxima ſuæ gentis gloria retulerunt, cũ tamen prius eorum nomen obſcurum & peneignotum eſſet, antiquitus Moglos vocatos fuiſſe tradunt, cui affine eſt nomen Mogolenorum apud Ptol. ad Tapuros montes, quibus proximum eſt Tartarorum nomen. Sic enim à vicinis potius quam Tartari nominantur, etſi alij à flumine, alij à multitudine vocem profectam eſſe autumant. Sunt apud Plinium & Tochari, Bactrianis vicini, à quibus non ita alienum eſt nomen Tartarorum. Græci, gentes illas vniuerſas, quæ ſupra Caucaſum intra & extra Imaum montem habitant vſque ad Oceanum Indicũ, Scythas promiſcue vocarunt. Erat hæc gens populoſiſſima omnium gentium, ad Septentrionem vltima, quam Homerus mortalium iuſtiſſimam vocauit. Cæterum homines inopem regionem incolentes, omnium deliciarum, & agrorũ, ac vitium culturæ ignari, quibus victum præbebant ſponte è terra natæ herbæ, & ſanguis, & carnes iumentorum ferarumque & volucrum venatus; veſtem nulla arte confectam, animalium pelles: argentum vero, aurum, & margaritas, cæteraſque gemmas nihili faciebant; nullos ſolennes ludos, nulla ambitioſa ſpectacula, nullas diſceptationes habentes: ſed pacatam & ſeditionum expertem vitam agentes: ideoque ſine cultu, ſine lege, ſine ciuili conſuetudine, ac ſine eloquentiæ vſu & argutijs, innata eos iuſtitia regente, aurea libertate fruebantur: quæ regio inſtar ampliſſimi fontis, innumeras varijs temporibus gentes effudit. Deinde progreſſu temporis, hæc gens omnis in ſeptem præcipuas Nationes, ſeu Tribus, quarũ hæc erant nomina, Tatar, Tangur, Cunat, Ialair, Sonich, Mongli, Tebeta, diuiſa, vicinarum Prouinciarum, nempe Georgorum Regibus parebat, & anguſtam pro hominum ac iumentorum multitudine regionem habebant, cũ ſenex quidam ex Tribu Tatar, Changius appellatus, vir obſcuri quidẽ generis, ſed prudentia & ſanctitatis opinione inſignis, in ſomnis oraculo admonitus, multiſque, vt ferebatur, miraculis eius orationi fidẽ facientibus, eos ad libertatem capeſſendam, vberioremque regionem & fines propagandos cohortatur, & Rex atque Imperator ab illis factus, extra inopem illam regionem, quæ inſtar peninſulæ, Perſidi, & Caſpio mari oppoſita, Scythico vndique Oceano clauditur, vnico tantum Iſthmo, quem altiſſimi & inacceſſi Ryphæi montes quaſi vallo quodam muniunt, Aſiæ coniuncta maris fluctibus, vt via illis inter montes ac mare pateret recedentibus, eduxit. Quamobrem omnes illi Scythæ, poſt, à Tribu, ex qua Imperator erat, Tartari, dein Tartari ſunt appellati; quorum antiquiſſimã originem multi ad decẽ Iſraëlis tribus referunt, quod plæriſq; non ita veriſimile videtur, cũ potius exiſtiment, Scythas, à Magogo, Iapeti filio, cuius in ſacris literis ſæpe mentio fit, originẽ ducere: & decẽ illas Tribus à Perſarũ Rege nõ in Scythiã, ſed in Mediã, Perſidẽq; tranſlatas fuiſſe. Ceterũ, vt vt ſe res habeat, Tartari, eo, quo diximus modo, Changio, quẽ Camũ, ſiue, vt alijs placet, Cané honoris gratia, hoc eſt, ſummũ Imper. vocauerunt, duce, ab Hyperboreis effu-

Changius primus Tartarorum Imperator.

ſi, Ioanne Duca Byzantij imperante, ad Caſpium mare deſcenderunt. Changij vero ętas, qui primus regnum acquiſiuit, & legibus atque iudicijs, conſtituit, incidit ferme in annum Chriſti milleſimum, ducenteſimum, ſiue vt alijs viſum eſt, ducenteſimum ſecundum. Ab hoc, Principum origo eſt. Propagauit enim imperium incredibili celeritate, à Synarum regione, & Oceano, vſq; ad Caſpium mare, primuſque extitit, qui Tartaris perſuaſit, vt crederent in vnum ſolum Deum.

Eiuſdem obitus.

Regnauit vero 12. annos, & mortuus eſt in oppugnatione caſtri Targin, cum in genu ſagitta lethaliter vulneratus eſſet.

Hoccota ſecundus Tartarorũ Imperator.

Changio defuncto ſucceſſit Hoccora filius, vir prudens & fortis, duodecim fratrum natu maximus. Hic aſpernatus ſolitudines Orientis, concepit ingenti animo imperium Aſiæ, & Europæ. Aggreſſurus igitur Aſiam, cuius ſuperiores regiones intra Taurum montem tenebant Turci, ijs exceptis, quæ ad Taurum Armenijs ſuberãt, ad Colchidem vero & Caucaſum Iberis Albaniſque veteribus, id eſt, Gregorianis & Mengrellijs liberis populis comprehendebãtur: Aſiam ergo aggreſſurus, mille equites lectiſſimos Gebeſabada duce præmiſit, ad explorandos gentium ritus moreſque, & aditus penetrandos. Qui, vbi per Albanorum Iberorumque nemoroſas conualles ad Derbenti oppidi anguſtias veniſſent, quæ ferreis portis & lapideis antiqui operis propugnaculis præcluduntur, Diryodoro amne ſubterfluente, mox propugnacula montibus oppoſita ad arcendas tranſitu feras gentes Septentrionis, primo impetu capiunt, perque effractas portas, velut in alterum orbem, egreſſi; primo ad Arſengam in Cappadocia Turcorum oppidum delati ſunt, vbi, cum inſtrui magnam vim hominum ad bellum cognouiſſent, reuerſi, ſuo Imperatori, quæ exploraſſent, renunciarunt. Hoccora in ſpes ingentes elatus, Prouincias tribus filijs animo deſtinatas, armis etiam ſubigendas diſtribuit, Iachinum recta ad Occidentem, Battum ad Septentrionem, Cagadanum ad Meridiem cum exercitibus dimittit: ipſe, quæ ad Orientem ſupererant, adoritur. Cagadanus in deſertas Aethiopum terras profectus, amiſſo exercitu ad Iachinum fratrem re infecta reuerſus eſt.

Iachinus.

Nam Hoccota, inter hæc, fatis conceſſerat. Iachinus Ariæ Drangianæque, & Arachoſiæ terras ad regnum Turqueſtan, nec non Parthiam, Mediam ac Perſiam occupauit. Ex ijs locis, velut arce belli, continentibus prœlijs, Turcos laceſſiuit,

Turcorum clades.

donec tandem Batto duce Gouiarę Turcorum Regi regnum ademit, illo ingenti prœlio prorſus conciſo, anno milleſimo, ducenteſimo, quadrageſimo quarto, totaque ad Pontum gente ſub iugum redacta. Longum autem hîc foret recenſere, quæ poſtmodum ab hoc duce contra Hunnos, Circaſſos, Sarmatos, Bulgaros, Raſcios, Seruios, Morauos, Sileſios, atque Vngaros varijs temporibus tum per diuerſos legatos, tum proprijs auſpicijs geſta ſint, cum conſtet, ipſum ad Auſtriæ vſque limites penetraſſe. Sed magnitudine ac robore obiecti ab Auſtriacis atque Sileſijs exercitus detentus, dum per interpoſitum flumen ad hoſtes perrumpere conatur, vorticoſi gurgitis rapiditate abſorptus, interijſſe traditur à nonnullis, tametſi hoc plærique alij penitus negent. Tartari interim, poſt has excurſiones, rapinas & cædes, ampliſſimis prædis atque ſpolijs onuſti, regiones ad Tanaim & paludes Mœeridis patriæ propiores, repetiuerunt. Fuit omnino hæc Tartarorum in Europam irruptio atrociſſimæ tempeſtati ſimilis, quæ vi procellarum obuia quæque perrupit ac proſtrauit.

Cometes.

Anteceſſit anno milleſimo, ducenteſimo, vndecimo, Cometes, qui Maio menſe totos dies octodecim arſit, & terribilem flammam ſparſit. Ideo prorſus fatalem fuiſſe exiſtimãdum eſt. Horũ regũ ſedes fuit Cambalis, ſiue, vt alij vocant, Gambaleſca, ciuitas longe ampliſſima, & totius Aſiæ ad omnem humanam iucunditatem opportuna & optatiſſima, cuius ambitus duodetriginta millia paſſuum habere perhibetur.

Vrbs Cathaea.

Regio autem Cathea olim, nunc Cathai vocatur, in qua vrbs altera, cuius ambitum P. C. M. patere M. Paulus Venetus affirmat. Hæc autem à Cathaina, celeberrima in extremo ad Orientem Oceano ciuitate, cui præeſt Magnus Can, quem ſupremum Regem cæteri agnoſcunt & venerantur, nomen accepit.

Ginus.

Tertiũ Tartarorum Imperatorẽ in regno Cathaniæ, nominant Ginum Magnũ Canem, cuius vita admodũ breuis fuiſſe traditur, eiq; ſucceſſit quidã ipſius conſanguineus, nomine

Mango.

Mango Can, qui perſuaſu Aytoni Regis Armeniæ, circa annũ Chriſtianę ſalutis

115

milleſimum ducenteſimum quinquageſimum octauum, ab idolis patrijs, ad Chriſtianam fidem ſe conuertit. Huius frater Haolonus, ſiue, vt alij appellant, Hiclonus, ipſe etiam Chriſtianis ſacris inſtitutus, totum regnum Perſarum, per id tempus Sultanis inter ſe diſſidentibus, ſuo Principe & rectore deſtitutum, occupauit, indeq; Saracenis expulſis, & pro eius regni tutela atq; cuſtodia decem millibus Tartarorum impoſitis, quandam Armeniæ Prouinciam nomine Sorlochi, ſiue Salore, in ſuam poteſtatem redegit, ac breui poſt, Babylonem etiam opulentiſſimam ciuitatem, quæ nunc Baldacum eſt, expugnauit, anno ſalutis 1258. in qua etiam Calyſa captus fuit, & mox ad victorem perductus, coactus eſt vniuerſum theſaurum coram eo deponere, & interrogatus, num cognoſceret, rotunſillum ad ſe pertinuiſſe. Annuit. Tum Haolonus: Quare igitur, cum tam ingentes theſauros poſſideres, non conuocabas ſtipendiarios & vicinos Dynaſtas, qui te, ac tuam ditionem à potentia Tartarorum defenderent ac tuerentur? Quoniam, inquit, exiſtimâram, ſubditos meos ſatis ſuperque virium per ſe habere, quibus ab omni hoſtili iniuria me ipſum, ac meum imperium protegerem. Tunc Haolonus Calyſæ: Tu diceris doctor omnium credentium in falſa ſecta Mahometi, & immenſis diuitijs atque opibus affluebas. Talem ergo Magiſtrum & tanti Principis ſucceſſorem, non decet alijs epulis veſci atque ali, vnde tibi damus in cibum omnia iſta pretioſa, quæ tantopere adamaſti, & tam auide abs te aſſeruata & cuſtodita ſunt. Ipſum igitur Calyſam in quodam cubiculo recludi iuſſit, & coram eo margaritas & aurum proijci, vt his ſuo arbitratu, omni alio cibo & potu ſubtracto, veſceretur, & ſic tandē humanæ vitæ alimentis deſtitutus, mortalitatem exuit, regno Caliſæ de Babylonia, quod quidem durauerat circiter ſexcentos annos, in ipſo deficiente. Poſt hæc, iuſſu Haoloni, in ea ciuitate, ac finitimis prouincijs, mox omnia Saracenorum templa funditus euerſa, & Chriſtianorum, quæ diruta fuerant, inſtaurata, & Chriſtiani in maximo cultu atque honore habiti, adeo ſane, vt ipſis caſtrorum atque vrbiū præfectura demandaretur, eaque omnia in primis accidêre impulſu coniugis Chriſtianæ, cui nomen fuerat Doucoſcaron, quæ dicitur ex ſtirpe illorum regum, qui venerant ab Oriente viſa ſtella Dominicæ natiuitatis, originem traxiſſe. Haolonus, his rebus feliciter peractis, ad ſpatium vnius anni conquieuit, quo quidem tempore, ad eum venit Haithonus Armeniæ Rex, cum ingenti equeſtrium ac pedeſtrium virorum comitatu, eo nimirum animi decreto, atque conſilio, vt ambo coniunctis viribus, Hieroſolyma ex Saracenorum manibus eriperent. Haolonus paulo ante ipſius Regis aduentum, in Meſopotamiā caſtra promouerat, vbi, capta vrbe Edeſſa, olim Rhages, nunc Orphea nuncupata, mox tranſierat in Syriam. Ibi vterq; de Alepo, totius Syriæ metropoli, expugnanda, conſilia iniuit, quæ, licet vndique muniti ſſima foret, nihilominus tamen tanta fuit oppugnatorum virtus atque ardor, vt eā nouem dierum ſpatio occuparent. Vrbe recepta, ſupererat caſtrum in media ciuitate conſtructum, quod etiam poſt vndecim dierum obſidionem expugnatum fuit: Alepi Sultanus nomine Melechmaſer, tunc temporis erat in ciuitate Damaſci, qui, vbi primum intellexit, vrbem captā vna cum liberis & vxore qui ibidem erant, inops conſilij atque animo conſternatus, eum acceſſit, ſtatimque ad illius pedes prouolutus, demiſſe ac ſuppliciter rogauit, vt ſibi coniux, & liberi cum aliqua parte ſui dominij redderentur. Cæterum ſua ſpe longe fruſtratus, vna cum ſuis ablegatus fuit in Perſiam, ne ſibi in regno Syriæ nouos motus & turbas concitaret, breuique poſt, eidem circiter annum Chriſti milleſimum, ducenteſimum. ſexageſimū, Anthiochiā eripuit. Inter hunc Alepi Sultanum, & Aegyptiū, aſſidua de imperio Syriæ contentio fuit, & flāmis odiorum, ceu pabulū ſubdiderunt diſſidia diſcrepantis ſectæ. Iam tum vero Sultanus vterque Hieroſolymitano regno euerſo, & reliquijs noſtrorum Argonautarum deletis, vniuerſa propemodum, quæ illi poſſedetant, recuperarat. A nonnullis memoriæ proditum eſt, hunc Sultanum, quem Azatinem vocant, cum fratre Meleco, ſeu Melechmaſer, exulē ad Imperatorē Michaëlem Paleologum confugiſſe, quē ipſe paulo ante liberaliter & munifice apud ſe profugū habuerat; cumque, veteri amicitia in me-

Haolonus. Regnū Perſarū à Tartaris capitur.

Tartari Babyloniam expugnant.

Calyſa Babyloniæ fame necatur.

Edeſſa, & Alepum venerunt in ditionem Tartarorum.

Tartari Antiochiā ſuo imperio ſubijciunt.

moriam reuocara,rogaſſe,vt vel ſibi opē ferret contra Tartaros,vel partē aliquā agri,acveluti coloniam aſſignaret,in qua cum ſuis tutius conſideret: adducebat enim ſecum vxores & liberos,famuloſque multos cum magnis diuitijs. Imperator autem,tot vndique bellis vrgentibus,copias ſuas minuere noluerat; terræ autem partem tanto viro,qui antea multis Prouincijs imperaſſet, & regio faſtu ab ineunte ętate educatus eſſet,aſſignare,omnino periculoſum exiſtimabat:ſubiectos enim Satrapas,ducem ſuum quæſituros, & varijs in locis diſperſos,vt planatæ noctu aberrantes, ad eum,qui facem præferret,viamque monſtraret, concurſuros,ac tandem Romanos inſigni clade affecturos. Proinde illum inani ſpe fouens,perplexum atque ancipitem detinebat: vbi,cum Chriſtianis parentibus Azatines natus eſſet,& ſacro fonte à primis annis lauatus,factis concionibus aſſidue cum Imperatore interfuiſſe narrant&:tandē apud eum manſiſſe,donec Scythis Europæis adiuuantibus, ex oppido Aeno cum filio ſuo Meleco profugerit, Iſtroque traiecto,paulo poſt obijſſe. Melecum vero, per Pontum in Aſiam ad Tartaros tranſijſſe,ab eiſque Turcicum regnum,vt paternā hæreditatem, impetraſſe. Cæterum,Satrapā quendā,nomine Amurium,illi infeſtis armis occurriſſe,ita vt fractus,ad Heracleā Ponti vrbem confugerit:ſed modico ſpatio interiecto,ad ſuos reuerſum,patrium regnū recuperaſſe, at breui per inſidias fuiſſe trucidatum. Hæc in præſentia de hoc Sultano adijcienda putaui, ſuo cuique in terea iudicio relict. Verumenimuero vt ad Haolonem reuertar, hunc, poſt captam Antiochiam,ad vrbem Hieroſolymam omnibus viribus contendentem, ex medio victoriarum curſu retraxit fama de Mangonis fratris interitu. Ad ſummum enim inter Tartaros imperium aſpirabat. Sed Gobellus ipſius frater, ab alijs Cobila appellatus,abſentem anteuerterat,ſtudio atque fauore ſubditorum euectus, ſeque iam in regio ſolio confirmârat. Qui deinde 42. annis renuit imperium Tartarorum,& Chriſtianam fidem ad ſupremum vſque vitæ ſuæ diem conſtanter retinuit & propagauit. Cæterum Haoloni aliud quoque impedimentum acceſſit, quod videlicet, Batti filius,à tergo vrgebat, nouo bello partas ab ipſo Prouincias,cui,niſi mature occurriſſet, ex parte regni excid ſſet. Ad hunc modum d uerſis bellis diſtractus,Syriacarum rerum curam& adminiſtrationem cōmendauit vni ex Præfectis Virboco,ſiue vt alij vocant, Guibocæ, ſuo nepoti, cui ad decem millia equitum reliquit. Hic ab initio Chriſtianis plurimum fauebat. Sed poſtquam ipſius nepos à nonnullis Chriſtianis,dum pradam, ex quibuſdam oppidis Saracenorum direptis,collectam, nomine ſui auunculi paulo imperioſius repetit,interfectus eſſet,ad Mahometis fac. a defecit,omneſq; deinceps Chriſtiani nominis cultores ſummo odio proſecutus eſt,ita ſane,vt breui poſt, Sydone vi capta,in eos quam horribiliter deſæuierit. Hu c deinde molienti obſidionem Hieroſolymæ, Aegypti Sultanus Cathos, cognomento Melechmeſes,id eſt, Rex populi,primi ex ſeruili conditione ad regnum euecti,ſucceſſor, celeriter occurrit,& commiſſo prœlio in quodam loco Henyaleck, vocato, dux Tartarorum interemptus fuit,& reliqui fœda fuga diſiecti, eaque clade Tartari tota Syria expulſi,in Armeniam profecti ſunt,& Syriæ regnum, exceptis quibuſdam ciuitatibus maritimis,quas Chriſtiani incolebant,in Saracenorum poteſtatem redactum. Inter quæ,Haolonus,dum nouo exercitu collecto,iterum Saracenos adoriri ſtatuit,morbo correptus,poſt quindecim dierum ſpatium, ex quo ægrotauerat,cum ingenti ſuorum dolore ac mœſtitia viuis exemptus eſt. Fuit enim Princeps militaris,& multis egregijs dotibus ornatus. Priuſquam obiret,à Cobila Can Imperatore, impetrarat, vt Abaga eius filius poſt ſe regnaret, iſque cœpit dominari anno Chriſti 1262. Quo imperante, Benedeclar Aegypti Sultanus(quæ vox,Regem potentem ſignificat) Armeniæ regnum,abſente Rege,qui paulo ante ad præfatum Abagam, Tartarorum Imperatorē perrexerat,inuaſit, & deuictis in acie duobus filijs ipſius Regis,quorum alter,ſtrenue dimicans,in ipſo certamine occubuit,alter vero captus fuit,per vniuerſum regnum excurſione facta, plæraque loca ferro & igne deuaſtauit,& magnā hominum ac diuitiarū prædā illinc retulit. Rex vero, hac ingenti clade perculſus, cum ea tempeſtate à Tartarorum Rége,

Gobellus. *Guibocus.* *Cathos Sultanus Ægypti.* *Tartari Syria expelluntur 1266.* *Haoloni obitus.* *Armenia vastatur à Sultano Ægyptio.*

Rege, propter bella quæ cum vicinis gentibus gerebat, nihil ſubſidij ſperare poſſet, ſuis viribus diffiſus, legatos miſit ad Sultanum Aegypti, & ab eo certis quibuſdam conditionibus inducias obtinuit. Inter cæteras vero conditiones, ea fuit præcipua, vt Regis filius priſtinæ libertati reſtitueretur. Hoc Sultanus ſe libenter facturum recepit, modo ſibi redderetur quidam ex ſuis domeſticis & familiaribus, nomine Sangolaſcar, qui captiuus penes Tartaros detinebatur, ſimulque caſtrum Halepi, Tempeſack vocatum, cum ipſa ciuitate ab Haolone captum, reſtitueretur, & duo alia ſolo æquarentur. Quo impetrato, Regis filius, nomine Tiuonus, ſiue Thynus, mox liberatus eſt; ac breui poſt, Armeniæ Rex declaratus, cum eius pater, qui iā 45. annos regnarat, ſponte imperio ceſſiſſet, monaſterium ingreſſus, ibique paucis poſt menſibus deceſſit, anno ſalutis 1270.

Dum res ita geruntur, Sultanus Aegypti, contra quem Abaga exercitum pararat, Damaſci veneno ſublatus eſt, cui filius, Meleckſair nuncupatus, in imperio ſucceſſit. At breui poſt, per quendam ex ſuis proceribus, cui nomen fuit Erſa, imperio deturbatus fuit. Hoc regnante, Abaga Tartarorum Imperator, fratrem ſuum Mangodaniorem cum triginta millibus Tartarorum contra hunc Sultanum ex Perſia in Syriam ablegauit. Huic etiam nouus Armeniæ rex cum haud exigua manu militari ſeſe adiunxit. Ambo igitur de communi conſenſu, in eam expeditionem pergentes, & Syriam ingreſſi, peruenerunt vſque ad ciuitatem Hames, quæ Camela hodie appellatur, & ſita eſt, vt nonnulli perhibent, in medio regni Syriæ, iuxta quādam pulcherrimam planiciem, vbi nouus Sultanus omnes ſuas vires contraxerat, ibique acerrimo prœlio vtrinque dimicatum eſt, eo quidem ſucceſſu, vt, cum Imperator exercitus Mangodanior, ſeu Mandagamar, vt alii appellant, in medio rerum bene gerendarum curſu, & fortunæ adblandientis aura, cum iam pene de ipſo, parta victoria, hoſte triumphaſſet, iuuenis rerum inexpertus, quippe qui antea nulli bello interfuerat, omniſque honeſti ac decori oblitus, relicto certamine, ſeſe illinc præ metu ſubtraheret, & ſumma celeritate verſus flumen Euphratem iter intenderet: decuriones, & manipulorum ductores, omniſque reliqua militaris multitudo, ſimulatque de ſui Imperatoris diſceſſu & fuga cognitum eſt, protinus quiſque ſuo loco & ſtatione relicta, ipſiſque armis iam iam victricibus, fœde ac turpiter abiectis, ſuum Principem, non ſine maxima ipſius Sultani & hoſtilis exercitus admiratione atque lætitia, ſecuti ſunt, greſſibus eo directis, quo illum ex certis nuntijs ac exploratoribus profectum intellexêre, & tandem ad ripam præfati fluminis aſſecuti ſunt: quanuis autem enixe darent operam, vt eum ad proſequendam victoriam retraherent, is tamen omni prorſus cohortatione poſthabita, confeſtim traiecto Euphrate, in Perſiam rediit, nō ſine maximo Armeniorum incommodo ac detrimento. Abaga, hoc triſtiſſimo atque inſperato nuntio accepto, licet ingentem animo dolorem conciperet, qua tamen erat prudentia & fortitudine illum vultu ſimulans, nihilque hoc acerbiſſimo caſu exterritus, confeſtim nouas copias parat, iuſtoque exercitu iam collecto, ipſemet ad ignominiam delendam, in eam militiam proficiſci ſtatuit, certam ſibi, fretus in primis bonitate cauſſæ, quam defendendam ſuſceperat, victoriam pollicitus: ſed fortuna ipſius votis atque conatibus prorſus aduerſata eſt. Paucis enim ante menſibus, quidam Saracenicus venerat ad Regem Perſarum, ſeque paulatim in arctiſſimam quorundam ex præcipuis ipſius Abagæ domeſticis ac familiaribus miniſtris, qui illi inſeruiebant, amicitiam inſinuans, hoc tandem multis largitionibus atque amplis promiſſis corrupit, eoque rem deduxit, vt ipſe, ac eius filius Argon, hauſto veneno, vterque, vix octo dierum ſpatio tranſacto, è vita migrarit, anno Chriſtianæ ſalutis 1282. Huic ſucceſſit frater Abagæ maior natu, nomine Tangodor, qui, relictis ſacris Chriſtianorum, ad Mahumetum deſciuit, ac ſe Mahumet Can appellari iuſſit. Hic, cum Sultano Aegypti fœdere inito, vniuerſos Chriſtianos crudeliſſimo odio proſecutus eſt, eorumque templis diſiectis, nihil non efficiebat, vt Saracenicam fidem prolataret. Cæterum is, nondum expleto biennio, ex quo regnare cœperat, antequam Tauriſium perueniret, à ſuo nepote Argone, quem, fra-

Abaga.

Mangodanior fugit ex acie.

Abaga veneno extinguitur.

Tangodor.

tre etiam prius interfecto, iugularat, ex ſatellitum & apparitorum manibus, quodam ex præcipuis proceribus opitulāte, vi erepto, captus & mox per medium diſſectus, ſuæ impietatis ac ſæuitiæ iuſtiſſimas pœnas perſoluit. *Eiuſdem cædes. Argonus.* Argonus, patruo interempto, ad regni habenas & gubernacula euectus, confeſtim ad Cobilam Can, Magnum Tartarorum Imperatorem, legatos miſit, qui ei ſuo nomine omnem obedientiam & obſequium exhiberent. Qua quidem legatione præfatus Imperator plurimum ſane gauiſus eſt. Et quoniam ipſe Argonus noluit appellari Can, niſi prius à ſummo Imperatore in dominio confirmaretur, id ab eo quam benigniſſime impetrauit, adeo vt in poſterum ab omnibus Can ſalutaretur. Hic ſtatim ab initio ſui Principatus, Chriſtianorum templa denuo inſtaurari iuſſit, eoſque mirifice dilexit, & ipſe ab omnibus propter eius æquitatem & imperii moderationem, paſſim colebatur. Cum vero Hieroſolymitanam expeditionem animo volueret, eaque de cauſſà cum Rege Armeniæ, reliquiſque finitimis Dynaſtis ac Regulis ſocietatem & fœdus contraxiſſet, fato ſublatus eſt anno regni quarto, *Eiuſdem obitus.* & quendam ex ſuis fratribus, nomine Regaytum, ſucceſſorem habuit, de quo *Regaytus.* nihil memoria dignum traditur, cum omnibus voluptatibus indulſerit, ſeque protſus ſuis Maioribus indignum præſtiterit. Sexennium, imperio præfuit, & in eius locum ſubrogatus eſt Baydo eius conſanguineus, vir prudens, & Chriſtiani *Baydo.* nominis longe amantiſſimus, anno videlicet Salutis 1290. Contra hunc Regem *Caſanus.* Caſanus Argoni filius, Saracenorum ope innixus, arma corripuit; & Baydone in acie ſuperato ac interempto, ſibi imperium vſurpauit. Hic, poſtquam rebus gerendis admotus eſt, nihil habuit antiquius, quam vt Saracenica potentia oppreſſa, Chriſtianam fidem promoueret. Quocirca rebus domi rite compoſitis, nec non vicinis Principibus ac Regibus ſibi mutuo fœderis iure aſſociatis atque obſtrictis, eorumque etiam auxiliis impetratis, potenti ac valido exercitu inſtructis, *Prælium inter Caſanum & Sultanum Aegyptium.* aduerſus Melechnaſer, (hæc vox denotat Regem ardentem) Sultanum Aegyptij caſtra promouit. Hic enim, de aduentu Tartarorum per fideles internuntios commonefactus, cum ſuis copiis ad Manem, vrbem in meditullio Syriæ poſitam, progreſſus fuerat. Vtroque igitur exercitu in conſpectum veniente, non multo poſt, in latiſſima quadam planicie haud procul ab ea ciuitate, explicata acie, collatiſque ſignis, acerrimo & cruentiſſimo prœlio vtrinque dimicatum eſt, *Caſani victoria.* eo tandem exitu, vt victoria à partibus Caſani ſteterit. Hæc inſignis ac memorabilis pugna incidit in annum Chriſti ſupra milleſimum trecenteſimum, decimum, die Mercurii ante feſtum Natiuitatis Dominicæ. Præda in caſtris Sultani ingens reperta, quam Caſanus inter duces ac milites perliberaliter diſtribuit. Fuit autem, præter rei militaris peritiam, prudentiam, probitatem, cæteraſque eximias animi dotes, ſingulari quadam beneficentia præditus. Statura dicitur fuiſſe perexigua, & corpore deformi. Poſt hæc, Caſanam ciuitatem cepit, in qua erat ærarium Sultani. Ille vero, conſpectis immenſis Sultani diuitijs, ſummopere mirabatur, quod Sultanus in ſe bellum moliturus, tantas ſecum diuitias tuliſſet; quas ipſe nactus, ſuis militibus ac præfectis, vt dictum eſt, benigne ac liberaliter impartiuit, ipſe nihil ſibi retinens, præter vnum enſem, & quoddam marſupium, in quo erant ſcripturæ pertinentes ad regnum Aegyptiorum. Sultano debellato, *Damaſcus & vniuerſa Syria à Tartaris recepta.* breui poſt, Damaſcum deditione accepit, & mox vniuerſam Syriam facili negotio recuperauit. Fugientem inde Sultanum Malaynes Dux, & Rex Armeniæ cum quadraginta millibus equitum Tartarorum vſque ad deſerta Aegypti inſecuti ſunt. Verum is, feſtinatis itineribus, Babyloniam contendit. Dum hæc ita fiunt in Syria, quidam ipſius Caſani propinquus atque affinis, nomine Baydo, regnum Perſarum ingreſſus, indigenas ad defectionem ſolicitabat, plurimaque damna illis inferebat. His rebus cognitis Caſanus, operæ pretium fore duxit, vt eius conatibus mature obuiam procederet, priuſquam res in deterius vergerent. Proinde in Perſiam regredi ſtatuens, Molaynum Syriæ gubernationi præfecit, eique pro maiori ſecuritate ac præſidio ad viginti millia equitum reliquit, & Damaſci præfecturam tradidit Capchieko, ſiue vt alii vocant, Calphaco, Saraceno, qui paulo ante à Sultano ad Tartaros deſciuerat, eiuſque fidei Caſanus plurimum tri-

mum tribuebat: ſed re ipſa ſummopere deceptus eſt. Is enim paulo poſt, inſigni perfidia vſus, vt cum Sultano in gratiam rediret, cum illo clam tranſegit, eique Damaſcum & cætera loca à Tartaris per id tempus in Syria occupata, reſtituit, ipſeque præter ingentem vim pecuniarum quam à Sultano accepit, & Damaſci procurationem, etiam ipſius Sultani filiam in matrimonium duxit.

Syriam Tartari denuo amittunt.

Etſi autem Caſanus modico ſpatio interiecto, bis totis viribus bellum redintegrauit, ſemel ſub præfectura & auſpicio Cotaluſſæ, atque iterum ſe duce, tamen vtraque expeditio infeliciter ſucceſſit: Priorem enim ſubita de ipſius morbo fama, irritam reddidit: Poſteriorem exercitum extrema aquarum inopia grauiſſime afflixit.

Mors Caſani.
Carbagada.

Et paucis poſt diebus, vita exceſſit, Carbagada filio, imperij ſucceſſore deſignato, qui, cum inſtinctu Mahometanorum, repudiatis Chriſtianorum ſacris, totum ſeſe ad Mahometiſmum conuertiſſet, complures ſuo exemplo ad defectionem pertraxit.

Tartarici imperij declinatio.

Cæteros ita preſſit ac fregit, vt paruo poſt tempore, Chriſtiani nominis profeſſio apud Tartaros prorſus conciderit, & exoleuerit. Cum ea ſimul concidit regnum Tartarorum in Aſia. Syriam enim Aegyptij retinuerunt. In reliqua Aſia ad Pontum vſque, Turcorum potentia mirum in modum labefactata, paulatim in veterem fortunam reſtitui cœpta, Ottomannorum auſpicijs ac virtute, Tartaricam eliſit.

Parthi auctore Gempſa Perſico imperio iterum potiuntur.

A tergo in Perſiam inuolarunt Parthi, qui circa annum ſalutis ſupra mille trecentos quinquageſimum, auctore Gempſa, magno Parthorum Sultano, Mahometicæ ſuperſtitionis cultore, deuictis poſteris Carbandæ, qui ea tempeſtate in Perſide regnabant, iugum Tartarorum à ſuis ceruicibus depulerant. In Europa vero, qui ſuas receperant vires Roſſi, reiectis Tartaris, vltra Boryſthenē ab vna parte, & ex altera, Zanaim etiam, & Rha fluuium. Quæ flumina limites inter vtramque gentem conſtituerunt, de quibus, cum iiſdem, continentibus prœlijs, diu multumque decertarunt. Hæc de Scythis Tartaris hoc in loco vt commemorarem, ſeries rerum Perſicarum, & occaſio mutationum, quæ in Aſia Turcis imperium reddiderunt, exegit. Cum enim Tartari, eiectis Turcis & Saracenis, Perſiam, reliquaſque Prouincias, quarum ſupra mentionem fecimus, occuparint, neceſſario mihi fuit oſtendere huius gentis originem, primordia, progreſſus, & quandiu in imperio perſtiterit. Sunt autem ab anno milleſimo, duceteſimo, viceſimo ſecundo, quo Aſiam anteriorē, & Europā primum Tartaricæ gentis nomen audijſſe, & immanitatem ſenſiſſe perhibent, vſque ad annum milleſimum trecenteſimum quinquageſimum, quo à Turcis, & Parthis eadem excluſa, Aſiæ imperare deſiit, anni ſupra centum viginti octo.

Tartari quamdiu imperauerint.

Antequam vero ad cætera, quæ ſuperſunt, feſtinet oratio, id tantum adiiciendum putaui de Changio Can, primo Tartarorum Imperatore, cum ſit notatu longe digniſſimum.

Changii morientis vtilis admonitio.

Memoriæ nanque proditum eſt, ipſum, cum haberet filios numero duodecim, & ſibi vitæ finem adeſſe ſentiret, vt eos ad fraternam concordiam retinendam, vt quæ illos deinceps inuictos redderet, incitaret, & eoſdem à diſcordia, quæ maſculam fortitudinem retundit & eneruat, deterreret, faſciculum, qui conſtabat duodecim ſagittis, ſingulis porrexiſſe, vtque in vnum faſciculum colligatas confringerent, imperaſſe. Cum vero illi negarent fieri poſſe, vt coniunctæ ſagittæ frangerentur, patrem, ſibi faſciculum reddi iuſſiſſe, ac eundem diſſoluiſſe, & mox ſingulas ſagittas tradidiſſe filio minori, quas omnes diſiunctas, minimo negotio diſrupit. Quo exemplo admonuit filios, vt mutuæ pacis atque concordiæ perpetuo memores forent: ſi huius vinculo eſſent conſtricti & colligati, nullam vim externam extimeſcendam, quæ ipſorum vires atque imperij amplitudinem labefactare poſſet. Cæterum, ſi mutuis ſimultatibus atque diſſenſionibus inter ſe laborarent, & concordiæ adamantinum vinculum laxarent, atque diſſoluerent, fore, vt nulla difficultate, nullaque maiore vi expugnarentur ac funditus interirent. Porro in hanc ſententiam illud quoque memorabile eſt quod factum legimus à Micipſa Numidorum rege, cum impendere fati neceſſitatem ſibi animaduerteret. Suos enim liberos conuocatos, his verbis affatus eſt. Equidē ego regnum vobis trado firmum, ſi boni, id eſt, concordes; e-rius. ſin mali, id eſt, diſcordes, infirmum. Nam concordia, paruæ res creſcunt:

diſcordia,maximæ dilabuntur. Et hoc quidem in præſentiarum obiter dictum ſit. Sextum Tartarorum Imperatorem Haittonus nominat Tamor Can,qui ſuo tempore regnabat. De ipſius autem potentia,itidemque de Tartarorum fide, vita,moribus & natura, videre eſt apud eundem auctorem vbi agit de Tartaris,cap. 47.& ſubſequenti.

Andronicus Senior.

Verum enimuero , vt iam quæ ſuperſunt, rudera, vt ita dixerim , imperij Orientis,propter res Turcicas atque Perſicas , quam breuiſſime percurram , poſt Michaelem Paleologum,Andronicus Senior patri in imperio ſucceſſit;Princeps inglorius,& in ſuis expeditionibus infortunatus. Hic fratrem Conſtantinum, ob falſam ſuſpicionem affectati regni in carcerem incluſit,bellatorem acrem,& induſtrium,vt qui in Lydia Turcos aliquot ſecundis prœliis fortiter repreſſos detinuerat,ne proferre limites imperij poſſent. Incidit enim hui' Andronici imperium in ea tempora,quibus reſtituta Turcorum potentia, continuo progreſſu in omnem ſeſe Aſiam interiorem incredibilibus ſucceſſibus extendit , cum partas armis prouincias ſeptem Principes,vt dicetur, inter ſe diuiſerunt; quos vniuerſos paulo poſt, Ottomannidæ oppreſſerunt. Horum enim ſeſe potentia ſupra reliquos mirificis incrementis extulit. Præfatus Imperator deceſſit ſeptuagenario maior,poſtquam quindecim annos regnaſſet. Frequentiſſima autem & quam maxima ſolis & lunæ deliquia in hoc tempus incurrerunt : crebris etiam terra quaſſata eſt motibus , quæ prodigia non futuras , aut procul imminentes calamitates præſagierunt ; ſed iam præſentes , ac præ foribus , ipſis oculis demonſtrarunt.

Eiuſdem obitus. Eclypſis ſolis & lunæ. Terramotus.

Andronicus Iunior.

Andronicus Iunior filius fuit Michaelis Imperatoris,qui Michael , nulla alia re inſignis fuit,neque aliud quicquam præclari geſſit,quam quod hunc filium Andronicum Iuniorem progenuit crudeliſſimæ impietatis. Qui auum ſuum Andronicum Seniorem inſidijs circumuentum,imperio deturbauit , fretus potiſſime Genuenſium auxilio,quibus in mercedem Tenedon inſulam pollicebatur;ſed Veneti fortiores, Andronicum Imperatorem in paternum ſolium reducunt,& ab eo Tenedon recipiunt. Vnde poſtmodum inter Venetos ac Genuenſes,permagnæ inimicitiæ atque odia extiterunt. At Iunior Andronicus, cum Michaele Bulgarorum Rege percuſſo fœdere, huius ope atque armis auum coegit, vt repudiata Venetorum ſocietate,Ligurum amicitiam præferret. Sex & amplius annos bellum varium & anceps cum auo geſſit:ſæpe enim inter eos reconciliata pax interceſſione amicorum, & iterum diſſoluta fuit: Tandem cum Byzantium nepos clam ingreſſus eſſet,in auum nihil vltra molitus, illum ſecum imperare, quoad vixit,paſſus eſt,prout à nonnullis traditur. Contra vero à quibuſdam alijs in literas relatum eſt , ſeniorem à nepote in cœnobium compulſum, in quo vitam exegerit. Quod quidem,ob Iunioris tyrannicum ingenium, plæriſque magis veriſimile videtur. Interea temporis, cum propter hæc mutua diffidia & inteſtinas ſimultates negligerentur res Aſiaticæ, Turci , nullarum occaſionum ſegnes,quamplurimas vrbes Bithyniæ ceperunt. Imperator enim,recuperandæ Theſſaliæ magis , quam arcendis aditu Europæ Turcis , intentus, hos in derelicta Aſia confirmare ſeſe , & imperium ad Helleſpontum vſque proferre paſſus eſt. Orchanes enim Othomani filius , per id tempus , Nicæam, & Nicomediam pertinaci obſidione fatigatas , fame tandem perdomuit. Andronicus vero , cum in prima expeditione , nihil omnino profeciſſet, in altera nihilominus,totam Theſſaliam ſubegit,accepto in deditionem Principe. Deceſſit natus annos quadraginta quinque , ſiue , vt aliis placet, vndequinquaginta, imperauit viginti, relicta ex Anna coniuge Alemanna , Ioanne,& Manuele filiis, quorum tutelam,cum impuberes eſſent,Ioanni Cantacuzeno;cuius fidei ac integritati plurimum tribuebat , & quem ipſe in maximo ſemper honore habuerat, commendauit.

Cauſſa diſſidiorum inter Venetos ac Genuenſes. *Turcorum progreſſus.* *Andronici Iunioris mors.*

Cantacuzenus.

Andronicus moriens,filios,vt diximus,ac regnum commiſit fidei Cantacuzeni,quorum Ioannes natu maior,tunc annum agebat duodecimum. Cum vero is aliquot annos vtrumque amanter ac fideliter educaſſet, eiuſque arbitrio omnia

omnia prudenter gererentur, Apaucus quidam, ſiue, vt alij appellant, Apocaucus, proprer vaſriciem & aſtum Imperarori carus, tantum gratia & auctotitate apud eum valuit, vt Patriarcha etiam, viro ambitioſo, id enixe procurante, in exilium eijceretur: Huius iniuriæ & contumeliæ vleiſcendæ cauſſa quinquennali bello viduam matrem & Iohannem filium, ad hoc, Turcorum etiam armis impetratis, exercuit. Byzantio tandem proditione potitus, crudeliter nihil in quenquam ſtatuit: At Cæſaream poteſtatem & dignitatem vſurpauit, non excluſo tamen conſorte Iohanne, filia in vxorē ipſi tradita, quē ſibi generum fecit, vt inter vtrumque firmior beneuolentia coaleſceret: ſed, vt regna ſocium ferre nequeunt, ita cito diſſiljt maleſarta inter vtrumq; concordia. Cum vero maior eſſet potentia ſoceri, ſeque ipſum vi atq; armis tutaretur, gener profugit in Tenedon, adducturus noua auxilia ad ſocerum exturbandum. Impetrauit tandem, vt à Franciſco Cataluſio, patricio Genuenſi, viro ſingulari prudentia, & in re nauali plurimum exercitato, in regnum reſtitueretur: pro quo beneficio, ne prorſus immemor atque ingratus videretur, Mitylenen inſulam, ab alijs Lesbum vocatam, ei tradidit poſſidendam, quam eius poſteri ad Mahometem ſecundum vſque obtinuerunt. Hic enim, capta Conſtantinopoli, vt mox dicetur, omnique Thracia ſubacta, Cataluſiis ipſis vi abſtulit, & Nicolaum Cataluſium, Lesbi Principem, crudeliſſime occidit. Socer abſente genero, cum Venetis, Catalanis, & Siculo Rege fœdus inijt contra Genuenſes. Bellum acre atque ingens motum eſt. Imperator 14. Veneti 40. Catalani 30. triremes armauerunt. Genuenſes, præfecto Pagano Auria 60. Pugnatum eſt nauali certamine inter Byzantium & Chalcedonem, flante violentiſſimo Auſtro, à veſpera vſque ad ſequentem diem hyemali tempore, Venetis à Galliopoli ſoluentibus, ventis ſecundis atque amicis. Ligures, Aeolo & Neptuno aduerſantibus, contra hoſtes potentiſſimos inclyta victoria potiti ſunt. Proximo anno Genuenſes ad Corſicam à Venetis duce Nicolao Piſano, & Tarraconenſibus victi, vnam & quadraginta triremes amiſere, quę cum epibatis ſubmerſæ perierunt. Poſt hanc cladem, cum ipſi Genuenſes, ſe ſuaque Ioanni Archiepiſcopo Mediolanenſi permiſiſſent, Auria, reparata claſſe, Piſanum ad Peloponneſi promontorium, ſuperatum captumque, cum millibus quinque Genuam in carcerem perduxit. Quomodo autem hæc omnia, cæteraque bella quæ Genuenſibus non modo cum ipſis Venetis, eiuſdem imperii æmulis, verum etiam cum reliquis potentatibus ac Regibus fuere, geſta ſint, copioſe & luculenter oſtendi in meis Hiſtoriis atque Annalibus Genuenſibus, quorum etiam ſuperius meminimus. Iohannes igitur opera Franciſci Cathaluſii, vti iam diximus, in regnum reductus eſt, eiq; reduci Cantacuzenus ceſſit, & imperio abdicato, ſeſe in monaſterium abdidit. Andronicum filium natu maiorem, Cæſarem creauit; Manuelem minorem Deſpotæ inſignibus ac dignitate ornatum, Spartæ in Laconica, quam hodie Mizothram vocant, præfecit. Filiam multo ante in vxorem Orchani Turcorum Regi, vt amicis Turcis vteretur, ſeque in imperio tutius conſtabiliret, tradiderat, cum ſe Græcis inſenſum eſſe intelligeret, propterea quod in imperium ſeſe vltro ingeſſiſſet: Andronicus à Palæologo, tanquam æmulus, regno pulſus, confugit in Rhodum, vbi cum fruſtra fidem atque opem magni Magiſtri Rhodiorum imploraſſet, ad fratrem in Peloponneſum rediens eū eo reliquum vitæ priuatus tranſegit. Iohannes regno potitus, in Italiā perrexit, auxilia comparaturus: ſed ibi contumelioſe acceptus, ac tractatus, cum Byzantium remearet, atq; inſuper bellis Bulgaricis & Seruianis vrgeretur, ita amicitiam inijt, ac fœdus cum Amurathe Orchanis filio, qui mortuo fratre Sulaimano, in regno ſucceſſerat, vt & ſe, & regnum in fidem illius traderet promiſſo tributo, quod conſtituerat, & Theodotum natu minimum filium, obſidem dederit, qui caſtra ſequeretur. Hæc initia fuerunt triſtiſſimæ ſeruitutis, quæ Cōſtantinopolitanis Imperatoribus, præter inane nomen, aliud reliquit nihil. Deinceps ita in Turcorū fuerunt poteſtate, vt militare cogerentur per ſe & filios, contra quos illi vellent, & ad imperata præſto eſſe, quotieſcunque vocarentur, nec capeſſere, aut vſurpare imperium auderent, niſi poteſtatem precario à Turcis ob-

Diſcordia inter ſocerum & generum regnandi cauſa.

Mitylene inſula Cataluſio Genuenſi tradita.

Prælium nauale inter Genuenſes & confœderatos.

Genuenſiū victoria.

Eorundem clades.

Genuenſes rurſus victores.

Iohannes Palæologus.

Initium calamitatis in Græco imperio.

tinuiſſent;veriti,ne hoſtilem iram experirentur. Iohannes,imperium,dum abfuir,Andronico primogenito commendauit. Theſſalonicæ Emanuelem præpoſuit. Andronico accuſato de crimine læſæ Maieſtatis,quod cum Amurathis filio in cædem illius conſpiraret,viſum ademit, feruido aceto in oculos infuſo. Theodoro Baiazetes, extinctis Cantacuzenis, Peloponneſi regimen ac præfecturam dedit. Sed ne quidem in hac calamitate à factioſis & perfidis conſilijs atque molitionibus abſtinuêre. Andronicus enim,quanquam cæcutiens,ad Baiazetem , qui Amurathi ſucceſſerat, profectus,per hunc patri regnum eripuit, & illum præterea cum Emanuele fratre in tetrum carcerem incluſit, vnde tertio anno Emanuel , fruſtratis cuſtodibus elapſus, fratrem rurſus Baiazetis conſenſu exturbauit,& cum Iohanne filio vinctum , ad eundem ablegauit. Emanuel,fratre iiſdem artibus excuſſo,quibus patrem ille ſummouerat,regnum obtinuit à Baiazete Turcorum Rege,his conditionibus, vt tres myriades aureorum nummorum annuatim penderet: Philadelphiam, Lydiæ vrbem celeberrimam,cuius obſidio & oppugnatio aliquoties fruſtra tentata erat, traderet, obſides daret, atque auxiliares copias Turcicis, vbicunque bellum gerendum foret, adiungeret: Sed non fuit infidi tyranni diuturna erga Emanuelem beneuolentia,eiuſque animum, vt in tyrannis omnibus,calumnijs patentem, atque ad ſuſpiciones pronum,& iam ante rumuſculis quibuſdam nonnihil alienatum, Iohannes,Andronici filius,odio patrui,magis atque magis incendebat. Proinde Byzantium obſedit Baiazetes: cumque vi capere non poſſet,fame tandem,obſidione in decennium producta,exhaurire conſtituit,quod vtique perfeciſſet, niſi improuiſa irruptione Tamberlanis Scythæ fuiſſet abſtractus. Filios Emanuel ex cõiuge Turcica vidua Regis Trapezuntini filia,ſeptem ſuſcepit,videlicet,Iohannem,qui morienti patri ſucceſſit in imperio,deinde Andronicum,Theodorum, Michaelem,Demetrium,Thomam,& Conſtantinum, qui poſt Iohannem fratrem regnauit, hiſque omnibus ante obitum certas regiones,inſulas, & alia regna ſeorſum aſſignauit. Huius nullæ commemorantur res geſtæ,fuitque auidior pacis quam belli,nec conari quicquam potuit,etiamſi maxime optaſſet,circumſeſſus vndique,atque concluſus ab hoſtibus,& omni exutus potentia. Inuitatus ab Eugenio Pontifice,in Italiam conceſſit,cum celebraretur concilium Florentinum. Inde reuerſus domum,non diu ſuperuixit.

Emanuel Palæologus.

Iohannes Palæologus.

Conſtantinus Palæologus.

Conſtantinus vltimus,Manuelis filius, Iohanne fratre ſine filijs defuncto, ſucceſſit in imperium,ab initio Princeps animi ingentis. Rex enim Peloponneſi ante ſuſceptum imperium,ſæpius cum Turcis in Peloponneſo, & Theſſalia congreſſus,eos fudit fugauitque,ac eis plæraque oppida vi abſtulit,& expugnauit, vnde ob militarem virtutem ac fortitudinem , Draconis cognomentum accepit. Sed vbi Amurathes Turcorum Tyrannus,Heracleam oppidum longe munitiſſimum, expugnauit, murumque, qui Græcos in Peloponneſo tutos ſeruaret, diſiecit,adeo mente atque animo conſternatus eſt,& pene in deſperationem actus,vt,omnis priſtinæ virtutis ac roboris immemor, ad pacis conditiones,quas victor tuliſſet,ſupplex ſeſe obtulerit, & Hexameli murum, qui erat Peloponneſi propugnaculum,à ſe antea inſtauratum,illius iuſſu deiecerit. Hunc deinceps tumultuario opere reſtituerunt Veneti,ſed Mahometes rurſus deſtruxit. Hoc imperante,à Mahomete ſecundo,Amurathis filio, anno regni ſui 3. Conſtantinopolis, poſt obſidionem dierum quatuor & quinquaginta , quarta Cal. Iunij,eo veſpere,quod diem Pentecoſtes ſequitur, aut certe ſequenti mane,capta eſt. Ita habet Maſſ. qui ſe aſſerit ex literis Iſidori, Cardinalis Ruthemi,& Aeneæ Syluij, tunc epiſcopi Senenſis , certo comperiſſe, quod intra dies pentecoſtes, menſe Maio,& anno 1452. non 1453. capta ſit,tametſi plærique alij 1453. annum ponant. Certe anno D. 1452. & 4. Cal. Iunij, expugnatam cum Maſſer ponunt,ſicut diſerte annotat doctiſſimus vir Gerardus Mercator. Et quoniam in hoc opere huius nobiliſſimæ ac præſtantiſſimæ ciuitatis quam creberrima fit mentio,mihi operæpretium facturus videor, ſi, priuſquam de eiuſdem triſtiſſimæ expugnationis funeſtiſſimo exitu aliquid referam,tantæ vrbis,quę tot ſeculis & tam multis temporum

Conſtantinopolis capitur à Mahomete.

Byzantij deſcriptio.

potum voluminibus maximo in honore, atque rerum omnium florentiſſimo ſtatu ſtetit & permanſit, ac etiamnum permanet, ac floret, primordia, & quaſi incunabula recenſuero. Multi ſcriptores de huius primis conditoribus inter ſe variant, & multis rationibus adducti, plane inter ſe diſcrepant. Grauiſſimos tamen habeo auctores, qui putant, Byzantium ea præcipue de cauſſa eſſe appellatum, quod inter cæteros eius conditores, Byzantia longe reliquis auctoritate, atque nominis claritudine antecelluerit. Sed doctorum conſtans opinio eſt, Byzantium à Carthaginienſibus conditum eſſe; quos valde nauibus fuiſſe inſtructos, & procul merces tranſuexiſſe, multæ hiſtoriæ hactenus prodiderunt, ac nonnullis quidem videtur, nominis originem ex lingua Phœnicum fluxiſſe, conuenientem ſcilicet, nouo emporio, in loco voluptatibus & illecebris maxime opportuno. Nam Beth-zona, Phœnicum lingua, cauponæ domum ſonat, & mores vetuſti appellationem congruere oſtenderunt. Scribit enim Philarchus, Byzantinos ſolitos in cauponis & diuerſorijs dies noctesque conuerſari. & portus alter ex oppoſito collocatus, nominatus eſt mulierum portus. Deinde Megalenſium colonia eo deducta eſt, ita vt vna cum ipſis colonis Græca lingua, & leges etiam eo illatæ ſint. Hanc vrbem arctiſſimo, inter Europam, Aſiamque diuortio, in extrema Europa poſuêre Græci, quibus Pythium Apollinem conſulentibus, vbi conderent vrbem, redditum oraculum eſt, quærerent ſedem cæcorum terris aduerſam. Ea ambage Chalcedonij monſtrabantur, quod priores illuc aducti, præuiſa locorum vtilitate, peiora legiſſent. Quippe Byzantium fertili ſolo fœcundoque mari, quia vis piſcium in Pontum erumpens, & obliquis ſubter vndas ſaxis exterrita, omiſſo alterius littoris flexu, hos ad portus defertur. Byzantini, Xerxe rerum apud Græcos potiunte, grauiſſimis bellis diu cum tota Græcia diuexati fuerunt, adeo vt finitis bellis, interdum Lacedæmoniorum, interdum vero Athenienſium ſocij extiterint. Deinde, enaſcentibus nouis motibus, Macedonibuſque toti terrarum orbi magnum terrorem inferentibus, Philippus Alexandri Magni pater, eam diuturna obſidione ad deditionem coegit, ſub cuius imperio aliquandiu permanſit. Romanis vero temporibus, cum de imperio inter ſe certarent Peſceninus & Seuerus, & ille Byzantium prior occupaſſet, hic, ne tantæ vrbis iacturam faceret, totum triennium & ſemeſtre eam obſidione cinxit, & cum magna hominum multitudo varijs ibi caſibus perijſſet; fame tandem ad deditionem compulit, magnaque ex parte muris dirutis, deleuit, quos, teſte Herodoto, tanta arte factos fuiſſe inuenimus, vt mirum fuerit, deſtrui & ſolo æquari potuiſſe. A Seuero vſque ad Conſtantinum, anni ſunt ferè centum. Interea nec vrbs reſtituta, nec muri inſtaurati ſunt. Verum Conſtantinus ad ſummum imperij faſtigium euectus, loci opportunitate commotus, vtque facilius hoſtiles impetus, & Perſarum in primis, qui ſubinde loca Romanis ſubdita, perpetuis ferè incurſionibus diuexabant, reſiſteret, vrbem ipſam non ſolum reſtituit, ſed etiam ſplendidiſſimis operibus, & dignitate ornauit, ita vt cum vrbe ipſa Roma ſplendore & magnificentia certaret. Hæc fere ſunt, quæ de huius inclytæ ac præclariſſimæ vrbis initio in medium ferri poſſunt. Si aliqui exiſtant, qui alijs opinionibus regantur, hoc, me non refragante, illis omnino integrum ac liberum eſt. Satis eſt, me, ex tantorum auctorum ſcriptis, hæc in medium, ceu veritati conſentanea protuliſſe. Sed nunc admonet me temporis ratio, vt huius ſplendidiſſimæ vrbis triſtiſſimam obſidionem & expugnationẽ, non abſque ſummo dolore atque lacrymis, hiſtoriæ breuibus intexam. Satis compertum habemus, Conſtantinopolis obſidionem Nonis Aprilis à Mahometo ipſo inchoatam fuiſſe. Et neminem mediocriter in hiſtoria verſatum latet, tum temporis intra mœnia, præter vrbanam multitudinem, tantum ſex millium Græcorum militum, & auxiliariorum Venetorum, & Genuenſium trium millium fuiſſe. Contra, Mahumetus ad trecenta hominum millia, vti diximus, infeſto agmine ſecum per longa locorum & temporum interualla adduxerat; quæ multitudo maxime collecta fuit ex vicinis gentibus, quæ adhuc ſub Chriſtiani nominis titulo diram ſeruitutem ſeruiebant, vel ſaltem, deſertis Chriſtianæ religio-

Conſtantinopolis à Mahumeto Turcorum Rege obſeſſa & expugnata.

nis ſacris,turpiter ad barbarum hoſtem defecerant. Conſtabat nimirum,ex Græcis,Illyricis,Valachis,Dardanis, Thracibus, Bulgaris, & Triballis: Turci pauci fuerunt, & eorum pars fuit ex Aſia, Bithyni, Galatæ,Lydi,& Cilices,adeo me hercule,vt valde deplorandum ſit,eo eſſe deuētum, vt Turcici tyranni ſic nobiſcum bella gerant, vt gentes nobis cognatas & affines, nobiſcum dimicare cogant. Turca igitur,tanta hominum frequentia fretus, ſic diſtribuit copias, vt tribus locis terra muros concuteret, & diſiiceret, ac per ruinas tentaret irruptiones. Sed oppidani valde animati erant; & magna atque egregia virtus in ipſis defenſoribus conſpiciebatur, quorum dux Iuſtinianus Genuenſis fuit, qui, inter cætera præclara ornamenta, etiam à virtute bellica & naualis rei notitia plurimum commendabatur, adeo ſane, vt eius conſiliis ac ſumma prudentia res Conſtantinopolitanæ valde initerentur. Habebat ipſe dux penes ſe Ioannem Grandem Almanum,paſſim in hiſtorijs notum,cuius opera & rei militaris peritia fortiter irrumpentes Turcas repellebat.Sed,quanquam multi Turcici nominis milites paſſim globis & ſagittis interficerentur,tamen exiguæ hæ copiæ, quæ ad defenſionem vrbis relictæ erant, tribus locis, contra tantam multitudinem impates erant, & diu ſufficere non poterant, præſertim cum vtrimque cuniculi agerentur,in quibus Turcicorum foſſorum conatus prorſus irriti fuerunt, ita vt in ipſo portu aſſidua prœlia poſtmodum committerentur. Adduxerat enim Turcicus tyrannus,ex diuerſis maris Aegæi & Euxini littoribus, ducenta & quinquaginta nauigia, vt portum Byzantinum arcta obſidione premeret, & littora nauibus, tanquam natiuo ponte,iungeret. Cæterum,ſtabant aduerſus Turcicas naues in ipſo portu ſeptem Genuenſium,tria vero Cretenſium nauigia,& paucæ ex Chio inſula naues acceſſerant, quæ omnibus neceſſarijs iuſtructæ,ad vrbis tutelam ſeſe compoſuerant, & portus ipſe ferrea cathena clauſus erat, ne in eum, ſcilicet,Turcicæ naues penetrare atque inuadere poſſent. Tandem ad omnem occaſionem opportunitate monſtrata, defenſores eruptionem cum nauibus ſuis fecêre,& fortiter cum Turcis prœliati ſunt, eo certe euentu, vt primis illorum cœptis fortuna annueret, & victoriæ ſpem non exiguam oſtenderet. Incenſis namque Turcicis nauibus, tota naualis claſſis aliquot diebus ſine vſu ſtetit. Verum cum nihil reliqui ad ſummam diligentiam ab ipſo Turca,longæ obſidionis tædio valde furente, & ira accenſo, prætermitteretur, tandem ars excogitata eſt,qua in ipſum portum penetrarent: eoque ſucceſſu, vndique terra & mari vrbis mœnia quatiebantur. Tyrannus ea de cauſſa bene ſperare cœpit, ſe vrbe potiturum.cumque multis locis deiecti eſſent muri, & ex portu facilis eſſet irruptio,ſexto Cal.Iunij Barbari, admotis ad mœnia ſcalis,& ex portu, aliiſque locis ingenti clamore in vrbem irrumpere conantur. Stat interea in vicino colle ſpectator tyrannus; hortatur ſuos,& horribili voce inflammat, & accendit, vt fortiter aſcendant muros,vociferatur horribiliter, ſicubi videt ſuos repelli ac interfici,& confirmat trepidos. Fuit enim tanta virtus defenſorum, vt pars Turcici exercitus, cum multi paſſim pluribus in locis interfecti eſſent,cederet, adeo ſane,vt victoriæ ſpes,viris fortibus vrbem propugnantibus,animum & robur addiderit, & tyrannum periculi magnitudo mouerit, vt horribili vlulatu cedentibus minitaretur,nec non cohortes,quas velut triarias apud ſe retinuerat, iuberet, cedentes, vel ſegnes, citra aliquam moram interficere. At contra Græcus Imperator, è ſua ſpecula iam bene ſperans, viciſſim hortatur ſuos, vt non deſperatis rebus, cum clare Dei optimi maximi auxilium ob oculos videant, bona cum ſpe, maioribus tamen cum animis, prœlientur. Quibus dictis,& vocibus incenſi milites, ibi rurſus conuerſa eſt prœlij fortuna, vulnerato Genuenſi Iuſtiniano Duce, cuius caſum miſeratus Imperator, iubet & hortatur,bono eſſe animo, neue ſtationem ſibi demandatam aliquo modo derelinquat,præſertim cum ipſum vulnus non eſſet lethale. Verum Iuſtinianus, fatali puto caſu, potius animo fractus,quam vulnere debilitatus,nullo ſibi in ea ſpecula ſubſtituto,qui ceteros confirmaret & regeret, aufugit,adeo me hercule,vt milites,animaduerſa ſui Ducis fuga,illius exemplum ſecuti, quia ibi in vrbem aditus patebat,

pari

pari modo ſtationem reliquerint. Turci videntes eum locum à defenſoribus deſertum eſſe, magno agmine ibi intra vrbem infunduntur. Iuſtinianus vero, in vicinam Chalcedonem, quæ nunc Pera, vernaculo vero idiomate Galata nuncupatur, ſe, vt fama eſt, medendi vulneris gratia recepit, vnde poſtea in Chium nauigans, ſeu vulnere, ſeu mœrore animi, inglorius perijt, magna profecto cum nominis ſui, retroactæque vitæ iactura, nimirum cum, derelicta vrbis propugnatione, haud parum ſibi, ſuiſque rebus antea præclare geſtis derogauerit: quod, omnium iudicio, ipſius, tanquam ſummi Ducis abſentia, maiori ex parte factum fuerit, vt tam præclara vrbs, tot tantiſque alacribus & promptis militibus, ac defenſoribus ſubnixa, in crudelis & Barbari hoſtis poteſtatem cederet. Quanto ſatius fuiſſet, ſi multorum præſtantiſſimorum virorum, atque adeo in primis ſuæ nobiliſſimæ laudatiſſimæque familiæ exempla imitatus, ex tam præſenti atque obuia occaſione, etiam cum extremo vitæ periculo, immortalis laudis ſibi gloriam quæſiuiſſet? Quid enim in rerum natura homini, præſertim nobili, optatius, & laudabilius contingere poteſt, quam ex præclaris ſuis actionibus, innocentiæ, ac probitatis famam aſſequi? quod deinde glorioſius, quam pro patriæ ſalute, pro aris, pro focis, fortiter dimicare? Quid poſtremum ſanctius, & Chriſtiano viro dignius, quam pro Chriſtiani nominis dignitate ac propagatione contra tam Barbarum hoſtem, Chriſtiani ſanguinis ſitientem, & nunquam exſatiatum, fortiter in ſtatione ſibi demandata occumbere, & animam ipſam ſub piis armis in beneficium Chriſtianæ pietatis indutis, exhalare? Quod cum intelligerent omnibus fere ætatibus magni viri, ſemper extitêre qui hoc nomine clari euaderent. Ac ne ab ipſa antiquitate exempla petamus, quis ignorat, noſtrorum patrum memoriam, Marcum Antonium Columnam, vt natalium ſplendore celebrem, ſic bellica virtute, atque in ſuum Principem fidei conſtantia glorioſum, dum Veronam pro Cæſare Maximiliano aduerſus Gallicum exercitum, Lautrechio duce, longe lateque graſſante, defenderet, fortiter ſeſe geſſiſſe, & maiorum ſuorum veſtigiis inhærendo, auitam illam gloriam & ſplendorem egregiis factis accumulaſſe & illuſtraſſe? Is enim, præter cætera egregia ſua facta, cum pro ea qua pollebat auctoritate, & magnanimi ducis ac ſtrenui militis explere vult munera, aciem ipſam contra hoſtilem impetum inſtruit, dumque magno animi robore, deſpectis omnibus periculis, imprudentius inter armatorum cuneos verſatur, & ſubinde obequitando circumuagatur, hoſtes, tanti Ducis maieſtatem diligentiſſimis oculis obſeruantes, vbi primum occaſionem ſibi dari cernunt, tentata fortuna, maioris bombardæ ictu emiſſo, ictus eſt, adeo vt licet plumbea pila per brachium adacta, per ſcapulas emergeret, & quatuor receptis vulneribus ſaucius eſſet, nihilominus tamen, vt vir erat ſingulari fortitudine, ne alios ſuo dolore animis disiiceret, magno cum vitæ ſuæ periculo acerbiſſimum dolorem diſſimulauit, & non antea aliquod ſpecimen iuſti doloris dedit, quam murus ille, pro cuius disiectione inſtabatur, omnino eſſet dirutus atque conuulſus: quo demum prolapſo, & tot hoſtibus eius ruina oppreſſis, veluti expiato vulneris dolore, in tabernaculum conceſſit; tantaque mox lethalis plagæ fuit ſecuta acerbitas, & diu pertinaci morbo conflictatus, ſummum, imo vero extremum vitæ periculum ab omnibus medicis incurriſſe crederetur. Interea Imperator Conſtantinus Palæologus, ac plærique alij proceres, cum nullum vitæ ſubſidium, vel ſpes, niſi in ſola fuga relinqueretur, vitæ retinendæ ſtudio, dum vrbem egredi vellent, in ipſa porta vel trucidati ſunt, vel colliſione interempti. Erant in ipſo Conſtantino heroicæ virtutes multæ, & quæ tantam dignitatem atque potentiam mirum in modum augerent atque attollerent, ita certe, vt ipſe tanto imperio par magnam laudem promeruiſſet, ſi meliori fortuna in imperii ſui adminiſtratione vſus fuiſſet. Sed cum multorum grauiſſimorum virorum auctoritate & iudicio imperia ipſa etiam habeant ſuas periodos, vltra quas non progrediantur; fatali quadam ratione factum fuiſſe exiſtimandum eſt, vt, quemadmodum ſub Conſtantino Magno, Helena progenito, hæc præclariſſima vrbs reſtaurata, & imperij Orientis ſedes electa fuit, ſic etiam ſub hoc Conſtantino Palæologo, primi eiuſdem vrbis

M. Anton, Columna ſingularis fortitudo,

Conſt. vlt. Imp. obitus,

reſtauratoris cognomine, & Helena etiam matre genito, vrbs ipſa vna cum imperio, in alienam poteſtatem deueniret. Multi incertum eſſe putant, quo in loco Imperator ipſe ceciderit: equidem tamen multis coniecturis adducor vt credam, ipſum ad portæ exitum contrucidatum fuiſſe. Nam ſatis liquet, in ipſa porta vltra octingenta cadauera colliſorum & vulneratorum reperta. Itaq; Turci victores facti, per toram vrbem horrendis atq; ſtupendis vultibus atrocibuſque oculis vagantur, & obuios ac in ædibus ſenes abditos, matronas, virgines, puberes & impuberes, nullo habito diſcrimine, confodiunt. Rapiuntur præterea multæ nobiles matronæ, & præclaræ ac pudicæ virgines, ad ſtupra. Quæritur in omnium ædib. & templis præda, & omnia ſcelera toto triduo libere fiunt, quæ gens barbarica, impia, libidinoſa, auara, & crudelis, in capta vrbe regia facere & perpetrare cum magna Chriſtiani nominis contumelia, audet & gloriatur. Narrant enim, in cõuiuijs Turcicis matronas & virgines pudicitia & nobilitate cæteris antecellentes, poſt varias & longas contumelias, quaſi per ludum diſcerptas fuiſſe, adeò profecto, vt neſciam, an horribiliora exempla legantur in vllius vrbis excidio. Quorum certe cogitatio mouere nos debet, vt viuamus modeſtius, & Deus nos à tanta laniena conſeruare dignetur. Poſt triduum ingreſſus vrbem Mahometes, tumultus ſedari imperat, & inquiſitos proceres aliquos, qui adhuc reliqui erant, pari crudelitate diſſecari iubet. Sic, cum omnium vrbium regina, in toto genere humano, poſtquam hoc vetuſtiſſimum Græciæ imperium ſupra mille, centum & nonaginta annos floruiſſet, capta & direpta ſit, & omnem obſcœniſſimorum latronum ſæuitiam experta, quid impendeat aliis gentibus, & vrbibus, crebro & ſerio nobis cogitandum eſſe exiſtimo. Nec fruſtra nobis proponi tam horrendas tragœdias ſecuri imaginemur, &, vt antiquitatis exempla, ſcilicet diluuium, interitum Sodomorum, Romæ, Byzantij, Corinthi, & aliarum innumerabilium vrbium euerſiones taceam, quid rogo hiſce noſtris temporibus non accidit in Gallia, & proxime in Belgio, quod cum ipſius antiquitatis horribilibus exemplis iure conferri & comparari nequeat? adeo vt exclamare libeat, O duriora omnibus ſcopulis pectora, quæ talibus iræ diuinæ exemplis non mouemini, quæ ne ipſum quidem humani generis capitalem & indefatigabilem hoſtem ſatanam, ſine tremore, ac venturi iudicij metu, ſpectare vix poſſe exiſtimo!

Clades Conſtantinopolitana, & Turcorum ſæuitia.

Quamdiu ſteterit Græcorum imperium.

Pera à Turcis deditione occupata.

Perenſes, cognita Byzantinorum clade, cum tam immanem & barbarum hoſtem viribus, ac recenti victoria exultantem, & ob oculos verſantem viderent, veriti, ne idem periculum adirent, & maioribus, vel ſaltem paribus ludibrijs reſeruarentur, circa aliquam longam deliberationem, deditionem ſponte fecerunt: ſed quamuis ipſa deditio ſub certa tranſactionis formula ſubſecuta ſit, tamen crudelis hoſtis pactorum & fœderum immemor, muros Perenſium diruit, bona diripuit, feminæ ac viri iuxta per omne ludibrij & contumeliarum genus habiti atque diſtracti, non ſecus ac ſi viribus expugnati, & ad deditionem coacti fuiſſent, parem fortunam cum Conſtantinopolitanis victis ſubiẽre. Hactenus de vrbis Conſtantinopolis obſidione & expugnatione per Mahometem II. Turcorum Imperatorem facta, ſatis abunde diximus. Hanc, præter cæteros, luculenter deſcripſit Leonardus Chienſis Mitylenæ Antiſtes, ac itidem Laonicus Chalcondyla libro octauo, qui etiam de Nataro Conſtantini Imperatoris præfecto, ac Ochano Mulſumanis nepote, hæc ſubiungit. Cum audiuiſſent, captam eſſe vrbem, accurrerunt ad turrim quandam vrbis, quaſi hîc deliberaturi, an omnes fuga ſibi conſulere deberent. Cum in hanc turrim aſcendiſſent, Orchanes obſitus pannis cuiuſdam Nazaræi, ſeipſum præcipitem ex turri dedit, eoque caſu mortuus eſt. Notares obſidione circundatus, tandem in conferta hominum turba ſimul cum liberis in hoſtium poteſtatẽ venit. Deinde paulo poſt, Græci, inquit, quotquot exitium euaſerant, abducebãtur Galatiam, & libertatem recipiebant. Hi erant viri præ cæteris maxime illuſtres. Notarem Regis Græcorum primarium iudicem, cum vxore & liberis emit Turcorum Rex, & cũ eo collocutus, permiſit ei, vt vbi vellet, cum ſuis habitaret. Hic autem expectabat auxilium ab Italia, quod breui affuturum arbitrabatur. Interim tamen By-

zantij

zantij cum Rege manſit. Quidam Græci, qui erant libertatem conſecuti, & præſenti exitio ſubtracti, iterum colligebantur Byzantij, propinquos & amicos eorũ in libertatem antiquam aſſerentes. Verum haud multo poſt, Regis iuſſu omnes interiêre: quod quidem ſic eueniſſe compertum eſt. Vbi autem eſt rumore allatum ad Regem, Notaræ eſſe filium natum annos circiter duodecim, vnum de ſuis pincernis miſit petitum puerum. Notaras, poſtquam accepit ex pincerna Regis voluntatem, grauiter ira ſuccenſus eſt, ſibiq; eam petitionem admodum periculoſam, & intolerandam fore iudicabat, & ſic compellauit pincernã regium: O pincerna, haud ferendum eſt, Regem mihi velle eripere, cum nihil ſit ꝙ crimini det, cum ſemel errorem remiſerit. Sin autem id fixum, ratumq; in animo Regis, quare non imperat, vt nos turpiſſimæ morti liberos noſtros tradamus? Hæc locutus, addidit, ſe nequaquam filium regi petenti daturum, cum nullam in ipſum cõmiſerit culpam. Pincernæ autem adhortanti & monenti, ne talia & diceret, & faceret in Regẽ, quaſi illico periturus, non obtemperauit. Pincerna igitur reuerſus ad Regem reſponſum quod ab Notara acceperat, exprompſit. Rex iratus, præcepit, vt Notarã cum liberis quos ſecum haberet, continuo abduceret, & neci darent. Hos, quibus id negotij iniunctum erat, cum adueniſſent, rogauit Notaras, vt primo liberos in cõſpectu ſuo occiderent, & poſtremo in ſe hoſtili ferro ruerent. At filij timentes mortem, precibus fatigabant patrẽ, vt interfectorib. opes vniuerſas quas in Italia haberet, pernumeraret, ne ipſi perimerentur. Sed pater liberorum preces auerſatus, iuſſit, vt forti animo ad imminentem mortẽ irent. Hi quidem primo interfecti ſunt. Poſtea ſe necandum & ipſe interfectorib. præbuit. His ita peractis, nec reliquis Græcis pepercit rex: verum omnes, quotquot liberati aderant Byzantij, ad ſupplicium extremũ rapi iuſſit. Hi quidem pecorũ modo percuſſi, nulla eorum ratione habita, perierunt. Regem autẽ in Græcorum cædẽ concitauit aduena quidam, cuius filiã ardentiſſimo amore proſequebatur Rex, & congreſſus cum ea, amore amens, propinquis mulieris, quæcunque petiiſſent, gratificabatur. Huius itaque patri obtemperans, Græcos mactari iuſſit. Apparet, Byzantij exitium miſerabile, ſuperaſſe omnia, quæ per vniuerſum orbem contigiſſe ſcimus excidia. Nec diſſimile eſt Ilij excidio. Vltionẽ Ilij, diruti Byzantii calamitatem quidam credunt, Græcis Barbarorum vi pereuntibus. Romani quidem conſtanter aſſeuerant, vltionem apprehendiſſe Græcos, propter ea quæ Barbaris fecerunt in Ilii deſtructione. Hæc Laonicus. Hic igitur fuit calamitoſiſſimus exitus Conſtantinopolis, vrbis Romæ æmulę, cuius quidem imperium longe florẽtiſſimum, millecentum ac nonaginta amplius annis ſtetit. Eſt autem in hoc excidio illud admirandum, ꝙ hanc vrbem Conſtantinus Magnus Imperator, ex Helena matre progenitus, miro ornatu extruxit, & è ruderibus nouam pene reformauit, quam Conſtantinus 8. qui eiuſdem nominis matrem Helenã habuit, Turcorum iugo ſubdidit. Cæterum, hi ſunt Imperiorum fatales periodi, ac limites diuinitus cõſtituti, de quibus, viri doctiſſimi & inprimis Plato, non pauca ſcitu digniſſima diſſeruerunt. Manſit autem huic familiæ Palæologæ imperiũ Græcorum annis circiter centum nonaginta quatuor, donec tandem in manus Turcorum Regis Mahumeti Otthomanni deuenerit. Ipſe vero Conſtantinus annos triginta & menſes tres in imperio præfuit. Hoc autem, inter reliqua Chriſtianæ Reipub. triſtiſſimum euenit, ꝙ, vt olim Chriſtiani Imperatores, ex ſingulis Græciæ oppidis, certum numerum liberorum, in quibus egregia indoles inter cæteros elucebat, delegerunt, quos ad publica officia militiæ togatæ & bellicæ in aula educari curarunt; ita Turci, occupato Græcorum imperio, idem ius eripiendis patribus familias liberos ingenijs eximijs præditos, vſurpant: qui ad Turcicæ religionis ritus & ad militiam inſtituuntur. Verumtamen hos pecunia redimere à conquiſitoribus ſæpe parentibus licet. Reliqui, cum virtutis ſpecimen in bellis egregium præbent, ad ſummos dignitatis & honorum gradus euehuntur. Et multos hæc exempla, & gloria militaris, quæ in generoſis naturis acerrimus ſtimulus eſt, ad Mahometicam religionem inuitant.

Exemplum ſingularis conſtantiæ & magnanimitatis.

Conſtantinopolitanũ imperium quandiu ſteterit.

Palæologæ familiæ imperium quandiu permanſerit.

HISTORIAE RERVM PERSICARVM

Liber Nonus.

EX ſuperius enarratis, ſatis & abunde, vti opinor, conſtat qua calamitate res Romanæ afflictæ, ſenſim ira debilitatæ ſint, vt Græcorum Imperatoribus, ius & titulum ſibi in Romanum imperium propter translatam ab vrbe à Conſtantino ſedem Byzantium vendicantibus, eo arrogantiæ propter potentiæ opinionem deuenerint, vt, dum ſibi omnia licere putant, nec quicquam honeſti vel publici commodi penſi habent, Nemeſi atque Adraſtia iam pœnas ab ipſis exigentibus, illorum potentia conciderit, adeo, vt priuatim debilitati diſcordia, foris vero fracti bellis, & diuerſis omnium ferme fortunis, non modo antiquum imperij Romani nomen, ſed etiam Græcæ dignitatis amplitudinem externorum tyrannorum libidini obiecerint. Quippe ſatis, ſicut diximus, ita volentibus, vel potius vrgente atque inſtigante nos noſtrametipſa ambitione, vel inertia iuxta dicam, neſcio, vel vtraque potius, vtriuſq; imperij ſumma ad familiam Ottomannicam deuoluta eſt, tantiſque à barbaro tyranno ſtudijs retenta & propagata, vt nihil penes Chriſtianos, quam inanis tituli ſumus, & nomen, ſi res ipſa penitius introſpiciatur, reſideret. Porro quibus initijs, quibuſve progreſſibus hæc familia, à tanta nominis obſcuritate, ad tantum ſplendorem atque imperij amplitudinem emerſerit, nõ alienum à noſtro inſtituto obiter enarrare fortaſſe erit, licet non me fugiat, Turcicæ gentis hiſtoriam plurimorum literis eſſe proditam, quorum vel præcipuam laudem meretur Leonichus Chalcondila, quem ego hoc loco ſecutus, dignum exiſtimaui, cuius verba hîc adducerem, cum ipſe, inſtar multorum eſſe poſſit, ex cuius ſcriptis plena Ottomannici ſtemmatis origo percipi atque edoceri queat.

Ottomannicæ ſtirpis origo.

Loquitur enim in hanc ferè ſententiam. Quantum attinet, inquit, ad Ottomannidas ex familia Oguziorum ortos, vt ad clariſſimum hoc imperium euaſerint, nunc explanare inſtituo. Vicus eſt iuxta Myſiam, quem Sogutam incolæ vocant, vbi eſt & fluuius eiuſdem nominis. Vicus ille rerum omnium adfluentia pollet, remotus à mari Euxino ducentis quinquaginta ſtadijs, poteſt idem locus Itææ vicus nominari. In hanc regionem cum Oguzij penetraſſent, ibi aliquanto tempore habitarunt.

Ottomannus primus Imperator eius familiæ.

Ottomannus autem, Orthogolis filius, initio non admodum ſecundis agebatur fortunæ flatibus. Proinde, cum eſſet animo liberali & forti præditus, animos eorum qui in vico agebant, opibus ſibi conciliat, breuique ſibi addictiſſimos habuit. Hinc cum odijs certarent continuis aduerſus Græcos, omnium aſſenſu Imperator declaratus eſt. Bello itaque adortus Græcos, qui in ea regione habitabant, non prius prœlio exceſſit, quam eum omnes aut cæcidiſſet, aut fugaſſet. Hinc proſpere ſuccedentibus rebus, victorias plurimas Græcis extorſit. Cum autem fama nominis ſui quamplurimas oras impleuiſſet, etiam apud Aladinum maxima gloria viguit, creatus ab ipſo dux, cum vndique præclaris æditis facinoribus, res fortiter geſſiſſet, Defuncto Rege Aladino, diſcordia inter regni optimates exorta eſt. Orthogules adhibitus in colloquium, cum multum temporis deliberando eſſet abſumptum, tandem icto fœdere, promiſit, ſe ipſis & ſocium auxiliarem fore, quocunque in militiam proficiſcantur: hac tamen conditione, vt quaſcunque regiones, coniunctis copijs ſuo imperio adiunxerint, eas inter ſeſe partiri velint. Cum igitur, vt fœdere tenebatur, communi

Septem Principes regna inter ſe partiuntur.

conſenſu viribuſque communibus bella aggrederentur, tanta ipſius inter omnes virtus emicuit, vt breui plurimas opes acquireret, regnumque ſibi pararet haud aſpernandum. Hi autem, cum forent duces numero ſeptem, initio regionẽ, quam tum armis ſubiecerãt, inter ſeſe diuiſerunt, poſtea partitionem ſorti committentes,

mittentes, Caramano Aliſmeno obtigêre mediterranea Phrygiæ Ciliciam vſque,& Philadelphia. Sarchani ſors addixit maritimã Ioniæ regionem, qua Smyrnam vſq; patet: Lydia vſque ad Myſiam obuenit Calami, & filio ſuo Caraſi. Bithyniam autem cum his regionibus, quæ Olympum reſpiciunt, nactus eſt Ottomannus cum Tecie. Paphlagoniam cum his regionibus quæ vergunt ad Euxinum Pontũ, acceperũt Amurathis filij, ſic ſorte partitionẽ regente, Cermianum dicunt non fuiſſe de numero ſeptem illorum ducum, verum imperaſſe Conio Catiæ vrbi, in qua regia erat: tandẽ ſuo deturbatum regno, abijſſe in Ionium, ſeſtatuſque ibi vitam priuatam, quietem amplexus eſt. An ſeptẽ illi duces, adiunctis copijs, aut ſinguli per ſe, regiones iſtas ſubiecerint, præterea vt alius in alterius ſucceſſerit opes & regnum, non referre arbitror curioſius deſcribere. Illud autem certum eſt, Reges Ottomãnidarum, Sogutham vicum multum honoraſſe, cum eo frequenter accederent, reddentes vici incolis ſolennia munera. Accepi præterea, Ottomannum Orthogulis filium, primum generis huius ex iſto vico oriũdũ extitiſſe: qui inde profectus, vrbes Aſiæ cepit, & Pruſam, Myſiæ vrbem, opibus florentem, fame expugnatam, regni ſedem conſtituit. Poſtremo operibus multis fortiter & ſplendide peractis, relinquens liberos, & regnum illuſtre, naturæ debitum exoluit Pruſæ. Hic primus iſtius generis optime, quæ ad regni ſalutem attinent, diſpoſuit. Et vt regnum ſibi faceret quam maxime firmum & opportunũ, ſatellites allegit, quos Regis Ianuas nuncupauit. Et cum iam omnibus propter iſtam potentiam formidini eſſet, ſubditos facile in imperio continuit, cum omnes ad nutum, quando vocarentur, præſto eſſent, & impigre ea quæ Ianuæ Regis imperarent, obirent. Commemorant, Orthogulem iſtum, virum per omnia extitiſſe generoſiſſimum, & cum propter res ſuas præclare adminiſtratas auguſtior homine, & quaſi diuinus reputaretur, poſteris reliquit inſigne cognomentum, vt Ottomannidæ ſiue Ottomanni, filij vocentur. Hactenus Laonicus. Hæc autem partitio incidit in tempus interregni, & paucis annis anteceſſit imperium Rodolphi in Occidente, circiter annum Chriſti milleſimum, ducenteſimum, octogeſimum. ſed cum inter ſeſe diſſiderent proceres, deque regnorum ac prouinciarum finibus impune bello contenderent, (negligebatur enim Aſia, Europa occupata bellis domeſticis vtrobique in Italia & Græcia,) cæteris oppreſſis extulerunt & confirmarunt ſeſe quatuor præcipuę familię, Aſſimbei, Candelori, Caramanni, Ottomanni. Candelori Synopem regionem circa Pontum; Caramanni Ciliciam cum obtinuiſſent, diu Ottomannicis armis reſtiterunt. Vtraque tamen familia Mahometis Ottomanni victrici dextra regnis pulſa, confugit ad opes Aſſibei, qui Cappadocum terras, & minorem Armeniam poſſidebat. Et Caramanorum familiæ vltimus fuit Habraamus, qui auxilium contra Ottomannos à Pio Pontifice per Oratores petijt, cum Caramannus inter Mahometum & Sultanum Aegypti medius, multa bella cum vtroque geſſiſſet, locorum difficultatibus, & Ciliciæ gentis virtute confiſus, odio Mahometi Chriſtianorum amicus, multa paſſus. Ex Aſſimbeis natus eſt Vſumcaſſanes, de quo inferius dicetur. Initia tyrannidis Ottomannicæ collocantur in annum Chriſti milleſimum, treceteſimum. Ottomannum ipſum, cum bellis aſſiduis per annos octo & viginti potentiam auxiſſet ac ſtabiliuiſſet, anno Chriſti milleſimo, trecenteſimo, viceſimo ſeptimo, Alberto Auſtriaco Imp. & Bonifacio VIII. Pontificatum gerente, Pruſæ, quæ regni ſedes erat, fato functum tradunt, cum non ita multo ante, circiter octo millia Turcarum in Europã per Helleſpontũ traiecerint: captoque Græcorũ præſidio & Cherſoneſo impoſito in Thraciã, & ad Iſtrũ perrexerint, & plurimis incurſionibus factis, eaq; regione deuaſtata, illinc maximã prædam reportarint, nec non mancipia quæ erant plurima, iure belli capta, in Aſiam tranſmiſetint. Ea tempeſtate Scythæ, ſeu Tartari, parua manu à Sarmatia prodeuntes, feſtinarũt ad Iſtrũ; quo tranſmiſſo, Turcos, qui nondũ illinc receſſerãt, atroci prœlio inito fuderunt, & propemodũ omnes, demptis paucis, contrucidarunt. Qui autem integri ex eo prœlio abierant, fuga in Cherſoneſum delati, & hinc in Aſiam tranſuecti, tandem ab Europa abſtinuerunt.

Ottomanni obitus.

Regis Ianuæ dicuntur cuſtodes corporis.

Quatuor præcipuæ familiæ.

Turcorum cædes à Tartaris ſuſcepta.

Ortus Sophianorum.

Iiſdem ferme temporibus, quidam Regulus nomine Sophus, diuerſæ à Turcis factionis, ſuam de religione liberius, quod Turcarum vires adhuc à Tartaris premerentur, ſenrenriam Perſis proponere incepit: Cumque ſuum genus & doctrinam ad Mahometis generum Halim referret, mirum dictu, quantum ipſi popnlus tribuerit.

Guines.

Sopho ſucceſſit Guines filius, qui tantam, ramque præclaram ſibi in toro Oriente doctrinæ ſanctitatiſque opinionem conciliauit, vr Tamerlanes Scytharum Imperator ipſum inuiſerer, eique, hoc petenti, triginta capriuorum millia dono dedir, quos ille in ſua ſecta probe inſtitutos, filio Secaidaro rradidit, qui ipſorum opera in bello feliciter vſus eſt, quemadmodum inſerius patebit.

Orchanes II. Turcorũ rex.

Vt vero ad Ottomannicam familiam reuerrar, Orchanes filiorum Ottomãni natu minimus, eorum animis qui in arctiſſimam patris admittebantur amicitiam, præoccupatis, eos ſibi ſamiliares, & quam maxime beneuolos tenuit, adeo vr parre defuncto, victis cæſiſque duobus fratribus, quos habebar, ſolus tyrannidem arripuerit. Hic, induſtria & gloriæ cupidirate patri nulla re inſerior, breui ſpario interiecto, Myſia, Lydia, Lycaonia, Phrygia, & Caria ſubactis, limites noui regni ad Helleſpontum vſque, & Euxini littora propagauir.

Eiuſdem proſperi ſucceſſus.

Et à Cantaguzeno, contra Palæologos de ſumma rerum inter ſe contendentes, in Græciam acceſſirus, Pruſam, ampliſſimam vrbem, ac vetuſtam ſedem Regum Bithyniæ, ſibi vendicauit, ibique regiam paterni imperij ſedem conſtituit, qui locus adhuc hodie ſepultura Turcarum celebris eſt. Nicæam item, & Nicomediam expugnauit. Sunt qui aſſerant, ipſum, præfati Cantaguzeni Græcorum Regis filiam, vxorem duxiſſe, arque illi auxilia contra Palæologum, & Triballos duce Solimanno filio miſiſſe. Conta vero non deſunr, qui retulerinr, huic filiam Caramanni Turci, qui Ciliciæ imperabar, nupram fuiſſe, quē deinde ob potentiæ æmulationem, maximis contumelijs affecit, & bonam regni partem ademit, filiumque etiamnum impuberem, & vixdum decennem, per inſidias trucidauit, ne, ſi vnquam adoleſceret, paternas iniurias vlciſceretur. De huius interitu variant auctores. Alij in oppugnatione Pruſiæ ſagitta ictum, cum ſpiculum humeri oſſibus infixum ſine vitæ diſcrimine, reuelli nequiuiſſet, ex febre inde oborta, & ſanie mortifera

Interitus.

interijſſe perhibent: alij in conflictu cum Tarraris occubuiſſe amiſſa exercitus maiori parte tradunt, cum rebus Turcicis cum imperio annos duos & viginti præfuiſſet, anno Chriſti milleſimo, trecẽteſimo, quadrageſimo nono, Ludouico Bauaro Imperium, & Clemente 7. Pontificarum adminiſtrante. Orchanes duos reliquit filios, Sulaimanem ſcilicet, ſiue Solimannum, vr alij vocant, & Amuratem. Solimannus, inito regno, arma contra Græcos cepir. Cum vero inter Imperatorẽ Palæologum & proceres Græciæ, ingens, ſicuti & ſæpiſſime antea, exorra eſſet diſſenſio, & inteſtinæ acriter agerentur diſcordiæ, quæ in bellum ciuile exarſerunt, Palæologus, cum viribus eſſer impar ijs, qui Bulgaricis opibus & auxilijs ſubnixi, rebellarant, cumque nouum bellum ſibi à Turcis imminere animaduerreret, fœdere & amicitia cum Turcico tyranno iuncta, ſiue is Solimãnus, ſiue Amurarhes fuerit, auxilia iure fœderis poſtulauir. Huius belli ſocietas, occaſionẽ Turcis traijciendi in Europam, ipſi Græciæ, & multis vicinis terris exitialem, prębuit.

Cauſa excidij & ruinæ Romani Imperij.

Inde enim initium extitit, & ruinæ imperij Conſtantinopolitani, & noſtrorum vulnerum. Nec ſane magni fuir negotij, ſiue priorem, ſiue alterum fratrem, ad partes ſuas tutandas prerio & pollicitationibus allicere, cum vterque illorum ſponte ſua ad hoc pronior iamdudum inhiaret, totoque pectore propenderet, quo ſcilicet vires Græcas experirerur, & belli rationem exploraret.

Amurates primus.

Amurates igitur duodecim millia lectiſſimorum Turcorum in Thraciam per Helleſponrum ſumma voluntate traiecit, ea tamen conditione prius admiſſa, vt cõſumato perfectoque bello, nauigio, rurſus domum per Helleſpontum reuerteretur. Hoc pacto Turcarum gens, Amurate Principe, Græcorum ductu & opera,

Turcorum traiectus in Græciam.

in Thraciam ex Aſia rum armis traiecit. His, Palæologus audaces & ſediriofos Marci Craiouicij Deſpotæ Myſiæ inferioris conatus, ac cæterorũ, ſine mulro labore ac difficultate repreſſit. Amurates, interim, bello feliciter confecto, remiſſis ſeptem millibus Turcorum in Aſiam, facile impetrauit, vt reliquos apud ſe præ-

ſidij

ſidij cauſa retineret. Nec ita multo poſt, ſeu, quem dixi Amurates, ſiue Sollmannus, captus ex ſuorum commendatione, vbertate & amœnitate ſoli, ac ſummis occaſionibus obtinendæ regionis opulentæ allectus & inuitatus, cum ſexaginta millibus Turcorum tranſijt in Europam, tanquam ſocius vel inuiti Cæſaris, ad reliquias belli perſequendas, & pœnas expetendas ab ijs qui à Palæologo defeciſſent. Is traijciendi prætextus fuit. Interea quid ſibi poſſet inprimis conducere, animo voluere, ſagaciterque longe proſpicere, conſulto bellum trahere, & indies cauſando differre, & procraſtinare cœpit, ratus hinc fore, vt Græcorum viribus, diuturnitate belli, & diſcordiarum atrocitate vtrinque conſumptis, ac eneruatis, ipſe integer fractos iam & defeſſos adortus, facile opprimeret. Vbi igitur diuturno bello mutuiſque contentionibus Græcos deficere animaduertit, domeſticis denique opibus penitus iam exhauſtis nutare, & ſibi parum ſubſiſtere ſenſit, extemplo verſis, vt aiunt, proris, arma in eos ſine vllo diſcrimine per occaſionem conuertit. Mox itaque Callipolim, vrbem peropportune in Cherſoneſo ad fauces Helleſponti ſitam, occupat, ac Rhodopen, cæteraque Græciæ oppida, infeſtis armis petere, agros vaſtare, prædam agere, cunctaque paſſim inuadere, nec iam amplius clam & diſſimulanter rem gerere, ſed palam ſibi & poſteris Græcorum imperium pollicceri, & ad occupandum omnes cogitationes, conſilia, opes & neruos intendere cœpit. Hinc effectum eſt, vt nullis ferme obſiſtere audentibus, facile, ac ſine vllo negotio, magnam Thraciæ partem ditioni ſuæ ſubiecerit, cum præſertim aditu ad Helleſpontum præmunito, naues etiam conſtrui iuberet, quibus & ſupplementa exercitui, & res alias neceſſarias & opportunas ex Aſia in Græciam, quoties opus eſſet, tranſportarent.

Amurathis incrementa in amplificando imperio.

Arce belli conſtituta, mox aſſiduis excurſionibus Thraciam peruagatus, anno 1372. Philippopolin deditione occupauit, & quæ ſupra Hebrum eſt, Adrianopolin ex ruinis Oreſtiadis inſtauratam, fruſtra Palçologo initum cum infido hoſte fœdus & res perditas deplorante. Poſt hæc, tam proſperis ſucceſſibus elatus, in Marcum Bulgariæ & Lazarum Seruiæ, in Myſia ſuperiore, & Triballorum regione deſpotas, & aliquot Albaniæ in Dalmatia & Epiro proceres, ijſdem ſocios & conſœderaros, arma conuertit, & ſecum in campis Caſſouijs aperto Marte congreſſos, fudit ac deleuit. Cæterum haud ſane diu tantis victorijs gauiſus eſt. Cum enim Lazarus eo prœlio captus, in vincula coniectus eſſet, ibique vitam finiuiſſet, ſeruus natione Triballus, eius olim cliens, indignam necem ſui domini iniquiſſimo animo ferens, quanquam ſe ſcitet certam mortem adire, Amurathem tamen pugione transfodit, cum rebus Turcicis præfuiſſet annis viginti tribus.

Amurathis cædes.

Eius autem mors incidit in annum Chriſti milleſimum trecenteſimum ſeptuageſimum, temporibus Caroli IV. & Gregorij IX. Et hæc quidem eſt plurimorum de Amurathis cæde ſententia. Verum hîc non pigebit referre quæ extant apud Chalcondylam ſub finem primi libri ſuper ipſius Amurathis interitu. Scribit enim, hunc poſtremo paraſſe bellum inferre Triballis, ipſorumque duci Eleazaro, qui ad Pannonios ſe contulerat, eoſque incitabat, vt contra Amurathem arma arriperent. Eleazarum, his cognitis, ſumma celeritate, quantas potuerit copias contraxiſſe, vt hoſti fortiter reſiſteret, qui, miſſis exploratoribus, cognouit, eum inſediſſe cum exercitu campum, cui Coſobo nomen erat. Ibidem Amurathis contubernio militaſſe filios duos, nempe Baiazetem, & Iagupem, & mox, inquit, Turci ferunt, Amurathem ibi prœliantem, Eleazarum fugam facere coegiſſe, quē cum inſequeretur quam velociſſime, incidiſſe in virum Triballum, in quem arma vertit. Hunc, cum foret pedes, cōuerſum iaculo transfixiſſe Amurathis præcordia; quo vulnere ipſum occubuiſſe. At Græci à Turcis, quantum ad Amurathis mortem attinet, diſſentiunt. Aiunt enim, eum non prœliantem, nec hoſtes fugatos perſequentem, interijſſe: verum cum adhuc ſtaret in acie, virum quendam generoſiſſimum, nomine Miloën, voluiſſe certamē omnium, quæ vnquā fuêre pulcherrimum, ſubire. Hic, ſi ſibi Eleazarus poteſtatē faceret eorū quæ petijſſet, pollicebatur, ſe armatum profecturū ad Amurathē, vt transfugam. Amurathes cum illum, vt transfugā, ad ſe aduētare crederet, iuſſit viro cōfeſtim cederēt, quo, quid vellet, tuto elo-

quereretur. Cum penetraſſet quam proxime ad Regis ianuas, offendit Regem ſtantem in acie, ad prœlium accinctum. Haſtam igitur accipiens, aggreditur longe pulcherrimum, quod ſcimus, facinus. Amurathem Regem interficit, nec non ipſe ibidem fortiter inter hoſtes prœlians, occubuit. Hæc eſt Græcorum de obitu Amurathis ſententia: At Turci aliter ſentiunt, videlicet, eum perſequentem hoſtes, parta iam victoria, à viro Triballo eſſe peremptum. Idem auctor, quæ plurimi ſcriptores attribuunt Amurathi, ea Sulaimano, quem alij Solimannum vocant, ipſius Amurathis fratri natu maiori, aſcribit, & Philippopolim, ab hoc deditione occupatam aſſerit, & paulo poſt, morbo implicitum, feſtinaſſe in Aſiam. Cæterum, eo ingraueſcente, fato extinctum, & paulo antequam vita migraret, ſuis præcepiſſe, vt corpus ſepelirent in Cherſoneſo Iſthmo, vbi antea contigerat filium ſuum decedere, & magnifica ac ſolenni pompa ſepulturæ tradi, & iniunctum ſacerdotibus qui eo loci erant, vt celebrarent nocturnos ludos ad ſepulchrum, ſeque filij monumento iungi voluiſſe. Amurathem, fratris morte cognita, e veſtigio peregrinis & reliquis Ianuarum militibus ſecum aſſumptis, in Europam traieciſſe, exercituſque omnes, qui ibi erant, accepiſſe. Verum enimuero de his omnibus cuilibet ſuum ſit liberum iudicium. Minime autem illud ſilentio prætereundum videtur, quod præfatus auctor de eodem Sulaimano ſcriptum reliquit, ipſum videlicet habuiſſe virum rei militaris peritiſſimū, quo nullus incurſionibus faciendis, belliſque gerendis ea ætate ſuperior extiterit. Præterea, ipſum ad tantam potentiam hac ex cauſa veniſſe, quod ſumma celeritate in rebus gerendis vteretur. Amurathis corpus dicit fuiſſe abductum Pruſiam, vbi ſepultura erat omnium Regum Ottomannidarum, præterquam Sulaimani, atque ait, illum regnaſſe annos 57. cum tamen reliqui ſcriptores 23. annos duntaxat præfuiſſe dicant, & mox de illo hæc ſubiungit: Vitæ exitum habuit, interfectus à Triballo, non qui Regē decebat, talem, qui tot annis bella geſſiſſet, multaque & præclara opera feciſſet. Adhæc, qui magna bella in Europa, Aſiaque numero triginta ſeptē cōfeciſſet, tali vſus & virtute, fortunaque, vt in nullo victus ſuccubuiſſet. Reliqua de illius ingenio & natura videre eſt apud eundē auctorē ſub finē primi libri.

Baiazetes primus.
Defuncto Amurathe Orchanis filio, regij Satrapæ, qui Ianuis præerant, Baiazetem, Amurathis filium iuniorem in imperio magno cōſenſu collocant, iſque, ſummam rerum adeptus, regnū auſpicatur à cæde fratris Iagupis, vt metu æmuli ſolutus, animo liberiori propagationem imperij aduerſus Chriſtianos vrgeret. Hîc, relicta Pruſia Bithyniæ vrbe, ſedem imperij fixit Adrianopoli, quæ loco opportuniore ſita erat ad magnum imperium, & ad coniungendas cum Aſia vires Europæ. Inde mox eum infeſto agmine in Myſos Triballoſque ſecundum Iſtrum ad mare Ponticum extenſos, quos Bulgaros Seruioſque à nouis colonis nominamus, profectus, occurrentem Marcum Deſpotam cum vniuerſa Bulgarorum &
Eiuſdē proſperæ expeditiones.
Seruiorum nobilitate, deleuit, totaque ea ditione ſubacta, hinc in extremam Illyricam regionem, quæ pars eſt regni Boſnæ, & interiorem Macedoniæ atque Epiri partem, quæ Albania eſt, adeoque ipſam Vngariam vſque terribilibus excurſionibus populabundus, nemine reſiſtente penetrauit, & impune receſſit, ingentibus ſpolijs onuſtus. Ex his enim regionibus in Thraciam, præter maximam vim auri, argentique, & res pretioſas, innumerabilem captiuorū multitudinem abduxit. Nec multo poſt, peruaſtata Theſſalia, Thraciaque, ad Boſphorum vſque, & deletis Byzantinorum ſuburbanis, vrbi caſtra admouit, cum tanto Græcorum metu, vt Iohannes Palæologus Imperator ſuis rebus diffidens, ad imploranda Europæa auxilia, patruele ad vrbis cuſtodiam relicto, in Italiam primo, deinde in Galliam adnauigarit. Cæterum tam longæ profectionis perexiguum, vel potius nullum fructum retulit, adeo vt breui poſt, rebus infectis, domum redierit. By-
Conſtantinopolis obſidetur à Baiazete.
zantium interim graui & continua obſidione premebatur, & Baiazetes ſingulis annis nouos exercitus mittebat, vt peragerent longam illam obſidionem, quam nōnulli in decennium protractam aſſeruerunt. Iam ciues omni præſidio deſtituti, fameque extrema ſupramodum vrgente, & hoſtibus vndiq; frementibus, deſperata ſalute, de deditione agere incipiebant, perijſſentque nimirum, ac tandem in ſæuiſ-

ſæuiſſimi hoſtis poteſtatem veniſſent, ni Tamerlanus ille præpotens Scytharum Rex, cum centum myriadibus equitũ & peditum, qui numerus decies centena habet armatorum millia, inſtar rapidiſſimi torrentis, ipſo in curſu ac impetu, cũcta proſternendo atque vaſtando, Baiazetem ipſum omni apparatu & copijs occurrere & reluctari conantem, in Aſiam reuocaſſet. Hunc Tamerlanum, quem Græci ſcriptores Temyren vocant, tradunt Samarcandæ vrbis, quæ Metropolis eſt Zagarainorum Tartarorum ad Iaxartem amnem, Sogdianæ regioni finitimum, infimæ ſortis ciuem fuiſſe, & ex humili loco proſperis ſucceſſibus ad ſupremum imperiũ euectum eſſe, finitimis Sogdianis, Sacis, Aracoſijs, Seris, Arijs, Bactrianis, & Hircanis, quos vno nomine omnes hodie Tartaros Zagataios nominant, ad Perſiam vſque edomitis atq; ſubactis. A nonnullis vero in literas relatũ eſt, hunc Tamerlanum fuiſſe filium Cobilæ, vt ab Haythono vocatur, vel Cublai magni Chan, quinti Tartarorũ Imperatoris, cuius aulã & imperium latiſſime in India & toto Oriente patens, M. Paulus Venetus lib. 2. & 3. prolixe deſcribit. Is itaque ſubiugatis, quos diximus, populis, & nationibus, mox in Baiazetẽ omnes vires conuertere ſtatuit, maximoq; ac potentiſſimo exercitu comparato, primum in aditu Aſiæ anterioris aliquot Armeniæ vrbibus captis, & Sultania, Perſarũ olim regia, quæ veteribus eſt Tigranocerta, direpta atque incenſa, dextrorſum iter flexit, Euphrateq; ad Arſengã ſuperato, in Cappadociã tranſijt, & Sebaſtiã, celebertimam eius regionis vrbem, quæ Turcorum ſedes regia fuiſſe dicitur, & hodie Suias appellatur, arctiſſima obſidione cinxit. Initio oppidani vim hoſtilẽ fortiter propulſarunt. Cum autem octo millia foſſorum in caſtris haberet, ijs negotium dedit, vt cuniculos ſubterraneos agerent, per quos ſibi in vrbem ingreſſum atq; aditũ pararent. Hoc autem ab oppidanis animaduerſo, etiam ipſi fodiendo, hoſtibus occurrebant, ſed tamen pellebantur. Amplius enim efficiebat hoſtis, vt qui foſſorum numero excelleret. Cum mœnia iam vndiq; ſuffoſſa eſſent, atq; inimici in aggere excelſo & ligneo ſtarent, ignẽ inieceriint, muriq; ſua ſponte corruêre. Deinde per loca ruinis patẽtia milites in vrbẽ irruentes, eam in hunc modum expugnarunt. Oppidanos ſic imperante Temyre, capta iam vrbe, protinus occidêre. Liberi & mulieres eius vrbis immiſſo equitatu, omnes trucidati, adeoque illius clades miſerabilis extitit, vt nec vir, nec mulier, neque etiam puer aliquis exitium ſubterfugeret, cum promiſcue in omnes ac ſingulos crudeliſſime ſæuitum eſſet. In ipſa ciuitate longe ampliſſima & pulcherrima, tanta hominum multitudo extitiſſe perhibetur, vt pene numerum duodecim myriadũ ęquarent. Prætereaillic reperta eſt magna leproſorum multitudo, quos omnes interfici imperauit. Hos enim vbicunque adeptus foret, incolumes abire non patiebatur, nequaquã fas eſſe dicens, vt hi ſuperſtites ſint, reliquoſque homines inficiant, ipſi plerunque miſertime viuentes. Fama exijt, miſertimum huius vrbis excidium ſuperaſſe calamitates omnes, quæ in vllas vnquam ciuitates redundarint. Orthobulem Baiazetis filium, quem, bellica virtute florentem, pater ad eius vrbis tutelã & defenſionem reliquerat, cum viuus in victoris manus veniſſet, aliquot diebus ſecum circumduxit, & paulo poſt, interfici iuſſit. Baiazetes, vbi primũ miſerabile vrbis excidium, filijque interitum accepit, maximo & incredibili dolore affectus eſt. Tranſiens enim in Aſiam, vt vidit paſtorem quendam tibia canentem, fertur dixiſſe, mœrorem ſuum indicans, quam acerbus eſſet: Cane catilenã, cuius argumentum ſit: Neque Sebaſtiam amittas, nec etiam filium Orthobulẽ. Expeditio Temyris contra Sebaſtiam, hunc exitum ſortita eſt. Nec multo poſt, legatio miſſa eſt ad Baiazetem Lælapa, quæ iuſſit, vt ducibus reſtitueret regionem. Daret tantum butyri, quantum ferunt duo millia camelorum. His adderet duo millia tentoriorum, cuiuſmodi in vſu habent paſtores per Aſiam. Poſtulabatur quoque, vt per vniuerſum Baiazetis regnum Temyres pronunciaretur rex. Volebat etiã, vt Baiazetes in ſuã regionem Temyris numiſma reciperet, & ſuum irritũ faceret. Poſtremo imperabat, vt vnus de numero filiorum Baiazetis militaret in ianuis Temyris. Quibus poſtulatis ſi Baiazetes aſſentiretur, fore eũ amicum & neceſſarium Regis Tamyris: ſin autem has petitiones auerſaretur,

Tamerlanus bellum mouet Baiazeti.

Sebaſtia capitur à Tamerlano, & diripitur.

Iniquiſſimæ conditiones propoſitæ Baiazeti à Tamerlano.

Baiazetis reſponſum.

ſciret, Tamyrem, ipſum pro hoſte habiturum. His auditis, ferunt Baiazetem ira commotum, huiuſmodi reſponſum dediſſe, videlicet: Ne ſi veniat, quemadmodum minitatur, precor vxorem ſuam ter repudiatam recipiat. Quod quidem dictum inſigne dedecus atque infamiam importat ei, in quem dicitur. Proinde cum legatos cum huiuſmodi reſponſo dimiſiſſet, Tamyres ſuam expeditionem, quam animo verſabat, minime vlterius differendam ſtatuit.

Tamerlani expeditio aduerſus Baiazetem.

Sed confeſtim cum omnibus ſuis copijs ex varijs gentibus & nationibus collectis, quæ, vti narrauimus, centum myriadibus conſtaſſe dicuntur, itinere per Phryſiam & Lydiã ſuſcepto, aduerſus Baiazetem contendit. Hic, vt hoſti obuiam procederet, inſtructus, comparauit & ipſe quantas potuit copias, aſſumptis etiam Triballis ſatellitibus ſuis, qui numero erant quaſi decem millia, & in eis ſpem maximam habebat, vt qui hactenus perſæpe ſingularia ſuæ ſortitudinis, inuictiq; roboris ac fidei documenta exhibuerant. Aſſumens itaque Europæum, Aſianumq; exercitum, qui ad trecenta millia equitum, & bis centena peditum millia, complectebatur, mox recta iter inſtituit aduerſus Tamyrem, cupiens eum præuertere, & in ipſius regione caſtra locare iuxta Euphratem, animo agitans ibi dimicare cum hoſte. Tamyres quidem, exercitum per Phrygiam ductabat. At Baiazetes citato agmine per Cappadociam ferebatur, Euphtatem per Armeniam præoccupare conſtituens. Poſtquam vero, cum foret in Armenia, accepit, hoſtem iam in ſuam acceſſiſſe regionem, iter per Phrygiam facientem, protinus mutato conſilio, recta in Phrygiam perrexit, vbi eum ſibi obuiam progredi intellexerat. Cum autem iter accelararet, exercitus, longo itinere grauiter vexatus, Baiazeti maximopere ſuccenſebat, eum præſertim in caſtris maxima rei frumentariæ atque commeatus inopia laboraretur.

Prælium inter Baiazetem & Tamerlanem.

Tandem, vt ambo exercitus ſeſe in mutuum conſpectum dedêre, & ab vtraque parte acies fuit inſtructa, Tamyres poſtero die cum expedita manu militari miſit Sachruchum filium contra Baiazetem. Qui, vt accepit hoſtem aduerſum ſe properare, ilico aciem inſtruit in colle ibi proximo, quaſi pugnæ copiã facturus. Siniſtrum cornu tenebat Dux ab Oriente. Dextrum regebat Dux Europæ, medium agmen Baiazetes cum peregrinis & ſuis ſatellitib⁹ ducebat. Sachruchus habens Tzacharaidas, & Perſarum proceres, turritis pileis, lacinijſque argẽto & auro variegatis conſpicuos, qui acinaces geſtabant, prægrandes & ponderoſos, ſquamoſiſque præſertim pectus thoracibus, more gentis, præmunitos, pergebat agmine compoſito aduerſus Baiazetem, nec tamẽ eos circumuenire ſtatuebat, concedens ipſis abeundi, ſi vellent, locum, ne ſcilicet ab omni parte circũuenti, ex deſperatione, quaſi incluſi, animos ſumerent, & deinde acrius, vt fit, pro ſalute certantes, victoriam inuenirent; primoque aggreſſus eſt Europæ exercitũ. Poſtquam vero pugna ad multum diei extracta eſt, neque quietem à pugnando Baiazetis milites haberent, ibi Triballi, priſtinæ ſuæ virtutis memores, magna cũ ſortitudine & gloria prœlium ciebant, impetuque facto in Tzacharaidas, haſtas infregerunt, ſumma quadam cum vehementia certamini incumbentes. Baiazetes, vt cõſpicatus eſt Europæũ exercitum longius à ſe euectum cupidine pugnæ, confeſtim Ducem Europæi exercitus reuocat, timens, ne ſi eius exercitus eſſet longius à monte ſubmotus, ipſe ab hoſtibus circumueniretur, & in diſcrimen ac periculum vitæ deueniret. Iubebat igitur eum regredi in eum locum, vbi ab initio collocatus erat. At Dux primo nequaquam dicto audiens fuit, veritus rem quæ parabatur. Deinde cum Rex violentius vrgeret, nec conuicijs abſtineret, paruit, aciesque reuocata eſt. Ibi tum Tzacharaides acriter inſtantes, magnam Turcorum ſtragem edebant, donec terga darent. Qui cum fugerent, perſequentibus hoſtibus, etiam exercitus Aſiaticus haud ſtetit: ſed continuo fugam arripuit. Baiazetes, vbi ſe à fortuna deſtitutum animaduertit, protinus equam conſcendit, totiſque laxatis habenis aufugit.

Baiazetis fuga & apprehenſio.

Cum velociſſimo curſu obequitaret, fugientem inſequebantur Tzacharaides, properantes eum capere: iam multum itineris fugiendo confecerat, vt qui celerrime veheretur. Poſtea cum forte veniſſet ad flumen, equa intoleranda ſiti extimulata, bibere cupiebat. Baiazetes autem cum chiragra ſimul & podagra tunc grauiſſime laboraret, equam à potandi immenſa

cupidine

cupidine inhibere non poterat. Equa igitur vt bibit, parum diſſoluta, nonnihil de curſus pernicitate remiſit, adeo vt milites Tamyris Baiazete potirentur, & captum ad ſuum regem perducerent. Sunt etiam qui aſſerant, ipſum Baiazetem inter dimicandum, equo ſagittis confixo, decidiſſe, atque ita viuum ad Tamerlanem perductum eſſe. In hoc prœlio captus eſt Moſes: capti ſunt plærique ipſius Baiazetis duces ac proceres viri: Nec tamen quicquam detrimenti paſſi ſunt, niſi quod veſtibus atque armis exuti, miſerum ſpectaculum præbuêre. Baiazetis vxor, Eleazari, Pruſiæ Ducis filia, in quam hoſtis excurſionem fecerat, vna cum gynæceo, capta, ad Tamyrem perducta eſt. Mulſumanes, Moſes, Mahometes, & Ieſus iunior, reliqui Baiazetis filij, in hoſtium poteſtatem venêre. Qui erant in Aſia & Europa, vt poterant, ſaluabantur. Dimicatum eſt inter hos anno Chriſti milleſimo, trecenteſimo nonageſimo ſeptimo, ſecundo poſt Nicopolitanam cladem anno, eo quidem exitu, vt, quemadmodum plærique teſtati ſunt, circiter centum quadraginta millibus hominum vtrinque cæſis, tandem fortuna ad Tamerlanum inclinauerit. Quidam tamen in literas retulerunt: Tartarorum bis centena millia in hoc grauiſſimo conflictu à Turcis cæſa: Turcarum vero ſupra centum, & quadraginta millia extincta cecidiſſe. Hoc atrociſſimum & cruentiſſimum prœlium commiſſum eſſe dicunt in ipſis finibus Armeniæ iuxta ciuitatem Dangorij, antiquitus Ancyram vocatam, ſitam ad radices Stellæ montis, cui ab Antitauro ei obuerſo, ſpecioſiſſima quædam planicies ſubiacet, vbi à Gneo Pompeio, Mithridatem Ponti Regem, nocturno certamine profligatum perhibent, & campi, vbi hæc latiſſima planicies poſita eſt, Turcorum lingua Caſſouaſi, id eſt, anſerum campi nominantur, inde quod id genus volucrum ſtatis anni temporibus eo conueniat, vt totis agminibus in Europam commigret. Præcipua cauſa, quæ ipſum Tamerlanum impulerit, vt Baiazeti bellum inferret, hęc à nonnullis fuiſſe narratur, quod videlicet, cum Baiazetem per legatos rogaret, ne Turcas ſuæ religionis homines, diuexaret, belloque laceſſeret, ac dominijs exueret, commendans plurimum Baiazetem, quod tanto ſtudio, tantoque affectu Chriſtianum nomen deprimeret, atque illos, bellis præclare geſtis penitus opprimere niteretur, more Tartarico veſtem muneris loco precibus addidiſſe, quod cum ipſi, iam innumeris victorijs & rerum ſucceſſu turgido, diſplicuiſſet, non ſine conuicijs in Tamerlanum legatos dimiſiſſe. Hunc vero, irritatum, fulminis inſtar, magna celeritate in Ottomannicas prouincias irruiſſe, atque hinc poſtmodum ad arma vtrinque deuentum. Baiazetem, cum adductus eſſet in conſpectum Regis, ſic Tamyrem allocutum eſſe tradit Laonicus: O infelix, quid adeo malum tuum coegiſti genium, vt nos bello laceſſeres? An non audiuiſti, quod meo exercitui miſerorum filij reſiſtunt? Baiazetes reſpondens, inquit: Nequaquam ad tantam infelicitatem veniſſem, ni tu mihi negotia feciſſes, cætera quoq; prouocatus à gentibus Heroi noſtro infeſtis. Verum, ait Tamyres, ſi non adeo ſublati tibi eſſent animi, nunquam ad iſtam præcipitatus eſſes miſeriam. Sic namque ſolet numen plærunque faſtuoſos deprimere, & ad humilem fortunā deuoluere. Deinde miſit Tamyres Baiazeti accipitres, & canes, & reliquum huiuſmodi apparatum, vt qui venatori potius, nec Imperatori in hoſtes ducenti, comparandus eſſet. Aiunt, Baiazetem habuiſſe ad ſeptem millia virorū, qui accipitres curarent; præterea aluiſſe canes ſexies mille. Reſpondens itaque Tamyri Baiazetes, inquit: Verum, ô Tamyres, qui es Scytha, & latro, latrocinandique artē vſque exerces, ſatis ſcio parum tibi conuenire cum canū accipitrumque ſtudio. Mihi vero, qui ſum natus & educatus ab Amurathe, Orcanis filio, qui ambo Reges extitêre, congruit canum & accipitrum ſtudium. Rex Tamyres, hoc reſponſo grauiter offenſus, impoſitum mulo, per caſtra agi iubet, propinans eum militibus deridendū. Vt autē iam omnibus ſatis ridiculo fuit, reductū ad ſe interrogauit, an etiā ſui generis, & iſta ſtudia ſint, quemadmodū accipitrum & canum. Deinde Baiazetem in vincula coniecit. Ait etiā præfatus auctor, ipſius coniugem, Eleazari, vt diximus, Deſpotæ filiā, quam præ cæteris ardentiſſimo amore complectebatur, & ſecum in caſtris ſemper habebat, captiuam abductam

rum atque ouium copiam,& immenſam multitudinem nactum fuiſſe. His adijciunt,eum,vt pecoris ſtabulum intrare poſſet,conſcendiſſe murum,&[cum animaduerteret,ſe eſſe viſum à patreſamiliâs , confeſtim deſiliſſe in terram , (aiunt enim in ea regione moris fuiſſe,vt inmenta & pecora altiſſimis muris circumdatentur,qui non citra ſummam difficultatem vitæque diſcrimẽ aſcendi poſſent) eoque caſu ſibi crus fregiſſe,atque hinc huiuſmodi claudificationem proueniſſe. Et de hac quidem re hactenus dictum ſit. Quemadmodum autem huic omnibus bellis fortuna plutimum arriſit & obſecundata eſt , adeo vt omnia fauſta & proſpera conceſſerit,ita ſane in hoc plurimum aduerſata,quod videlicet nullum ſuorum præclariſſimorum facinotum,preconem nactus fuerit,qui eius res geſtas pro dignitate explicaret,eaſque literis ac poſteritati committeret. Conſtaret ſiquidem,ipſum,bellica virtute,felicitate,rerumque geſtarum gloria & magnitudine,neque Hannibali,aut Scipioni,neque Pyrrho,& Alexandro Magno,nec deniq; vlli Græcorum aut Romanorum Cæſarũ, qui à militaribus operibus laudẽ & commendationem retulerit,fuiſſe ſecundum: ſed horum plæroſque etiam celebriores,adæquaſſe,aut longo interuallo poſt ſe reliquiſſe. Cæterum, ſicut olim de Spartanorum ſub Themiſtocle inſigni duce,gloria dictum eſt, ipſam ſcilicet, cum eo altam ac educatam floruiſſe,& mox eodem humanis rebus ſubtracto,extinctam & oblitetatam,ita prorſus de hoc celeberrimo Scytharum Imperatore dici poteſt,cum præſertim filios reliquerit paternarum virtutum nulla ex parte æmulos,& intet ſe mutuis,vt diximus,diſſidijs laborantes,quo ſane factum eſt,vt rantum imperium quam citiſſime euanuerit. Nam vnaquæque prouincia & regnum à Tamerlano ſubactũ, ipſo mortuo,vel ad ſuos priores dominos & Ptincipes tedijt,vel ſibi nouos aſciuit. Et in Perſia quidem, ipſi Tamerlano ſucceſſit Aſſembeius,Haſuncaſan cognominatus, vnus de quatuor familijs,quarum ſupra fecimus mentionem,de quo paulo inſerius ſermonem inſtituam : ſed iam tempus eſt,ac rei ordo exigit,vt ad res Ottomannicas reuertamur. Baiazetes,vt dictum eſt,quamplurimos liberos poſt ſe reliquit. Nam,præter illum,quem in Sebaſtæ expugnatione amiſit,ſuperſtites illi fuerunt complures alij,quorum nõnulli ex prœlio euaſerunt,quidam vero,vt Celebinus & Muſtapha,ab imminenti periculo fuêre à parte ſubmoti,ne,ſi quid forte ſibi humanitus contingeret, cum tota prole ſimul dubiæ & incertæ fortunæ aleam ſubire cogerentur. Horum natu maximus dicitur fuiſſe Ieſus,qui & Ioſias , Mulſumanes,Moſes, Mahometes, quẽ Cyriſcelebem,& Cyrũ,& Celebinũ vocant,Muſtaphas,& Hali. Ioſias de procerũ & copiarũ,quæ à bello ſuperfuerant,conſenſu,principatũ adeptus,à Mulſumane fratre quẽ adiuuerunt Græci, in Cappadocia acie victus,quarto à clade patris anno,regnum & vitam perdidit. Idem Mulſamanes circa Epyros dimicauit cum altero fratre Moſe , quem Tamerlanus cum patre captum dimiſerat, & deuicit ope & auxilio Iſmaëlis Principis Synopæ, ex vetuſtis Turcarum familijs oriundi,ſed tandem propter ignauiam,ebrietatem,& voluptuatiam vitam imperio excidit. Nam Chaſanes peregrinorum dux & Brenezes, qui præerat Europæis equitibus,ſtatim ab eo deſciuerunt,ad Moſen transfugientes: At Mulſumanes,intellecta peregrinorum ac equitum defectione, recta Byzantium fugiens contendit,animo agitans , Græcis Byzantij regnum tradere , vt hinc in Aſiam tranſgreſſus,Aſiæ res commodius adoriretur. Cum autem huiuſmodi ſententiam animo volueret,cognitus eſt à Turcis in via qua itur Byzantium,hique ſtatim in vnum collecti,ceperunt Mulſamanem viuum,& captum ad Moſen abduxerunt,rati,ſe hoc munere illi plurimum gratificaturos. Moſes fratrem ilico necari iuſſit: Turcos vero,qui fratrem comprehenderant, & comprehenſum ad ſe adduxerant,omnes cum liberis & vxoribus, adeoque cum vniuerſa familia igne cremauit,dicens, eos impia cõmiſiſſe, ac proinde merito,cũ Regi ſuo violentas manus intulerint,has pœnas perpetrati ſceleris luiſſe. Hæc autem incidit in annũ ſalutis milleſimum,quadringenteſimum,duodecimum. Ipſe interim recepit regnum,& in Aſiam tranſiens,eam formam Aſiæ tebus induxit,quæ videbatur Aſiæ tegnum firmiſſimũ & tutiſſimũ effectura. Deinde abijt, Aſia relicta, ſtatuens

Certamina inter Baiazetis filios regnandi cauſa.

Mulſamanes à fratre Moyſe obtruncatur.

Exemplum ſingularis ſeueritatis.

Moyſes interficitur à Mahomete Celebino.

obſidione cingere Byzantium. Inter hæc, Mahometes, Caramanniè Cilicia opibus innixus, contra Moyſen exercitum duxit. Hic exercitum infenſum Moyſi propter tyrannidem & crrudelentiam, cum ad ſe pellexiſſet, deſerto à ſuis, captoque, guttur corda arcus eliſit, vſitato gentis Barbaricæ ſupplicio. Turci ſua lingua impuberes Regum procerumque filios Celebinos nominant: ſe Græcis Celebini nomen incognitum eſt. Mahometen illi nominant. Hic itaque, alio nomine Celebinus dictus, capto & necato fratre Moyſe, vti diximus, paternũ imperium arripuit, eique præfuit annos duodecim, Græcorum Annales referunt, ipſum, amicitia iuncta cum Emanuele Byzantio, bellum in Aſiam tranſtuliſſe aduerſus Iſmaëlem Synopæ principem, qui Moyſen fratrem inſtruxerat, & huic, bello fracto, ademiſſe prouentus annuos, quos ex venis metallicis illarum regionũ longe vberrimos habuit, atque ira bellum pace commutatum. Emanuelem vero paucisque poſt diebus, Iſthmum, vt olim Peloponneſij, Xerxis tempore fecerant, ne pateret ea parte irruptionibus Turcorum, muro cinxiſſe, quem Hexamilum nominarunt, eo quod in his anguſtijs, quæ Aegæum mare Ionium que diſterminant, inter ſinus duos Corinthiacum & Megaricum in ſex milliarium ſpacium fuerit porrectus, ac Peloponneſum totam (hodie Moræam vocant) ita incluſerit, vt eam, velut inſulam effecerit. Per foſſionem enim Iſthmi antea à Demetrio Rege, Iulio Cæſare, Nerone, & Herode Attico aliquoties fruſtra cœptam, tentare denuo irrito conatu noluit. Non multo poſt, diſcordia inter ipſum & Venetos exarſit, qua impulſus, Xenetis bellum indixit, propter regionem quæ Ionium ſpectat: eui, miſſis exercitibus, maximam vaſtitatem inducebat. Veneti, miſſa legatione, vt nihil æqui impetrare poruerunt, animos quoque in id bellum ſumma vi intenderunt. Ventum eſt igitur ad naualé prœlium, & iuxta Callipolim vtrinque inſtructa acie, datoque ſigno, ſtrenue dimicatum, eo tandem ſucceſſu, vt Veneti, Petro Lauretano duce, viro rei militaris peritiſſimo, qui prius in expeditione aduerſus Genuenſes, rebus fortiter geſtis, maximam ſibi gloriam comparârat, captis tredecim nauibus, plæriſque tamen vacuis, cum Turci, conſpecto diſcrimine, ſe in mare abijcerent, & in continentem enatarent, reliquis in turpem fugam conuerſis, præclara atque inſigni victoria potiretur. Nec multo tempore interiecto, legationes vltro citroque miſſæ, inter vtrolque pacem icto fœdere ſanxerunt. Mahometes interim Græcorum Imperatorem, Græcoſq; omnes mirifice colebat, eoſque ſibi omni beneficiorum genere demerere atq; obſtringere annitebatur, eo quod Muſtapham, Baiazetis filiũ, quem tamen ipſe pro notho & fratre ſuppoſititio agnoſcebat, eiuſdẽ imperij æmulum, captum Thermæ, dum ad Græcos auſugeret, Palæologus, in arce Epidauri, vt illi gratificaretur, vinculis amandari iuſſiſſet. Sic enim Rex per ſuos oratores, pactum inierat cum Mahomete, qui iubebatur, Muſtaphã in carcerem conijcere, nec quoquam illinc abire pateretur. Cum eo fuit etiam captus Smyrnæ Dux Zunaites, qui vna cum ipſo Thermam aduenerat, vt illi in bello aduerſus Mahometum ſocius & coadiutor adeſſet. Vterque igitur in gratiam ipſius Mahometi captiuus aſſeruabatur, & vbi iam diu Epidauri fuiſſent detenti, poſtea perducti fuêre in Imbrum & Lemnum, vbi etiam, vſq; ad Mahometis obitum, in carcere captiui delituerunt. Proinde cum Græci hac in re Mahometo, id ſummopere efflagitanti, morem geſſiſſent, factum eſt, vt in poſterum quæcunq; vellent, facile ab eo impetrarent, ipſiq; interea ſumma quiete ac tranquillitate fruerentur.

Iſthmus à Turca communitur.

Nauale prœlium inter Venetos & Turcas.

Venetorum victoria.

Pax inter vtroſque.

Rebus in Oriente ita ſeſe habentibus, Sigiſmundus Imperator, partim vt cladem Nicopolitanam ſibi à Baiazete anno ſupra milleſimum trecenteſimũ nonageſimo quinto inflictam, vlciſceretur, partim etiam, vt Chriſtianum orbem in priſtinam libertatem aſſereret, & puriorem doctrinam propagaret, occaſione inprimis arrepta ex præſenti ſtatu & conditione rerum Turcicarum, cum ipſe Baiazetes à Tamerlano, funeſtiſſimo prœlio deuictus, miſerrimũ humanæ infelicitatis exemplũ præbuiſſet, eoq; in miſertima captiuitate viuis ſubtracto, ipſius liberi, inteſtinis ſimultatib° atq; diſcordijs mutuo laborantes, alter alterũ regnãdi

cauſa

lani conſpectum deueniſſe viſus eſt. Poſt deuictum Baiazetem, Meſopotamiam, Syriam, Aegyptum, & plæraſque alias prouincias partim vi, partim deditione ſuo imperio adiecit. Inter reliquas vero celebriores vrbes, Damaſcum in Syria, & Capham, olim Theodoſiam, tunc Ligurum coloniam in Taurica Cherſoneſo, conſtitutam iuxta mare Boſphoricum, quod Cimmerium appellatur, vi expugnauit, & in vtraque maximam crudelitatem exercuit. Ad Aegyptum arenoſis ſolitudinibus detentus, victorijs ſuis finem impoſuit, cumque exercitus ſæua peſtilentia diuexaretur, diues ſpolijs redijt Sarmacandam, vbi fato functus eſt, anno ſui imperij vigeſimo ſeptimo, & Christianæ ſalutis milleſimo, quadringenteſimo ſecundo. *Eiuſdem interitus.* Arſit ingens & luridus cometa per paucos antequam obiret menſes, qui nec falſo tanti Regis interitu expiatus creditur: etenim in cubiculo inter dormiendum phyalte præfocatus interijt, ante quinquageſimum ætatis annum. *Cometa.* Binos de ſe filios reliquit imperij ſucceſſores, natos ex cuiuſdam Bactriani Reguli filia, quam ſibi matrimonio coniunxerat, quorum alter dictus eſt Scharochus: alter Palamgures. Hi neque ad percipiendam regnandi voluptatem, neque ad propagandam ſobolem diu patri ſuperſtites extiterunt: odia ſiquidem graueſque inimicitias inter ſe exercentes, belliſque mutuis confligantes, vberrimam obtulêre materiam & conſpirationum in ſe, & defectionum vniuerſis ſuarum ditionum populis, ac tributarijs nationibus, ſic vt regnis pene infinitis à patre vi quæſitis, bellique iure occupatis, (adeo à paterna virtute degeneraſſe viſi ſunt) priuati atque ſpoliati, alieno imperio ſubijcerentur, Aſiæque inprimis regnum ad Ottomannos, ceu legitimos dominos, relaberetur. Hunc igitur habuit finem Tamerlanus, qui ſine controuerſia omnes bellica virtute, ac fortuna, quam nunquam expertus eſt aduerſam, mortales anteiuit, eoque humanis rebus exempto, adeo labefactari cœperunt res Tartarorum, vt Scythicum nomen, quod ipſe pene ab interitu vindicauerat, ac per totum terrarum orbem extulerat, vna cum ipſo penitus extinctum ac deletum eſſe videatur. Et quoniam præcipuum huius operis argumentum eſt de rebus Perſarum, neutiquam mihi ſilentio prætereundum eſſe duxi quod inter cætera memini me legere apud non ignobilem ſcriptorem, hunc videlicet, de quo loquimur, Tamerlanum, præter reliqua regna & prouincias ſuo imperio adiectas, etiam regno Perſiæ potitum eſſe, & hac quidem ratione contigiſſe narrant. *Quomodo Tamerlanus regnum Perſiæ inuaſerit & occupauerit.* Cum initio ſui Principatus aliquam militarem manum coegiſſet, Rha fluuio, cum hac traiecto, qua mitior in mare Caſpiũ labitur, per Iberorum, Cholcorum atq; Albanorũ calles, multa arborum denſitate perplexos, in Perſidis anguſtias penetrauit. Has enim ingreſſus, in campeſtrem ilico regionem deſcendit, quæ vicis eſt & villis frequens. Hanc autem ingenti populatione euagatus, magnam ſibi & ſocijs prædam comparauit, reſiſtentes cædens, vel fœde vulnerans, dedentes vero comiter accipiens, quorum ſatis magnum numerum contraxerat. Multi ſiquidem alieno edocti exemplo, ſaluti conſulentes, ſub eius vltro ſigna coiuerunt, vniuerſos ſecum campeſtres accolas incurſionibus prementes, cunctaque obuia ſternentes. Qua re audita Perſarum Rex, vt huiuſmodi incurſus arceret, comprimeretque latrocinia, ac tuti à Tamerlano intercluſi commeatus paterfierent, ducem, quem ſibi fidum ac ſtrenuum putabat, ad eum capiendum, cum mille equitibus ablegauit; qui momento temporis, Araxe amne ſuperato, qua longum emenſus iter, in mare Caſpium ſe vertit, in Tamerlani conſpectum ſe dedit: cui non ob id exterritus, conſilijque anceps Tamerlanus, ſed ſumma animi alacritate & audacia obuiam progreſſus, tanta in agendo induſtria verbiſque accommodatis vſus dicitur, vt ſe ab omni periculo explicaret: quippe tantum abfuit, vt ipſum caperet, occideretque, vt eius, iam conciliato animo, vteretur contubernio, ſubitoque has ſuis copijs adijciens, & nouis equitum alis comitatus, maiori ſpe elatus, militumq; audacia fretus, res nouas moliri adortus eſt, longeque prioribus maiora tentare. Euênit ſiquidem per id tempus, vt Perſarum Regis germanus frater natu minor, dominandi ſtudio & cupiditate impulſus, debitã ei iure dominationẽ cœpiſſet inuidere, ob idq; magnis copijs inſtructus, & aduerſus fratrẽ acre bellũ gerẽs, enixe dabat ope-

quæ tum in fide ac poteſtate Venetorum erat, vrbem antiquitate, amplitudine, pulchritudine, amœnitate loci, religione, artibus & ſtudiis, opibus, opportunitate ſitus terra marique, ad ſinum Thermacium in extrema Macedoniæ ora, frequentia populi, & ciuium dignitate inſignem, vi expugnatam & captam, penitus diripuit. Templa pulcherrima & ditiſſima expilauit, ſacra profanauit, opes ornamentaque perantiqua exhauſit. Quæ clades incidit in annum milleſimum, quadringenteſimum, trigeſimum octauum. At Græci, deſperata pace, ſibique in tam proſpero Amurathis ſucceſſu, haud parum metuentes, de communi omnium conſenſu Muſtapham eius fratrem, annum agentem tertium decimum, & tunc apud Caramannum Cilicem exulantem ſub tutela & cura Alibæi purpurati, cui filium impuberem Mahometes moriens commendarat, accerſiuerunt. Hic armatus à Græcis, Nicæam Bithyniæ vrbem cepit: ſed in ea oppreſſus ab Amurathe proditione ſui curatoris, ſimili quo alter Muſtapha, ſupplicio vitam perdidit.

Muſtapha interficitur à fratre.

Laconicus tradit, Græcos tandem, miſſis nouis legationibus, pacem ab eo exoraſſe, hac in primis conditione, vt videlicet Iſthmum diruerent, & nihil in poſterum, ſicuti hactenus fecerant, rerum nouarum molirentur, atque ita pacem inter vtroſque coiuiſſe. Hoc tractu rerum, Amurathes, ſumma quadam proferendi imperij cupiditate incenſus, & ſuorum Maiorum fortia facta bellicis operibus non tantum æquare, ſed multo magis ſuperare contendens, ſublatus, vt dictum eſt, imperii æmulis, captaque Theſſalonica, mox Tomaro & Pindo, montibus tranſcenſis, continuo victoriæ curſu, Phocidem cum Attica, Bœotiam, Actoniam, Acarnaniam, & omnem citra Peloponneſum regionem vſque ad ſinum Corinthiacum incredibili celeritate perdomuit.

Proſperi ſucceſſus Amurathis.

In Epiro, & ea parte Macedoniæ, quæ ad Adriaticum vergit, Albaniæ nomine hodie celebris, regnabat Iohannes Caſtriotus.

Ioh. Caſtriotus.

Hic, vt vim belli Turcici, quam ſe non poſſe ſuſtinere proſpiciebat, eluderet, his conditionibus pacem ab Amurathe impetrauit, vt cederet Croia Illyriorum oppido non ignobili, & obſides daret filios tres, Conſtantinum, Repoſium, & Georgium, inter quos Georgius qui tum erat nouem annorum, cum indole regia animi, & forma corporis emineret, neque obſcura ſummi futuri ducis indicia vultu geſtuque corporis præberet, tantam apud Amurathem inijt gratiam, vt eum in aulá regia liberaliter educari, ac literis & moribus Turcicis ad Mahometanæ legis diſciplinā inſtrui curauerit, & propter ingenij præſtantiam, atque expediti conſilij vigorem, qui in certaminibus ludicris conſpiciebatur, miramque vim corporis proceri atq; robuſti, quo ſuperabat cūctos æquales, Scanderbeium, id eſt, Alexandrum Magnum cognominarit, & propemodum ante ætatem militarem in Aſiam aduerſus Caramannum Cilicem miſerit, quo bello cum alijs rebus fortiter geſtis, tum deuictis atq; proſtratis duobus ex hoſtili exercitu prouocatoribus in ſingulari certamine, vno Scytha pedeſtri, altero Perſa equeſtri, eam conſecutus eſt nominis celebritatem, vt deinceps bellica laude, & ſingulari Amurathis gratia facile cæteros anteiuerit.

Scanderbeius.

Hac fretus deinceps, mortuo patre, petiuit ſibi ditionem paterni imperij concedi. Petitioni etſi annueret Amurathes, tamen cum rem aſtute duceret, Georgius ſe ludificari ſentiens, dedit operam, vt perfidū hoſtem falleret viciſſim, cumque inſigni calliditate ſolertiaque in Epirum euaſiſſet, & per adulterinas literas Croiā ſpontanea deditione, & reliquos Epiri ac Macedoniæ populos recepiſſet, coactis copijs non magnis, ſed ſumma voluntate militantibus, fines ſui imperij ita tutatus eſt, vt per multos annos Amurathis & Mahometis pene inuictos exercitus profligarit.

Croia, & omnis paterna ditio à Scanderbeio recepta.

De huius autem rebus domi foriſque geſtis, præterquam quod plurimi ſcriptores meminerint, extat peculiare opus, ideoque ab eorum commemoratione ſuperſedebo, ſicuti etiam ab his recenſendis, quæ prædictus Amurathes in Bulgaros & Seruios egerit, deque illius infelici expeditione in Pannoniam contra Vladiſlaum regem, cum Belgradum per ſeptem menſes fruſtra obſideret. Adhæc, ſilebo, quoties illius maximi ac potentiſſimi exercitus ab Hunniade, inuictiſſimi animi ac roboris duce, profligati ac propemodum deleti fuerint, & quibus deinde conditionibus pax tandem inter vtrunque Regem inita fuerit,

Hunniades.

& paulo poſt,ſuaſu Eugenij Pont. & Iuliani putpurati, ab Vngaro perfide violata,

Varnenſis clades.

quod ſane vt ipſi extremum exitium peperit, ita etiam vniuerſum eius regnum in maximas ærumnas & calamitates coniecit. Hæc autem Chriſtianorum clades in Varnenſi planicie, incidit in annum milleſimum quadringenteſimum quadrageſimum quartum.

Terræmotus.

Porro hanc futuram Chriſtianæ Reip. calamitatem præceſſit terræmotus, qui eam regionem horribili fragore concuſſit, & impetus ventorum ingenti turbine commixtus, plæraque vexilla deiecit. Quin etiam ferunt, equum Regis aſcenſuro inſolite obluctatum: quas inſuper expeditiones ſuſceperit anno eiuſdem ſæculi quadrageſimo octauo, paulo ante ipſius obitum in Epiro & Macedonia aduerſus Scanderbeium, atque itidem in Vngaria contra Hunniadem, prudens ſcienſque prætereo, cum hæc omnia eruditiſſimorum virorum

Amurathis obitus.

monumentis conſignata ſint, ne à meo inſtituto longius euagetur ſermo. Amurathes ſatis conceſſit Adrianopoli, poſtquam vitæ quintum ac ſeptuageſimum annum, potentiæ vero quartum ac triceſimum expleuiſſet. Laonicus auctor eſt, ipſum obiiſſe in conuiuio, ictum apoplexia, quam nimia vini conciuerat copia: & ſubiungit, eum fuiſſe virum iuſti æquique eximium cultorem. Vſum eſſe fortuna aura non admodum aduerſa. Prouocatum, vt ſe defenderet, bella occepiſſe; laceſſitum, confeſtim in armis fuiſſe. Iniuriis non irritatum, bellum ægre ſuſcepiſſe. Illud vero hîc minime ſilentio inuoluendum eſſe cenſeo, hunc ſcilicet, fu-

Ordo Ianizarorum ab Amurathe inſtitutus.

iſſe primum ex Ottomannis, qni ordinem militum Prætorianorum, exemplo Phalangis Macedonicæ, inſtituerit, quorum opera incumbentem hoſtium equitatum reprimeret, & audentius oppidorum oppugnationes aggrederetur. Hoc militum genus, vt in Aegypto Mamalucorum, Chriſtianis parentibus ereptum, delectumque cum indicio & accurate exploratum, iiſdem ſacrorum legibus imbuitur, & in iiſdem belli artibus, quibus Turcos à prima ſtatim pueritia erudiri mos eſt. Ianizaros Amurathes, id eſt, vt vocabulum interpretantur nonnulli, nouæ gentis milites appellabat, educatoſque in aula, & aſcitos in cohortem prætoriam, perpetuos corporis ſui cuſtodes ſtipatoreſque efficiebat. His pro galea erat peculiare capitis tegumentum, quod Exarcolam vocant, colore album, ex coacta craſſiore lana denſatum, adeo vt gladiis ſit impenetrabile. A tergo latior cauda demiſſa ceruices muniebat, à fronte ornabatur aureo vel argenteo cono, qui criſtas ſuſtineret. Sagittis, haſtiſque, & paruis ſecuribus rem gerebant. Sed ætate noſtra, haſtis arcubuſque abiectis, imitatione noſtrorum ſclopetis vtuntur. Fuerunt ab initio in ea phalange non plus quam octo millia, ſed eam poſt, ſucceſſores, animaduerſa vi atque induſtria peditum, duplicato fere adauxerunt. Prædicti Ianizari habent octo aſpros, alter plures alios; & ſunt in decurias diſtributi, quarũ decurio ac præfectus vocatur Odabaſſi, id eſt, magiſter hoſpitiorum. Centuriæ autem Boluibaſſi, quod ſignificat ducem centuriæ. Decurioni ſtipendium eſt quadraginta aſprorum. Centurioni ſexaginta; hi vero equites eunt. Veſtiuntur præterea Ianizari quotannis bis pãno cæruleo, & qui inter ipſos mariti ſunt, vxoribus cohabitant, reliqui vero locantur in certarum platearum certis ædibus, ipſis Conſtantinopoli aſſignatis, & vna viuunt octoni, deni, duodeni, & plures, qui tenuiore ſtipendio aluntur, alijs ſeruiunt, qui vero liberaliore, æquales portiones ad expenſas conferunt. Porro cum Ianizari conſenuêre, nec amplius vtiles ſunt cuſtodiæ, mittuntur in arces atque caſtella pro excubitoribus, & appellãtur Aſſarer; ſed Decuriones ac Centuriones ſenio confecti, cuſtodes & præfecti dictorum locorum, ſtipendium ex ærario recipientes, æquiualens illi quod antea habuerunt. Ex hiſce Ianizaris centum & quinquaginta Solachler eliguntur, à Græcis nominati Solachi, qui ſimiliter pedites eunt, cingentes latus Principis, & ſtipendium diurnum ad viginti aſpros recipientes. Et duo ipſorum capitanei dicti Solachbaſſi, tricenos, ſubiecti Agæ Ianizarorum. Significat autem Solachler ſiniſtrum, ſic dicti, quod geſtent ſuos acinaces in latere ſiniſtro. Horum Ianizarorum ducem vocant Ianiſſaragam, aut ſimpliciter Agam. Aga vero ipſorum lin-

Aga præfectus Ianizarorum.

gua ſonat baculum, qui pro ſtipendio diurno mille aſpros habet, & ſex millia ducatorum quotannis ex ærario, quod Tymar vocant. Eſtque in tanta auctoritate

& exiſtima-

Sigiſmundi expeditio aduerſus Turcas.

Eiuſdem clades.

cauſſa cruentiſſimo bello impeteret, excitis Vngaris & Bohemis, arma in Mahometem valida magis quam felicia conuertit. Ambo exercitus hoſtiliter congreſſi ſunt ad Columbacium Seruianorum oppidum, non procul à Danubii ripis, vbi Sigiſmundus nō clementiori fortuna vſus eſt, quam ſub Baiazete huius patre, cū maximo Chriſtiani nominis detrimento expertus fuerat, anno anteq̄ ſeptemuirûm ſuffragijs atq; vnanimi conſenſu ad imperium euectus eſſet. Tunc enim tam improſpero ac infelici Marte à noſtris dimicatum eſt, vt Sigiſmundus exutus caſtris, & omnibus ornamentis ſpoliatus, vix euaſerit ex hoſtium manibus, parua nauicula Byzantium delatus, vbi incidit in claſſem Venetam, qua mox in Italiā reductus fuit. At Iohannes, Philippi Audacis Burgundi filius, qui cum lectiſſimis equitum cataphractorum turmis, & maximo procerum comitatu, Sigiſmundo opem ac ſuppetias allaturus in caſtra venerat, cum paucis ducibus viuus in poteſtatem hoſtium deuenit, cui proiecto ad pedes, ac ſalutem ſuppliciter deprecanti, reſpondit Baiazetes, ſe vitam ei libenter conceſſurum, ob id, quod iuuenis, & regio ſanguine editus eſſet, ſed reliquos captiuos ad vnum omnes, præter quinque proceres carceris comites, in cōſpectu ipſius trucidari iuſſit. Burgundus interim, Adrianopolim perductus, multo auro libertatem redemit, & ſic tandem, ceu poſtliminio ad ſuos remigrauit. Hęc in præſentiarum de Celebino, ſiue, vt alij vocant, Calepino, eiuſque rebus geſtis.

Huic, anno ſui regni duodecimo, vel, vt quibuſdam alijs videtur, decimo ſexto, humanis rebus exempto, Mahometes imperij moderamen ſuſcepit. Hic, eiuſdem Baiazetis filius fuiſſe traditur. Quidam vero negant, licet affirment, fuiſſe vnum ex Ottomannica familia, eſtque magna opinionum varietas & diſcrepantia inter Græcos & Latinos de Baiazetis filijs & de illorum ſucceſſione. Quidam tribuunt Baiazeti filios duos, Orchanem cognomento Calepinum, ſeu Celebinum, & Mahometen, qui, fratre intra biennium obtruncato, regnum occupauit. & huius Mahometis filium faciunt Amurathen ſecundum: Nonnulli plures Baiazeti aſcribunt filios, ſed etiam ratione & commemoratione diuerſa: Alij duos tantum, Celebinum, & Muſtapham, & viciſſim Celebino filios tribuunt Orchanem & Mahometem primum, de quibus hoc commendarunt poſteritati, Orchanem adhuc paruulum, auxilio ducum quorundam imperium aſſumere annitentem, à Moſe patruo interfectum, ſed Moſem, rapto Principatu, non diu potitum, pœnaſque dediſſe parricidij Mahometi Orchanis fratri. Apud Græcos, Orchanis mentio nulla eſt, quibus maior pars eruditorum aſſentiri videtur, & ego hic potiſſimum ſecutus ſum Laonicum, inter cæteros ſcriptores Græcos minime contemnendum, nec poſtremi nominis auctorem. Verum enimuero de his vnicuique ſuum eſto iudicium. Mahometes imperium adeptus, Saracenos, Gordianos, Perſas, Cappadoces, variis prœliis fudit, nomenque Turcorum ita celebre reddidit, vt Europæ gentes illud quam maxime reformidarent. Siquidē Ottomannicum regnum, tum armis & diligentia, tum dolo & aſtu, terra marique, non modo incolume tenuit, verumetiam plurimum propagauit. Valachos aſperrimo bello attriuit, adeo vt his deinceps grauiſſima tributa imperarit, & primus traiecto Danubio, multas ciuitates tributarias fecit, Macedoniamque bello domuit, & Turcorum ſigna ad Ionium vſque pelagus promouit. In Aſia vero quamplurima loca à Tamerlano occupata recepit, & plurimos Turcicæ nationis regulos ex diuerſis Prouinciis pulſos, funditus extirpauit. Contra Lydos & Cilices multa præclare geſſit: Sedem imperij habuit Adrianopoli, quæ Thraciæ caput eſt. Plærique, conflictum habitum cum Sigiſmundo in campis Columbacenis, huic potius, quam Celebino attribuunt. Deceſſit anno Chriſti ſupra milleſimum quadringenteſimum, decimooctauo, poſtquam rebus Turcicis cum maxima ſui nominis, & domus Ottomannicæ gloria, quatuordecim, ſiue, vt alij volunt, ſeptemdecim annos, præfuiſſet. Reliquit vnicum filium Amurathen, imperij ſucceſſorem.

Mahometes primus.

Eiuſdem obitus.

Amurathes ſecundus.

Amurathes Mahometis filius, cum primum adiiſſet imperium, in eam ſe curam totum contulit, vt clade aui, belloque inteſtino filiorū inclinati, ſed audaci

& exiſtimatione, vt ſæpius filias, aut ſorores magni Imperatoris in matrimonium ducat, & ſub ſe habet Checayam, id eſt, Vicarium, quotidie ducentos aſpros recipientem, & Ianiſſariazigi, id eſt, ſcribam Ianizarorum vocatum. Sunt qui dicant, Ianizarorum nomen deriuari à voce Cham, quam illi pronunciant Tham, & dominum, aut Principem ſignificare, hac voce Ieſer, quod Sclauum, id eſt, ſeruum denotet, non quidem de grege illorum, quos vendunt, & emunt (hos enim appellant Cout, & Coullet) ſed ex numero eorum, qui ſunt deſtinati ad ſeruitia magni Imperatoris. Quatenus vero ad Phalangem Macedonicam attinet, cuius exemplo Amurathem, hunc ordinem Prætorianorum inſtituiſſe diximus. plurimi veteres ſcriptotes meminerunt, & vix aliud quicquam maioribus laudibus extulêre. Hanc Euſtathius libro 4. Iliados, ex centum & viginti militibus conſtare dixit. Vegetius autem lib. 2. Macedones atque Græcos in vna phalange octo millia armatorum habuiſſe ſcribit. Cæterum, Aelianus in libello De inſtruendis aciebus, inexpugnabilem intolerabilemque ſemper hoſtibus fuiſſe Macedonicam phalangem, tradit, cuius milites haſta & ſcuto armabantur. Quam rem mira facundia, & verborum proprietate depingit libro ab V.C. 31. Liuius, inquiens: Erant plæraque ſylueſtria circa, incommoda phalangi maximé Macedonum, quæ niſi vbi prælongis haſtis, velut vallum ante clypeos obiecit (quod vt fiat, libero campo opus eſt) nullius admodum vſus eſt. Hanc phalangē paulo poſt, idem Liuius Macedonicum cuneum, & ipſos Macedones, ſæpe Phalangitas appellat: Neque facile erat, inquit Liuius, diſiicere, aut perrumpere Phalangem, quod eius confertæ, & intentis horrentis haſtis, intolerabiles vires eſſent. Hoc etiam Aelianus, vt paulo ante dictum eſt, adſtruebat. Sed de euolutione Macedonica idem Aelianus agit, eandemque Macedonum inuentum eſſe refert, ſicut & Lacedemonicam euolutionem, Lacedemoniorum. Et de his quidem hactenus dictum ſit. Porro alicui fortaſſe videbor in his rebus commemorandis, quæ à Tamerlano, atque familia Ottomannica domi foriſque geſtæ ſunt, extra ſuſcepti operis metas longius euagatus. At ſpero hæc omnia curioſo atque auido lectori nullo modo ingrata futura eſſe, meque etiam ob id nullam iuſtæ reprehenſionis notam ſubiturum, cum præſertim Tamerlanus, inter cæteras prouincias & regna, etiā Perſicum imperium, ſicuti antea recenſuimus, innaſcrit, & inter ipſos Perſas & Ottomannos, perſæpe atrociſſima & cruentiſſima bella, cum maxima & funeſtiſſima vtriuſque gentis clade exorta fuerint. Nā, licet vtraque natio Mahometicis ſacris adhęreat, plurimum tamen inter ſe differunt opinionum varietate, dum alij, alijs ſanctiores videri volunt, & ſui vatis legem atque arcana pro ſuo quiſque arbitratu interpretari. Huc etiam accedit ambitio & regnandi cupiditas, quæ mortalium animos in præceps rapit. Quocirca huius ampliſſimæ ac potentiſſimæ domus origo mihi explicanda fuerat, & de his Regibus, qui tantum imperium propagarunt, vt aliquid in medium afferrem, ipſa me argumenti ſeries admonebat, quo res Perſicæ multo clarius atque apertius intelligi poſſent.

Nomen Ianizarorum unde deriuetur.

Phalanx Macedonica.

Defuncto Amurathi Mahometes ſecundus, viceſimum ætatis annum agens, in imperio ſucceſſit, & extemplo ſui regni primordia & adminiſtrationem à parricidiis more illius gentis auſpicatus eſt, duobus eius fratribus, Turſine, & Calepino, quorum alter menſem decimum octauum, alter vero ſextum attigerat, è medio ſublatis: tametſi complures affirment, pro hoc vltimo Amurathis fratre ſuppoſititium aliū tyranno oblatum, genuinum vero Calepinum, Byzantium translatum, poſtque, vrbe capta, ſubtractum, & Venetias primum, deinde Romam Calixti Pont. mandato fuiſſe deductum: inde eum percepto dogmate Chriſtiano, nomen Chriſtianum baptiſmo eſſet profeſſus, in Germaniam ad Fridericum III. Imperatorem veniſſe, & apud eum honotifice habitum, atque annuis redditibus donatum, reliquum ætatis in Auſtria tranſegiſſe. Mahometes interim, ad imperium euectus, primo diſciplinam militarem omnem ita veteri Græcorum lege ad præmia & pœnas reuocauit, vt quamplurima emendarit in bellica ratione maiorum, addiderit multa, artificia noua conficiendæ, vbi opus

Mahometes ſecundus.

Idem primus Conſtantinopoli naualia inſtituit.

eſſet,pecuniæ,& locuplerandi ærarij,nouoſque omnis generis armorum apparatus,excogitarit.Primus Ottomannorum naualia, Venetos imitatus, inſtituit & ordinanit.Nonnulli aſſerunt,primam eius expeditionem fuiſſe contra Scanderbeium, & Croiam vrbem cum octuaginta millibus hominum obſediſſe,eo tandem exitu,vt rebus infectis, nec ſine aliqua clade,domum redierit. Cæterum, Laonicus Chalcondyla memoriæ prodidit,eum, paulo poſt adeptum imperium aduerſus Caramannum,Turcicas Prouincias deuaſtantem,ex Adrianopoli trãſgreſſum in Aſiam,arma mouiſſe,ad cuius aduentum dicit, ipſum Caramãnum, deſerta regione, ſeſe in montium cacumina recepiſſe:verum poſtea legatos miſiſſe,quibus offerebat reſtitutionem Candclori, & ſe fore promptum ad ea quæ imperaret;moxque pace impetrata,ipſum in fœdus ac ſocietatem admiſſum. illud vero inter cætera notatu haud ſane indignum referunt, ipſum videlicet Mahometen, Caramannico bello confecto, illinc reuerſum, cum veniſſet Calliopolim, peregrinorum numerum, qui non in eam expeditionem venerant, Inquiſiuiſſe, ac eorum ducem, Hagiapaſem, flagellis cæſum, ea dignitate priuaſſe, Hagiapaſem pœnas illas propterea dediſſe,quod Regi contra Caramãnum pergenti,non indicaſſet,quinam adeſſent,quive abeſſent. Septem millia virorum fuiſſe,qui curabant accipitres regios,quos iſto ex ordine deturbauit, & milites eſſe iuſſit. Etiam canum curatores ab hoc munere ſubmouiſſe, cum diceret, ſibi ſufficere centum viros,qui canes, & quingentos,qui accipitres curarent. Nec ſe eo ſtultitiæ proceſſurum, vt velit alere hominum tantam multitudinem, propter rem quandam vanam & nouam.

Byzantium expugnatũ à Mahomete.

Poſt hæc,Mahometes cum ingenti exercitu,atque omni bellico apparatu ſtatuit oppugnare Byzantium, eoque terra & aquis grau ſſima obſidione preſſo, tandem poſt quinquaginta quatuor dierum obſidionem,potitus eſt,cæſo Conſtantino Palæologo,vt ſupra in huius mentione expoſui,& hoc pacto antiquiſſimum Orientis imperium euerſum,

Belgradum fruſtra oppugnatum à Mahomete.

Tertio anno poſt captam Conſtantinopolim, Belgradum, vrbem Pannoniç, quam vocant Handeralbam & Albam Græcam, Vngari Chrieſſeth,ad Saui Danubiique confluentem, opportuniſſimo loco & natura & arte muniſſimo poſitam, nec non totius regni propugnaculum,cum centum & quinquaginta millibus hominum armatorum obſedit & oppugnauit,eo quidem ſucceſſu, vt tandem poſt cõtinuum & maxime cruentum duorum dierum prœlium, in quo, præter ingentem ſuorum cladem,(ſiquidem ferunt ex Turcico exercitu ad quadraginta millia virorum fuiſſe deſiderata,)ipſemet,accepto in pectore ſub lęua pupilla vulnere,ferme exanimis concideret,ab ea expeditione receſſerit.

Chriſtianorum victoria duce Huniade. Eiuſdem obitus & virtus.

Hæc autem inſignis & præclariſſima Chriſtianorum victoria habita eſt ductu & auſpicio Huniadis, octauo Idus Auguſti, & anno Salutis ſupra milleſimum quadringenteſimum quinquageſimo ſexto, ipſaque obſidio in quadrageſimum diem producta fuit. Cæterum Huniades, quarto Idus Septembris eiuſdem anni, non ſine maxima totius Chriſtianæ Reip. calamitate, placido exitu ex hac vita deceſſit. De cuius quidem inclyta virtute,rebuſque fortiter ac præclare geſtis, præſtat ſilere, quam pauca loqui.Namque aduerſus duos audaciſſimos ac feliciſſimos tyrannos, Amurathen, & Mahometen, diuina ope Pannoniam defendit, & propterea fuit appellatus Fulmineus terror Turcorum,fuitque totius reliquæ Europæ murus, cuius vnius virtus & felicitas (quæ laus etiam Scanderbecho, eadem tempeſtate inuicto, & clariſſimo duci, iure merito tribui poteſt) tyrannorum impetus repreſſit,velut obiecta mole exundans flumen;nec quiſquam regum, aut ducum, res maiores, & Europæ vtiliores aduerſus Turcos, quam hi duo heroẽs,alter in Pannonia,alter vero in Macedonia & Epiro iiſdem temporibus geſſit. Verum enimuero Mahometes, contra aduerſus fortunæ ictus infractum animum gerens, ineunte vere, omiſſis ad tempus terreſtribus bellis, prævalida claſſe maris Aegei inſulas inuadere conſtituerat.

Aſſimbeius Vſumcaſſanes quomodo ad Perſarum imperium deuenerit.

Sed cum maritimum bellum moliretur, ab hoc eum conſilio & conatu auertit Vſumcaſſanes ex Aſſimbeia Turcica ſtirpe, Cappadociæ,Armeniæ,& vicinarum aliquot regionum dominus. Hunc Baiazetes cum bello perſecutus, Armenia expuliſſet, ipſe ad Tamerlanum Scytharũ ac Per-

ac Perſarum Regem confugit, & cum patre Caſane illius caſtra ſecutus eſt, & poſt, patre in dominatum ſuum reſtituto, apud hæredes Tamerlani & nepotes, vtrunque Tzochien, magnis fidei, gratitudinis, ac virtutis argumentis editis, eorumdem auxilio, defuncto patre, Armeniæ partem obtinuit, modicisque copijs, vt erat excelſi animi, ſæpe fudit hoſtes innumeros, & ad regnum Perſarum aſpirauit. Tzaniſes autem, qui Perſas, pulſo Tamerlani nepote Tzochiô filio Tzochiis, regebat, hominis incrementa mirum in modum ſuſpecta habens, per legatos ipſum monuit, ambitioni tandem vt finem poneret, contentuſque tranquille viuere, quam aliorum tentare vires malit, ni hoſtis Perſarum declarari vellit. Hac legatione irritatus Vſumcaſſanus, legatos prouincia excedere iubet. Tzaniſes in ipſum ingentem exercitum ducit. Is vero, tametſi opibus & militum numero longe inferior, ſtrenue tamen ac fortiter cum hoſte congreſſus, illum in acie ſuperauit, & hoc modo, pulſis Tartaris, Perſarum imperium ad Turcas venit, nec patuas poſt victorias de Sagataianis, quibus præerat Buſechus, anno 1470. retulit Caſanus. Sunt vero qui memoriæ tradiderint, ea tempeſtate regnaſſe in Perſia Malaonchrem, ſiue vt alii vocant, Demirum, aut Geunſam, ex vetuſta proſapia Gempſæ, magni apud Parthos Sultani, quem Vſumcaſſanus bello deuicerit; eaque ratione Perſarum regnum inuaſerit. At prior ſententia veritati magis conſentanea videtur, cum certo conſtet, Tamytem, regno Perſico potitum eſſe. Fieri autem poteſt, vt alius fuerit Princeps in Perſia, aut Parthia, qui cum Tzaniſe, aut ipſius filiis eodem tempore contendebat. Vſumcaſſanus igitur, nec regia ſtirpe ſatus, nec amplis opibus ſubnixus, licet ex nobiliſſima familia oriundus, ad ſummam potentiam propria virtute, ac iure belli peruenit, vtque in ea ſeſe magis conſtabiliret, cum Dauide Comneno Trapezuntis Imperatore inito fœdere, affinitatem contraxit, eiuſque filiam Deſpinam in matrimonium duxit. Poſthæc, legatos miſit ad Mahometen, afferentes dona ampliſſima, deprompta ex theſauris Perſicis ad oſtentanda victoriæ præmia, qui flagitarent, vt abſtineret Trapezunte, & Cappadocia, quas ſibi regiones dotalitio nomine vendicaret. Nuper enim Amaſiæ Præfectus, facta in Cappadociam irruptione, Trapezuntem terruerat. Turca, impatienter ferens, & leges ſibi ferri, & quaſi inſultari in calamitate recenti ab inferiore domino, ſimulque offenſus noui regis felicitate & gloria, belli apparatum omnem terra marique in Aſiam nulla mora interpoſita, tranſtulit, præmiſſaque parte claſſis in Pontum, & Synopem verſus Trapezuntem, ipſe cum terreſtri exercitu ſecutus, incredibili celeritate Aſia ceu peruolitata, opinione omnium citius contra Vſumcaſſanum caſtra fixit. Vbi Vſumcaſſanus bino, & vtroque acerrimo conflictu, ſemel ad Euphraten, pugnāte Amurathe Baſſa Græco homine, olim Imperatoris Conſtantinopolitani conſanguineo, qui in eo prœlio, victus concidit: iterum Mahomete ipſo pro caſtris Turcicas vires vehementer attriuit: ſed, dum tertio ſummi certaminis fortunam periclitatur ad Arſengam, multitudine tormentorum obrutus, infelici exitu ſuperiores victorias corrupit. Nam, cum exercitus Perſicus inſolito fragore diſploſarum bombardarum atque violentia turbatus, non conſiſteret, recipere ſeſe Vſumcaſſanus coactus eſt, amiſſo filio Zemalde, ſeu Ezeimeld, vt alij vocant, qui ænea glande traiectus occubuit. Vſumcaſſanus, vbi fortunā prorſus in Mahometis partes inclinaſſe animaduertit, ex prœlio, quod quidem ante Meridiem inchoatum, ferme vſque ad Solis occaſum continuauit, cum parte copiarum, quæ ſupererant, aufugiens, Tauriſium incolumis reuertitur, eumque mox alter filius nomine Vnghermatmet, ſubſecutus eſt, & confeſtim ſeſe in mōtes recepit, nihil auſus interea mouere, quamdiu Mahometes in Perſia ſubſiſteret. Turci Perſarū caſtra inuadunt, omniaque impedimenta diripiunt, nec vltra hoſtes perſequi auſi ſunt. Fuit victoria hæc ſatis ſpecioſa: ſed Turcis multo calamitoſior, quam Perſis. Apud quoſdam ſcriptum reperio, eo die, ex Ottomannico exercitu ad quatuordecim, & nonnulli etiam aſſerunt, ad quadraginta millia: ex Perſico, ad decem millia, nec amplius deſiderata. Regias copias in hac expeditione fuiſſe armatorum, trecenta & quinquaginta millia: Ottomanni vero exer-

Quomodo Perſarum imperium ad Turcas deuenerit.

Vſumcaſſanus legatio ad Mahometem.

Prœlium inter Mahometem & Vſumcaſſanum.

Perſarum caſtra à Turcis direpta.

Imperium Trapezuntis euerſum.

Comnena familia extinguitur à Mahomete, Cilicia ab eodem occupata.

Cataluſii à Mahomete deleti.

Rhodus à Turcis fruſtra tentata.

Hydrum à Turcis expugnatum.

Mahometis obitus & natura.

citum trecenta & viginti millia expleuiſſe. Mahometes, quoniam hoſtem caſtris atque impedimentis exuerat, eius ceſſionem pro victoriæ confeſſione interpretatus, mox Synopen Prouinciæ caput, omnemque Paphlagoniam ſubegit. Trapezuntem regiam ſedem, terra marique infeſtiſſime oppugnatam, cepit, potitus & theſauris regiis, atque ipſo Rege Dauide Comneno, filiiſq; duobus, & filia, quam poſtea in ſuum cubiculum acceſſiuit, & Calo Iohanne patruele, quos præmiſſos Byzantium ad triumphum, deinceps quam crudeliſſime interemit, exciſa cum his tota Comnenorum ſtirpe, circiter annum Chriſti ſupra milleſimum quadringenteſimum, quinquageſimum nonum; regnumque illud, & vniuerſam Colchidis regionem, cum redegiſſet in formam prouinciæ, Pyrameno Caramanno eodem victoriæ curſu debellato, Ciliciam ademit. Nec poſt tam inſignem victoriam Mahometes ab armis quieuit. Quin potius, reuerſus Byzantium, ea claſſe, quam priori anno in Propontide pararat, Lemnum & Lesbum inſulas expugnauit, Mitylene vrbe prope deleta, & tota inſulanorum multitudine Byzantium, velut in alteram coloniam, abducta. Nicolaum Cataluſium Lesbi Principem, patricium Genuenſem, immaniter trucidauit. Metellinum hodie inſulam appellant, olim Genuenſium, nunc Turcorum. Cæterum, quas deinde aduerſus Draculam Valachrorum Principem, Boſnenſes, Illyricos & Venetos, expeditiones ſuſceperit, quovc exitu illæ terminatæ ſint, auidus lector ex aliorum ſcriptis facile haurire poterit. Pace poſtremo cum ipſis Venetis firmata, mox vno eodemque tempore, tres expeditiones ſuſcepit. Meſithen purpuratum è gente Palæologa, ad oppugnandam Rhodum cum valida claſſe præmiſit. Acomathem Baſſam iuſſit traiicere in Italiam ad occupandum cum vrbe Roma imperium Occidentis; & ipſe tranſiit in Aſiam. Harum expeditionum is fuit exitus, vt Meſithes, poſt multas & cruentas, ſed irritas oppugnationes, trucidatis ſuorum circiter nouem millibus, & quindecim millibus vulneratis, ab oppugnatione, quæ vndenonaginta dies durauit, Petro Dabuſonio pro Chriſtianis propugnante, cum ſummo dedecore ac detrimento claſſem reduxerit. De hac Rhodiana oppugnatione Gulielmus Caruſinus Rhodiorum Magiſtri, vt vocant, Cãcellarius, & Bernardus de Breidenach Cõmentarios diligentiſſime conſcripſerunt. Acomathes, ex Aulone in Salentinos tranſuectus, Hydrũ, ſiue Hydruntum (vtroq; enim modo à Plinio dicitur) Apuliæ ciuitatẽ, in ipſis Italiæ finib. ſitã, poſt vnius anni & aliquot menſium atroce atq; horrendã obſidionẽ, vi expugnauit, ibiq; nullum crudelitatis aut immanitatis exemplũ prætermiſit. Tantaque protinus tota Apulia, vel potius vniuerſa Italia, conſternatione ac terrore concuſſa eſt, vt multi mortales de ea deſerenda, vtpote de qua tum omnino actum videretur, conſilium inierint: & ipſe quidem Pontifex Sixtus, rerum aliarum omnium oblitus, ſed ſui memor, fugam ex vrbe adornauit. Hæc clades incidit in annum eiuſdem æui octogeſimum primum, quo Mahometes, in Aſiatica profectione apud Nicomediam repentino coli dolore correptus, extremum vitę diem tridui cruciatu feſtinata morte clauſit, anno ætatis quinquageſimo tertio, ſiue, vt nonnullis placet, quinquageſimo octauo, regni triceſimo ſecundo, 5. Non. Maij, magno Reipubl. Chriſtianæ commodo. Nam præſidia Turcica, quæ tenebant Hydruntum, ab Italis ope Matthiæ Coruini obſeſſa, vbi mortem ſui Principis cognouiſſent, non expectato reditu Acomathis, qui viginti quinque millia Turcorum adducebat, inchoatum victoriæ curſum proſecutus; illa ergo, pacta cum obſidentibus de vrbis deditione, & ſua incolumitate, Hydruntum reliquerunt: Ita tunc Italia hoc tanto diſcrimine liberata eſt, ſimulque Chriſtianus orbis hoc immaniſſimo tyranno, qui, poſt Byzantij expugnationem, Trapezuntinum imperium, Aſiæ minoris regna pene duodecim, viginti Prouincias, & ducentas vrbes Chriſtianis ademit. Incremento tantæ felicitatis inflatus, Magnus Turcorũ Imperator ex rerum geſtarum magnitudine appellari voluit, iamque ad totius orbis imperium aſpirabat. Callebat quidem, vt memoriæ à nonnullis proditum eſt, aſtrorum ſcientiam. Dicebat hoc & diuino nutu, & fatorum diſpoſitione, ac ſiderum poſitione futurum eſſe. Didicerat Græce, Latine, Arabice, Chaldaice atque Per-

que Perſice loqui. Nouerat etiam illuſtrium virorum geſta, præcipue Cæſarum, Magnique Alexandri: quorum factis valde accenſus, hos omnino ſibi ſequendos atque imitandos propoſuerat. Erat excelſi atque inuicti animi, ingenio plurimum pollebat, calliditate atque aſtutia cæteris præſtabat. Decreueratque, prius perdomita Italia, Romam proficiſci, eamque ſibi ſubiicere: ſed in primis Epirum ſibi expugnandum dictitabat: qua, ad id peragendum, vt voti ſui compos fieret, nihil aptius, nihil commodius aut opportunius videri, nec aliunde, aliove modo, ſe, ad quod inſtituerat menteque conceperat, poſſe peruenire, cum propter loci vicinitatem, tum etiam rerum omnium maximam commoditatem. Proinde nihil intentatum reliquit, vt ea potiretur. A matre Deſpotæ Seruiæ filia, ad Chriſtiana præcepta & mores cum eſſet à teneris aſſuefactus, mox horum oblitus, ita ſe ad Mahometis ſacra contulit, vt neutri religioni addictus, prorſus ἄθεον ageret, nec niſi vnum bonæ fortunæ numen agnoſceret atque coleret: irridere ſollicitas cogitationes hominum de Prouidentia credentium, Deo curæ eſſe res humanas. Hic Imperator, Conſtantinopoli palatium conſtruxit, ædificatum in primo colle, è regione Scutoris, & in promontorio Boſphorico ſitum: vbi & Acropolis antiqui Byzantij, & Regum Conſtantinopolitanorum fuit. Eius amplitudo muris fortiſſimis incluſa, mediocrem vrbem facile æquat: ſylua cupreſſorum, platanorum, arborumque fructiferarum vndique cingitur. Ante domum Regis tres portæ altiſſimæ ſunt, de marmore albo & ſerpentino Duæ priores cuſtoditæ à ianitoribus plurimis; & tertia, per quam ad regiam aditus patet, Eunuchis. Intra has portas duo atria longe lateque patent. In quorum priore officinæ quædam regiæ ſunt, famulique magnatum equitando ſe exercent, dum ſuos dominos operiuntur: In altero, Senatum Baſſarum dum Imperator habet, præcipua exercitus pars in ordine ſtat, ſinguli complicatis manibus, tantoque ſilentio, vt ne verbum quidē exaudiatur. Intra ſeptum regium, præter templum antiquum, quod paruam Sophiam vocant, aliud ædificium Græcum non videtur: & in horto Regio columna porphyritica; capitello Corinthio, quod ex mari circumnauigantibus conſpicitur. Aedificiorum regiorum ſtructura ſatis magnifica & ſumptuoſa eſt, ex marmore vario, plumbo tecta, vt & omnia templa, Xenodochia, & plæraque hoſpitia Turcica, pauimentum interioris ædis, tapetis pretioſiſſimis, de auro ductili, opere Perſico, ſtratum eſt: laquearia inaurata. feneſtræ lapidibus pretioſis ornatæ. Cæterum priuſquam proximo libro manum adijciam, operæpretium fore exiſtimaui, ſi hîc ſubiungerem confeſſionem fidei, quam Gennadius Patriarcha Conſtantinopolitanus poſt captã primum à Turcis vrbem, ipſi Mahometi flagitanti exhibuit. Interrogatus enim ab Amera Sultanus Mechemet: Quid creditis vos Chriſtiani? Reſpondit in hunc modum:

Deſcriptio palatij Conſtantinopolitani.

Chriſtianæ fidei confeſſio exhibita Mahometo II.

Credimus, quod Deus eſt conditor omnium, quæcunque ſunt, ex nihilo, vt eſſent. & quod neque corpus eſt, neque corpus habet: ſed viuit intelligibiliter, & eſt mens optima, & perfectiſſima, & ſapientiſſima: incompoſitus eſt, carens principio, nec habens finem; eſt in mundo, & ſupra mundum: non eſt in vllo loco, & eſt in omni loco. Hæ ſunt proprietates Dei, per quas ſeparatur ab ipſius creaturis, & aliæ ſimiles.

Eſt ſapiens, & bonus, & verus, & quaſcunque præſtantias habent ipſius opera ex parte, ipſe habet ſolus, & excelſiore modo: atque illas ipſas perfectiones habent creaturæ, quia ipſe dat eas creaturis ſuis; & quia bonus eſt, etiam ipſius creaturæ bonæ ſunt; quia ſapiens, ſapientes: quia verus, veræ, & quæcunque ſimiliter: niſi quod Deus principe loco habet ea; creaturæ per participationem.

Credimus, quod in Deo ſunt aliæ tres proprietates; quæ ſunt quemadmodum principia & fontes omnium aliarum proprietatum ipſius; & per has tres proprietates viuit Deus, ſempiterne in ſeipſo: & antequam ab ipſo crearetur mundus, & per ipſas condidir mundum, & per ipſas gubernat eum. Atque has tres proprietates appellamus tres hypoſtaſes: & quia hæ tres proprietates non

diuidunt vnam & ſimpliciſſimam ſubſtantlam Dei, propterea eſt Deus, & cum proprietatibus his, & vnus Deus, & non ſunt tres Dij.

Credimus, quod ex natura Dei oriuntur verbum & ſpiritus, quemadmodum ab igni lumen & calor: & quemadmodum ignis, etiam ſi non ſit, quod illuſtretur & calefiat ab ipſo, tamen ipſe ignis ſemper habet lumen & calorem, & emittit lumen & calorẽ; ſic & antequam conderetur mundus, erant verbum & ſpiritus, efficacitates Dei naturales, quoniam Deus mens eſt, vt ante dictum fuit: atque hæc tria, mens, verbum, & ſpiritus, vnus eſt Deus, quemadmodum anima hominis eſt mens, & verbum intelligibile, & voluntas intelligibilis, & tamen hęc tria reuera ſecundum ſubſtantiam vna ſunt anima. Præterea verbum Dei nominamus ſapientiam Dei, & potentiam, & filium eius, quia eſt ſoboles naturæ eius: & quemadmodum ſobolem naturæ hominis nominamus filium hominis: & quemadmodum cogitatio animæ eius: ita etiam in diuinis hiſce. Præterea nominamus voluntatem Dei, ſpiritum Dei & dilectionem: ipſam vero mentem nominamus patrem: quia ipſe eſt ingenitus & cauſſæ expers: cauſſa vero filij & ſpiritus. Quia igitur Deus non intelligit tantum creaturas ſuas, ſed magis intelligit & nouit ſeipſum, & propterea habet verbum & ſapientiam, per quam intelligit ſeipſum proprie; ſimiliter neque vult & diligit tantum opera ſua Deus, ſed vult & diligit ſeipſum multo magis: ideo ſempiterne progrediuntur ex Deo verbum & ſpiritus ipſius, & ſempiterne ſunt in ipſo: atque hæc duo cum Deo vnus ſunt Deus. Credimus, quod Deus per Verbum ſapientiæ & potentiæ ſuæ condidit mundum, & per Spiritum bonæ voluntatis ſuæ & dilectionis præuidet, & gubernat, & mouet omnem naturam in mundo ad bonum ſecundum ordinem cuiuſque naturæ: & propter hoc credimus, quod quando voluit Deus per ſolam miſericordiam ſuam conuertere homines à deceptione dæmonum & cultu idolorum; (quoniam, præterquam in exiguo loco Iudæorum, in quo adorabatur & credebatur vnus Deus ex lege Moyſis, reliquus vniuerſus terrarum orbis venerabatur creaturas male, & multos Deos, qui tamẽ nulli ſunt, loco vnius, & veri, & vitam degebant ſecundum proprias quiſque cupiditates, & non ſecundum Dei legem:) tunc fecit Deus huiuſmodi inſtaurationem hominum per Verbum, & per ſanctum Spiritum ſuum, & propterea Verbum Dei induit humanam naturam, vt tanquam homo cum hominibus verſaretur, tanquam vero Verbum Dei & ſapientia, doceret homines credere in vnum & verum Deum, & vitam inſtituere ſecundum legem, quam ipſe dedit: atque iterum vt homo, vt daret ſuæ vitæ rationem exemplum doctrinæ ſuæ: primus enim ipſe ſeruauit legem, quam dedit hominibus: tanquam Verbum Dei & potentia, poſſit inſtaurare pulcherrimum bonum, quod vellet, ſiquidem fieri non poterat, vt vnius hominis potentia orbis terrarum conuerteretur ad Deum; atq; ita per Verbum ſeminauit veritatem omnipotens & inuiſibilis Deus in Hieruſalem: per Spiritum autem ſuum illuſtrauit & confirmauit Apoſtolos ſuos, vt ſererent ipſi veritatem in vniuerſum mundum: & vt contemnerent mortem per dilectionem Dei, qui ipſos miſerat, & per dilectionem ſalutis mundi ſecundum exemplum Ieſu, qui vltro mortuus eſt, ſecundum id, quod humanum erat, vt ſeruaretur mundus. Sic credimus nos vnum Deum in trinitate, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, quemadmodum nos docuit dominus noſter Ieſus. Et ſiquidem eſt verus, credimus, quod eſt & ipſa veritas: atque diſcipuli eius ita largius nos docuerunt: ita intelligimus & à potentia ſapientiæ.

Credimus, quod verbum Dei & homo, quem induit Verbum Dei, eſt Chriſtus; & quod vita Chriſti in carne ipſius erat vita hominis ſanctiſſimi, ſed ſapientia potentiæ & operum eius, erat Dei potentia.

Credimus, quod quemadmodum anima & corpus eſt vnus homo, ita verbum Dei ab vna parte, & ab alia parte anima & corpus, ſunt ſemper duæ naturæ diſtinctæ perfecte in vno homine. Sic & humanitas & deitas ſunt in Chriſto diſtinctæ natura perfecte: ſecundum hypoſtaſin tantum & perſonaliter vnitæ: & neque verbum Dei mutatum eſt in carnem, aut animam Chriſti, neque c[illegible]ro

Chriſti,

Chriſti,aut anima eius conuerſa in verbum Dei : ſed erat, & eſt in Chriſto poſt mirificentiſſimam diſpenſationem illam, Dei verbum,verbum Dei: humanitas,humanitas: & quod non accepit humanitas verbi Chriſti deitatem, ſed deitas verbi Dei aſſumpſit humanam naturam,quæ conſiſtit in eo, quod aſſumpta eſt. Quodcunque eſt in Deo, naturaliter Deus eſt, quia non eſt in Deo accidens: ac propterea intelligibile verbum Dei Deum nominamus & credimus; & quia hoc verbum Dei erat in Chriſto,propterea Chriſtum,Deum & hominem confitemur:hominem propter animam & corpus; Deum propter verbum, quod in ipſo eſt,Dei.

Credimus, quod verbum Dei eſt in Chriſto, & in mundo, & in cælo,& in Deo, & in patre, idcirco verbum Dei eſt infinitum, quemadmodum & Deus eſt infinitus,generans ipſum,hoc eſt,cogitans, & infinitam potentiam habet. Verum in Deo ſecundum alium modum, & in Chriſto ſecundum alium, & in mũdo ſecundum alium.

Credimus, quod cum Deus communicat bonitatem ſuam, & gratiam creaturæ alicui, nequaquam ipſi decedit, ſed magis magnificatur : quoniam ex virtute creaturarũ excelſitas Dei manifeſtatur: & quanto præſtantior efficitur creatura, maiore communicatione bonitatis ipſius : tanto magis bonitas Dei & dilectio erga homines,& potentia oſtenditur. Quapropter bonitas Dei & dilectio erga homines magis magnificata eſt ex eo, quod ipſe Deus cum omnipotentia ſua in Ieſum Chriſtum venit, quam quod miſit in Prophetas vnam ſuam gratiam, aut duas, atque in alium Prophetam minorem, in alium maiorem.

Credimus, quod Chriſtus crucifixus & mortuus eſt propria voluntate, propter multas & magnas vtilitates, ad quas explicandas multis verbis opus foret : atque omnia hæc ſecundum id, quod humanum in eo erat, ſuſtinuit. Namque verbum Dei neque crucifigitur,neque moritur,neque reſurgit : quinimmo excitat ipſos mortuos, quemadmodum & excitauit carnem, quam geſtabat.

Credimus,quod Chriſtus cum reſurrexiſſet,aſſumptus fuit in cælos, & iterum venturus cum gloria, vt iudicet mundum.

Credimus,quod animæ hominum ſunt immortales,& quod corpora ſanctorum reſurgent incorruptibilia,lucida, agilia, neque cibi indiga, neque potus, neque veſtimenti,neque aliæ cuiuſpiam corporeæ voluptatis:& quod animæ,atque corpora eorum,qui bene crediderunt,& bene vitam egerunt, migrabunt in Paradiſum;impœnitentium vero,improborum, & infidelium,in ſupplicium:& quod Paradiſus ſanctorum & fruitio eſt in cælo; ſupplicium vero improborum in terra:& quod fruitio ſanctorum nihil aliud eſt, quam quod perficientur eiuſmodi animæ ad cognitionem,& tunc contemplabuntur myſteria Dei,quę nunc non agnoſcunt,niſi per fidem ſolam.

Quamobrem autem neceſſe erat verbum Dei & Deum incarnari,ſunt neceſſariæ & multæ rationes,& cum erit neceſſe,parati ſumus eas reddere:poſt vero illas rationes certificant nos de veritate fidei noſtræ ſeptem.

Quia prædixerunt prophetæ Iudæorum, quos nos acceptamus,Ieſum, & quæcunque fecit,& quæcunque facta ſunt, & quæcunque fecerunt deinceps diſcipuli eius ipſius potentiæ : ſimiliter prædixerunt & oracula Græcorum concesſione Dei, & aſtronomi Perſarum, & Græcorum,idque cum prædicatione Ieſu.

Quia ſcripturæ fidei noſtræ conſonant in omnibus : quod qui ea ſcripſerunt,habuerunt vnum doctorem,gratiam Dei.Hoc enim,niſi eſſet, in aliquibus diſſonarent.

Quia acceptauerunt talem fidem, licet nouam & admirabilem,homines magno ſtudio vbique gentium, cumque multis periculis: neque ſolum priuati, ſed etiam prudentes & ſapientes : ac propterea euerſa eſt perfecte deceptio dæmonum.

Quia fides hæc nihil continet impoſſibile, neque minus ſibi inter ſe congruum, neque corporale, ſed omnia ſpiritualia: & eſt via ducens animas hominum in dilectionem Dei, & futuræ æternæ vitæ.

Quia quotquot acceptarunt hanc fidem & vitam, egerunt cum virtute ſecundum legem Chriſti, acceperunt magna dona à Deo, & virtutes fecerunt multas, quod non eueniſſet, ſi hæc fides eſſet falſa.

Quia quæcunque dicunt aliqui aduerſus fidem hanc, facile ſoluere poſſumus, & cum bona ratione & liquida.

Quia cum fide hac bellum geſſerunt, multis ſuppliciis & cædibus Reges orbis terrarum quam plurima ſecula: qui multos Deos habebant, neque quicquam profecerunt, ſed vicit fides, & manet in hodiernum diem, & vbi venerit dominus, inueniet ipſam: & niſi eſſet fides hæc de voluntate Dei, euerſa tum fuiſſet facile. Ipſi Domino noſtro Ieſu, Deo vero gloria, Amen.

Hæc nos de fide noſtra breuiter aſſeueramus. Tranſlata autem hæc ipſa fuerunt ex Græco idiomate in Arabum linguam ab Achomad Kadde Berrhœenſi, nato patre Machumet, Tzelepe ſcriba.

Hactenus de Mahomete II. Turcarum Imperatore. Nunc mihi ſermo ad res Perſicas flectendus eſt, & nonnulla de Vſumcaſſano Perſarum Rege paulo altius repetenda, quod quidem in ſequenti libro, diuina gratia ſuffragante, non minori fide, quam ſedulitate ac ſtudio exequar.

FINIS LIBRI NONI.

HISTO-

HISTORIAE RERVM PERSICARVM

Liber Decimus.

SVPERIVS à nobis demonſtratum eſt, anno humanæ ſalutis ſupra milleſimum ducẽteſimum octogeſimo, ſeptem principes viros regna inter ſe compartitos, ex quibus deinde quatuor pręcipue familiæ, reliquis oppreſſis, ſupremum imperium ſibi vendicarint, nempe Aſſimbeios, Candeloros, Caramannos, Ottomannos; exq; Aſſimbeijs natum eſſe Vſumcaſſanum, qui præfectus Armeniæ maioris, ab indigenis patrio idiomate Diarbec vocatæ, cum Malonchre Partho, ſiue, vt alij volunt, Tzaniſe Turcarum Rege conflixit, eoque in acie contrucidato, Perſide potitus eſt.

Vſumcaſſanus Perſicũ regnum inuadit.

Hæc autem vox Vſumcaſſani magnum ſonat virum, ſeu Heroem aliquem. Vbi iam vero, ſublatis æmulis, Perſarum imperium adeptus eſt, mira eius proferendi cupidine ac ſtudio inflammatus, Syriã & Agyptum inuadere conſtituerat: ſed Calixtus Pontifex ad eum oratores miſit, multiſq; rationibus cohortatus eſt, vt bellum in Turcos verteret. Circa idem ferme tempus, etiam Veneti poſt Euboeam inſulam amiſſam, Catarinum Zenum, virum patricium, & equeſtris ordinis, ac eximijs animi corporisque dotibus inſignem, ad eundem ablegarunt, qui publico nomine apud eum legationis munere fungeretur, ac enixe operam daret, vt inter ipſum. & Venetam Rempub. fœdus ac ſocietas coiret.

Calixti Ro. Pont. & Venetorum legatio miſſa ad Vſumcaſſanum.

Nec ſane incaſſum res mota eſt, mox fœdere vtrinque inito & cõfirmato. Perſa deinde quatuor præſtantes viros, quorum nomina fuerunt Azimamet, Morat, Nicolaus, & Chefarſa, ad præfatum Pontificem ac Venetos expediuit, qui eos admonerent, ſuum Principem ad opprimendum Ottomannum in expeditione eſſe, & iam eius duces cum haud contemnendis copijs Armeniam minorem, Ottomanno ſubditam, inuaſiſſe, necnon Tocatum, validiſſimam vrbem eiuſdem regionis, & nonnulla alia oppida cepiſſe: Adhæc, ſubijcerent, Perſas, equis & viris ſatis ſuperque abundare. Hos etiam haſta, enſe, ac ſagittis, ad pugnam idoneos. Cæterum, reliqui inſtrumenti bellici ignaros atque expertes eſſe. Proinde ab eis maiora tormẽta & militares machinas ad expugnandas vrbes, & ad ſummouendum eminus hoſtem neceſſarias, poſtularent.

Fœdus inter Venetos & Regem Perſarum.

Eiuſdem legatio ad Venet. & Rom. Pont.

Quod niſi ea quoque parte, qua Ottomannus maxime abundare dicebatur, à ſocijs & confœderatis iuuaretur, fieri non poſſe, vt tuto ac feliciter cum hoſte confligeret. Veneti, & Perſica legatione, & literis Catarini Zeni, ſui apud Regem oratoris, commoti, ac perſuaſi, magnum numerum tormentorum cuiuſque generis pararunt. Vaſa etiam ex auro & argento conuiualia, Pariſini operis, egregie cęlata, multum panni lanei tenuiſſimi, multum ſerici vermiculo tincti, auroque intertexti, ad regium vſum, omnia Regi Perſarum dono daturi. Præterea centum iuuenes, qui bellica tormenta exercerẽt, delegerunt, ijſque Thomam ex Imola oppido Flaminiæ, quod olim Forum Cornelij dicebatur, oriundum, præfecerunt. Poſtremo, ad hæc Regi deferenda, oratorem deſignarunt virum itidem patricij ordinis, Ioſephum Barbarũ, non minus ætate, quam prudentia & conſilo grauem, ac Perſici idiomatis neutiquam ignarum. Tum omnia parata in tres naues magnas imponunt, quæ, etſi remis aguntur, onerariæ potius, quam actuariæ dicendæ ſunt. Habent enim Veneti huius generis naues multas, quas rerũ commutandarũ gratia, ad multas Prouincias quotannis mittere conſueuerunt. Quibus paratis, orator Venetijs ſoluit, ac Cyprum appulit, vt illinc cõmode, cum Vſumcaſſanus ad maritima Ciliciæ aut Syriæ veniſſet, dona ei offerret. Fama enim diuulgarat, proxima æſtate Regẽ ad ea loca profecturum eſſe. Deinde ex Senatus decreto, iniunctum eſt Petro Mocenico, Venetæ claſſis nauarcho, vt ad omnia Vſumcaſſani mãdata præſto eſſet,

quæque maxime cordi Regis fore exiſtimaret, cæteris rebus poſthabitis, ſummo ſtudio ac diligentia procuraret. Mahumetes interea, non ſolum fama excitus, ſed per exploratores de magnitudine copiarum, & de aduentu Regis Perſarum plane edoctus, vltra non eſſe ſibi ceſſandum ratus, bello ſe inſtruere, atque hoſti quam primum occurrere ſtatuit. Proinde collecto ingenti exercitu, rebuſque omnibus ad tantum prœlium gerendum neceſſarijs, probe diſpoſitis ac præparatis, illum ex Thracia in Aſiam traiecit. Ipſe etiam, prius Byzantij valido præſidio cum minore filio relicto, armatas copias ad occurrendum hoſti ſubſequitur. Quis autem fuerit huius expeditionis exitus, & quonam euentu vtrinque armis dimicatum ſit, anno videlicet ſupra milleſimum quadringenteſimum quinquageſimo ſeptimo, paulo ante à nobis demonſtratum eſt. Anno eiuſdem æui ſeptuageſimo ſecundo, Vſumcaſſanus iterum cum eodem hoſte commiſſo prœlio, felici Marte conflixit, multaque oppida & vrbes illi ademit, quod maximum ac æternum nomen ipſi Aſſimbeio in Orientis partibus peperit. Rurſus, proximo anno, leuibus prœlijs ad tria millia ex Mahometis exercitu fudit. Cæterum inſequenti æſtate, longe aliam fortunam expertus eſt ad Euphratem fluuium, ſiue vt alij volunt, iuxta Tabendam, quæ hodie Toccata dicitur, in campis Anſerinis, vbi conflictu habito cum parte aduerſa, victus eſt, & ex ſuis, ad ſex, ſiue, vt alijs placet, octo millia & octingentos amiſit. Ex quibus, Mahometes domum rediens, in ſingulis locis, vbi ſtatiua habuit, quingentos eorum per medium ſecari iuſſit, & inſepultos abigi atque diſpergi, totamque Armeniorum regionem hoc atroci & horribili funerum ſpectaculo impleuit, maximum terrorem vbique incutiens. Memoriæ proditum eſt, Mahometem, ſimul atque accepit de fœdere percuſſo inter ipſum Aſſimbeium ac Venetos eum, legatione miſſa, plurimũ obteſtatum eſſe, ne Turcorum Imperatorẽ nouo bello impediret, quo minus Chriſtianũ nomen deleret: Quod ſi nulla re alia moueretur, cõmunis fidei neceſſitudo tanti apud eum eſſe deberet, vt non modo non interpellaret tam pulchrũ negotium, ſed enixius etiam iuuaret. His autẽ ſic fuiſſe reſponſum, Mahometẽ, quem ipſi ſequerentur, id in primis lege ſanxiſſe, vt, quæ ſemel promiſſa eſſent, ex fide ſeruarentur: ſe Romano Pontifici, Venetoque nomini pollicitum, ſanxiſſeq; in id fœdus, vt Turcos terra & mari perſequeretur: annixurũ proinde ſe totis imperij viribus, vt ſibi fidem conſtare, omnes intelligerent, quam alienæ genti fœdere obſtrinxiſſet, atque ita oratores dimiſſos.

Varij conflictus habiti inter Ottomannos & Perſas.

Proxime recenſuimus, Ioſephum Barbarum à Venetis cum muralibus machinis, multoque bellico apparatu in Perſidem ablegatum: ſed, dum is in Ciliciam appulſus, longiorem moram traheret, conflictus habitus eſt, priuſquam Perſa ex his militaribus præſidijs quicquam fructus ac emolumenti percipere potuiſſet. Prçcipua vero cauſa huius atrociſſimi belli, fuit potiſſimum propter regnum Ciliciæ, quod vterque omnibus ſtudijs atque artibus affectabat. Hæc regio antiquitus dicta Cilicia eſt. ſed poſtea fuit appellata Caramania, à quodã Regulo Arabo, cui nomen fuit Caramanus, à quo, longa ſucceſſione rectaque linea multi deriuarunt, eorumque poſtremus fuit Turuanus, qui genuit ſeptem liberos, inter quos, vt fit, regnandi cupiditate ac æmulatione exorta diſcordia, & cõmiſſo prœlio, quinque illorũ interfecti ſunt, & duo ſuperſtites remanſêre, videlicet Abrainus, & Pirametus, quorum prior, clientum atque amicorum auxilio ſubnixus, regnum occupauit, & alter Byzantium ad Mahometen confugit, à quo benigne exceptus, & militaribus auxilijs inſtructus, fratri bellum intulit, eo quidem ſucceſſu, vt poſt longum atroxq; certamen, editum anno ſupra milleſimũ quadringenteſimum ſexageſimo ſeptimo, inter Caraſar, & Aeſſar eius regionis municipia, Pirametus ſuperior extiterit. Abrainus, dum ſibi fuga ſalutem parat, equo excuſſus, ruptoque pectore, ſtatim expirauit. Pirametus potitus victoria, biennium duntaxat pacifice imperauit. Cum enim inter Turcos moris ſit, antiqua conſuetudine recepti, vt omnes Dynaſtæ ac Reguli Ottomannico imperio ſubditi, ſaltem ſemel in anno, honoris atq; humilis obſequij gratia, Turcorum regẽ adeãt, eique honoraria, quiſque iuxta ſuos reditus & dignitates, exhibeant, ipſique viciſſim

Præcipua cauſa belli inter Vſumcaſſanum & Mahometẽ. Caramania, olim Cilicia, vnde appellata.

Prælium inter duos fratres Caramanos.

Mos Turcarum.

135

ciſſim à Turcico Imperatore nequaquam indonati abeant, ipſe vtrunque facere neglexit. Patuo tempore interiecto, cum Mahometes illius operā in bello quod aduerſus Chriſtianos gerebat, petijſſet, nihil prorſus obtinuit, adeo vt his rebus grauiſſime indignatus, ſtatim arma in illum verterit, & magnam partem ſui regni ademerit, eique Muſtapham Celebinum, ſuum filium ſecundogenitum præfecit, cui etiam pro maiori tutela ac ſecuritate validum præſidium reliquit, & quotannis aliquem præfectum cum ſupplemento ad eum miſit, vt reliquam partem eius regionis occuparet. Pirametus, cum ſe viribus ac robore militari longe inferiorem eſſe animaduerteret, vbi nonnulla oppida & arces firmis præſidijs communiuiſſet, in Perſiam ad Vſumcaſſanum confugit, à quo liberaliter atque amanter exceptus, breui exercitum, in quo erant quadraginta millia hominum armatorum, duce Iuſuſo, viro admodum ſtrenuo ac in bellicis operibus exercitato, impetrauit. Quibus copijs fretus, mox, feſtinatis itineribus ad vrbem, ab indigenis patrio ſermone Toccatum appellatam, peruenit, omniaque ferro & igne depopulatus, cuncta horribiliter deuaſtabat. Circa idem tempus erat in Cilicia Mahometis filius, quem diximus illuc miſſum à patre vna cum Agmato purpurato ad expugnandas vrbes & loca munitiora, quæ adhuc Pirameti imperium agnoſcebant. Cum hoc igitur paulo poſt congreſſus, primo feliciter pugnauit: ſed tandem commutata fortuna, victoria ad Turcos inclinauit, in eoque prœlio, præter multos vtrinque vulneratos atque interfectos, captus eſt Perſarum dux, & pleríque alij proceres atque illuſtres viri. Pirametus, omnibus caſtris ac impedimentis exutus, fuga ſibi conſuluit, & in Perſiam reuerſus eſt. At Conſtantinopoli propter hanc victoriam, plurima lætitiæ ſigna paſſim ædita fuerunt, & Mahometes, ſuo filio & decurionibus ac primipilarum præfectis, ob rem proſpere ac feliciter geſtam, ampliſſima dona tranſmiſit, quo, ad reliqua perficienda, tanto alacriores redderentur.

Pirametus confugit in Perſiam.

Mahometis victoria aduerſus Pirametum.

Inter hæc, Veneti, vt Regis animum confirmarent, ſimulque ipſum ad nouas expeditiones erigerent, anno eiuſdem ſeculi ſeptuageſimo tertio, Ambroſium Contarenum, virum cum à generis nobilitate, tum à ſingulari prudentia, conſilij rectitudine cæteriſque virtutibus quam maxime commendatum, oratorem deſtinarunt. Et hæc quidem tertia Venetorum legatio extitit. Porro hi omnes à Rege Perſarum benigniſſime atque humaniſſime excepti fuēre, in primis vero Catarinus Zenus, qui partim ob ingenij dexteritatē atque ſolertiā, partim etiam propter affinitatem, quæ illi cum regina Perſarum intercedebat, in ſummā ipſius Regis familiaritatem deuenerat. Siquidem Dauid Caloioannes Imperator Trapezuntius, præter Deſpinam quæ nupſit Vſumcaſſano, ea tamen conditione, vt, cum eſſet Chriſtiana, eandem religionem ſibi profiteri liceret, quod quidem Rex ipſe vt ſe facturum receperat, ſic etiā re ipſa fideliſſime præſtitit, adeo ſane, vt quāuis vterque diuerſis cultibus Deum coleret, religionis tamē diuerſitas, raro quodam exemplo, coniugalem beneuolentiam & charitatem, nulla ex parte imminuerit, habuit aliam filiā, quæ locata fuit in matrimonium Nicolao Creſpo Duci maris Aegæi, ex qua ſuſtulit quinque femellas, quæ vbi adoleuiſſent, totidem Venetis patricij ordinis; & in ea Repub. opibus ac dignitate tunc maxime florentibus, matrimonio copulatæ ſunt, quarum primā duxit vxorem N. Cornarius, ex qua deinde nata eſt Cyprij regina, & Georgius Cornarius Secunda, nomine Lucretia, nupſit in familia Priuli, & tertia, quæ dicta eſt Violantes, Catarino Zeno, cuius hîc mentionem facimus. Hic, tandem peracta legatione, & ab eo Rege amanter atque honorifice dimiſſus, nomine eiuſdem Regis aliā legationem apud Caſimirum Poloniæ, & Matthiā Coruinum Hungariæ Reges obiuit, vt eos viciſſim ad opes ac ſuppetias ferendas incitaret, eaq; fideliter ac ſedulo expleta, in patriā, ceu poſtliminio redijt, vbi à Senatu, atq; vniuerſis ciuibus maximo applauſu ac ſummis honoribus exceptus eſt.

Venetorum noua legatio ad Vſumcaſſanum.

Vſumcaſſanus, præter bella quæ geſſi[t cu]m Ottomanno, expugnauit etiā Sarochū nepotē magni Tamerlani, qui apu[d m]are Caſpiū Sarmocantem vrbē proximā Amazonib⁹ tenebat: Hiēſelem, Babyloniæ Regē, cū toto exercitu ſuperauit;

Vſumcaſſani victoria, ac potentia.

Aegypti Sultanum in latiſſima planitie iuxta Orpham ciuitatem acerrimo prœlio deuicit, eumque ob formidinem ad fœdus ineundum compulit: Adhæc, Cappadoces, Armenos, Georgianos, Meſopotamios, finitimoſque populos omnes ſubegit, eratque dominus Perſarum, Parthorum ac Medorum, & ferme totius Orientis, eiuſque nomen per vniuerſum terrarum orbem longe lateque inclaruerat. Dum vero cōtra Ottomannum nouam expeditionem molitur, Vnghermaumet eius filius, iuuenis præcelſi ſpiritus, vtque paternarum virtutum, ſic etiā eiuſdem imperij æmulus, à patre defecit, einſque defectionis præcipua cauſa Curdi, qui montanas regiones incolunt, extitêre. Hi enim Vſumcaſſano parum fauentes, vt inter ipſum ac eius filium mutuæ ſimultates ac diſcordię orirentur, per omnia loca paſſim diuulgarunt, Regem vita defunctum eſſe. Proinde cum his rumoribus Vnghermaumet faciles aures adhibuiſſet, quippe qui ad imperium totis animis anhelabat, confeſtim, cum ex his militaribus cohortibus, quas ſibi pater, pro Bagadet, olim Babyloniæ, ſimulque finitimæ prouinciæ quam vulgo Bierberam vocant, tutela atque præſidio aſſignarat, tum etiam ex Curdis, quorū ingens multitudo ad eum confluxerat, iuſtum exercitum cogit, & mox vrbem, ab incolis Seram appellatā, & ſitam in finibus Perſiæ, occupauit. Quo audito, Vſumcaſſanes, nulla mora interpoſita, cum ſuis prætorianis militibus verſus ciuitatem, cui nomen eſt Leras, feſtinatis itineribus contendit. Hæc vbi Vnghermaumeti nuntiata ſunt, & Curdorum perfidiā, & ſuam leuitatē ac præcipitem ambitionem ſummopere deteſtatus, vrbe egreſſus eſt, & per quoſdam proceres viros, quibus patrem fauere intelligebat, vt ipſi reconciliaretur, omni ope ac ſtudio ſibi annitendum eſſe conſtituerat. Cæterum, cum intelligeret, patrem infenſiſſimo in ſe animo eſſe, ac proditionem vereretur, mutata priori ſententia, primo ad Baiazetem Turcorum Regis filium, qui præerat in finibus Perſarum, & mox ab eo impetrato diplomate, Conſtantinopolim ad ipſum Mahometem conceſſit, à quo perbenigne exceptus, breui poſt, huius ope atque armis adiutus, in paternam prouinciam, cui nomen eſt Sanga, Ottomanniæ ditioni conterminam, cum exercitu profectus eſt, atque inde crebris excurſionibus paternum imperium deuaſtare incepit. Rex, tametſi ad illius conatus reprimendum aliquot turmas, & militares cohortes expediuiſſet, nunquam tamen vultu ac verbis præ ſe tulit, vt tantas iniurias vlciſci vellet, quin potius & in publicis & priuatis colloquijs aiebat, ſibi hæc moleſtiſſima eſſe, maximumq; dolorem afferre, adeo vt non multo poſt, ſimularet, ſe in huiuſmodi morbū incidiſſe, vnde nulla ſpes reualeſcendi foret, atque ita ſenſim vna cum his, quos ſibi aut beneficijs, aut aliqua alia ratione obſtrinxerat, in ſecretiorem locum ſecedens, eo rem deduxit, vt ab ipſis per vniuerſam Perſiam, ac etiā Ottomannicā Ditionem publicaretur, Regem grauiſſime decumbere, ac tandem ſupremum diem obijſſe. Statim itaque primores ac Satrapæ per fideles internuntios Vnghermaumetē de Regis obitu certiorem faciunt, eumque adhortātur atq; orant, ne vllo modo differat profectionē in Perſiam, ſed quamprimū ſeſe itineri accingens, Tauriſium veniret, vt Rex Perſarum inaugurateretur, priuſquā Calul & Iacuppus eius fratres, bellica virtute ipſo longe inferiores, regnū inuaderent; vtq; dolus occultior eſſet, omniſq; ſuſpicio remoueretur, in ipſa vrbe regia, Regis manibus publice parentatum eſt, & funeralia ſolenni pompa magniſque ſumptibus peracta. Igitur miſer ac infelix Vnghermaumet, aduerſis fatis agitatus, ſiue potius pertractus, ſimulque oblitus, ſe paulo ante ob nimiā credulitatem eo redactū eſſe, vt omnibus fortunis exutus, extorris ac profugus, inimici opem atq; auxilium implorare cogeretur, rem ita ſe habere, ſibi omnino perſuadens, tanta celeritate in Perſiam feſtinauit, vt infra exigui temporis interuallū, ad vrbem Tauriſium perueniret, ibiq; ſtatim percunctatus de his proceribus, qui ei paternū interitū ſignificauerant, & futuri regni haud dubiam ſpem præbuerant, ab iiſdem tanto ſilentio ad patrem perductus eſt, vt infortunatus iuuenis tunc demū ſe prorſus deluſum ac deceptum animaduerteret, cum in patris conſpectu eſſet, & corā eo ſiſteretur. Qui, poſtquā filium acerrimis verbis ac minis increpaſſet, mox illū in vincula conijci iuſſit, & paulo poſt miſerrime truci datus,

Vnghermaumet Vſumcaſſanis filius, à patre deſciens, inuadit regnū Perſarum.

Idem confugit Byzantium.

Stratagema.

Vnghermaumet, comprehenſus, à patre interficitur.

datus commeritas ſuæ præcipitis ambitionis ac leuitatis pœnas perſoluit, dum paternum imperium rapere magis quam expectare voluit. Poſt huius mortem, arma Ottomannica ad tempus quieuête, cum etiam Perſarum Rex deinceps ab omni alia expeditione ſuperſederet, donec tandem ſenio confectus, nec minus annis, quam gloria & rerum geſtarum magnitudine onuſtus, placido exitu vitam terminauerit, anno Salutis ſupra milleſimum quadringenteſimum ſeptuageſimo octauo, ætatis circiter octauo & ſeptuageſimo, in nocte, quæ præcedit feſtum trium Magorum, quod Epiphaniam vocant. Fuit decora proceritate, vi corporis, licet gracilis, admodum inſignis: forma principe viro digna, liberalis præterea, magnanimus, fortis, prudens, bellicoſus, viſuque & auditu iuxta venerabilis. Succeſſorem reliquit Iacuppum cognomēto Chiorzeinal, quæ vox Perſico idiomate ſonat vnius oculi luce priuatum. Hunc ferunt, eadem nocte, qua Vſumcaſſanus vita migrauit, vt ſolus regnaret, fratrem natu maiorem interfeciſſe. Is vero, cum aliquandiu haud mediocri cum eximiæ virtutis ac moderationis laude, ſummaque Prouincialium ſatisfactione, rebus præfuiſſet, tandem ab vxore, impudica & libidinoſa, cuiuſdam Perſici reguli atque optimatis filia, veneno ſublatus eſt, ſic tamen, vt Dijs mox vltoribus, ipſa etiam, eodem tempore extingueretur. Hanc enim ferunt, ſpreta coniugali fide, cuidam ex primoribus regni, corporis ſui copiam ac poteſtatem feciſſe, atque ita in eum affectam, vt rationem inierit, qua, viro ſublato, ipſe regium faſtigium conſcenderet. Huic igitur, circiter duabus horis ante ſolis occaſum è balneis exeunti, & gynæceum ingreſſo, perfida & impudiciſſima coniux aureum poculum venenata potione infectum dextra tenens, arridenti atque hilari vultu, ſed tamen ſolito pallidiore, occurrit, vtq; ſeſe vino aliquantulum de more reficeret ac recrearet, cohortatur. Rex, qui ſuæ vxoris impudicitiam non parum antea ſuſpectam habuerat, eam, vt ſibi præbiberet, inuitauit. Hoc ipſa, cum præ verecundia vel metu potius, recuſare non auderet, propinauit, & mox pateram ſuo viro exhibuit, qui, poſtquam bibiſſet, filiolo etiam, idem vinum porrexit. Vis autem veneni tanta fuit, vt proxima nocte, Rex ipſe vna cum coniuge, ac filiolo interiret. Rege abſque vlla prole humanis rebus decedenti, anno ſupra milleſimū quadringenteſimum, octuageſimo quinto, Iulauerus, inter Perſarum proceres ſummi nominis, atque ipſi Iacuppo affinitate coniunctus, Perſiæ regnum inuaſit, & licet ad triennium ſummæ rei præfuiſſet, nihil tamen memoria dignum geſſit. Huic ſucceſſit Bayſingirus, qui biennio regnauit, eumq; in imperio ſecutus eſt Ruſtanus, iuuenis viginti annorū, & Perſarum regnum annis ſeptem adminiſtrauit, ſub quo interfectus eſt Harduelles pater Iſmaelis cognomento Sophy, ſicut deinceps enarrabitur. Ipſe etiam Ruſtanus, à quodam regulo, cui nomen fuit Agmatus, de eiuſdem matris, à quo vnice amabatur, conſenſu, haud multo poſt interemptus fuit, eoque ſublato, regnum ſibi vſurpauit, & ſex duntaxat menſibus præfuit. Ruſtano interfecto, prætoriani milites & primipilares, quendam ex eius præfectis, nomine Carabem, tunc temporis, in vrbe Van degētem, adierunt, quorum ope collecto exercitu, Tauriſium perrexit, & vrbem ingreſſus, Agmatum, viribus longe inferiorem cepit, ac etiam crudeliſſime trucidauit. Poſt quæ, regni gubernatio ad Aluantem, Vſumcaſſani conſanguineum & affinem, qui ea tempeſtate commorabatur in ciuitate Amita delata eſt, iſque in Principatu haud ſane diu permanſit, victus in acie ab Iſmaele, ſicut infra plenius conſtabit. Sed interim, iuxta inchoatā rerum ſeriem, & à nobis hactenus pro virili obſeruatā, ad cætera, quæ adhuc ſuperſunt de Ottomannicis Imperatoribus proſequenda, tranſgrediamur.

Vſumcaſſani obitus & natura.

Iacuppus Rex Perſarū ab vxore adultera veneno interimitur.

Iulauerus.

Bayſingirus.

Ruſtanus.

Agmatus.

Carabem.

Aluantes.

Baiazetes II. ex tribus fratribus natu minimus, cum eſſet in Cappadocia, patre defuncto, à prætorianis militibus, quorum dux, ſeu Aga, vt appellant, gener erat, imperium inuaſit. Nam prior, Muſtapha nomine, Iconij deceſſerat ante patrem. At Gemes, qui & Zizimus nominatur, cum eſſet in Licaonia, cuius caput eſt Iconium, audito patris obitu, & ſi Byzantium verſus maxima celeritate proficiſceretur, tamē à fratre præuētus, illinc excluſus eſt. Quocirca de ſpe imperii eiect⁹, incitantibus eū amicis, fratri de imperio bellū mouit, in quo, ab Aegypti Sultano

Baiazetes II. Turcorū Imperator.

Gemes Baiazetis frater confugit Rhodum.

Caithbeio,& Caramanno adiutus, ſed tribus prœlijs ſuperatus ductu Achomatis purpurati, anno Sal.82. poſt 1400. deſperatione confugit ad Magnum Rhodi Magiſtrum, relicta apud Carras matre & geminis tenellæ ætatis liberis, maſculo & femella, quos deinde Baiazetes necauit. Baiazetes, hoc cognito, ampliſſima munera Magiſtro, ac eius conſiliarijs miſit, eos rogans, vt fratrem diligēter aſſeruarent, & pro ipſius annuo ſumptu ac ſtipendio quadraginta, ſiue, vt alijs placet, quadringenta & quinquaginta nummûm aureorum millia quotannis obtulit, ſeque à bellis contra Chriſtianos abſtenturum promiſit, eaque omnia fideliter præſtitit. Hunc poſtea multis depoſcentibus, nempe Romano Pontifice Innocentio octauo, Ludouico XI. Galliarum Rege, & præcipue Matthia Vngariæ Rege in certam ſpem victoriæ aduerſus Baiazetem, anno eiuſdem ſeculi nonageſimo quinto, milites Rhodij primum in Galliam, vbi aliquandiu vixit, deinde ad Romanum Pontificem, cuſtodiendum miſerunt, vbi in Vaticano aſſeruatus, & Carolo Octauo Franco, per vrbem ad obſidionē Neapolitanam cum exercitu proficiſcenti, ab Alexandro VI. cum Valentino Borgia filio obſes datus, Teracinæ in itinere ſupremum diem clauſit, veneno per Alexandrum Pontificem necatus, ne quam Carolus apud Baiazeten gratiam iniret, fratre dedito, cum ipſe in Gallos infenſiſſimo animo eſſet.

Gemes necatur fraude Alexandri Pont.

Interim Baiazetes, metu fratris liberatus, mox Achomati Baſſæ ex Albania oriundo, qui ſub Mahomete Hydrunthum expugnârat, & per quem imperium aduerſus fratrem conſeruârat, gratiam laqueo reddidit, cum quod fiducia magnarum opum inſolenter ferocientem, mutata voluntate ſummam rerum rurſus inflectere ad Gemen fratrem animaduerteret, tum, vt theſauris eius poriretur, quod factum eſt magno cum emolumēto Chriſtiani nominis, cui Achomathes erat inimiciſſimus. Vix autem Baiazetes paterni imperij habenas & gubernationem ſuſcepit, cum foris ingentes tumultus, ac bellorum ſtrepitus in eum vndiq; exciti ſunt. Siquidem in ora Macedoniæ Iohannes Caſtriotus Scanderbechi filius, prœlio apud Croatiam proſpere commiſſo, Baiazetis arma ſuis finibus expulit. Pari etiam ſucceſſu, Iohannes Cernouichnus ſubita rebellione adeo Baiazetem perculit, vt tributo tantum impetrato, paſſus ſit eum obtinere quæ poſt Mahometis obitum armis receperat. Omnium vero proſperrime rem Chriſtianam Matthias Vngarorum Rex in Turcos geſſit: vt ijs non minori eſſet terrori, quam olim Hunniades pater: ingentem enim exercitum ab initio ſui Principatus, qui Sirmienſes agros vaſtabat, fudit fugauitque. valida etiam manu maiorem Seruię partem penetrauit, multaque alia ſtrenui militis ac magnanimi ducis opera atq; præclara facinora ædidit. Nam, præter cætera, Boſnēſe regnum, vulgo hodie Romaniam vocatum, è Turcorum manibus ſubtraxit. Caſtrum Iayczæ munitiſſimum, vi & armis ſubegit. finitima loca deditione cœpit: complures captiuos cū inſigni & nouo triumpho abduxit. Porro adhuc ſuperſtite Mahomete, cum arx Iayczæ obſideretur, tam cruento bello Turcas repulit, vt omnia impedimenta & militares machinas poſt ſe in prædam & ſpolia Vngaris relinquere coacti fuerint, adeo ſane, vt ipſe Mahometes hunc ſolum Matthiam inter Chriſtianos duces Principis nomine dignaretur. Sabatium inde arcem longe munitiſſimam ad littus Saui fluminis ſitam, ſtrenue è faucibus Turcorum eripuit. Et licet hanc iterū occupare ſummis viribus anniterentur, ab Vngaris tamen denuo repulſi ſunt. Quod ſi poteſtati Matthiæ traditus fuiſſet Zizimus, facile vniuerſa Ottomannica familia ex Europa eijci, atque vltra mare repelli potuiſſet. Interea Baiazetes, tametſi natura ab armorum ſtrepitu abhorrebat, tranquillitatis amans ſtudiorum cauſa, quibus apprime fertur fuiſſe deditus, quam belli amantior, nihilominus tamen vt tueretur maieſtatem acquiſitæ potentiæ, more ſuorum maiorum proxima in Chriſtianos arma direxit, & tertio anno ſui imperij, Valachiā ſubegit, arcibus duabus Lithoſtomo ad Iſtri oſtium ſito, & Moncaſtro ad Boryſthenem flumen, quā hodie Nepen vocant, expugnauit. Exinde bellum in Aſiā infelici auſpicio tranſtulit, pœnas ſumpturus de Caithbeio Sultano Aegypti, qui Gemen fratrem hoſpitio exceptū, ſumptu, cōmeatuq; ac milite adiuuarat, Huic bello præfecit

Matthiæ Vngariæ Regis virtus, & in bello felicitas.

Varia Baiazetis expeditiones.

cit purpuratos duos, Calibeum, & Cherſeoglen generum. Caithbeius natione Circaſſus, conditione ſeruus, à prima pueritia inſtitutus his moribus atq; artibus, quibus Mamaluci certatim incumbebant, & beneficio Mahometanæ legis liber factus, ſuffragijs & commendatione rerum proſpere geſtarum ad Sultani dignitatem conſcenderat. Is tria grauiſſima bella ingenti animo ſuſcepit, & pari fortuna confecit. Arabes enim ſuo more fuga in vaſtas & horridas ſolitudines ſeſe abripientes, iuſtis tamen cladibus ad eum modum adegit, vt omnes eorum reguli, hisq; permixti Mauri, & Aegyptij, qui regiones inter Nili & dextrum latus maris rubri incolũt, accipere imperium Sultani Memphytici, & tributa pendere cogerentur. Perſas duobus tumultuarijs prœlijs fuſos, vltra Euphratem in Meſopotamiam reiecit. Turcos in Cilicia ſemel ad Adenam, iterum ad Tarſum conſilio duorum Italorum Mamalucorũ fortiter profligauit, captis ac Memphin perductis ducibus Meſitheo Palæologo, & Cherſeogle, qui Chetſechij reguli in Illyrico filius, propter iniuriam à patre acceptã, ad Turcos deſciuerat. Huic enim, adamatam ſponſam è ſtirpe Deſpotæ Seruiæ, & iam in thalamum ducẽdam, impotenti animo eripuerat. Hac iniuria commotus, ſe ad Baiazetem contulerat, & abiurata fide Chriſtiana, filiæ Baiazetis nuptias obtinuerat. Tharſenſi clade vix vllam maiorem Turci pertuliſſe putantur. Nam cum centum millia in aciem educta forent, vix tertiam partem à prœlio ſuperfuiſſe memorant. Nec minori clade Aegyptios pro numero affectos perhibent: quandoquidem tanto ardore, tantaque animorum pertinacia vtrinque à prima luce vſq; ad veſperã dimicatũ eſt, vt ex ſeptuaginta millibus, qui cum hoſte conflixerunt, dimidiam partem deſideratam fuiſſe, quorundam Annales teſtentur. Hoc prœlium commiſſum eſt inter Amanum, nunc Nigrum montem appellatum, & ſinum Iſſicum, eodem loci, quo Magnus Alexander olim inſigni ac memorabili pugna cum Da io conflixit. Abſtinuit ab Aſia deinceps Baiazetes ad motus Perſicos vſque, & ad Europæa bella reuerſus, anno eiuſdem ſeculi nonageſimo tertio Dyrrachium Epiri municipium, prope Velonam, & Epidamnum expugnauit, breuique poſt, Illyriorum, Pannoniorum, & Croatorum conjunctas copias, atque in apertis campis Liburniæ, quæ Croatia eſt, congredi auſas, magno prœlio per Cadum Baſſam prope fluuium Morauam, antiquitus Moſchum dictum, deuicit & profligauit. Quinquennio deinde interiecto, Baiazetes Venetis bellum intulit, cuius multiplices cauſæ recenſentur, ſed præcipuam fuiſſe dicunt ob preces Ludouici Sfortiæ à Moro cognominati, contra quem ipſi Veneti, & Ludouicus XII. ſocietatem ac fœdus contraxerant. In hoc bello Veneti, præter cæteras clades, quas à Turcico exercitu paſſi ſunt in Dalmatia, & Foroiulio, Naupactum, nunc Lepantum, in Aetolio ſinu, Dyrrachium, adhæc, Coronem, & Methonem, illuſtres vrbes amiſerunt, & hæc poſtrema incidit in annum Seruatoris noſtri quingenteſimum ſupra milleſimum feſto Diui Laurentij. Etſi autem his rebus geſtis, Baiazetes Byzantium victor redierit, nihilominus tamen cum Hiſpaniæ, Galliæque Reges, Venetis opem ferrent, Benedictus Piſaurius, Venetæ claſſis præfectus, Conſalui Magni Hiſpani conſilio & virtute, Cephaleniam, inter Zacynthum & Ambracium ſinum in Ionio mari ſitam, gemino portu, & agri vbertate Venetis opportunam, recepit. Leucaden, Nericumque vi expugnauit, cæſo in ſtatione vniuerſo præſidio Turcico; ſed claſſis Gallica, cui præerat Rauenſtanius, ad Leſbũ inſulam tentata Mitylenarum oppugnatione, non pari fortuna ita acceſſit, vt diſiecta tempeſtate, poſt multa pericula & naufragia, vix tandem ad Tarentum euaſerit. Poſt hæc, Andrea Grltto, qui apud Baiazeten captiuus erat, interecedente, pax inter Venetos & Turcos ſubſecuta eſt, eoque facilius impetrata, quod in Perſide Iſmael Sophus, extinctis aduerſarijs, & Perſarum regno potitus, iam vniuerſæ Ottomanicæ familiæ cœperat eſſe quam maxime formidabilis & metuendus. Hic, alio nomine Siach Iſmael, id eſt, Propheta Iſmael, nuncupatus, patrem habuit Sicaidarem, cui, Hatduellis, ab oppido trium dierum intercapedine Taurisio diſtãti, cognomen fuit, inter Perſas regulum haud ignobilẽ, nec obſcuri nominis. Qui cum diuitias, voluptates, & cultioris vitę cõmoda, quę vulgo munera

Caithbei Sultani Mẽphitici victoria in tribus expeditionibus cõtra Arabes, Perſas, & Turcos.

Tharſenſis clades.

Baiazetes monet bellũ in Venetos.

Veneti recipiunt Cephaleniam.

Pax inter Venetos & Turcos.

Iſmael cognomento Sophus.

Sicaidar pater Iſmaelis.

Hales gener Mahumetis. — *Perſæ differunt à Turcis in religione.* — *Homar. Sophus.* — *Guines.* — *Sicaidar Harduellis.*

humanæ felicitatis appellãtur, veras ærumnas, fortunæque ludibria exiſtimaret, eaque palam ageret mira animi fortitudine, quæ populus, continentiæ doloriſq; impatiens, miraretur, magis quã imitari poſſe confideret, tantã excellentis virtutis opinionem adeptus eſt, vt eum, quanquã imparem regiæ ſtirpi, Aſſimbeius Vſumcaſſanus in generum ſibi aſciuerit, tradita ei Martha, quam ex Deſpina Caloioannis Trapezuntiorum & Ponti Regis filia ſuſceperat. Is originem ſuam ad Halim & Mahumetem referebat. Hales, vt multi referunt, frater patruelis atque gener Mahumetis extiterat. Filiam namque illius nomine Fatimam, vxorem duxerat. Porro autem poſt Mahumetis mortem, cum in principatu, defuncto ſucceſſiſſet, Mahumetis legem multis in locis immutauit. Quędã enim ſuſtulit, non pauca etiam adiecit, alia nouis interpretationibus ita correxit, vt noua quædam lex gentibus illis videretur. Sic factum eſt, vt, dum quidam Mahumetis, quidam vero Halis diſciplinam ſequerentur, Mahumetis ſecta in duas partes diuiſa, gentes religione diſſidentes, odijs etiam, quod conſequens erat, diſcinderet. Perſæ namque, qui Halim ſecuti fuerãt, reliquos Mahumetis diſciplinis inſectos, vt homines impuros, & diuinæ legis ignaros, à conſortio ſuo repellebant. Arabes contra, Perſas vt deſertores, atque legis diuinæ corruptores, deteſtabantur. Hali vero, è medio ſublato, Hoces illius filius & dignitatis atque nefariæ religionis hæres extitit, & eundem exitum vitæ habuit: veneno nanque perijt. Alius deinde illius frater eodem nomine, diſciplinam eandem vſque ad extremum vitæ ſpiritum retinuit. Huic duodecim filij fuêre, quos Perſæ viros diuinos, atq; Deo, propter egregiæ religionis & pietatis ſtudium, valde charos arbitrantur. Vnus tamen, qui plurimum inter omnes excelluiſſe putabatur, appellatus fuit Muza Caim. Poſt horum hominum memoriam, Halis nomen apud multas nationes in obſcuritate iacuit. Homaris diſciplina, qui Mahumetis religionem ſummo ſtudio conſeruauit, inuiolata permanſit, donec tandem Sophus, Muza Caimi ſtirpe propagatus, cum primum ſapientiæ & religionis oſtentatione multos ad ſui ſtudium allexiſſet, tum armis eam ſectam quam ſequebatur, eſſe veram Dei legem, demonſtrare omnibus artibus ac rationibus concupiuit. Cum igitur illi nationes multæ nomina darent, euênit, vt Halis decus è tenebris emerſum videretur, & illius nomen extinctum reuiuiſceret. Is pro linteis ſpiris, quibus Mahumetani caput intexerant, pileos è lana conſtipata rubro colore confectos, & ſenis vtrinq; gradibus diſtinctos, eo artificio, vt vel protendi, vel contrahi poſſint, ad tegendũ caput inſtituit, quibus ij, qui Halis diſciplinis adhærent, ab alijs Mahumetanis, qui eius memoriã odio perſequuntur, internoſci facillime poſſent. Hoc autem numero duodenario, quo pileos diſtinxit, memoriã filiorũ, quos Hoces ſuſceperat, conſeruare decreuit. Huius vero ætas incidit in annum ſalutis ſupra mille trecẽtos quinquageſimum, aut certe non multo poſt, cum Turcarum vires adhuc à Tartaris præmerentur. Cumque ſuum genus & doctrinam ad Mahometis generum Halim referret, mirum dictu eſt, quantum ipſi populus tribuerit. Huic Sopho ſucceſſit Guines filius, qui tantã, & tam præclarã ſibi in toto Oriente doctrinæ ſanctitatiſq; opinionem conciliauit, vt Tamerlanus ipſum inuiſeret, eiq; petenti, ad triginta captiuorum millia dono dederit, quos ille in ſua ſecta probe inſtitutos, filio Sicaidaro tradidit, qui ipſorum opera in bello feliciter vſus eſt, & ſuis hoſtibus grauiſſima damna inflixit.

Hic porro, vulgata noua religione, ac priſcæ legis myſterijs & veteribus ritibus maiori ex parte immutatis vel potius repudiatis, & ſimulata peculiari vitæ ſanctimonia, tantã ſui concitauit admirationem in animis hominũ, vt quotidie innumeri mortales è Perſide Armeniaq; agminatim ad eum, viſendi audiendique ſtudio, confluerent, & dogmata, quæ proponebat, auidiſſime arriperent, ac etiam rigidiſſime obſeruarent. Illud in primis veluti diuino ſpiritu afflatus, perſuaſerat, neminẽ ex his poſt mortẽ cœleſtia regna petiturũ, qui Mahometẽ colerent, niſi eos legis ritus ſequerentur, quos Halis ſcribendo ac docendo poſteris tradidiſſet. Hæc autẽ erant magna ex parte diuerſa atq; aliena penitus ab his perſuaſionibus atque myſterijs, quibus Aſia omnis & Africa ea tempeſtate tenebantur. Nam

Homa-

Homarem, quem diximus fuiſſe Mahumetis diſcipulum, tanquã grauius & certius leges interpretantem, Halis doctrinæ præferebant.

Ruſtanus Perſarum Rex.

Ruſtanus Perſarum Rex, huius potentiam atque eius religionis cœtus hominum valde ſuſpectam habere cœpit, ac vereri, ne Perſæ, qui antiquorum Regum ſtirpi occulte fauebant, ſub ſpecie ac prætextu religionis coirent, & excitatis factionibus, nouas res, nondum ſatis confirmato imperio molirentur, cum, vt erat ſuſpicaci turbidoque ingenio, regnandi cauſa, vt fieri plærunque ſolet, neque affinitatis vinculo, neque optimi viri innocentia permoueretur, Harduellem, ſubmiſſis Sicarijs & percuſſoribus, interfecit, ſectatoribusque eius aut cæſis, aut pulſis, ſe, vt falſo exiſtimauit, & metu & periculo liberauit.

Euſdem cædes.

Et ita equidem à nonnullis refertur. Quidam vero aſſerunt, hæc omnia ſub Iacuppo Vſumcaſſani filio contigiſſe, ipſumq; Harduellem, poſt multas excurſiones hoſtiliter factas vſque in Circaſſiam, Derbentum, vrbem in anguſtijs montium Caſpiorum poſitum, obſediſſe. Cuius rei fama vt primum ad Regis aures peruenit, aiunt, ipſum e veſtigio cum expedita manu militari contra hoſtem profectum, & mox, facta dimicandi poteſtate, per aliquot horas vtrinque acerrime pugnatum, eo tandem ſucceſſu, vt Harduelles, viribus longe inferior, ſuccubuerit, ipſeque cum maiori parte ſui exercitus conciderit. Cæterum de his ſuum cuique liberum eſto iudicium.

Iſmaël fugit ex Perſia.

Iſmaël adhuc puer, euitata fato quodam Perſici Regis ſæuitia, confugit in Hircaniam ad Pyrchalim amicum paternum, qui ſupra mare Caſpium paucis oppidis imperitabat. Pari quoq; felicitate duo alij ipſius fratres, periculum euitarunt, quorum alter in Aſiam minorem, alter vero, Alepum aufugit.

Techelles.

Ex Harduellis diſcipulis, vnus cæteris præſtãtior, nomine Techelles, virtute doctrinæque notitia magiſtro comparandus, qui poſtea à peculiari diſtinctoque ab Homaris aſſeclis capitis tegumento, Cuſelbas, id eſt, rubrum caput, cognominatus eſt, ſimiliter declinato periculo, ſuperatoque Euphrate, in minorem Armeniam euaſit, ibique breui ſpacio omnem prouinciam ſui fama & admiratione compleuit. Iſmaël interea, eoſdem ritus, quos pater in Perſide tradiderat, ingenuo animo complexus eſt, vtque primum adoleuit, admirabili virtutis indole paterna veſtigia ſecutus, cum iam eloquio, decore vultus, ſapientia, atque animi magnitudine Diuis ipſis, quã mortalibus proprior haberetur, & maximum nomen, & ingentes vires apud eas gentes comparauit. Nec ignobile tantum vulgus, ſed plærique natalibus atque opibus clari, ſemel capti nouitate religionis, vt præclarius eorum ſtudium videretur, poſtquam ab vetere diſciplina diſceſſiſſent, cum in ſummam virtutis & dignitatis exiſtimationem euexerant. Ipſe quoq; nondum pubeſcens, ſupra veras virtutes inani etiam morum ſpecie in ſui admiratione compoſitus, diuitias, gloriam, imperium, quæ cupere videri nollet, vt ſimulator egregius, abnuenti perſimilis adſequebatur. Non defuerunt etiam qui affirmarent, Harduellem patrem (vt erat rei Aſtronomicæ peritiſſimus) inſpecta filij genitura, Iſmaelem & Prophetam ſummum, & veræ legis conditorem, ſubactaque maxima parte Orientis, Mahometis gloriam pietate & rebus bellicis ęquaturum, quæ, haud temere iactata in vulgus, altiorem materiam ſermonibus præbuêre. His auſpicijs haud dubie in magnam ſpem gerendarum rerum erectus, paternos agros, & modicum illud imperium quod dotale matris fuerat, repetere cogitauit, armatiſque ſuæ ſectæ promptioribus, & à Pyrchale Regulo ſumptis auxilijs, ingreſſus Armeniam, fama magis atque hominum beneuolentia, quam viribus, breui paternam ditionem recuperauit. Mox eo ſucceſſu firmior factus, cum multi, qui Harduellis dogmata alieno periculoſoque tempore metu mortis deſeruerant, tunc oblato duce, fiducia pleni, eandẽ hæreſin ſequerentur, adauctis copijs, caſtrum opulentiſſimum nomine Marmurlagum, poſitum iuxta littus maris, quod indigenæ Bacuerum appellant expugnauit, ac breui poſt, exercitum ad vrbem Sumachiam, ſitam in finibus Mediæ, quæ nunc eſt Metropolis Meſopotamiæ, duxit, atque eam vi captam, hoſtiliter diripuit. Hoc proſpero ſucceſſu maximam conſecutus eſt nominis exiſtimationem, quæ fortia & præalta facinora nauiter audentes, ex primis rerũ motibus ad ſummam victoriæ ſæpenumero perducere conſueuit: & quod poſtea plurimum

contuliſſe iudicatum eſt, Inermem maiori ex parte exercitum, ditatum præda, militariter inſtruxit. Inde non iam vrbes atque arces, ſed Perſarum imperium animo voluens, cum iam fortuna, quæ cuncta detulerat, viam quoq; melioribus fatis aperiret, ad Tauriſium, olim Teruiam, nobiliſſimam maioris Armeniæ vrbem, contendit.

Iſmaelis expeditio aduerſus Regem Perſarum.

Aduentante Iſmaele, Tauriſij erat Aluantes, qui paulo ante de regni poſſeſſione cum Moratchamo fratre, ſiue, vt alijs placet, filio, armis contenderat; eumque prœlio victum, Armenia Perſideque pepulerat. Is, vt in ciuilibus diſcordijs plærunque accidit, cum primores ciuium, qui in Moratchami partibus fuerant, armis perſecutus occidendo, aut proſcribendo, in ipſa victoria totã vrbem mœrore atque funeribus compleuiſſet, magnam ſibi inuidiam conflauerat. Quam occaſionem nactus Iſmael, quod ciuium animos odio ſæuiſſimi Regis, ſi propius acceſſiſſet, res nouas in vrbe molituros intelligebat, inſtructo exercitu, protinus ad vrbis portas perrexit: Nec Aluanti, qui repentino bello oppreſſus, aut milites comparare, aut vllo ſatis opportuno præſidio mœnia firmare nequiuerat, tantum animi ac virium fuit, vt aduerſus eam belli molem perſiſtendum, aut de vita cum imperio ſibi dimicandum eſſe cenſeret. Quamobrem diffiſus rebus ſuis, dum tumultum atque arma iratorum ciuium ex merito pertimeſcit, trepidanti atq; attonito ſimilis, vrbe excedit: portæq; Iſmaeli ſtatim aperiuntur, iſq; vrbẽ ingreſſus, & aliquot prætorianis per tumultũ interfectis, qui fugientem Regẽ ſequi nequiuerant, ſepulchrũ eximij operis, quo auunculus mote Perſarum conditus fuerat, euerti iuſſit; oſſibusq; diſiectis, & abraſis tota vrbe eius titulis, quo dolorem paternæ cædis expiaret, ac paternis manibus luſta perſolueret, omnem illius memoriam aboleuit.

Iſmael Tauriſium victor ingreditur.

Interea, dum Sophus Iſmael, Rege incolumi, haudquaquam debellatum eſſe exiſtimans, maiores etiam copias parat, eaſque aperto veteri armamentario militariter inſtruit, crebris rumoribus, ac nuntijs afferebatur, hoſtem aduentare, quem ex fuga petijſſe Scyras, vrbem, quæ antiquius Cyropolis, eſtque Armeniæ caput, atque in vltimas regni partes ad mare penitus conceſſiſſe, fama diuulgatat, trahereque illum, præter innumerabiles pedites, ſex millia cataphractorum equitum, & magnum numerum ſagittariorum, qui partim equis, partim camelis inſideant, & Moratchamum quoque fratrem in Aſſyria ad vrbem Bagadat (Semiramidis Babylon hæc olim fuit) exercitum comparaſſe, poſitisq; in communi periculo priuatis contentionibus, vniuerſas mox vires cum fratre iuncturum. Hæc, tametſi omnium ſermonibus celebrabantur, nihil tamen eo apparatu, territus Iſmael, quo Deorum auſpicijs, & maiore aliquanto fiducia, quam proprijs viribus poſſet, bellum gerere videretur, ad hoſtem ire conſtituit, prouiſaque re frumentaria, ac luſtrato exercitu, vrbe egreditur, nulla magis oratione vſus, qua militum animos alacri ſpe incenderet, quam vt maturarent, & ſe Ducem, quem Dij dediſſent, ad certã victoriam ſequerentur. Rex tunc aberat Tauiriſio itinere decem dierum, cum Iſmael ſui famam incredibili celeritate prætergreſſus, ad Niphates montes qui Armeniam ab Aſſyria diſterminant, peruenit. Hos, magnam molem exercitus & plurima impedimenta more Perſarum trahens, præmiſſis exploratoribus, qui, vbi tranſitus difficiles forent, communirent vias, & ſaltum nõ vno in loco cæſis arboribus aperirẽt, breui ſuperare decreuerat: quod vbi cognouit Iſmael, iudicans, ſe cum imparato hoſte ex æquiſſimo loco dimicaturũ, ſi prior ipſe tranſcenderet, hoſtemque, apud quẽ, vt in nullo metu neglecta ſolutaque omnia futura eſſent, inuaderet, continuo in aduerſos montes primũ agmen erexit, ac deiectis è ſummo vertice hoſtium præſidijs, eo ipſo die, vix dum refectis ex labore militibus, caſtra, quæ ad vlteriores montium radices erant, adortus eſt. Tanta è conſpectu appropinquantium hoſtium in caſtris perturbatio exorta, vt præ tumultu, ac trepidatione militum arma poſcentium, quibus fœminarum greges, lixæ, caloreſque pauidum genus immiſcebatur, vix, quid fieri vellet, præfectos docere, aut milites cohortari, aut denique aciem explicare potuerit. Ita irruentibus recta fronte Armeniis, magnum atque atrox prœlium cœptum eſt. Neq; Iſmaeli, cui nunquã animus virtuſq; defuerant, eo die etiã fortuna defuit.

Prælium inter Aluantẽ & Iſmaelem.

Nanq;

Nanque per cuneos tribus ſimul locis aggreſſus hoſtem, antequã cataphracti equites, quorum magna pars non ſtratos, nec frenatos equos habebant, arma induerent, atq; in aciem prodirent, proſtrata prima acie, peditatum in fugã vertit. Aluantes, qui nihil earum rerum antea prouiderat, quod ad famã tanti comparati exercitus, nec Taurifij quidem, nec in Armenia omnino ſe inuenturũ hoſtem putaſſet, concurſare, appellare milites, retentare conuerſam aciem, ac multum ipſe pugnare. Sed enim ſubita eius conſilia, quæ in ipſo periculo capere cogebatur, nec duces, nec milites exequerentur, pudore ac deſperatione victus, dum in primo agmine acrius pugnat, obtruncatur.

Interfecto Rege, cæſiſque Perſarum promptiſſimis cataphractis, qua parte virium ſuperior erat, cum iam non eſſet pro quo depugnarent, aufugere non dubitarunt. Idem fecêre ſagittarij, & cæteri poſtremi agminis milites, qui, audito ſtatim tumultu, fugæ magis quam prœlio, arma atque animos præpararant: Iſmaël cum minore aliquanto hoſtium cæde quam pro tanta victoria quis crederet, caſtris potitus, quod antequam fugatum hoſtem in ſectaretur, exanimatos milites defatigatione itineris ac labore prœlij, reficiendos eſſe exiſtimabat, eo in loco per aliquot dies ſtatiua habuit. Inde, cum ab finitimis populis legati ad dedendas vrbes ſuperuenirent, & quo victoria, eo etiam gentium fauor inclinaret, ad vrbem Seyras, exercitum duxit. Nec eiues, multum ante ad famam ingentis victoriæ paran ea facere, quæ diuinus victorque Iſmaël imperaſſet, cum vrbe recipere, commeatu, pecuniaque iuuare, in ea rerum commutatione recuſarunt. His rebus celeriter confectis, conſtitutiſque per ſingulas vrbes ſuæ ſectæ magiſtratibus, Iſmaël, ſuperato Tygri, in Meſopotamiam profectus eſt, vt Moratechamum, arma adhuc exercitumque tenentem, quo iunctis cum fratre viribus, in Armeniam tranſire ſtatuerat, Babyloniæ poſſeſſione depelleret. Sed fama aduentus eius & victoriarum perculſus, nec copijs ſuis ſatis fidens, nec vllius ſe vrbis mœnibus ſatis munitum fore credens, collecta ſupellectile, cum vxore & liberis in Arabiam profugit. *Iſmaëlis victoria.* Cæterum, quæ hic, ex nonnullorum ſententia de Perſici Regis fratre Moratechamo retuli, hunc videlicet, euitato periculo, in Arabiam profugiſſe, protſus diſcrepant à quorundam aliorum opinione, qui longe ſecus tradidêre. Hi enim aſſerunt, ipſum, cognito fratris interitũ, confeſtim maximum exercitum coegiſſe, adeo vt eius copiæ fuerint cataphractorum, quorum equi loricati, ferroque ſubtiliter polito ac elaborato tecti erant, ad 12. millia, peditumque numerum longe maximum extitiſſe, ac eos omnes rebus militaribus aſſuetos. Hoc exercitu ad vrbem Taurifium iter ingreſſum eſſe, ac ſecum, veteri Perſarum conſuetudine, totas familias, tam fœminas, quam liberos, duxiſſe. Id vero vt primum Iſmaëli innotuit, ipſum repente, inſtar furibundi atque magnanimi Leonis, excelſo animo decreuiſſe hos inuadere, priuſquam vlterius procederet, medioque itinere quod ſitum eſt inter Taurifium, & Cyropolim, quæ vrbes inter ſe viginti dierum ſpatio diſtant, vtrunque exercitum conueniſſe. *Iſmaëlis aduerſus Moratechamum expeditio, & victoria.* Et licet Iſmaël impar hoſtilibus copijs eſſet, nihil tamen moratum, quin primus in aduerſarios impetum fecerit, primoque conflictu Sophianos milites admodum preſſos, nec paucos etiam ex ipſis interemptos, nullum tamen fugæ, aut timoris indicium præbuiſſe, cum præſertim ſibi perſuaderent, ſe potiſſimum ob ſuæ legis incrementum & propagationẽ arma ſumſiſſe, & propterea neminem eorum dubitaſſe mori, ac ſtrenueſpugnãdo mortem oppetere, cum certã animo ſpem conciperent, ſeſe recta via in cœleſtes beatorum ſedes ituros. Proinde confirmatis animis, certamen maiori virtute redintegraſſe, ramq; fortiter prœliatos eſſe, vt tãdem exercitus Moratechami fregerint ac diſturbarint, & mox ſingularẽ victoriã adepti fuerint. Ex hoſtilibus caſtris ſpolia fuiſſe reportata ampliſſima, præſertim arma eximia virorum & loricatorum equorũ, eaq; omnia inter milites ac duces liberaliter, vti ſemper ab Iſmaële fieri conſueuerat, diſtributa. Moratechamũ vero cum paucis ex ſuis fuga elapſum. Hoc autẽ prœliũ incidiſſe dicunt in annũ ſupra millesimum quadringenteſimum, nonageſimum nonum. Vtra vero ſententia propior veritati accedat, dijudicare, mearũ partiũ nõ eſt, cum vtraq; præſtantiſſi-

morum virorum teſtimonio innitatur, licet ipſe huic poſteriori magis aſſentiat. Proximo anno Iſmael, reparatis copijs, quas dicunt fuiſſe ad ſeptuaginta millia lectiſſimorum virorum, Meſopotamiam, vulgo Diarbecam, prouinciam ſibi inimicam atque infenſam, expugnauit, & mox Aladelum, ſiue, vt alij vocant, Aladulum, Cappadociæ Regem, Moratchami partes ac ſtudia fouentem, acerrimo prœlio perſecutus eſt, ac eius regionem ingreſſus, omnia ferro atque igne deuaſtauit. nihilque ardentius optabat, quam, vt prima quaq; occaſione data, cum hoſte confligeret. Verum is, pugnam detractans, ſeſe actutum in montes, ab indigenis Caracac appellatos, recepit, atque illinc perſæpe aliquot turmis tam interdiu, quam noctu immiſſis, Sophianos haud mediocri incommodo afficiebat. Huius autem belli is tandem exitus fuit, vt Iſmael, poſtquam in his locis à viceſima nona die Iulij vſq; ad Idus Nouembris caſtra habuiſſet, iam omni pene commeatu deſtitutus, & hyeme plurimum ſæuiente, ab ea expeditione, non paucis ex ſuo exercitu, nec exiguo numero equorum & camelorum, qui, propter hyemis aſperitatem & nimium altitudinem, perierant, in itinere amiſſis, recedere coactus fuerit, atque ita rebus infectis, Taurifium reuerti. Hoc tamen infortunio haudquaquam deterritus, inſequenti vere, cum quadraginta millibus hominum armatorum, Caſanum, Babyloniæ haud ignobile municipiū, inuaſit. Hoſtis vero, vt illum ab ea oppugnatione remoueret, cum triginta millibus, partim equeſtrium, partim pedeſtrium virorum, Serā contēdit. Iſmael, vbi primum hoc intellexit, protinus ad vrbem Spaam caſtra mouit, eo quidem decreto, vt Moratchami exercitum adoriretur. Hunc autem, Sophianorum in dimicando alacritas & virtus, ita exterruit, vt quamplurimi, ſuo Principe relicto, in illorum partes tranſierint, adeo mehercule, vt ipſe ſuis rebus prorſus diffidens, Oratores ad Iſmaelem ablegaret, qui cum eo tranſigerent, & inter reliqua, ſe libenter Perſarum regno ceſſurum pollicebatur, modo ſibi concederet Babyloniam. Verum enimuero hæc fruſtra tentata ſunt, & legati domū, infecto negotio, dimiſſi. Proinde, omni ſpe deiectus, ac ſibi non parum metuens, cum circiter tribus millibus equitum verſus Alepum, atque illinc poſtremo ad Aladulum, tanquā ad ſacram anchoram, confugit, à quo benigne atque amanter fuit exceptus, traditaque illi eius filia in matrimonium, in haud mediocrem ſpem erectus eſt, vt eius ope atque armis adiutus, Perſicum regnum recuperaret. Cæterum, quam hæc ſpes vana prorſus atque inanis extiterit, euentus clariſſime demonſtrauit. Poſt hæc, Iſmael, Babylonia, Sera, omniq; Meſopotamia potitus, & maximā Orientis partem victricibus armis peruagatus, ab Aſſyria in Mediā tranſijt, vrbes caſtellaque aliquot in Zagro monte, quæ adhuc Regis præſidijs tenebantur, expugnauit, regreſſusq; in Armeniam, Albanis, Iberiſque, & Scythis, qui vlteriorem Caſpij maris oram tenent, bellum intulit, quod eæ gentes tributariæ quondam Perſarum Regum, ex occaſione ciuilis belli, quo Perſis, totusque Oriens cum excidio regiæ domus proxime conflagrarant, neque tributa quartum iam annū perſoluiſſent, neque ſolitas omnino legationes, in tanta præſertim victoria, miſiſſent. Hæc autem poſtrema, geſta ſunt circiter annum Chriſti centeſimum ſupra milleſimum quadringenteſimum. Nec multum temporis poſtea interceſſit, cum dénuo ſeſe ad nouas expeditiones conuertit, nouoque exercitu inſtructo, Laſilbam, Samarcantis regulum, ſummis opibus & clientelis innixum, aggreſſus eſt, & commiſſo prœlio, deuicit, quæ ſane victoria ſuperiores plurimum illuſtrauit, adeo certe, vt tam fauſtis progreſſibus, Memphitico Regi, ſimulq; Ottomannicæ familiæ iam ſupra modū formidabilis videretur, & ipſe quidē Iſmael, cum ex veteribus odijs, quæ propter aſſidua bella cum Turcis gerebantur, tum etiam ex priuata religionis diſſenſione, Baiazeti adhuc regnanti ſummopere infenſus, nihil magis in maxima virium amplitudine, & ſecundiſſimo rerum curſu, iuuentæ etiam calore præferuidus, quam Ottomannicum bellum animo volutabat, eaque de cauſa & legatos ad Senatum Venetias miſit, qui fœdus atque amicitiam peterent, in eam maxime formulam, qua Catarinus Zenus, Ioſephus Barbarus, & Ambroſius Cōtatenus, quorū ſupra mentionē fecimus, oratores in Armenia, cum Vſumcaſſano,

Iſmael Babylonia, Meſopotamia, & multis alijs circumfinitimis regionibus potitur.

Eiuſdem victoria cōtra Laſilbam Sarmantis Regulum.

Iſmaelis legatio ad Venetum Senatum cum eiuſdem Senatus reſponſo.

no,materno auo,quondam pepigiſſent. Senatus,legatis perhumane ac liberaliter habitis,reſpondit,neque veteris amicitiæ,neque fœderis, quæ ſibi cum Perſarum Regibus fuiſſent, obliuiſci, gratamque ſemper futuram apud Senatum eius rei memoriam; ſed eo ſummopere lætari, quod nouus Rex Sophus, Turcarum hoſtis eſſet; & communicaret belli cauſſam, ſimulque omne auxilium polliceretur. Verum interim ſeſe excuſabat,quod ea quæ potiſſimum vellet, & maxime vtrique expedirent, per id quidem tempus,præſtare non poſſet, quod pacem quinquennio ante cum Baiazete initam, ſibi tunc minime violandam exiſtimaret:occupari enim ſeſe grauiſſimo bello, quod præferoces Europæ gentes,coniuratione facta,& maximi reges, nullis laceſſiti iniurijs,ſed ſola concitati Venetæ felicitatis inuidia, nuper intulerint:ſperare tamen,ſtaturos à iuſtiori cauſa Deos immortales,& Rempub.quam nulla vis per tot annorum volumina fregiſſet,ab immanitate tot aduerſariorum conſeruaturos.Proinde ſuo Regi referrent,Senatum,cum per occaſionem licuerit,daturum operam,vt Sophus intelligeret, nihil ſibi Perſarum amicitia antiquius eſſe, aut ſpecioſius quicquam futurum, quam Turcos, infenſiſſimos Chriſtiani nominis hoſtes, quibus ipſe infeſtus eſſet, mutuis auxilijs ac paribus armis oppugnare. Legati paulo poſt, cum ſpe magis ineundi fœderis, quam quod reipſa quicquam impetraſſent, donati muneribus, in Cyprum triremibus reuecti, in Syriam traiecerunt.habuereque occulta colloquia cum Petro Zeno (is Catarini, Perſica legatione clari, filius fuit) qui tunc Damaſci negotiatoribus Venetis præerat.Q[illegible] de cauſſa Baiazetes, cognita legatorum profectione, per ſuos internuntios, & literas queſtus eſt apud Camſonem Gaurum, Aegypti Regem,cum minus amice facere,quod Perſarum legatos per mediam Syriam ad communes hoſtes ad concitanda externa arma tranſire permitteret. Vnde mox,irato Aegyptio,omnes Veneti mercatores,& ante alios ipſe Zenus,qui Tripoli,Alepi,Berythi,atque Alexandriæ agebãt, perducti Memphim, coram Camſone, ſæpius cauſam ex catenis dicere coacti ſunt,vixque poſt annum vitam & libertatem impetrarunt. Interea temporis, Iſmaël,cum partim ditionis amplificandæ,partim etiam ſuæ religionis propagandæ mira cupidine flagraret,enixe operam dabat,vt plærique mortales Halis inſtitutis & precationum formulis,quas idem in ſcriptis reliquerat,vterentur. Ea autem de cauſa legatos ad Regem Cambaiæ,(hoc regnum ſitum eſt ad oſtium Indi fluminis,) & ad Zabaimum Idalcamum decreuerat,vt eos in ſententiam ſuam traduceret,quod illi tamen facere noluerunt,Cum vero literis multorum,& rumore omnium intellexiſſet, quanta virtute & induſtria inter cæteros eius ætatis præſtantes duces,Alphonſus Albuquercius,natione Luſitanus, præditus eſſet,& quas res in India; & Armuzio geſſiſſet, & illius nomen hominum prædicatione & celebritate per omnes Perſidis & Arabiæ regiones verſaretur, quanuis Albuquercius Armuzium, ſicut in vltimo libro plenius declarabitur,ab eius imperio auertiſſet,famam tamẽ illius fuit non mediocri ſtudio proſecutus. Eſt enim hoc in Perſis inſitum,prout ex antiquiſſimis monumentis accepimus, vt in quocunque hominum genere virtutem elucere perſpexerint,eam ſummopere celebrẽt, vſque adeo,vt hoſtes etiam, quos armis acerrime perſequuntur, maximis laudibus afficiant. Cum igitur Iſmaël legatum ad Reges Indiæ,vt dictum eſt, miſiſſet, in primis illi negotium dedit,vt Albuquercium nomine illius ſalutaret, ſeque libentiſſime omnia,quæ ad eius dignitatem pertinerent,facturum oſtenderet.Legatus Coiealeamus appellabatur.Is,poſt honorificæ ſalutationis officium,ab Albuquercio poſtulauit,vt legatum ad Iſmaelem mitteret.Eſſe namque illum amicitiæ cum Luſitanis,quorum virtutem admirabatur, iungendæ cupidiſſimum. Albuquercius ex ſalutatione & conſilio voluptatem non mediocrem accepit: Exiſtimabat enim,eo fœdere,Armuzij ſtatum confirmari facillime poſſe.Itaque legatum,nomine Michaëlem Ferreiram,ad illum miſit Legatus fuit ab Iſmaele ſummis honoribus acceptus, & omnibus Principum legatis, qui apud illum verſabantur,antelatus.Iſmaël cum illo ſermonem iucundiſſime conſerebat, & de moribus ac inſtitutis Luſitanorum,de gentis indole,de Regis Emanuelis virtute

Eiuſdem legatio ad Reges Indiæ.

Perſis quid ſit à natura inſitum.

Albuquercius natione Luſitanus, mittit legatum ad Iſmaelem.

Iſmaelis legatio ad eundem.

multa percunctabatur, & cum ſumma voluptate Ferreiram (erat enim vir prudens atque diſertus) audiebat. Ferreiræ tandem ſermonibus allectus, hominem primarium, Bairimbonatum nomine, ad Albuquercium legauit, qui cum Ferreira Armuzium venit, eo tempore, quo Albuquercius arce potitus, illi perficiendæ intentus erat. Is, cum eā legationem multū ad auctoritatem nominis Luſitani confirmandam, & imperium ciuitatis illius firmius ſtabiliendum, pondus habituram arbitraretur, eam magnifico quodam apparatu audire conſtituit. Itaque in foro prope regias ædes, vt Rex & regij omnes ſpectare poſſent, ſublimem tabulationem inſtitui, eamque periſtromatis inſterni, & in illa ſellas collocari præcepit. Ibi ſplendido cultu ornatus, & nobilitatis turba circumfuſus, legatum excepit; qui, cum propter illius famam iam veneratione valde dignum cenſeret, tum in illius conſpectu, cum vultus grauitatem, & caniciem, & oculorum obtutum, quæ omnia acrem animi vim denunciabant, oculis aſpexiſſet, parumper, quaſi attonitus quadam admiratione, conticuit. Deinde legationem luculentis verbis expoſuit, & literas, quas ad Regem Emanuelem, & Albuquercium cum muneribus afferebat, obtulit. Albuquercius munera, vt ab omnibus viderentur, explicari continuo præcepit, idque reſponſum legato dedit, quo & Iſmaëli debitum honorem dediſſe, & propriæ dignitatis memoriam non abieciſſe videretur. In ſumma vero legatio nihil aliud, quam virtutis & magnificentiæ laudes, & non vulgaris amoris officia continebat. Albuquercius intra paucos dies legatum, liberaliter acceptum, & muneribus ornatum, dimiſit, & cum illo legatum alium, virum nobilem, qui Fernandus Gomezius Lemius vocabatur, ad Iſmaëlem cum literis & muneribus viciſſim miſit: cui etiam mandata credidit, quæ valde ad vtilitatem nationis Luſitanæ conducebant. Hæc autem incidêre in annum ſupra mille quingentos, decimum quartum. Per idem ferme tempus, Iſmaël per ſuos oratores à Baiazete Carmanorum regiones hæreditarias, ſibi reddi poſtulauit, ſuoſque, qui miſera ſeruitute in Turcica ditione tenebantur, repetebat, ſimulque ipſum horrabatur, vt abiecta veteri religione, ſuam aſſumeret, habitumque immutaret. Cæterum, tantum abeſt, vt quicquam horum impetrarit, vt etiam Baiazetes, ſuo imperio haud parum metuens, Conſtantinopoli ſupra ducentas domos cum ipſis habitatoribus, qui de Iſmaële, ceu propheta, bene ſentiebant, & loquebantur, igne perimi iuſſerit, & publico edicto ſub capitis pœna vetuerit, ne quis de eo publice loqueretur, aut ſcriberet. His, atque aliis de cauſſis commotus Perſa, bellum aduerſus Ottomannos minime vlterius differendum ſtatuit, ſed aperto Marte rem gerendam, cuius etiam rei maximus promotor atque incitator fuit Techelles, de quo ſupra mentionem habuimus. Hic enim, & ſapientiæ opinione & virtutis præſtantia plurimorum animos in ſui admirationem conuerterat, & concionando vatidiceque reſpondendo, pellectis Cappadocibus in ſectæ bellique ſocietatem, exercituque Perſarum auxiliis firmato, è Taſica vrbe quæ ad Antitauri radices ſita eſt, protinus è finibus Cappadociæ in Lycaonium irruit. Regionem, agri vbertate, hominumque frequentia celebrē, populatus cum eſſet, exercitum Iconio admouit. Inde cum depulſuri Orchanes, & Mahometes nepotes Baiazetis ex Alemſciaco, & Sciaeſciaco filij, qui illis regionibus imperabant, ab hoſte fuſi fugatique ſunt. Techelles non tentata oppugnatione, atque itinere per mediam Aſiæ minoris latitudinem directo, acceſſit ad Ancyram, quam hodie Angorium vocant, præteruectus trepidantem metu, ac congreſſum tergiuerſantem Corchutum Baiazetis filium. Inde per Galatiam effuſus in Bithyniam, non longe à Sangario flumine obuium habuit Caragium Baſſam, Aſiatici equitatus Magiſtrum, quem Bellerbeium nominant: hunc magno prœlio ſuperatum, atque in fugam coniectum, feſtinatoque aduolatu obrutum ac circumſeſſum conclnſit intra Cutheiam vrbem ad Orminium montem in veteri Caucorum ſede, quæ vrbs totius Aſiæ minoris vmbilicus, ac Magiſtri equitum Anatoliæ ſedes eſt, vt in Europa Sophia vrbs Miſiæ Magiſtri equitum Europæorum. Vrbe expugnata, prætorioque, ſecto marmore ac nobili ſtructura inſigni, concremato, Caragium cum vxore cepit, atque ad Pruſiam Bithyniæ caput

Iſmaelis legatio ad Baiazetem cum irrito ſucceſſu.

Techelles, Perſicus armis inſtructus, monet bellum contra Turcos.

Eiuſdem proſpera fortuna.

caput, animum adiecit. Sed ab eo conatu auertit eum Baiazetes, nouis copiis obiectis per Halibaſſam natione Macedonem, conditione eunnchum, cui ſe Techelles, Sangario flumine ſuperato, tranſuerſis itineribus recta inter Cotheiam & Ancyram quintis caſtris Galatiæ planitiem emenſus, obuiam ex inſperato tulit, ibique, vt hoſtes, atroci ſpectaculo edito, aut demoraretur, aut à perſequendo deterreret, Caragium Bellerbeium, quem vinctum ſecum trahebat, media via ſequentibus ſpectandum palo infixit. Nec Halibaſſa horrendo clariſſimi viri obitu permotus, quicquam tamen de celeritate ſibi remittendum exiſtimauit; quin potius, cum magnis itineribus antecedentem toto exercitu conſequi non poſſet, cum octo millibus equitum citatiſſimo curſu aſſecutus ad Olygam montem non procul ab Ancyra, perturbatis primis ordinibus Techellis, prœlij initium fecit, in quo, ipſo ad extremum cæſo, copiæ iam pene victrices, mutata fortuna belli, cum interitu ducis diſſiparæ ſunt. Inde paucis poſt diebus, Techelles trans Halim ductis copiis ad Talciam vrbem, in rubra demum ſaxa ſeſe recepit, non procul à Calenæo monte, è quo Marſyas amnis, poëtarum carminibus celebris, profluens, mediam vrbem Maras, Aladoli Regis, quem Selymus ſuſtulit, regiam, & à corrupta fluminis voce ſic denominatam, interfluit. In locum Halibaſſæ ſummiſſus Iunusbaſſà ſummæ virtutis Epirota, acceptis ab Achomate Baiazetis filio copijs, cum quadraginta millibus equitum ac peditum Techellem inſecutus eſt. Is vero tanto apparatu exterritus, præſertim cum nulla auxilia ab Iſmaele tunc in Scytharum confinio bella gerenti, ſubmitterentur; quod nullam tormentorum copiam haberet; quod non mediocrem nnmerum fortiſſimorum virorum in tot conflictibus habitis, & præcipue ad Olygā, amiſiſſet, reliquos qui ſuperarant, tantæ multitudini hoſtium, eorūmque recentium, obijcere, miſerrimum putabat, & proinde montibus ac ſyluis ſe tenere conſtituit; indeque poſt aliquot leuiora certamina, receptui canens, intempeſta nocte extinctis ignibus, cum maximo ſilentio ſaltus exceſſit, & per aduerſos montes in Armeniam deſcendit. Iunusbaſſa, tam feroci hoſte liberatus, per omnes minoris Aſiæ vrbes intentiſſima conquiſitione habita, quos Perſicæ religiônis cultores inuenit, omnibus tormentis excruciatos interfecit: his vero, qui bello minime interfuiſſent, neque arma tractaſſent, inuſſit frontem, vt ſtigmate defectionis titulum præferrent, quos protinus cum affinibus atque propinquis eorum, qui Techellem ſecuti fuerant, in Europam traduxit, ſparſitque per Macedoniam, Epirum & Peloponneſi oram, ne, ſi Techelles, nouis copiis comparatis, bellum renouaret, coirent rurſus, & nouas res noua defectione molirentur.

Caragius Bellerbeius à Techelle obtruncatur.

Halibaſſæ interitus.

Techellis diſceſſus in Armeniā.

Dum hæc in Aſia geruntur, maximus ac terribilis, ſi vnquam alias, terræmotus, Conſtantinopoli factus eſt, qui diebus decem & octo continnis, murum eius vrbis, qua parte mare ſpectat, cum omnibus adiacentibus domibus diſiecit, foſſaſque ruderibus impleuit, ac terræ æquauit. Arcem, in qna gazophylacium Imperatoris quinque turribus munitiſſimis cuſtoditur, & inſignem domum, qua leones tanquam in viuario, nutriuntur, penitus deſtruxit. Cuniculos qui per montes ac longa itinera è Danubio aquas in vrbem euehunt, maximis & laboribus & impenſis fabricatos, ita concuſſit, vt non ſine ingenti theſauro reparari poſſent. Sinus autem maris, ſiue brachium, vt vulgo loquimur, inter Byzantium & Peram, violentia terræmotus adeo infremuit, vt in vtramque ciuitatem mare vltra muros aquam inijceret. Domus vero tributaria iuxta mœnia Conſtātinopolis in mare tota decidit, ita ſane, vt nullum illic veſtigium appareret. Maxima item pars turris plumbeæ in Pera corruit. In Calliopoli munitiſſima arx funditus euerſa eſt. Nec vllum ibi ædificium integrum remanſit, totamq; Græciam ad Danubium vſque hic horribilis terræmotus longe lateq; peruagatus eſt. Feruntur Byzantij ad tredecim millia hominū tum obruta, crudeliter interiiſſe. Nec purpuratorum palatiis pepercit, in quibus permulti etiam perierunt. Quin etiam ipſe Imperator Baiazetes, niſi à quodam Calligero Monacho, Gręco, ſene, quem familiariter dilexit, ſecumque crebro detinebat, monitus fuiſſet, vt in hortos deſcēderet, vix ab ea clade incolumis euaſiſſet. Vaticinatus eſt hic ſenex, ven-

Conſtantinopolis & vniuerſa ferme Græcia, ingenti terræmotu concutitur.

Calligeri Monachi Græci vaticinium.

turum terræmotum,& Turcicum imperium deletum iri,atque hoc ſæpe Baiazeti intrepide dixiſſe fertur. Nam,cum rueret ſepulchrum Mahometi,& patris Baiazeti,maximis ſumptibus atque impenſis extructum, multaque & Græcorum, & Turcorum delubra, quæ patrio idiomate Moſcheas vocant, collaberentur, Chriſtianorum templa illæſa manſiſſe feruntur.Ingenſque illa Sophiæ ædes nihil mali perpeſſa eſt, præter turrim, à Turcis poſt captam vrbem templo in fine ornatus gratia annexam,quæ vniuerſa concidit.Nec ſolum ea tempeſtate Conſtantinopolim hæc grauiſſima calamitas inuaſit: ſed etiam acceſſit repentina & atrox peſtilentia, qua innumeri mortales è medio ſublati ſunt; adeo vt regia vrbs, imperii caput,vniuerſa ruinis atque funeribus cõpleretur, & in maximam vaſtitatem ac ſolitudinem deueniret. His grauiſſimis ærumnis ac periculis,prodigii loco habitis, Baiazetes conſternatus,ab peſtilenti maris ora,in ſaluberrima Thraciæ loca ſeceſſit,egitque complures menſes ſub Rhodope monte apud Hadrianopolim ,vbi eum ſe alioquin & ob pedum dolorem, & ſenectam,ad tantæ militiæ imperijque munia obeunda inualidum eſſe ſentiret, de ſucceſſore deligendo cum purpuratis & familiaribus deliberare cœpit.quæ res materiam & occaſionem bellis inteſtinis præbuit. Huic ſupererant filij tres,Scianſciaco,Mahomete,& Alemſciaco iam ante morbo abſumptis; ſcilicet, Achomates, Corchutus,& Selymus.Nepotes plures,Mahometes ex Scianſciaco, Orchanes ex Alemſciaco,Zilebus ex Mahomete,& præter hos,alij duo tenelli: Ex Acomathe Amurathes, & Aladinus: pater Baiazetes propenſiore animo ferebatur ad Achomaten,qui in Amaſiæ & Cappadociæ præfecturis,voluptatibus potius, quam bellis operam dabat, & à patre vocatus, venerat Chalcedonem vſque contra Byzantium in altero littore Helleſponti Aſiatico ſitam , hodie Scutarim appellatam. Ab hoc, & altero Corchuto,qui in Magneſia littori Rhodio vicinus ſtudiis vacabat, alienos animos habebant prætoriani & purpurati omnes,præter Cherſeoglem. Purpuratorum præcipui erant Muſtaphas in oppido Setes apud Amphipolin ſacerdote Græco genitus. Boſtanges hortorum præfectus ex Ducagina familia apud Aetolos,& Aiax Baſſa prætorii præfectus.Hi Selymo magis fauebant, qui & eorum perfidioſa incitatione patrem bello adortus, auxilio Mahometis Præcopitarum & Tartarorum Regis,cuius filiam iam antea inuito Baiazete vxorem duxerat; ſed prætorianis fortiter prœliantibus ad Chiurlum oppidum medio inter Byzantium ac Adrianopolin itinere, acie victus, rurſus tamen purpuratorum interceſſione reconciliatus, & demum vel inuito patre Imperator proclamatus,cum milites, quos ſibi maxima beneficentia & largitione obſtrinxerat,in eius verba iuraſſent,parricidiorum initium fecit in patre. Nam regno eiectum, mox etiam per Hammonem Iudæum medicum veneno è viuis ſuſtulit,

Baiazetis mors & ingenium.

cum ætatis annum ſexageſimum ſextum compleuiſſet; præfuiſſet rebus Turcicis annos triginta duos. Mortuus eſt in itinere,dum ex vrbe ſecedit petiturus Dimoticum Thraciæ vicum in Euxini littore ſitum, hortorum amœnitate, & cæli tẽperie , exilio ac præſenti fortunæ opportunum. Fuit Baiazetes & corpore & animo languidior,neutiquam par maioribus aut fortunatæ audaciæ ſucceſſibus,aut laborum bellicorum tolerantia , ſiue à natura id haberet, ſiue à ſtudijs philoſophiæ.Nam Sophiſticis Auerrois in philoſophia argutijs admodum deditum fuiſſe perhibent. Nec vicit toties ſua aliqua peculiari felicitate,ſed vt in omni magno imperio,mole potentiæ,obuia aduerſaque omnia proterentis , profligantis atque obruentis,roboreque,numero,vigore & impetu militis exercitati, nec vnquam quieſcentis,vt ociari & quieſcere tanti exercitus non poſſunt.

Selymus XI. Turcarum Imperator.

Selymus interim parricidio imperium aſſecutus, nihil habuit antiquius,quam vt mox ſublatis fratribus atque nepotibus,ſeſe ab omni metu ac ſuſpitione liberaret. Proinde omnis humanitatis fraternique vinculi & conſanguinitatis immemor, ſumma quadam ſæuitia & immanitate vſus, quinque egregiæ indolis adoleſcentes, fratrum qui iam deceſſerant , filios, necari , & ipſos fratres Achomaten & Corchutum ſtrangulari iuſſit,quorum priorem,acie victum,in poteſtatem ſuam redegit ad Elatam flumen,ex Ormenio monte recta decurrentem in Pontum: alterum

Eiuſdem horribilis ſæuitia.

terum, nihil metuentem, ſed ſtudijs in Magneſia ſeſe oblectantem, & eum per indices de inſidiis edoctus eſſet, ad littus ſugientem, vt in Rhodum traijceret, ſex improuiſo ſubornatis ſatellitibus, comprehendi curauerat. Muſtapham Baſſam, cuius ſubnixu ad imperium conſcenderat, quod videretur ad Achomatem inclinare, metu immanitatis Selymi, hunc ergo ſtrangulatum prius, deinceps canibus dilaniandum obiecit. Reſtabant Achomatis filij, Amurathes & Aladinus. Hi de fortuna patris & prœlij euentu edocti, conſilium de fuga inierunt tale, vt Amurathes cum equitibus Perſicis tranſmiſſo Euphrate, confugeret ad Iſmaelem: Aladinus, ſuperato in Cilicia Amano monte, conferret ſe ad Camſonem Gaurium, Aegypti Sultanum. Inde nouorum bellorum cauſſa Selymo conflata, liberauit orbem Chriſtianum ſummo, quod ab ipſo impendebat, diſcrimine. Siquidem Amurathes, inſtructus Perſicis auxiliis, quæ erant decem millia equitum, in Cappadociam irrupit, Iſmaele paulatim inſequente, fuiſſetque tota potitus, deficientibus paſſim populis, niſi eum Chendemus Baſſa, quem Aſiæ præſidio Selymus reliquerat, ad Sebaſtiam Cappadociæ, quæ hodie Siuas eſt, magnis copiis obiectis, repreſſiſſet ac detinuiſſet. Id eum Selymus comperiſſet, tranſiit in Aſiam, & maxima celeritate vſus, triceſimus caſtris peruenit ad Arſengam, quã aliqui Comanam Ponticam fuiſſe coniiciunt. Inde regreſſum Cappadocia Iſmaelem cum inſequi ſtatuiſſet, inuitatis fruſtra ad belli ſocietatem ſpe magnorum prœliorum regulis Aladulorum & Armeniorum, quos à tergo metuebat, & itineribus exploratis intra Armeniam minorem & Aladuli fines iuxtaque decurrentem Euphraten continuis itineribus progreſſus ad Periarden montem vſque, duorum fluminum Euphratis & Araxis fontibus inclytum, tandemque ad irriguos aquis Araxis Calderanos campos maioris Armeniæ Periardi ſubiectos, penetrauit. Vbi in coniunctas Amurathis Turci & Vſtaogli ducis Perſici copias incidit, ad quas, cognito aduentu Selymi, cum Iſmael acceſſiſſet, prœlium exortum inter Turcos & Perſas cruentum admodum incertaque victoria diremptũ eſt. Iſmael propter vulnus ſclopeti ictu in ſublimem humerum inflictum, ex acie recedens, quem reliquus exercitus Perſicus, qui ſuerat initio non maior, quam triginta millia equitum, ſecutus, victoriam hac ceſſione Selymo reliquit, ſed ea, cruenta admodum fuit. Nam de centum & quinquaginta armatorum millibus, quos in aciem eduxerat Selymus, ſupra triginta millia hominum, interque hos, Caſſembaſſam Europæi equitatus præfectum, & ſeptem Sanzagos, qui ſunt equeſtrium copiarum duces, cum flore & robore exercitus amiſit. Pugnatum eſt ſeptimo Cal. Septembris eius anni, qui fuit à nato Chriſto Seruatore milleſimus, quingenteſimus, quartus decimus, in campis Calderanis ad Choim, quã Artaxata vrbem fuiſſe autumant, à Domitio Corbulone ſub Imperio Neronis deletam. Cæterum, vt hæc omnia plenius innoteſcant, adieci epiſtolam Henrici Peniæ ad Cardinalem Saulium patricium Genuenſem conſcriptam, in qua vniuerſum hoc prœlium continetur, eique titulus eſt De geſtis Sophy contra Turcas.

Amurathes confugit ad Perſas, & bellum mouet Turcis.

Selymi expeditio aduerſus Iſmaelem.

Cruentiſſimum prælium inter Perſas & Turcas.

Iſmael vulneratur in prælio.

REVERENDISSIME in Chriſto pater & domine D. obſeruandiſſime poſt humill. comm. Cogitanti mihi mortalibus recepti beneficii ſemper ingratitudinem comitem eſſe, ſi qua parte poſſunt, accepti commodi memores ſe non oſtenderint, has ad Celſ. V. rerum nouarum plenas ſcribere decreui. Præſertim cum & antehac ſæpius per literas & fecerim, & idem me facturum, quoties aliquid ſcitu dignum contingeret, pollicitus ſim, gratumque fuiſſe cognouerim. Ingrati profecto animi atque impudentis eſſet, veſtræ R. D. meritorum erga me obliuiſci, & quod ſemel promiſeram, non præſtare. ſed de his hactenus. Selymus Imperator poſt fratres nepoteſque ſtrangulatos, omnia ſibi ex ſententia cedere perſpiciens, rerum ſucceſſu tumens, animo iampridem orbis terrarũ imperium complexus, expeditionem in Italos parare cœperat, ratus, his ſubiugatis, reliquum quod deſtinauerat, facile perfici poſſe. Itaque ingenti materia cæſa, triremes fabricare, naualia ædificare, remiges ſocioſque nauales, atq; milites cõgregare imperauerat. Commeatus ad maritimas vrbes, vnde facilior in Italiã tranſitus, qui ſatis nauibus eſſent, deſerre. Atque vt hoc tutius peragere valeret, cum

Henrici Penæ epiſtola ad Cardinalem Saulium de geſtis Iſmaelis contra Turcas.

Vngaro pacem firmare, mollitis aliquantulum conditionibus ab eo propoſitis, ſtatuerat, Chendemumque à conſiliis & longa familiaritate etiam antequam ad imperium adſumeretur, notum, bellique non expertem, Ciliciæ, partique Cappadociæ, Turcarum imperio ſubiectæ, præſidem ſecerat, data ei non parua militum manu, qua & fines imperij tutaretur, & hoſtem, ſcilicet Amuratum ex fratre nepotem, ad Iſmaelem Sophum profugum arceret. Quippe per exploratores cognouerat, Iſmaelem Scythico bello impeditum, id ſolum cogitare, neque vllo modo ſuppetias Amurato laturum arbitrabatur, tam in remotis orbis partibus præpeditum. Quapropter ſatis tutum ab omnibus partibus imperium exiſtimās, Italicam animo verſabar expeditionem. Sed longe aliter ac ipſe putabat, euênit. Nam Iſmael Sophus, peracto Scythico bello, hoſtibuſque debellatis, cum viginti ſignis collatis pugnaſſet, redacta in poteſtate regione vſque ad glacialem Oceanum progreſſus, pacata prouincia ad Armeniam maiorem redit, motus Turcici, vt ſertur, imperij propius, quos abſens intellexerat, inſpecturus. Ibidemque inuento Amuratho, deque rebus eo in, Scythia Orientali morante apud Turcas hoſtis apprime doctus, Imperatorij ſortunam filii miſertus, quem tam miſerabiliter amiſſo per dedecus patre exulem intuebatur, in auitum imperium armis reducere conſtituit, motoque ab Terua, ſeu Teuris victore milite, quem in tria diuiſerat agmina, triniſque caſtris interuallo ſedecim ſtadiorum diſpoſuerat, duceſque aſſignauerat, duobus, Amurathum & Vſtaoglum, tertia vero ſibi reliquerat, cumque his quaſi Cappadociam Turcico ſubditam imperio inuaſurus proficiſcitur. Quod cum Chendemus pręſenſiſſet, ad Selymum literis miſſis detulit, hortatuſque eſt, vt quam citiſſime traiecto Helleſponto, omiſſa Italica expeditione, ad tuendos imperij fines aduolaret, alioquin impar præſidium, & tutandis contra tot hoſtes finibus, idoneum nactum Iſmaelem, omnia ferro, ignique vaſtaturum. Quibus acceptis, ab Hadrianopoli mouit (ciuitas hæc Thraciæ eſt) & Conſtantinopolim petiit. Mox noſtro transfretato Helleſponto, antiquā Chalcedona vrbem Bithyniæ, iuſſis ſubſequi prouinciarum præfectis, quos Sangacos appellant, pariterque omnibus Europæ militibus. Quibus aliquantulum ibidem præſtolatis, per Bithyniam, Phrygiam atque Galatiam, ad Erſegen Cappadociæ oppidum, toto ſequente exercitu ſexageſimis peruenit caſtris. Inuentoq; Chendemo, neque vllo hoſtium conſpecto, vaſtitatem vicinæ regionis igne crematæ contemplatus, ratus hoſtes metu receſſiſſe, conſilium vlterius progrediendi, vltroque Iſmaelem Sophum laceſſendi bombardis fretus cœpit. Quod omnibus pene improbantibus, ſame nanque cònfectum exercitum, & tam longi itineris laboribus enectum intuebantur. Sed præ timore alijs tacentibus, alijs palam aſſentientibus, alieno quippe periculo didicerant, quantum diſcriminis eſſet imperatorio non aſſentire conſilio. Solus vero Chendemus præceps, domini conſilium damnare pariterque dehortari, ne vlterius progrederetur, auſus eſt. Vtque hoſtem in Erſegen expectaret, militemque tam longi itineris laboribus feſſum reficeret, ſuo periculo poſtpoſito perſuadere conatus eſt. Namque Chendemo videbatur hoſtes non metu, qui viribus longe ſuperiores erant, ſed dolo retro ceſſiſſe, quo Selymum in externam ductum regionem, per inſidias intercíperent. Præterea in alieno ſolo atque hoſtili, vnde cōmeatum habere poſſet, ignorabat: poſtremo Aladolum, montanæ Cappadociæ dominum, & alterum, cuius nomen adhuc non comperi, minoris Armeniæ Regem, quos in armis ſtare præceperat, non minus Turcarum Imperatorem quam Iſmaelem Eimen explorauerat, hunc Chriſtianum; ſed Græco viuentem ritu, & ſchiſmaticum, illum vero Maumethanæ perfidiæ ſectatorem, poſt terga relinquere pertimeſcebat, ne, ſi quicquam ſiniſtri forte accideret, interclusus, ad internitionem cum toto exercitú déleretur. Tum Selymus vera audire inſuetus, conſilium damnari ſuum, quod antehac nemini licúerat, ægre ferens, ira percitus, &, vt quidam aiunt, corruptum pecunia ab iſmaele vel Amuratho, Chendemum ſuadere talia exiſtimans, oblitus beneficiorum ab eo receptorum, tamquam longæ familiaritatis, qua cum homine vixerat immemor, ad ſupplicium inſontem, veraque monentem,

tem,ducere Interficique curauit. Dein paucis diebus interpoſitis, ad Aladolum & Regem minoris Armeniæ miſſis nuntijs,vt ſecum caſtra iungerent, contraq; communem hoſtem proficiſcerentur,hortatur. Quod ſi facere nollent, ſoli ſaltem tutum præſtarent iter,commeatuque iuuarent. Qui reſponderunt,iter liberum eſſe,neque quo minus tutum ſit,per eos ſtare: verum id ſe præſtare curaturos,commeatumque abunde maiorem Armeniam ingreſſo daturos. Cæterum copias neque ſecum, neque eum aliis', quæ ad defenſionem ſui ſoli parauerant, iuncturos. Quibus aliter quam exiſtimabat relatis(arbitrabatur equidem aut metu aut ſponte ſecum copias iuncturos) tamen à propoſito non deſtitit, ſed per Moſcios montes, vbi Taurum Euphrates ſcindit, Armeniam maiorem ingreditur,dextraque Aladolum, læua vero Regem Armeniæ relinquens, ſemper proximus Euphrati ita inceſſit,vt dextra parte agminis ripas tangeret, donec ad Pariadros montes & fontem fluminis peruenit, mirabaturque necubi ſibi hoſtē occurrere, quem alias potentiſſime audiuerat, & inſidias valde pertimeſcebat. Nam, neque per exploratores, neque per captiuos,quo loco eſſet,explorare poterat. Et iam ob exuſtum qua incedebat, ſolum,nec præſtitos ab Aladolo & Rege Armeniæ commeatus,deficientibus alimentis egere cœperat, propeque ſeditionem erat,cum nunciatum eſt, Iſmaelem prope eſſe, vicinumque Pariadris montibus parte alia,& Araxi fluuio caſtrameratum,adhortatis militibus, & circumactis montibus,eo contendit,vadoque Araxi tranſito, propter Choim oppidum conſtitit.Et ecce in ortu ſolis velut nubem cernere, pulueremque eleuari incipiunt, ac mox hoſtem adeſſe conſpiciunt. Quem nuſquam per tot dierum ſpacium nedum videre,ſed quibus in locis eſſet,explorare poterant. Lætus Selimus,arma militem capere iubet: Etenim ad extremam alimentorum redactus inopiam, hunc diem aut victis finem malorum,aut victoribus, & commeatus abundantiam,& Iſmaelitani ſortunas imperii præſtaturum arbitrabatur.

Quippe non legatum Iſmaelis, ſed ipſum Iſmaelem exercitumque eius putabat adeſſe, vnoque prœlio & hoſtem fugare, & imperium maioris Armeniæ duce fortuna in animum induxerat,ignarus Iſmaelē Sophum, legatū ſuum, nomine Vſtaoglum, cum quadraginta millibus cataphractorum præmiſiſſe, ipſumque trium dierum itinere cum reliquo exercitu abeſſe. Quapropter acies inſtruit, ſtatim pugnaturus,ſi pugnæ copiam hoſtis fecerit.ſed vt in conſpectum Turcorum Vſtaoglus deuenit,caſtra locat, caduceatorem præmittit, & nuntios ad Selymum,Iſmaelem ſe ſimulans,ite iubet,eumque interrogari, cur in hæc loca amicus olim tanquam hoſtis veneri t.Ille Amurathum nepotem quærere, quē apud Armenios audiuerat, reſpondit. Itaque hunc redderent,in cæteris amici præſtaturum officium,domumque reuerſurum.Quod cum in craſtinum Vſtaoglum ſe facturum pollicitus eſſet,diem illum ſine pugna tranſmiſerunt. Cras vero Sole orto, Turcus ſuos in campum deduxit, acieſque inſtruxit, in dextro cornu Bechlerbechum nomine Chaſanbaſſam,eum equitatu locauit Cuprio,in læuo vero Aſiæ Bechlerbechum Sinanbaſſam cum Aſiatico equitatu, medium agmen pedite repleuit. Ipſe cum prætorianis aliiſque ad cuſtodiā ſui corporis deputatis in ſubſidiis,quaſi vallo clypeis ingentibus inter ſe ſerreis manicis cōſertis, & in terram defixis, turribuſque circumdatus,in quibus bombardæ poſitæ erant, ſubſtiterat. omnia inde conſpectus, opemque & auxilium laborantibus præſtaturus,ſi pugna committeretur. ſicq; an mandatis Vſtaoglus pareret, expectabat, & iam in occaſu ſol erat nono Kalendas Septembris, cum ſubito ingenti motu vno agmine ex cataphractis omnibus facto, Turcis nihil minus tunc expectantibus, Vſtaoglus in dextrum cornu impetum fecit, Bechlerbechumque inter primos pugnantem obtruncat,cæteros proſternit fugatque. Difficile etenim erat, partim inermibus,partim læui armatura, & ſolis loricis tectis, contra cataphractos reſiſtere, moxque diuiſo agmine per tranſuerſos pedites altera parte læuum inuadit cornu,altera Imperatorem in ſubſidiis moranrem, cœperantq; pene omnes Turcæ retrocedere,cum Imperator inops conſilii,bombardis hoſtem ferire iuſſit.Quare non minorem in ſuo quā in alieno agmine ſtragē ædidit. quo ſa-

Prælium inter Turcos & Perſas.

ctum eſt, vt inſolito bombardarum ſtrepitu equis perterritis, renitentes Iſmaelitani equites terga verterent, amiſſo Vſtaoglo duce, ictuque bombardæ interfecto, & viginti millibus ex ſuis, quos Turcæ inſecuti, caſtris ſpoliarunt, in quibus ingentem gemmarum numerum inuenerunt, alimentorumque ſatis amplam copiam. At ipſi Sophi fuga elapſi (nam nocte impediente, eos Selimitani perſequi non audebant) ad Iſmaelem, qui trium dierum itineris interuallo aberat, cũ exercitu validiſſimo ſe contulerunt, remque ordine geſtam narrarunt. quibus intellectis Iſmael, ratus optimum vniuerſas vires in vnum congregare totiſque viribus cum eo decertare, exercitũ, cui Amurathum præfecerat, ſecum iungit, pugnaturus occaſione capta, & noctu potius ob bombardorum metum, quã interdiu. Interea Selymus rem peregiſſe, hoſtemque internitioni dediſſe exiſtimans, quamuis cruentiſſimam habuiſſet victoriam, ampliuſq; quã quinquaginta millia hominum amiſiſſet, inter quos robur militiæ decem & octo Sangacos ex Europa, cum omnibus pene eorum militibus, non tamen vrbes Armeniæ ad deditionem ſollicitare deſtitit, nec eum opinio feſellit. Nam Teuris, ſiue Terua, vrbs Armeniæ maioris, & Metropolis regni, ſtatim imperium ſuſcepit, & preſidium in vrbem intromiſit, miſſiſque ingentibus donis ad Imperatorem, vt ad vrbem accederet, rogauit, ſeu quia ita Iſmael ordinauerat, vt intercepto præſidio, Selymum imbecilliorem redderet, ſeu fauore vulgi eo ſe inclinante, quo & fortuna. His geſtis, Selymus nuncios, alterum ad filium Adrianopolim, alterum ad noſtram deſtinat rempublicam, à quo ego omnia ſuperius ſcripta præſens accepi, multaque alia quæ ſciens prætereo, alias latius ſcripturus. Iamque in tuto eſſe videbatur Turcarum Imperator, conuerteratque animum ad prouinciam ordinãdam, octoque erant elapſi dies, ex quo apud Choim pugnatum, erat oppidum & hoc Armeniæ maioris. Neque ex loco ſucceſſerat, fauſtum, atque fortunatum id ſolum in quo vicerat, arbitratus, aberatque à Teuris expedito homini itineris duorum dierum interuallo; & ecce, qui nunciarent, præſidium Teuris impoſitum, ab Iſmaelitanis deletum, ipſumque Iſmaelem ingentibus copiis recenti milite aduentare, quo nuntio perterritus, omnes ſub armis vigilare iubet, ipſe mutato tabernaculo, ad contubernia gregariorum ſe contulit, veritus, ne, ſi in ſuo pernoctaret tabernaculo, ab Iſmaelitanis aut viuus caperetur, aut pugnans interficeretur. Quippe per transfugam ſeptem millia cataphractorum coniuraſſe, vt ſe aut viuum caperent, aut interficerent, didicerat, feciſſentque, ni tabernaculo mutato præuidiſſet. Nã eadem nocte qua tabernaculum mutauerat, imperatorio habitu depoſito Selymus, Iſmael caſtra cum coniuratis reliquiſque militibus aggreditur, perque vim & militum robur cæſis qui repugnabant, tabernaculum imperatoris proſternit. Illiuſque vicarium obtruncat, vniuerſumque exercitum cedit, vixque Selymus cum paucis, relictis bombardis, quibus in tanto tumultu vſus non erat, obſcuritate noctis adiutus effugit. Qui nunc in Amaſia, oppido Cappadociæ, dicitur eſſe, vireſque reficere, donec hoſtis adueniat, iterum pugnaturus. An Iſmael victoria vti velit, incertum adhuc eſt, nullumque huius rei indicium extat, ſeu quia & ipſe cruentiſſimam victoriam habuerit, ſeu quod in nudo ſolo & ſine arboribus, difficile militi, & præſertim equiti, per hyemem iter eſſet. Alioquin potentiſſimum Regem, vt qui Armeniam, Meſopotamiam, Perſiam, Hircaniam, Albaniam, Parthiam, Bactrianos inſuper cum orientalibus Scythis, & partẽ Indiæ poſſideat, nam Luſitanos in mari Indico nonnulla eius caſtella cepiſſe, Sophis referentibus, intelleximus, & præſertim laceſſitum, incredibile eſt poſſe quieſcere. vtcunque erit, Selymus ruinam ſuam quantum poteſt, occultat, nouum militem parat. Quamuis in Europa, aut nemo, aut pauci relicti ſunt. Hæc ſunt quæ ad R. V. ſcribere volui, cætera ſcripturus, cum tempus dabitur, & forſan de ortu & genealogia Iſmaelis, belliſq; per eum factis, & odio inter Turcas, & eũ, longe aliter ac omnes ante me ſcripſere. Quæ etſi recentia forſan non erunt tamẽ quia ordine ſingula tractabuntur, Celſitudini V. placitura ſpero. Cui me plurimum commendo, & quæ felix ſemper valeat. Die ſexto Nouembris. 1514. ex Conſtantinopoli. Hactenus Pænias. Selymus, poſt victoriam, licet longe cruentiſſimam,

tiſſimam,

tiſſimam, Tautiſium, regiam Perſatum, profectus, cum eam deditione ciuium occupaſſet, ac diripuiſſet, decimo die ab vrbe, moxque ex tota maiori Armenia exercitum in Cappadociam reduxit, territus fama reuertentis Iſmaelis Sophi cum validis equitum turmis collectis ex Iberis Albaniſque, qui Gregoriani & Mengrelli hodie vocantur, atque in Cappadocia copias ad Trapezuntem & Amaſiam in hyberna diſtribuit. Hæc atrociſſima & cruentiſſima pugna depicta eſt in curia Senatus Veneti, à Selymo, vt dicitur, Venetis tranſmiſſa. Proximo anno qui fuit quintus decimus eiuſdem ſæculi, Selymus, quod Iſmaelem Sophum domeſticis ſeditionibus implicitum aduerſus Hircanos Bactrianoſque, & vlteriores Caſpij maris accolas profectum eſſe didicerat, etſi vires Perſicas vehementer cupiebat deprimere; tamen nihil prius in Armenia maiore tentandum ſibi exſtimauit, quam Aladolum Regē, à quo prius in expeditione contra Iſmaelem, multiplicibus erat iniurijs laceſſitus, tota ditione pelleret. Is, regni ſui fines terminabat cum Sultano verſus Alepum, quam Galli Halappen, Turci Adelphem, veteres Epiphaniā dixerunt, & nomen Aleph ſortita eſt inde, quod prima Syriæ ciuitas eſt. Ab altero vero latere, cū Turcis Orpha olim Edeſſa, Amaſiæ atq; Iconio oppoſita, mirabili fonte oris lepram ſanante, & tumulo Balduini fratris Godefridi Bilionei celebris: cum Iſmaele Armenia minori. Turcis itaque ductu Sinaam Baſſæ, in eius regionem per omnes locorum anguſtias penetrantibus, ea cum Aladolo capta, in Selymi poteſtatem peruenit, cui mox caput præcidi iuſſit, idque prius per Aſiam ad oſtentationem victoriæ circumgeſtatum, deinceps Senatui Veneto tranſmiſit. Filius Aladoli natu maior, ex inſequentium manibus elapſus, Aegyptum petiuit. Hoc igitur debellato, nullus ſupererat, quā Campſon Gaurius, Sultanus, de quo vindictam ſumeret. In hunc igitur, qui antea Perſarum legationibus inuitatus, cum Iſmaele fœdus amicitiamque percuſſerat, omnem belli molem conuertens, magnaque celeritate ſuperatis Tauri iugis, caſtra poſuit ad Singā amnem non procul ab Alepo, vbi Campſon ignarus perfidiæ Emyris Caierbei præfecti Alepi & Comagenæ prouinciæ, à quo ad condictū diem citabatur, promotis à Damaſco caſtris, Selymo occurrit, & extemplo acie cōgreſſus, eo euentu, pugnauit, vt Caierbeio inſigni perfidia & proditione Campſonē non modo deſerente, ſed etiam infeſtis armis perſequente, Mamaluchi fuſi ſint, & Campſon ipſe iam ſenex, armis multoque abdomine & ingentis ramicis ponderé grauis, cadente equo in puluerem excuſſus, conculcatuſque interierit. Pugnatum eſt ſept. Calend. Septembris, biennio poſt conflictū cum Iſmaele in Caldetanis campis. Mox Selymus Hierapolim, Damaſcum, Tripolim, Berithum, Sydonē, ac Ptolemaidē ſuo imperio adiecit. Hoc inſperato ſucceſſu, Syria potitus, ne quid belli ſupereſſet, perſequi reliquias Mamaluchorum conſtituit, qui Memphim ex fuga delati, cum alijs qui domi remanſerant, iam Tomonibeyum Circaſſum, præfectum, ſeu Admiralium Alexandriæ, in Campſonis locum delegerant. At Selymus poſt Gazam deditione occupatam, cum octauis caſtris ad vrbē Memphim, quæ Alcayrum eſt, acceſſit, & cum hoſte congreſſus, felici Marte dimicauit, ipſumque Tomōbeium, qui vltra Nilum reparatis copijs, extremo conatu ad Nili ripam & pontem prœlium inſtaurarat, inde reiectum, atque in paludibus, in quas deſperatione deſilierat, repertum, diuque in quæſtione de theſauris acerbiſſime tortum, ac tandem vili iumento impoſitum, perque vrbē circumductum, gula laqueo fracta, ad Baſuelam Syriæ portam vnco ferro ſupra fornicem ſuſpendit, vt tranſeuntibus ſpectaculo ludibrioq; foret, & Aegypti ſe victorem eſſe faterentur. Incidit hoc prœlium Idibus Aprilis, anno eiuſdem æui ſeptimo decimo, in eoque tota gens Mamalucorum radicitus exciſa, & horum impotenti ac ſuperbo regno, quod illi extincta in Melechſala poſteritate Saladini, annos tenuerant circiter ducentos quadraginta tres, Selymus, duob. Sultanis è medio ſublatis, finem impoſuit, ipſeq; in Aegypto ac Syria rebus conſtitutis, mox Byzantium ouans ac triūphans reuerſus eſt, bellum deinceps in Chriſtianos moturus. In eo conatu vlcere cancroſo renum correptus, toto corpore ex longe lateq; ſerpentis vlceris corroſione fœde putreſcente, morte, ſæuitia tam

Tauriſium à Selymo captum atque direptum.

Selymus inuadit Aladulum, & victum in acie interfici iubet.

Euſdem victoria aduerſus Campſonem Sultanum Aegypti.

Mamaluchi à Selymo fuſi, & poſtmodum deleti.

Selymus Syriam & Aegyptum in ſuam poteſtatem redigit.

Tomombeius ſuſpenditur à Selymo.

Mamaluci quam diu regnarint in Ægypto.

Selymi obitus.

beluina digna, meritas immanis parricidii pœnas perſoluit, anno Chriſti viceſimo ſupra milleſimum quingenteſimnm, Septembri menſe, apud Chiutlum pagum, eo ipſo in loco, quo Baiazetem patrem, Tartarorum auxiliis acie circumfuſum, antea opprimere fuerat conatus. Vixit annos quadraginta ſex, regnauit octo. Vnicum filium Solymanum, crudelem animam exhalans, commendauit Pyrrho Baſſæ Cilici, ſeuere præcipiens, vt, ſe mortuo, in Chriſtianos bella verterentur, omiſſis Perſis.

Origo Mamalucorũ.

Et quoniam proxime de Mamalucis facta eſt mentio, illorum originem hîc breuiter oſtendam. Solebant Caliſæ Aegyptij, luxui voluptatibuſque dediti, regni negotia nihil curare, ſed per quatuor Admirantes, quos Emirquibir, id eſt, magnos, vocabant, omnia agere, penes quos erat belli administratio. Saladinus quidam, vir obſcuri nominis, eam dignitatẽ adeptus, Calyfam Cayri obtruncat, & ſic vtraque dignitate potitus, Aegyptiorum militum mollitiem deteſtatus, ad Circaſſos, ſiue Gigas, qui ſunt populi Chriſtiani circa Mœotim, Græco ritu vtentes, manu promptos, & robuſtos, & bello, quod aſſidue cum Tartaris gerebant, aſſuetos, miſit. Ex his, à Tartaris captiuos quotannis emit ſelectiores adoleſcentes non paucos, quos ad arma probe inſtruxit, & in Mahumetana perfidia, Chriſtiana eiurata religione, ſedulo inſtituit. Iſtorum opera in bello vſus, anno ſupra milleſimum centeſimum, octuageſimo ſeptimo, Hieroſolyma ſubiugauit, ac Tartaris fortiſſime tota ipſius poſteritas reſtitit.

Hieroſolyma capitur à Saladino.

Hi, anno 1300. extincto iam Saladini genere, quod quidem in Aegypto centum & quinquaginta annos regnarat, cum nec ſupereſſet legitimus hæres, Reges ex ſuo genere elegẽre, hunc deinceps morem ſeruantes, vt filius patri non ſuccederet, aliquave regiæ ſtirpis ratio haberetur, ſed Regis filii non aliter atque ſerui, qui quotannis aduehebantur, in armis inſtruerentur, nec aliquis plus, quam ipſe meruiſſet, commodi honoriſve haberet.

Mamalucorum regnum.

Verum ſingulis omnia ex propria virtute eſſent petenda. Serui iſti venalitij, quaſi ſoli nobiles eſſent, nulla Aegyptios arma habere paſſi ſunt. Hi, quãuis Tartaris ſemper inuicti obſtiterint, ac militari diſciplina longe fuerint ſuperiores, tamen à Selymo, vti diximus, poſtremo victi ac deleti ſunt. Hæc autem vox Mamaluch, lingua Syriaca, miniſtrum aut ſtipendiarium ſignificat. Sulranus vero ex ipſotum numero eligebatur, vt equites Hieroſolymitani ſuum magiſtrum creant, ac ſæpius quidem vnum ex numero Emyrorum vel Admiraliorum, & tam Sultanus ipſe, quam Mamaluchi fuerunt quædam ſpecies, vt ita dixerim, Religioſorum, & in veſtimento amictorium ex lino candido atque pellucido geſtabant. Qui eligebatur Sultanus pro felici introitu cuique Mamaluchorum centum ducatos dono dabat. Ab his, in tota fere Aegypto baptiſmus fuit vſurpatus, qui, nullo veræ pietatis ſtudio & amore ſalutis æternæ, ſed vt ſuccedere in dignitatibus & officiis parentum liberi poſſent, eos baptizari à Chriſtianis ſacerdotibus curabant: (lege enim conſtitutum fuit, ne præter Mamaluchos, qui fide Chriſtiana primum imbuti, deinde eam abieciſſent, quiſquam ad honores & præfecturas admitteretur) nec vllo modo adduci poterant, vt in ſuum ſodalitium reciperent Turcas, Mauros, vel Iudæos, ſed magna ipſotum pars Liueris conſtabat: ſic enim Turcæ appellãt Hiberos, & Circaſſos, vocantes eos Cereaz, qui erant Colchi, Georgi, Albani, & alii Chriſtiani Iacobitæ & Neſtoriani, cõmorantes ad fluuium Faſum, qui veteribus fuit Phaſis, quos Tartari capiebant, & turmatim abducebant, vendentes eos Emyris, id eſt, Admiralijs, emptos educantibus, atque Mamaluchos efficientibus; erantque omnes viri ſtrenui, & in armis plurimum exercitati, præſertim in re equeſtri, legis Mahometanæ cultores Et quoniam Perſæ, iamdudum, & præſertim hac noſtra tempeſtate, amicitiam & fœdus retinent cum Georgiis, ſeu Georgianis, hæc breuiter de his populis ſubijciam, hos nimirum, & Syros, veterem Iberiam & Albaniam incolere, quos ad Boream Caucaſus; ad Occaſum Colchi, (Mengrellios hodie nominant, Trapezuntinis finibus propinquos) ab ortu, mare Caſpiũ: à Meridie Armeni ambiunt. vocantur Chriſtiani Iacobitæ, à Iacobo Syro nomen ducentes, qui circa annũ Chriſti 550. ſingulari acumine ingenij, & eloquentia excellenti, vna cum Iohanne Philopono, pro Eutychis & Monothelarum doctrina

Georgiani.

Iacobitæ.

doctrina de vnica poſt vnionem in Chriſto natura, exque duabus, non in duabus naturis ſubſiſtente, acerrime propugnauit, eiuſque dogma non modo apud ipſos Syros & Georgianos, verum etiam in Aegypto, & contiguis Aegypto ampliſſimis Aethiopiæ regnis, longe lateque propagatum eſt. Hi, infantes primum circumciſos baptizant, & cum ſcriptum ſit, Chriſtum Spiritu ſancto & igni baptizaturum eſſe, candenti ferro ſignum Crucis, frontibus, aut genis baptizatorum inurunt. Porro in octodecim Epiſcopatus diſtributi, Græcum Patriarcham colunt quidem, ſed ab ipſo non dependent, vt qui in multis ſe à Græcis diſſentire dicant; qui tamen diſſimilitudo in varietate rituum conſiſtit, qui ipſis ſunt, quemadmodum & Græcis, caput & principale religionis. Cæterum, ne longius à propoſita hiſtoriæ ſerie digrediar, hic obiter inſeram, quæ doctiſſimus & facundiſſimus hiſtoricus Paulus Iouius de hoc Selymo & Iſmaele poſteris ac memoriæ commendauit, dum vtriuſque facta elegantiſſima comparatione, inquit:

Ambo, ſicuti inclyto genere, ætate integra, immenſo indomiti corporis, ac ingenti animi vigore, opibus, & pari denique imperii fortuna perſimiles, parem claritatis, & gloriæ famam obtinent; ita moribus, inſtitutis, ac diſciplina militiæ multum inter ſe differunt. Primum omnium (vt præclare conſtat) ſupra mutuum vtriuſque gentis odium ab auis patribuſque per manus traditum, inſana perſuaſione deducti, inter ſe de ſactorum placitis altercantur, cum hic Homatem, ille Halim, præcipuos Mahometis interpretes, diuerſa ſuperſtitione diſſidentes, altero ſanctiorem exiſtiment, ac imagine pietatis iuſtam belli cauſſam prætexant. Quanquam non obſcure diſſimulata cupiditate, ad id vnum, ſed diuerſo itinere contendant, vt confirmatis auctiſque opibus, tot regnorum termini quam latiſſime proferantur. Quod ex profeſſo Iſmael ad Darij atque Xerxis, qui ſubacta Aſia, in Europam ingenti auſu traiecerint, & Selymus ad Alexandri Macedonis qui regna Perſarum euerterit, magnitudinem & gloriam aſpirent. Nec inanibus omnino votis, cum honeſto tuendæ religionis nomine, fortuna, pari libidine, ingenio eorum ambitioſo, audaci, immoderatoque intemperanter arrideat: ſed in Iſmaele mira pietas vſque adeo refulget, vt vitia, ſi qua ſint, regij faſtus, eius fulgore perſtringantur. In Selymo autem omne virtutis decus inhumana crudelitas elidat & obſcuret. Hic enim pœna, & præmio vim imperij tuetur: ſed aliquanto grauiore ſeueritatis quam beneficentiæ fama, quod ab exacta diſciplina in ſeruos, quibus multo maxima Othomānicæ militiæ pars conſtat, lege agere vel truculenter expediat: ſecus ac vſu euenit Iſmaeli, ex prima vtique nobilitatis claſſe, libetiſque hominibus militiæ robora conſcribenti, apud quos temperatæ iuſtitiæ, humanæ comitatis, & popularis indulgentiæ ſtudium maxime valet, vt fides, amor, & parendi obſequium parentur: quod nemo honeſtis ortus parentibus exiſtat, qui non multo grauius flagitij dedecus, quam ſupplicij pœnam reformidet. Vt minime mirum eſſe videatur, ſi his, tanquam generoſis artibus, Iſmael auguſti nominis maieſtatem egregie glorioſeque defendat. Ad hunc quoque maximarum virtutum concurſum, pulcherrimo naturæ munere decora facies accedit, magnanimo digna rege. ore namque roſeo, radiantibus oculis, flaua barba, & quod antiquum apud Perſas regiæ ſtirpis inſigne eſt, adunco naſo, illuſtrique facundia omnium oculos atque animos capit: At in Selymo, triſte ſupercilium, prægrandes toruique oculi, & Scythico pallore ſuffuſa facies, rigenteſque ſetæ à ſuperiore labro ad ceruicem retortæ, & nigricans ad mentum ſubtonſa barba, ita vim militarem, & inexorabilis naturæ ſpiritum exprimunt, ſpectanteſque perterrent, vt nihil omnino niſi ſæuum & immane prorſus oſtendant. Nec diuerſos vultus, ideoque diſſimiles animorum habitus, niſi diſpar rerum prope omnium diſciplina conſequitur. Nā Iſmael aditu pariter & alloquio benignus & facilis, nihil ſere quod regiam perſonam reſpiciat, niſi palam agit. In propatulo ſiquidem magna procerum frequentia liberaliter epulatur, & varia venatione, falconumque volatu & prȩda magnopere gaudet, cum procerib. ſemper, legatiſq; externorum Regum communicata voluptate. In ſtadio etiam, & in

Iſmaelis ac Selymi comparatio.

palæſtra cum primoribus aulæ, vti eſt equitandi, & ſagittandi peritiſſimus, honeſta atque vtili contentione corpus exercet, adeo populariter, vt in piſcina inauratis ſepta porticibus, palam natare minime diſpudeat. Vxores autem, quas ex Satraparum Regulorumque ordine virgines cum decores formæ, tum præſtanti morum fama illuſtres, in coniugalem thorum recipit: ſi facundæ ſint, neque faſtidit, neque repudiat, vetere Perſarum inſtituto, qui coniuges amare tenerius, impenſius colere, in regia prætorioque familiarius habere, & tanquam vtriuſque fortunæ conſortes, cum liberis atque nutricibus, & pretioſiore gaza vel ad longinqua euntes bella, ſecum ducere conſueuerunt, graui quidem impedimento ſumptuque, quod magnis ac ornatiſſimis camelorum gregibus vehantur, niſi præſentia chariſſimaque pignora bellatores patres ad virtutē accenderent. Contraria ratione Selymus, in arcano cuncta vitæ munera diſpenſat, puerorumque imberbium & eunuchorum miniſterio contentus, ſine conuiua diſcumbit, ac vno fere ſimpliciſſimo cibo, naturæ deſiderium implet. Raro, niſi ſacrorum cauſa die Veneris, qui Turcis eſt feſtus, in publicum prodit: ſed adeo prætorianorum turba circumſeptus, vt ægre, vel ipſe ſolus eques inter haſtatos criſtatoſque milites, & ſuperbe ſubmouentes ſpectantium turbam, ex facie dignoſcatur. Nec temere equo vectus in ſuburbanis prædiis ſpatiatur, cum per freti anguſtias ad Aſiæ propinqua littora bireme aduehi malit, &c. Deinde paulo inferius hæc ſubiungit: Otium porro, ſi quod impenſe vigilanti & ſemper intento ex grauiſſimarum rerum conſiliis supereſt, accito in hortos aliquo purpuratorum, aut familiarium, deambulando ita traducit, vt cum longe ſeuereque puerorum colludentium palæſtram ſpectet, de ſeriis multa ſciſcitetur atque deliberet; ſecretiores vero mollioreſque horas balneo, euoluendiſque maiorum ſuorum & externorum Regum annalibus impartiatur. Cæterum Iſmael, vti ab ineunte ætate ſacris imbutus literis, diſciplinarum prope omnium ſtudia præalto ingenio ad contemplationem rerum diuinarum ita referebat, vt vetere Magorum & Brachmanorum arcano dogmate, ſeipſo, qui ambitioſum Sophi cognomen ſuſceperat, admirabilior euaderet, cum iam pridem cæleſtis ſapientiæ & diuinationis opinione apud gentem religionibus atque miraculis capi facilem, incredibiles victorias, & tantum denique imperium ſibi nouo prope homini peperiſſet.

Turcica ac Perſica militia diſcrimen.

Diuerſiſſima porro, & vt mihi videtur, plane iniqua, Perſæ conditione bella gerunt. Nam ij, ſicuti equitatu mirifico maxime pollent, ita nullum omnino certum ex conſcripto inueteratoque pedite robur inſtituunt: qua parte virium Turcæ ætate noſtra memorabiles ſæpe victorias conſecuti, nec vſquam victi, grauiſſima bella confecerunt. Magno quoque incommodo Perſis euenit, quod nec ſcloperis vtantur, nec tormentorum currulium copia abundent, quorum terribili præſidio cuncta peruincuntur, luctuoſo quidem exemplo Vſumcaſſani, & Iſmaelis, vel egregie victor equitatus; & nuper in Calderanis campis, & patrum noſtrorum memoria ad Harſengam & Euphratem, inſolitum eorum equis reboarum cruentamque procellam ſuſtinere nequiuerit. Neque enim vlla in parte Perſa cataphractus, cum inermi prope Turca videtur comparandus. Nam ſquamoſi thoraces, loricæ ferreæ, bucculatæ caſſides, & cono inſignes galeæ, clypeique auratis vmbonibus rotundi, Perſas vndique protegunt: Turcam vero ex Europa penitus inermem, vix dimidium quadrata & inflexa pelta operit, cum Aſiatici clypeis molli arundine in ſpiras & diſcolore ſerico contextis vtantur. Perſa quoque brachium & dextram operoſo ferro munitus, fraxinea ancipiti lancea rem gerit, qua ad medium comprehenſa more Numidarum ab alto ſæpe ictus repetens, viros & equos inermes facile perfodit: cum Turcæ Græcorum conſuetudine ad preſſas lateri inclinataſque ad equi aures haſtas, vti ſunt fragili abiete leues, ad primum impetum collatis equis diffringant, & ad gladium incuruū ſtatim clauamque ferream, reliquis armis impares, redire cogantur. Neque enim Perſarum generoſis & robuſtioribus equis inſidentiū congreſſum ferre poſſunt: quoniam eorum equi frontalibus ferreis & tegumentis recocto è corio Italicarum bardarum ſimilitudine veſtiantur, quæ confertis laminis, aut infarcto bombycis &

hycis & goſſypij tomento ita muniunt, vt quamlibet telorum contumeliā perferant. Qua de cauſa nemo niſi temere ſagittarios equites aut pedites Turcas cum Perſis contulerit. Hi ſiquidē latis & multo neruorū nexu validis arcubus inſtructi, craſſiores Scythicarum inſtar, ideoq; læthales ſagittas emittunt. Qua rerum omnium collata ratione, Sophianus exercitus, tanquā Regi ſuo ab excelſæ diuinæque mentis opinione, & religioſo quodā ſacramenti iure, nuſquā reformidata morte, deditus deuotuſque, Turcis vel numero inferior, ab eximia virtute inſuperabilis videri poſſet, niſi dira hac indignaque fortibus viris vi tormentorum, aut inuſitata multitudine copiarum obruatur. Hæc Iouius Hiſt. lib. 14. vbi plæraque alia refert in hanc ferme ſententiam. Cæterum, hac tempeſtate, ipſi Perſæ, ſicut inferius patebit, in bello & maioribus & minoribus tormentis vtuntur, eaque in re longe peritiſſimi habentur. Sed Iouij temporibus hæc ars atque peritia, deteſtabilis plane atque in perniciem humani generis excogitata, hoc noſtro tamen ſeculo apprime neceſſaria, nondum ad eos peruenerat.

Varia potentiſſimorum Principum legationes miſſæ ad Iſmaelem.

Porro quanta fuerit Iſmaelitici nominis per vniuerſum terrarum orbem celebritas & amplitudo, cum ex ipſius rebus geſtis, à nobis hactenus commemoratis, tum etiam ex tam multis potentiſſimorum Regum ex vario clymate legationibus ad eum tranſmiſſis, quarū Ioannes Aloyſius ciuis Venetus, in ſuo tractatu, patrio idiomate cōſcripto, meminit, perfacile cognoſci ac intelligi poteſt. Hic enim ſcribit, in vrbe Cyropoli, hodie Scyras vocata, vbi tunc Iſmael cum maiori parte ſui equitatus degebat, ſpatio trium menſium, quo illic ſubſtitit, ad eum veniſſe quamplurimos Regum Indiæ Oratores, quibus negotium datum ſit, vt illum nomine ſuorum Principum ſalutarent, ſeque omnia quæ ad eius dignitatem pertinerent, facturos oſtenderent, ac præterea nonnullis opulentis & pretioſis muneribus eum donarent. Per idem quoque tempus, Regem Arabiæ Felicis ſuos legatos deſtinaſſe, qui primo Adenam, vrbem à vetuſtate populique frequentia, & diuitijs ſummopere commendatam, cum pretioſiſſimis gemmis & vnionibus appulerint, quarum quidem pretium ter decies centenis millibus nummûm aureorum æſtimabatur, poſtque honorificæ ſalutationis officium, & dona exhibita, perijſſe, vt ipſi opem ac ſuppetias ferret aduerſus Regem Luſitaniæ, contra quem atrociſſimum bellum gerebat. Horum vero poſtulatis Perſam neque aſſenſum, neque prorſus abnuiſſe, cum præſertim non multo ante, inter ipſum & præfatum Regem, mutuum fœdus ac ſocietas interceſſiſſet. Hos tamen, ſicuti & reliquos omnes, ab eo ſummis & exquiſitis honoribus acceptos, nec etiam illiberaliter dimiſſos. Præter iſtas legationes, ait etiam adfuiſſe oratores inſulæ Samotaræ, quæ alio nomine Tabrotana vocatur, eoſque ditiſſimas gemmas, & pretioſiſſimos lapillos, præſertim ex his, quos vulgo Rubinos appellant, ſecum detuliſſe, quorum tanta fuerit copia, quanta vnius iumenti humeris circumuehi poſſet, quæ omnia, inſtar magni theſauri iure merito æſtimata, à Rege Samotara, cum quo erat affinitate coniunctus, ei muneris loco mittebantur, additis tamen precibus, vt à Luſitanici Regis amicitia & ſocietate, à quo plurimis & grauiſſimis damnis afficeretur, recederet, tametſi Rex ipſe ab ijſdem inſularibus non exigua detrimenta viciſſim acciperet. Horum petitioni Iſmaelem reſpondiſſe, ſe omnem moturum lapidem, vt mutua inter ipſos amicitia coiret, ea tamen lege & conditione, vt Taprobanus ſingulis annis Luſitano certā ſummam carbunculorum, earumque gemmarum quas ſupra nominauimus, veluti ſuus beneficiarius, inſtar annui tributi, dono daret. Narrat etiam, dum ibi moram traheret, fuiſſe captum quendam Turcicum exploratorem, profectum ex India maiori, & miſſum à ſuo Principe, vt quendam præpotentem Regem, cuius ditio ad Gangis fluminis ripas ſita eſt, ad bellum contra Iſmaelem extimularet, ſimulque pollicebatur, ſuum Imperatorem cum valido & numeroſo exercitu Perſiam inuaſurum eſſe, cui ſtatim laqueo gula perfracta fuerit, atq; addit, illū fuiſſe Brixienſem, & Chriſtianis ſacris addictū, adeo vt priuſquā obiret, ſua errata in aurē cuiuſdā ſacerdotis Armenij depromeret, & animo pœnitēti, rectaq; diuini Numinis inuocatione ex hac vita deceſſerit. Adhæc, quendam Byzantiū ſpe-

culatorem, exque regio famulitio, ſuiſſe comprehenſum, qui Solymanum ſubinde omnibus de rebus quæ in Perſide gerebantur, ſummo ſtudio ac diligentia certiorem faciebat, & propter huiuſmodi perfidiam, viuum in plures partes fuiſſe diſcerptum & laceratum. Iiſdem ferme diebus, aduenisse in regiam oratorem Dauidis Regis Aethiopiæ, dominũ Indiæ maioris, & Chriſtianis ſacris initiatum, quem noſtri Presbyterum Iohannem, indigenæ precioſum Iohannem appellant, qui Perſam, ſui Principis nomine adhortatus fuerit, vt Solymannum aperto Marte adoriretur, Syriamque infeſtis armis peteret. Ipſum enim, ſi hoc faceret, propediem adſuturum cum ducentis millibus hominum armatorum, iamque conueniſſe cum Luſitano, qui ei ad quinque ac triginta triremes, & quædam alia nauigia omni bellico apparatu inſtructa, ſe miſſurum ſpoponderit, nec dubitare, quin breui tota Aegyptus à Solymano deficeret. In aula, tunc etiam adſuiſſe legarum Regis Tartarorum, qui ſuas prouincias habet in mari Caſpio, eamque legationem obijſſe quendam Turcicum, qui paulo ante à Solymano deſciuerat, & hanc illius ſummam ſuiſſe, ſuũ videlicet dominum expetere amicitiam Iſmaelis, & quam maxime optare, vt cum ipſo fœdus percuteret in perniciem ac exitiũ Ottomanicæ familiæ, ac etiam pollicitum, quod ipſemet deſcenderet in Armeniam maiorem cum viginti millibus lectiſſimorum equirum, & minorẽ Aſiam inuaderet. Circa hæc tempora, illic etiam adfuiſſe oratores profectos ex inſulis Molucchis, ſitis vltra circulum Capricorni, in linea æquinoctiali, quæ ſane regio plurimis aromatibus atque vnionibus abundat, hoſque apud Regem ſummopere conqueſtos de Luſitanis, à quibus, innumeris cladibus afficerentur, ſuaque ditio ab eis horribiliter deuaſtaretur, & proinde ſuppliciter petijſſe, vt Rex ſuam auctoritatem interponeret, quo tandem, reconciliatis animis, tranquillius degerent, ipſoque viciſſim, Prouincialium nomine, omnem obſeruantiam & gratitudinem obtuliſſe. Horum poſtulata, & iuſtiſſimas querelas Regem benignis auribus auſcultaſſe, ac etiam promiſiſſe, ſe daturum operam, vt ſui voti compotes fierent. Ipſos autem oratores ſecum attuliſſe lapillos & margaritas immenſi pretij, quas Perſæ dono darent. Præterea non multo ſpatio interiecto, ad eundem Iſmaelem appuliſſe legatum cuiuſdam potentiſſimi Regis Indiæ, cuius ſedes præcipua eſt in vrbe Tacan, quæ his in locis fertur eſſe ampliſſima, & ſui Principis nomine ipſi ad decem millia equitum, & peditum ad ducenta millia contra Ottomannos, obtuliſſe, atque addit præfatus auctor, ipſum habere ditionẽ longe ampliſſimã, & nonnullas vrbes eo circuitu & magnitudine, cuius eſt vrbs Venetiarum, & præter cæteras, Pologandã, & Marupantã, ſuamque originẽ ac genus trahere à ſtemmate atque proſapia Regis Pori ab Alexandro Macedone deuicti, de quo mentionem facit Curtius circa finem lib. 8. & plærique alij ſcriptores. Solymanum quoque Turcarum Imperatorẽ, qui Selymo in principatu ſucceſſerat, eodem anno miſiſſe ad Iſmaelẽ ſplendidiſſimã legationem, cuius præcipui fuerint decem milites prętoriani, quos Turcico ſermone Ianizaros vocant, egregio comitatu ſtipati, qui nomine ſui Imperatoris ducentos equos longe pulcherrimos, Attaliciſque tegumentis exornatos, ac etiã nonnullas gemmas immẽſi valoris ac pretij præfato Iſmaeli dono exhibuerunt, eiſque fuiſſe aſſignatum hoſpitium in maiori prætorio, Regijsque ſumptibus atque impenſis donec ibi ſubſtiterint, exceptos; nec vnquam percipi potuiſſe, quænam tantæ legationis cauſa extiterit, licet fama obtineret, Solymanum ei obtuliſſe vniuerſam eam regionem, quę iacet iuxta Euphratem, vt ea quiete ac pacifice potiretur, modo ipſi bellum aduerſus Chriſtianos gerenti, nullum negotium faceſſeret, prorſusque ab armis contra ſe abſtineret. Poſtremo & Carolum V. Cæſarem, ad eundem tres oratores, prudentes ac præſtantes viros, ablegaſſe, qui per tria diuerſa itinera illuc peruenerint, & priorem quidem, Luſitanicis nauibus aduectum, deſcenſionem feciſſe in ſinu Perſico: Alterum tranſiuiſſe per Cayrum & Lamecham, vrbem Arabiæ deſertæ, ac penetraſſe ad extremum Aethiopiæ promontorium, vulgo Bonæ ſpei appellatum; necnon per multos dies equitaſſe per mediam Aethiopiam, quæ eſt ſub ditione Presbyteri Iohannis, & veniſſe ad mare Rubrum, indeque ad

pottum

portum Chidem; atque ibi conſcenſa naui, transfretaſſe in Arabiam Felicem, & appuliſſe Adenam, atque illinc tandem in Perſiam profectum eſſe. Tertium vero, iter feciſſe per Germaniam, & veniſſe in Poloniam, in qua cum forte ipſemet Aloyſius qui hæc retulit, adeſſet, ex Perſia reuerſus, eo quidem animo, vt ſe domum, ceu poſtliminio referret, hortatu & auctoritate Regis Sarmatiæ, denuo eandem profectionem ſuſcepiſſe, vt ſe illi in itinere comitem ac ducem præberet, atque illinc veniſſe in Scythiam inferiorem, & tranſiuiſſe per mare Caſpium, ne attingerent mare Turcicum, indeque perrexiſſe Darbentum, vrbem ſitam ſuper mari Hircano, in qua ſunt portæ ferreæ, & iuxta illam Caſpij montes, in quibus nonnulli opinantur commorari magnum numerum Hebræorum: ſed habita ſuper hoc diligenti inquiſitione, ait ſe comperiſſe, hæc eſſe tantum figmenta & meras nugas; atq; addit, vltra hos montes, præter Scythiam, in qua dominatur Magnus Cham, eſſe regnum Catai & Zagatai, atque in his, præclaras & inſignes vrbes, & inter reliquas, Marchaut, Macinum, aliaſque mira fœcunditate, multoque auro ac gemmis ſcatentes, & præfata regna Orientem verſus alui flumine Indo, quem conſtat longe celeberrimum eſſe. Cæſareæ legationis cauſam, hanc præcipuam fuiſſe tradit, vt ſcilicet, ipſi oratores Iſmaelem ad bellum contra Turcam gerendum incitarent, cum ipſemet Cæſar vna cum reliquis potentatibus Chriſtiani orbis, exceptis Venetis, qui iam antea cum Solymano pacis fœdera & conditiones renouarant, aduerſus eundem hoſtem cum valido exercitu expeditionem pararet, ac etiam promittebant, fore, vt etiam ipſi Veneti, cum reliquis Chriſtianis Principibus ſuas vires coniungerent, vt communem hoſtem communibus armis depellerent ac debellarent. Legatum vero qui per ſinum Perſicum adnauigaret, ſecum adduxiſſe ad mille & quingentos Hiſpanos, armis perbelle inſtructos, & plæraque militaria tormenta eius generis, quæ Falcones vulgo appellant, omneſque geſtaſſe inſignia imperialia, præter vnum, cui erat inſigne Diui Marci, captum, vti ferebatur, ab Hiſpanis, in eo prœlio, quod geſtum eſt anno Salutis D.M.IX. quo Veneti, ferme omnes vrbes atque oppida quæ habuerant in Gallia Ciſalpina, breuiſſimo tempore amiſerant, licet haud multo poſt, Dijs propitioribus vſi, recuperarent. Ex his tam multis maximorum ac potentiſſimorum Principum legationibus, facile apparet, quanta fuerit huius inuictiſſimi Regis maieſtas & amplitudo, quantaque nominis celebritate illius fama & virtus per omnes mundi regiones atque prouincias inclaruerit. Credibile autem eſt, ipſum, aliquam inſignem expeditionem tunc habuiſſe præ manibus: ſed immaturo fato abreptum, quod mente atque animo conceperat, exequi ac perficere nequiuiſſe. Quippe fama eſt, ipſum, iam fere quatuor & quadraginta natum annos, contracto ex aſperrima venatione fatali morbo, ſupremum diem obijſſe, quatuor relictis liberis, ex vna legitimaque vxore ſuſceptis, de quibus, ac Perſici regni ſucceſſore, in hoc penultimo libro fuſe & luculenter diſſeretur. Fuit Iſmael iuſti æquique obſeruantiſſimus, & natura quam maxime benefica & liberali, omnibusque corporis atque animi dotibus inſignitus. A nonnullis memoriæ proditum eſt, ipſum quandoque bibiſſe vinum, licet clanculum ac ſecreto, nec etiam à ſuillæ carnis eſu abſtinuiſſe, quod vtrumque lege Mahometica prohibetur. Sunt etiam qui retulerint, propter odium in Ottomannicam familiam, in eius aula ſuem educatum ac probe ſaginatum fuiſſe, vtque aulici, Turcorum Regi illuderent, illi per ſcommata atque ludibrium, ipſius Baiazetis nomen impoſitum fuiſſe. Proprium eius nomen fuit Scach Iſmael, id eſt, Rex Iſmael. Sophy autem cognomentum ſortitus eſt à Sopho, cuius antea mentionem habuimus, cum idem prorſus dogma profiteretur atque defenderet. Hunc vero plærique arbitrantur, ideo ſic appellatum fuiſſe, quod iuſſerit, ſuos ſectatores, humilitatis gratia nihil aliud in capite pretioſius geſtare, quam quod ex lana conficitur. Et quoniam Arabico idiomate lana appellatur ſophy, idcirco ipſum hoc nomine vocatum. Sed prior ſententia veritati propinquior eſt. Quod vero attinet ad particulã Scach, quæ proprijs Regũ Perſarũ nominibus præponitur, hæc ſane (vt dictũ eſt)

Iſmaelis obitus & natura.

Scach quid ſignificet.

Perſæ quomodo à Turcis vocentur.

lingua Perſica ſignificat Regem. Sic Turcici Imperatores nomen Sultani ab imperando vſurpant, cui forſitan illud Gallicum, Syre, comparari poſſet. Turci, vt hoc etiam obiter dicatur, Perſas vocant Pharſic, vel Quezelbach, id eſt, capita rubra. Nonnulli etiam eoſdem appellant Etnazarios, quod pileum in duodecim partes diſtinctum geſtare conſueuerint. Quandoquidem Etnazarij vox, apud Arabes, prout illam plærique interprerantur, duodecim ſonat. Præfatum pileum, quod eſt rubri coloris, ſuo idiomate Kuſelbas nuncupant, quod quidem nihil aliud ſonat ac exprimit, quam ſi quis diceret Caput rubrum. Hactenus de Iſmaele, ac eius rebus geſtis. Nunc reliquum eſt, vt de ipſius liberis, & inprimis de Tammaſo eius primogenito, à quo Perſarum imperium diu adminiſtratum eſt, nec non de eiuſdem natura & moribus, quanrum ex ſedula & diligenti inueſtigatione à me intelligi potuit, enarretur. Quam explicationem, cum plæriſq; alijs rebus, ad ipſius Regis aulam, & politicam gubernationem atque militiam ſpectantibus, proximus liber continebit.

FINIS LIBRI DECIMI.

HISTO-

HISTORIAE RERVM PERSICARVM

Liber Vndecimus.

Tammaſius ſuccedit Iſmaeli.

DEFVNCTO Iſmaeli, Schac Tammaſus, ipſius filius, natu maximus, paterni imperij hæres atque ſucceſſor deſignatus eſt, ea quidem inprimis conditione, vt reliquis fratribus regnorum præfecturas impartiretur. Hi vero fuēre Helcas, Becramus, & Sotmiza, qui eas, vti ex teſtamento patris aſcribebatur, inter ſe æquabili portione ſortiti, non multo poſt eius obitū, in ſuas prouincias conceſſerūt. Aſſyria, vrbsq; ipſa Bagadat, quæ olim Babylon fuit, Helcaſi vna cum Meſopotamia ceſſit: Becramo Media, Hiberis & Albanis, Caſpioq; mari contermina: Somirzæ Parthia obuēnit, vicina Hircanis, qui Coraxeni hodie ſunt, & ad Zagataios pertinent, hiq; fuēre antiquitus Arij, Aracoſij, & Marſiani. Qui ſunt Sogdianæ, Bactrianæq; regionū populi: At ipſe Tāmaſus, Armenia, Perſide, atq; prouinciis Oceano proximis contentus fuit. Circa hæc tempora Solymanus, vnicus Selymi filius, natus ex Boſpharani Regis, Tartarica ſtirpe oriundi, filia, quem pater abhuc imberbis adoleſcens, ſuſcepit, nemine obſiſtente æmulo, tot regnorū hæreditatē adierat, eodē fere anno, & menſe, quo Carolus V. Cæſar natus anno milleſimo & quingenteſimo, die feſto S. Matthiæ, Imperij diademate Aquiſgrani coronatus eſt, quod quidē incidit in annū ætatis ſuæ duodetrigeſimū, & Chriſtianæ ſalutis, viceſimum ſupra milleſimū quingenteſimum. Porro huius prima expeditio fuit in Syria ductu Faratis purpurati aduerſus Gazellē, qui ab eo defecerat, & collatis ſignis, præclara victoria potitus eſt. Inſequēti anno, qui fuit primus ac viceſimus, ſuorum maiorum diſciplinam ſecutus, poſtquam Syriam ac Aegyptum, interfecto Gazelle, Syriæ præfecto, virtute Faratis, pacatas didicit, Peribachæ ſui moderatoris conſilio, & Prætorianorum militum hortatu in Pannoniam arma conuertit, adortuſque Belgradum, quod ad confluentes Sauum atque Danubium ſitum, egregium erat atque firmiſſimum totius Pannoniæ munimentum, expugnauit, multaſque arces & caſtella in Vngaria diruit. His rebus feliciter geſtis, proximo anno Rhodum inſulam cum quadringentis nauibus adijt, & cum maxima hominum multitudine ſub Iunij menſis finem obſedit. Rhodij milites, quibus tum præerat Philippus Vilerius Liladamus, conſerentes cum eo fortiter manus, poſt multas clades aduerſarijs illatas, tandem ad extrema redacti, cum hoſte certis conditionibus trāſegerunt, adeo vt Solymanus, ſexto menſe ab eo, quo ipſam inſulam oppugnare cœperat, occuparit, eamque ipſis Chriſti natalibus ingreſſus eſt, nec mediocrem, ob fidem ſeruatam, & ſingularem moderationem atque clementiam, qua poſt victoriam vſus eſt, laudis ac fortitudinis gloriam retuliſſe perhibetur.

Solymanus Selymo in imperium ſuccedit.

Eiuſdē prima expeditio.

Gazellis interitus.

Belgradum à Turcis expugnatum.

Rhodus deditione capta.

Per idem ferme tempus, mortuo Cayerbeio Aegypti Præſide, Solymanus Achomatem purpuratum in eius locum ſubſtituerat, qui ſtatim ab initio manifeſta defectionis ſigna edidit, cumque laudis cupiditate incenſus, nouas res contra ſuum Principem moliri, & Sultanico regno inhiare incepiſſet, breui poſt, à Turcis captus atque interfectus fuit. His de cauſis commotus Solymanus, Habraymum purpuratum, cuius fidei ac virtuti plurimum tribuebat, Alcayrum ad res turbatas componendas, miſit, quæ omnia ſingulari prudentia & ingenij dexteritate, qua mirum in modum pollebat, ſubito pacauit. Mox, ſui Principis, qui eum diutius abeſſe, ſufferre non poterat, amantiſſimis literis reuocatus, Byzantium redijt, ac non ita multo poſt, Bellei beia dignitate donatus eſt. Interim Solymanus, proſperis fortunæ ſucceſſib᷑ elatus, miraque proferendi imperij cupidine flagrans, denuo aduerſus Chriſtianos, quos ingenti odio proſequebatur, omnem belli molē conuertere ſtatuit. Proinde anno eiuſdem æui ſexto ac viceſimo, cum trecentis hominū armatorū millibus Ludouicū II. Regem Hun-

Achomates Baſſa propter affectatam tyrannidē interficitur.

Habraymus Baſſa.

Solymanus Vngariam inuadit.

gariæ, primum & vicesimum annum agentem, bello aggreſſus eſt; & collatis ſignis, cum eo, viribus & militum numero longe inferiori, quippe qui duntaxat ad viginti millia bellatorum in caſtris haberet, conflixit; eo pugnæ ac certaminis euentu, vt Rex ipſe in acie victus, & proſtratis vndiq; copijs, nudatus eo quod ſperarat, paraueratque præſidio, ſeſe ex prœlio eripiens, in proxima palude, reflectente ſe equo, ita vt erat armatus, ſeſquipalmis aquæ luculento in gurgite ſuffocatus interierit, quo in loco plures etiam alij interierunt. Multi inſignes viri eo prœlio deſiderati, ex quibus Stephanus Slieo maximum ſui deſiderium reliquit. Buda regia vrbs direpta, & nobiliſſima bibliotheca Matthiæ inclyti regis incenſa, indeque Solymanus ad victoriæ ſuæ monumentum tres æneas ſtatuas ingentes, auferri, & Byzantij in Hippodromo collocari iuſſit. Cæterum anno ſupra milleſimum, quingenteſimum vndetrigeſimo, Solymanus nihil ab inſtituto conſilio repetendæ Pannoniæ recedens, adulto vere, & læto iam gramine virētibus campis, maximo cum exercitu aqua terriſque inſtructiſſimo, & incredibili omnium rerum, quas belli vſus exigit, apparatu è Conſtantinopoli redije in Vngariam, & Budam, omni fere præſidio deſtitutam, occupauit; breuique poſt, arce, Germanis præſidiarijs, qui erant fere ſeptingenti, ſaluis rebus & vita incolumi deditionem facientibus, potitus eſt. Inde exercitum ad Viennam Auſtriæ adducere properauit, eamque ſecunda & vicesima die Septembris, nona hora ante meridiem aliquot millibus equitū, quoad reliqua immenſi exercitus moles conflueret, obequitari tētariq; iuſſit. Et vicesima ſexta eiuſdē menſis & aqua & terra immanibus Turcarum agminibus ea ciuitas vndique circumſeſſa & oppugnata fuit, eo tandem ſucceſſu, vt Viennenſibus & præſidiarijs militibus, quorum erant ſexdecim millia, vrbem fortiter ac ſtrenue defendentibus, Turcarum rex 14. Octobris, poſt multam ſuorum cladem, & plurima detrimenta noſtris illata, obſidionem ſoluerit. In exercitu Ottomannico ferunt ad centum & quadraginta millia virorum extitiſſe: ex quibus, circiter octuaginta millia cum in oppugnatione Viennæ, tum in diſceſſu, fugæ haud diſſimili, frigore atque inedia, & quamplurimi etiam ferro perierunt. Sub id quoque tempus, Rodericus Portundus Hiſpanicæ claſſis præfectus, Barchinonem reuerti iuſſus, ſummum fœdæ calamitatis infortunium ſubijt. Commiſſo namque nauali prœlio cum Turcis prædonibus, claſſe exutus eſt, atque interfectus, tam ſua exitiabili, quam Reipub. damnoſa temeritate. Quomodo autem res geſta ſit, Paulus Iouius Hiſt. lib. 27. diſerte & luculenter explicauit. At ſecundo & trigeſimo anno ſupra milleſimum quingenteſimū, Solymanus, nouam expeditionem ſuſcepit in Vngariam, vt Viennam expugnaret, à cuius mœnibus paulo ante fortiter repulſus, cum ignominia diſceſſiſſet, vel, ſi Germani duce Carolo Cæſare contra prodirent in aciem, de totius fere terrarum orbis imperio decertaret: ipſum enim ſe vnum eſſe, ad quem Romanum imperium legitimo iure pertinere, dicere ſolitum ferebant. Quoniam Magni Conſtantini, qui vniuerſi orbis Auguſtus Imperator extitiſſet, ſedem & ſceptrum, atq; vrbes eius imperij teneret, vti eius proauus Mahometes, expugnata Conſtantinopoli, & Conſtantino, ſupremo Græcorum Imperatore, ſuperato, atque occiſo, hæc omnia iure belli capta, Ottomannicis regnis adiecisset. Propterea cum de Carolo ſermones inciderent, aut literæ ſcriberentur, eum non Cæſarem, ſed Hiſpaniæ Regem, ſuperba diſſimulatione vocare conſueuerat. Huius belli Solymanus aliam etiam cauſam prætexebat, nimirum, vt Ioannis Vayuodæ amici ſui ac beneficiarij illatas iniurias vlciſceretur. Proinde cum ſexcentis millibus hominum armatorum ex Thracia in Pannoniam profectus, primo, ne quid à tergo poſt ſe relinqueret, Gunzam oppidulum, cui præerat Nicolaus Iurizius, vir multa rei bellicæ gloria illuſtris, arctiſſima obſidione cinxit, & oppugnauit, atque illud tandem, multis ſuorum deſideratis, non vi, ſed deditione traditum, eidem Nicolao, cuius egregiam virturem', & animi conſtantiam ſummopere admiratus eſt, dono dedit. Cæterum hæc ſecunda Solymani in Vngariam expeditio, haud meliorem euentum, quam prior, ſortita eſt. Cum enim pro certo comperiſſet, Carolum Cæſarem, & Ferdinandum Regem, cum deſcriptorum peditū non aginta, & equi-

Ludouici regis Vngariæ interitus.

Buda capitur à Solymano.

Solymanus iterū inuadit Hungariā, & Budam, eiuſq; arcem occupat.

Vienna Auſtriæ obſidetur, anno 1529.

Solymanus re infecta domum redit.

Roderici Portundi clades.

Solymanus iterū inuadit Pannoniam.

Idem Romanum Imperium ſibi vendicat.

Gunza à Turcis deditione capta, Nicolao Iurizio traditur.

Exercitus Cæſaris & Ferdinandi aduerſus Turcas.

&equitum triginta millibus, præter alios multos ad eam militiam ſponte profectos, præter equitum quoque ac peditum miniſtros, quorum erant non contemnendæ vires, & bellandi peritia haud ſane vulgari, in Germaniam aduenetare, ipſe poſt aliquot excurſiones factas, & nonnullos leuiores conflictus non abſque ſuorum clade habitos, conclamaris vaſis, per Noricorum montana iter faciens, multa præda onuſtus, domum redijt. Fugientem tyrannum lues ingens ſecuta, vltra centum & quinquaginta hominum millia ex ipſius exercitu, ſicuti fama eſt, è medio ſuſtulit.

Solymannus infectis rebus domum fugiens ſimili, peneratitur.

Huius ſacræ militiæ ſumma demandata fuit Friderico Palatino, cuius inclyta virtus & magnanimitas paſſim ab omnibus celebratur.

Fridericus Palatinus.

Eadem ætate, Solymanns ad ſeptuaginta trirernes omni bellico apparatu inſtructas, ſub præfectura atque imperio Himeralis eduxit, contra quem Andreas Auria cum triginta quinque onerarijs, & qnadraginta octo roſtratis nauibus ex liguſtico ſinu in Siciliam ſoluit, vt illinc hoſtem inuaderet.

Nauali apparatus Solym. contra Cæſarem. Andreas Auria.

Quid vero vtrinque poſtea ſubſecutum ſit, ex P. Iouij hiſt. lib. 32. pleniſſime intelligetur, ſicuti etiam quæ proximo anno egerit in Africa per Hariadenum, cognomento Barbaruſſam, ſuæ claſſis præfectum, contrà Tunetanum Regem, quem etiam ſua ditione ptiuauit, licet paulo poſt, armis Caroli V. in regnum teſtitutus fuerit: adhæc, vt Ludouicum Grittum Andreæ clariſſimi Venetorum Principis filium, in Pannoniam è Byzantio cum ampliſſimis mandatis ad Ioannem Pannoniæ Regem, vt Budæ conſideret, Hungatoſque proceres in fide retineret, ablegatus, & mox Tranſyluanorum conſpiratione interfectus: vt denique per idem tempus, anno ſcilicet eiuſdem æui quarto ac triceſimo, duo ingentia terra marique bella mouerit, impotenti quadam ambitione totius orbis imperium ſibi pollicens, ſi Perſas, & Afros ſub iugum miſiſſet, ex eiuſdem auctoris hiſt. lib. 33. perſpicue innoteſcit. Cæterum, omiſſo bello Africano, aliquid mihi bteuiter in præſentia de Perſico dicendum. Supta enatratum eſt, Iſmaele viuis ſubtracto, eius filium natu maiorem, nomine Tammaſum, patri in imperio ſucceſſiſſe: & reliquos fratres ampliſſimis præfecturis ex patris voluntate cohoneſtatos. Porro Tammaſus Ottomanotum genus vehementer exoſum habens, bellum animo meditabatur in Solymannm, vlturus iniuriam, quam à Selymo pater ipſius accepiſſet.

Bellum inter Solym. & Tammaſum Regem Perſarum.

Perſico etiam imperio ſubiectæ gentes, quæ hodie vno nomine Agiamij vocantur, vſque adeo turgentibus dolore animis eius Selymianæ irruptionis detrimenta ſuſtinebant, vt aduerſæ eius pugnæ memoriam renouato bello, rediuiuaque virtute abolendam eſſe decernerent, quod antiquum Perſatum decus, illuſtre ſemper antea, vno eo accepto incommodo, obtritum planeque obſcuratum arbitrarentur.

Agiamij dicuntur omnes Perſis ſubiecti.

Is animorum habitus apud Perſas viros militares, facile iuuenem Regem, & per ſe tunc paternos gerentem ſpiritus, magnopere excitabant, vt Solymanum ſibi hoſtem deſtinatet, optatetque nobiliſſimum bellum, quo ipſius virtus, vindicatis paternis iniurijs, eniteſcere poſſet: ſed Tammaſum, nonum iam regnantem annum, nulla alia exercuetant arma, quam Hircanorum, Zagatarumque gentium: nam penes hos, ex profeſſo diuerſæ factionis, & vti inter finitimos bellicoſoſque facile accidit, apud quos, armorum cauſæ nunquam deſunt, ſemina ſimultatum relicta ab Iſmaele, adhuc vigebant, vel hoc vno cognomento, quod hæ gentes Cacepas à viridi capitum integumento vocarentur, ſicuti Perſæ ab initio ciuilis diſcordiæ, propter nouæ ſuperſtitionis cauſam, Guſebalſæ, ſiue, vt alij, Cuſelbaſſæ, hoc eſt, rubra capita, vti iam diximus, appellari conſueſſent. Verum ex his bellis, ex multa fatigatione virium vtrinque enatæ induciæ finem attulerant, ſic vt pacis compos Tammaſus, regnorum ſuorū tranquillitate frueretur, nec tamē à finibus vſquam Perſæ, Gordique præſertim populi, lattocinijs abſtinerent, & aliquando inſolentius prouecti, ſuperato Euphrate, è Meſopotamia in Comagenem irrumperent, vti antea Sultanorū temporibus audete conſueuiſſet.

Induciæ inter Turcas & Perſas.

At Solymanni præſides qui erant in Syria, ſibi inferri iniurias fruſtra queſti, cum & ipſi, tanquā violatis ab hoſte inducijs, arma expedirent, tranſuectiq; nonnunquā Euphratē circa Byrthā, incurſiones in Meſopotamiā repentinas facerēt, ſenſim præludētes graui inchoando bello initia præbebāt. Quibus rebus nunciatis, Solyma-

nus vehementer excitabatur, viriumque ſuarum conſcius, & paternæ felicitatis memor, excelſo elatoque animo Perſicum bellum agitabat, dolens nihilominus haud mediocriter, à Chriſtianorum infeſtatione hac ſe occaſione diſtineri. Eum itaque pari ſtudio diuerſiſſima bella meditantem, Habraymus, qui incompatabili adeoque ſumma pollebat gratia inter purpuratos principes, frequentibus alloquijs, licet in ſuum exitium, ſicuti poſtea euentus declarauit, impellebat, vt in Orientem arma conuerteret, & bello Germanico Perſicum præferret. Quocirca euocato vndique milite in Perſas, Vlamane, qui à Tammaſo profugus, ad Solymanum ſe contulerat, itineris duce vſus, in Armeniã contendit. Vbi ad Caim eiuſdem Armeniæ vrbem, peruenit, ſumma cepit admiratio Turcas omnes, quod nullus eis Perſarum exercitus longo itinere occurriſſet. Verum Tammaſi conſilium erat, relictis vrbibus, montes petere, donec Hiberi & Albani leuis armaturæ, qui Perſas cataphractos antecedere conſueſſent, ſuperuenirent. Ea re per exploratores cognita, Solymanus caſtra mouit, rectaque ad eum perrexit. In eo itinere, Tauriſium ampliſſimam vrbem, abſque vllo maleficio ingreſſus, moxque egreſſus, Sultaniam petijt, haud procul inde diſtantem, quæ olim Perſarum regia fuit, ſed à Tamerlano Tartaro deuaſtata, adhuc vetuſta dignitatis ſuæ templorum ornamenta retinet. Ad eam vrbem aliquandiu hærente Solymano, ex vicinis altiſſimis montibus, quos niues perpetuæ obſident, tam ſæua erupit tempeſtas, paulo ante æquinoctium æſtiuum, vt ex iſtis montium iugis præalta nix in campos, vbi Solymanus Tammaſum ſuſtinebat, ventis propellentibus decideret: & ea immanis procella Turcarum tabernacula diſiecit, iumenta, & inprimis camelos, grandi numero peremit, miliresque permultos extinxit, nec Solymanus ipſe multum à periculo abfuit. Auxerunt eam cladem noctis tenebræ, ac timor hoſtis propinqui, licet is longe diſtaret. Poſtera luce Sol vtique præclarus, ſalutaribus radijs mulros prope rigentes atque attonitos refouit: & quod ad reliquam vitæ ſecuritatem opportune pertinebat, campos hoſte vacuos detexit. Solymanus, nonnihil recreato exercitu, in Aſſyriam proficiſcitur hortante Vlamane transfuga, nulloque negotio Babylonia potitur. In ea vrbe Calyphæ factorum principis ſedes eſt, quem Mahumetani Reges obſeruant, isque ex veteri inſtituto & adoptat, & confirmat Aſſyriæ Reges, ita vt etiam Solymanus ab eo inſignia atque ornamenta eius regni accipere voluerit. Vrbs illa, ſi veteris ſtructuræ ambitus expendatur, longe omnium ampliſſima eſt, libuitque Solymano in ea hyemare: ſed iam multa illic vaſtitas conſpicitur, horti innumeri ædificijs coniuncti, agri quoque aratris proſciſſi, ferarumque captiuarũ & incluſarum nemora. Exceptus eſt Solymanus ab Aſſyrijs & Meſopotamiæ populis mira propenſione, & per vrbes illarum regionum exercitus in hybernis collocatus. Appetente vere, hortatu Abraymi & Vlamani, in Tammaſum arma inſtaurat, egregiam quandoque, vti ſperabat, ex Perſis victoriam relaturus. Itaque Taurifium reuertitur, Tammaſo inde ad eius inopinatum aduentum in Coraxenos iterum abeunte: vrbemque ampliſſimam, licet iuſſa facere paratis incolis, dira barbarie militi diripiendam obijcit, & ipſe quoque Vſumcaſſani atque Iſmaelis ornamenta exregio palatio, quod antea Selymus properanter deformarat, tolli iuſſit, adeo vt nec pictutis quidem, & auratis laquearibus parceretur, & integras quaſdam familias telæ ſericæ opificijs celebres, abducendas imperaret, magnumque ſeruorum numerum, & delectæ iuuentutis, ætatis & formæ, omnisque ſexus, diſceſſurus cõprehendi, & Byzantium perduci fineret. Ea præda onuſtus, cum iam aduentantis Tammaſi fama increbreſceret, redit in Meſopotamiam: nec eo in itinere abfuiſſet à periculo exercitus, niſi falcorum & ſclopetorum ictibus Perſæ abſterriti fuiſſent. Verum enimuero iam Tammaſus Taurifium redierat, hoſtemq; perſequi ſtatuit: ſed cataphracti Perſæ leuiſſimos Turcas equites inſequi non poterant. Interim Delimenthes Satrapa fortiſſimus, petit à Tãmaſo certum expeditorum equitum numerũ, & cum ijs per nota itinerũ compendia Turcos inſequitur, eosque iam nihil aduerſi formidantes, iuxta Bithelim vrbem, Tauro ſuppoſitã, intempeſta nocte vt itique inuadit, perturbat, opprimit, adeo vt Baſſæ ipſi vix omnino

Solymani expeditio contra Perſas.

Tammaſius abit in montium receſſus, donec ſuas copias adaugeat.

Sæua tempeſtas diuexat Turcas, & magna clade afficit.

Solymanus potitur Babylonia & Aſſyria, anno ſalutis 1534.

Noua Solymani expeditio in Perſas.

Taurifiũ diripitur.

Ingens Turcorum clades, duce Delimenthe

mnino euaſerint. Vix vnquam Turci maiotem cladem vel in pugna cruentiſſima feruntur accepiſſe, ablatis præſertim tormentis, atque tabernaculis, cunctiſque vaſis caſtrenſibus & impedimentis, atque inſuper pluſquam dimidia equorum parte deſiderata. Incidit ea clades Turcis ad tertium Idus Octobris, qui dies ingenti Perſarum omnium lætitia in poſterum celebratus eſt. Hæc vero, tãquam è naufragio euadentibus præfectis, Solymano, qui Catamyde ſubſtiterat, renunciata, vſque adeo eius animum perculit, vt omnem renouandi contra Perſas belli cogitationem abijceret, cum præſertim hoc acerbiſſimum vulnus, ſibi à matre, priuſquam hanc expeditionem ſuſciperet, prædictum, nequaquam virtute hoſtium, ſed dolis, veluti ſuperis eorum inſidijs non obſcure fauentibus, inflictum accepiſſet; interim profunde ac diſſimulanter inexpiabili odio in Habraymum concepto, qui ei huius infelicis expeditionis auctor atq; ſuaſor fuiſſet. Vbi Conſtantinopolim reuerſus eſt, ſperati triumphi publicæq; lætitiæ apparatum omnẽ reiecit, & mox, multorum procerum conſpiratione, quibus iam immodica eius potentia mirum in modum inuiſa erat, (quippe inſita mortalibus natura, recentem aliorum felicitatem ægris oculis intueri) atrox inuidia conflata eſt; ac etiam apud ipſum Imperatorem, gratia eius omnis conuulſa, matre, atque coniuge Solymani huius odij auctoribus, quæ ferre non poterant, ad ſerui vnius arbitrium tantum Principem huc atque illuc impelli. Nam certum eſt, nulli fere vnquam tantum apud Principem tributum fuiſſe, quantum ipſi Habraymo: ſed ea gratia in ſummum odium repente commutata eſt. Plurimum vero ipſius exiſtimationem eleuauit, quod minime obſcuris inditijs compertum eſſet, eum, Chriſtianorum rebus fauere, & propterea Solymanum à Carolo Cæſare & Ferdinando Rege, itemque Venetis infeſtandis, ad Perſas reuocaſſe. Erat enim Solymanus acerbiſſimo in Venetos animo, tum quoque Carolum Cæſarem vehementer oderat; quod didiciſſet, eum per legatos cũ Perſis egiſſe, ſuſpicareturq;, eum Tamaſo tormenta per Luſitanos è finitima India ſuppeditare. Itaque Habraymus ingrati & perfidioſi erga Solymanum animi conuictus, cum circiter Idus Martias in regiam fuiſſet admiſſus, grauiſſimis verborum flagellis cæſus eſt, ac ſeueriſſime à Solymano obiurgatus, nec vllis lachrymis ad eius pedes proſtratus, ſæuum eius animum flectere potuit. Nocte inde proxima, dormitans in cubiculo, cultro adunco, quem Solymanus carnifici de manu tradiderat, iugulatus eſt. Porro albeſcente cælo ſupellex, & pecunia eius omnis in fiſcum relata, nihilque fere præter dotem miſerrimæ coniugi relictum. Hunc vitę potentięque ſuæ exitum tulit Habraymus, quo nemo eorum vnquam antea, qui maximorum Regum gratia potentes euaſerint, ad exemplum illudentis Fortunæ ante obitum fortunatior atque felicior fuit. Solymanus interim, ex Perſide reuerſus, bellum intulit Luſitanis, propterea quod in bello Perſico aduerſus Tammaſum infeliciter ſuſcepto, didicerat, Luſitanos quoſdam ſclopetarios, & tormentorum magiſtros, qui maiora tormenta & fundere, & perite dirigere Perſas docerent, Regi Perſarum militaſſe, idque Solymani animum vehementer in Luſitanos exacuit. Cæterum, haud multo poſt, omnem belli molem in Italiam conuertit, & cum ingentibus copijs terra marique inſtructis, ipſeq; è Thracia profectus, ac emenſus totius Macedoniæ latitudinem, ad Scardos montes peruexit, & per eorum valles ad mare deſcendit. Tum vero Italiam, quam habebat in conſpectu, extemplo petendam ratus, vt ſi cœpta proſpere prouenirent, ipſe etiam totis copijs traijceret, Luſtibeium, & Barbaruſſam transfretare, ac explorare Salentinorum voluntates iuſſit. At Solymani conatibus, feliciſſimis Andreæ Auriæ armis repreſſis, mox in Venetos, à quibus ſe deſpectum, & vana antiquæ pacis ſpecie deceptum diſſerebat, ita vt eos proculdubio cum Cæſare ab occulta ſocietate conſenſiſſe iudicaret, bellum decreuit, & ab Aulone caſtra mouens, Corcyram oppugnare conſtituit, Barbaruſſa cum omni tormentorum apparatu è continente in inſulã tranſgredi iuſſo. Verum enimuero cum propter egregiam & ſtrenuam oppidanorum propugnationem, & quoniam locus ipſe & natura & opere munitiſſimus eſſet, animaduerteret, ſe in hoc bello parũ proficere, illius pertęſus, ſoluit obſidio-

Habraymus excidit gratia Solymani.

Habraymus iugulatur.

Solymanus mouet arma in Luſitanos, & deinde in Italos.

Idem Venetos bello adoritur.

Corcyra à Turcis fruſtra oppugnatur.

Pax inter Turcos & Venetos, cū maximo ipſorū Venetorum incommodo.

Chriſtianorum clades in Pannonia.

Nouum bellum inter Turcos & Perſas.

Baiazetes filius Solymani fugit ad Perſas.

nem,& Byzantium reuerſus eſt, non ſine pudore irriti conatus, quod vtrobique, & in Salentinis,& Corcyræ, fortuna, vel iuſta, vt ipſe quidē arbitrabatur, vel immodica eius vota feſelliſſet. At Veneti anno eiuſdem ſeculi vndequadrageſimo, cum Turcis pacem renouarunt, traditis illis trecentis millibus coronatorum, & Neapoli ac Maluaſia oppidis in finibus Macedoniæ. Quo tempore à Turcis Corcyra obſidebatur, Auſtrianus exercitus, qui erat in Pannonia, ad Ezechium caſtellum ſitum in Poſſega, fœda in fuga cæſus atque deletus. Anno etiam eiuſdem æui primo & quadrageſimo, Auſtriani magnam cladem ad Budam paſſi ſunt, & breui poſt; Strigonium & Alba regalis in Turcorum poteſtatem deuenit. Cæterum anno eiuſdem ſeculi quadrageſimo octauo, exortum eſt nouum bellum inter Turcos & Perſas, cuius hæc præcipua cauſa & origo extitit. Paulo ante, inter duos Solymani filios, nempe Selymum & Baiazetem, regnandi cauſa, ingens bellum enatum fuerat, in quo tandem, victoria penes Selymum inclinante, Baiazetes cum aliqua parte exercitus, & multo bellico apparatu ad Regem Perſarum profugit, à quo benigne ac liberaliter exceptus fuit. Hunc Solymanus per varias legationes à Tammaſo repetijt. Verum is, cum ipſius poſtulatis perpetuo abnueret, Solymanus vehementiſſime indignatus, hanc iniuriam bello atque armis vindicare ſtatuit. Proinde collectis ingentibus copijs, quæ plus ducētis millibus hominum conſtitiſſe dicuntur, hoſtiliter in eum arma cōuertit, & in Armeniam iter cepit. Vbi primum ad fines Perſarum deuentum eſt, incredibili immanitate obuia quæque ferro atque igni populatur, nulli neque ſexui, nec ætati parcens; eoq; magis ipſius animus ad omnem ſæuitiā & crudelitatem accendebatur, quo magis intelligebat, filium ſuum Baiazetem profugum, non ſolum à Tammaſo aduerſus paternam voluntatem protegi atque defendi, verū etiam illi ſummum imperium copiarum aduerſus patrem, armaque ad vindictam atque vltionem conceſſa. Tammaſus, quanuis haberet in armis centum millia hominum & amplius, tamen quia Solymanus cum tantis viribus è Syria in Meſopotamiam prædabundus penetrauerat, veritus, ſe non poſſe reſiſtere tantis copijs, legationes miſit ad Luſitanum Regem, qui maiori parti Indiæ imperat, vbi multæ ſunt munitiones eum Hiſpanicis præſidijs, & rogauit, ne ſe, tantis bellorum motibus implicatum, negligeret: ſed quam citiſſime opem ferret aduerſus communem hoſtem. Præſtare, auxilium ferre laborantibus nunc Perſarum rebus, quam expectare, vt cum acceſſione virium Perſicarum ipſe poſtea à Solymano inuadatur. His, alijsque compluribus rationibus commotus Luſitanus Rex, decē Hiſpanorum millia cum viginti bellicis tormentis ſubſidio miſit Perſæ, qui, vbi ad caſtra Perſarum poſita in ripa fluminis Euphratis peruenerunt, caſtrametati ſunt à fronte exercitus Turcarum. Cœptum eſt ſtatim pugnare leuibus prœlijs, in quibus tanta Hiſpanorum virtus enituit, vt Perſæ, qui prius videbantur magnopere conſternati, & metu perculſi, non parum animi reſumpſerint. Huius autem belli is tandem exitus fuit, vt Perſis vna cum auxiliaribus copijs acerrime dimicantibus, & Baiazete in aciem paternam ſummo impetu ac virtute, ſemel atque iterum impreſſionem faciente, Turci terga vertere coacti fuerint; & licet Solymanus, viſa ſuorum fuga, eos nunc adhortationibus, nunc minis, nunc ampliſſimis promiſſis ad prœlium reuocare conatus ſit, nunquam tamen aſſequi potuit, vt qui ex eo certamine incolumes euaſerant, priſtinę virtutis memores, ac ſui Imperatoris præſentia & adhortationibus commoti, ad ſigna redire voluerint, & potius cum laude obire, quam turpi fuga ſeipſos fœdare atque polluere. Ceciderūt ex Ottomannicis copijs in ea pugna centum & triginta fere millia hominum: complures fuerunt vulnerati: ſeptem purpurati, inter quos, & purpuratus Meſiæ, cæſi ſunt, atque vel Solymanus ipſe vulnus accepit. Sed neque eam cladē tantum Solymanus paſſus eſt quā ab hoſtibus accepit, cum multi quoque perierint in itinere redeuntes, propter famē, & omnium rerū neceſſariarū penuriā, quia per ſolitudines & deuaſtatas à ſe regiones iter faciebant, ita ſane, vt equos edere pro cibatijs, & ſanguinē equinū bibere coacti fuerint. Hæc clades prædicta & diuinitus ſignificata fuerat Turcis, antequā diſcederent Byzantio, quippe cū crinita ſtella di-

Turci Luſitanorū ope funduntur à Perſis, & maxima clade afficiuntur.

Inſignis Perſarum victoria.

la dieatur viſa fuiſſe, penes quam erant duo iacula lignea. Luna quoq; ſanguinolenta, & facie cruote obducta, per longum ſpatium apparuit, quæ omnia prodigia inſignem calamitatem Ottomannicæ familiæ portendebãt. Sic Solymanus, omnibus prope copijs amiſſis, redijt Byzantium. Huic bello ipſemet Tammaſus cum ſuprema poteſtate atque imperio præfuit, omniaque magnanimi ducis ac fortiſſimi bellatoris munia & partes peregit, adeo profecto, vt ex nulla alia expeditione maiorem laudis gloriam retuliſſe dieatur.

Cometes, at cætera prodigia Turcorum cladem præceſſerunt.

Proximo anno, qui fuit eiuſdẽ ſeculi quadrageſimus nonus, tametſi, quoad tempus attinet, complures ſcriptores variant, quorum nonnulli poſt quartum annum à fuga Baiazeris hoc eueniſſe, in literas retulerunt, Muſtapha ipſius Solymani primogenitus, virq; ſummis dotibus ornatus, ad Perſas itidem confugit. Cum enim propenſior in ſecundæ vxoris liberos, è quibus alterum, Muſtaphæ primogenito, hortatu vxoris Roſſæ prælaturus videbatur, hoc Muſtapha ægerrime tulit, & Perſarum auxiliaribus copijs innixus, patri duodecim præclaras ciuitates, & agros, frugum omnium abundantia lętiſſimos; ademit: quę calamitas ſic Solymani animũ commouit, vt mox, reparato exercitu, & cum quingentis hominũ armatorum millibus Perſas adortus, illos in turpẽ ac præcipitem fugam conijceret. Verũ ipſis longe lateq; omnia incendentibus, è Solymani exercitu, rerũ inopia preſſo, ad centũ millia periêre, coactuſq; eſt Solymanus re infecta illinc diſcedere.

Muſtapha Solymani primogenitus fugit ad Perſas.

Solymani victoria & clades, in Perſia.

Proximo anno, rurſus contra Tãmaſum cum ingẽti exercitu profectus, ſignis infelicibus pugnauit, quamplurimis ex ſuis amiſſis in Perſia, & Tartatis ſocia arma iungere volentibus, maiori ex parte cæſis in minori Armenia. Vt vero acceptam ignominiã deleret ac vindicaret, nouos exercitus conſcripſit, & primum ſuos milites ſtipendiorum amplificatione inuitauit, deinde ſociorum animos per legatos cõfirmauit. Sed copiarum longe inſtructiſſimarum, breui poſt, haud mediocrem numerum, inedia, & peſte amiſit, eodemq; morbo Conſtantinopoli, quam priuſquam illinc diſcederet, centum triremium præſidio communierat, per idem tempus, ad ſeptnaginta hominum millia è medio ſublata eſſe dicuntur.

Conſtantinopolis peſte deuaſtatur.

Paucis poſt menſibus, quorundam purpuratorum interceſſione factum eſt, vt Muſtapha patri reconciliatus, ſeſe in ſuis Satrapijs ac præfecturis contineret, iamque ſibi de paterno in ſe animo cuncta amanter pollicebatur, ita ſane, vt poſt aliquod ſpatium temporis interiectum, anno videlicet, eiuſdem æui tertio & quinquageſimo, à patre accerſitus, accepta fide, in caſtra, quæ tunc ab Alepia Syriæ circiter quadraginta millia paſſuum diſtabant, præcipuis quibuſque dehortantibus, ſumma celeritate conuolarit, & candido habitu indutus, atque inermis, ad exoſculandam paternam manum, contenderet, ibique mox iuſſu patris in primo tentorij thalamo, ſeu cubiculo interiore, à ſeptem mutis & eunuchis, quibus ea cædes demandata fuerat, neruo Turcici arcus collo iniecto ſuffocatus eſt, atque ita Princeps clariſſimus, omnibusque regijs virtutibus ornatus, per fraudem & inſidias extinctus eſt, & cum ipſo, Amaſiæ præfectus, & Nicolaus Michael Venetus, patricij ordinis, qui in nauali prœlio captus ad Nicopolim in ſinu Ambracio, Muſtaphæ puer donatus fuerat, & propter inſignem fortitudinem ingenijque dexteritatẽ, fraterna prope charitate cum illo educatus, ſic profecto, vt etiam ab eo prætorium vexillum obtinuerit. Nam vtrique, ceu conſiliorum omnium participi, ſtatim ab interempto filio, in publico theatro caput præcidi iuſſit.

Muſtapha redit in gratiam cum patre.

Idem à patre interficitur.

At Perſæ, ipſius Muſtaphę interitum tam iniquo animo tulêre, vt hac ſęua atque horribili crudelitate audita, protinus correptis armis, Amaſiam ferro & igni deuaſtarent, omniaque incendijs, rapinis ac cædibus immiſcerent. Hæc quidem retuli ex quorundam ſententia. Sunt vero qui hanc hiſtoriam longe ſecus enarrauerint, & Muſtapham duntaxat inſidijs falſiſque delationibus Roſſæ, & Roſtani ſupremi purpurati, à Solymano qui vtrinſque verbis fide adhibita, in maximam ſuſpitionem venerat, filium per domeſtica & externa auxilia tyrannidem affectare, innocenter atque indicta cauſa interfectnm. Nam inter cætera, ipſi Solymano perſuaſerant, Muſtapham egiſſe de nuptijs cum Rege Perſarum, & ipſius filiã in matrimoniũ ducere ſtatuiſſe. De huius autem fuga in Perſiã, & quod poſtea cũ patre

in gratiam redierit,nihil plane in literas retulerunt.De morte vero, idem omnes fatentur Cæterum in his me arbitrum atque iudicem non conſtituam. Licet vnicuique ſuo arbitratu quam velit ſententiam rueri atque amplecti. Ipſe autem Muſtapha,ad patrem profectus,tanto exercitus clamore, tantaque gratulatione exceptus fuit, vt mortalium antea nemo, idque Solymano ad eius mortem accelerandam,haud exiguo incitamento extitit. Defuncti cadauer eodem momento coram exercitu proijci:tum præconem altiſſima voce promulgari iuſſit, vnum in cœlo Deum, in terris vnum Solymanum Imperatorem eſſe oportere: totus exercitus terrore attonitus obmutuit.Iunior natu biduo poſt,veneno ſublatus eſt,quod de fratris interitu ingemuiſſet: tertius metu patris ad Regem Perſarum confugerat,& ſtatim per legatos reuocatus, cum ad patrem rediret, mox ſecuri percuſſus eſt.

Heleas Tamaſi frater, deficit ad Solymanum.

Poſt exigui temporis intercapedinem, Perſia plurimis domeſticis ſeditionibus ac inteſtinis diſcordijs atrociſſime iactata eſt, adeo vt Perſarũ Rex haud mediocre incõmodum atq; periculũ ſubiret,cum ab eo Helcas germanus frater, ad Solymanum transfugeret,à quo benigne atq; honorifice exceptus, haud multo poſt,eius ope atq; armis iuſtũ exercitum comparauit, eoq, Perſarũ fines populabundus inuaſit,ac fratri plæraq; oppida & vrbes,inter quas fuit Vanũ, Perſiæ munitiſſimũ propugnaculũ,Taurisio ſex dierum itinere diſtans,ademit, donec tandem in quodã conflictu habito non longe à Balzera Perſici ſinus emporio, infeliciter pugnans,captus fuit, & poſtquã aliquandiu in arce vulgo Kahkaha detentus eſſet,fratris iuſſu iugulatus,perfidiæ,aut ſtulti conſilij pœnas perſoluit. A nõnullis memoriæ traditũ eſt,ipſum in hac expeditione ſocium atq; collegã habuiſſe quendã Solymani purpuratũ,qui aut inuidia cõmotus, aut Tãmaſi largitione corruptus ad Solymanũ ſcripſerit, quod præfatus Heleas ſua conſilia clam cum Perſis cõmunicaret,& quod maximopere vereretur,ne proditionẽ aliquam tentaret. Deinde miſiſſe alias literas, quibus ſignificabat, illas huiuſmodi forma & argumento ad fratrem ſuum datas fuiſſe, ac propterea ſine dubio omnem ſuſpicionẽ & inimicitiã inter eos ſublatã eſſe; adeo vt tandẽ Solymanus eius verbis plenam fidem adhibens,illum ad ſuum fratrẽ abduci iuberet, qui, vt primum in Regis conſpectum peruenit,ſtatim in arcem ſupradictam coniectus fuerit, atque ibi aliquandiu in arctiſſima cuſtodia detentus, & poſtremo iuſſu fratris interfectus.

Cauſa defectionis.

Cauſa vero,quæ ipſum Helcamum impulerit,vt fraterni vinculi oblitus,à Tammaſo deficeret,hæc præcipua & potiſſima fuiſſe narratur: quod videlicet,cum ipſe militari ac excelſo animo præditus, Burcanum Siruani Regem in bello cepiſſet,omnemque eius regionem longe ampliſſimam, quippe quæ ad ripas vſque maris protenditur,Perſico imperio adieciſſet,ipſe nullam prorſus victori gratiam referret, nullumque vel minimum grati ac memoris animi teſtimonium,ob rem tam ſtrenue ac feliciter geſtam, exhibuiſſet. Circa idem ferme tempus,quo Helcas ab eo deſciuerat, veritus, ne etiam alter ipſius frater,nomine Becramus,quem alij Sammiriſium, ſiue Elſimitram vocarunt, conſimili exemplo à ſe rebellaret, ſimulque indigenas ad ſeditionem concitaret, apprehendi,& mox,nihil tale promeritum,trucidari iuſſit. Tertius vero, cui nomen fuit Sormiza, vti diximus, quem alij Bairamum Miriſium vocant, paucis ante menſibus,naturę conceſſerat,relicto filio impubere,qui regnabat in India. Hunc Tammaſus,miſſa legatione, amantiſſimis verbis ad ſe accerſiuit, eique ſuam filiam in matrimonium promiſit:ſed illius regionis proceres, veriti,ne pari feritate in eum deſæuiret,obſtitêre,quo minus Casbinum, vbi tunc Rex aulam habebat,proficiſceretur.

Luſitani Sclopetarij proficiſcuntur in Perſiam, inuitati ſtipendiis ab eo Rege.

Perſa interim,quo ſeipſum,ac regni ſui fines cõmodius protegeret,nõnullos Luſitanos ſclopetarios ab Indico Oceano,ampliſſimis ſtipẽdijs propoſitis,in auxiliũ accerſiuit.Dum hæc in Perſia geruntur,Solymanus, præter maritimas expeditiones,à ſuis nauarchis vario tempore ſuſceptas, & Chiũ inſulã Ottomannico imperio adiectã, duas inſigniores præ manibus habuit, nimirum Melitenſem,quæ incidit in annũ poſt mille quingentos ſexageſimum quintum, in eaque Muſtapha,& Pial, vterque purpuratus, præfuêre, quorum quidem al-

ter fuit terreſtrium copiarum ductor;alter vero, rei naualis præfectus: & Pannonicam,quæ proximo anno ſubſecuta eſt,in qua ipſemet cum ſuprema poteſtate atque imperio præfuit.Harum expeditionum fama vt primum in Perſidem allata eſt,filius Regis Perſarum,in haud mediocrem ſpem deuenit,fieri poſſe,vt inter hos bellorum motus,Babyloniam recuperaret: cumque eſſet iuuenis excelſi animi,& auitæ virtutis æmulus,huiuſmodi occaſionem nullo modo prætermittendam eſſe ducebat.Proinde ſumma celeritate atque ſilentio duodecim millibus Georgianorum, & exulum malori ex parte collectis, has copias in quibuſdam vallibus vrbi propinquis, aut certe non longe diſtantibus, occultat. Ipſe mercatoris habitu paucis comitantibus, nihilque tale ſuſpicantibus Babyloniis ciuibus,vrbem ingreditur,iubet ſenſim quoſdam ſuorum tanquam mercatores vrbem ingredi,ex quibus breui plures quam mille & quingenti ingreſſi ſunt, eiſque imperatum fuerat,vt in certum locum ſtatuto tempore conuenirent, cum primum nox aduentaſſet.Statuerat enim per noctem præfectum vrbis & omnes miniſtros obtruncare,vrbem diripere,reſiſtentes trucidare. Iuſſi erant illi etiam qui latebant in inſidiis,ad idem tempus adeſſe.Cæterum quidam exul arbitratus ſe impunitatem præteritorum ſcelerum, & ad hæc,ingentia præmia conſecuturum,ad vrbem accedens,clam ad præfectum admittitur,eique rē totam aperit,& demonſtrat,in quanto periculo & ſalus ipſius & totius ciuitatis verſetur. Miſſi ſunt qui accirent auxilia ab Eſdruni præfecto, aliorumque finitimorum locorū. Interim ad arma tota vrbe conclamatur.Babylon repletur tumultu, arma vbiq; ad defenſionem parantur. Eſdruni præſes, collectis repente quantis potuit viribus,& quas ſumma temporis celeritas patiebatur, mox coniunctis copiis cum Babyloniis,communi conſilio in Perſas impetum faciunt,iam iam vrbem inuaſuros,atque inſtructos. Pugnatur acerrime vtrinque,ita vt diu anceps fuerit victoria: Sed tamen Perſæ numero multo inferiores ad extremum victoriā vrbanis eopiis concedunt,ac demum haud pauci ceciderunt.Trucidatis nouem millibus ſuorum,Perſa,vix cum tribus millibus equitum in tutum ſe recepit. At Solymanus co nuntio Philippopolim delato,grauiſſime indignatus eſt, tantarum rerum nouitatem,per illud tempus præſertim,excitatam eſſe in illis finibus, vbi hoſtis eſſet potentiſſimus.Iubet igitur omnes equites Aſiaticos,redire ad illos fines tutandos,ipſeque infracto atq; inuicto animo cum ingenti exercitu in Pannoniam proficiſcitur,anno ſcilicet Chriſtianæ ſalutis 1566. & cum nollet prius Viennam inuadere,quam Segethum, arcem in finibus longe munitiſſimam, & hactenus à Turcis fruſtra obſeſſam, expugnaret, dum admotis copiis atque tormentis, eſſet in eius obſidione, dyſenteria correptus, quarta die Septembris,à Meridie circa horam primam, in loco, quem indigenæ Sicthihouum appellant, quarta parte miliaris à Segetho diſtanti,prope vineas Segethanas, triduo ante ipſius Segethi expugnationem,placido exitu vitam terminauit, anno imperii ſui octauo & quadrageſimo,ætatis ſeptuageſimo ſexto.Fuit autem Solymanus, celſitudine animi, rerumque geſtarum gloria & felicitate nulli ſuorum prædeceſſorum ſecundus:at prudentia,iuſtitia,fortitudine,temperantia,humanitate,imperij moderatione,ac cæteris heroicis virtutibus, complures eorum longo ſpatio poſt ſe reliquit. Quod niſi paternas manus primogeniti ſanguine commaculaſſet,vix omnino extaret,in quo,præter puriorem fidei doctrinam, iure merito reprehendi poſſet.Atqui maior pars eorum quos fortuna ad ſupremū faſtigium euexit,illud ſibi perſuaſere,ſi ius violandum ſit,imperij cauſa violandum. Et veriſſime cecinit Lucanus:

Nulla fides regni ſociis,omniſque poteſtas
Impatiens conſortis erit.

Adhæc accedebant Roſſæ ſecundæ coniugis, quæ filium ſuum parenti ſuccedere mirum in modum cupiebat,eique Solymanus plurimum ſemper indulſerat: & Roſtani purpurati falſæ delationes atque impulſus, quæ omnia propter ſuſpitionem eius animo iniectam affectatæ proditionis atque tyrannidis, illius interitum accelerarunt.Huius cadauer Nouemb. die 22. Conſtātinopolim delatum

Babylon per dolum tentata.

Perſarum clades.

Solymani obitus,& natura.

eſt, obuiam ei ante omnes progrediente Moſti: hos ſubſequente Scander Baſſa gubernatore, cum omnibus purpuratis, quæſtoribus, aliiſque proceribus, & innumera populi multitudine: omnes vero pullis veſtibus induti erant, atque coo-

Solimani funeralia & ſepultura.

perti pileolis, quos illi Turbantes vocant, in ſignum mœſtitiæ atque doloris. Cadauer ex curru translatum, præcipui proceres vicibus permutatis, palmis manuũ impoſitum, tam ſublime quam poſſent, per ciuitatem circumferebant, legiſperitis præcedentibus, & alta voce dogmatis Mahumetani nenias, vſque ad ſepulturæ locum obmurmurantibus. In ea, dum ſuperſtes foret, à ſe maximis ſumptibus, ac pretioſiſſimis marmoribus, conſtructa, cadauere ſolennibus ceremoniis recondito, pannum vndulatum ſubtiliſſimum cum Solymani acinace, ad denotandum, eum, vitam in bello profudiſſe, capiti autem Turbantem, vt vocant, quem in vita geſtare ſolitus fuerat, impoſuêre. Huic ſane, dum vixit, nec auctoritas, nec dignitas formæ deerat: ſtatura fuit erecta, oculis nigris, paululumque tru-

Eiuſdem iuramentum.

cioribus, cæterum vultu gratioſo & ſubfuſco. Eius autem iuramentum, huiuſmodi fuiſſe inuenio. Iuro Deum, cæli terræque auctorem, iuro Euangelicæ hiſtoriæ Chronographos, vicies quater mille prophetas lapſos è cælo, ſummumque inter hos, noſtrum Mahumetem: adorandos item Manes aui patriſque, tum hoc ſacrum auguſtumque meum imperiale caput. In ſuis autem literis & diplomatibus, huiuſmodi titulos præponebat: Solymanus Tſaccus, Dei gratia, Rex regum, Dominus dominantium, Maximus Imperator Byzantij, & Trapezun iarſi. Rex præpotentiſſimus Perſidis, Arabiæ, Syriæ, ac Aegypti. Dominus Aſiæ, & Europæ, Princeps Mechæ, Alepi, Hieroſolymorum. Dominator, poſſeſſorque maris

Selymus II. Solymani ſucceſſor.

vniuerſi, &c. Ex regia noſtra Conſtantinopoli. Huic nono Cal. Octobris eiuſdem anni, Selymus, eius legitimus filius, in imperio ſucceſſit, anno ætatis ſuæ tertio poſt quadrageſimum. Princeps ſeuero aſpectu, prope formidabili intuitu, nigris pilis, aduſto temperamento, vt videbatur. ſed ita obeſus, vt colli breuitas appareret eximia.

Tammaſi legatio ad Selymum.

Vbi primum fama diuulgarat, Selymum, nemine refragante, paterni imperii hæreditatem adiiſſe, Tammaſus ad eum legatos miſit, qui ei ſuo nomine ſupremum faſtigium gratularentur, ſimulque ab ipſo pacis & articulorum confirmationem poſtularent. Et quoniam Perſæ paucis ante diebus nonnullas excurſiones fecerant in finibus Turcorum, in mandatis habuerant, vt illi ſignificarent, ſe inſcio atque inuito, hæc omnia contigiſſe, cum illi duntaxat ſpe prædæ ad hoc impulſi fuiſſent. Ipſum vero ſtatim, vt arma deponerent, imperaſſe: At Selymus reſpondit, his rebus opus eſſe maturiore conſilio, ſe tamen breui reſponſum daturum eſſe. Nec enim ſibi operæpretium eſſe videbatur, vt bellum initio imperii tam repente ſuſciperet aduerſus potentiſſimum Regem, cum præſertim in Pannonica expeditione partim morbo, & ferro, partim etiam rerum neceſſariarum inopia, circiter centum millia hominum periiſſent. Cæterum oratores, haud multo poſt, infectis rebus, domum dimiſſi, eaque de cauſſa, videbatur inter vtramque gentem potius bellum fore, quam pacem, quæ tantum abeſt, vt à Selymo per id tempus confirmata fuerit, vt etiam ipſe in Perſiam miſerit poſtulatum ſpolia Baiazeti fratris, quem Perſa, vt Solymano id enixe efflagitanti, gratificaretur, necari iuſſerat. Oratori autem, ad illa repetenda miſſo, quia paulo arrogantius viſus eſſet loqui, ad cæteros deterrendos iuſſu ipſius Regis, naſus & aures deciduntur, atque ita deturpato, vbi ad ſuos fines veniſſet, Turcico purpurato, ſic imperante, caput præciſum atque amputatum fuit, ne Turcis hæc ignominia patuiſſet. Iiſdem temporibus etiam Veneti, audita morte Solymani, de vnanimi patrum conſenſu Marinum Caballium, patricij ordinis & equeſtris dignitatis virum, nec non ſingulari ſapientia & omnigena virtute præſtantem, ad antiqua iura amicitiæ confirmanda, Byzantium ad nouum Turcarum Impera-

Pax à Selymo Venetis confirmata cum iuramento.

torem Selymum ablegarunt. Qui eius legatione audita, maximum iurauit iuſiurãdum, a que confirmauit quod ſcriptum fuerat in diplomate ſuo ſigillo inſignito, quod quidem iuramentum ita ſe habuit: Iuro per Deum æternum, creatorem cæli & terræ, per animam ſeptuaginta prophetarum, per animam meam, meo-

rumque

tumque malorum omnium, me omnia iura amicitiæ ad illa vſque tempora ſeruata habiturum ſancta & inuiolata, atque ad vnguem ſeruaturum, ſicuti ſubſcriptione fuerat confirmatum. Quanti vero Selymus hoc ſuum iuramentnm fecerit, & quam ſyncere ac fideliter obſeruauerit, breui poſt euentus declarauit, cum ipſe nullis iniuriis ab ea nobiliſſima Repub. laceſſitus, atrociſſimum bellum denuntiauit, niſi Cyprum traderet, eaque pernegata, illud tandem vi atque armis extorſit. Bello indicto, Veneti, quia plurimum conducere ſuis rebus exiſtimabant, non modo vt præſentium Chriſtianorum, cum quibus mutua fœdera coniunxerant, ope atque auxiliaribus copiis iuuarentur, ſed etiam vt diſtraherentur hoſtis vires, ſi vno eodemque tempore pluribus in locis eius imperium inuaderetur, Vincentium Alexandrium à ſecretis eius inclyti atque illuſtriſſimi Senatus, virum ſingulari prudentia, & multo rerum vſu exercitatum, in Perſidem ad Tammaſum miſére, qui eum ad arma in communem hoſtem alacritet ſuſcipienda, in tanta præſertim occaſione rei bene gerendæ, adhortaretur. Hic, tametſi pro patria tam longo & periculoſo itinere ſuſcepto, muneris ſui partes non minori celeritate, quam fida ac ſolertia expleuiſſet, nihil tamen ab eo, præter inanem ſpem & cunctationem conſequi potuir. Nec ita multo poſt eius diſceſſum, Cairus, Seidi Acmati nepos, qui paulo ante Gilani Rex fuerat, cœpit ad patruele regnum aſpirare: quamobrem vltro citroque miſſis nnntiis, amicos ſollicitat ad defectionem, hortaturque opem ferre ad ipſum regnum recupetandũ. Vbi ſatis potentem factionem ſibi iam habere viſus eſt, multis coactis copiis, cõſpirantibus etiam ciuibus prope vniuerſis, Laiganum propugnaculum, omni genere bellicorum appatatuum inſtructum, Metropolim Gilani regni inuadit, atque ciuium opera, & auxilio admiſſus, ad quatuor millia Perſarum, qui erant in præſidijs, contrucidat. Genuitus Miriſes, Tammaſi filius, cum ad arma tota vrbe conclamaretur, per ſecretiorem portam oppidi cum Allaculio vrbis gubernatore, & quingentis hominibus, in proximos montes fuga ſe ſeruauit. Eius regionis iactura, ipſi Tammaſo longe moleſtiſſima fuit, cum plurimi frumenti in primis, & olei, & ſerici ſit ferax, in qua regione circiter viginti millia ſtrenuiſſimorum equitum fuerant paulo ante deſcripta. Hanc munitionem iiſdem prope artibus Tammaſi primogenitus occupauerat, quæ ſane ipſi Regi oppottuniſſima & gratiſſima erat. Proinde, vbi de hac re certior factus eſt, protinus Muſtapham filium cum decem millibus equitum, & ſex tribunis, multoque peditatu, munitionem ipſam obſidere ac expugnare iuſſit. Cæterum, cum ad fines Laigani peruentum eſſet, munimenti præſidia, quibus auditi erant Perſici apparatus, magna alacritate hoſtem expectant. Cœptum eſt vtrinque certare minutis prœlijs, & frequentibus incurſionibus. At vero cum egregia obſeſſorum virtus in illis conflictibus appareret, ſemperque inferiores Perſæ redirent à pugna, ſcripſit Tãmaſus ad filios in caſtra, quo etiam confugerat Genuitus Miriſes, vt à tam frequentibus certaminibus abſtinerent, donec ipſe maiores copias tranſmitteret. Verum, vbi diutius obſidio perduraſſet, & complures vtrinque fuiſſent trucidati, quia res Turcica, ob purpurati Babyloniæ præfecti indignationem non ſatis tuta eſſe videretur, & cum ad mare Caſpium bellici apparatus fieri dicerentur, breui poſt, milites reuócati ſunt. Cum vero interim, fœderatorum Principnm naualis victoria in Perſide nuntiata fuiſſet, multique proceres ad arma palam capienda in Turcos ſuum Regem adhortarentur, non prius ſe capturum reſpõdit, quam vidiſſet vtiliores Chriſtianorum progreſſus; parui referre ligneas ſcutulas demerſiſſe, dum ſunt incolumes ſyluæ, ac poſſidentur, vnde poſſent aliæ excindi. Et ita quidem Tammaſus dixiſſe fertur, cum ad illum de tam inſigni tamque rara & memorabili victoria nuntius afferretur. Hæc porro incidit in annnm poſt mille & quingẽtos, ſeptuageſimum primum, & in ſeptimum diem Octobris, qui erat Diuæ Iuſtinæ ſacer, cum præcedenti anno Selymus regnum Cyprium ſuæ ditioni adieciſſet. Circa idem ferme tempus, aut certe non multo poſt, Perſarum Rex ingentes copias parauit, armaque importari iuſſit in Arabiam felicem aduerſus Regem Aethiopiæ Daudem, propter controuerſiam ortam de finibus

Selymi perfidia.

Vincentius Alexandrius mittitur à Venetis legatus in Perſiam.

Cairus Tammaſum Gilano regno exuit.

Quid Tammaſus reſponderit audita Chriſtianorum Principum naualis victoria.

Perſarregis cum Aethiope res compoſita.

non procul à mari Erythræo, vbi Perſa regiones, ſtipendiarios ac ſubditos populos Aethiopis Regis ſubegerat. Sed ea tanta controuerſia collectis vtrinque non contemnendis copiis, quorundam procerum præſentia & auctoritate breui conſopita eſt.

Dum hæc in remotiori clymate geruntur, Conſtantinopolis, maximam cladem perpeſſa eſt. ſiquidem Seraglium, Portæ Imperatoris fere contiguum, incendio periit, quod intra biduum vix integre reſtinctum eſt. Damnum ex hoc incendio illatum, decies centenis millibus, multi, plus æſtimarunt. Selymus interim, vt acceptum in mari ad Chinandas inſulas dedecus & ignominiam, aliquo præclaro & illuſtri facinore aboleret, anno 1574. circa menſem Iulij inſtructiſſimam claſſem aduerſus Africanos, duce Sinamo purpurato, & Occhiali Rege Algierenſi emiſit. Qui velis ſecundis 13. Iulii ad Guletam delati, cum 60. machinis bellicis duplici ordine collocatis, arcis muros terra marique citra intermiſſionẽ diuerberarunt, omnibuſque propugnaculis & mœnibus deiectis, eam expugnarunt. Chriſtianos omnes, quatuordecim duntaxat ex proceribus, inter quos fuêre Gabriel Serbellonus, & Petrus Carrera, qui vincti Conſtantinopolim ſunt miſſi, exceptis, crudeliſſime trucidarunt, eaque ſolo æquata, munitiſſimam arcẽ in portus multarum nauium capacis formam conſtruxêre, atque ibi perpetuam belli ſedem & caput, ad Hiſpaniam, Italiam, cæteraſque inſulas infeſtandas conſtituerunt, & mox Tunetanum tegnum & ciuitatem in Selymi poteſtatem redegêre. Is vero tam proſperis ſucceſſibus elatus, & fortunæ blandientis aura & fauore illectus, ad nouas expeditiones proximo vere ſuſcipiendas, animum adiecit. Sed illum, his cogitationibus intentum, fatalis hora corripuit, adeo vt penultima die Nouembris, repentino prope morbo interierit. Huic autem in imperio ſucceſſit Amurathes ipſius filius, qui tunc agebat annum ætatis ſuæ viceſimum ſeptimum, cum magna omnium prætorianorum, Byzantinorumque ciuium lætitia, cum ob egregias animi dotes quas præ ſe ferebat, non mediocris ſpes de illo fuiſſet in animis omnium excitata. Hic, licet multos bellicos apparatus factos fuiſſe à patre in ver proximum inueniret, tamen quia nouus eſſet, & adhuc imperitus regnandi, nihil omnino in præſenti anno ſibi innouandum eſſe cenſuit; ſed vniuerſum ſtudium ac diligentiam conuertit ad confirmandum ſtabiliendumque imperium, atque in primis quatuor, ſiue, vt aliis placet, quinque fratres impuberes, de more Ottomannicorum Imperatorum coram ſe ſtrangulari iuſſit, ne quas inſidias domeſticas metueret, neve, vt quondam poſt Muſtaphæ interitum, fama increbeſceret, quempiam ex illorum numero adhuc ſupereſſe, vnde ſibi in poſterum aliquid incommodi ac periculi immineret. Huius literarũ inſcriptio eſt eiuſmodi: Amurathes Deus terræ, gubernator mundi vniuerſi, nũtius Dei, fidus ſeruus magni prophetæ Mahometi, &c.

Guleta à Turcis expugnata.

Selymi obitus.

Amurathes creatur Imperator.

Eiuſdem ſæuitia in fratres.

Vt vero ad ipſum Tamaſum reuertar, huic ſane Turcicum bellum, ſicuti etiam ex prædictis facile videre eſt, admodum infeliciter ſucceſſit. Quandoquidem Perſæ ſub eius dominatu multarum prouinciatum & ciuitatum iacturam fecêre, ſicut inferius patebit. Is tamen, cum natura ad pacem, quam ad bellum propenſior eſſet, pacem à Solymano vel iniquiſſimis conditionibus redemit, quæ poſtmodum ad finem mortis vtriuſque conſtanter perdurauit. Nec quicquam ab eo cum aliqua ſui nominis laude, ſuorumque ſubditorum beneficio geſtum fuiſſe inuenio, quam duas regiones in mari Caſpio & in ipſis finibus Perſiæ ſitas, à duobus Regulis poſſeſſas, quarum altera Siruana, altera vero Gilla dicebatur, occupatas. Quibus rebus peractis, nihil maiore ſtudio procurauit, quam vt ſocietatem atque amicitiam non minus cum Ottomannica familia, quam cum vicinis gentibus & nationibus, perpetuo coleret & conſeruaret, ita me hercle, vt Solymano viuis ſubtracto, nihil antiquius habuerit, quam vt primo quoque tempore, ad Selymum paterni imperij hæredem ac ſucceſſorem, legatos deſtinaret, quorum opera pax iiſdem formulis, & conditionibus, quibus antea, ſicuti iam diximus, conſtabiliretur. Cæterum, vt magis in propatulo ſit, qualiſnam fuerit ipſius natura & mores, quantumque à paterna atque auita virtute degenerarit,

Tammaſi mores & natura.

rarit, nonnulla exempla referam, ex quibus clariſſime intelligetur, Perſicum Imperium ſub eius principatu ad maximas miſerias & calamitates deuolutum fuiſſe, cum ipſe, omiſſa bellica diſciplina, & ijs artibus, quibus regna & imperia feliciter adminiſtrantur, omnes ſuas cogitationes ac ſtudia ſolummodo ad lucri cupiditatem, atque illecebras muliebres animum applicauerit, nullamque ſui decori, & iuſtitiæ, quæ tanquam neruus & fundamentum eſt cuiuſuis Reipublicæ aut imperij bene conſtituti, rationem habuerit. Vetus & antiqua Regum Perſarum conſuetudo & mos fuit, vt pacis tempore, ſi per valetudinem licebat, aut in venationem prodirent, aut aliquo honeſto & laudabili exercitio, vtputa equitandi, ſagittandique, ſeipſos & ſuam nobilitatem oblectarent, illudque in primis ſatagere, vt facilis ad eos aditus pateret, ſeque omnibus temporibus, comes atque affabiles præberent. Adhæc, vt in primis enixe darent operam, ne cui ex ſuis ſubiectis vlla vis atque iniuria inferretur. Cæterum, is, per totum fere decennium, ne ſemel quidem ex regia pedem mouit, adeo vt interdum quingenti, interdum vero mille atque amplius, ante fores publici prætorij exclamarent, ac de illatis iniurijs conquererentur. Verum ipſe per ſuos adminiſtros iubebat illos adire præſcriptos atque ordinarios iudices, quibus ſuam cauſſam exponerent, neſcius interim, illorum querelas fuiſſe contra ipſoſmet iudices tyrannos, necnon contra Sultanos, & milites, qui plærunque (de his poſtremis loquor) publica itinera obſidebant, & inſtar immaniſſimorum latronum, viatores ſpoliabant. Vt vero id planius & manifeſtius fiat, ex plurimis exemplis, hæc pauca in medium proferam. In vrbe, ab indigenis Naeſſiuin appellata, fuêre olim capti nonnulli prædones, qui quoſdam negotiatores ſuis bonis ac fortunis exutos, contrucidarant, & ad magiſtratum, vt de ipſis fieret quæſtio, perducti, Iudex de vniuerſo negotio quam pleniſſime edoctus, furtum ad ſe deferri iuſſit, & qui iure conquerebantur, dimiſſis, reiſque è carcere liberatis & abſolutis, partem earum facultatum ſibi reſeruauit, & reliquam miſit Casbinum, quæ nonnullis Sultanis dono exhiberetur. Cæterum hi, ad quos huiuſmodi bona pertinebant, in regiam profecti, maximis gemitibus, & præ nimio dolore ſciſſis veſtibus, ac regiæ domus mœnia conſcendentes, ipſum Regem alta voce compellabant, ſimulque illum interrogabant, quidnam ageret, & cur tantam iniuſtitiam in ſuo regno fieri pateretur, eaque de cauſſa haud raro diris plagis atque verberibus affecti ſunt, & lapidibus illinc ſe proripere coacti, nec fieri vnquam potuit, vt eorum iuſtiſſimis querimonijs vel minimus locus relinqueretur. Præterea, Taurisij, quæ vrbs eſt Metropolis Perſarum, octodecim prædones minoribus tormentis, quos vulgo Sclopetos vocant, inſtructi, intempeſta nocte in publicam negotiatorum domum, patrio idiomate Cat Principis nuncupatam, in qua erant circiter quadraginta mercatores, admotis ſcalis, per feneſtras clanculum ingreſſi, cum ſcirent ibi, præter cæteros, fuiſſe quendam opulentum ac prædiuitem mercatorem, nomine Acmatum Celebinum, ex vrbe Angoria oriundum, perfracta ianua cubiculi, ipſoque crudeliſſime interfecto, 300. Tumanos, qui conſtituunt ſummam 6000. nummûm aureorum, & quaſdam laminas argenti inelaborati, ſimulque nonnullos panos, ſeu inuolucra ex coccino & tela ſerica abſtulerunt. Cum vero mercatores ſomno excitati, correptis armis, ſe illico ad ſui ſuarumque rerum defenſionem pararent, tormentorum glandibus impetiti, ſinguli ſeſe in ſua cubicula recipere compulſi ſunt. Breui hoc ſpatio interiecto, ijdem latrones nocturno tempore cuiuſdam Armeni domum cum lanternis adorti, quatuor inuolucra, ſiue maſſas, vt vocant, telæ ſericæ illinc ſecum aſportarunt, quæ, prout fama diuulgauit, paulo poſt, in ædibus Sultani Taurisienſis conſpecta fuerunt. Et licet de omnibus latrocinijs in ipſa regia conqueſti ſint, & prædones inuenti, nunquam tamen, Rege ad hæc omnia conniuente, in hos publico ſupplicio animaduerſum fuit, aut minimum æquitatis ac iuſtitiæ teſtimonium exhibitum. Præterea, quidam Turcicus negotiator, nomine Cozaſera Fantinus, qui ob exoticas merces vltro citroque conuehendas, etiam Cusbinũ, in qua vrbe tunc frequentius erat regia, nonnunquam accedere conſueuerat,

Regum Perſarum conſuetudo.

Qualisnam fuerit Perſici regni gubernatio ſub Tamaſi principatu.

cum in publica mercatorum domo illic hoſpitium haberet, & Curci (ſic Perſæ regios ſatellites appellant) intelligerent, præfatum mercatorem haud modica ſumma pecuniarum abundare, in huius amicitiam ſeſe paulatim inſinuantes, ipſum tandem conuiuio exceperunt, idque cum epulis, tum varijs ſermonibus tandiu protractum eſt, donec nonnulli ex eodem ſatellitio, qui officinam quandam ipſi mercatoriæ domui conterminam, dedita opera locarant, perfracto muro, eiuſque cubiculum ingreſſi, ad duodecim millia coronatorum abſtuliſſent. Peracto prandio, vbi in cubiculum rediiſſet, & pecuniam ſibi ablatam videret, ſtatim, à quibus hæc ſublata eſſet, ſubolfecit, nullaque mora interpoſita, ad fores palatij perrexit, & cum ſibi cum plæriſque Sultanis amicitia intercederet, introductus, præfatos Curcos, quibuscum pranſus fuerat, tanquam huius facinoris conſcios, accuſauit. Rex, vti primum hoc comperit, Curcos ad ſe accerſiri iuſſit; & de hoc furto interrogati, prorſus negarunt. Cum vero ipſe mercator inſtaret, vt in vincula coniicerentur, & de his ſeorſum haberetur quæſtio, ſiue proceſſus, vt vocant, Rex, in eo ſe illi gratificaturum reſpondit, ſic tamen, vt niſi faterentur quod illis obiiciebatur, ipſe mox capite pœnas lueret. Quo audito, confeſtim ab incepto deſtitit, ſatius fore ducens, fortunarum, quam vitæ iacturam facere. Paucis poſt diebus, cum quidam iuuenis detexiſſet furti auctores, prædictus mercator teſtes coram iudice Cusbinenſi produxit, quibus examinatis, ipſe horum teſtimonium Regi detulit. Et quo maturius expediri poſſet, eidem quadringentos aureos dono dedit. Is vero, accerſitis Curcis, inuenit, maiorem pecuniarum partem adhuc ſupereſſe, ac e veſtigio illam in publico ærario reponi iuſſit; & prohibuit, ne illi, ad quem pecunia pertinebat, in regiam vllus ingreſſus deinceps pateret. Hoc ſane, vbi in vulgus diſſeminatum eſt, plurimorum animos ab ipſo Rege mirum in modum alienauit, & innumeri de eo conquerebantur: Cæterum, ipſe horum querimonias flocci faciens, ac prorſus contemnens, nullam ſuæ dignitatis, ac publici commodi rationem habebat. Id quoq; à nonnullis relatum eſt, nimirum ipſi regi, fuiſſe quendam ex his ſatellitibus, quos diximus nominari Curcos, iam ſenio confectum, & lepidiſſimum hiſtrionem, qui iuxta regium cubiculum pernoctare conſueuerat, eique cum Rex diceret, ſe, ſuperiorem noctem admodum quieto ac placido ſomno tranſegiſſe, propterea quod ipſe tam dulci modulamine cecinisſet; is ſtatim reſpondit, ſibi hactenus fuiſſe incognitum, ſuos cantus tantam vim habere, vt Regiæ Maieſtati ſomnum conciliaret, idque ſi antea ſciuiſſet, nunquam potuiſſe adduci, vt vel hiſcere auderet, quo etiam ipſe vigil ac experrectus, exaudiret tam diurnos quam nocturnos ſuorum ſubditorum ploratus & querimonias, quæ fierent ob aſſidua & immenſa latrocinia, cum foris in publico itinere, tum in ipſis vrbibus in dies perpetrata; ſimulque addebat, in libro querelarum quæ paſſim ad octo annorum ſpatium habitæ fuerant, ſupra decem millia hominum interfectorum ſcripto comprehendi. Quibus verbis Rex grauiſſime commotus & indignatus, dixiſſe fertur, oportere, vt ipſe in primis, deinde omnes eius ſocii, (hos autem, Curcios intelligebat) à quibus hæc omnia ſcelera committebantur, laqueo gutture præfracto, ſuſpenderentur. Nec ſane id cuiquam mirum videri debet. Quippe cum nulla eis darentur ſtipendia, cogebantur ſeſe ad rapinam conuertere, ac ſibi per fas & neſas proſpicere, cum præſertim viderent, Regem, in his, quæ ad ius retinendum & conſeruandum pertinent, nulla prorſus cura & ſollicitudine affici, eaque de cauſa in Perſico regno ſub ipſius Principatu itinera fuêre admodum periculoſa; ita profecto, vt vix etiã domi interdum ſecure ac citra metus ſuſpitionem verſari liceret, cum omnes fermeiudices largitione ac muneribus corrumperentur.

Quatenus autem ad rem militarem ſpectat, id plane in confeſſo eſt, hunc Regem, tametſi de bellicis rebus grauiter ac diſerte ratiocinari ſolitum, nunquã tamen ad eas fuiſſe propenſum, cum non ita ſublimes ſpiritus gereret, ac potius exigui anguſtiq; animi eſſet. Et licet interdum coëgerit exercitus, tanquam mox in aciem prodituros, id potius extremæ neceſſitati, quam eius ingenio & naturæ attribuendum erat, cum in bello ad prœlium laceſſitus, perraro collatis ſignis,

Martis

Martis aleam ſubire voluerit;ſed plærunque pugnam detrectans, ſeſe in loca tutiora recipere conſueuiſſet, adeo me hercle, vt cum maxima ſui nominis ignominia,& Perſici regni detrimento, Aſſyriam,& Meſopotamiam,vnà cum Babylonia,clariſſima Orientis vrbe,amiſerit. Hac prius potiebatur quidam regulus, nomine Saraſbon, ipſius Tammaſi beneficiarius, qui,cum per ſuos exploratores didiciſſet,Ottomannicum exercitum breui illac tranſiturum, ipſeque Perſarum opem implorаſſet horum tandem auxiliaribus copijs deſtitutus, locum lõge munitiſſimum, qui ab incolis Saxum perforatum dicebatur, in anguſtijs viarum ſitum,& non ſecus ac tranſitum & clauem in ſuam ditionem, amiſit. Qua clade accepta,mox Ehilachum,Ergis,Vaſtanum,Adilagus,Benghinum, Caſſanchiel,& plæręque aliæ vrbes atque oppida,ad eundem regulum pertinentia, cum ipſa,vti diximus,Babylonia, & verſus plagã Occidentalem in regione Diarbeck, & Armenia minori,in quibus hæc oppida cõtinentur, videlicet Caraemichuis, Orfa,Mordiuum,Birrha,Adilgeus,Bechis,Baſta,Etrumium,Wan,Scherzul, Caſſancalaſum,Ertingia, Erzignanum, Barbutlis,Tocatum,& quædam alia municipia & vrbes cum in his locis, tum etiam in Georgianorum finibus poſitæ, Ottomannicis armis ceſſerunt. Is vero,tantis calamitatibus, tantaque imperij ſui declinatione poſthabita, nulli rei magis animum intendere, quam opibus congerendis, & femineis voluptatibus atque delitijs, in quas tam vehementi amore ferebatur, vt quam plurimi omnino ſibi perſuaſum haberent, ipſum, à mulieribus effaſcinatum: Siquidem potiorem temporis partem cum eis tranſigere, atque illas interdum ſuper rebus longe grauiſſimis, & ad publicum regimen & gubernationem ſpectantibus, ad priuatum & ſecretum conſilium admittere conſueuerat. Adhæc, futuram rerum præſcientiam & cognitionem ex figuris Geomanticis ſummo ſtudio ac diligentia exquirere, ac etiam ſomnia quæ ſibi noctu quieſcenti obuerſabantur, haud raro conſcribere. Quod ſi forte aliqua eorum non prorſus vana atque fallacia obuenerant, ſed aliqua ex parte euentum ſortiebantur, mulieres protinus hæc illi in mentem ſuggerebant, addito etiam, ipſum fuiſſe Prophetam cælitus elapſum, hiſque aſſentationibus, mirum dictu, quantopere ipſe Rex oblectaretur. Et quamuis natura ad liberalitatem ac beneficentiam propenſius foret, in eas tamen prodigus omnino cenſebatur, cum perſæpe illis pretioſiſſimas gemmas, nec mediocrem pecuniarum vim elargiretur. Hæ vero interdum, de ipſiuſmet Regis conſenſu, ex gynæceo egredi ſolebant, quæ ſcilicet haberent liberos, eo quidem prætextu, vt illos, ſi forte in aliquem morbum incidiſſent, conſolandi gratia, inuiſerent. Id quoque de ipſo referunt, nempe ad excitandam & fouendam libidinem, plurimis electuarijs vti ſolitum, in eoque habuiſſe delectos homines, & quos nouerat eſſe peritiores, ampliſſimis pręmijs atque muneribus proſecutum. His etiam adijciunt, ipſum, ſeruas iuniores, ſeu mancipia, ne pro illarum cultu & ornamento impenſas faceret, Sultanis alendas & cuſtodiendas tradidiſſe, quas deinde accerſitas, multis gemmis & pulcherrimis veſtimentis indutas ac exornatas, in regiam remittebant. Licet vero ex his, hactenus commemoratis, non ſecus quam ex vnguibus leo, facile intelligi poſſit huius Regis inexplebilis auaritia, & pecuniæ coaceruandæ ſtudium, nihilominus tamen ad earum rerum confirmationem, rurſus hæc pauca ſubijcientur. Frequentiſſime ad inſulam Ormum, Curacaſſanum & Alepum mittebat, qui illinc Tulipanos, & telam ſericam omnis generis, necnon pannos lana confectos adueherent, ex quibus, veſtes atque indumenta poſtmodum confici iubebat, eaque loco ſtipendij dabantur militibus, ratione ipſius arbitratu ſubducta, ſic ſane, vt quod valebat coronato, nouem aut decem aureis æſtimaretur. At munera ſibi oblata atque exhibita, etiam ſi quam minima & perexigua fuiſſent, nunquam omnino reſpuere, neque inuitis animis accipere, nihil minus interim cogitans, quam vt ob ea vel minimam gratiam referret, idque propoſitis exemplis, multo clarius illuceſcet. Cum quidam Turcicus, profectus Alepo, in Perſiam veniſſet, eo vtique animi decreto, vt, abiurata fide Ottomannica, Perſicis ſacris adhæreret, ſtatimque ad Regem intromiſſus, & poſt debitam reue-

Quæ loca Perſa amiſerint regnante Tammaſo.

rentiam, ipſi, grati animi ergo, duodecim aureos, & mulum dono dediſſet, is, retenta pecunia, & eius nomine ſcriptura, vt moris eſt, comprehenſo, mulum eidem reſtituit ac donauit. Hoc etiam ſilentio haudquaq̃ prætereundum videtur. Cum quidam miles, in bello ſtrenue dimicans, cepiſſet filium Osbechi, quo quidem Perſa nullum habet acriorem hoſtem, cum eius auctoritas in finibus Curaſſani tanta omnino ſit, vt Rex cogeretur illi annuatim perſoluere 400. Tumanos, qui octo millium coronatorum ſummam efficiunt, ne carragines, ſiue carauanas, vt vulgo appellant, ex Indiis profectas, tranſitu arceret. Cum vero quidam Sultanus, militi pro captiuo ſibi tradito, vel potius extorto, præter mille aureos, etiam pagum donaſſet, ea quidem ſpe inductus, vt à ſuo Rege multo ampliora præmia referret, ipſe equo duntaxat donatus eſt. Magnam & ſingularem quandam præ ſe ferebat beneficentiam, dum plæriſque annuas penſiones elargiretur. Cæterum, eas in huiuſmodi locis aſſignabat, in quibus nunquam, niſi maxima alicuius principis viri gratia, vel donatiuo haberi poterant. Quotidie pro ipſius anima complures opifices à tributis & exactionibus immunes fiebant; ſed plærunque vano ac inani ſucceſſu, cum poſt biennium, vel triennium, Regii miniſtri eas omnes vno eodemque tempore extorquerent, ſicuti etiam ſuperioribus annis, habitatoribus Ghilſenſibus, qui ſunt omnes Armeni, contigerat. His ſiquidem Rex, octo annorum immunitatem conceſſerat, quibus expletis, vniuerſum illud triburum per temporum interualla dari ſolitum, vna vice, non ſine maximo ſuo damno atque incommodo, perſoluere coacti ſunt, ob eamque miſſus fuit Tarcaldabech, Sultani Caidar Miriſe œconomus, ac regius procurator, qui eam pecuniam exigeret, maxima panni quantitate imperata, cũ Rex quam ſæpiſſime noua indumenta ſibi aſſumeret, adeo mediusfidius, vt interdum, quod dictu ferme incredibile videbitur, quinquagies in die ſibi veſtimẽta commutauerit, quæ deinde inter aulicos miniſtros compartiri atque diſtribui iubebat, pretio à ſe limitato, nec fas erat quenquam renuere quod ſibi oblatum fuerat, quin potius magni beneficij loco ducere, quæcunque ſibi Regis nomine exhiberentur. Porro idem factum eſſe narrant in ditione Aligna, à Latinis habitata, licet nullo alio ſermone quam Turcico, Perſico & Armenico vtantur, eoſque Perſæ appellant Francos, & huius ditionis Antiſtes vocatur Archiepiſcopus Naſſiuanus, quem conſtat noſtro tempore bis fuiſſe Venetijs, ſemel quidem ſub Principatu Hieronymi Priuli, anno ſalutis ſupra milleſimum quingenteſimum, vnó & ſexageſimo, & deinde ſub Lauretano Venetorum Duce. Præfatus Rex, vt hoc etiam obiter dicatur, non ſecus, quam mercatores ſolent, gemmas diuendere, variaque mercimonia commutare quam ſæpiſſime conſueuerat. Id vnum tamen, inter tam multa enormia, & Principe indigniſſima, de eo memoriæ proditum eſt, quod illi apud ſuos populares non vulgarem beneuolẽtiam comparauit, quod videlicet, ex ſuo imperio vniuerſa vectigalia, quibus antea illius ſubditi mirum in modum premebantur, non modo leuari; ſed etiam penitus auferri iuſſiſſet. Huius autem rei cauſam ferunt potiſſimum ex nonnullis viſionibus in ſomnio habitis proueniſſe, ac eum dicere ſolitum, ſe ab Angelis fuiſſe in collo perſtrictum, & interrogatum, num Regem, qui iuſti & magnanimi Principis perſonam referret, quique ex Hali domo ac familia genus atque originem traheret, tam ſæua & prorſus intolerabilia vectigalia, cum tanto ſuorum ſubditorum damno atque incommodo, decerent? Proinde vt ea confeſtim amoueret, imperaſſe: Regem vero experrectum, & ingenti metu ac timore perculſum, ilico per omnes ſui regni prouincias, edictum promulgaſſe, vt deinceps omnibus portoriis & exactionibus è medio ſublatis, quiſque ab eis omnino immunis atque liber foret. Cuius quidem facti eum indies magis atque magis pœnituiſſe, ex multis argumentis ac teſtimonijs facile deprehenſum eſt, cum præſertim diuitiarum atque opum accumulandum ſtudio, quam plurima homine, nedum Rege indigna, paſſim ab eo perpetrata ſint, à quorum equidem ſpeciali enumeratione, ne nimia in his recenſendis prolixitate lectori tædium pariam, in præſentia ſuperſedeo, cũ ex præcedentibus, huius Regis natura, ingeniũ & mores, quam

Vectigalia à Perſico regno ſublata.

Tammaſi aula, & ſenatus.

quam facillime cognoſci ac intelligi poſſint. Nunc reſtat, vt de ipſius aula, eiuſque miniſterio, ac ſenatu, quam breuiſſime dicatur. Hæc quidem in duo potiſſimum capita fuit diſtributa, nimirum in regios miniſtros, & ſtatuum atque ordinum ſenatum. In ipſo autem regio famulitio erant liberi Sultanorum, & ſerui à Rege coempti, aut ſibi donati in Sarayo ſeu palatio regio, quod patrio vocabulo Caramum appellant, in cuius gynæceo degebant hæ mulieres, quarum ſeruilibus officijs vtebatur, cum intus cubabat, quæ omnes erant ſeruæ Circaſſæ, aut Georgianæ. Cum autem foris pernoctabat, mancipiorum opera & miniſterio vti conſueuerat, hique fuerunt numero quadraginta, vel ad ſummum quinquaginta, eorumque munus atque officium erat, ipſum Regem induere ac exuere veſtimentis, eorumque diligentem curam ſuſcipere, & plæraque alia, his conſimilia efficere. Præter hoc, quod dixi, miniſterium, adhibebantur etiam Sultanorum liberi, quorum quidem domicilium non fuit in regia, ſed mane ac veſperi, ex ſuis ædibus in aulam accedebant, hique interdum erant plures, interdum pauciores, ſed plærunque viginti. Præmium vero ac remuneratio à Rege dari ſolita his ſeruis atque mancipijs, qui ab anno quinto & viceſimo, vſque ad triceſimum, abraſis tamen barbis, ei inſeruierant, hæc fuit præcipua, vt videlicet, ſi ſedulo ac fideliter ſeſe in ſuo munere geſſiſſent, mutuo acciperent ab ipſo Rege, quidam viginti, alij triginta, & nonnulli quinquaginta millia nummûm aureorum, viginti pro ſingulis centenis numeratis, alij ad decem, & quidam ad ſpatium viginti annorum, ea tamen lege & conditione, vt Rex annuos fructus ſubinde perciperet. Ipſi vero interim prædictam ſummam pecuniarum, aulicis nobilibus, qui promotionum gradus ad aliquam præfecturam in regia expectabant, cum firma prædiorum ac bonorum ſtabilium cautione, quinquaginta, ſexaginta, & interdum etiam octoginta cum fœnore centenario commodabant. Quod ſi forte qui pecunias mutuo ſumſerant, ſtatuto tempore ſuis creditoribus, à quibus, hæc ex capitali, vt vocant, ſine vllo actu iudiciario deprompta fuerant, non eſſent pares ſoluendo, nullo expectato iudicio, prædia obligata, mox à creditoribus occupabantur. Merces autem ac remuneratio propter fidele obſequium Regi præſtitum, erant aulici gradus, ac dignitates. Creabantur enim centuriones, regiæ cohortis præfecti, ac etiam Sultani, id eſt, Prouinciarum præſides. Hactenus de regio famulitio. Iam ſupereſt, vt de ipſius Senatu, ſeu comitijs, aliquid ſummatim ac breuiter dicatur. Is quidem fuit vnus duntaxat, in quo nullus alius erat Præſes, quam ipſemet Rex cum interuentu duodecim Sultanorum, quorum ſingularis prudentia & vſus rerum, in his, quæ ad politicam gubernationem ſpectant, quam optime compertus ac exploratus eſſet, tametſi hic numerus quãdoque variabat, admiſſis etiam in ordinem ſenatorium his Sultanis, qui aliorum negotiorum gratia frequenter in aulam veniebant. Habebantur comitia ferme quotidie, niſi cum Rex ad balnea accederet, aut quo die ſibi vngues detonderet. Hora, qua ſenatus tam æſtiuo, quam brumali tempore coibat, fuit ſecunda & viceſima poſt Meridiem, ibique perſiſtebant vſque ad tertiam, quartam, & interdum vſque ad ſeptimam horam noctis, prout magnitudo negotiorum expoſcere videbatur. Rex ſedebat in ſublimi throno, quod Perſæ Aſtabinum vocant: à tergo aſſidebant ipſius liberi, ſi qui erant in regia, & inprimis Sultanus Caidar Mariſe, qui vicario patris munere fungebatur, iſque rariſſime ex aula aberat. E regione vultus ac regiæ præſentiæ, aſſidebant Sultani Conſiliarij, etſi qui prouinciarum præſides affuiſſent, & ab vtroque latere quatuor ſupremi epiſtolarum Magiſtri, ſeu Cancellarij, qui ab ipſis dicuntur Viſiri. Rex proponebat argumenta, & ſuper ipſis ſuam ſententiam proferre, moxque Sultanorum ſententiam ſingulatim rogare. Qui eam prolaturus erat in medium, cõtinuo aſſurgens, propius ad Regem accedebat, atque aſſidens, illam proferebat tam alta voce, vt commode à reliquis Sultanis intelligi ac exaudiri poſſet. Ipſe interim, ſi quod dictum memoria dignum in eius oratione animaduertiſſet, ſtatim iubebat ſcribas illud ſcripto fideliter comprehendere, ac ſæpe ipſemet ſua manu id in literas referre, mox cæterorum ſententiam ſciſcitari. Nonnunquã vero in ipſo ſenatu, quod

Senatus Regius.

ſibi magis operæpretium videbatur, decernere, cum videlicet de his cauſſis, quæ verſabantur in controuerſia, nulla apud ſe remaneret hæſitantia: interdum vero, ad ſe omnium ſenatorum rationes atque ſententias afferri iubebat, hiſque poſtmodum ſedulo expenſis ac ponderatis, quidnam præcipue agendum foret, conſtituere. Præter hos conſiliarios, Curcum etiam Baſſi, ſui ſatellitij præfectum, in eorundem ordinem cooptauit. Nam, licet huius auctoritas inferior eſſet, nihilominus tamen fuerat ex nobili atque illuſtri familia, eoque dignitatis gradu perfunctus, in Sultanorum album cooptabatur.

Cancellarij. Cancellarii, quos diximus, nulla prorſus in ſenatu habent ſuffragia, nec quicquam ab eis vnquam proponitur, niſi prius à Rege interpellati. Et quamuis in magno pretio atque honore habeantur, nunquam tamen, etiam ſi fuiſſent ex veteri ac præclara familia oriundi, ad gradus Sultanorum atque alia munia militaria promouentur, adeo ſane, vt hic magiſtratus, potius hominum virtute præditorum, quam nobilium videri poſſit. Dum habebantur comitia, nemini fas erat ex prætorio egredi, ſed illic omnes ſenatoriæ dignitatis viri, tanquam excubitores, pernoctabant, ſimulq; apponebantur cuſtodiæ trecentorum armatorum, dum ea fierent, qui tamen etiam poſt comitia, ad tutelam Regis perſiſtebant. Et hæc quidem de ipſius Regis aula, & politico regimine hactenus dicta ſufficiant. Quorum ſane plæraque adhuc in Perſia retinentur, & quædam pro tēporum conditione ſublata eſſe, haud difficulter crediderim. Id ſane mirum nonnullis videri poſſet, quod, licet hunc Regem, ob ſuperius commemorata, quiſque extremo & pluſquam Vaticano odio proſequi, ac eius nomen exſecrari deberet, ipſum tamen Perſæ ſingulari obſeruantia, ex veteri conſuetudine apud eos antiquitus recepta, coluerint ac venerati ſint, & vulgus ac popularis multitudo non ſecus ac cæleſte Numē, ſuſpexerit, eique diuinos honores exhibuerit, ita ſane, vt qui aduerſa valetudine laborabant,

Perſarum in ſuos Reges cultus & obſeruantia. ſeu aliqua alia calamitate & infortunio diuexabantur, frequentius ipſius Regis nomen, quam diuinam opem & auxilium implorarent. Huic ſoli ſuam vitam & ſalutem commendare, ac tanquam Deo vota facere: alij ſe allaturos munera, nonnulli, ſe, valuas ſui palatij tanquam ad quoddam ſacellum, in quo habitet Deus, oſculaturos, eaque domus ſe felicem ac fortunatam cenſere, quæ poterat nanciſci aliquid ex regia ſuppellectile, vtpote indumentum, calceos, aut aquam, vnde manus abluerat, eaque non raro, (tanta eos ſuperſtitio vel potius dementia ceperat) aduerſus febres, ac cæteros morbos, ceu præſens remedium, vtebantur. Verumenimuero, vt innumera eius generis prætereeam, hoc tantum adiecerim, non modo tenuioris fortunæ homines; at etiam ipſius liberos, ac Sultanos, in Regis colloquium admiſſos, cum exiſtimarent, ſe nulla epitheta, nulloſque titulos poſſe inuenire tanta maieſtate atque amplitudine dignos, his verbis plærunque vſos eſſe: Tu es noſtra fides, & in te credimus. Cæterum in locis ab aula remotioribus, complures omnino ſibi perſuadebant, hunc Regem, præterquam quod ſpiritum propheticum haberet, etiam vita ſemel defunctos, in auram ętheream reuocare, multaque alia miranda efficere, hoc etiam addito, nempe quod, quemadmodum Halis, ipſorum præcipuus propheta, olim genuit vndecim liberos virilis ſexus, ita etiam hic Rex totidem numero diuina prouidentia ſuſtuliſſet.

Quot liberos Tammas ſuſtulerit. Et quoniam de ipſius liberis hic mentionem facimus, conſentaneum eſt, & à noſtro inſtituto minime alienum, ſi hoc etiam adiunxerimus, ipſum videl. ex multiplici coniugio vndecim liberos mares ac tres feminas genuiſſe. Huius filius maximus natu, dictus eſt Muhemet Hodabendus, ſiue vt alii appellant, Cudabenus, qui, patre ſuperſtite, maiorem partem ſuæ ætatis tranſegit in regno Curaſſano, quod vocant Cheri, contentus exigua quadam ditione ſibi à patre aſſignata. Cum vero ſibi filiam reguli Curaſſani matrimonio copulaſſet, ſocero defuncto, eius regni poſſeſſionem ac hæreditatem adeptus eſt. Hic tres filios procreauit, quorum prior natu vixit in aula, & ipſi Tāmaſo propter egregias virtutes, & corporis præſtantiam longe chariſſimus, atque acceptiſſimus fuit, cum præſertim nullum alium nepotem haberet. Secundus, appellatus eſt Iſmael, vir acri promptoque ingenio, & rerum bellicarum maxime ſtudioſus ac peritus, & in bello

admodum

admodum fortunatus, quippe qui ter, vel pacis tempore, collectis magnis copijs, Turcarum purpuratos, & inprimis Bellerbegum de Arzrum, cui nomen fuit Iskender Baſſa, in ditione Sultani Solymani non ſolum ab inferendis iniuriis repreſſit, ſed etiam omnes prope illorum copias multo maiores, fortiſſime deleuit; parumque abfuit, quin, disiecta hoſtili acie, ipſum Bellerbegum ceperit, & Esdrumum celeberrimi nominis vrbem, rurſus Perſico imperio adiecerit. Porro hinc factum eſt, vt Maeſſum-Bech, intimus ac ſupremus Regis conſiliarius, & ipſi Iſmaeli longe infenſiſſimus, arrepta occaſione, Tammaſum à filio alienatit, cum diceret, ipſum nimis præaltos ſpiritus gerere, & inſcio atque inconſulto patre, habito militari delectu, induciarum tempore Ottomannicam ditionem hoſtilibus armis innaſiſſe; ac inſuper, vt illum magis prægrauaret, quaſdam literas, conſcriptas Sultanis per varias prouincias, quibus, illorum animos ad bellum Turcis inferendum, omnibus ſtudijs atq; artibus ſolicitaret, Regi exhibuiſſe; huiuſque perſuaſione Iſmaelem in arcem vulgo Kahkahe, ſitam in regione Erdeuil, quæ vicina eſt finibus Perſiæ, ac Syruani, coniici iuſſit: ibique ad multos annos eum in arctiſſima cuſtodia detinuit, adeo, vt etiam poſt patris obitum ibidem captiuus detineretur. Addunt etiam, ipſum Regem haud raro ad eum nobiliſſimas & pulcherrimas virgines & matronas miſiſſe, vt ſeſe cum ipſis oblectaret. Illum vero, ab earum commercio & conſuetudine prorſus abſtinuiſſe, cum diceret, ſe æquo animo ferre præſentem calamitatem: At ſi ſuos liberos eidem captiuitati ac miſeriæ obnoxios videret, id ſibi longe calamitoſius futurum: ſeruos præterea, neutiquam muliebres voluptates atque delitias decêre. Licet vero in hunc pater optime affectus eſſet, ac eum priſtinæ libertati reſtitutum cuperet, ſummopere tamen metuebat, ne liberatus, Perſicum regnum ſibi vſurparet, cum præſertim ab indigenis & prouincialibus mirifice adamaretur, tametſi etiam Sultani, illius præferocem naturam, & præcelſos ſpiritus maxime ſuſpectos haberent, ne ſcilicet, ad imperij gubernacula promotus, militiæ præfectos atque primores, maiori ex parte, nouis ſubſtitutis, ſua dignitate ac munere abtogaret, ſimulque tot fratres, qui haud mediocrem regni partem ſuis Satrapijs & præfecturis occuparant, ſtatim è medio auferret. Tertius ipſius Tammaſi filius vocatus eſt Sultanus Caidar Miriſes, patris legatus, vt antea retulimus, iſque fuit breui ſtatura, ſed facie admodum decora atque amabili, & cũ in familiaribus congreſſibus atque ſermonibus, tum etiam cultu corporis & equitandi peritia valde conſpicuus & gratioſus, patrique mirum in modum carus atque acceptus. Hunc libenter, illos audire ſolitum narrant, qui de arte militari & bellica diſciplina differerent, licet ipſe ad bellum gerendum non ita aptus atq; idoneus foret ob naturam nimis mollem ac delicatam. Valuit tamen ingenio; & hiſtoriæ cognitionem, cæteraque ſtudia, & quæ in primis ad politicam gubernationem ſpectant, plurimum coluiſſe fertur. Reliquorum filiorum nomina fuêre Muſtapha, Mircanus, & Genuitus. aliorum vero, mihi nondum plane innotuerunt.

Annui reditus Perſarum regnante Tāmaſo.

Nunc autem operæpretium eſt videre, quanti extiterint ipſius annui reditus, & vnde poriſſimum excerpti atque collecti, ex quo vectigalia, vti iam retulimus, amoueri atque auferri iuſſit. Hæc ſiquidem, cum in quolibet regno atque Republica ſint præcipuum robur ac neruus, non dubium eſt, quin deinceps maxima ex parte diminuti eſſent, & propterea ſublatis portorijs, ratio ineunda fuerat, qua imperij maieſtas cum dignitate conſeruaretur. Itaque regio decreto ſancitum atque ordinatum fuit, vt ex tritico, re frumentaria, vineis, pratis, ſingulîſque mercibus, pro qualibet portione vna ad ipſum Regem deferretur, & pro quolibet agro ſeu campo, quiſque dimidium ferme coronatum perſolueret. Item vt ſinguli in locandis domibus, pro centum aureis, quinque in regium ærarium transferret. His quoque acceſſit tributum Chriſtianorum, qui in nonnullis regionibus, pro qualibet domo quinque aureos, & in quibuſdam aliis, ſeptem, & octo, prout erat ipſarum regionum, quas inhabitabant, fertilitas, perſoluebant. Ex armentis vero, pro quadraginta ouibus, annuatim quindecim beſtos, qui, ratione ad Venetæ monetæ calculum ſubducta, tres libras & decem ſo-

lidos conſtituunt. Et pro qualibet vacca annuatim ſoluerunt decem beſtos; qui duarum librarum & decem ſolidorum ſummam conficiunt. Nam pro maſculis armentis nihil plane perſolui conſueuit. Hinc ergo ipſius Regis annui cenſus ac prouentus eliciebantur, qui dicuntur ea tempeſtate confeciſſe ad tricies centena millia nummûm aureorum. Impenſæ vero ac ſumptus ex regio ærario prouenientes, reuera perexigui cenſebantur, cum ſolummodo quinque lectiſſimorum virorum millia, nimirum prætoriani atque regij ſatellites, quos antea patrio idiomate Curcos nominari diximus, eius ſtipendiis alerentur. Nec etiam his ſtipendium in prompta expeditaque pecunia dabatur: ſed eius loco plærunque, ſicuti antea commemorauimus, veſtimenta, equi, & arma; quo pretio illi placuiſſet. Verum, quod attinet ad ipſius liberos, horum ſinguli ſeorſum ſuas familias alebant, & frequentis aulæ dignitatem tuebantur: ſed tamen mihi exploratum non eſt, quantum pro ipſis annuatim impenderetur. Sultani fuêre numero quinquaginta, quorum conſilio & auctoritate vniuerſa huius Regis militia potiſſimum innitebatur. Hi ſuas prouincias, excepta ditione, quæ ab ipſo Rege, ac eius liberis poſſidebatur, in quinquaginta partes diſtribuerant, & quiſque illorum, quingentos, mille, ac etiam duo millia equitum in ſua præfectura habebat, qui ex ſuis Satrapijs & regionibus ſibi concreditis & aſſignatis, tantum redituum ſigillatim eliciebant, quantum ſatis eſſet alendo equitatui, & frequenter numerum ſuorum equitum recenſebant, adeo vt ingruente aliquo bello, Rex nulla alia cura & ſolicitudine torqueri deberet, quam, vt vno, vel duobus menſibus ante ſuſceptam expeditionem, ipſos Dynaſtas per fideles miniſtros atque nuntios de ſui animi decreto mature commoneſaceret. Hi enim, cum ſemper in promptu atque parati eſſent, e veſtigio, ac citra vllam difficultatem, cum inſigni armatorum hominum apparatu, ad ſtatutum locum conueniebant, erantque circiter centum millia robuſtiſſimorum equitum. Arma vero, quibus Perſæ his temporibus in acie contra hoſtem ſeipſos protegunt, hæc ſunt præcipua, nimirum Thoraces, clypei, & galeæ. Cæterum, ad lædendos ſubigendoſque aduerſarios, vtuntur enſe, arcu, & longis ſclopetis, nec vllus eſt inter milites, qui eis hoc tempore non vtatur, in hiſque iam longo vſu & frequenti exercitatione tantam peritiam omnino adepti eſſe dicuntur, vt omnibus ferme populis & nationib. antecellant, cum præſertim inſigne quoddam temperamẽtum & admirabile artificium in his conficiendis adhibeant. Interior pars ſclopetorum, quæ tota ex ferro conſtat, ſeptem palmarum longitudinem exęquat, globoſque ſuſtinet ferme quinque vnciarum pondere, & huiuſmodi armorum genere ſumma quadam agilitate vtuntur; ita ſane, vt nihil prorſus impediat, quo minus, ſi vſus locuſque depoſcat, reliqua arma, videlicet, arcus & gladium expediant, ſcutis in tergum reiectis, cum auerſi pariter & aduerſi ſagittare didicerint, & ſclopetos retro ab humeris tanta ſolertia & facilitate adaptant, vt, quod mirum videri poſſit, nulla res alteri ſit impedimento. Arcus geſtant latos & præduros cum prævalidis neruis, ita vt ſagittas validiſſimas emittant ad morem Scytharum. Eorum equi forma & robore tam elegantes ſunt atque conſpicui, vt minime illis opus ſit aduectu exterorum, idque potiſſimum contigit à morte Sultani Baiazetis, qui, vt antea recẽſuimus, aufugit in Perſiam, & ſecum aduexit pulcherrimos equos Cilices, ſeu Caramanos, & equas Arabicas, perrara itidem bonitate ac ſpecie, ſibi, dum illac tranſiret, à diuerſis Regulis atque Proceribus donatas. Et poſtquam Tammaſus in gratiam Solymani, vel potius ob auaritiam, ſingulari quadam perfidia vſus, ipſum, cõtra omne ius hoſpitalitatis ac promiſſi, clam trucidari iuſſiſſet, vniuerſa eius ſuppellectile potitus eſt, in qua, pręter triginta maiora tormenta, quæ ſtatim Sumachiam, celeberrimi nominis vrbem, ad mare Caſpium poſitam, conuecta ſunt, multamque vim pecuniarum, & reliqua ſpolia, fuerunt equorum & equarum circiter decem millia, vnde tam generoſa & egregia ſoboles nata eſt, vt Imperatores Ottomannici non habeant præſtantiorem, nec etiam huic conſimilem. Sunt alioquin Perſarum equi natura præſtãtes, ſublimes, pleni, feroces aſpectu, robuſti, aſſueti bellicis rebus, qui vtuntur frontis operimen-

Tammaſi militia.

Sultani.

Arma Perſarum, quibus vtuntur in bello.

Perſarum equi.

operimentis ferreis, & integumentis ex corio cocto ad vſum Italicæ armaturæ, quæ ipſi congerunt è coniunctis congeſtisque ſimul laminis: vtuntur & veſtibus condenſatis bambaſio, ita vt quemuis armorum ictum facile ſuſtineant: At cataphracti thoraces habent ſquammoſos, & ferrea ventris integumenta, & galeas, quarum ferrum ad tegendam faciem demittitur, ſcutisque circularibus firmiſſimis, lanceis præualidis, acinacibus, & clauis ferratis vti conſueuerunt.

Baiazetes filius Solymanni confugit ad Perſas: & ibi interficitur.

Et quoniam proxime Baiazetis mentionem fecimus, hæc de illo quambreuiſſime repetam. Is ſane ob ſuſpitionem de ſucceſſione in imperium Turcarum, cum Selymo fratre, Roſſæ filio, ſigna contulit, atque cum totis caſtris dimicatum eſſet, victoriaque fuiſſet penes Selymum, cuius partibus mater plurimũ fauebat, coactus eſt ſe in Perſiã cum viginti millibus armatorum recipere, Ita Perſa Rege concedente, vnde poſt ipſius cædem, & ſpolia, & duodecim millia hominum per legationes Selymi, licet irrito euentu, ſunt repetita. Vt vero Tammaſus, ſeipſum aduerſus Ottomannicas incurſiones tutiorem redderet, vniuerſa oppida & arces in finibus Turcarum ſitas, funditus dirui ac ſolo æquari iuſſit, adeo, vt ad ſpatium itineris ſeptem aut octo dierum, illic omnia ad horribilem quandam ſolitudinem & vaſtitatem redacta fuerint.

Cum quibus Regibus Perſa confœderati ſint.

Amicitiam vero, & prope confœderationem exercuit eum quodam Regulo Chriſtiano, Leuenthbeghio vocato, Georgianorum Principe, qui ipſi quotannis tributi nomine viginti millia nummũm aureorum perſoluit. Huius autem ditio eſt Caſpio mari conterminа, & habet in armis prompta in omnes euentus ad decem millia lectiſſimorum equitum, & multum peditatum. His quoque accedebant nonnulli Principes Turcarũ, quos vocant Chiordos, habitantes in montibus Armeniæ, verſus eam partem Georgianorũ, quæ ab ipſis Turcis poſſidetur ex latere maris Euxini, quos etiam Tammaſus fœderis iure ſibi obſtrinxerat, hique poſſunt colligere, præter pedeſtrem manum, ad octo millia ſtrenuiſſimorum equitum. Ex his ſuperius commemoratis, facile cuiuis conſtabit, quales fuerint huius Regis mores & natura: quomodo ſeſe in ſui regni adminiſtratione geſſerit: qualis fuerit eius aula, ſenatus, militia, annuales prouentus, & impẽſæ: quot liberos ſuſtulerit: quæ illorum nomina: quo pacto ſeſe aduerſus Turcas communiuerit, & cum quibus denique Regulis fœdus ac ſocietatem contraxerit.

Mors Tammaſi.

Porro eius obitus incidit ferme in annum Chriſtianæ ſalutis ſupra mille quingentos ſeptuageſimum quintũ. Vixit annos circiter octo & ſexaginta, ac præfuit in imperio vltra duos & quadraginta annos, cœpitque regnare anno ætatis ſuæ decimo ſeptimo. Princeps talis, qualem antea deſcripſimus, & in bello parum fortunatus, quique à ſuis prædeceſſoribus plurimum degenerare viſus eſt. Statura corporis dicitur fuiſſe mediocri, optima atq; firmiſſima membrorum conſtitutione, colore ſubfuſco, & labris grandiotibus. Paulo antequam è vita migraſſet, Caidarem Miriſæ tertiogenitum, ſeptendecim annorum adoleſcentem, qui patre adhuc ſuperſtite, eius vicario munere fungebatur, prioribus liberis poſthabitis atque neglectis, ſibi teſtamento ſucceſſorem deſtinauit. At regni proceres, rei indignitate commoti, haud multo poſt, de vnanimi omnium conſenſu ac voluntate, ad MuhametHodabendum, quem alij vocant Cudabendum, quod nomen Deodatum apud Perſas ſignificari dicunt, adhuc in regno Curaſſano ſubſiſtentem, legatos cum literis miſerunt, eique, ceu primogenito, regale ſolium atque faſtigium detulêre. Verum ipſe, Perſicum imperium, cum legitimo ac primatio hæreditatis iure, ſibi debitum, tum etiam cõmunibus procerum ac prætorianorum ſuffragijs oblatum, neſcio quibus cauſis, & rationibus commotus, recuſauit.

Iſmael II. Perſarum Rex.

Quo intellecto, Iſmaelẽ ſecundogenitum, annum tertium & quadrageſimum agentẽ, è carcere, vbi, quemadmodum antea oſtendimus, à patre per multos annos in arctiſſima cuſtodia detentus fuerat, exemptum, ſibi Regem conſtituerunt & declararunt. Hic, paterni regni adminiſtrationem adeptus, hanc protinus à ſæuitia & crudelitate auſpicatus eſt, & Caidarem Miriſæ tertium fratrem, veneno, ſiue vt alijs placet, ferro interfici curauit. Fratre ſublato, cœpit animum adijcere ad regnum ſtabiliendum, & ad dignoſcendos procerum animos, quorũ conſilio tamdiu à patre in vinculis deten-

Eiuſdem ſtratagema.

tus fuiſſet, callidum conſilium ac mirę aſtutiæ plenum excogitauit: ſiquidem per multos dies ab hominum conſpectu abſtinuit, iuſſitque, tumorē ab intimis diſſipari, quod Rex deceſſiſſet: cuius mortis, non ſecus quam Vſumeaſſanem olim feciſſe narrauimus, omnes ſignificationes fieri imperauit, quo res ab omnibus crederetur, vt poſſent animi cuiuſque notari. Ea res credita, effecit, vt multi occulta odia pateſacerent, quæ omnia confeſtim ad Regem per clandeſtinos exploratores delata fuêre. Vbi poſtea ſanus atque incolumis prodijſſet, complures capi iubet, & multi ſibi conſcij delictorum, ſubito ad fines regni profugientes, fuga ſibi conſuluerunt. Rex, collecto repente magno equitatu, hos ad fines regni inſecutus eſt. Quamobrem Turci qui erant in ipſis finibus, cognitis his motibus armorum, veriti in ſe arma capi, ad defenſionem ſe accinxêre. Id ipſum faciunt Perſæ in finibus. Quare ad arma res vbique proſpectabar, & cum Perſarum animi ad vlciſcendas iniurias à Turcis illatas, iam propenſi eſſent, cœptum eſt hinc inde varijs excurſionibus loca finitima vexare, cum tamen interim grauiora damna à Turcis, quippe qui primi, & iam paratiores arma corripuiſſent, inſerrentur. Hoc autem, vbi ad Iſmaelis aures perueniſſet, ſummopere indoluit, cum præſertim domeſticas ſeditiones haud parum metueret. Proinde, vt his tandem ſublatis, ſeipſum in imperio tutius conſtabiliret, ac bellum, ſi ita res ferret, tanto felicius gereret, quotquot potuit è ſuſpectis proceribus, è medio auferri iuſſit.

Obitus.

Cæterum is, proximo regni ſui anno, à ſorore, optimatum ac etiam ſratrum impulſu, veneno clam ſublatus eſt. Hoc viuis ſubtracto, cum primores viderent, ſe, Rege, ac legitimo regni hærede & ſucceſſote deſtitutos, iterum legationem miſerunt ad ſupradictum Muhamet Hodabendum, ac eum enixe ſummiſque animis orarunt, vt paternas faſces atque imperium capeſſeret. Ille, tametſi ab initio rurſus refragari videretur, nihilominus tamen inſtantibus legatis, & multas cohortationes ac preces admiſcentibus, randem eorum poſtulatis aſſenſus eſt, & mox in regiam profectus, ſummo omnium applauſu & acclamatione, ſtatim Rex creatus atque renuntiarus fuit.

Hodabēdus Rex Perſarum.

Hic ſane, vbi primum ad Perſici regni gubernationem admotus eſt, in ſuis actionibus auum potius & proauum, quā patrem imitatus, nihil habuit antiquius, quā vt Perſarum auitā gloriam & decus, patrijs moribus atque ſtudiis, maiori ex parte obſcuratū, ceu ex denſiſſimis tenebris in clariſſimā lucē vindicaret atque aſſereret, idque in primis omni vigilantia procurauit, vt maiorum exemplo rem bellicā, & militarem diſciplinā in ſuo regno ſerme collapſam & extinctam, denuo erigeret ac emendaret, eamque veteri Græcorum lege ad pręmia & pœnas reuocaret. Poſt hæc, animum ad bellum Turcis inferendū, quod etiam Iſmael ſuſcipere decreuerat, adiecit, eiq; expeditioni Emitcanū Mariſem, primogenitum, vitū acri ingenio, & bellicæ laudis glotia mirum in modū flagrantem, cum ſuprema poteſtate atque imperio præfecit.

Emircanus Mariſe Hodabendi filius, Perſico bello aduerſus Amurathem præficitur.

Coactis itaque multis millibus hominum armatorum, Babyloniā, vbi noui reges, de more Perſarum, ſibi gladiū accingere conſueuerant, proficiſci decreuerat. Hæc vero vbi Conſtantinopolim per ſedulos fideleſque nuntios perlata ſunt, Amurathes in maximam ſuſpicionē deuenit, ne auitas vrbes, Turcicis armis occupatas, per vim armorū, vellet recuperare. Quamobrem ſtatuit & ipſe copias colligere, ac protinus ad duo millia lectiſſimorum equitū ad fines præmiſit. Cæterum Perſa, cum palā publiceque proteſtaretur, ſe nolle bellū concitare, ſed duntaxat regni ſui limites atque pomœria recognoſcere, Turca breui poſt, militares apparatus maiori ex parte remiſit. & prouidus futurorū, caute ac diligenter, quænā eſſent Perſarum conſilia, obſeruare. Interea temporis, Hodabendus, licet aduerſus Amurathē hoſtilem animum indutus, nihil præter aliquā inſignem expeditionē noctes dieſque meditaretur, nondū tamen ſibi cōmodum atque opportunū videbatur, cum tanta potentia & viribus innixū, inuadere, & inſtructa acie, belli aleā ac fortunā experiri, niſi prius ſeipſum in imperio recens ſuſcepto conſtabiliret, & cum veteribus amicis ac finitimis regulis fœdus atque ſocietatē inſtauraret. Et quoniā ſibi fraterna fides ſupra modū ambigua & ſuſpecta erat, maximeque verebatur, ne dum ipſe vna cum filio externis bellis implicitus, procul militaret, Perſicū regnum à fratribus iam

prouectio-

prouectioris ætatis, inuaderetur, ſtatuit ſuum animum hac ſolicitudine ac metu ſoluere. Quocirca vniuerſos bellicos apparatus, in tres fratres natu grandiores, qui paucis ante menſibus, præ timore, ne dolo atque inſidijs circumuenirentur, ab ipſius Regis aula ad fines vſque Turcarum profugerant, conuertit. Cæterum poſtquam illos aperto Marte capere nequiuit, ſimulat per communes amicos, ſe omne odium omnemque ſimultatem depoſuiſſe, atque his non modo regiam gratiam & fraternam charitatem; ſed etiam ampliſſimas præfecturas & dignitates pollicetur. Illi, cum regiæ ac fraternæ fidei ſe vltro tradidiſſent, mox iuſſu Regis comprehenſi, crudeliter ſunt necati. Proinde cum ſe ipſum domeſtico timore atque periculo liberaſſet, omnia ſtudia & cogitationes ad Turcicum bellum applicuit. Huius ſiquidem animum ſupra modum infeſtabat amiſſorum locorum, de quibus antea meminimus, triſtiſſima & acerbiſſima recordatio, miroque & incredibili recuperandæ in primis Babyloniæ deſiderio atque cupidine accendebatur.

Tres fratres per dolum à Rege Perſarum trucidati.

Quocirca non amplius ſimulatione ſibi vtendum ſtatuens, omnibus Sultanis, ſuæ militiæ præfectis, mandat, vt tam ex ſuis popularibus, quam ex fœderatis prouincijs & nationibus, quantas poſſint, copias deſcribant, & quæ maxime aduerſus potentiſſimum hoſtem belli vſus requirat, omni cura & diligentia præparent atque conſtituant. Quod quidem ab ipſis ſumma fide ac celeritate perfectum eſt.

Perſici apparatus contra Turcas.

Hæc vbi Conſtantinopolim allata ſunt, & Amurathi per fideles miniſtros ac ſpeculatores ſignificata, confeſtim nauali expeditione, quam aduerſus Chriſtianos Principes, quos non minori odio, quam ſui maiores, perſequitur, omiſſa, omnes bellicos apparatus, exceptis quinquaginta triremibus ad locorum maritimorum defenſionem eductis, ad limites ſui imperij aduerſus Perſam direxit. Miſſa ſunt primum duo millia prætorianorum ad eos fines, multaque millia Spachium, qui ſunt equites Turci perpetua ſtipendia merentes, ad illud bellum vndique cientur. Cum vero Scythæ quaſdam fœderis conditiones à Turcarum Imperatore poſtulaſſent, reiecti, continuo ad Perſarum ſtipendia confugerunt.

Turcarum apparatus contra Perſas.

Scythæ adhærent Perſis.

Cæterum Perſa, collectis fere centum millibus armatorum, Turcicos fines repente inuadit, tantaque alacritate & dimicandi ſtudio, vt omnia quæque facillime cederent. Amurathes interim, nihil omnino de ſolita vigilantia remittere, quin potius nihil maiori ſtudio ſatagere ac procurate, quam vt ingentes copiæ aduerſus Perſas in caſtra vndique conuenirent. Cum vero interea, Perſicum bellum indies magis atque magis exardeſcere, & Perſarum exercitus, noui militis acceſſione magis formidabilis reddi cœpiſſet, fama per Byzantium diſſeminata eſt, Amurathem ipſum, Hierapolim vſque cum maximis copijs egreſſurum, adeo vt illic duo vexilla Imperatoria erigerentur, quæ ſolent erigi, cum Imperator exit ad bellum. Iuſſi ſunt duo purpurati cum quinque millibus Ianizzerorum ſingillatim Byzantium conuenire. Imperantur multa nauigia tormentis, & militari apparatu omnis generis onerari, quæ omnia mox in Syriam conueherentur, quia paſſim dicebatur Amurathes fore in Syria, donec exercitus inſtrueretur, & poſtea rediturus Byzantium. Nam Perſæ plurima damna quotidie Turcarũ finibus inferebant, cum illorum copiæ, pluribus ſemper accedentibus in caſtra, magnopere excreuiſſent. In primis vero Perſæ Vanum, vrbem amplam & populoſam, poſitam in finibus Armeniæ, vi armorum capiunt, Turcaſque ibi inuentos, omnes contrucidant, mœnia proſternunt, ipſam vrbem diripiunt, atque in omnes reſiſtentes quam crudeliſſime ſæuiunt.

Vanum capitur à Perſis atque diripitur.

Turcæ, cum frequentibus certaminibus pugnarent, pluribuſque in locis, & complures vtrinque caderent, vt Perſarum acumen atque alacritas aliqua trepidatione obtunderetur, iubent multa capita cæſorum Turcarum deradi more eius nationis, atque clam per noctem in eorum caſtra deportari, vt appareret, multos Perſas interemptos fuiſſe: ſed irritum atque inane fuit illorum conſilium, quia cognitũ fuit ab ijs, quibus Turcica vafricies non eſt obſcura: atqui cum alijs in locis acriter pugnaretur, tũ ad Eſdrum præcipue decertatũ eſt, vbi multa millia Turcarũ interfecta ſunt, & complures capti. Neq; tantũ armis res Turcica per id tempus quammaxime affligebatur: ſed etiam fortunæ felicitas, quæ in cæteris bellis

Turcarum Stratagema.

Perſarum victoria.

plærunque aſpirare conſueuerat,videbatur iam terga vertiſſe,cum amicitiæ quarundam nationum à iacente felicitate,quaſique areſcente Turcarum, ad Perſarum florentem deſciſcerent.Siquidem multi populi in illis finibus vltro acceperunt Perſarum imperium,gloria rerum geſtarum & multis victorijs illuſtratum, atque ita fines Regis Perſarum partim vi armorum, partim etiam per accurrentes populos ſponte ob metum,& plærosque ob ſtipendia & munera,eximiamque Regis in quoſque præſtantes duces humanitatem,allectos,dilatabantur.Et quoniam non ſolum animi Turcarum militum, ſed etiã illorum populorum qui erant Byzantij,& in omnibus reliquis ciuitatibus Ottomannicæ ditionis,non parum exterriti & conſternati eſſe videbantur,conuecta ſunt Byzantium multa capita, & aures, & naſi cæſorum Turcarum decisi, qui dicebantur eſſe Perſarum, quo indigenæ ad eam militiã tanto alactius accederent. Huius vero atrociſſimi & cruentiſſimi belli, quod incepit anno ſupra mille quingentos, ſeptuageſimo

Mahometes purpuratus Ottomannici exercitus Imperator.

ſeptimo,præfectura initio demandata fuit Mahometo purpurato,viro pacis bellique artibus longe clariſſimo ac præſtantiſſimo,cuius nutu atque conſilio in caſtris omnia gererẽtur.Hic, poſtquã ibi aliquandiu rebus gerendis præfuiſſet,cum Amurathes illius præſentia,propter inſignẽ in politicis rebus, & imperij adminiſtratione vſum atque peritiã,diutius carere non poſſet, domũ reuocauit,& Muſtaphã,itidem purpuratum,cuius virtus in multis bellis antea inclaruerat, in eius locum ſubſtituit.Mahometus interim,domum reuerſus,vndecima die Octobris anni 1579.circa horam pomeridianam à quodã mendico Turcico, antea milite,

Eiuſdem cades.

ſupplicem libellum exhibente,in regia percuſſus cultello,in dextrum pectus illiſo, duabus poſt horis mortuus eſt: homicida pariter, altera ſtatim poſt hora,in quatuor partes diſſectus. qui in perpetrato facinore, adeo ab aſtantibus, contra primatum exhortationem,hinc inde tractus,& verberatus erat,vt ſemimortuus & mutus inde reportatus,& ad ipſum Imperatorẽ ductus; cauſam perpetrati homicidij dicere nõ potuerit.Hic fuit exitus Mahometi Baſſæ,hominis pene ſeptuagenarij,maxima gratia & auctoritate florentis, qui trium Imperatorũ ſupremus

Muſtapha purpuratus ſuccedit in locum Mahometis.

Veſitius,id eſt,locum tenens,ſeu vicarius extiterat. Muſtapha,Ottomannici exercitus Imperator,quod multis morientibus in caſtris & morbo,& inopia annonæ & ferro Perſarum in frequentibus prœlijs,ſuas vires indies imminui & debilitari intelligebat,cum iam neque poſſet præſentes Turcas mole ærumnarum conſternatos,vllis vel minis vel promiſſis impellere,vt alacriter pugnarent, neq; ad horum exemplum ſupplementa facile capere,cum omnes bellum id, vt funeſtum

Stratagema.

Turcis,deuitarent,excogitat conſilium facilitatis plenum. Procurat rumorem in caſtris,ac etiam Byzantij,& in finibus Perſarum diſſipari, quod Cudabendus diem ſuum obijſſet.Deinde paucis poſt diebus, non modo eius interitus fuit repetitus; ſed etiam additũ,quod frater cœcus fuiſſet creatus Rex, ac etiã metu veneni ſororem cædi iuſſiſſet.His adiungebatur, illum eſſe pacis & quietis percupidum.Quare aſſerebatur,bellum non eſſe amplius aduerſus Perſas, ſed duntaxat aduerſus Georgianos populos, in quos Amurathes vellet animaduertere, propterea quod ad fidem Perſarum ab Imperatore deſciuiſſent, tatus per hanc famã

Prælium inter Turcas & Perſas, cum inſigni Turcarum clade.

fieri poſſe, vt Turci alacrius in caſtra conuenirent. Cæterum,breui ſpatio interiecto,citra Babyloniam commiſſum eſt acerrimum prœlium inter ipſos Turcas,& Perſas,in quo Ottomannicæ copiæ parũ feliciter pugnarunt cum Perſis,in eoque certamine ad ſeptuaginta millia Turcarũ cecidiſſe perhibetur. Muſtapha, vt acceptã cladem vlciſceretur,& tantã ignominiam & labem aliquo præclaro &

Scythæ fauent Turcis.

inſigni facinore obliteraret atque deleret, Scythas, Ottomannicis partibus fauentes,iuſſit,collectis magnis viribus,in fines Perſarũ, ad Derbentum irrumpere,ac ſibi obuiã per ingentes populationes procedere. Ipſe interim cum ſuo exercitu in acie procedit ad inuadendũ regnũ Siruanum, quod ad Perſicũ imperium ſpectat. Poſtquam ad eos fines peruentum eſt, Georgiani, Armeniæ populi, qui ſunt ab Hyrcano mari ad Mæotidem paludem vſque, in tam ampla regione, vt viginti & ſex illorum idiomata fuiſſe dicantur,multis cum beneuolentiæ ſignificationibus,ac muneribus purpuratum excipiunt, Pontem etiã ſuper amplũ fluuium

tium excitant ad traijciendas copias in finibus Curdonum: ſed Muſtapha, vbi traiecisſet, ad triginta millia armatorum ad pontis cuſtodiam reliquit, ne vel reditus, vel iter commeatibus in caſtra intercluderetur: qua ratione viſus eſt parum fidere illis populis, quos arbitraretur in gratiam Perſarum magis eſſe propenſos. Ipſe cum reliquis copijs populabundus, ad Summachium vſque Metropolim eius regni, procurrit, nemine inuento, qui ei vel tantillum reſiſteret. Sammachia vrbe occupata, munitionem è gleba miro ſtudio ac peritia excitat, factis validiſſimis aggeribus, ac centum & quinquaginta bellicis tormentis varij generis vndiquaque diſpoſitis, ibique Achmetum Eunuchum purpuratum cum viginti & quinq; millibus hominum reliquit, ipſe, cum iam prope hyemaret, cum reliqua parte exercitus paulatim in Armeniam contendit. At Perſæ certiores facti, Scythas cum haud mediocri equeſtrium ac pedeſtrium virorum agmine Turcis ſubſidio venire, confeſtim in eos impetum faciunt, omneſque, præter paucos, qui fuga ſibi ſalutem inuenêre, interficiunt. Reliqui Perſæ, qui caſtra Muſtaphæ inſectabantur, incredibili celeritate vſi, ea tandem aſſequuntur. Vbi Turcæ intra vallos foſſaſque militares, ne prorſus fugere hoſtẽ viderentur, conſtitiſſent, Perſæ illos ad certamen prouocant. Sed Turcæ, quia non veniſſet in caſtra Imperator, palam profitentur, ſe nolle fortunam belli experiri. Interim non paucis, aut leuibus Perſarum contumelijs diuexabantur, eum timidi, & ſegnes, atque imbelles à Perſis vocarentur, & qui non in propria virtute & lacertis, at duntaxat in munitionibus & bellicis tormentis omne præſidium omnemq; ſpem ſalutis reponerent, vbi hoſtes magnanimos & pugnæ auidos inuenirent. Hæc, & plæraque alia his conſimilia, Perſæ in Turcas iactabant, quorum animi, licet ob multas calamitates & clades, vel initio huius belli acceptas, plurimum conſternati eſſent, ipſi tamen aſſiduarum contumeliarum & conuitiorum, quæ ex Perſis frequenter exaudiebantur, impatientes, oblatam ſine tormentis pugnæ arripiunt facultatem, cum vellent oſtendere Turcicam fortitudinem ac virtutem, neutiquam in aggeribus & militaribus machinis; at in brachijs & vigore animi, atque in acinacibus fortiſſimorum hominum conſiſtere. Arripiunt igitur pugnam, vtrinque acies inſtruuntur, acriter dimicatur, eo tandem ſucceſſu, vt victoria ad Perſas inclinaret. Georgiani ex altera parte, cognito aduentu Perſarum, quoniã ægre tuliſſent cuſtodias pontis, tanquam certiſſimum argumentum animi purpurati parum beneuoli atque amici, copias repente colligunt & ipſi, magnoque impetu illas trucidant; eaque Turcarum clade, & pons, & regio Georgianorum Turcicis terroribus liberata fuit, ac pons reſciſſus. Conſtans fama obtinuit, eo tempore ad octoginta millia Turcarum cæſa, omneſque proceres, quam pauciſſimis exceptis, vel interemptos, vel captos fuiſſe. E Perſis, ad quadraginta & quatuor millia cecidiſſe. Reliquis Perſis ad vrbem Summachiũ reuerſis, vbi Eunuchus ſe nullo modo poſſe reſiſtere animaduertit, tantis præſertim ac victricibus copijs, Derbentum verſus profugit, quaſq; potuit cuſtodias ſeruauit: reliqui eius milites ſunt à Perſis interfecti. Capta ſunt cum ipſa vrbe quamplurima tormenta, multaque ſpolia & pretioſa impedimenta, atq; omnes bellici apparatus à Muſtapha relicti, in Perſarum poteſtatem deuenerunt. Hac ſuorum clade Amurathes intellecta, eueſtigio, ad confirmandos ſuorum ſubditorum animos, in vniuerſo imperio ingentis lætitiæ ſigna edi iuſſit, quod trucidata eſſent multa millia Perſarum. Et hæc quidem geſta ſunt anno eiuſdem ſui ſeptuageſimo octauo. Cæterum inſequenti, in finibus Perſarum non ſolum frequentibus prœlijs hinc inde funeſtis & vtriſque calamitoſis pugnatum eſt, verum etiam Perſæ ipſis Turcis grauiſſima damna intulêre. Nam cum Turcæ in ampliſſima planitie ad viginti & quinque millia equorum, & ſeptem millia camelorum miſiſſent cum præſidijs triginta millium Turcarum, vt fieri ſolet per æſtatem, ad pabulum & gramen adultarum herbarum, quamuis id tardius feciſſent, tentoria poſita ſunt in planitie à Turcis cuſtodibus illorum iumentorum. Perſæ, cum diſtarẽt ad quatuor dierum iter, re cognita, per fidos exploratores, deligunt ad viginti millia equitũ, qui, vbi appropinquaſſent, decem millia lectiſſimorũ primo inuadere iubentur, reliquis paulo

Summachium occupatum à Turcis.

Scythæ à Perſis interfecti.

Turcarum ingens clades cum non mediocri ſtrage Perſarum.

Georgiani ſeſe adiungunt Perſis.

Summachium recipitur à Perſis.

Alia Turcarum ſtrages.

longius abſiſtentibus,quod quidem ſactum eſt prima vigilia. Turcæ, cum de improuiſo inuaderentur,mirum in modum exterriti, nullo memorabili exemplo virtutis aut fortitudinis edito,ingenti ſtrage affecti ſunt,atque inſtar pecudũ,mactati.direpta ſunt omnia tentoria,illi ad vnum trucidati,equi,muli, & cameli,in caſtra Perſarum abducti.Interim ſuccreſcunt aſſidue nouis auxilijs Perſarum caſtra,quæ opulentiora faciebant multi felices rerum ſucceſſus,cum Perſæ iam Regem ipſum ex Tauriſio,vrbe regia,cum plurimo equitatu expectarent.Sed enim, cum tot cladibus iam acceptis,Turcarum animi ſupra modũ conſternati eſſent, Muſtapha,vt eos ad res bellicas erigeret, ſimulque promptiores atque alacriores redderet,prætorianos milites multis & largitionibus,& promiſſis, ad ſtrenuitatẽ ſolicitat.His,pro rebus fortiter geſtis,ingentia præmia,quorum conferendorum ſupremam haberet auctoritatem,pollicetur. Verum ipſi nullis perſuaſionibus adduci poterant,vt dicto obedientes eſſent,cum in animis hominum plus valeat

Amurathes implorat opem Scytharum.

ſtimulus naturæ,quã vlla mortalium promiſſa. Amurathes, cognita ſuorum imbecillitate,haud mediocrem ſpem reponit in auxilijs Scytharum. Proinde ad illorum Principes,legatos & munera mittit, rogatque, vt ſibi in tanta rerum neceſſitate,ſuisque rebus tantopere accijſis,auxiliares copias ſuppeditent. Et quo facilior conuectio rerum neceſſariarum fieret in caſtra Turcarum, quæ mari Byzantio comportari poterant ad littora maris Euxini, vnde in omnia finitima loca è claſſe paruo negotio transferrentur,Occhial,vir magni ingenij, reique militaris peritiſſimus, munitionem erigendã curat in regione Mengrelia vocata, in

Turcæ erigunt munitiones.

littore maris,quæ fieret quaſi tutiſſimus portus ac domiciliũ rerum Byzantio aduectarum.Hæc cœpta eſt fieri è regione Villachui,ex trabibus, gleba, & faſciculis lignorum ſumma diligentia,quæ altera ex parte mare ampliſſimum haberet pro foſſa,ex altera parte aggeres & propugnacula erigit ad arcendos hoſtes. ſi quis fieret illorum impetus,multis directis in inuaſuros tormentis.Vbi vero munitionẽ illã ad optatum exitum perduxiſſet.putauit non fore inutile, ſi in altera parte littoris,quaſi aliud propugnaculum,aliã munitionem excitaret, quæ ſeſe mutuo auxilio protegerent. Quare literas hac de re ſcripſit ad Amurathem:ſed quoniã plurimum poteſt gratia,& aſſentatio,& inuidia in aulis Principum, & opinio de ſingulis concepta,omnis cogitatio conuerſa eſt Amurathi ad ſummũ Imperatorem Perſicæ expeditionis mutandum.quia parum feliciter res cum Perſis agebatur.Nam vbi claſſis receſſiſſet,munitio capta eſt à Perſis & euerſa.

Sinamus purpuratus Turcicarũ copiarum dux.

Suffectus eſt igitur Sinamus ille, qui victor ab Africa expeditione & expugnatione Galathæ redierat,vir manu conſilioque promptus,& qui putaret, omnia ſibi ex ſententia & pro votis ſucceſſura.Non deſunt,qui aſſerant,ipſum Muſtaphã idcirco Byzantium è caſtris reuocatum, quod & Perſarum legatos,pacis cauſa venturos non admiſiſſet,& quod officia militaria pecuniæ cauſa venalia habere argueretur. Vt vero Conſtantinopolim reuerſus eſt,rei bene geſtæ laudes quidem tulit: cæterũ, quod exemplo nouo atque inuſitato,inſcio ſuo Principe, legatos cognatæ aliâs gentis,non admiſerit,& quod pecuniæ gratia diuites & opulentos fortibus & expertis præponeret,ideo in varias reprehenſiones & cõminationes incurrit. Verũ

Mors Muſtapha.

is,iras & minas Imperatoris metuens,ſumpto veneno, mortem obiuit voluntariã,annos natus plus minus octoginta.Hic olim fuerat ſummus dux terreſtrium copiarum in Melitenſi,ac Cypri expeditione,in qua,ſingulari crudelitate ac perfidia vſus eſt in Aſtorem Baleonum, & M. Antoninum Bragadenum,viros præſtantiſſimos,omnibusque virtutibus inſignes, quos vna cum trecentis Chriſtianis,qui Salaminæ ſuperſtites fuerant,contra pactiones, omniaque iura diuina & humana,exquiſitiſſimo ſupplicio affecit.Hic quoque cum Aegypti eſſet Beglerbegus,motus iſtius regni & Syriæ compoſuit,atque Arabes rebellantes edomuit. Is quoque Baiazetem,Solymani filium,cum,viuo patre,contra fratrem Selymũ inſurgeret,bello fregit,atque ita iuſſu Imperatoris perſecutus eſt, vt miſer ille vitam amiſerit & regnum.Vt primum vero contra Perſas exercitum eduxit, Georgianos Iberos,qui Chriſtum Græcorum more colunt, quod cum Perſis ſentire viderentur,inuaſit,atque inopinantes ita oppreſſit, vt bonam prouinciæ eorum

partem

partē occuparit, cum ciuitate quæ Tiffis dicitur, inſuperq; triburum annuum impoſuit, inde in Mediā irrupit, per id quidem tempus, quo Perſarū Rege Iſmaele defuncto, accerſitus fuit ad regnum ipſius frater Mahomet Hodabendus. Hic Perſarum Imperium adeptus, cum nondum ſeipſum in eo conſtabiliſſet, vireſq; Ottomānicas probe cognitas haberet, operæpretium fore cenſuit, vt lites & controuerſiæ inter vtramq; gentem exortæ, potius aliqua honeſta & æquabili tranſactione, quam vi atque armis dirimerentur, eaque de cauſa, Muſtapham per legatos de pace, aut ſaltem inducijs tentauit, donec ad Amurathem pacis conſtituendæ cauſa legatus mitteretur: At Muſtapha, cum eſſet inquieti ſpiritus vir, ſecunda que vteretur fortuna, omnem pacis reiecit mentionem. Perſæ itaque arma parant, vindicaturi tum recentes, tum veteres ſibi ab Ottomannis illatas iniurias. Et congreſſi ad ciuitatem, quæ Zeruan dicitur, à qua hodie Media ipſa Zeruan appellatur, acre commiſerunt prœlium, multis vtrinque cadentibus. Eſt tamen diſceſſum ambiguo Marte, niſi quod à Turcarum parte cecidit Tartarici Regis, eius qui ad Mœotidem paludem dominatur, frater. Is enim Turcis, ex fœdere, cum triginta millibus equitum auxilio venerat, inde vario euentu eſt pugnatum, donec Perſis legatos pacis cauſa mittendi poteſtas data, & Muſtapha, miſſo ſucceſſore, reuocatus ſit. Perſarum oratores cum Byzantium veniſſent, atque de pace tractarent, nec de ea conuenitet, (Turci namque Mediam ſibi concedi poſtulabant, & Perſæ, Mediæ cauſa omnia facere videbantur) in Perſidem ſalui atq; incolumes reuerſi ſunt. Paucis poſt diebus, vbi de pace non conueniſſet, protinus vtrinque ad arma reuerſum eſt, & Perſæ quidem agros vndique vaſtarunt, pagos villaſq; exuſſerunt, & commeatus intercepêre, adeo vt Turci, duce Sinam Baſſa, qui Muſtaphæ, vt dictum eſt, ſucceſſerat, in magnas ſint coniecti difficultates, fame, peſteque exercitum inuādentibus, & expeditione relicta, exercitum, peſtis maxime cauſa, diuidere coacti fuerint. Turci interea, vt Georgianorum vires à Perſis diſiungerent, munitionem in finibus maioris Armeniæ excitarunt, cum ipſi Georgiani Perſicis rebus non mediocriter fauere viderentur, qui etiam Scytharum incurſiones reprimebant, ne prædabundi palanteſque in Perſarum fines vagarentur. At Perſæ, cognito Turcarum conſilio, vniuerſas copias in duas partes diſtribuunt: altera pars munitionem magno impetu inuadit, qua, poſt diuturnum certamen potita, omnes inuentos Turcas trucidat: altera pars nonnulla oppida in finibus Babyloniæ ſita, magna virtute oppugnat: Miſſæ ſunt etiam triremes quinquaginta ad eam munitionem, quæ in ora maris Euxini ſtruebatur, Carſiſque vocata eſt, cum multis ferramentis & bellicis apparatibus, quo iam multæ copiæ & operæ conuenerant, cum res Turcica non vna duntaxat calamitate, vno eodemque tempore affligeretur; ſed bello, rei frumentariæ inopia, & dira lues, quæ cum multis in locis, tum potiſſimum Byzantij mirum in modum graſſabatur, adiungeretur. Iis calamitatibus laborabatur etiam in caſtris Turcarum. Perſæ igitur in magnam ſpem veniunt propinquarum munitionum ſine prœlio capiendarum, eorumque ſpem regulus quidam, nomine Bogodanus, vir eximiæ auctoritatis, in iiſdem finibus, haud ſane mediocriter auxit. Quippe qui ad fidem Regis Perſæ cum multis millibus mortalium ſe contulerat, & Arabum incurſiones, qui Syriam multis prædationibus infeſtabant, maiori ex parte repreſſit. Cœpit peſtis vehementer deſæuire in vniuerſa Peloponneſo, & in alijs vrbibus atque oppidis Turcico imperio ſubiectis, adeo vt vel in vna ciuitate Hieropoli pluſquam ſeptuaginta millia vtriuſque ſexus intercidiſſe narrent. Turci, cum à Perſis in Carſis munitione erigenda, plurimum diuexarentur, conſilium capiunt artis & fallaciæ plenum. Curant rumorem diſſipari, ſexaginta Scytharum millia ſibi iamiam ſubſidio aduentare, idque vt facilius perſuaderent, nocturnos ignes accendunt, ac multa edunt lætitiæ ſigna propter aduentum, vti ferebatur, Scytharum. Perſæ, huiuſmodi rumoribus fide adhibita, & plurimum veriti, ne Scythicus miles cum Turcis coniungeretur, dicto citius ad quadraginta millia equitum in Scythas proficiſci iubēt. Horū diſceſſu cognito, ipſi maximo ſtudio ac diligentia, hoſtili metu liberati, abſque vlla mole-

Tiffis à Muſtapha occupata.

Perſarum legatio miſſa Byzantium.

Bellū renouatur ſub Sinam Baſſa.

Turcarum munitio à Perſis diruta.

Varum ab yſdem oppugnatum.

Carſis munitio à Turcis erecta.

Turci affliguntur peſte, & commeatus inopia.

Turcarum ſtratagema.

ſtia & obſtaculo, munimentum perficiunt: atque cum Perſæ neminem prorſus inueniſſent, quaſi deluſi, paulo poſt, in caſtra reuertuntur. Turci vero, cum tempus conceſſum fuiſſet excitandæ munitionis, tãta induſtria & celeritate vſi ſunt, vt vel purpuratus ipſe materiam comportaret, quo reliqui ad opus perficiendum, tanto alacrius accederent.

Aduentus Hemircani filij Regis Perſarum in caſtra.

Dum hæc à Turcis geruntur, Perſici Regis filius Hemircanus Mariſæ, cum quadraginta millibus fortiſſimorum equitum venit in caſtra, quorum acceſſu Perſæ, ne res diutius otioſe protraheretur, Sinamo, qui poſt erectam munitionem, cum ingentibus copijs à fronte regiorum caſtrorum conſtiterat, dimicandi poteſtatem faciunt, ſi velit totis viribus decertare, atque alcam belli vno prœlio experiri.

Sinamus detrectat pugnam.

At Sinamus, quoniam certo intellexerat, hoſtium caſtra tot millibus bellatorum adaucta, ſeque huiuſmodi robore ac ſupplemento, multo viribus inferiorem atque imparem factum eſſe, tantum abeſt, vt ad arma prouocatus, in aciem ſuas copias eduxerit, & collatis ſignis, aperto Marte cum aduerſarijs confligere ſtatuerit, vt etiam arbitraretur, minime ſibi conducere, ſi diutius eodem in loco perſiſteret, cum præſertim nulla ibi ſatis firma eſſet munitio: quare ad oppidum longe munitiſſimum, Aazirum, patrio idiomate Argironem vocatum inter fines Turcomaniæ, & maioris Armeniæ, haud procul ab Euphrate flumine poſitum, ſeſe actutum recipere cõſtituit. Perſæ, Sinami conſilia edocti, poſtremum agmen diſcedentium hoſtium inuadunt,

Carſis munitio à Perſis capta & euerſa.

& complures interficiunt, moxque ad Carſis demolitionem, ad cuius tutelam & propugnationem, decem millia Turcarum, & in his complures prætoriani milites, in præſidijs cum multo bellico apparatu relicta fuerant, caſtra conuertunt. Vbi illuc acceſſiſſent, cœpta eſt munitio pluribus è partibus eodem tempore inuadi, ac poſt diuturnam pugnam, trucidatis Turcis, munitio capta & funditus euerſa eſt. Sinamus, frequenti ſuorum clade cognita, copiaſque, virtute Perſarum non mediocriter quotidie labefactari animaduertens, nuntios, & literas ad omnes prouinciarum præfectos ablegauit, vt quanto plures poſſent, bellatores, è veſtigio mitterent in caſtra, quo Perſarum conatibus tanto facilius atque commodius reſiſteret. Et quoniam in Turcico exercitu permagna erat commeatus penuria, iuſſit, filium Mahometi cum tredecim millibus equitum in hoſtilem agrum excurſiones facere, atque illinc commeatum omnibus ſtudijs atque artibus conuehere. Is, repentino aduentu prædabundus omnia obuia populatur,

Turci de improuiſo à Perſis cæduntur.

multum capit frumenti, multaque omnis generis armenta. Cæterum Perſæ ad eius prædicationis rumorem excitati, redeuntem in caſtra, nihilque hoſtile metuentem, ac præda impeditum, repente aggrediuntur, Turcas omnes confodiũt, prædam & captiuos recuperant, cum tamen dux copiarũ, acceptis quatuor vulneribus, equi celeritate ſe fuga in tutum receperit. Hæc autem omnia incidêre in annũ ſalutis ſupra milleſimũ quingenteſimum ſeptuageſimum nonũ. At proximo anno, Conſtantinopoli, & in finitimis locis tanta inopia rei frumentariæ per

Siccitas ferme inaudita.

diuturnam ſiccitatem cœli nata eſt, vt nullis antea ſeculis par ſit audita, aut repetita ab antiquorum Turcarum memoria. Laborabatur præcipue in caſtris, quæ erant ad fines Perſarum. Sinamus frequentes militum querelas exaudiens, plurimum diſcruciabatur, præſertim cum nullum poſſet adhibere remedium, neque ipſe auctor eorum eſſet incommodorum.

Amurathes petit frumentum ab Epidauris.

Amurathes interim, neſcius à quibus auxilium in tantis ſuorum populorum difficultatibus & querelis potiſſimum peteret, ad ciues Epidauros literas dedit, quibus imperabat ſub pœna amittendæ imperatoriæ gratiæ, vt quatuor onerarias naues frumento onuſtas, Byzantium mitterent, quod iuſtum pretium & conueniens relaturi eſſent, ſibi pergratum fore tantum, vt ſui populi his tot malis atque calamitatibus ſubleuarentur. Per idem ferme tempus, filius Regis Perſarum cum viginti millibus equitum populabundus in agrũ Ottomannicũ excurrit: At Sinamus, his populationibus auditis, ad triginta millia equitũ miſit, qui horũ incurſiones refrænarent & cohiberent.

Perſarum ſtratagema.

Perſa, relictis impedimentis, fugam ſimulat, in quæ cum hoſtis auide irruiſſet, ac direptioni & rapinæ intentus eſſet, denuo reuerſus, tanta impreſſione perturbatos ordines inuaſit, vt ad viginti millia Turcarum interfecerit.

Tandem Sinamus, recollecto exercitu, reſedit aliquandiu ad ciuitatem, Ezerum nomine, quæ ad Euphratem fluuium ſita eſt: accepit & Conſtantinopoli auxilia circa principium Aprilis, anni eiuſdem ſeculi, 1581. eodemque tempore, arma, & pecuniæ, per pontum Euxinum & Trapezuntem, vt inde ad exercitum mitterentur, delatæ ſunt. Alter Turcorum exercitus ad portas Caſpias reſedit, duce Oſmanno purpurato, qui, niſi locorum beneficio ſe tutatus eſſet, & à Tartaris nonnulla auxilia accepiſſet, in maximas omnino deueniſſet neceſſitates. Loca enim inter vtrunque exercitum ita deuaſtata fuerant, vt propter commeatuũ inopiam neuter alteri ſubſidio eſſe poſſet. Interea temporis, vterque Princeps tam diuturno atque atroci bello defatigatus, paci lubens aſſentiretur, niſi conditiones obſtarent. Nam Perſæ, licet plærunque proſperos ſucceſſus habuerint, illorum tamen prouinciæ quamplurimas clades perpeſſæ ſunt, ipſique proprios agros deuaſtarunt, vt hoſtem aditu prohiberent. Quatenus vero ad Turcas pertinet, ipſos, ſuſcepti belli, & hactenus infeliciter geſti, haud parum pœnitêre, vel ex hoc facile conijci poteſt, quod nimirum, circa hoc tempus Conſtantinopolim accerſitus fuit Beglerbegus ciuitatis & dominationis Ezerumenſis, qui, quod inauſpicati belli ſuaſor extitiſſet, omnino capitis pœnas dediſſet, niſi matre & vxore Imperatoris, centum millibus aureorum ſibi conciliatis, & exinde pro ſe intercedentibus, veniam ab Imperatore ita impetraſſet, vt continuo ducenta millia ducatorum in ærarium ipſius Imperatoris inferret.

Beglerbegus Aſſyriæ.

Ex quibus apertiſſime conſtat, Turcos pariter & Perſas, pacis cupidos eſſe, verũ neuter alteri cedere cupit. Dum hæc ita geruntur, Sinamus Baſſa Byzantium reuocatus eſt, cum ob alias cauſas, tum etiam vt ab Imperatore mandata acciperet, ex quibus cum Perſis pacem cõcludere poſſet. Is vero die 6. Auguſti, quæ incidit in annum eiuſdem ſeculi octogeſimum primum, ab exercitu ex Perſia Conſtantinopolim venit, cui Scutarin (Chalcedonem) vſque, quatuor triremes cum præcipuis Baſſis obuiam profectæ ſunt.

Sinamus Baſſa reuocatur Byzantium.

Poſtridie relationem fecit de tractatione pacis inter Turcas & Perſas, & inducijs vnius anni, ſumma cum approbatione & dignitate Imperatoris Turcici initis, quæ tamen breui poſt violatæ ſunt. Idem Sinamus, decem præcipuos proceres Georgianos, vades ſecum adduxit, ne Perſis, vt antea, Georgiani coniuncti, ſed Turcarum deinceps ſubditi eſſent. Cauſa vero, cur vtraque gens, tam exitiale & funeſtum bellum inter ſe gerat, hæc præcipua narratur. Turci Perſas accuſant, quod ex fœdere, inter Solymanum Turcarum, & Tammaſium Perſarum Reges icto, legatos & munera Amurathi, tanquam legitimo Solymani ac Selymi ſucceſſori, mittere neglexerint.

Cauſa huius atrociſſimi belli, quod tandiu geritur inter Turcas & Perſas.

Eam intermiſſionem Amurathes pro hoſtilis animi ſigno, (cum antea ipſius Tammaſi temporibus hoc nunquam fuerit intermiſſum) interpretatus eſt, atque ideo excurſiones in hoſtilem terram fieri iuſſit, & Perſis pacem tunc non petentibus, mox ad arma deuentum eſt. Huc accedit vetus odium inter vtroſque populos, cum propter religionis diuerſitatem, tum etiam dominandi libidinem, dum Perſa ægerrime fert, ſe illis vrbibus atque prouincijs priuari, quas olim eius pater atque auus poſſidebant; alter vero, illa omnia belli iure acquiſita, mordicus retinere ſtudet, ſuamq; potentiam multo magis ampliare, quam vlla ex parte diminuere, omnibus ſtudijs atque viribus conatur. Ipſe quidem Perſarum Rex omnibus his bellis plerunque interfuiſſe, ac etiam præfuiſſe dicitur, aut ſaltem ſuo loco filium ſubſtituiſſe, cum tamen Amurathes ea duntaxat per ſuos purpuratos, vti ex præcedentibus facile videre eſt, adminiſtrauerit, in hoc, à ſuis prædeceſſoribus plurimum degenerans, qui ſemper, cum aliqua grauis expeditio ſuſciperetur, ipſimet, contemptis periculis atque laboribus, huic maiori ex parte intereſſe, ac etiam præeſſe conſueuerunt; quo ſcilicet, militum animi, conſpecta ſui Principis præſentia, in ipſo prœlio fortiores, alacrioreſque redderentur: indeque factum eſt, vt ob id quam ſæpiſſime inclytas & aliquando inſperatas victorias ex hoſte reportarint. Hunc vero, tametſi propter varias & inſignes clades, ſibi hactenus à Perſis inflictas, nonnulli ex his proceribus, qui apud eum præcipua gratia & auctoritate florent, ſubmiſſe orarint, vt ipſemet in hoc grauiſſimo & cruentiſſimo bello, quod tandiu vario Marte atque

ancipiti fortuna geritur, intereſſe vellet, quo tanto felicius abſolueretur, nunquã tamen adduci potuit, vt eorum iuſtiſſimis precibus, ac præſenti neceſſitati locum daret, quinimo vniuerſos, qui hoc ei ſuaſerunt, ceu capitales hoſtes auerſatus eſt; ita ſane, vt, cum quidam hiſtrio, quem propter ingenij elegantiam & vrbanitatem, vnice adamare, & in ſummis delitijs habere conſueuerat, illum placidis verbis & feſtiuo ac lepido ſermone inſperſis, adhortaretur, vt ſeſe omnibus viribus ad hoc bellum conferret; alioquin periculum fore, ne paulatim Ottomannicum imperium hactenus florentiſſimum, ac toti terrarum orbi formidabile, nunc tandem ſub ipſo, commutata fortuna, corrueret, ac funditus interiret, illum poſtera die palis, vt mos eſt apud eas gentes, publice affigi iuſſerit, quod, cum fatui ac morionis perſonam referret, nimis tunc ſapere, ſuoque Principi conſulere voluiſſet. Credibile autem eſt, vtrunque Regem, tam longo, vt diximus, & difficili bello mirum in modum defatigatum eſſe, atque animos ad pacis conſilia flectere, eaque de cauſa vtrinque ſunt miſſæ legationes. Et Perſa quidem, paci libenter annueret, ſed ea in primis conditione, vt Turcarum Imperator, plæraq; ſuæ ditionis loca, his ſuperioribus bellis ablata, ſibi, ceu proprio ac legitimo eorum ſucceſſori, ac domino reſtitueret. Verum hoc illi Amurathes prorſus denegauit, cum diceret, Ottomannicos Imperatores, oppida & arces vi atque armis ſemel occupatas, nunquam omnino reſtituere conſueuiſſe, at potius hæc omnia iure belli, ſicuti antea enarrauimus, ad ſe pertinere. Interea, licet ab hoſte indies magis atq; magis diuexaretur, & præter externum bellum, Conſtantinopolim, primariã ſui regni ſedem, iam dudũ atrociſſima peſte, & commeatus penuria vehementer affligi intelligeret, nihilominus tamen his tantis calamitatibus nulla ex parte hactenus commoueri potuit, vt à priori ſententia vel latum quidem vnguem recederet: Quin potius his duobus malis iam maiori ex parte remittentibus, ingentes ac exquiſitiſſimos apparatus fieri iuſſit, quo eius filius ſolenni regiaque pompa de veteri Turcorum more & conſuetudine circunciderentur, ad eamque per ſuos oratores, Cæſarem, Galliarum Regem, ac Venetos inuitauit, quorum poſtremi viciſſim ad eum legatos miſêre, vt ipſi ſuo nomine intereſſent. Priores vero per ſuos ordinarios legatos, Conſtantinopoli degentes, ei congratulati ſunt, adeo mediusfidius, vt Conſtantinopoli omnia fuerint plena triumphis & ſplendidis atq; magnificis ſpectaculis, quæ optimates atq; vrbanam multitudinem haud mediocriter oblectarent. Hęc tamen minime obſtitêre, quo minus interim & ſupplementum in caſtra miſſum fuerit, & in naualibus noua claſſis præpararetur, quæ epibatis omnique bellico apparatu inſtructa, Occhialis ductu ad aliquam inſignem expeditionem ſolutura eſſet. Nam, præter vetera nauigia, centum nouas triremes in Ponto Euxino, & alijs locis, recens fabricari iuſſerat. Cæterum, vix hæc priora abſolueram, cum ex nouiſſimis literis Byzantio allatis, pro certo ſignificatum eſt, Perſarum Regem, ſplendidiſſimam legationem miſiſſe Conſtantinopolim, & omnino maximam ſpem fuiſſe, vt ambo Reges, conciliatis animis, in mutuã pacem atque concordiã redirent. Is quidem primo à purpuratis & prætorianorum militum præfecto, deinde ab ipſo Turcarum Imperatore ſummis honoribus exceptus fuit: Sed poſtea, cognitis quas ſecũ afferebat, pacis conditionibus, in quibus, pręter reliqua, continebatur, vt Amurathes Regi Perſarum vrbẽ & regionem Zeruanam, ſeu Siruanam, quæ antiquitus Media nuncupata eſt, iuxta capitulationem cum Sinamo Baſſa initã, reſtitueret, minus amanter atq; honorifice tractari cœpit; ita ſane, vt poſt breuem temporis decurſum, cum per fideles internuntios, Conſtantinopolim allatum eſſet, Perſas, Turcicum exercitum noua clade affeciſſe, in qua, præter tria equitũ millia interfecta, & complures vulneratos, quatuor Sangiachi, id eſt, Prouinciarũ præſides, contrucidati, & duo capti eſſe dicebantur, necnon ab iiſdem, Bachallam, haud ignobile munimentum, vi expugnatam eſſe, Perſicus legatus omni ferme gratia excideret, & ſicuti à quibuſdam relatũ fuit, tanquam captiuus detineretur. Amurathes interea, his aduerſis rebus neutiquam exterritus, ſumma celeritate nouos bellicos apparatus fieri iuſſerat, qui primo quoque tempore in caſtra mitterẽtur, & Sina-

Amurathes Turcarum Rex mittit legatos ad Caſarem, Galliarum Regem, ac Venetos propter filij circumciſionem.

Tammaſi legatio ad Amurathem.

& Sinamo ininnxerat, vt, omni mora & eunctatione poſthabita, cum expedita manu militari ad exercitum properaret. Quis vero tandem huius tam diututni atque atrocis belli exitus futurus ſit, temporis progreſſu multo melius intelligetur. Quatenus autem ad ea pertinet, quæ his proximis annis inter vtrosque populos geſta ſunt, mihi ſane, vt ea fideliter & ſigillatim explicarem, neq; voluntas & animi promptitudo, neque ſtudium defuit. Nonnulla tamen conſulto, ceu ambigua & mihi parum explorata, prætermiſi, ſatius eſſe ducens, ab his prorſus ſuperſedere, quam temere hiſtoriæ noſtræ ſeriem turpi mendacio aſpergere, vt de Meſopotamia, vulgo Diarbech, cum ipſa Babylonia, & regno Siruano, id eſt, Medico, à Perſis recepto, deque plurimis alijs rebus in vulgus iactatis, quas equidem nec refellere, nec aſſeuerare auſim, donec certiora edoctus fuerim. Priuſquam vero ad ea, quæ mihi in hoc proximo & vltimo libro enarrāda ſunt, tranſgrediar, paucula quædam ſubijciam de Amurathe Turcorum Imperatore, ac eius natura & motibus, necnon de imperij Turcici hoc tempore gubernatoribus, quatenus ea percipere potui, cum ex nonnullis literis recens miſſis Byzantio ad doctiſſimum ac præſtantiſſimum virum Dauidem Chythræum, quas mihi nuper legendas exhibuit Abrahamus Ortelius, vir propter ingenij monumenta, quæ hactenus cum maxima ſui nominis gloria, & ſtudioſorum omnium beneficio edidit, & quæ propediem edenda, nunc habet præ manibus, ac etiam ſingularem probitatem cæteraſque virtutes, omni laude digniſſimus, tum etiam ex accurata & fideli relatione Petri & Iacobi Canæi, qui Lutetiæ vltro relictis penatibus, quamplurimas regiones atque prouincias perluſtrarunt, ac demum Conſtantinopolim adiêre, vbi Gallicum oratorem in regiam comitati, eiuſque gratia & fauore ad ipſius Amurathis præſentiam intromiſſi, pro ea, qua pollent ingenij ſolertia & acumine, haud pauca notatu digna, ſedulo ac diligenter obſeruarunt.

Amurathis natura & mores.

Ex his ergo, ac præfatis literis, intelligo, ipſum Imperatorem iam ferme duos ac triginta ætatis annos tranſegiſſe. Principium imperij ſui à quinque fratrum impuberum cæde, ſeu potius ſtrangulatione, ſicuti etiam antea demonſtrauimus, auſpicatum fuiſſe. Statura corporis eſſe humili: capite magno: oculis tardis & tumidis, nihilque fere ſe mouentibus: maxillis efflatis: naſo oblongo, inque os vſq; porrecto: barba rara, eaque rubea: colore faciei magna ex parte pallido: corpore reliquo fluido & languido: morboque laborare comitiali. Hunc præterea ſpiritu eſſe prędītum exili & timido, quippe qui raro, nec niſi tranquilliſſimo mari, ad venationes & hortulos amœnos, quibus alias delectatur, Boſphorum tranſire audeat. Ad armorum ſonitum & tormentorum fragorem, contremiſcere. Vnde fit, vt bella contra morem maiorum ſuorum, per legatos, vt antea recenſuimus, adminiſtrare conſueuerit. Matris vxoriſque imperio eum regi. His itaque muneribus & donis corruptis, per eas ſibi complures Imperatorem conciliare. Vxore eum eſſe contentum vnica, quod tamen imbecillitati naturæ potius ipſius, quam modeſtiæ tribuendum cenſent. Filium habet Mehemetem nomine, vnicum tanti imperij, totque Regnorum hæredem, qui & ipſe, quamquam vix ſit pubertatis annos egreſſus, tamen liberos habere. Quod quidem apud nonnullos fide careret, niſi manifeſtum eſſet, hunc ipſum à patre vix pubere genitum eſſe. Vino abſtinere, milites tamen, qui ſub patre Selymo, vino conſueuerunt, vti nūc abſtineant, cogi non poſſe. Verum multos ex ipſis eo valde ſuauiter, contra legiſlatoris placita, vti.

Amurathis præcipuus conſiliary. Vezir Baſſa.

Amurathis vicem nunc gerere Siaum Baſſam, virum & animi & corporis viribus excellentem. Hunc ſuprem ū conſiliarium electum eſſe, & à Turcis Veſir Atem appellari, Proto-Vezirum, ſiue Protoconſiliarium dici poſſe. Huic puero, à Solymanno, nomen Siaus, hoc eſt, formoſi ſiue pulchri inditū fuiſſe. annorum eſſe circiter 40. & natione Hungarum. Bella nunquam geſſiſſe, quamuis ante hac Beglerbegus Græciæ fuerit.

Nomina quatuor Baſſarum.

Eſſe præterea quatuor alios Vezirios Baſſas, hoc eſt, ſecretiores conſiliarios, quorū duo Conſtantinopoli reſident, Miſach, quod Meſſiam ſonat, & Mehemetem; vtrunque natione Illyricum, nulla, quod ſciri poſſit, opera militari edita inſignes. Duos reliquos contra Perſam poſtremo beliū adminiſtraſſe, Sinanū, & Oſmanū, quorū alter natione Epirota

Sinan Baſſa, & Oſmanus.

Oſman Baſſa. Beglerbegus Græciæ.

eſt,quem aiunt ſtatura eſſe procera,macro corpore, colore faciei nigro, naſo aquilino,ingenio iracundo & implacabili. Is Guletã,vt ſupra enarrauimus,euertit,& Tunetanum regnum Hiſpanis eripuit,ac Petrum Portocarreizum Guletæ præfectum,prope Corcytam,in ignominiam Hiſpanę gentis,ad necem vſque fuſtibus cædi iuſſit. Antea in Arabia feliciter dimicauit. Cæterum,poſt, contra Perſas non adeo ſecundis ventis vſus eſt. Alter Oſmanus Baſſa,ex Boſnia eſt,qui ad Caſpias portas cum exercitu reſidet,magnamque inter hos duos gloriæ æmulationem eſſe,à plærisque aſſeritur. Poſt Veziros Baſſas, Græciæ Beglerbegum in magno honore haberi,ac eum vocari Mehemetem,natione Illyricum. & in bellis poſt Imperatorem,ac eius Viceſultanum,primum locum obtinere, indeque ſuperbum hoc nomen (quod Dominum Dominorum ſonat) ſibi inditum fuiſſe. Reliquos,Beglerbegos in ſibi deſtinatis prouincijs degere. Hunc,vt eorũ præcipuum,aulam ſequi,vt,ſi quid facto opus ſit,id celeriter exequatur. Hominem eſſe rei militaris ſatis peritum,eiuſque aulam præ reliquis militaribus viris quotidie frequentari.

Occhialim Amiralis Turcicus.

Aga Ianizarorum.

Maris exinde pręfecti eſſe permagnã auctoritatem. Hunc dici Occhialim,& eſſe natione Calabrũ,à Turcis,reſeruato Italico vocabulo, Capitan Baſſa vocatũ. Hic in prœlio ad Naupactum,ſiue Corinthiacum ſinum cõmiſſo, ſiniſtrum duxit claſſis Turcicæ cornu. Et tunc Algeriæ Proſultanus erat. Initio pugnæ Melitẽſis qui audacius inuecti fuerant,repreſſit. Vt vero aciẽ ſuorum inclinare vidit, fuga ſibi tempeſtiue conſuluit,ſolusq; cũ 40. triremibus aufugit. Sed ipſe breui claſſem reparauit,& poſtero anno noſtrorũ conatus in Peloponeſo retardauit,& tertio poſt pugnã anno,vna cum Sinã Baſſa Guletam occupauit. Ante biennium in Cholchidẽ cum claſſe nauigans,Phaſis amnis accolas domuit,caſtellumq; valde munitũ prædicto amni impoſuit. Ianizarorũ deinde præfectum eſſe annorũ circiter 33. reliquis omnibus & pulchriorẽ & humaniorẽ, fronteq; eſſe præditũ hilari,ſed rei militaris in vniuerſum rudem,quippe qui ex mero aulico fauore ad inſignem hanc præfecturam nuperrime ſit euectus. Verum,vti fertur, filiam in vxorem ducturum Imperatoris,apud quem in maxima gratia eſt. huic Ebraimo, hoc eſt,Abrahamo nomen eſſe.

Claſſis Turcarum Tunetam miſſa.

Induciæ inter Hiſpanum & Turcas.

Hiſce viris nũc Imperij Turcici ſumma ferme commiſſa eſt,qui omnes tamen Chriſtianorum liberi ſunt,parentibus impuberes vi erepti,excepto Occhiali, qui maiorennis in Turcarum deuenit poteſtatem, & primum ad remos damnatus fuerat. Cæterum abnegans Chriſtianam fidem, Mahumeticis eſt initiatus ſuperſtitionibus,indeque ad tantos honores aſcendit. Hic,anno eiuſdem ſeculi ſupra milleſimum quingenteſimum octogeſimo primo,12. Cal Iunij Byzantio cum claſſe diſceſſit,& in Africam profectus eſt, vt ſeditiones Tunetani regni compeſceret. Mauri enim eius regni,recepto per Melitenſes hæreditario ſuo Rege,qui hactenus Neapoli detentus erat,& abnegato Mahumeti dogmate, Chriſtianam fidem amplexus erat, magna ex parte Turcis rebellarant. Vbi res Tunetanas compoſuiſſet,in mandatis habebat regnum Feſſanum inuadere: At circa Cal. Maij legatus Hiſpanicus Ioannes Marlianus Mediolanenſis,exoratis nomine Hiſpaniarum Regis,ab Imperatore Turcico,triennalibus inducijs,Byzantio diſceſſit Venetias,indeque in Hiſpaniam perrexit. Ipſe per triennium ibi de pace ſollicitauit,& nouiſſime denuo obtinuit,ſic tamen,vt neque Chriſtiani, neq; Turci,eas inducias ſaluas fore crederent. Nam vterque ſe tempori potius accommodant,quam quod alterius amicitiam magnopere expeteret. Turci namque Perſico,Hiſpani inteſtino ſunt occupati bello, præterea cõditiones ita compoſitæ fuêre,vt,vter eorum velit,impune ab ipſis poſſit recedere. Cum autẽ nouus Rex Feſſanus,Regi Hiſpaniæ portum,vulgo Larcace, è regione vrbis Arzillæ tradidiſſet. qui portus iam 600. militum pręſidio tenetur,Amurathes id omnino quã ægerrime tulit,omnemq; operã daturus videtur, vt primo quoq; tempore Hiſpanos illinc eijciat atq; propellat. Quæ omnia temporis decurſu multo meliꝰ intelligentur. Priuſquam autem huic libro extremã,vt dicitur, manũ admoueã, hæc modo quã breuiſſime adijcienda exiſtimaui. Cum proxime, inter cætera, dictum

ctum

ctum ſit, Amurathi vnicum duntaxat filium, tot, tantorumque regnorum hæredem, ſuperſtitem eſſe; hic poſſet, etiam inter homines ingenio ac doctrina præſtantes, haud abſurda oriri quæſtio, vtrum ipſo Amurathe cum liberis ac nepotibus extincto, Ottomanica familia prorſus collaberetur ac interiret. Macchiauellus, & plærique alii, hoc firmiter aſſeuerant. Cæterum, quod illorum pace dictum velim, longe à ſcopo aberrare videntur. Sunt enim multi Principes, ad quos imperium iure peruenire poſſet. Quandoquidem ſuperſunt quatuor gentes, quæ generis ſplendore, ac vetuſtate Ottomannis ſe iampridem æquarunt; Michalogli, Ebrenes, Turacanij, Maloconij, qui ab eadem, qua Ottomannici ſtirpe dicuntur: Hi tamen ab aditu Principis, & Republica prudenter ſubmouentur, ne res nouas moliri poſſint.

HISTORIAE RERVM PERSICARVM

Liber Duodecimus.

HIS rebus, quas in ipſa noſtri operis præfatione polliciti ſumus, omni qua fieri potuit fide, ſedulitate, ac ſtudio, diuina benignitate peractis atque abſolutis, nunc reliquum eſt, vt de extrema operis parte, nimirum de inſignioribus oppidis atque vrbibus Perſico imperio ſubiectis, deque vetuſtis moribus atque inſtitutis Perſarum, & quibuſdam aliis rebus cognitu haud ſane indignis, quam breuiſſime dicatur. Minime autem à ſuſcepto argumento alienum fuerit, ſi ea quæ Curtius lib 6. de huius potentiſſimi regni ſitu in literas retulit, ad maiorem eius cognitionem ſubiecero. Perſis, inquit, ab altero latere perpetuis montium iugis clauditur: quod in longitudinem mille ſexaginta ſtadia, in latitudinem centum ſexaginta percurrit. Hoc dorſum à Caucaſi monte, ad Rubrum mare, pertinet, quaque deficit mons, aliud munimentum, fretum obiectum eſt. Planicies deinde ſub radicibus montium ſpatioſa procumbit; fertilis terra, multiſque vicis atq; vrbibus frequens. Araxes amnis per hos campos multorum aquas torrentium euoluit in Medum. Inde Medus mare, & ad Meridiem verſus, minor amnis eo quem recipit, euehitur, gignendæque herbæ non alius eſt aptior: quicquid alluit, floribus veſtiens. Platani quoque & populi contegunt ripas, ita vt procul viſentibus continuata videantur montibus nemora riparum. Quippe obumbratus amnis, preſſo in ſolum dilabitur alueo. imminentque colles, ipſi quoque frondibus læti, radices eorum humore ſubeunte. Regio non alia tota Aſia ſalubrior habetur: temperatum cęlum: hinc perpetuum iugum opacum & vmbroſum, quod æſtus leuat: illinc mare adiunctum, quod modico tẽpore terras fouet. Hæc Curtius. Porro, Perſia, vt ad maiorem huius ampliſſimi & glorioſiſſimi regni notitiã, hæc paucula ſubnectam, ab Oriente India, & Gange atque Indo fluuiis terminatur, ab occaſu Tygri fluuio, qui Perſiam à Meſopotamia diſterminat, quæ nunc Dierbecha nominatur, qui ad fines Babylonios decurrens, in Euphratem ingreditur, communique alueo delatus, in mare Perſicum per Teredonem ad Meridiem delabitur, atque cum Armuzia coniungitur, peruenitque ad littus maris Perſici. Ad Septentrionem, vbi ſcatet ipſe Tygris, eſt Armenia minor, quæ vocatur Turcomãnia, terminaturque mari Caſpio, quod dicitur Bacu, & Scythia, quę regiones Turcarum Imperio ſubiiciuntur. In illis regionibus hæc regna poſſidẽtur à Rege Perſarum, videlicet Sirnanum, quod fuit regnum Medorum: Aras quod fuit Parthorum, Armenia maior, Curaſſanum, Chieſſenum, Cherium, Diargumethũ, Gillarum. Quidam vero Perſiam hac tempeſtate octo regna in ſe complecti aſſerunt, & primum quidẽ nominant Chaſum: ſecundum Churd: ter-

Perſici regni deſcriptio iuxta Curtium, & recentiores.

Regna poſſeſſa à Perſarum Rege.

tium Lor: quartum Cielſtam: quintum Nich: ſextum Zerazum: ſeptimum Socham: & octauum Chaim, quod ſitum eſt in finibus Perſarum. Quatenus autem ad Perſici imperij regiones atque Prouincias attinet, Armenia maior primam

Taurisium.

obtinet claritatem, Tauriſio regia vrbe inſignis, quæ Terua Ptolemæo antiquitus fuit; eſtque opibus, hominum frequentia, ac ædificiorum pulchritudine totius Orientis celeberrima, & in ea ſunt horti quamplurimi, & pomifera viridaria. Quæ, cum multos habeat vicos, vtpote ad quadraginta quinque, in ſingulis fiunt nundinæ, quaſi multa emporia multarum rerum abundantiſſima. Solum eſt ita fertile ac fœcundum, vt omnium rerum, ac earum præſertim, quæ ad humanæ vitæ alimentum ſpectant, mirificam copiam & vbertatem ſuppeditet, fructuſque edit omnigenos, qui ſunt pulcherrimi, atque optimi & ſuauiſſimi ſaporis. Aër quouis tempore ibi eſt longe puriſſimus ac ſaluberrimus. Diſtat à proximo littore Caſpii maris, vrbeque Bachuoræ proximioris, quatuor, ſiue, vt aliis placet, quinque dierum interuallo, & ab Artaxata, hodie Chois appellata, Calderaniſque campis, Selymi, & Iſmaëlis prœlio nobilitatis, circiter paſſibus octoginta millibus, nec procul abeſt ab emporio Deſbenti, vbi portæ ferreæ claudunt inter montes & maris anguſtias, vt inde arceantur, Scythas. Et tametſi omnibus rebus abundet, omnia tamen ibi magno emi conſtat, eoque, propter loci opportunitatem, fit concurſus multarum nationum, ex variis mundi partibus; ſed potiſſimum ex India, Baldacho, Moſalo & Cremaſoro. Ex Latinorum quoque terris, nonnulli, exoticarum mercium vltro citroque commutandarum gratia, eodem concedunt. Hîc enim negotiatores plurimum diteſcunt, dum illuc varia mercimonia, & inter reliqua, panni ſerici, villoſi, & raſi, vt vocant, ingentem copiam aſportant, quo inde Alepum & in alias oras tranſmittantur, ipſique oppidani & ciues in his etiam texendis quammaxime inuigilant, & plæraque varij generis mercimonia exercent. Mahometicum dogma profitentur, licet etiam inter ipſos ſint nonnulli Neſtoriani & Iacobini. Hæc ciuitas varijs temporibus paſſa eſt inſignes calamitates, ſub Iſmaele à Selymo, & deinde ſub Tammaſo, à Solymano ipſius Selymi filio, direpta fuit, atque illinc plurimæ fabrorum, excellentiumque opificum familiæ Byzantium abductæ, eorum præcipue, qui arma telaque elaborati operis fabricabant, & magna vis ſerici & commeatus inde exportata. Hæc ciuitas olim in duas potiſſimum factiones diſtracta fuit, quarum altera Namidlai; altera vero Enuicaidarla nuncupata eſt, & in his erant nouem capita regionum, quinque in vna, & quatuor in alia, ex quibus cæteri omnes pēdebant; hique duodecim millium numerum æquabant. Propter huiuſmodi factiones atque internas ſimultates, quibus hæc ciuitas trecentis & amplius annis iactata atque atrociſſime diuexata eſt, fiebat, vt nullis regijs minis, nullaque auctoritate, inhiberi poſſent, quo minus quam ſæpiſſime ſtrictis nudatiſque gladiis, ad arma conclamarent, ſeque pluſquam ciuili cruore fœdarent atque polluerent, donec tandem, reconciliatis animis, ad mutuam pacem atque concordiam redirent. Hactenus de Tauriſio. Priuſquam vero, de alijs vrbibus atque oppidis Perſico dominio ſubiectis, ſermonem inſtituam, id in primis lectorem admonebo, nimirum, inter ipſa, quædam inter vetuſta, & plæraque inter recentiora connumerari, in quarum quidem numero, ipſam etiam nobiliſſimam vrbem Tauriſium, de qua proxime locuti ſumus, totius regni Metropolim collocant: licet Tammaſus, vel quia ibi non tam reuerenter, vt in alijs locis, coleretur, vel quia formidabiles adhuc ibi eſſent ciuiles diſſenſiones, Casbinum ſibi ſedem ac domicilium conſtituerit, atque ibi per multos annos ſubſtiterit. ſunt etiam hæc loca infraſcripta; videlicet Combalechum, Baſtemum, Mulaſia, Vanla, Dreſcherinum, & Salramatum, quæ loca, ſita ſunt in regione vulgo Chimeldata, & vt plurimum poſita intra Euphratem, & Tygrim, ad latus montis, quem incolæ Corteſtanum, nos Taurum appellamus His quoque adiiciunt Adenam, vrbem præclaram, & diuitem, in qua ſunt plurimæ textrinæ lini goſſipij, & iacet ad latus eiuſdem montis iuxta Euphratem, Birum, oppidum valde munitum ſupra Taurum; Orpham, olim celebrem, & opulentam: ſed dirutam à Rege Memphitico, Meredinum, vrbem in-

Combalechum. Baſtemum, Mulaſia, Vanla, Dreſcherinum. Salramatum, Mons Taurus. Adena. Birum. Orpha. Meredind.

bem inſignem, conſtructam ſuper eodem monte, Aſanceſam, & Sair, quæ condita eſt inſtar trianguli, & ex vna parte habet arcem ſatis munitam cum plurimis *Aſanceſa. Sair.* turribus. At eius mœnia maiori ex parte iam corruerũt, & videtur fuiſſe pulcherrima, eiuſq; circuitus patet ad tria milliaria. Eſt populis frequens, & templorum, quæ ipſi Moſchæas vocant, magnificentia, nec non irriguis atque amœnis fontibus vndiquaque conſpicua, & duobus fluminibus alluitur, quæ ſunt magna quadam altitudine, ac velocitate, quorum alterum dicitur Bettalis, alterum Iſanum, & vſque ad hunc locum protenditur Armenia minor. In ingreſſu montis Tauri ſunt quidam alij montes prætalti, atque aditu aſperrimi, in quibus habitant *Corbi.* plurimi ex his, quos vocant Corbos, qui vtuntur peculiari idiomate, ſuntque homines feri, atque immanes, & continuis latrociniis aſſueti, qui prædabundi ex notis impeditiſque regionibus, commeantibus illac mercatoribus crudeliter inſidiantur, ex quibus tamen plærique iam à diuerſis Regulis earum regionum extincti eſſe dicuntur. Inſunt etiam ad latus prædicti montis, hæ vrbes, haud ſane *Cephena.* obſcuri nominis inter eas gentes, videlicet, Cephena, Vaſtianum, Chois, & Giçs, *Vaſtianum.* quarum poſtrema diſtat à ſinu Perſico itinere ſex dierum. Poſt, haud longo inter- *Chois.* uallo, conſpicitur Scyras, vrbs regia, de qua inferius dicetur, & deinde Sultania, *Gies. Scyras.* quæ admirandas dirutæ magnæ vrbis reliquias oſtendit, integris adhuc præcel- *Sultania.* lentis ſtructuræ Mahometanorum delubris, quibus, Tamerlanus Scytharum Imperator, cuncta obuia immaniter euertens, tactus religione, pepercit. Hanc, ex Tigranocertæ ruinis ædificatam fuiſſe, plærique hand leuibus argumentis & rationibus adducti, conſtanter aſſeuerant, ibique olim fuit regia Perſarum, & vox ipſa ſonat Imperialem, quæ ſatis declarat ipſius nobilitatem. Cæterum ipſa quoque paſſa eſt idem ſatum, quod reliquæ inſigniores. Huius circuitus patet vltra quatuor mille paſſus, & habet arcem ſoſſis ac mœnibus præcinctam, cuius ambitus ad vnum milliare protenditur. In ea, adhuc viſitur templum eximiæ vetuſtatis, ac tribus portis aheneis communitum, & maiori altitudine, quam portæ, quæ ſunt in æde D. Marci apud Venetos, egregio ac vermiculato opere ſuſpiciendis. Circa vrbem ſunt colles atque montes mediocri magnitudine, in quibus tamen aiunt hyemali tempore tantam eſſe frigoris vim & aſperitatem, vt eius cauſſa indigenæ ſeſe alio transferre cogantur. Vltra Sultaniam, eſt *Spaha.* vrbs regia, nomine Spaha, magna quidem ambitu, ſed cretaceis mœnibus cincta, bellicoſo populo frequens, & innumeris ſerici textrinis opulenta. Eius ambitus eſt circiter quatuor mille paſſibus: At ſi quis incluſerit ſuburbia, cõficiet pluſquam decem milliaria, & in eis plęraque ædificia conſpiciuntur tam ſplendida & ſumptuoſa, quam in ipſa vrbe. Olim fuit maxime clara atque illuſtris, & ita populoſa, vt nonnulli memoriæ tradiderint, in ea fuiſſe hominum vtriuſque ſexus ſupra quingenta millia, cum hac tempeſtate vix ſexta hominum pars eam inhabitet. Quandoquidem ſub Giauſa Perſarum Rege, cum maxime floreret, bis à ſuo Principe deſecerat, & in prima quidem rebellione Rex ſingulari in ipſos clementia vſus eſt. Cæterum in altera, non multo poſt ſubſecuta, vrbs à regio exercitu direpta atque incenſa fuit. Hæc tamen, propter loci & ſitus opportunitatem, fuit denuo inſtaurata, & hoc tempore inter non obſcuras & ignobiles eius prouinciæ vrbes annumeratur.

Hinc, inter Meridiem & Occaſum procedentibus, oppida occurrunt Co- *Comum.* mum, Caſſanum, & Hieſdum, ſericæ telæ mercimonio mercatoribus admodũ *Caſſanum. Hieſdum.* nota. Ex his, Comum ſitum eſt in planitie, & cingitur aggeribus, eſtque pulchritudine, & multarum rerum copia municipium haudquaquam ignobile. Quanuis autem ibi complures hæc opificia exerceant, nihilominus tamen maior pars intenta eſt agriculturæ, ac ſtudet plantandis vineis, conſerendis arboribus, conficiendis hortis, & præcipue alendis melonibus, qui ſunt apud eos optimi ſaporis, & eximia quadam magnitudine, adeo ſane, vt nonnulli ſint pondere triginta librarum, & pars exterior eſt viridi colore, interior autem prorſus candido, & ſuauitate ita præſtat, vt vix ſaccharo cedere videantur. Eius circuitus ad ſex millia paſſuum extenditur. Reliqua duo plurimis telæ ſericæ, goſſipij, & zambeloti, vt

vulgo appellant, ex quo fiunt veſtes vndulatæ, opificiis ſunt valde præclara atque conſpicua. Harum enim rerum ingentem habent vim propter continuum opus texendi, & ſericum ad eos tranſmittitur ex oppidis maritimis Sandara & Straua, bombyco, & pexi ſubtilioris ſerici copia claris, ac etiam ex his locis, quæ ſunt verſus Zagataos, olim Sogdianos, & Bactrianos, & mare, quod indigenæ Bacucũ appellant. Hæc mercimonia illinc poſtmodum per vniuerſam Syriam, & Burſiam, Ottomannicæ ditionis prouincias, cum inſigni vtriuſque gentis beneficio deferuntur. Caſſani ambitus eſt circiter trium milliarium, & ipſum oppidum foſſis ac mœnibus circumuallatum, habetque pulchra & ampla ſuburbia. Poſtremum patet in circuitu ad quinque millia paſſuum, eſtque itidem egregie communitum, & latis etiam ſuburbiis exornatum, in quibus fere omnes eidem rei ſuum ſtudium atque operam impendunt. Vtrumque horum eſt populis frequens & opulentum, tantaque huius mercimonii copia & vbertate exuperant, vt, ſi quis vellet, ibi poſſet vnius horæ ſpatio emere ad ſummam decem millium aureorum, & ſitum eſt in finibus Regis Marchaant. Verum vt de alijs quoque vrbibus atque oppidis aliquid commemorem, non procul ab his proxime enarratis, occurrunt Cimum, & Macinum, oppida, ſita ſupra mare Caſpium, & ſubdita imperio Magni Cham Tartarorum.

Cimum. Macinum.

Ex altera parte, etiam in Perſia, & in limitibus Indi fluminis, qua itur Calecutham, eſt vrbs nomine Chuercha, parua quidem, ſed poſita in loco maxime opportuno ac frequenti.

Chuercha.

Per hanc enim cogitur tranſire quiſquis nauigat ad Rubrum mare, id eſt, ad ſinum Perſicum, in quo eſt Ormus inſula, Tropico Cancro ſubiecta, & in ea vrbs celeberrimi nominis, vulgo Armuzium, quæ etiam Ormus appellatur, introrſus continentem ad viginti milliaria, & is locus dicitur caput Mogoliſtarum, vbi auſpicatur ſinus.

Ormi, ſeu Armuzii deſcriptio.

Huius ambitus centum & decem paſſuum millibus connnetur, eiuſque regulus vocatur Sultanus Saladinus, qui Mahometicam fidem colit. Hæc inſula ſita eſt intra oſtium ſinus Perſici, non ita lato mari à Carmania diſiuncta. Nomen autem duxiſſe videtur ab Armuza, antiqua Carmaniæ ciuitate, cuius hodie nomen obliteratum cum memoria antiqui ſplendoris euanuit. Et fortaſſe hæc inſula fuit Armuzæ antiquæ colonia, & idcirco inde nomen obtinuit. Eſt autem oſtio ſinus propinqua, à Carmania vero duodecim millibus paſſuum diſtat: Ab Arabia autem ea parte, qua Carmaniam reſpicit, quadraginta millibus. Inſula eſt nimis arida & ſterilis, & ſolum adeo macium, vt nihil omnino, quod ad vſum vitæ valeat, vel natura, vel hominum cultu proferat. Perennibus aquis prorſus caret, tres tãtum putei in inſula procul à ciuitate ſunt: homines ciſternis vtuntur; & cum reliqua omnia ex vicinis inſulis, & ex Carmania, & Arabia ad victum idonea importentur, aqua etiam ex iiſdem locis in eam afferri ſolet. In ea modicus collis aſſurgit, qui ſulphuris magnam vim in vno latere, in altero autem ſalis copiam in lapides denſatam, gremio continet: Duos portus habet tutiſſimos; vnus ad Occidentem ſolem, alter ad Orientem pertinet. Hi duo portus lingula; quæ in mare longius excurrit, diuiduntur. Horum portuum commoditatem ſecuti mercatores ex India, Perſide, & Arabia, & è quamplurimis aliis regionibus, hanc inſulam frequentare cœperunt. Ea tandem frequentia & celebritate factum eſt, vt ciuitas ædificaretur in planicie poſita, quæ progreſſu temporis ad ſummam amplitudinem peruenit. Viæ ſunt latæ & directæ, ædes magnificæ, & cœnaculis ſublatæ, & tectoriis pulcherrime factis excultæ. Regia eſt non modo ad habitandum ampliſſima, verum & ad vim hoſtium propulſandam munitiſſima. Solis ardores ſunt vehementiſſimi: in quibus propulſandis omnis eorum induſtria multiplici modo & ratione conſumitur; adeo ſane, vt plærique magna quadam arte atque ſolertia per tubos tecta in ſumma ædium euadentes, nocturnam diurnamque auram excipiant, concitatoque demum per anguſtias incluſo ſpiritu, immiſſis aëris calores ventilando diſcutiant, & frigidæ aquæ balneis quam frequentiſſime vtuntur.

Indigenarũ natura & mores.

Incolæ ſunt maxima ex parte Arabes atque Perſæ, & Mahumeticis ſuperſtitionibus addicti. Ardent libidine, amoribus indulgent, obtrectatione laborant: mulieres, ne ab alienis viris conſpici queant, faciem velare

compel-

compellantur. Homines vt plurimum ſpecie liberali præditi ſunt. Muſicen ſummo ſtudio colunt, veſtibus elegantiſſimis exoluntur. Arma frequenter exercent, literis libenter incumbunt, hiſtoriis mirifice delectantur. Homines doctrina præſtantes in ſummo honore habent: illiſque aſſidue operam dant, & illorum diſciplinis erudiri, ſummum decus exiſtimant. Reſpublica eſt commodis legibus aſtricta. Omnia quæ væneunt, pondere væneunt. Summum flagitium eſt apud illos, fallacibus vti ponderibus. Eum enim, qui per libram atque lancem fallit, omnem generis humani ſocietatem euertere cenſent, & vt ciuilis iuris hoſtem teterrimum execrantur. Inſula vero, cum nihil omnino proferat, quo vel homines ali, vel ornari poſſint, tantis tamen fructibus, & frugibus, & cibis, atque delitijs affluit, vt vix vlla regio ſit magis omnibus rebus, quæ ad victum & elegantiam vitæ pertinent, abundans. Nullæ namque ſunt vitæ delitiæ vel in Arabia, vel in Perſide, vel in India, vel in quacunque alia regione, è qua naues in inſulæ portus inuehantur, quæ non omnes terræ opes in eam inferant. Ita fit, vt cum nihil ex ſeipſa gignat, multis tamen regionibus opimis rerum omnium abundantia præferatur. Reges è portorijs ingentes ſibi opes pepererunt, imperium deinde late propagarunt, ita vt multis inſulis & vrbibus, etiam non paucis in Carmania & Arabia ſitis imperarent. Exercitus ſatis magni illorum ſumptibus alebantur. Sed tandem cum eorum miniſtri ad ſummas opes peruenirent, & tyrannidem vehementer affectarent, ipſique Reges otio atque luxu diffluerent, factum eſt, vt regium tantum nomen penes reges eſſet: miniſtri porro, regni opibus ad ſuum ſcelus atque flagitium abuterentur. Id vero haudquaquam ſilentio inuoluendum videtur, nempe in vndis Perſici ſinus vrinatores eximios, margaritas & vniones piſcari, & Armuzium, ſummæ opportunitatis emporium, illinc remotiores Indos, rudes & impolitos adamantes atque Carbunculos, pretioſioraque aromata, hinc vero Rubri maris accolas, Felicis Arabiæ diuitas, itemque Aegyptios, Syros, & Luſitanos, corallium, præſertim exoptatum Indis, & varia noſtri orbis mercimonia, tanquam ad perpetuas nundinas comportare. Et ex India in Perſidem nauigantes, maiori ex parte illac diuertere. Ad hęc, indigenæ plurimis telæ ſericæ textrinis abundant, & ipſa inſula fert equos præſtantiſſimos atque pulcherrimos, quos in Indiam venales mittunt, in eaque fiunt etiam vaſa vitrea ſingulari quodam artificio & elegantia. Quomodo autem illic præfati vniones & margaritæ capiantur, Ludouicus Vartomannus, ciuis Bononienſis, qui & Romanus dicitur, his quam pauciſſimis declarat: Procul, inquit, trium dierum itinere, leguntur conchæ, quæ pariunt margaritas venuſtiores, grandioreſque, cæteris baccis. Captura earum fit huiuſmodi:

Sunt ibi nonnulli, qui piſcatu victum quæritant. Hi vecti cymbis, In mare iactum faciunt prægrandis ſaxi dependente fune, idque fit ab gemina cymbæ parte, vt vtrinque iactis in profundum lapidibus, conſtabiliri nauis, non aliter, quam ſi in anchoris foret, poſſit. Firmata ſuo pondere cymba, alius, cui id munus obtigit, in æquor iacit funem ſaxo dependentem. In naui media alius, mantica in pectus tergumq; dependente, alligato pedibus lapide, ſe vibrat in pelagus, ſubtuſque aquas vrinantium more natat, actuſque in profundum ad paſſus quindenos, tantiſper vrinat, donec legerit conchas, in quibus deliteſcunt vniones, ac margaritæ, collectas manticæ indit, lapidemque protinus, quo pedes grauabantur, abiicit, funique innixus, in ſuperiora euadit, ibi quandoque ad trecentum ferme nauigiorum genera comperiuntur, quæ vndecunque contendunt. Hæc Ludouicus. Quomodo autem, & vbi inueniantur margaritæ, Plinius lib. 9. cap. 35. eleganter oſtendit, qui etiam ibidem hæc ſubiungit: Præcipue autem laudantur circa Arabiam, in Perſico ſinu Maris rubri. Deinde paulo poſt, Dos, inquit, omnis in candore, magnitudine, orbe, leuore, pondere, haud promptis rebus, in tantū, vt nulli duo reperiantur indiſcreti: vnde nomen vnionum Romanæ ſcilicet impoſuere delitiæ, &c. Hanc porro inclyti nominis inſulam, Perſicis Regibus diu vectigalem ac tributariam fuiſſe conſtat. Cæterum, Albuquercius, cuius in 10. lib. mentionem fecimus, vir manu conſilioque promptus & rei militaris gloria

Captura vnionum.

Armuzij Rex fit tributarius Emanuelis Regis Luſitaniæ.

inſignis,anno ſupra mille quingentos 7. cum Inſtructa claſſe in Arabiam primo, & mox Armuzium profectus,poſt multa præclara ac fortia facta,ipſi Regi, qui erat Zeidſadimus,hoc nomine ſecundus,tantum terroris incuſſit, vt illum ad has pacis conditiones impelleret. Videlicet, vt ſtipendiarius eſſet Emannelis Regis Luſitaniæ;ac ei,tributi nomine, quindecim aureorum nummorum millia penderet: & præter hæc, ipſi Albuquercio pro impenſis in id bellum factis, ſolueret quinque millia: vt Rex aſſignaret locum in vrbe, quem Albuquercius vellet, in quo poſſet arcem ædificare, cuius quidem fundamenta continuo iacta fuerunt, deinde ad tantam altitudinem perducta, vt præſidio relicto, facile defendi poſſe videretur. Breui ab hoc ſpatio interiecto,Iſmaelis Perſarum Regis legati Armuzium venêre, vt ab eo Rege, ſui Imperatoris nomine conſuetum tributum exigerent. Rex animo ſuſpenſo & anxio, quid ſibi agendum eſſet, explicare non poterat:rem ad Albuquercium retulit.Is eum ſine cura eſſe iuſſit, atque interim legatis per vnum è ſuis comitibus de aduentu & de valetudinis firmitate gratulatus eſt. Deinde eos admonuit, ciuitatem illam,& Armuzij regnum,Regis Emanuelis eſſe, belli iure ſubactum ; & Armuzij Regem in fidem Emanuelis Regis præcellentiſſimi receptum, ita, vt ſibi neceſſe eſſet iniuriam ab illo propulſare.

Albuquercius legatis Iſmaelis Regis Perſarũ ferculum globis ferreis,ſagittis, & ferreis fiſtulis præparari iuſſit.

Quod vero ad tributum attinebat,ſe tributum Regis ipſius nomine ſtatim ſoluturum.Ferculum deinde,in quo tributum erat impoſitum, coram ipſis oratoribus euolutum fuit.Erant autem in ferculo globi ferrei,& ſagittæ,& haſtarum cuſpides,& ferreæ fiſtulæ.His explicatis,& in legatorum conſpectu propoſitis, adiecit is,quem Albuquercius miſerat:Hoc eſt tributum,quod Emanuel Portugalliç, & Algarbiorum, & Indiæ, & Armuzij Rex, pendere ſolet iis,qui à Regibus ſibi ſubditis tributum exigunt. Hoc reſponſo legati,quanuis minime ferendam iniuriam Iſmaeli Regi omnium potentiſſimo factam eſſe clamarent, & minas etiam iacerent,inanes tamen in patriam redière : Progreſſu vero temporis,anno ſcilicet,ſupra 1510. Albuquercius,eiuſdem Iſmaelis Perſarum Regis legatos, qui Goam, vt negotia magni ponderis eum Zabaimo tranſigerent, conuenerant, humanitate ſumma proſecutus eſt. Ad ipſum deinde Iſmaelem legationem decreuit.

Albuquercii legatus miſſus ad Iſmaelem, veneno interficitur. Larum. Camara. Bindamyr fluuius eſt idem qui Tigris.

Legatus appellabatur Rodericus Gomezius,qui Armuzij à Coicataro,ne ad Iſmaelem perueniret, veneno ſublatus fuit. Hæc in præſentia de Armuzio dicta ſufficiant.E regione huius inſulæ ſita eſt vrbs,ab indigenis Larum vocata, & amplitudine,& mercatura nobilis,eſtq; in maxime frequenti itinere. Nam quicunque proficiſcuntur, & veniunt per hunc ſinum, ſemper illac tranſire conſueuerunt.Hinc peruenitur Sevram,cuius ſupra meminimus,indeque Camaram, oppidum ſatis amplum, & vltra ſpatium vnius diei eſt Bindamyr flumen, ſumma cum latitudine,tum profunditate,quod habet põtem valde conſpicuum;eumq; ferunt olim à Salomone conſtructum in oppido Ouniara,vbi eſt quidam mons rotundus,qui ab vno latere videtur eſſe inciſus,& in eius faſtigio eſt planities, & circũquaq; ſunt variæ columnæ,quæ dicũtur Cilminares,quæ vox in Italico idi-

Columnæ Cilminares.

omate ſonat Quadraginta columnas, & quæuis earum eſt altitudine viginti cubitorum , & tanta craſſitie, quanta eſſet trium hominum complexus, quamuis plæræque illarum ſint dirutæ,ac euerſæ.Et omnino credibile eſt,ibi olim fuiſſe aliquod præclarum , ac inſigne ædificium. Deinde ſuper hac planitie iacet ingens lapis totus integer,ſub quo ſunt inſculptæ diuerſorum hominum figuræ ea proceritate,qua olim Gigantes ferunrur;& ſupra ipſas eſt forma, illi admodum ſimilis, qua Deus pater à nonnullis effingi ſolet, habens in vtraque manu orbem quadrum,& ſub ea ſunt aliæ paruæ ſpecies ante ſimulachrum hominis, qui arcui innititur,atque illud vulgo dicitur eſſe figura Salomonis. In inferiori parte ſunt aliæ perplures quibus innituntur ſuperiores, exque his minoribus eſt vnus, qui videtur geſtare in capite diadema pontificium,& extendit manum in ſublime,ac ſi vellet his,qui ſunt inferius, dare benedictionem,vt vocant. Paulo vlterius eſt quædam ingens figura ſuper equo , quæ videtur eſſe alicuius hominis prævalidi, ac robuſti,eamque dicunt eſſe Sampſonis,iuxta quam ſunt plæræque aliæ,indutę more gallico , & paſſis crinibus. Poſt iter duorum dietum,ſitum eſt oppidum

Thima-

Thimarum,& paulo vlterius eſt quoddam aliud, in quo ferunt olim tumulatam Salomonis matrem, & inſunt literæ Arabicæ, quæ dicunt, mater Sulcimen, id eſt, mater Salomonis. Hic locus ab incolis vocatur Meſſeth Sulcimen, quod Latino idiomate ſonat templum Salomonis, cuius porta reſpicit Orientem verſus, indeq́; profectis hæc infraſcripta municipia occurrunt, quorum quidem nonnulla ſunt iuxta ripam, præfati fluminis, & duûm vel trium dierum ſpacio inter ſe diſtant, ſuntq́; aliis alia celebriora, & in omnibus his locis indigenæ ſtudent cum agriculturæ, tum goſſipiis texendis. Horum autem nomina hæc ſunt: Dehebetum, Vargarum, Deiſerum, Taſta, Meruthum, Guerdenum, Naimum, Haiſtamum, Hardiſtamum, Saua, Eucharia, & Sultania, de qua dictum eſt, atque illinc aliquot dierum itinere Taurifium peruenitur, & in hoc etiam itinere ſunt tres illæ vrbes inſignes, quas ſupra deſcripſimus, videlicet Comum, Caſſanum, & Hieſdum. Ex plaga Boreali viſuntur etiam plæræque vrbes & caſtella, quæ ſunt à mari Caſpio Taurifium vſq;, & loca inſigniora hæc ſunt: Saua, Chois, Reis, Sindanum, Billanum, Tremigranum, deinde Straua, vnde telæ ſericæ, quæ ibi conficiuntur, ſtrauatinæ appellantur. Hæc vrbs iacet iuxta ſinum Caſpium, & aerem habet inſalubrem ac peſtiferum, propter vadoſa admixtis dulcibus aquis paluſtria littora. Complures incolarum aluntur oriza, ex qua panem conficiunt, quia tritici ac frumenti maxima apud eos eſt penuria. Hic, & in omnibus pagis, huic oppido ſubiectis, vbicunque ſunt aquæ, conficiunt ac eliciunt ſericum ex bombicibus, eorumq́; caſulæ ſunt iuxta ripas illorum fluminum, cum ſuis ahenis, in quibus reconduntur, hiſq́; & moro alba mirifice abundant. Ineſt etiam in his locis ingens copia pernicum, adeo vt apud eas gentes hic ſit communis cibus, ideoq; non ſunt in pretio. Super littore præfati æquoris eſt etiam Lanzibentum, & quædam alia, proxima Trapezunti, in quibus minutim recenſendis, non ero prolixior.

Thimarum.

Oppida diuerſa cum ſuis nominibus.

Straua.

Lanzibentum.

Hinc abeuntibus, occurrunt plurimi pagi atque oppidula, & tranſitur etiam per montes & nemora inculta, primuſq́; locus memorabilis, qui reperitur, eſt oppidum ſitum in planicie, & in valle vndiquaq; montibus circundata, vulgo Baiburthum, arte atq; opere communitum, eiuſq; territorium eſt miræ fertilitatis, ac etiam pertinet ad Regem Perſiæ. Confecto quinq; dierum interuallo, eſt Arſenga, ſeu Arzinga, vrbs olim ampla & frequens, nunc vero magna ex parte deleta, & vltra duo milliaria eſt Euphrates fluuius longe celeberrimus, qui traiicitur per pontem lapideum, & habet ſeptemdecim arcus, ſeu fornices. Deinde ſi recta pergatur, viſuntur hæc oppida, videlicet, Carputum, Moſchomum, Halla, Pollu, & Amus, Hinc peruenitur in Turchomaniam, prius dictam Armeniam, ſed nunc appellatur Carocoilu, quod noſtro idiomate ſignificat nigros verueces, quemadmodum prouincia Perſica & Zagatai vocatur Accorlu, quod ſonat verueces nigros, quæ nomina inter eas nationes indicant cruentas ſimultates & diſſidia, quæ olim inter eas extiterant, ſicuti apud Anglos Roſa alba, & Roſa rubra, vel apud Italos Guelfi & Ghibellini, ſub quibus titulis maximæ factiones & acerrima odia continebantur. Eſt deinde arx inter quoſdam montes parua, ſed valde munita, quæ ſita eſt in monte, & infernè habet vrbem populis frequentem, cuius ambitus eſt trium milliarium. Vltra trium dierum iter eſt Allarchum, oppidum valde munitum & amœnum, & iacet ſuper lacu, qui patet in longitudinem centum & quinquaginta mille paſſibus, & in latitudinem, vbi eſt latior, quinquaginta: & à parte Boreali procul ab hoc lacu quindecim milliaribus eſt alius lacus, cuius circuitus patet octoginta mille paſſibus, circa quem ſunt varia municipia, & in vtroq; lacu habentur plurima nauigia, quibus diuerſæ nauigationes in loca maritima ſuſcipiuntur. Super minori lacu eſt etiam vrbs, vulgo Ceus appellata, non mediocri amplitudine, ac etiam mœnibus præſepta: & vltra iter vnius diei, ſitum eſt oppidū Herzillum, in quo eſt ſepulchrum matris Giauſæ, de quo ſupra mentionem fecimus: deinde alterum Orias nomine, & plæraque alia nullius celebritatis, inter quæ adiacet lacus, longitudine ducentorum milliarium, & latitudine triginta, & in eo ſunt aliquot paruæ inſulæ,

Baiburthū.

Arſenga.

Euphrates.

Carputum.

Moſchomū.

Halla.

Pollu.

Amus.

Allarchum.

Ceus.

Herzillum.

Orias.

Teſſu. *Zeriſter.* quæ incoluntur. Tandem reperiuntur duo alia municipia, vulgò Teſſu & Zeriſter, nec alind inſigne ac memo[illegible] in his locis extat, niſi quòd in ſingulis eorum ſunt plurimæ textrinæ goſſipii, [illegible]æ, canapi, & culcitrarum, & aliqua etiam bombicum opificia. Verùm enimuerò vt ad eam partem re[illegible]eam, quæ tendit Aquilonem verſus, & quà ſitum eſt mare Caſpium, in his ſanè locis viſuntur quam *Barbaribenum.* plurima oppida, & vrbes illuſtri fama, ſcilicet, Barbaribenum, Madranolanum, *Madranolanum.* & Sumachia, olim Gamala, ni fallor, quæ vrbs ſita eſt in Media, & in regione *Sumachia.* Thezichia, eaque paret cuidam Regulo, cuius nomen eſt Siruanſa, qui eſt tributarius Regis Perſiæ, & ſi quod graue bellum impendeat, illicò in promptu *Sericum vulgò Talamanum.* habet octo, vel decem millia lectiſſimorum equitum. In hac fit Sericum, quod Talamanum vocant, ac etiam varia genera panni ſerici, ex his præſertim, quæ conſtant leuiori pondere, & ſita eſt in finibus maris Bacuchi ſeu Caſpii, quod illi *Mengerliũ.* hæret à dextro latere, habetq; à ſæua vrbem, vulgò Mengerlium, verſus pontum *Caithacum.* Euxinum & Caithacum, prope montem Caſpium. In hac vrbe ſunt circiter quinq; millia ædificiorum, & fiunt plurima opificia ſerici, goſſipii, atq; alia eiuſdem generis, iuxta earum gentium conſuetudinem, eſtq; in Armenia maiori, & *Derbentum.* potior pars incolarum ſunt Armeni. Ex his locis peruenitur ad vrbem Derbentum, quæ ſubiicitur eidem Regulo, & poſita eſt in finibus Tartarorum, & ſupra mare Bacuchum, diſtatq; à monte itinere vnius milliaris, & in eius ſummitate eſt arx, cuius vtrinq; mœnia, tanquam duæ alæ in proximum Oceanum producuntur. Hanc ferunt ab Alexandro M. aduerſus Scytharum irruptiones ædificatam & conditam fuiſſe. Darbentum Italico idiomate ſonat anguſtum, & à multis, qui illius loci naturam & conditionem intelligunt, vocatur Temircapi, quod ſignificat portam ferream: & ſanè quicunq; illi hoc nomen indidit, iuſtas cauſas habuiſſe videtur; Quandoquidem is locus diuidit Mediam à Scythia, adeò vt quiſquis velit ex Perſia, Thracia, Syria, & reliquis locis finitimis diſcedere, ac in Scythiam proficiſci, huic neceſſe ſit ingredi per vnam portam huius vrbis, ac per aliam egredi. Huius autem rei hæc potiſſima eſt cauſa, quod nimirum à ſinu Caſpio ad fretum Euxinum recto itinere, ſunt quingenti mille paſſus, & tota hæc ora eſt plena excelſis montibus, ac præruptis vallibus, licèt in quibuſdam locis habitent nonnulli reguli, ad quorum ditionem nemo audet deſcendere ob metum, ne à latronibus inuadatur: ſed maior pars inculta eſt, omniq; humano commercio deſtituta, & propterea ſi quis hoc iter facturus, nollet tranſire per hanc vrbem, cogeretur primùm pergere ad Iberos, nunc Georgianos, deinde in prouinciam Mengleriam, ſitam ſuper ponto Euxino, ad oppidum Aluanthum, vbi eſt quidam mons altiſſimus, ibiq; ſuos equos relinquere, ac pedeſtre iter ſuſcipere per aſpera ſaxa & crepidines viarum, ita ſanè, vt in aſcẽſu ac deſcenſu montis eſſet ſpacium duorum dierum. vbi autem ad ima perueniret, ingrederetur in Circaſſiam, ſed hoc iter fit tantummodò ab his, qui ſunt in confiniis, & à nemine alio, cùm ſit locus maximè importunus, & multis laboribus ac periculis expoſitus. Cæterùm, vt eò redeam, vnde digreſſa eſt oratio, huius tam anguſti, tamq; arcti tergoris continentis cauſam, hanc eſſe plærique arbitrantur, quia videlicet mare abſorbeat, & deuoret quicquid eſt ſoli vſq; ad montem, vbi eſt Darbentum. Hanc prætergreſſi, inueniunt locum decliuem atque anguſtum: ſed tamen huiuſmodi, vt per eum homines poſſint equitare, isque producitur ad ſexaginta mille paſſus, deinde ad ſiniſtrum latus mons deflectitur, & ſuper eo haud incommoda habetur equitatio, iſq; antiquitùs vocatus eſt *Mons Caſpius.* mons Caſpius. Darbenti mœnia ſunt longè pulcherrima, & valdè lata, optimeq; conſtructa: ſed ſub monte, quà itur ad arcem, ne ſexta quidem parte incolitur, & verſus Oceanum eſt funditus euerſa. In ea viſuntur innumera veterum ſepulchra. Eſt ſatis fœcunda, & abundans rei frumentariæ, viniq; maximè ferax, itémque fructuum omnis generis, & Tauriſio itinere viginti dierum abeſt. Si quis iuerit ex vna parte ad hunc locum, etiam ſub ipſis mœnibus inueniet vuas, & fructus omnis generis, & præſertim eas arbores, quæ producunt amygdalas. Ex altera parte nullum genus fructuum aut arborum inuenitur, præter ma-

la Cydo-

la Cydonia,eaq́; ſylueſtria,& hoc patet ad quindecim & viginti milliaria. Præterea, in quadam domo mercatoria viſuntur duæ anchoræ immenſa mole ac magnitudine, quod ſane indicat in illis partibus olim fuiſſe nauigia valde ampla. Nunc ipſorum anchoræ ſunt multo minores,quippe quæ non excedunt ſingulæ pondus centum quinquaginta librarum,vel ducentarum, cum aliæ eſſent duplo maiores. Ipſa ciuitas in ædita montium crepidine poſita,ea forma eſt, vt duobus ex quadrato lapide muris ad mare deductis, inferiora ædificia & nauigiorum ſtationem, tanquam duobus brachiis complectatur, non maiore, quam trecentorum paſſuum interuallo : quod ſpacium ſingulis vtrinq; ferreis portis, ſuperſtantibusq́; propugnaculis ita communitur,vt perpetuis cuſtodiis,niſi clara luce,& explorato littore viatores nec admittantur, nec recepti intra portam, altera prius emittantur, quin portorium perſoluant. Nauigia quoq; intercluſa co in littore commodam habent ſtationem. Hoc mare, quod Caſpium vocant,ſumma eſt amplitudine, cum nullas habeat fauces, & fertur eodem eſſe ambitu,quo Pontus Euxinus, eſtq́; altiſſima profunditate. Ibi eſt ingens copia accipenſerum,& murænarum : aliorum verò piſcium vſum fermè ignorant,exceptis iis piſcibus,quos Canes vocant, qui habenr caput, pedes, & caudam, non ſecus quam terreſtres. Horum enim illic permagna eſt copia. Capiunt etiam quoddam genus piſcium longitudine vnius cubiti cum dimidio, qui ſunt craſſi ac rotundi,& ſine capite aliisq́; mẽbris, ex quibus elicitur quidam liquor,quem accendunt,vt noctu lumen præbeat, eoq́; vnguntur cameli, & ex eo per totam regionem defertur. In littore huius maris eſt vrbs nomine Bachu, à qua mare Bachu nomen aſſumit,& iuxta eam eſt mons,ex quo emanat oleum nigrum,tetri odoris,quo viciſſim accolæ ad nocturnum lumen vti ſolent, eoq́; bis in anno ſuos camelos inungunt,ne fiant ſcabioſi. Incolæ ſunt eleganti aſpectu,& comi ac miti natura,valdeq́; faciles atq; humani erga peregrinos. A Ponto Euxino vſq; ad mare Caſpium ſunt quingenta milliaria, & hinc verſus Armeniam minorem, etiam in Perſia,ſunt plæraq; vrbes, videlicet,Anſegana,Maluchia, Sio, Meſona, & alia vulgo Eri appellata, Arrianæ prouinciæ caput, atq; omnium fermè rerum ferax, in qua tanta eſt ſerici copia, vt vna die poſſit emi tantum ſerici, quantum ternis camelorum millibus onerandis ſufficiat. Ibi nunquam ingraueſcit annona,ob ſoli vbertatem. Rheubarbari inprimis mirus eſt prouentus,ac etiam Cyani lapilli,quem Turchinam vocant. Ipſa ciuitas ambitu circiter ſeptem millia ædium continet,eſtq́; circumambiente piſcoſo lacu egregie communita,& ſita in regione,quam indigenæ Corazanam vocant. Mahometicis ſacris ſunt omnes quam maximè addicti.

Mare Caſpium. Bachu. Anſegana. Maluchia. Sio. Meſona. Eri.

Hæc oppida & ciuitates , quarum hucuſq; mentionem fecimus, maiori ex parte inter recentiores annumerari conſueuerunt. Quæ autem inter vetuſtiores habentur,hæ ſunt præcipuæ,videlicet Babylonia,vulgo Bagadeth: Suſa,quæ vrbs à Dario Hyſtaſpis filio, condita fuit, olim celeberrima & ditiſſima, nunc verò ita collapſa eſt, vt in ea, præter arcem, nihil ferè conſpiciatur, iacetq́; in finibus Perſiæ. Procopolis, quæ diſtat à ſinu Perſico duûm dierum interuallo, eſt etiam diruta & euerſa. Scyras,quam non inepte Cyropolim antiquitus fuiſſe, aliqui arbitrantur. Hæc ciuitas opibus atq; hominum frequentia, lociq́; amœnitate & pulchritudine cum quauis alia ex celebrioribus, quæ ſint in orbe terrarum, iure merito comparari poteſt. Elegantium quoque armorum officinis nulli toto Oriente eſt ſecunda. Huius ambitus porrigitur ad viginti millia paſſuum. Eſt autem ſita in vltimis regni finibus,& loco maxime commodo & opportuno. Nam quicunque veniunt ex ſuperiori parte, id eſt,ex Hircania & Coraxana regione,in qua ſunt populi, qui vulgo appellantur Zagatai, & hæc oppida inſigniora,nimirum Eri, Sammarchantum, & Nipſa, neceſſe eſt, vt ſi velint tranſire per regnum Perſidis,hac omnino proficiſcantur, eaq́; de cauſa illuc paſſim deferuntur telæ ſericæ, omnis generis aromata, rheubarbarum, ac etiam ingens vnionũ atq; gemmarũ copia. Hæc vndiq; cincta eſt mœnibus,& pulcherrimis templis exornata, eiusq́; domus ac ædificia ſunt admodum ſplendida, &

Babylonia. Suſa. Procopolis. Scyras.

magnificis operibus conſtructa. Diſtat Tauriſio itinere viginti, ſiue vt aliis placet, viginti quatuor dierum. Dicta eſt Cyropolis à Cyro eius conditore, quæ iuſſu Alexandri Magni diruta fuit, & progreſſu temporis ita inſtaurata, vt denuo in *Cur Alexāder M. Cyropolim euerterit.* ſummam nominis claritatem deuenerit. Quid verò ipſum Alexandrum potiſſimè ad eius ruinam & excidium commouerit & incitauerit, Q. Curtius lib. 7. elegantiſſimè oſtendit. Vrbs, inquit, diruta eſt, vt cæteri, cladis exemplo continerentur. Memaceni, valida gens, obſidionem, non vt honeſtiorem modo, ſed etiam vt tutiorem ferre decreuerant. Ad quorum pertinaciam mitigandam Rex quinquaginta equites præmiſit, qui clementiam ipſius in deditos, ſimulq; exorabilem animum in deuictos oſtenderent. Illi nec de fide, nec de potentia Regis ipſos dubitare reſpondent, equitesq; tendere extra munimenta vrbis iubent. *Exemplum perfidiæ.* Hoſpitaliter deinde exceptos, grauesq; epulis & ſomno, intempeſta nocte adorti interfecerunt. Alexander haud ſecus quam par erat, motus, vrbem corona circumdedit, munitiorem quam vt primo impetu capi poſſet. Itaq; Meleagrum & Perdiccam in obſidionem iungit, Cyropolim obſidentes. Statuerat autem parcere vrbi conditæ à Cyro: quippe non alium gentium illarum magis admiratus eſt, quam hunc Regem, & Semiramim, in queis & magnitudinem animi, & claritatem rerum longè emicuiſſe credebat. Cæterùm pertinacia oppidanorum, eius iram accendit. Itaq; captam vrbem diripere iuſſit delectos Macedones haud iniuria infeſtos, & ad Meleagrum & Perdiccam redit. Sed non alia vrbs fortius obſidionem tulit. Quippe & militum promptiſſimi ceciderunt, & ipſe Rex ad vltimum periculum deuenit. Namq; ceruix eius ſaxo ita icta eſt, vt oculis caligine offuſa, collaberetur, ne mentis quidem compos. Exercitus certè, velut erepto eo, ingemuit. Sed inuictus aduerſus ea, quæ cæteros terrent, nondum percurato vulnere, acrius obſidioni inſtitit, naturalem celeritatem ira concitante. Cuniculo ergo ſuffoſſa mœnia ingens nudauere ſpacium, per quod irrupit, victorq; *Alexādria.* vrbem dirui iuſſit. Hactenus Curtius. Poſt hanc vrbem viſitur Alexandria, quæ dicta eſt Iſius, prope fluuium Syriæ conſtructa, & alia vrbs eiuſdem nominis, & *Arion.* Arion: Quæ vrbes poſitæ ſunt ad radicem montis Caucaſi, *Ioppe.* Ioppe, quæ ſita eſt in Perſia, *Niceſorium.* Niceſorium ciuitas ſuper flumine Euphrate: *Iſſus.* Iſſus oppidum Ciliciæ, non procul ab Amano monte, Alexandri Magni victoria inſignitum: *Cteſiphontes.* Cteſiphontes, *Cara.* & Cara, vrbs condita à Parthis, & Romanorum clade nobilitata. In hac enim victus fuit Marcus Craſſus, & cum toto fermè exercitu ad internecionem vſque deletus. Potro adhuc etiam ibi cernuntur plæraq; monumenta ptocerum Romanorum, qui hoc in prœlio interiere. Vlterius progreſſis occurrunt *Præſegada.* Prçſegada, *Opinus.* Opinus, & alia quædam municipia, cum quibus terminat Armenia maior, cui etiam dominatur Rex Perſarum, & in ea ſunt quamplurima oppida & vrbes, in quibus indigenæ, Chriſti fidem ac religionem colunt, & vocantur à viridi tegumento, quod geſtant in capite, atq; habitant iuxta ripas fluminis Euphratis, & patrio vocabulo appellantur Georgiani, qui ſunt maximè ſtrenui & bello exercitati. Eorum præcipua loca hæc ſunt. Tuniſa, Mazatana, Artaxeta, Aſſimoſium, & Micopolis. Ad hæc, in minori Armenia ſunt etiam plçraq; oppida & ciuitates, quarum maior pars nunc ſubiacet Turcarum Imperatori, videlicet, *Theodoſia.* Theodoſia, *Sebaſta.* Sebaſta, *Tarſus.* Tarſus, *Corteſtanū.* Corteſtanum, & *Edena.* Edena, quæ ſuperioribus annis donata fuit à Solymano Barbaruſſæ Hariadeno, qui breui poſt ibi arcem erexit longè munitiſſimam, & tantis ſumptibus atq; impenſis, vt eas dicant excedete ſummam ter decies centum millium coronatorum.

Spero me diligenter hactenus explicaſſe ea loca, quæ Regum Perſarum imperio ſubiecta, ſunt alicuius nominis ac dignitatis. De his itaque dicendi finem faciam, ſi quatuot duntaxat vrbes addidero, nimirum Perſæpolim, Suſam, Babyloniam & Seleuciam, quæ olim florentiſſimæ, eidem Regi paruerunt. Et de *Perſæpolis.* priori quidem Diodorus Siculus lib. 17. ita ſcriptum teliquit: Perſæpolis, inquit, fuit Metropolis imperii Perſarum præ omnibus aliis Aſiæ ciuitatibus maximè ſemper nomini Macedonum infenſa, & ptopterea eam Alexander, excepta regia, militibus diripiendam conceſſit. Erat ea vrbs omniū, quæ ſub ſole ſunt, optima, pri-

ma, priuatorum hominum facultatibus ex longi temporis felicitate in immenſum auctis. Tunc Macedones impetu facto in oppidanos, ipſos interficere, & bona inuadere, quæ multa, & apparatu precioſa, ornamentiſque omnis generis erant refertiſſima. Ibi argenti magna vis, nec auri minor, diuerſas in partes auferebatur. Veſtes purpura infectæ, aut prætextæ auro, à valentioribus rapiebantur. Ita magna vrbs regia per vniuerſum terrarum orbem celeberrima, contumelijs, & cladi maxime expoſita fuit. Deinde paulo inferius idem auctor hæc etiam ſubiungit. Quantum Perſæpolis vrbes cæteras fortunis antecedebat, tantum eiſdem omnium calamitatum genere præſtitit. Alexander autem arcem ingreſſus, theſauros, qui ibi aſſeruabantur, accepit. In eos, à Cyro primo Rege Perſarum, vſque ad hæc tempora publici reditus ſemper congeſti fuerant, vt argenti, & auri magnam vim continerent. Inuenit ſane Alexander auro ad argenti rationem reducto, centum & viginti millia talentorum, cuius ſummæ partem ſecum ad belli vſus portare, partem Suſa mittere, vt in vrbe cuſtodirentur, ſtatuit. Ad hæc, ipſam vrbem Perſæpolim prorſus delere habebat in animo, de cuius muniтiſſima, & pulcherrima regia, breuibus meminiſſe, haud inconueniens videtur. Arcem iuſtæ magnitudinis cingebant triplicia mœnia. Quorum primus muri cinctus, magnis operibus inſtructus, altitudinem habebat ſexdecim cubitorum, ſupraque pinnas, quæ ei non paruo erant ornamento. Secundus priori cætera conſimilis, altero tanto altitudinis eum ſuperabat. Tertius murus formam habebat quadratam, & ſexaginta cubitis in altum erigebatur. Vnumquodque quatuor laterum muri portam æneam, & ante eam vallum itidem æneum viginti cubita extantem. Hunc quidem ad iniiciendum aſpectu ipſo terrorem, illam autem ad firmam loci defenſionem habebat. Ad Orientalem partem arcis, mons interuallo ferme pedum quadringentorum diſtabat, qui regius nuncupabatur, vbi regum inerant ſepulchra. Saxum erat ingens exciſum, in cuius medio multa facta fuerant domicilia, defunctorum regum ſedes. Neque aditus quiſpiam opere factus ducebat in locum eum: ſed inſtrumentis quibuſdam ſublata cadauerum conditoria illic reponebantur. In ipſa arce elegantiſſimæ, & omnibus rebus inſtructæ ædes complures viſebantur ad reges, & milites accipiendos. Theſauri, quibus ſeruarentur pecuniæ, ingenioſe ibidem parati fuerant. Alexander pro rebus bene geſtis vota ſoluturus, ſacrum ſplendidiſſimum in Deorum honorem fecit, & amicos prælauto accepit conuiuio Eo & feminæ, quæ corpore quæſtum faciebant, admiſſæ ſunt. Crebris potationibus cum bene indulſiſſent, ebrietas, & poſtea inſania multos corripiebat. Tunc è turba mulierum Thais quædam, genere Attica, pulcherrimum eſſe inquit, inter omnes res, quas in Aſia geſſit Alexander, ſi ipſe Rex nobiſcum inita ſaltatione ludicra, Perſæpolis regiam incendio abſumeret: vt res nobiliſſima apud Perſas manibus feminarum breui temporis ſpatio deleta prorſus fuiſſe diceretur. Exceptus eſt hic ſermo à iuuenibus, & qui per temulentiam parum, quid deceret, poſſent perſpicere. Itaque vnus agendum id ipſum, incenſoſque torres afferendos exclamauit, vt commiſſa in Græcorum ſacras ædes impia facinora, omnes vleiſcerentur. Comprobarunt hanc ſententiam & cæteri, tantumque opus Alexandro ſoli conueniens eſſe dicebant. Non defuit cœpto Rex, amicorum ſermonibus excitatus. A potatione igitur exultantes, pro parta victoria feſtiuitatem Liberi patris ſe velle agere prædicabant, ſubitoque magna lampadum vi allata, & muſicis mulieribus, quæ in conuiuio erant, accitis, Rex primus in pompam cum cantu, tibijs, & fiſtulis progreſſus eſt, meretricula Thaide rei totius auctore & duce, quæ prima à rege ardentem titionem in regiam conіecit. Idem cum à reliquis factum eſſet, citò ob ingentem flammam excitatam combuſta eſt tota regia, quodque, perquam admirabile eſt, impietatem Xerxis Perſarum Regis, quam in Athenienſium arcem commiſerant, vnica femina gentis eius, quæ iniuriam illã ſuſtinuerat, poſt multos annos in feſto ludicro eodem cladis genere vlta eſt. Hæc Diodorus de Perſæpoli iuſſu Alexandri ab eius milite direpta, & regia per eundem incenſa: Atqui operæpretium videre eſt, quid etiam Quintus Curtius lib. 5. de eadem prodiderit.

De arce Perſepolis, & quomodo fuerit incenſa.

Poſtero die (inquit) conuocatos duces copiarum docet, nullam infeſtiorem vrbem Græcis eſſe quam regiam veterũ Perſidis Regum. Hinc illa immenſa agmina infuſa. Hinc Darium prius, deinde Xerxem Europæ impium intuliſſe bellum. Excidio illius parentandum eſſe maioribus. Iamq; Barbari, deſerto oppido, qua quenque metus agebat, diffugerant, cum Rex phalangem nil cunctatus, inducit. Multas vrbes refertas opulentia regia, partim expugnarat, partim in fidem acceperat: ſed vrbis huius diuitiæ vicêre præterita: in hanc totius Perſidis opes congeſſerant Barbari. aurum argentumque cumulatum erat, veſtis ingens modus: ſuppellex non ad vſum modo, ſed ad oſtentationem luxus comparata. Itaque inter ipſos victores ferro dimicabatur: pro hoſte erat, qui precioſiorem occupauerat prædam. Et cum omnia, quæ reperiebantur, capere non poſſent, (nam res non occupabantur, ſed æſtimabantur) lacerabant regias veſtes, ad ſe quiſque partem trahentes, dolabris pretioſæ artis vaſa cædebant, nihil neque intactum erat, nec integrum ferebatur. Abrupta ſimulachrorum membra vt quiſque euellerat, trahebat: neque auaritia ſolum, ſed etiam crudelitas in capta vrbe graſſata eſt: Auro argentoque onuſti, vilia captiuorum corpora trucidabant, paſſimque obuij cædebantur, quos antea precium ſui miſerabiles fecerat. Multi ergo hoſtium manus voluntaria morte occupauerunt, precioſiſſima veſtium induti, è muris ſemetipſos cum coniugibus ac liberis in præceps iactantes. Quidam ignes, quod paulo poſt facturus hoſtis videbatur, ſubiecerant ædibus, vt cum ſuis viui cremarentur. Tandem ſuis Rex corporibus & cultu feminarum abſtinere iuſſit. Ingens pecuniæ captiuæ modus traditur, prope vt fidem excedat. Cæterum aut de alijs quoque dubitamus, aut credimus in huius vrbis Gaza fuiſſe centum & viginti millia talenta, ad quæ vehenda (namque ad vſus belli ſecum portare decreuerat) iumenta & camelos à Suſis, & Babylone contrahi iuſſit. Acceſsêre ad hanc pecuniæ ſummam captis Parſagadis ſex millia talentorum. Deinde paulo poſt ita inquit: Itaque trigeſimo die poſtquam à Perſepoli profectus erat, eodem redijt. Dona deinde amicis, cæteriſque pro cuiuſque merito dedit: propemodum omnia, quæ in ea vrbe ceperat, diſtributa. Cæterum ingentia animi bona, illam indolem, qua omnes Reges anteceſſit, illam in ſubeundis periculis conſtantiam, in rebus moliendis efficiendiſque velocitatem, in deditis fidem, in captiuis clementiam, in voluptatibus permiſſis quoque & vſitatis temperantiam, haud tolerabili vini cupiditate fœdauit. Hoſte & æmulo regni reparante tum maxime bella, nuper ſubactis quos vicerat, nouumque imperium aſpernantibus, de die inibat conuiuia: quibus feminæ intererant, nõ quidem quas violare nefas eſſet, quippe pellices licentius quam decebat, cum armato viuere aſſuetæ. Ex his vna Thais, & ipſa temulenta, maximam apud omnes Græcos initurum gratiam affirmat, ſi regiam Perſarum iuſſiſſet incendi: expectare hoc eos, quorum vrbes Barbari deleſſent. Ebrio ſcorto de tanta re ferente ſententiam, vnus & alter, & ipſi, mero onerati, aſſentiunt. Rex quoque fuit auidior, quam patientior. Quin igitur vlciſcimur Græciam, & vrbi faces ſubdimus? Omnes incaluerant mero. Itaque ſurgunt temulenti ad incendendam vrbem, cui armati pepercerant. Primus Rex ignem regiæ iniecit: tum conuiuæ, & miniſtri, pellice ſque. Multa cedro ædificata erat regia, quę celeriter igne concepto, late fecit incendiũ. Quod vbi exercitus, qui haud procul ab vrbe tendebat, conſpexit, fortuitum ratus, ad opem ferendam cucurrit: ſed vt ante veſtibulum regiæ ventum eſt, vident Regem ipſum adhuc aggerentem faces. Omiſſa igitur, quam portauerant, aqua, igni aridam materiam in incendium iacere ceperunt. Hunc exitum habuit regia totius Orientis, vnde tot gentes ante iura petebant; patria tot regum, vnicus quondam Græciæ terror, molita decem millium nauium claſſem, & exercitus, quibus Europa inundata eſt, contabulato mari molibus, perfoſſiſque montibus, in quorum ſpecus fretum immiſſum eſt. Ac ne longa quidem ætate, quæ excidium eius ſecuta eſt, reſurrexit. Poſtremo hæc addit, inquiens: Pudebat Macedones, tam claram vrbem à commeſſabundo Rege deletam eſſe. Itaque res in ſerium verſa eſt, & imperauerunt ſibi vt crederent, illo potiſſimum modo fuiſſe delendam.

delendam. Ipſum, vt primũ grauatam ebrietate mentẽ quies reddidit, pœnituiſſe cõſtat, & dixiſſe, Maiores pœnas Perſas Græcis daturos fuiſſe, ſi ipſum in ſolio regiaq; Xerxis reſpicere coacti eſſent. Hæc Curtius. At Strabo lib. 15. ſic breuiter inquit: Iuxta Perſepolim, Alexander Araxem traiecit. Perſepolis magnificas regias habebat, & fabricas ſumptuoſas. Alexander Perſepolitanis regijs concrematis, vltus eſt Græcos, quorum & illi ſacra & vrbes, ferro igniq; vaſtaſſent. De hac etiam videre eſt apud Arrianum lib. 3. ac itidem 6.

Quatenus ad alteram ciuitatem ſpectat, poſitam in Suſiana regione, quæ Perſiæ pars eſt, præfatus Strabo, lib. 15. aſſerit, eam fuiſſe admodum claram atque illuſtrem, inquiens: Nam Perſæ, ac Cyrus, ſuperatis Medis, cum propriam terram in vltimis ſitam viderent, Suſiam vero interius, & Babyloniæ, & alijs regionibus propinquam, in ea imperij ſedem locauerunt, ſimul & regionis confinium oſtendentes, vt vrbis dignitatem, & quod maximum eſt, Suſij nunquam ex ſeſe magnis rebus inſidiati ſunt; ſed ſemper ſubditi fuêre, in parte maioris conuentus collocati, niſi heroum tempore. Suſa enim à Thitono condita dicitur, Memnonis patre, ambitu 100. & 20. ſtad. figura oblonga, cuius arx Memnonium vocabatur. Vrbs, mœnia, & templa, & regiæ, ſtructura erant Babylonicis ſimilia, ex coctili latere, & bitumine, vt quidam ediderunt. Policletus dicit, eam ſine mœnibus fuiſſe 200. ſtad. ambitu. Idem paulo poſt. Idcirco Cyrus Paſagardas habuit in honore, quod ibi Aſtyagem Medum vltimo prœlio ſuperauit, & Aſiæ imperium in ſe tranſtulit, vrbe condita, & regia conſtructa in memoriæ monumentum. Pecunias vero omnes, quæ in Perſia erant, Suſa exportauit, quæ, quanquam & ipſa theſauris & ſupellectile plena erant, non tamen eam regiam exiſtimabat: ſed Babylonem, quam in animo habebat illis omnino anteferre, atque hic etiam theſauri aſſeruabantur. Plutarchus auctor eſt, Alexandrum, Suſis occupatis, in regia inueniſſe numiſmatis talenta quadragies mille: reliquas diuitias, apparatumque ineffabilem. cum ibi inuenta perhibeantur Hermionicæ purpuræ quinque millia talentûm, quæ ante annos 190. repoſita, recentem adhuc colorem retinuiſſet. Cuius rei cauſam hanc affert, quod purpureorum tinctura melle, candidorum oleo albo conficiatur, quæ cum eodem tempore durent, purum rutilumque ſplendorem conſeruant. Hanc, à Dario Hyſtaſpis filio conditam fuiſſe, Plinius teſtatur libro 6. cap. 28. eamque aſſerit abeſſe à Babylonia 450. M.P. & tantundem ab Ecbatanis Medorum per montem Charbamum. Nunc ſupereſt, vt de duabus poſtremis aliquid breuiter dicamus. Herodotus memoriæ tradidit, Babyloniam olim fuiſſe quadratam, & ſingulorum laterum menſuram ſtadiorum 120. qui eſt ambitus περίμετρον totius vrbis, ſtadiorum 450, id eſt, ſexaginta millia paſſuum. De muris autem, Diodorus ſcribit tradidiſſe Cteſiam, altitudinem illorum fuiſſe incredibilem: latitudinem, vt eo ſpatio vehi currus poſſent ſeni: alios vero perhibuiſſe, quod fuerit altitudo murorum iſtorum quinquaginta vlnarum, alios totidem cubitorum: & latitudinis ſpacium, quo plures, quam bini currus veherentur. Strabo de hac inquit: Babylon in campo iacet, muri ambitum habet 300. & 85. ſtadiorum. Eius craſſitudinem pedum 32. altitudinem inter turres cubitorum quinquagenum, turrium ipſarum ſexagenum, viam ſuper mœnibus tam latam, vt quadrigæ occurrentes facile pertranſire poſſint. Vnde & hoc ex ſex ſpectaculis vnum dicitur. Item horti penſiles in figura quadrata, quorum latus quodlibet quaternûm eſt iugerum. Hi fornicibus continentur, ſeſe in forcipis modum intercidentibus, ſitis ſuper pilis in aleatoriarum tabellarum formam, alius ſuper alia poſitarum. Pilæ concauæ ſunt, & terra plenæ, vt arbores maximas conſitas recipere poſſint, ex lapide coctili, & bitumine ſtructæ, tam ipſæ, quam fornices, & fornicum interſectiones. Supremum tabulatum aſcenſus ſcalares habet, & cochleas ipſis adiacẽtes, per quos continue aqua ex Euphrate in hortos afferebatur ab hominibus ad hoc ipſum conſtitutis. Nam flumen mediam vrbẽ interfluit. Eius latitudo ſtadium occupat, horti ſuper flumine ſunt, vbi etiã Beli ſepultura eſt, nũc eruta, quã Xerxes eruit, vt fertur. Ea Pyramis quędã erat quadrata, ex latere coctili ſtructa, ſtadij altitudine,

Suſa.

Babylonia.

cuius quoque latus ſtadium obtinebat. Hanc Alexander reparare voluit; ſed cum multi laboris eſſet, & multi temporis, (nam ſolum ad expurgandam terram, 10. millibus hominum; duobus menſibus opus erat) quod inceperat, perficere non valuit. Ilico enim morbus, & mors conſecuta eſt. Id poſteriorum nemo curauit, quin etiam reliqua neglecta ſunt, & vrbis partem Perſæ diruerunt, partem tempus conſumpſit, & Macedonum negligentia, præſertim vbi Seleucus Nicanor Seleuciam ad Tygrim condidit, ad ſtadia 300. Babyloni proximam. Nam & ille, & poſteri omnes, circa hanc vrbem maximopere ſtuduerunt, & regni caput effecerunt, & nunc Babylone maior eſt, quanquam magna ex parte deſerta, vt id facile de ea dici poſſit, quod de magnis vrbibus, quæ in Arcadia erant, à quodam dictum eſt; Magna ciuitas, magna ſolitudo eſt. Hæc Strabo de Babylonia, & hortis penſilibus. Porro quid etiam Q. Curtius lib. 5. de ea tradiderit, haud ſane indignũ eſſe arbitror, quod in medium afferatur. Ipſius vrbis pulchritudo, inquit, ac venuſtas, non Regis modo, (Alexandrum intelligit) ſed etiam omnium oculos in ſemet haud immerito conuertit. Semiramis eam condiderat, vel (vt plærique credidêre) Belus: cuius regia oſtenditur. Murus inſtructus laterculo coctili, bitumine interlitus, ſpacium triginta & duorum pedum latitudinem amplectitur. quadrigæ inter ſe occurrẽtes ſine periculo commeare dicuntur. Altitudo muri centum cubitorum eminet ſpacio. Turres denis pedibus, quam murus, altiores ſunt. Totius operis ambitus 368. ſtadia complectitur. ſingulorum ſtadiorum ſtructuram ſingulis diebus perfectam eſſe, memoriæ proditum eſt. Aedificia non ſunt admota muris, ſed fere ſpacio vnius iugeri abſunt. Ac ne totam quidem vrbem tectis occupauerunt. Per 90. ſtadia habitatur: nec omnia contigua ſunt, credo quia tutius viſum eſt, pluribus locis ſpargi. Cætera ſerunt coluntque: vt ſi externa vis ingruat, obſeſſis alimenta ex ipſius vrbis ſolo ſubminiſtrent. Euphrates interfluit, magnæque molis crepidinibus coercetur: ſed omnium operum magnitudinem circumueniunt cauernæ ingentes, in altitudinem preſſæ ad accipiendum impetum fluminis: quod vbi appoſitæ crepidinis faſtigium exceſſit, vrbis tecta corriperet, niſi eſſent ſpecus lacusque, qui exciperent. Coctili laterculo ſtructi ſunt, totũ opus bitumine aſtringitur. Pons lapideus flumini impoſitus, iungit vrbem. Hic quoque inter mirabilia Orientis opera numeratus eſt: quippe Euphrates altum limum vehit, quo penitus ad fundamenta iacienda egeſto, vix ſufficiendo operi firmum reperiunt ſolum. Harenæ autem ſubinde cumulatæ, & ſaxis, quibus pons ſuſtinetur, annexæ, morantur amnem, qui retentus, acrius, quam ſi libero curſu mearet, illiditur. Arcem quoque ambitu 20. ſtadia complexam habent: 30. pedes in terram turrium fundamenta demiſſa ſunt. ad 80. ſummum munimenti faſtigium peruenit. Super arce vulgatum Græcorum fabulis miraculũ, penſiles horti ſunt, ſummam murorum altitudinem æquantes, multarumque arborum vmbra & proceritate amœni. Saxo pilæ, quæ totum onus ſuſtinent, inſtructæ ſunt. Super pilas lapide quadrato ſolum ſtratum eſt, patiens terræ, quam altam iniiciunt, & humoris, quo rigant terras: adeoque validas arbores ſuſtinent moles, vt ſtipites earum, octo cubitorum ſpatium craſſitudine æquent, in quinquaginta pedũ altitudinem emineant, & frugiferæ ſint, vt ſi terra ſua alerentur. Et cum vetuſtas non opera ſolum manufacta, ſed etiam ipſam naturam paulatim exedendo perimat: hæc moles, quæ tot arborum radicibus premitur, tantique nemoris pondere onerata eſt, inuiolata durat: quippe 20. lati parietes ſuſtinent vndecim pedum interuallo diſtantes, vt procul viſentibus ſyluæ montibus ſuis imminere videantur. Syriæ Regem Babyloniæ regnantem, hoc opus eſſe molitum, memoriæ proditum eſt, amore coniugis victum; quæ deſiderio nemorum ſyluarumque in campeſtribus locis virum compulit amœnitatem naturæ genere huius operis imitari. Hæc Curtius. Deinde addit: Diutius in hac vrbe, quã vſquã, conſtitit Rex, nec vllus locus diſciplinæ militari magis nocuit. Nihil vrbis eius corruptius moribus, nec ad irritandas illiciendaſque immodicas voluptates inſtructius. Liberos coniugeſque cum hoſpitibus ſtupro coire, modo pretium flagitij detur, parẽtes maritique patiuntur. Conuiuales ludi tota Perſide regibus purpuratiſque

cordi

171

cordi ſunt. Babylonii maximè in vinum, & quæ ebrietatem ſequuntur, effuſi ſunt. Fœminarum conuiuia ineuntium, in principio modeſtus eſt habitus: deinde ſumma quæque amicula exuunt, paulatimque pudorem prophanant, ad vltimum, honos auribus habitus ſit, ima corporum velamenta proiiciunt, nec meretricum hoc dedecus eſt, ſed matronarum virorumq́; apud quos comitas habetur, vulgati corporis vilitas. Hæc Curtius. Etſi verò maxima ex parte nunc deleta eſt, adhuc tamen à plæriſque incolitur, ſuntque in ea decem & amplius millia ædificiorum quæ inhabitantur. In tanta vaſtitate etiamnum videre eſt cultiſſima rura, & innumerabiles hortos ædificiis coniunctos, atque item peramœna viridaria, pomiferis & odoratis conſita arboribus. Viſuntur etiam latiſſima arua, quæ ad ſegetem aratris proſcinduntur, nec in ea ſyluæ nemoraq́; deſunt, captiuis & incluſis feris dicata, vt ad voluptatem expedita venatio ſuppeditetur. Mediam vrbem præterfluit Euphrates, lapideo ſumptuoſi operis ponte iunctus, & nunc Bagadath, id eſt, ciuitas vetus, ab indigenis appellatur. Hanc Solymanus Tammaſo ademit vnà cum Aſſyria, & plæriſque aliis locis finitimis, anno Salutis ſupra milleſimum quingenteſimum trigeſimo quarto, ſicuti ſuperius à nobis enarratum eſt. Traianus, vt hoc etiam obiter ſubiungam, Babylonem profectus, mox aggerem reperit, quem excitaſſe ferebatur Semiramis: fuit altitudine pedum 25. latitudine 50. longitudine continebat ſtadia 70. vnde vrbis illius potentia perſpicitur. Huius autem portas centum fuiſſe narrant, pari interuallo collocatas, & quandam inſignis ſtructuræ, cui impoſitum erat reginæ Nitocris ſepulchrum, addita inſcriptione: Si Rex pecunia eguerit, aperito, & quantam volet, ſumito. Euphrates ipſam vrbem in duas ęquales ſecabat, introitu & exitu, vtrimque ad duo ſtadia per medios muros patente.

Seleucia.

Seleucia eſt vrbs in minori Armenia, & ſita in iugo montis, ſub cuius radice præterfluit amnis, magnitudine ſimilis Meduaco. Iuxta hunc montem eſt Theatrum, inſtar Veronenſis, valde amplum, & variis columnis ex ſolido & integro lapide præcinctum, ac vndique ſuis gradibus exornatum. Portæ huius ciuitatis vtrinq; vnū propugnaculū habent, & ſunt ferreæ, atque altitudine circiter quindecim pedum, & amplitudine dimidii, operoſo ac diuiti artificio elaboratæ, non ſecus quàm ſi eſſent argenteæ, ſuntque magna craſſitudine, ac robore. Mœnia quoque ſunt ingenti craſſitie, intuſq́; ac foris, præaltis aggeribus communita, qui ea vndique magna ſublimitate præcingunt, adeo vt aſcenſus ab omni parte prohibeatur, hique à muris tam largi conſpiciuntur, vt in ima parte ſit ambitus trium milliarium, & in vertice vnius tantum, eſtque ibi arx pulcherrimis mœnibus, ac turribus pręſepta. Hactenus de inſignioribus oppidis atque vrbibus Perſico imperio ſubiectis, ac etiam de iis, quæ hac noſtra tempeſtate Ottomannicis Imperatoribus ceſſere. Priorum maior pars caret mœnibus, cum vires regni non in mœnibus, aut lateribus, ſed in virtute armatorum ſitæ eſſe cenſeantur.

Qualia ſint Perſarum ædificia.

Domus Perſarum fiunt è luto & palea, ſine vlla iucunditate aſpectus, cum ſitus alioquin regionis ſit longè amœniſſimus.

Perſiæ fertilitas.

Magna illic eſt frumenti copia plærunq;, quamuis rarò pluat, cum pro imbribus vtantur fluuiorum irrigatione: magna eſt copia animalium, & veruecum in primis, qui tam fiunt pingues, vt caudarum pondus nonnullarum ad quadraginta libras accedat. Eſt tamen magna carnium caritas ob nationis voracitatem, cum quater quotidie ſaturi fiant ſenes, nedum iuuenes, habentq́; optimas & ſaluberrimas aquas quæ ad celerem digeſtionem plurimùm ſane conducunt. Sunt pauperes coloni, nullis vtentes ornamentis, cum plerunque humi dormientes decumbant, quamuis opulentioribus ſtrata ſint ſuper tapetibus.

Perſæ olim dicti fuerunt ſagittarii.

Illud prætereà hic obiter dixerim, numiſma Perſicum ſagittario fuiſſe ſignatum, ſicuti veteres prodiderunt. Hinc factum eſt, vt Ageſilaus Lacedæmoniorum Rex, cum ſemel caſtra moueret, diceret, triginta ſagittariorum millibus à Rege ſe ex Aſia expelli. Tot enim aureis Daricis à Timocrate Athenas perlatis, ac inter oratores diuiſis, populi ad bellum contra Spartanos ſuſcipiendum concitati erant. Quin etiam conſtat, eos, imitatione Arabum, ſuis ſiclis & ſtateribus, impreſſiſſe imaginem ſagittæ, vnde & ſagittarii dicti fuerunt. Quatenus verò ad metallicas

fodinas attinet, nullæ ſuñt apud Perſas, hoc quidem tempore, quantum dignoſcere potui ex eorum relatione, qui hæc pro certo aſſerunt, auri, aut argenti, aut æris fodinæ, ſed ferri duntaxat. Hæc tamen ad eos ex variis regionibus atque prouinciis tranſportantur. Verum enimuerò, Perſiæ montes propter ipſius auri fertilitatem, olim celeberrimos extitiſſe conſtat. Nam Plautus inquit in Sticho:

Quæ fodinæ metallicæ nunc ſint apud Perſas.

Perſarum montes quondam auri fertiles.

Mereat Perſarum montes, qui eſſe aurei perhibentur. & M. Varro:

Non demunt animis curas ac religiones

Perſarum montes, non diuitis atria Crœſi.

Vſus gemmarum apud Perſas.

Perſicæ mulieres.

Vnionum verò & margaritarum vſus apud eos, potius recens, quam vetuſtus perhibetur, & nunc longè frequentiſſimum eſſe audio, ac præſertim inter fœminas nobiliores. Perſicę autem mulieres, maiori ex parte ſubfuſco colore eſſe feruntur; ſed tamen vultu admodum venuſto atque amabili.

Perſarum veteres mores ac inſtituta.

Dii Perſarum.

Cæterum, vt quales olim fuerint ipſorum Perſarũ mores, leges, ac inſtituta, quàm pleniſſimè intelligatur, Strabonis verba, quæ extant circa finem libri 15. hic ſubiicere non grauabor. De moribus, inquit, Perſarum, etſi permulti dixerunt, tamen dicenda nobis videntur quæ ad rem attinent. Perſæ nec ſtatuas, nec aras erigunt, ſacrificant in loco excelſo. Cœlum Iouem putant, colunt Solem, quem Mithram vocant: Item Lunam, & Venerem, & ignem, & tellurem, & ventos, & aquam. Sacrificant in loco mundo cum imprecationibus, & coronatam hoſtiam ſtatuunt. Vbi magus, qui ſacrificium enarrat, carnes in portiones diſtribuit, ſua quiſque accepta, abeunt, nulla parte diis relicta, dicunt enim Deum nihil velle, præter hoſtiæ animam: quidam, vt fertur, omenti partem igni imponunt.

Ignis violati pœna.

Aquæ ſacrificium.

Præcipue igni & aquæ ſacrificant, igni arida ligna imponentes, adempto cortice, & aruina ſuperiniecta: deinde infuſo oleo, ſuccendunt, non inſpirantes, ſed ventilantes: ſi quis inſpirat, aut mortuum quicquam cœnumve in ignem iniicit, morte punitur. Aquæ ſacra peragunt hoc modo: In lacum, vel flumen, vel fontem venientes, ſcrobem faciunt, ibique hoſtiam iugulant, cauentes, ne quid proximæ aquæ ſanguine contingatur: ſic enim omnia pollutum iri. poſtea carnibus myrto lauroq; impoſitis, eas Magi gracilibus virgis comburunt, & factis imprecationibus quibuſdam, oleum lacte ac melle mixtum inſpergunt, non in ignem, nec in aquam, ſed in terram. Imprecationes diu faciunt, faſciculum virgarum myricinarum tenuium tenentes.

Cappadoci Pyrethi.

In Cappadocia, (etenim maxima eſt ibi Magorum multitudo, qui Pyrethi vocantur, & multa Perſicorũ Deorum templa,) non cultro, ſed ſtipite quodam mactant, tanquam malleo verberantes. Sunt & Pyrathia ſepta quædam ingentia, in quorum medio ara eſt. In ea Magi & cinerem multum & ignem inextinguibilem ac perennem ſeruant, & eo quotidie ingreſſi, imprecationes faciunt, per horam, ante ignem, virgatũ faſciculum tenentes, pileis infulis velati ex vtraq; parte dependentibus, adeo vt vittæ labia contegant ac malas. Hæc in Anaitidis & Omani delubris fiunt. Nam & horum ibi delubra ſunt, & Omani ſtatua in pompa ducitur. Iſta nos vidimus: quæ ſequuntur, hiſtorici memoriæ mandauerunt. In fluuium Perſæ non micturiunt, nec lauant, nec abluuntur, nec cadauer iniiciunt, nec alia quæ immunda eſſe videantur. Cuicunq; Deo ſacrificent, primum igni imprecationes faciunt. Reges habent ex eadem ſtirpe. Qui non paruerit, capite & brachio amputato proiicitur. Ducunt vxores complures, & multas pellices alunt, multiplicandæ ſobolis gratia. Reges quotannis præmia proponunt iis, qui plures filios progenuerint:

Vere nubunt Perſæ.

pueri ante quartum annum in patris conſpectum non veniunt. Nuptiæ in initio verni æquinoctii celebrantur: ſponſus in thalamum venit, comeſto prius malo vel cameli medulla, præter id nihil eo die. A quinto, vſq; ad 24. annum diſcunt ſagittare, iaculari, equitare, & in primis vera dicere. Diſciplinarum magiſtris continentiſſimis vtuntur, qui & fabulas ad vtilitatem accommodatas intexunt, cum cantu, & ſine cantu, deorum & clarorum virorum facta celebrantes. Congregant eos in vnum locum, æris ſonitu ante lucem excitatos ad arma, aut venationem. Præficiũt quinquagenis aliquem ex Regis filiis, aut Satrapæ, quem currentem ſequi iubent, loco 30. 40. ve ſtadiorum determinato. Poſtulant hi etiam

oratio-

orationem de ſingulis quæ illi didicerint, ſimul & vocem, & latus, & ſpiritum exercentes. Quin & aduerſus æſtum, frigus, imbres, & ad torrentium tranſitus eos conducefaciunt, vt arma & veſtes immadidas ſeruent. Paſcere etiam, & in agro pernoctare docét, & ruſticari, & fructibus ſylueſtribus veſci, vt termintho, glandibus, pyris agreſtibus. Atq; hi Cardaces vocantur, furtis viuentes, nam carda virile ac bellicoſum ſignat. Quotidianus eorum cibus poſt exercitationem eſt panis duriſſimus, & naſturtium, & ſalis grana, & carnes aſſæ, vel elixę: potus, aqua. Venantur autem, pila, & ſagittas ab equis mittentes, & funda vtentes. Veſpertina eorum ſunt exercitia, arbores ſerere, aut radices effodere, aut arma fabricari, aut lino & retibus ſtudium impendere artificioſe faciundis. Pueri venationem non attingunt: ſed mos eſt eam domum referre. Curſus & cæterorum quæ in quinquenniis exercentur præmia, ab Rege proponuntur. Pueri auro exornantur, cuius igneum fulgorem venerantur, quare id neque mortuo apponunt, quemadmodum nec ignem, ob honorem quem ei deferunt. Militant, & ordines ducunt à 20. anno vſq; ad quinquageſimum & pedites & equites. Forum non attingunt, nam nec emunt, nec vendunt. Armantur cetra in rhombi figuram facta, præter pharetram: ſagares, & ſecures habent, capiti impoſitum pileum turritum, pectus thorace ſquamoſo muniunt. Principes anaxyridem triplam habent, & tunicam manicatam, duplam, genu tenus, interula candida eſt, exterior verò veſtis colore infecta. Amiculum æſtate purpureum vel floridum, hyeme autem floridum, tiaras magorum infulis ſimiles, calciamẽtum altum & duplum. Vulgò tunicam duplam gerunt, ad medium vſq; crus deſcendentem, circum caput ſindonis cento voluitur. Quiſq; arcu & funda vtitur. Perſæ lautè cœnant, integra, & multa & varia apponẽtes, veſtis & poculorum ornatus ſplendidiſſimus, auro & argento refulgent. De rebus maximis in vino conſultant, eaq; decreta ipſi firmiora cenſent, quàm quæ ſobriè faciunt. Si notis & æqualibus in via occurrant, eos oſculantur: ſi humilioribus, genam eis præbent, eaq; oſculum excipiunt: qui humiliores admodum ſunt, duntaxat genu flexo digniores venerantur. Corpora mortuorum humant, prius cera oblinentes. Magos inſepultos auibus edendos dimittunt. hi cum matribus inſtituto maiorum coeunt. Ac Perſarum quidem mores ſunt huiuſmodi, quibus opinor addenda eſſe, quæ à Polycrito referuntur. Sunt autem hæc: Regum cuiq; Suſis in arce domicilium extat, & theſauris, & tributorum quæ exegerit tabulæ, adminiſtratæ rei monumentum. Exigere eos ex ora maritima argentum, ex Mediterranea, quæ quæq; regio ferat, vt colores, medicamenta, lanam, vel aliud tale, aut pecora. Tributa inſtituit Darius Longimanus, qui omnium hominum longè pulcherrimus fuit, dempta brachiorum & cubitorum longitudine, etiam genua contingentium. Maximam auri atq; argenti partem in ſupellectile habent, in nummis perexiguam. Illam enim exiſtimant & ad donandum magis aptam, & ad reponenda adſeruandaq; in theſauris ceimelia. Numiſmatis verò tantum ſufficere arbitrantur, quantum vſui ſatis ſit, & tantum auri percutiunt, quantum impenſis ſufficiat. Perſarum mores magna ex parte moderati ſunt. Cæterum per opulentiam Reges in delitias luxuq; prolapſi ſunt, adeò vt triticum ex Aſſo Æolica afferri vellent; vinum autem ex Syria quod Chalybonium dicitur, aquam ex Eulæo, quòd ea omnium eſſet leuiſſima, vt Atticæ heminæ comparata, drachma minus appenderet. Ex omnibus autem barbaris Perſis vſu venit, vt notiſſimi apud Græcos eſſent, quod nulli Græcis imperauerunt, eorum qui Aſiam tenuere, præter eos, nec ii Græcos, nec Græci illos anteà nouerant, niſi quantum fama percepiſſent admodum exili. Non enim Homerus Medorum, Syrorumve imperium nouerat: alioqui Ægyptias Thebas, & earum, & Phœnicum diuitias nominans, nequaquam Babylonis, Nini, & Ecbatanorum opes ſilentio tranſmiſiſſet. Ac primò quidem Græcis Perſæ imperauerunt, Lydi verò non toti Aſiæ, ſed parti ſolùm cis Halym perexiguæ, idq; non diu, ſed duntaxat Crœſi & Alyattis tempore. Et ſi quid gloriæ parauerant, amiſerunt, à Perſis ſubacti. Perſæ, Medorum rebus in ſuam poteſtatem redactis,

Pyropum.

Sagar Perſicus gladius.

Perſarum cultus.

Cœna.

Darius Longimanus.

ſtatim Lydos ſubegére: & Græcos, qui in Aſia erant, ſibi ſubditos fecerunt; poſtmodum in Græciam traiicientes, magnis multiſque certaminibus victi ſunt. Aſiam tamen vſque ad mare tenuerunt, donec a Macedonibus ſunt debellati. Cyrus primus iis imperium comparauit, cuius ſucceſſor Cambyſes filius, a Magis ſublatus eſt. Septem vero Perſæ, qui Magos interemerunt, Dario Hyſtaſpis filio, imperium tradidére. Eius ſucceſſores in Narſem deſierunt: quem cum Bagoa eunuchus interfeciſſet, Darium Regem fecit, quanquam è ſtirpe regia non ortum. Hunc cum Alexander euertiſſet, ipſe 1.. aut 11. annos regnauit. Poſtea Aſiæ imperium in complures ſucceſſores, & ab eis profectos diuiſum, tandem diſſipatum eſt. Permanſit annos circiter 250. Hodie ſeorſum Perſæ ſuum habent, & reges aliis ſubditos, ante Macedonibus, nunc Parthis. Hæc Strabo, qui etiam alibi de Perſis locutus, aſſerit, ipſos, ex omnibus Diis Martem colere, & bellicoſos eſſe, ac neminem vxorem ducere, niſi prius hoſtis caput amputatum, ad regem pertulerit. Regem, caluaria in regio theſauro repoſita, linguam minutim ſecare, ac pane permiſcere, poſtea deguſtatam, ei qui attulit, & familiaribus edendam præbere atq; illum præclarum eſſe, cui multa capita ſunt allata. Cæterum de iiſdem rebus quam plurima extant apud Xenophontem in eo opere, cui titulus eſt De Pædia Cyri, vbi quàm pleniſſimè videre eſt, quanta fuerit Perſicarum legum præſtantia: quæ exercitia cuiq; ætati præſcripta: quis fuerit Perſarum exercitus ordo: qui mos in equitatu: quæ diſciplina: quæ in conuiuio modeſtia, & pleraq; alia obſeruatu digniſſima. Idem auctor circa initium libri ſeptimi, teſtatur, Perſarum ſignum fuiſſe aquilam auream extenſam in longa haſta.

Mars à Perſis colitur.

Perſarum ſignum.

Quam vero apud ipſos Perſas, ingrati animi crimen præ cæteris fuerit exoſum, ac deteſtabile, his paucis verbis clariſſimè oſtendit. Nam, inquit, vehementer cauſam agunt ingratitudinis. Et quem cognorint poſſe referre gratias, nec refert, in hunc ſeueriſſimè animaduertunt: quippe qui arbitrantur, eos qui ſint ingrati, & deos maiorem in modum negligere, & parentes, & patriam, & amicos. Ingratitudinem verò potiſſimum impudentia ſequitur, quæ ad omnem turpitudinem maxima eſt dux. De hoc execrabili ingrati animi vitio, præter cæteros ſcriptores, Antonius Campanus, vir ſingularis doctrinæ ac eloquentiæ, noſtrorum patrum memoria, tres pulcherrimos ac elegantiſſimos libros edidit, quibus titulus eſt, De ingratitudine fugienda, ad Pandulphum Balionium. Herodotus, inter reliqua poſteris tradidit, apud Perſas turpiſſimum fuiſſe, Mentiri, deinde ære alieno oppreſſum eſſe, quia neceſſe ſit multis debentem ſæpe mentiri. Perſarum inſtitutum, quo reges, tanquam Dei ſimulachrum adorabant, Plutarchus in vita Themiſtoclis apertiſſime demonſtrat, inquiens: Ad Regem Perſarum profectus, ad Artabanum tribunum militum incidit primum. Cumq; diceret, ſe Græcum eſſe, & cum Rege magnis de rebus communicare velle, & quæ ille vehementer expeteret: at ille, O, hoſpes, inquit, hominum inter ſe leges plurimùm differunt, aliaq; apud alios honeſta habentur: ſed omnibus pulchrum domeſtica inſtituta ſeruare ac retinere. Vobis itaq; propoſitum eſt libertatem atq; æqualitatem maximè admirari: nobis verò, cùm multæ atq; pulcherrimæ ſint leges, illa omnium honeſtiſſima eſt, obſeruare regem, ſimulachrumq; Dei omnia ſeruantis adorare. Si igitur noſtris legibus parere volueris, regemq; adoraueris, fas erit tibi intueri regem atq; alloqui: ſin autem tibi alia mens eſt, internuntiis tibi cum rege vtendum erit: non enim patrium eſt regi, hominem minus adorantem audire. Hęc vbi audiuit Themiſtocles, Ego, ô Artabane, inquit, gloriam huc & potentiam regis aucturus acceſſi. Proinde & ipſe obtemperabo veſtris legibus, poſteaquam amico propitioq; Perſis Deo ita videtur, & mea opera plures etiam ex his, qui nunc regnant, veſtrum adorabunt Regem. Quare nihil eſt, cur hoc ſermones noſtros remoretur, quos cum eo collocuturi ſumus, &c.

Ingratitudinis crimen apud Perſas præ cæteris exoſum.

Perſarum inſtitutū, Reges, tāquam Dei ſimulachrum adorare.

Mos autem Perſarum quo vtebantur in creandis regibus, eodem auctore, hic fuit. Reges Paſagardas proficiſcebantur, vt à Perſarum ſacerdotibus regio more ſacris initiarentur. Erat bellicæ Deæ ſacellum, quam veriſimile eſt fuiſſe Miner-

Mos antiquus Perſarum in creandis Regibus.

Mineruam. Eò ingreſſum regem, oportebat propriam veſtē deponere,& quam Cyrus primus induerat,antequam regno potitus eſſet,aſſumere: caricis præterea veſci,& therminthum pro bellariis deguſtare, poculumq́; oxygalactis ebibere. Iis peractis, ſi qua fierent, haud cæteris, inquit, compertum eſt.

Perſarum ingens ſuſpicio de mulierum ſuarum pudicitia.

Qualis autem Perſarum mos fuerit in aſſeruanda mulierum pudicitia, Plut. in Themiſtoclis vita his paucis declarat: Barbarorum, inquit, natio plurima, & in primis Perſarum, vehementer mulierum pudicitiam ſuſpectam habet, in eaq́; re admodum aggreſtis eſt ac difficilis. Non enim coniuges modò, verumetiam auro emptas & pellices curioſè aſſeruant, & ne ab aliquo extero videātur, ſoliciti ſunt, ſic domi aſſiduè occluſas habent. In itineribus obeundis ſub tabernaculis clauſis vndiq; in vehiculis feruntur. Idem auctor in vita Artaxerxis: Vehemēter enim, inquit, ſuſpicioſum de mulierum pudicitia Barbaricum eſt genus, atq; intemperās, vt non modò qui adierit, pellicemq́; regis attigerit, ſed etiam qui ex itinere appropinquauerit, curruſq́, quibus vehūtur, impulerit, capite puniatur.

Venefici quæ pœna olim afficiebantur apud Perſas.

Veneficii autem pœna apud Perſas, vt hoc etiam obiter addatur, huiuſmodi legibus vindicata eſt. Ampla erat petra, in qua illorum capita impoſita, alia petra illidebantur, quoad faciem ac caput infregiſſent. Cæterum, qualis olim fuerit ſepultura Perſica, Agathias lib. 2. his verbis teſtatur:

Sepultura Perſica.

Hunc ex lege, inquit, ſeruant Perſæ ſepulturæ ritum, nudata vt carnibus oſſa per campos diſperſa iaceant, velint. apud hos namq; in arcam vrnamve mortuos condere, vel terra obruere, haud quaquam fas eſt. Cadauer verò, ad quod non ſtatim dilacerandum aduolent aues, aut canes accedant, hominis fuiſſe affirmant, qui inquinatis moribus fuerit, iniquioriſq́; animi, & dignus planè, qui in barathrum detrudatur, in prauiq́; dæmonis ditionem vt veniat, & propinqui mortuum tunc maximè deflent, vt cui nihil putent ſpei reliquum eſſe, nec fati melioris participes fore. Quod ſi quam celerrime mortuus deuoretur, beatum hunc & felicem dicunt, huiuſq́; animam & demirantur quammaximè, & Deo ſimilem faciunt, & dignam omninò quæ in cāpos Elyſios deferatur. Hæc Agathias, & plæraq; alia ibidem in hanc ſententiam. Idem auctor, paulò pòſt, de Aſſyriis, ſiue Chaldæis ac Medis locutus, hæc ſubiungit: Quod ſiue, inquit, cadauera, ſiue cineres Græcorum more exuſtos, illa contineant, haud tamen cum his aliquid habent, quæ Perſæ hi factitant, ſimilitudinis: nec ſolùm in ſepulturis & mortuis, ſed ne & nuptiarum quidem, & rebus Venereis flagitioſiſſimis ritibus, pro quibus præſentes, & huius temporis Perſæ ſceleratius ac deperditè luxuriantur, qui non ſolùm cum ſororibus ſuis & conſobrinis impudenter congrediuntur, ſed cū filiabus vel genitores (proh ſcelus) miſcentur, &, quod omnium eſt impiiſſimū, (ô natura, ô leges) cū matribus filii.

Flagitioſi Perſarum inceſtus.

Perſis autem fuiſſe nuper id ſceleris adinuentum, ex eo, quod enarraturi mox ſumus, noſſe quis poterit. Ferunt, quondam magnam Semiramidem illam, & Aſſyriam, fuiſſe eò temeritatis euectam, vt cum Nino filio habere congreſſum voluerit, iuuenemque pertentaſſe: huncque renuentē concubitum, remq́; permoleſtè ferentem, pergentem ad facinus matrem protinus occidiſſe, patrareq́; id maluiſſe, quàm ſcelus committere. Non enim, ſi id lege permittebatur, Ninum duxerim ad id crudelitatis veniſſe, ſed quid eſt opus nimium vetuſta repetere?

Ninus matrem ob inceſtum expetitum interficit.

Paulò antè, quàm Macedones tantas res gererent, & Perſæ deſtruerentur, Artaxerxem Darii ferunt, Pariſatidem matrem, cùm eodem malo afficeretur, quo & Semiramis, & ſecum rem habere percuperet, haudquaquam necaſſe, ſed eieciſſe iracundius, & propulſaſſe, quia nec pium id eſſet, nec patriū, nec in vita hominum conſuetum.

Artaxerxes ab inceſtu abhorruit.

Sed huius temporis Perſæ priſcos mores omnes ferè omiſere, & perindeiam euerterunt, alieniſq́; legibus tanquam adulterinis vtuntur, ex Zoroaſtri deſumptis Orimaſdei diſciplinis. Is autem Zoroaſter, ſiue Zarades, nam duplici vocitatur cognomine, quo tempore in principatu floruerit, & tulerit leges, ſatis clarè internoſci non poteſt. Perſę namque noſtrę ætatis, Hyſtaſpis temporibus, ſimpliciter tamen hunc fuiſſe affirmant: ita vt in ambiguo ſit, nec planè ſatis dignoſci queat, vtrum Darii pater, an alius quiſpiam is fuerit Hyſtaſpis. Sed quouis ille floruerit tempore, magiſter tamen & Perſis

Zoroaſter princeps Perſarum.

fuit, & magici ſceleris adinuentor, qui priſco ſacrorum ritu immutato, promiſcuas quaſdam & varias opiniones induxit. Hactenus Agathias, quem conſtat floruiſſe Iuſtiniani temporibus.

Perſarum ſigna militaria.

Perſis aurea aquila ſupra oblongam haſtam patentibus alis militare ſignum fuit: nonnunquam ſolis ſimulachrum, ſacerq; & æternus ignis. Quæ verò apud Romanos fuerint militaria ſigna, quæ itidem apud exteros, quóue pacto educi conſueuerint, & quid teſſera, quid vexillum ſit, eleganter oſtendit erudititiſſimus vir Alexander ab Alexandro, libr. 4. cap. 2. qui etiam ibidem aſſerit, Dario ſuper tabernaculum imaginem ſolis cryſtallo incluſam, ſigni loco fulſiſſe in caſtris. Idem auctor lib. 3. cap. 11. tradit, Perſarum milites adeò abſtemios fuiſſe, vt pane & aqua ſæpius victitarint, panis condimentum, & obſonium, famem eſſe dictitantes, quibus tamen ſemel annis ſingulis inebriari permiſſum eſſet. At libro 1. cap. 20. in quo diſſerit, in qua ætate milites apud Romanos legi conſueuerint, & quæ fuerit diſciplina militaris, quódue iuſiurandum, hæc ſubiicit. Apud Perſas

Magiſtri militiæ apud Perſas grandæui.

magiſtri rei militaris, grandiori ætate fuêre, nec citra annum quinquageſimum, ſub quibus parata inſtructaq; acie, parcè primùm, & modicè, mox exactiſſima cura militiam ediſcebant, apud quos iuuentus à viceſimo ad 50. annum militare cogebatur. Vltrà verò arma tractare vetitum. Quæ autem vota olim ſolennia fuerint apud Romanos, & quæ apud exteros, idem auctor ſusè explicat libro

Vouendi modus apud eoſdem.

3. cap. 22. De Ponti verò & Perſarum regum vouendi conſuetudine: Mos erat, inquit, vt in excelſis iugis, & ſummo vertice montium pyram conſtruerent, alteramq; deſuper breuiorem, ipſeq; ad pyram ligna Rex inferret primus, Iouiq; militari lac & mel inſpergeret, & poſtquam vinum, mel & odores infuderit, velut propiciato Deo, vota enunciaret, pulmentoque præparato, quod aſtantibus dabatur, pyræ ignem inferret, quo incendio æſtuante aere, vix il-

Regum Perſarum diadema.

luc accedere permittebatur. Quodnam autem regium diadema tam apud Romanos, quàm apud exteras nationes & gentes fuerit, eleganter declarat libro

Cydaris tiara Candys regum inauguratio.

primo, cap. 28. & ibidem de Medis, Perſis, & Armeniis regibus mentionem faciens, Cydaris, inquit, cum cærulea faſcia albo diſtincta, vel tiara, amictuſq; purpureus quadrangulari figura. Interdum Candys, quod Perſarum Lydorumq; inſigne regium erat, pro diademate fuit. Quos quidem reges, antequam ſceptra inirent, ſacris initiari oportebat: qui modus erat, vt veſtem, quam geſtauit Cyrus, primùm induerent; &c. Deinde, Perſici, inquit, reges obſeruarunt ex myrrha & lapizo odorata, capiti inſigne regium ferre, pallamq; picturatam, &

Darii vltimi Diadema.

auro diſtinctam induere. Idem quoq; ſubiungit, poſtremi Darii diadema fuiſſe purpureum albo diſtinctum, quod mox Alexander vſurpauit ferre. Et quoniam ex his, quæ ſuprà recenſuimus, apertiſſimè conſtat, Perſicos reges, priuſquam ſceptra capeſſerent, ſacris initiatos, & veſtem, quam geſtarat Cyrus, prius induiſſe, vt, quænam hæc fuerit, clarius intelligatur, hanc à veteribus ſtolam appellatã inuenio, eamq;, originem habuiſſe à Semiramide, vt teſtatur Diodorus Siculus rerum Ant. libro tertio. Ibi enim refert, Menonem Syriæ præfectum ſub Ni-

Stola Semiramidis.

no, cùm eſſet in obſidione Bactriana, longæ oppugnationis pertæſum, Semiramidem ipſius coniugem accerſiuiſſe: quandoquidem præ nimio amore abſentis deſiderium ferre diutius non poſſet. Hanc autem ad eum veniſſe indutam eiuſmodi formæ ſtola, vt virne, an mulier eſſet, nequiret perſpici. Tuebatur, inquit, eà ab itineris æſtu corporis calorem, agilis ad omne tempus. Cuius tanta erat commoditas, vt poſtmodum Medi, cùm Aſiæ imperarent, Perſæq;, ſtola, Semiramidis vterentur. Id verò, quod de Perſis in militiam ituris, me apud non ignobiles ſcriptores legere memini, haudquaquam ſilentio prætereundum vi-

Mos Perſarũ in recenſendis maximè his militibus qui in prælio interiere.

detur. Narrant enim, hos in bellum profecturos, ante regem in throno ſedentem, cum duce ac vniuerſo exercitu ſimul adeſſe ſolitos, & quemlibet ſagittam vnam in cophinos ad hoc paratos proieciſſe. Hos deinde, regem ſuo ſigillo ſignatos, diligenter cuſtodiri iuſſiſſe. Vbi verò iam peracta militia, in Perſidem redibant, quemlibet rurſus ſagittam ſuam ex his abſtuliſſe, & poſtea regi nuntiatum, quotquot ſupereſſent ſagittæ eorum qui non eſſent reuerſi,

Qua

Qua ratione perſpiciebatur, quotnam in prœlio cecidiſſent. Pulchra ſanè ratio, & facilis ad mortuos dignoſcendos erat.

Minimè autem & illud ſilendum eſt, quod inter cætera, de ipſis Perſis meminit Ælianus, qui recenſet quandam ipſorum legem de ferendis regi muneribus, atq; ait, ipſos legem habuiſſe, quæ vna ex omnibus obſeruantiſſimè ab illis colebatur. Hæc autem huiuſcemodi erat. Cum Rex in Perſiam equitabat, ſinguli pro ſuis facultatibus munera offerebant, vt qui agriculturæ dediti erant, & terræ colendæ operam nauabant, & qui ſua manu laborabant opifices, neq; nimis attrita & praua, neq; nimis pretioſa & magnifica donabant: ſed aut boues, aut oues: nonnulli etiam frumentum, ſiue vinum. Exeunti autem ipſi, & præterequitanti, hæc à ſingulis apponebantur, & munerum nomine vocabantur, qua appellatione etiam ipſe recipiebat. Qui vero his pauperiores erant, lac, palmas, & caſeum ferebant, & alias primitias de ipſorum fructibus. Idem auctor lib. 12. ſcribit, Perſarum conſuetudinem fuiſſe, vt ſi quis de rebus obſcuris ambiguiſq; conſilium regi dare vellet, ſuper aureo latere ſtaret: atq; ſi bona ſalubriaq; in medium conſuluiſſe viſus eſſet, latere in conſilii præmium accepto diſcederet: nihilominus tamen flagris cædebatur, ſi contrarium regi dixiſſet: At, inquit, meo quidem iudicio, libero viro iniuriam pro mercede rependere, non eſt æquum. Hucuſq; Ælianus. Munera verò, quæ ipſe rex dono dabat venientibus ad ſe legatis, ſiue ii ex Græcia, ſiue aliunde aduenissent, hæc erant: Vnicuiq; talentum Babylonicum argenti præſtantiſſimi. Talenta verò, duæ fuerunt argenteæ phialæ. Conficit autem Babylonicum ſeptuaginta duas minas Atticas. Item armillas, & acinacem dabat, & torquem: vniuerſa hæc mille Daricis æſtimata; adhæc, Stolam Medicam, quam Dorophoricam appellabant. Quibus autem diſciplinis ac præceptis Perſarum regis filios inſtruerent, Plato in Alcibiade priori diſertè ac perſpicuè docet. Primò autem de rege Lacedæmoniorum & Perſarum locutus tradit, ipſorum vxores ab Ephoris cuſtodiri ſolitas, quò pro viribus cauerēt, ne ex alio genere quàm Heraclidarum Rex gigneretur. At Perſarum regem, ne ſuſpicari quidem vllum, Regem ex altero, quàm ex ſeſe naſci poſſe. Itaq; nullam aliam fuiſſe coniugis regis cuſtodiam, quàm metum. Vbi verò, inquit, maximus natu, ad quem imperium pertinet, filius in lucem prodierit, de veteri conſuetudine primò eius natalēm, quicunq; in regno ſunt, celebrāt: ſimulq; in poſterum quotannis eandem lucem ſacris ac feſtis vniuerſa Aſia proſequitur. Mox verò nutriri puer incipit: neq; id à quauis nutrice peragitur, ſed ab ipſis duntaxat Eunuchis, qui in regis aula omnium optimi cenſeantur: nam illis iiſdem reliqua omnia demandant, quæ ad pueri curam educationemq; pertineant. Præcipuè verò diligentiam adhibent maximam, vti natum ipſum decora & egregia forma habeant: ex quo membra eius & artus accuratè ac diligenter dirigunt atq; componunt. Atq; hæc facientes illi, in magno honore ſunt. Vbi verò ſeptimum ætatis annum complerunt, ad equeſtris diſciplinæ magiſtros, atque in ipſas venationes mittuntur. Anno autem 14. curam eiuſdem ſuſcipiunt qui magiſtri regii nominantur. Hi quidem & ex vniuerſa Perſia delecti quatuor ſunt, qui cæteris omnibus virtute præſtent: videlicet ſapientia, iuſtitia, temperantia, & fortitudine. Ex his verò primus eiuſmodi magiam docet, quæ à Zoroaſtre Oromazæ filio profecta eſt, quæ nihil eſt aliud, quàm Deorū cultus. Idemque regia inſtituta tradit. Secundus commonet, vt in tota vita veritatem præcipuè colat. Tertius, ne quo affectu aut libidine ſuperetur: ſed liberè vitam agere conſueſcat: ſibiq; ipſi primus imperare, nec alteri ſeruire. Quartus demum intrepidum illum & impauidum reddit, necubi metuendo ſeruus efficiatur. Hæc Plato. Illud autem notatu dignum, tametſi diſciplina veterum Perſarū in inſtituendis liberis paſſim ab omnibus multum laudata ſit, vitio aliquo & culpa non caruiſſe, (adeò inter mortales nihil vſquam ab omni parte beatum,) nempe filiis tanquam ſeruis eos vti ſolitos fuiſſe, quod tyrannicum & inhoneſtum meritò cenſuit Ariſtoteles libro octauo Ethicorum capit. 10. planè mihi antehac exciderat, niſi hoc in mentem reuocaſſet Theodoricus

Perſarum lex de ferendis Regi muneribus.

Munera legatis data à Regibus Perſarum.

Filii Regum Perſarū quo modo fuerint inſtructi.

Olim Perſarū liberi loco ſeruorum habiti.

Lieſueldius, magnus ac ſuprèmus Brabantiæ Cancellarius, vir æqui iuſtiq; longè obſeruantiſſimus, & qui ob ſingularem eruditionem, eloquentiam, pietatem fidemq; & amorem in patriam, ac reliquas eximias virtutes, iure ab omnibus colendus atq; ſuſpiciendus eſt. Cùm enim hanc meam de Perſicis rebus hiſtoriam, priuſquam typis euulgaretur, ipſi legendam exhibuiſſem, vt ab eo, ſicut moris eſt, diploma impetrarem, poſtquam illa euoluiſſet, quæ de vetuſtis moribus Perſarum retuli, animaduertit hoc à me prætermiſſum, cùm probè meminiſſet, id ſe diligenter obſeruaſſe apud Stagiritam, in cuius ſcriptis, vt in cæteris liberalibus diſciplinis, ac præſertim in iure ciuili & municipali, egregie atque inſigniter verſatus eſt, ideoq;, me, (quę ipſius fuit humanitas) amanter admonuit, vt iſtùd etiam, memoratu haud ſanè indignum, insererem, quod & lubens feci.

Perſarum conuiuia.

Quatenus verò attinet ad Perſarum conuiuia, Athenæus, quem conſtat M. Antonini temporibus floruiſſe, libro 4. capit. 6. ita poſteris ac memoriæ mandauit. Scribuntur, inquit, hæc ab Herodoto, vbi Gręcorum Perſarumq; conuiuia inter ſe confert. Eum præcipuè diem ſupra reliquos omnes venerari Perſarum legibus ſancitum eſſe, in quo quiſq; natus eſt: in quo etiam plura conuiuia parari dignum eſſe arbitrantur, in quo & qui ſunt diuites, bouem, aſinum, equū & camelum totos in fornacibus aſſatos appoſuerunt. At pauperes, oues exiguas apponere ſolent, paucisq; cibis vtuntur, multiſq;, at iis non bonis bellariis. Atque ideo factum eſt, vt Græcos dicant Perſæ, vbi conuiuantur, etiam fameſcentes ceſſare, quia nihil his memoria dignum poſt cœnam afferatur: quòd ſi afferatur quid bonum, non etiam ceſſare. vino abundè vtuntur, neq; illis ex oppoſito alicuius aut vomere licet, aut meiere, Hæc ita obſeruantur. Cùm facti ſunt ebrii, de rebus eorum maximè ſeriis conſulere conſueuerunt: quod autem conſultantibus placuerit, id die poſtero ædium præfectus ieiunis, vbi conſultaturi conuenerunt, proponit. quod ſi ieiunis etiam placuerit, tunc id perficiunt: ſin autem, omittunt. Rurſus verò de quibus ieiuni conſultarunt, ebrii decernunt. De Regum Perſarum delitiis ita in Ageſilao ſcriptum reliquit Xenophon: Quid Perſarum Rex ſuauiter bibat, multi totum terrarum orbem peragrantes, inquirunt, atq; infiniti propè quid ſuauiter comedat, machinantur. quot autem ſunt, qui, vt dormiat, indagant, nullus profectò eſt qui dicere poſſit. Ageſilaus autem, quia vir ſtrenuus erat, omne quod contigerat, ſuauiter & viuebat, & comedebat, & ad commodè dormiendum quiuis locus erat peropportunus. At in Hierone, vbi de iis delitiis agit, quæ Regibus, & de iis, quæ priuatis parabantur, hæc ſcripta reliquit: Noui, inquit Simonides, ita vulgus iudicare, nos ſuauius quàm priuatos, & bibere, & edere, quia videntur hi ſuauius edere, ſi nobis appoſita cœna veſcerentur, quàm ea quæ ſibi apponitur; ſed ſolitos cibos poſſe ſuperare, id præcipuè voluptatem præbet, quare omnes homines feſta ſuauiter expectant, præter Reges: his ſiquidem lautiſſimè ſemper paratæ menſæ nullum poſſunt per feſta augmentum accipere: ex quo fit, vt ex ſpe huius voluptatis primùm excidentes, minus habeant quàm priuati. Poſtea illud bene noui inquam, quod & tu ſæpius expertus es, quòd quanto plura præter neceſſaria apponuntur, tantò citius ciborum incidit ſatietas: quare eo ipſo edendi tempore, is, cui multa apponuntur, minus iis habet, qui mediocriter viuunt: ſed certè, inquit Simonides, eo ipſo temporis ſpatio, quo animus cupit, multò magis hi lætantur, quibus lautiſſimi apparatus apponuntur, quàm illi, quibus frugaliſſimi. Theophraſtus in libr. De regno ad Caſandrum, ſi modò legitimum eſt ipſius commentarium, multi enim Soſibii eſſe arbitrantur, in quod Callimachus poëta elegiacum epinicium compoſuit, Perſarum Reges ſcribit magnam argenti copiam per præconem proponere ſolitos iis, qui nouam aliquam voluptatem inueniſſent. Theopompus libro hiſtoriarum trigeſimo quinto, Regem aſſerit Paphlagonum Thyn, dum cœnaret, centum ex omnibus in menſa appoſuiſſe à bobus incipientem, & captiuum adductum ad Regem, atque in cuſtodia ſeruatum, mox rurſus ea nihilominus ſplendidè viuentem, appoſuere.

Quam

 175

Quam rem cùm audiſſet Artaxerxes, dixiſſe aiunt, quod hic ſibi viuere videbatur tanquam citò moriturus. Idem Theopompus libro quarto decimo rerum Philippicarum, Cùm Rex, inquit, ad aliquos, quibus imperat, accedit, viginti talenta in eius cœnam, aliquando etiam triginta, abſumuntur. Hi verò multa etiam plura abſumunt: vnicuiq; enim ciuitati pro ipſius amplitudine, veluti tributum, antiquitus cœnam parari eſt iuſſum. Heraclides autem Cumanus qui Perſicas res ſcripſit, libro ſecundo inſcriptorum Apparatuum, Qui ſeruiunt, inquit, Perſarum Regibus cœnantibus, loti omnes, ſumptuoſasq; veſtes habentes, ſeruiunt, atq; dimidium ferè totius diei in cœnæ ſtudio verſantur. Ex his, qui cœnant cum Rege, alii cœnant extra, ita vt omnibus intueri volentibus liceat, alii verò cum Rege, ſed neque hi tamen cum ipſo cœnant. At duo ſunt inter ſe oppoſita domicilia, vnum, in quo Rex prandet, alterum, in quo conuiuæ: atque eò Rex aſpicit, per portæ operimentum, illi autem Regem non vident. Accidit tamen aliquando, vt omnes diebus feſtis in eodem loco cœnent, quo tempore & Rex in magno palatio. Quando Rex ipſe conuiuium exhibet, quod ſæpe quidem facit, duodecim ſæpius ſunt Regis conuiuæ. Atque quando cœnant, & Rex ipſe ſolus, & conuiuæ, hos quiſpiam ex Eunuchis aduocare ſolet, qui cùm venerint, vnà cum illo bibunt, at non tamen etiam idem vinum; hiq; humi ſedentes, ille in thoro pedes aureos habente, accumbit. Mox, cùm ebrii fuerint, diſcedunt. Sæpius Rex ſolus & prandet, & cœnat, quamuis aliquando vnà mulier cœnet, & nonnulli filiorum. Poſt cœnam, pellices canunt coram illo, & tripudiant, vnaque incipiente, aliæ ſimul cunctæ canentes, hanc ſubſequuntur. Cœnam eam, quæ Regis appellatur, fama quidem eſt, eſſe ſplendidam; ſed ſi diligentius perquiratur, ſtudioſe ſeduloq; ordinatam eſſe, & eodem pacto multis potentibus Perſarum apparari, inueniemus. Regi mille victimæ eodem die mactantur, inter quæ ſunt equi, cameli, boues, aſini, cerui, & plurimæ oues, multæ ſunt & aues, quæ abſumũtur, paſſeres & Arabici: ſunt enim magna animalia, anſeres, & galli, ex quibus moderatè ſingulis Regiis conuiuiis apponitur, quorũ vnuſquiſque quod ex prandio reliquum fuerit, aufert. Maxima pars horum ciborum, victimarumq;, quas rex nutrit, in ſtipatorum ſcutatorumque, aulam deportatur, vbi omnia intueri licet. Partes carnium paniumq; æquas facientes diſtribuunt, nam ſicut ſtipendiarii milites ſtipendium æris in Grçcia, ita iſti victum à Rege accipiunt, qui pro ſtipendio dari illis conſueuit. Aliis item Perſis, qui ſunt in principatu conſtituti, frequentes cibi in menſa apponuntur. Poſteaquam cœnarunt conuiuæ, ſingulis ſeruis ciborum in menſa relictorum, relinquuntur autem carnes complures & panes: portionem diſtribuit Is qui menſæ eſt prçfectus, quam illi ſumentes, per totum diem habent nutrimentum. Accedunt ad regem conuiuæ honorificentiſſimi ad prandium ſolùm, vt excuſationem conſequantur, ne bis cogantur accedere, qui & ipſi conuiuas excipiunt. Scribit Herodotus libro ſeptimo, eos Græcos qui regem exceperunt, Xerxiq; cœnas præbuerunt, in tantas calamitates incidiſſe, vt extorres eſſe demum neceſſe fuerit cum viris Thaſiis ſuarum ciuitatum, quæ ſunt in Epiro, impenſis Xerxis exercitum excipientibus, cœnamq; præbentibus. Antipater ciuis quadringenta talenta abſumpſit: argentea enim aureaq; poſt cœnam apponebantur. Quare ſi bis Xerxes in eadem ciuitate comediſſet, prandium ſimul ſumens, extorris illa ciuitas continuò efficiebatur. Hæc ita, inquit, idem auctor libro nono hiſtoriarum. Regiam cœnam Rex ipſe proponit, quæ ſemel tantùm ſingulis annis paratur, eoq; die quo Rex natus eſt, quæ cœna Perſarum quidem idiomate, Tycta, at Græcè Annuum appellatur. Tunc caput ſolùm purgat, Perſisq; mittit munera. Alexander verò Magnus cùm frequenter vnà cum amicis cœnaret, centum minas vno die abſumebat, circiter ſexaginta aut ſeptuaginta amicis apud eum cœnantibus, vt Ephippus Olynthius in commentariis de commutatione Alexandri Ephæſtionisq; teſtatur. At Rex Perſarum cum quindecim millibus virorum cœnabat, atque quadringenta talenta in cœnam abſumebat, quæ pro Itala pecunia ſunt quadringentæ ducentæque myriades: quæ, ſi in quindecim

millia hominum diuidantur, ſingulos homines circiter centum & ſexaginta nummos Italicos abſumpſiſſe continget, ita vt æqua ſit hæc impenſa illi Magni Alexandri: is enim centum minas, vt Ephippus aſſerit, abſumpſit. Hæc Athenæus.

De Magis, & Magia.

Et quia, poſt obitum Cambyſis, ſeptem Magos regnum Perſicum occupaſſe, antea commemorauimus, cumq; Magus & Magia ſit Perſicum nomen, quo apud eos ſignificabatur ſapiens, vt apud Græcos Philoſophus, apud Gallos Druidæ, apud Ægyptios Prophetæ, ſeu ſacerdotes, apud Indos Gymnoſophiſtæ, & apud Aſſyrios Chaldæi; neutiquam ab inſtituto alienum fuerit, ſi de his rebus hæc pauca ſubiecero. Magorum nomen, honeſtiſſimum fuit apud Perſas. Hoc enim illis tribuebatur, qui doctrinarum ſtudiis de Deo, motibus corporum cœleſtium ac rerum naturalium erant dediti, & excellebant, quibus etiam regii pueri educandi tradebantur. Hi, quia naturæ ſecreta altius rimari, & naturalem philoſophiam inquirere, abdita illius myſteria, qualitates, proprietates, & totam rerum naturam, quantum quidem acie mentis & ingenii humani fieri poteſt ſcrutari ac penitiùs introſpicere conſueuerant, admiranda opera efficiebant, humanum captum ferè excedentia, quæ naturalis Magia dicebatur. Hæc profeſſio Magorum laude fuit digniſſima, quòd huiuſmodi cognitio dux eſſet ad Dei agnitionem, talem, qualem mens humana poſt lapſum, extra verbum Dei reuelatum, ex naturæ contemplatione percipere poteſt. De hac, Ammianus Marcellinus libro 33. mentionem faciens, ita ſcriptum reliquit. Magiam, inquit, opinionum inſignium autor ampliſſimus Plato, Machagiſtiam eſſe verbo myſtico docet, diuinorum incorruptiſſimum cultum, cui ſcientiæ ſæculis priſcis multa ex Chaldæorum arcanis Bactrianus addidit Zoroaſtres: deinde Hyſtaſpes prudentiſſimus Darii pater, qui, cùm ſuperioris Indiæ ſecreta fidentius penetraret, ad nemoroſam quandam venerat ſolitudinem, cuius tranquillis ſilentiis præcelſa Bracmanorum ingenia potiuntur; eorumq; monitu rationes mundani motus, & ſiderum, puroſq; ſacrorum ritus, quantum colligere potuit, eruditus, ex his quæ didicit, aliqua ſenſibus Magorum infudit: quæ illi cum diſciplinis præſentiendi futura per ſuam quiſque progeniem poſteris ætatibus tradunt. Ex eo, per ſecula multa ad præſens vna eademq; proſapia, multitudo creata deorum cultibus dedicatur. Feruntq; etiam, ſi iuſtum eſt credi, ignem cœlitus lapſum, apud ſe ſempiternis foculis cuſtodiri, cuius portionem exiguam, vt fauſtam, præiſſe quondam Aſiaticis regibus dicunt. Huius originis apud veteres numerus erat exilis, eiuſq; myſterii Perſicæ poteſtates in rebus faciendis diuinis ſolenniter vtebantur. Eratq; piaculum aras adire, vel hoſtiam contrectare, antequam Magus conceptis precationibus libamenta diffunderet præcurſoria. Verum aucti paulatim, in amplitudinem gentis ſolidæ conceſſerunt, & nomen villaſq; inhabitantes, nulla murorum firmitudine communitas, & legibus ſuis vti permiſſi, religionis reſpectu ſunt honorati. Ex hoc Magorum ſemine ſeptem poſt mortē Cambyſis regnum iniſſe Perſidos, antiqui memorant libri, docentes, eos Darii factione oppreſſos, imperitandi initium equino hinnitu ſortiti. Hactenus Ammianus. Cæterum, ſicut fieri conſueuit in plæriſque aliis quoque rebus, vt homines, iis non contenti, latius euagentur, & mala quædam aſſuunt, vnde ipſæ quoque res malè audiant, & vocabula reddantur odioſa; idem his quoque honeſtiſſimis accidit ſtudiis & profeſſioni Magiæ. Hinc factum eſt, vt & Magorum, & ipſius Magiæ vocabulum, ſicuti ſophiſta, tyrannus, & id genus alia, infame ſit, & in malam partem accipiatur. Diſtinctione itaque opus eſt, & duplicem eſſe Magiam fateri oportet, quarum altera, dæmonum tota opere & auctoritate conſtet, quæ proculdubiò execranda & portentoſa eſt: altera nihil aliud ſit, cùm bene exploratur, quàm naturalis philoſophiæ abſoluta conſummatio. Vtriuſque cùm meminerint Græci, illam Magiæ nullo nomine dignantes, γοητείαν nuncupant, hanc propria peculiariq; appellatione μαγείαν, quaſi perfectam ſummamq; ſcientiam vocarunt. Idem enim, vt Porphyrius quoque aſſerit, Perſarum lingua Magus eſt, qui apud nos diuinorum interpres & cultor.

Duplex Magia.

Magna

Magna autem, imò maxima inter has artes diſparilitas & diſſimilitudo. Illam nō modò Chriſtiana religio, ſed omnes leges, omnis bene inſtituta Reſpub. damnat & execratur: hanc omnes ſapientes, omnes cœleſtium & diuinarum rerum ſtudioſæ nationes approbant & amplectuntur. Illa artium fraudulentiſſima: hæc altior ſanctiorq́; philoſophia: Illa irrita & vana: hæc firma, fidelis, & ſolida: Illam quiſquis coluit, ſemper diſſimulauit (quod in autoris ignominiam & contumeliam cedit) ex hac, ſcientia ſumma literarum claritas gloriaq́; antiquitus, & penè ſemper petita. Illius nemo vnquam ſtudioſus fuit vir Philoſophus, & cupidus diſcendi bonas artes: ad hanc Pythagoras, Empedocles, Democritus, Plato diſcendam nauigauerunt, exiliis veriùs (vt Plinii verbis vtar) quàm peregrinationibus ſuſceptis. Hanc reuerſi prædicauére, & in arcanis præcipuam habuére. Illa vt nullis rationibus, ita nec certis probatur autoribus: hæc clariſſimis quaſi parentibus honeſtata, duos præcipuè habet autores, Zamoxildam, quem imitatus eſt Abaris Hyperboreus, & Zoroaſtrem, non qui fortè creditur, ſed illum Oromaſi filium. Eſt igitur hæc Magia nihil aliud, quàm, iuxta Platonem, diuinorum ſcientia, qua, vt dictum eſt ex eiuſdem ſententia, filii Regum Perſarum erudiebantur: & animi medicina, per quam ſcilicet, animo temperantia, & per illam corporis ſanitas comparatur. In hac perſtiterunt Charondas, Damigeron, Apollonius, Hoſthanes, & Dardanus, qui cùm egregiè in magicis artibus præſtaret, libros à ſe conſcriptos in ſepulchro fertur conſtituiſſe: quos Abderites Democritus, vir ſagacis ingenii in perſcrutandis naturæ viribus, diligentiſſimè requiſiuit, tum commentariis editis illuſtrauit, diſciplinamque ex illis reconditam, atque multiplicem accepit: quod & C. Plinius ad Cæſ. Veſpaſianum teſtatur. In hac denique perſtiterunt Eudoxus, Hermippus, & ferè omnes, qui Pythagorica Platonicaq́; myſteria ſunt perſcrutati. Vt itaque nobiliſſimi & doctiſſimi viri Ioannis Pici Mirandulani verbis vtar, illa nec artis nec ſcientiæ ſibi poteſt nomen vendicare: hæc altiſſimis plena myſteriis, profundiſſimam rerum ſecretiſſimarum contemplationem, & demum totius naturæ cognitionem complectitur. Hæc interſparſas Dei beneficio & interſeminatas mundo virtutes, quaſi de latebris euocans in lucem, non tam facit miranda, quàm facienti naturæ ſedula famulatur. Hæc vniuerſi conſenſum, quem ſignificantiùs Græci συμπάθειαν dicunt, introrſum perſcrutatiùs rimata, & mutuam naturarum cognitionem habens perſpectam, materias adhibens vnicuique rei & ſuas illecebras, quæ magorum ἴυγγες nominantur, in mundi receſſibus, & in naturæ gremio, in promptuariis arcaniſq́; Dei latitantia miracula, quaſi ipſa ſit artifex, promit in publicum: & ſicut agricola vlmos vitibus, ita Magus terram cœlo, id eſt, inferiora ſuperiorum dotibus virtutibuſq́; maritat. quo fit, vt quàm illa prodigioſa & noxia, tam hæc diuina & ſalutaris appareat: ob hoc præcipuè, quòd illa hominem Dei hoſtibus mancipans, auocat à Deo: hæc in eam opem in Dei admirationem excitat, quam propenſa charitas, fides ac ſpes certiſſimè conſequuntur. Neq; enim ad religionem ac Dei cultum quicquam promouet magis, quàm aſſidua contemplatio mirabilium operum Dei, quæ quidem efficit, vt in opificis cultum amoremq́; ardentiùs animati, illud canere compellamur: Pleni ſunt cœli, plena eſt omnis terra maieſtate gloriæ tuæ. Sacræ literæ teſtantur, nato Seruatore humani generis, Magos ab Oriente ad eum veniſſe, ac dixiſſe: Vidimus enim ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum, deductiq́; à ſtella in domum Iacob ad Emanuel, per ea quæ obtulerunt munera, oſtenderunt quis erat, qui adorabatur. Myrrha, quidem, ſicut teſtis eſt Irenæus lib. 3. cap. 10. quòd ipſe erat, qui pro mortali humano genere moreretur & ſepeliretur. Aurum verò, quoniam Rex, cuius regni finis non eſt. Thus verò, quoniam Deus, qui & notus in Iudæa factus eſt, & manifeſtus eis, qui nō quærebant eum. Hæc in præſentia de Magis, ac vtraq; Magia. Vt autem de Alecto Virgilius cecinit: Tibi nomina mille, Mille nocendi artes: ſic ſpecierum Magiæ, (de hac impia & fraudulentiſſima loquor) varietas & diuerſitas, quarum meminerūt hiſtoriæ, penè infinita eſt. Ex innumeris autem hîc obiter adiiciam, quod ſcribitur de Paſete. Hunc

Vera Magiæ definitio.

aiunt natura mollem fuiſſe : at omnes mortales magia ſuperaſſe : adeo vt ex incantationibus eius,& cœnæ ſumptuoſę apparerent,& miniſtrantes quidam,quę rurſus omnia euaneſcebant. Dicunt etiam, hunc habuiſſe ſemiobolum ex mina à ſe factum, quem, cùm vendentibus, à quibus emere aliquid volebat, daret, eùm volebat, ad eum redibat. vide Suidam pag. 764. item pag. 384. Huius meminit etiam Appion Grammaticus, in lib. de Mago. Verùm omiſſa enumeratione ſpecierum, teneamus prohibitionem diuinam, quæ extat Leuit. 20. Anima, quæ declinauerit ad Magos & Ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi ſui. Nec ſane dubium eſt, quin, ſicuti Moſis draco arrecta ceruice immani hiatu non aliter quàm obiectos piſces circumquaq; petitos abſorbuit & deglutiuit omnes alios, qui ex virgis Magorum Ægyptiorum emerſerant : ſic ſatan his omnibus extremam perniciem ac interitum allaturus ſit, qui hæc impia ſectantur. Quod autem Ioſephus libro 8. Ant. de Salomone refert, ipſum videlicet, præter alia volumina, incantationes compoſuiſſe, quibus morbi ex humanis corporibus expellebantur, & coniurationum modos ſcriptos reliquiſſe, quibus cedentes dæmones ita fugatos dicit, vt in poſterum nunquam reuerti auderent : atque hoc ſanationis genus etiam ipſius tempore apud Iudaicæ nationis homines viguiſſe: quòd etiam ſcribit, ſe vidiſſe quendam ex ſuis popularibus, Eleazarum nomine, qui coram Veſpaſiano Auguſto, eiusq; liberis, ac tribunis, reliquisq; militibus, adminiculo huius ſcientiæ Salomonis, dæmonem ab homine fugaſſe, multaq; alia admiranda effeciſſe: in hoc equidem exiſtimarim, Ioſephum (quod ſanè tanti viri pace dictum velim: ſcio enim fuiſſe virum grauiſſimum, eximia eruditione, ac in omni antiquitate indaganda & illuſtranda ſedulò atq; accuratè verſatum eſſe) communi errore deceptum eſſe, ipſumq; Eleazarum fuiſſe hominem præſtigiatorem, & ſatanicis artibus inſtructum. Libet autem hîc adiicere modum curationis, quo ipſum fuiſſe vſum teſtatur. Admoto, inquit, naribus dæmoniaci anulo, ſub cuius ſigillo incluſa erat radicis ſpecies à Salomone indicatæ, ad eius olfactum per naſum extrahebatur dæmonium; & collapſo mox homine, adiurabat id ne amplius rediret, Salomonis interim mentionem faciens, & incantationes ab illo inuentas recitans. Hæc ille. Cæterùm, hæc omnia fuiſſe meras impoſturas, & dæmonis arte dæmonium expulſum, ipſumq; Salomonem de huiuſmodi rebus ne cogitaſſe quidem, nedum aliquid monumentis tradidiſſe, hi mecum fatebuntur, qui, adhibito iudicio & ratione, rem omnem penitius introſpexerint. Porrò de vtraq; Magia extant etiam nonnulla apud Philonem in eo tractatu, cui titulus eſt: Quòd omnis probus liber. Plinius quoq; huius rei perſæpè meminit cùm aliis in locis, tum præcipuè lib. 30. cap. 1. Et de his quidem in præſentia ſatis ſuperq; hactenus dictum ſit.

Priuſquam verò huic operi ſupremam, vt aiunt, manum imponam, cùm in ſuperiori libro à me, inter cætera, demonſtratum ſit, quanti nam fuerint, Tamaſo imperante, ſublatis portoriis & vectigalibus, Regni Perſici annuales prouentus, non grauabor hîc quàm pauciſſimis verbis oſtendere, quanta itidem fuerit Regum Perſarum potentia & opes, quibus à Cyro vſq; ad poſtremum Darium, cum ſumma nominis celebritate atq; amplitudine floruerunt, & quàm ingentes theſauros poſt ſe reliquerint, quod quidem facilè cuiuis patebit ex his, quæ hîc modò ſubiiciam: ſed prius id breuiter dixerim, quo tempore Cyrus imperare cœpit, ipſos Perſas fuiſſe pauperes, eorumq; regionem aſperam & incultam, ſicuti Arrianus teſtatur lib. 5. At Cyrus primus extitit, qui, vt diximus, Perſarum imperium cõſtituit & propagauit, eamq; regionem cultam atq; illuſtrem effecit. Hic, vt Strabo aſſerit lib. 15. Paſagardas condidit, vrbem ſitam in extremo angulo Perſidis Orientali, ad ipſum ſinum Perſicum, quæ poſtea fuit Regum ſedes. Hic etiam condidit Cyropolim, cæterarum vrbium eius gentis ampliſſimam & opulentiſſimam, acceſſiore muro communitam, & in ea fuit ipſius regia. Etſi verò is permultas prouincias ſuo imperio adiecerat, & magnæ opes inde annuatim colligebantur, quibus regium ærarium locupletius fiebat, hæ tamen haud-

Opes Regum Perſarum.

Paſagarda.

Cyropolis.

haudquaquam tributi nomine dabantur : ſed tanquam anniuerſaria dona, ceu grati animi teſtimonium, à Satrapis, id eſt, prouinciarum præfectis, ad Regem aliqua ſumma pecuniæ mittebatur. Darius enim Hyſtaſpis filius primus extitit, qui Perſicum regnum in viginti ſatrapias ſeu præfecturas diſtribuit, quibus poſtea ſingulos præſides adiecit, & tributa ſtata fixaque indidit, & lege dicta, *Darius primus tributa apud Perſas imperauit.* vt qui argentum tributi nomine penderent, talenti Babylonii pondere: qui aurum, Euboici, afferrent. Enimuerò qui Perſarum opibus expendendis nauauerunt operam, Reges Perſarũ quaterna dena millia & quingenta talenta, vel Attica, vel Euboica, ex Aſia tantùm, & paucis locis Lybiæ tributorum nomine percepiſſe, ex antiquis auctoribus quidam aſſerunt: quæ doctiſſimus vir Gulielmus Budæus lib. de Aſſe quarto ad amuſſim omnia diſpungit, & ad monetæ noſtræ rationem ait efficere octies quinquies cẽtena millia aureorum noſtrorum. Hoc imperium deinde aliorum regnorum acceſſione tam longè lateq; coaluit, & ad tantum faſtigium euectum eſt, vt Artaxerxes, auctore Ioſepho Ant. lib. 11. cap. 6. anno regni ſui tertio ab India Æthiopiam vſque, CXXVII. Satrapas conſtituerit. *Perſici regni amplitudo ſub Artaxerxe.* Quantæ autem opes in Perſico fuerint imperio, & quàm infinitæ, ex eo iudicari poteſt, quòd Cteſias & Dion, Perſicæ hiſtoriæ ſcriptores, tradiderunt, Regem Perſarum ad cœnam ſuam quindecim hominum millia excipere ſolitum, in eaſq; cœnas expendiſſe quadringenta talenta, quæ faciunt ducenta & *Regum Perſarum conuiuia.* quadraginta millia coronatorum, cùm centum talenta ſexaginta millibus extimentur, vt idem Budæus lib. de Aſſe 4. ſupputauit, ac etiam ſubiungit: Si hæ myriades in quindecim millia hominum diuidantur, ſingulos homines circiter cẽtum & ſexaginta nummos Italicos abſumpſiſſe continget, ita vt æqua ſit hæc impenſa illi Magni Alexandri. Is enim cùm frequenter vnà cum amicis cœnaret, cẽtum minas vno die abſumebat, circiter ſexaginta aut ſeptuaginta amicis apud eum cœnantibus, vt Ephippus Olynthius teſtatur. Ioſephus in eodem loco, cuius modò facta eſt mentio, addit, Artaxerxem, amicos & duces gentium Suſis accepiſſe epulo ſumptuoſiſſimo, vt decebat, inquit, Regem opulentum, magnificos centum octuaginta dierum apparatus oſtentantem, cui plurimæ gentes, & earum legati, per continuos ſeptem dies interfuerunt, & quo modo eſſet inſtructum, eleganter oſtendit. Vt verò ſummatim, quantæ fuerint Regum Perſarum opes, ac theſauri, explicetur, Q. Curtius auctor eſt lib. 5. Alexandrum Macedonem poſt deuictum Darium in duobus prœliis, cùm Suſam eſſet ingreſſus, Abulite illius regionis præfecto vrbem tradente, incredibilem ex theſauris ſummam pecuniæ egiſſe, quinquaginta millia talentûm argenti non ſignati forma, ſed rudi pondere. Multi Reges, inquit, tantas opes longa ætate cumulauerant liberis poſteriſq;, vt arbitrabantur, quas vna hora in externi Regis manus intulit. Idem auctor paulò pòſt, cùm ait, Perſæpolim ab Alexandro expugnatam, & regiam direptam, atque incenſam fuiſſe: narrat, in huius vrbis Gaza fuiſſe reperta centum & viginti millia talenta, ad quæ vehenda, (nanq; ad vſus belli ſecum, inquit, portare decreuerat) iumenta & camelos à Suſis & Babylone contrahi iuſſit. Acceſſere ad hanc pecuniæ ſummam captis Paſagardis, ſex millia talentûm. Strabo autem lib. 15. ſic eam enumerat. Pecunias verò, inquit, omnes, quæ in Perſia erant, Suſa exportandas curauit, quæ, quanquam & ipſa theſauris & ſupellectile plena erant, non tamen illic regiam animo deſtinabat, ſed apud Babylonem, quam conſtituerat etiam ſupellectile & inſtrumento regio adornare. Etenim illic quoq; theſauri conditi erant. Tradunt, præter eas pecunias, quæ Babylone, & eas, quæ in caſtris erant, quæ inde ſumptæ non fuerant, ipſæ per ſe, quæ Suſis & in Perſide erant, 40. millia talentûm numerata & recognita fuiſſe: ſunt qui dicant 50. Nonnulli omnia vndiq; Ecbatana comportata, dicunt fuiſſe 100. & 80. millia talentorum, octo millia verò, quæ cum Dario è Media fugiente exportata ſunt, ab iis direpta, qui eum occidere. Budæus libro de Aſſe 4. hanc pecuniæ ſummam ad monetæ noſtræ rationem referens, centies & octies millies mille aureos noſtros valere exiſtimat, hoc eſt, millies & octogies centena millia. Hæc verò ſumma, vt idem tradidit, eſt multò maior, maxima omnium ſumma-

rum, quas vno tempore coactas in rebus Romanis legamus, & vt ad linguam noſtram hæc ſumma teferatur, ſciendum eſt, quòd centum mille talentûm, ſi ad numiſma & linguam noſtram referantur, efficient ſexaginta Myriadas aureorum, id eſt, ſeſſanta milioni de ſcudi d'oro in oro. Diodorus aſſerit, ad eam pecuniam vehendã, quæ fuit inuēta Perſæpoli, opus fuiſſe mulorũ & camelorũ tribus millibus, licèt Hermolaus apud Curtiũ lib. 9. exaggeratione quadam in Alexandrum dixerit: At tibi triginta millia mulorum captiuum aurum vehunt, cùm milites nihil domum præter gratuitas cicatrices relaturi ſunt. Glareanus in ſuis annotationibus ſuper hunc auctorem, citans Diodorum de his tribus millibus mulorum & camelorum. Certè etiam hic numerus, quantumuis magnus, inquit, aliquo modo ad veram rationem deduci poſſe mihi videbatur. Si enim omnes ſummas Suſis, Ecbatanis, Paſagardis, Arbelis, Babyloniæ & Perſæpoli inuentas computare volemus, tum cogitare, non aurum ſolùm, ſed & argentum vectum, & pretioſa alia, vt lapillos, gemmas, ac margaritas: deniq; exaggerationem factam ab hoſte perituro Hermolao: non paruum adiumentum habebimus ad hunc locum firmiter conſtabiliendum: ſed primùm, Diodori locum in abacum reuocemus: ac eo diſcuſſo, lectori non omninò ſtupido, reliqua de aliis locis diiudicanda relinquemus. Perſæpoli, inquit Diodorus, inuenta ſunt auro ad argenti rationem reducto, centum ac viginti millia talentûm. Qui numerus per ſexcenta ductus, producet ſummam 72000000. coronatorum. Iam quod ad pondus attinet (portabant eam pecuniam mulorum ac camelorum tria millia, vt dictum eſt) in Romanæ libræ beſſe comprehenduntur ſeptuaginta duo coronati. Eſt autem Bes libræ Romanæ, dimidium libræ Zygoſtaticæ, quæ habet coronatos centum quadraginta quatuor: per quos, ſi 72000000. diuidantur, erunt libræ Zigoſticæ 500000. Hæ libræ, ſi per 3000. mulorum diuidantur, ſingulis mulis euenient libræ 166. Ac ſuperſunt 2000. libræ: quas ſi addamus, incedent mulorum ac camelorum duo millia centenis ſexagenis ſeptenis: alia millia, centenis ſexagenis ſenis libris. Noſtra quidem ætas equi vehunt ducenas libras: ſed fortaſſis non in tam longum iter. Sed & vaſa ipſa non tam commodè, quàm pecunia duci potuére; nec omnia in auro erant fortaſſis, ſed & in ebore, argento, aliiſq; rebus, vt diximus, pretioſis. Vt non omninò, ſi quis rectè ſecum animo omnes vbiq; ſummas colligat, ad eum, quem in Perſæpoleos theſauro oſtendimus, modum, abſonum ſit veritati, triginta millia mulorum aurum captum vehere Alexandro. Hucuſq; Glareanus. Minimè itaq; mirandum eſt, ſi Reges Perſarum Βασιλεῖς Μέγα, id eſt, Reges Magni appellabantur. nam cæteris populorum addebant nomina: vt Rex Macedonum, Rex Lacedæmoniorum. Quòd autem

Perſarum Reges, Magni appellati.

Perſici Reges hoc nomine appellarentur, & omninò Magni eſſent, liquet cùm ex aliis auctoribus, tum etiam ex Platone: ſiquidem Athenienſis quidam apud eum lib. 3. de legib. vbi locutus eſſet de Aſſyriorum potentia, quam Nini tempore haud paruam fuiſſe dicit, ſtatim ſubiungit: Quemadmodum igitur nunc nos Magnum Regem timemus. Nec enim dubium eſt, quin Perſarum Regem intelligat. Apud eundem Socrates in Alcib. 1. narrat, Lacedæmoniorum res, ſi ad Græcas opes conferantur, magnas quidem eſſe: at ſi ad Perſicas, & Perſarum Regis, nihil eſſe, aitque, ſe audiuiſſe quendam fide dignum, aliquando ex iis, qui ad Regem peruenerant, commemorantem: Tranſiiſſe regionem admodum ſpacioſam & bonam, propemodum vnius diei itinere, quam vocarent incolæ regiæ coniugis cingulum. Eſſeq; alteram, quæ vocaretur Velum. Itemq; alia multa atq; præclara loca exempta ad mundum regiæ coniugis, habentia nomina ſingula ab aliquo mundi genere. Verùm hæc omnia multò magis perſpicuã reddentur, ſi Ariſtotelis verba, quæ extant 6. cap. de Mundo ad Alex. M. hîc ſubiecero. In quibus, quanta fuerit ipſorum potentia, ſplendor, & amplitudo, eruditè ac eleganter exprimitur. Quod etiam, inquit, in locis, quæ imperio Magni Perſarum Regis parent, non viliſſimum aliquod mancipium fecerit: ſed proponatur auguſta, vt referunt, ſpecies, Cambyſæ, vel Xerxæ, vel Darii, quę ad ſummam venerandæ maieſtatis amplitudinem ornata ſit. Nam fama celebrantur illi vel

in Suſis,

in Suſis, vel in Ecbatanis commorari nemini viſi, admirandam quandam regiam incolentes, quæ quidem auro ſit illuſtris, & electro ac ebore fulgeat, nec deſint fores multæ & continuæ; veſtibula item magno paſſuum numero inter ſe diſiuncta, valuis æneis, magniſq; parietibus firmentur. Atque hunc apparatum extrà ornatiorem reddunt primores homines, magna florentes exiſtimatione, quorum alii ipſum Regem ſtipant, vt ſatellites & miniſtri: alii ſeptorum cuſtodes, ianitores, & exploratores dicuntur, ita vt Rex ipſe Dominus & Deus appellatus, omnia videat, omnia audiat. Præter hos alii conſtituuntur Quæſtores vel Diribitores potius, præfecti bellorum ac venationum, & qui præſunt accipiendis muneribus, quiq; reliqua curant negotia, vt vſus poſtulat. Vniuerſum autem imperium Aſiæ, ab Occidente Helleſponto, ab Oriente Indis terminatum, gerendum ſuſceperunt duces, præſides, reges, ſerui magni Regis, qui à pedibus de die ſunt, exploratores, nuncii, excubitores, ſpecularum cuſtodes: quorum erat is apparatus, ea deſcriptæ collocationis ratio, tam rato ordine vices munerum conſtitutæ, eorum potiſſimùm, qui è ſpeculis viciſſim ignem alii aliis efferunt ex vltimis imperii finibus vſque ad Suſa & Ecbatana, vt eodem die Rex omnia, quæ in Aſia gerantur, cognoſcat. ac propteréa exiſtimare debemus, magni Regis præſtantiam ad omnia continentis Dei maieſtatem tantò minus perfectam eſſe, quantò illa eſt, ſi conferatur cum imbecillo & nequiſſimo homine. Quapropter, ſi nihil ad decus eius pertineret, ſe Xerxen videri, & omnia præſtare, & quæcunque voluerit conficere, rebuſque gerendis præeſſe, multò magis illiberale hoc ipſi Deo fuerit: immò grauius & decentius exiſtimabimus, ipſum conſtitutum eſſe ſummo in loco, & virtutem eius per vniuerſum orbem diffundi, Solem & Lunam verſare, & cœlum totum conuertere, auctoremque eſſe ſalutis rerum, quæ terra contineantur. Hæc Ariſtoteles in eo cap. in quo agit de ſupremo Mundi principe, & moderatore vniuerſi Deo. Nec ſanè vllum Regem in terris inueniebat, qui (ſi parua magnis, & humana diuinis vllo modo comparare liceat) Dei amplitudinem hìc magis referret, quàm Perſarum Reges. Hi enim ſic opibus affluebant, vt, quemadmodum Chares Mitylenæus in iis, quæ de Alexandri rebus geſtis ſcripſit commentariis, teſtatur, habuerint ad caput quidem eius, in quo cubabant lectuli, quinqueclinium cubiculum, in quo quinq; millia auri talenta ſemper ſepoſita iacebant: Hocq; Regis ceruical appellabatur. Ad pedes autem identidem triclinium erat cubiculum, quod ſubpodium regium vocabatur, tria argenti millia in ſe continens talenta. Eodem etiam in loco ſupra Regis lectulum, auream fuiſſe ſcribit vitem, aureis palmitum brachiis, racemorum ſimulachra ex pretioſiſſimis magnæq; indicaturæ lapillis conformata geſtantem, tantaq; demum illos licentiæ inſania ſuperbiaq; inuaſerat, vt obliti ſe eſſe homines, honores ſibi etiam diuinos adhiberi iuberent. Cæterùm, quatenus ad ipſorum delicias & mollitudinem attinet, ex veterum monumentis conſtat, eos, vt annua tempeſtatum deuitarent incommoda, varios regionum ſitus, terrarumq; tractus mutare ſolitos. Hyeme nanq; ob mitiorem cœli plagam, Suſis degebant. Eſt enim is regionis tractus cùm ſalubris & temperatus, tum etiam inter paucos amœniſſimus, Suſamq; Perſarum lingua ob pulchritudinem lilium ſignare ferunt. In æſtatis autem caloribus maximis, Ecbatana petebant, montoſis ſita locis, & algidis, frigidiſq; flatibus expoſita. Autumnum verò omnem in Perſæpoli tranſmittebant, reliquumq; poſtmodum anni ſpacium Babylone morabantur. Feruntque, illos regium capitis inſigne, vt hac etiam parte delicatiores mollioreſq; eſſent ex myrrha & labyzo impoſitum geſtauiſſe. Eſt autem labyzus odoratiſſimum gummi, myrrhaq; ipſa haud modicè ſumptuoſius. Adduntq; etiam, præter mille ſelectos illos, quos melophoros, à malorum in thoracibus expreſſa effigie, denominabant, à tercentis etiam mulieribus aſſiduo cuſtodiæ obſequio obſeruatos fuiſſe: quæ interdiu quidem dormiebant: Noctes verò inſomnes ad lucernarum accenſa lumina cantibus, variiſq; ſaltationibus tranſigebant. Ad quas Rex, ſi quando libuiſſet, per illorum aulas & diuerſoria, quos melophoros appellari diximus, pedibus ire ſolebat, Sardianis,

Regum Perſarum delicia.

Labyzus quidnam ſit.

vt aiunt, tapetibus, vniuerſo ſubſtrato ſolo, quos præter Regem calcare audebat nemo, ſicq; per omnia aularum tranſcurrens ſpacia, ſi quando exire quopiam concupiſſet, rarò equum, currum ſæpiùs conſcendere ſolebat, non per ſe, vt aiunt, quamuis altus non eſſet, neq; ſatellitum ſublatus manu, ſed aurea innixus ſella, quam huic deſtinatus muneri quidam, ſelliferq; inde cognominatus, ſemper poſt illum deportabat. Domi autem, ſi quando admittere ad ſe quopiam voluiſſet, in aureo ſedebat ſolio, quod quatuor hinc inde columnulæ pretioſiſſimis vndequaq; diſtinctæ lapillis cingebant. De his etiam Plato in Alcibiade priore ſic breuiter, inquit. Quòd ſi vis iam intueri diuitias, & delicias, & veſtitus, & implicatos amictus, & vnguentorum profuſiones, & famulorum aſſeclarumq; multitudinem, & cæteram vitam delicatam atq; mollem Perſarum, pudeat te profectò tui, ſentientem, quanto interuallo ab illis relinquaris. Plura de horum Regum deliciis videre eſt apud Athenæum lib. 4. cap. 6. vbi agit de Perſarum conuiuiis. libro autem 10. cap. 11. tradit è Cteſiæ ſententia, apud Indos Regi fieri ebrio non licuiſſe: Hinc ea vox Pori Indorum Regis: Vini tantum bibo, quantum Soli libo. at apud Perſas id vno die Regi conceſſum fuiſſe, cùm Soli ſacrificarent. Eo die Regem ebrietati ſtuduiſſe, Perſicoq; more tripudiaſſe. Ex aliis verò, nullum fuiſſe in Aſia, qui eo die tripudiaret, ſed omnes ſolitos abſtinere. Literarum quoq; monimentis proditum eſt, in Suſiana regione Chaſpim flumen præterfluere, quod ab Vxüs ortum habet, cuius aquam, vt ait Herod. lib. 1. decoctam, & in argentea vaſa diffuſam, ferentes permultæ carrucæ quatuor rotarum, multis trahentibus, Regem aſſiduè comitabantur, quocunq; ille proficiſcebatur. Nec aliam aquam bibere conſueuerat. Athenæus hîc, cuius mentionem fecimus, lib. 2. tradit, Cteſiam Gnidium narraſſe, quomodo regia hæc Choaſpis fluuii aqua coqueretur, & quomodo vaſis impoſita, deferretur ad Regem, additque, illam & leuiſſimam & ſuauiſſimam eſſe. Memini inſuper, me legere apud Plutarchum, Dinonem tradidiſſe, Perſicos Reges aquam etiam à Nilo & Iſtro in theſauris reponere conſueuiſſe, vt ea re teſtarentur magnitudinem ſui imperii omnia complectentis.

Hæc in præſentia de imperio regni Perſici, deq; his rebus, quas, huius operis initio, me enarraturum, ſum pollicitus. Quod ſupereſt, Deo Opt. Max. immenſas atq; immortales gratias ago, cuius ſingulari clementia & inexhauſta bonitate factum eſt, vt eò tandem peruenerim, quò hactenus longum maris emenſus ſpacium, ceu nautæ ad Cynoſuram ſolent, clauos & roſtra direxeram. Huic itaque, per Ieſum Chriſtum, vnicum ſeruatorem ac liberatorem noſtrum, vnà cum diuino ac cœleſti Pneumate ſit omnis laus, honor, & gloria in perpetuum.

FINIS.

EX CTE-

EX CTESIÆ SCRIPTIS, QVÆ PERSICA NOMINATA SVNT, EXCERPTÆ à Photio hiſtoriæ, paucis ab hinc annis Latinè primum redditæ.

CTESIÆ Gnidii Perſica libris viginti tribus continentur: ſed in ſex prioribus res Aſſyriorum, & quæcunq; res Perſicas præceſſere, tractat: à ſeptimo autem libro de Perſicis rebus agit: at in ſeptimo, octauo, nono, decimo, vndecimo, duodecimo, & decimo tertio, quę ad Cyrum, & Cambyſem, & Magum illum, Dariumq; & Xerxem ſpectant, commemorat: ferè in omnibus repugnantia Herodoto narrans, illumq; in multis mendacem & ſcriptorem fabularum appellans: illo enim poſterior eſt. Se autem eorum, quæ narrat, magna ex parte oculatum teſtem fuiſſe, aut certè quæ videre non licuit, de iis à Perſis, qui viderant, edoctum, ita demum ea memoriæ prodidiſſe dicit. Nec verò tantummodò ab Herodoti, ſed etiam in aliquibus à Xenophontis Grylli filii hiſtotia diſſentit. Floruit temporibus Cyri Dario & Paryſatide geniti: qui frater fuit Artaxerxis, ad quem regnum Perſarum deuénit. Scribit itaque ſtatim de Aſtyage, eum genere Cyró iunctum non fuiſſe: illumque etiam Aſtygam vocat. Fugiſſe autem Aſtygam à conſpectu Cyri in Ecbatana, & in criſcranis regiarum ædium ab Amyti filia ſua, & eius viro Spitama occultatum fuiſſe dicit. at ſuperuenientem Cyrum, non ſolùm Spitaman & Amytin, ſed eorum etiam liberos Spitacem ac Megabernem de Aſtyga per cruciatus interrogari voluiſſe: Aſtygam verò ſeipſum pateſeciſſe, ne propter ſe pueri cruciarentur, captumque, & compedibus craſſis ab OEbara vinctum: nec multò pòſt ab ipſo Cyro liberatum, & non ſecus ac patrem honoratum obſeruatumq; fuiſſe: filiamque Amytin primùm quidem tanquam matrem in honore habitam, poſteà verò Cyro nupſiſſe, cùm Spitamas eius vir eſſet interfectus, propterea quòd mentitus eſſet, ignorari à ſe dicens Aſtygam, de quo interrogabatur. Hæc dicit Cteſias de Cyro, iis, quæ ab Herodoto referũtur, diſſimilia. Itemq; illum aduerſus Bactrios pugnauiſſe, & eam pugnam æquo Marte geſtam fuiſſe: ſed Bactrianos, poſtquam Aſtygam Cyri patrem factum eſſe, Amytin autem matrem & vxorem, intellexerunt, ſponte ſeipſos Amyti & Cyro dedidiſſe. Tradit etiam, Cyrum cum Sacis bellum geſſiſſe, & Amorgem Sacarum Regem Sparethræ maritum cepiſſe: eam autem, capto marito, exercitum coëgiſſe, bellumq; Cyro intuliſſe, & virorum quidem trecenta millia, mulierum verò ducenta in aciem eduxiſſe: & Cyrum ſuperauiſſe, viuumq; eum cum multis aliis cepiſſe, itemq; Parmiſem Amytis fratrem, & tres eius filios, propter quos poſtea Amorgem liberatum fuiſſe, quòd & ipſi liberati fuiſſent. Tradit etiam, Cyrum Amorgis ope adiutum, Crœſo & Sardibus bellum intuliſſe. Narrat etiam, quomodo OEbaræ conſilio lignea Perſarum ſimulachra in muro conſpecta, timorem incolis iniecerint; & propter hanc cauſam ipſa vrbs capta fuerit: & quo pacto ante captam vrbem Crœſi filius pro obſide datus fuerit, cùm Crœſus diuino quodam ſpectro deceptus fuiſſet. Narrat etiam quomodo dolos nectente Crœſo, filius in eius conſpectu fuerit interfectus, & mater hanc calamitatem intuita, ſeipſam ex muro præcipitarit, nec tamen mortua ſit: & quomodo capta vrbe, ad Apollinis ædem, quæ erat in vrbe, cõfugerit, ac mortua ſit: & quomodo ter in templo vinctus à Cyro Crœſus, tertiùm arte oculos fallente ſolutus ſit, quamuis templo ſigilla circumpoſita eſſent, eorumq; cuſtodia OEbarę commiſſa eſſet: quomodo item illis, qui vnà cum Crœſo vincti fuerãt, amputata fuerint capita, vt quorum proditione ſolutus Crœſus fuiſſet. Narrat etiam, Crœ-

ſum in regias ædes adductum, vinctumq́; firmius fuiſſe: ſed cùm tonitrua fulminaq́; irruiſſent, rurſum fuiſſe ſolutum: tuncq́; Cyrum vix tandem eum miſſum feciſſe. a quo tempore Cyrus cum aliis humanitatis officiis eum proſecutus ſit, tum verò vrbem magnam nomine Barenen prope Ecbatana ei donauerit: in quã erant quinq; millia equitũ, peltatorum autem iaculatorumq́; & ſagittariorum decem millia. Commemorat item, quomodo Cyrus Petiſacan eunuchum, qui apud ipſum plurimum auctoritate valebat, in Perſas miſerit, vt Aſtygan à Barcaniis adduceret: nam & ipſe, & Amytis filia patrem videre cupiebat. Quamobrem item OEbaras conſilium dederit Petiſacę, vt in deſerto loco Aſtygan relinqueret, & fame ſitiq́; conficeret: id quod factum eſt. At in ſomnis ſcelere patefacto, Petiſacas puniendus traditur Amyti, qui eum expoſcerat. Illa verò oculos eius effodit, pellemq́; detraxit, & cruci deinde affixit. OEbaras autem timens, ne eadem quæ ille, pateretur, quamuis Cyrus nihil tale ſe permiſſurum affirmaret, nihilominus decem dierum inedia ipſe ſibi mortem cõſciuit. Aſtyagas verò magnificè ſplendideq́; ſepultus eſt, atq; in deſerto loco cadauer eius intactum permanſit, neque fuit à feris comeſum. Leones enim cadauer eius, donec Petiſacas reuerſus acciperet, ſeruabant. Cyrus autem aduerſus Derbices expeditionem ſuſcipit, quorum Rex erat Amoræus: at Derbices ex inſidiis producunt elephantes, ac Cyri equites fugant, vbi ipſe Cyrus ex equo cecidit, & quidam Indus. nam Indi Derbicibus in bello opem ferebant: a quibus etiam acceptos elephantes in bellum ducebant. Hic igitur Indus, cùm Cyrus iam cecidiſſet, eum iaculo vulnerauit ſub coxa in fœmore: ex quo vulnere poſteà mortuus eſt. tum verò ipſum adhuc viuum, cùm familiares ſui erexiſſent, ad caſtra profecti ſunt. Occubuerunt autem in pugna illa multi Perſæ, & æquales numero Derbices. nam illorum quoq; decem millia erant. Amorges verò cùm audiuiſſet, quod Cyro contigerat, feſtinanter venit Sacarum, equitum viginti millia ducens; & cùm Perſæ ac Derbices inter ſe conflixiſſent, tam ſtrenuè Perſæ ac Sacæ pugnarunt, vt penes eos victoria fuerit: interfecto Derbicum Rege Amoræo cum duobus eius filiis. occubuerunt autem Derbicum triginta millia: Perſarum nouem millia, & regio in ditionem Cyro conceſſit. Cyrus verò ſub mortis tempus Cambyſem primum filium Regem creauit: iuniorem verò, nomine Tanyoxarcen, dominum Bactriorum, & ipſius regionis, necnon Choramniorum, Parthorùmque, & Carmaniorum, & vt ſuas regiones à tributo ſoluendo liberas haberet, ſtatuit. Ex Spitamæ autem liberis, Spitadem quidem Derbicibus præfecit, Megabernem autem Barcaniis: eosq́; matri in omnibus obtemperare iuſſit. Quin etiam illos & mutuò, & cum Amorge dexteras in amicitiæ teſtimonium iungere voluit: & illis quidẽ, qui in mutua beneuolentia permanerent, omnia fauſta precabatur: at illos, qui priores iniuriam illaturi eſſent, deuouebat. His dictis, diem ſuũ obiit, tertio à vulnere accepto die, cùm annos triginta regnauiſſet. Atq; hîc finem habet vndecimus Cteſiæ Gnidii liber. Duodecimus verò à regno Cambyſis incipit. Hic regnans, iuſſit patris corpus per Bagapetem eunuchum apud Perſas ſepeliri, & alia, quemadmodum à patre conſtituta erant, adminiſtrauit. Plurimùm verò apud ipſum auctoritate valebat Artaſyras Hyrcanus: ex eunuchis autẽ Ixabates, & Aſpadates, & Bagapetes, qui etiam apud patrẽ maximus fuerat. Poſt Peſitacæ autẽ mortem, hic aduerſus Ægyptum & Amyrtæum Ægyptiorum Regem exercitum ducit, cùm Combapheus eunuchus, qui plurimum apud Ægyptiorum Regẽ poterat, põtes & alias Ægyptiorum res prodidiſſet, vt ipſe Ægypti præfecturam cõſequeretur. Id quod factum eſt. Ita enim cum eo Cambyſes pactus fuerat, primùm per Ixabatem Combaphei patruelem, & ſuis ipſe verbis poſteà. Cùm autem Amyrthæum viuum cepiſſet, nullo alio detrimẽto ipſum affecit, niſi quòd illum in Suſa cum ſex millibus Ægyptiorum, quos ipſe delegit, relegauit. Sed & vniuerſam Ægyptum ſubegit: obierúntque in ea pugna Ægyptiorum quinquaginta millia, & Perſarum viginti. Quidam autem Magus, cui nomẽ erat Sphendadati, cùm fuiſſet ob delictum verberibus à Tanyoxarce cæſus, accedit ad Cambyſem, & apud eum fratrem Tanyo-

xarcem

xarcem accuſat, eum ipſi inſidias moliri dicens: argumentum etiam rebellionis addens, quòd, ſi vocaretur, non veniret. Cambyſes igitur fratrem ad ſe venire iubet. Ille verò aliquo negotio detentus, profectionem diſtulit. Tunc verò Magus eum audacius criminari. At mater Amytis verba Magi ſuſpecta habens, Cambyſem filium, ne fidem haberet Mago, admonebat. At Rex ſe non credere fingebat: cùm tamen maximoperè crederet. Cùm autem tertiò à Cambyſe frater eſſet accerſitus, venit: ipſumq; frater amplexatus eſt, cùm nihilominus de illo interficiendo cogitaret. Sed hanc cogitationem ad exitum inſcia Amytide perducere conabatur. id quod perfectum eſt: nam Magus conſilium cum Rege communicans, hunc dolum machinatur. Cùm ipſe Tanyoxarci eſſet ſimilimus, conſilium Regi dat, vt ipſi tanquam falſo fratris Regis accuſatori, caput abſcindi coram omnibus iubeat: clàm autem Tanyoxarcē interfici imperet: quin etiam illius veſtem ſibi indui Magus poſtulat, vt ex ipſo veſtitu Tanyoxarces eſſe iudicetur. atq; hæc fiunt: nam hauſto ſanguine taurino interficitur Tanyoxarces: at Magus illius veſte induitur, & Tanyoxarces exiſtimatur, diuq; latet omnes, præter Artoſyran, Bagapetem, & Ixabatem. his enim ſolis rem Cambyſes aperire auſus eſt. Cambyſes autem Labyzo, qui primus erat inter Tanyoxarcis eunuchos, & aliis ad ſe vocatis, Magum illa veſte indutum, oſtendit ſedentem, dixitque: Hunc eſſe Tanyoxarcem exiſtimatis? Labyzus verò miratus, Quem alium, dixit, eſſe putemus? Adeò propter ſimilitudinem Magus latebat. Mittitur ergo ad Bactrios, & omnia non ſecus, ac ſi Tanyoxarces eſſet, adminiſtrat. Poſt annos verò quinq; res tota declaratur Amyti per Tibetheum eunuchum, quem Magus verberauerat, petitq; Sphendadatem à Cambyſe, quem dare noluit: quamobrem illa eum execratur, & hauſto veneno moritur. Sed contigit, vt ſacrificante Cambyſe, cùm victimæ iugularentur, ſanguis non flueret, qua ipſe ex re Magis etiam deiecto animo erat. Sed & Roxane puerum capite carentem peperit: Magiq; ipſi dicebant, hanc prodigiorum ſignificationem eſſe, nulli regni ſucceſſorem ab eo relictum iri. Mater etiam noctu illi in ſomnis apparens, ob cædem perpetratam minabatur: ideoq; magis etiam angebatur. Cùm autem Babylonem acceſſiſſet, & ibi paruum lignum cultro poliens, tempus vt falleret, fœmoris muſculum percuſſiſſet, vndecimo die mortem obiit, cùm duodeuiginti annis regnauiſſet.

Bagapetes autem & Artaſyras, antequam Cambyſes moreretur, conſilium inierunt regni Mago tradendi, qui quidem illo mortuo regnum adeptus eſt. At Ixabares ſumptum Cambyſis corpus in Perſidem portauit, vnde veniens, dum Magus ſub Tanyoxarcis nomine regno potiretur, de eo apud vniuerſum exercitum indicium profeſſus eſt, eumq; infamauit. Quod cùm feciſſet, in templum confugit: indeq; comprehenſus eſt, & ei caput abſciſſum. Vnde ſeptem inter Perſas principes viri vnà aduerſus Magum cōſpirauére, Onophas, Idernes, Norondabates, Mardonius, Bariſſes, Artaphernes, & Darius Hyſtaſpis filius. Hi, cùm inter ſe fidem dediſſent, aſſumitur etiam Artaſyras, prætereaq; Bagapetes, qui claues omnes regiarum ædium habebat. Illi igitur ſeptem viri Bagapetis opera in regias ædes ingreſſi, Magum inueniunt cum pellice Babylonia dormientem. Qui, cùm illos vidiſſet, proſiliit, & nullo inſtrumento bellicó reperto, (quoniam omnes Bagapetes clàm ſubtraxerat) ſedile aureum confregit, eiuſq; pede arrepto, cùm pugnaret, tandem à ſeptem illis viris vulneratus, mortem obiit, cùm ſeptem menſes regnauiſſet. Regnat verò ex ſeptem illis viris Darius, cùm eius equus iuxta id, quod inter eos cōuenèrat, arte quadam adhibita, primus poſt ſolis ortum hinniſſet. Cæterùm quo die Sphendadates Magus interfectus eſt, feſtum Magophonia apud Perſas celebratur. Hic Darius ſepulchrum ſibi extrui in duplici monte iubet, atq; id extruitur: ſed cùm id videre cuperet, a Chaldæis & parentibus prohibetur. Cùm autem parentes eius aſcendere voluiſſent, ceciderunt atq; interierunt: cùm ſacerdotes, qui illos ſurſum trahebant, illud conſpicati, & inde timore correpti, funes laxâſſent: quæ res ingentem Dario mœrorem attulit: & illis, qui eos trahebant, numero quadraginta, amputata capita fuerunt.

Darius præterea Ariaramnem Cappadociæ Satrapam aduerſus Scythas proficiſci,& viros fœminasq́; captiuos abducere iubet. Ille autem cum triginta nauibus quinquagenûm remorum traiiciens,id executus eſt. Comprehendit autem & fratrem Regis Scytharum Marſagetem, cùm eum a ſuo fratre ob malè adminiſtratum munus in vincula coniectum inueniſſet. At Scytharces Scytharum Rex iratus, literas Dario ſcripſit contumelioſas; & ſimiliter ipſi reſponſum eſt. Darius tandem octingentorum millium exercitu coacto, & Boſphoro Iſtroque ponte iunctis,aduerſus Scythas profectus eſt, & quindecim dierum itinere progreſſus eſt,ſibiq; mutuò arcus miſerunt.Sed cùm Scythici validiores eſſent, Darius pontes tranſiuit,atq; feſtinanter diſſoluit, antequam totus tranſiret exercitus:quare Scytharces octoginta illa hominum millia in Europa relicta, interfecit.Darius verò,cùm pontem pertranſiſſet, domus templaq; Chalcedonenſium combuſſit: quoniam pontes, qui verſus regionem ſuam ſpectabant, diſſoluere tentauerant, & aram, quam Darius tranſiens in honorem Iouis Diabaterii ſtatuerat,euerterant. Datis autem ex Ponto rediens, & Medicum exercitum ducens,inſulas Græciamq; populabatur: cui apud Marathonem Miltiades occurrit,vicitq; Barbaros:& ipſe quoq; Datis occubuit,eiusq; cadauer petẽtibus Perſis denegatum fuit.Darius autem ad Perſas reuerſus eſt,vbi celebratis ſacrificiis, cùm triginta dies morbo laboraſſet,mortuus eſt, qui * annos ante regnum vixerat,& annos vnum & triginta regnauerat.Obiit etiam diem ſuum Artaſyras. Bagapates autem, cùm ſex annos ſepulchro Darii aſſediſſet, mortuus eſt.

Regnat Xerxes filius eius,apud quem Artapanus Artaſyræ filius, maximam obtinet auctoritatem, quemadmodum eius pater apud patrem Regis obtinuerat,itemq; Mardonius antiquus. Ex eunuchis autem plurimùm apud eum poterat Natacas. Xerxes vxorem ducit Onophæ filiam Amiſtrin, ex qua filium ſuſcipit Dariæum:& poſt biennium,alterum Hyſtaſpen nomine: & præterea Artoxerxem: duasq; filias,quarum vna, Amytis nomine auiæ vocatur: altera, Rhodogune. Xerxes aduerſus Græcos expeditionem ſuſcepit, quòd Chalcedonenſes pontem ſoluere conati eſſent, quemadmodum iam dictum eſt,& aram à Dario erectam diruiſſent: quodq; Datin Athenienſes interfeciſſent, neque cadauer eius dare voluiſſent. Primùm igitur Babylonem profectus eſt:& Belitanæ videre ſepulchrum exoptauit: viditque, opera Mardonii adiutus: & vrnam olei non potuit,quẽmadmodum ſcriptum erat,implere. Inde Ecbatana profecto, defeciſſe Babylonios,& Zopyrum ſuum ducem interfeciſſe nuntiatur. In hunc modum de his loquitur Cteſias,non quemadmodum Herodotus.nam quæcunque hic de Zopyro (niſi quod mula ipſi pepererit) ille à Megabyzo facta fuiſſe ſcribit,qui Xerxis gener erat,cùm filiam eius Amytin vxorem duxiſſet.Ita Babylon capta eſt per Megabyzum:cui Xerxes,præter alia multa, molam auream ſex talenta pendentem donauit, quod apud Perſas omnium regiorum munerum eſt pretioſiſſimum. Xerxes autem Perſico exercitu coacto, qui ex millibus octingentis conſtabat, præter currus, inſtructis etiam mille triremibus, in Græciam profectus eſt, Abydumq; ponte iunxit. Ad eum Demaratus Lacedęmonius tum primùm acceſſit,& cum illo traiecit, eumq; ab inuadenda Lacedæmone prohibuit.Xerxes porrò per Artapanum quindecim millia ducentem,apud Thermopylas cum Leonida Lacedæmoniorum duce prœlium iniit, in quo magna Perſarum cæſa eſt multitudo: ex Lacedæmoniis tantummodò duobus aut tribus interfectis. Poſteà viginti millia in aciem educi iubet: qui & ipſi ſuperantur. Cùm autem verberibus etiam cæſi, vt acriores ad pugnam redderentur, nihilominus victi fuiſſent,quinquaginta millia iubet educi: & cùm nihil proficeret, bellandi finem fecit. Sed Thorax Theſſalus, & apud Trachinienſes potentiſſimi Calliades & Timaphernes cum exercitu aderant: quos Xerxes cùm vocaſſet, vnaq; Demarathum & Hegian Epheſium, Lacedæmonios nulla ratione vinci poſſe, niſi circumdarentur, intellexit. Perſarum itaque quadraginta millia, cùm duo illi Trachinienſes per inuia eos duxiſſent, Lacedæmonios à tergo adoriuntur: qui circumdati, omnes ad vnum fortiter pugnantes occubuerũt. Rurſus

Xerxes aduerſus Platæenſes exercitum centum & viginti millium mittit, & Mardonium eius ducem conſtituit. Qui autem Xerxem in Platæenſes concitabant, erant Thebani. Mardonio occurrit Pauſanias Lacedæmonius, trecentos Spartanos & mille accolas, ex aliisq; vrbibus ſex millia ſecum ducens. Ibi ſuperato exercitu Perſarum, Mardonius vulneratus aufugit. Hic Mardonius, cùm à Xerxe ad diripiendam Apollinis ædem miſſus eſſet, ingruente ingenti grandine oppreſſus moritur: quæ res Xerxi maximum mœrorem attulit. Is cum ſuis copiis Athenas proficiſcitur: ſed eùm Athenienſes, armatis centum & decem triremibus ad Salaminem fugiſſent, vrbem vacuam cepit, quam incendit, prçter arcem: in ea enim etiam aliqui relicti pugnabant: tandemq; cùm & illi noctu fugiſſent, illam etiam noctu combuſſerunt. Xerxes autem, cùm inde ad anguſtiſſimum Atticæ locum Heracleum appellatum, veniſſet, aggerem Salaminem verſus ducere cœpit, pedeſtri itinere ad eam traiicere cogitans: Sed conſilio Themiſtoclis Athenienſis, & Ariſtidis, ſagittarii ex Creta accerſuntur, ac veniunt: deinde bellum nauale Perſarum & Græcorum geritur. Perſæ naues habebant pluſquam mille, ducemq; Onophan: Græci verò ſeptingentas. Græci tamen victores euadunt: & quingentæ naues Perſarum profligantur: & fugit Xerxes conſilio rurſus & arte Ariſtidis atq; Themiſtoclis. In reliquis verò omnibus prœliis ceciderunt Perſarum centum & viginti millia. At Xerxes cùm in Aſiam traiecisſet, & Sardis proficiſceretur, miſit Megabyzum, vt templum Delphicum diriperet: illoq; id ſuſcipere recuſante, Matacas eunuchus iniuriam Apollini illaturus, omniaq; direpturus mittitur. Is, confectis ita rebus, ad Xerxem reuerſus eſt. Xerxes ex Babylone ad Perſas proficiſcitur. At Megabyzus ſuam vxorem Amytin, quæ filia Xerxis erat, quemadmodum iam dictum eſt, adulterii inſimulat, quamobrem Amytis à patre acriter reprehenditur: at illa impudicitiæ crimen à ſe remouet. Verùm Artapanus, qui plurimum apud Xerxem auctoritate valebat, cum Spamitre eunucho, qui & ipſe plurimùm apud eum poterat, de Xerxe interficiendo conſilium agitat: idq; perpetrant, & Artoxerxi filio perſuadent, ab altero filio Dariæo patrem ſuum necatum eſſe, adduciturq; Dariæus ab Artapano domum Artaxerxis, cum ingenti clamore ſe parricidam eſſe negans: is tamen capite plectitur.

Artoxerxes igitur Artapani opera regno potitur: ſed idem Artapanus eius vitæ inſidians, conſilium ſuum cum Megabyzo, qui iam ob ſuſpectam adulterii vxorem ſuam mœrore affectus erat, communicat, fidemq; mutuò datam iureiurando firmant. Sed re tota Megabyzi indicio prodita, Artapanus ea morte, qua Artoxerxes erat afficiendus, afficitur: atque adeò quæcunque in Xerxem Dariæumq; perpetrata fuerant, patefiunt. Aſpamitres quoque, qui cædis Xerxis ac Dariæi conſcius fuerat, acerbiſſimo genere mortis, adhibitis videlicet per ſcaphami tormentis, plectitur. At poſt Artapani mortem, eorum qui cum illo coniurauerant, & Perſarum aliorum pugna oritur, in qua cadunt tres Artapani filii, & grauiter Megabyzus vulneratur. Quem caſum Artoxerxes, itemq; Amytis, & Rhodogone, ac ipſarum mater Amiſtris, ingenti luctu proſecuti ſunt: atq; adeò vix tandem hæc Apollonidis medici Coi opera, ſummam adhibentis diligentiam, mortis periculo liberatur. Deſciſcunt ab Artoxerxe Bactra, aliusq; item præfectus Artapanus: & æquo Marte pugnatur. Cùm autem commiſſa iterum pugna, ventus in faciem Bactrianorum ſpiraret, vincit Artoxerxes, & in eius ditionem vniuerſa Bactria concedit. Deficit etiam Ægyptus, Inaro Lydio, & altero Ægyptio defectionis auctoribus: omniaq; ad bellum pertinentia parantur. Athenienſes quoq; Inaro petenti quadraginta naues mittunt: & ipſemet Artoxerxes exercitum educere cogitat: ſed non ita conſultantibus amicis, mittit Achæmenidem fratrem cum quadringentis millibus peditum & octoginta nauibus. Confligit Inarus cum Achæmenide, Ægyptiiq; vincunt, atq; Achæmenides, cùm ab Inaro vulnus accepiſſet, moritur, eiusq; cadauer ad Artoxerxẽ mittitur. Idem Inarus mari victor euadit, Charitimide magnum inde nomen conſecuto: qui quadraginta nauium Athenis miſſarũ nauarchus erat. Ex quinquagin-

ta Perſarum nauibus, viginti cum ipſis hominibus captæ, triginta profligatę fuerunt. Deinde aduerſus Inarum mittitur Megabyzus, præter exercitum, qui reliquus fuerat, alium ducens, qui ex ducentis hominum millibus conſtabat: nauibus autem trecentis, quibus Oriſcus præerat, adeò vt præter naues, reliqua multitudo quingentorum millium eſſet. nam cùm cecidit Achæmenides, centum hominum millia ex quadringentis quæ duxerat millibus, vnà cæſa fuerunt. Pugnatur acriter, & vtrinq; multi, ſed plures ex Ægyptiis cadunt. Tandem Megabyzus Inarum in fœmore vulnerat, fugatq́;: & fortiter pugnantes Perſæ, victores euadunt. Inarus verò fugiens, Byblum proficiſcitur (hæc eſt munita vrbs in Ægypto) & cum eo Græci quicunq; in prœlio, & cum Charitimide cæſi non fuerât. Ægyptus, præter Byblum, partes Megabyzi ſequitur: & quoniam Byblus expugnari non poſſe videbatur, Megabyzus cum Inaro & Græcis, quorum erât ſex millia & amplius, fide data paciſcitur, nullam eos à Rege iniuriam accepturos, & Græcos domum, cùm liberet, reuerſuros. Cùm igitur Sarſaman Ægypti præfectum conſtituiſſet, vnà cum Inaro & Græcis ad Artoxerxem proficiſcitur: eumq́; inuenit iratum Inaro vehementer, quoniam is fratrem Achæmenidem interfecerat. Megabyzus omnia, quæ geſta fuerant, narrat, & quomodò fide Inaro Græcisq́; data, Byblum ceperit: atq; pœnam illorum pertinaciter deprecatus, efficitur voti compos, tandemq́; ad exercitum defertur, Inarum & Græcos nihil detrimenti paſſuros. Verùm enimuerò Amytis vicem interempti filii Achæmenidis dolens, grauiter conquerebatur, quòd Inarus & Græci pœnas ſibi non darent, atque adeò illos à Rege expoſcit: ſed is trâdere recuſat. Deinde Megabyzum ab eo expoſcens, repulſam itidem patitur. Tandem tamen illa, cùm inſtando moleſta eſſet, impetrauit, & quinque pòſt annis, Inarum pariter & Græcos à Rege accepit. Atque hunc quidem tribus crucibus ſuffixit, Græcis autem quinquaginta (nam plures capere non potuerat) capita amputauit. At Megabyzus magno dolore & luctu affectus eſt, petiitq́; vt ſibi in Syriam regionem ſuam proficiſci liceret. Huc etiam clàm præmiſit Græcos alios, & profectus eſt, atque à Rege deſciuit, maximasque copias coëgit, quæ, præter equites, ex centum & quinquaginta millibus conſtabant. Aduerſus eum Vſiris mittitur cum ducentis millibus: pugna conſeritur, ſeq́; mutuò vulnerant Megabyzus & Vſiris: hic quidem iaculo Megabyzum in fœmore percuſſit, & vulnus duos digitos altum inflixit: ille verò ſimiliter iaculo Vſirin in fœmore, deinde & in humero vulnerauit, vnde Vſirin ex equo cadere contigit: ſed eum circumſiſtens Megabyzus, attolli & ſeruari iubet. Multi autem Perſæ ceciderunt, Zopyro Artyphioq́; Megabyzi filiis fortiter pugnantibus: itaq; tandem viribus longè ſuperior euadit Megabyzus, & victoria potitus, magnam Vſiris curam gerit, eumq́; ad Artoxerxem mittit, id petentem. Rurſus autem exercitus aduerſus eum mittitur, & Menoſtanes Artarii filius, (Artarius autem erât ſatrapa Babylonis, & Artoxerxis frater) confligunt inter ſe: ſed Perſarum fugatur exercitus, & Menoſtanes in humero à Megabyzo percutitur: præterea in capite ſagitta, ſed non lethali vulnere feritur. vnà tamen cum omnibus ſuis fugam capit, & Megabyzus ſplendida potitur victoria. Artarius Megabyzum per legatos monet, vt cum Rege paciſcatur. Ille ſe paciſci quidem cum Rege, non tamen ad eum proficiſci, ſed in ſua regione manere velle indicat. Hæc Regi nunciantur, cui Artoxares Paphlagon eunuchus & Amiſtris ſtudiosè conſilium dant vt paciſcatur. Itaq; ipſe Artarius & Amytis vxor, & Artoxares, iam viginti annos natus, & Periſas Vſiris filius, & Spiramæ pater, mittuntur. Multis igitur ſermonibus & iuramentis ad fidem faciendam adhibitis, vix tamen Megabyzo vt ad Regem proficiſcatur, perſuadent. Cui tandem reuerſo Rex per nuntios veniam ſe illi eorum, quæ admiſiſſet, dare ſignificauit. Sed cùm egreſſo ad venationem Rege, & eum adorto Leone, Megabyzus belluam hanc in pedes ſe erigentem iaculo percutiens interfeciſſet, ſuccenſens ei Rex, quòd eam percuſſiſſet, antequam ipſe eam vllo ictu attigiſſet, caput abſcindi imperauit. Sed Amiſtris & Amytis aliorumq́; precibus remiſſa ei mortis pœna, ad vrbem quandam nomine Cyrtæ circa mare rubrum relegatur.

tur. Artoxares quoq; eunuchus in Armeniam relegatur, quòd ſæpe pro Megabyzo liberius apud Regem locutus eſſet: Sed Megabyzus, cùm in exilio quinque annos eſſet commoratus, aufugit, ſe Piſagan eſſe ſimulando (piſagas autem à Perſis dicitur leproſus, ad quem nemini accedere licet) & ad Amytin domumq; proficiſcitur, & vix agnitus per Amiſtrin & Amytin, cum Rege reconciliatur: qui eum, quemadmodum antea, ſuæ menſæ participem fecit, & cùm ſex & ſeptuaginta vixiſſet annos, mortuus eſt, propter quod magno Rex eſt mœrore affectus. Mortuo Megabyzo, Amytis cum multis conſuetudinem habebat, & ante hanc ſimiliter mater Amiſtris: Apollonides verò Cous medicus, cùm Amytis leuiter ægrotaret, & ipſe eius amore captus eſſet, fore dixit, vt ea in priſtinam valetudinem reſtitueretur, ſi cum viris rem haberet: vuluæ enim eſſe morbum. Sed cùm hac arte voti compos factus, cum ea concumberet, illa autem tabe laborare cœpiſſet, à concubitu abſtinuit. Tandem igitur illa morti vicina, matri in mandatis dedit, vt Apollonidem vlciſceretur. Hæc ipſi Regi Artoxerxi rem totam expoſuit, & quomodo cum illa concumbere ſolitus, non prius deſiiſſet, quàm ei illius mali author fuiſſet: & quomodo ſupplicium de Apollonide ſumi illa ſibi mandaſſet. Ille matri quicquid ipſi viſum fuerit, agendi poteſtatem facit. Hæc, cùm vinctum Apollonidem bimeſtri ſpatio cruciatibus affeciſſet, viuum poſtea defodit, quo nimirum tempore Amytis diem ſuum obiit. Sed Zopyrus Megabyzi & Amytis filius, vbi iam patrem & matrem amiſit, à Rege deſciuit, atque Athenas profectus eſt, propterea quod Athenienſes mater eius beneficiis affecerat. Caunum vnà cum illis nauigauit, & Caunios ciuitatem tradere iuſſit: at illi vrbem ipſi quidem tradituros ſe reſpondebant, Athenienſibus verò, qui eum ſequebantur, nequaquam. In Zopyri igitur murum ſubeuntis caput ſaxum iecit Alcides Caunius, ex quo ictu Zopyrus mortem obit. Amiſtris verò auia Caunium illum cruci affixit. Poſtea autem & ipſa moritur, iam ætate valde confecta. Artoxerxes item obit, cùm 42. regnaſſet annos.

Artoxerxe mortuo, regnat Xerxes eius filius, qui ſolus erat legitimus ex Damaſpia ſuſceptus, quæ eodem ipſo die, quo Xerxes mortuus eſt, è vita diſceſſit: Bagorazus verò cadauer patris & matris in Perſiam tulit. Fuerunt autem Artoxerxi ſeptemdecim filii ſpurii, in quibus fuit Secundianus ex Alogune Babylonia ſuſceptus, & Ochus, & Arſites, ex Coſmartidene, quæ etiam erat Babylonia. Ochus autem poſteà regnat, & præter hos, liberi eius. Fuerunt ex his, & Bagapæus & Paryſatis, ex Andia, quæ etiam erat Babylonia. Hæc Paryſatis, Artoxerxis & Cyri mater fuit, & Ochum pater viuens Hyrcaniorum præfectum conſtituerat, eiq; in vxorem dederat mulierem, quæ Paryſatis appellabatur, Xerxis filiam, & regis ſororem. Secundianus autem, poſtquam ſibi Pharnacyram eunuchum conciliauit, (qui ſecundum à Bagorazo & Menoſtane, & quibuſdam aliis locum tenebat) cùm Xerxes in quodam feſto ebrius eſſet, atq; in regia ſua dormiret, ingreſſi, eum interficiũt, die à patris morte quinto & quadrageſimo. Euenit ergo, vt amborum ſimul ad Perſas corpora ferrentur. nam mulę quæ currum trahebant, tanquam filii cadauer expectantes, iter facere nolebant: ſed poſteaquam aduenit, magna cum alacritate iter fecerunt.

Regno autem potitur Secundianus, qui Azabaritem & Menoſtanem eunuchos apud ſe habuit. At Bagorazo ad Secundianum reuerſo, Secundianus iampridem cum eo ſimultatem exercens, eum criminatus, quòd abſque eius conſilio cadauer patris ibi reliquiſſet, lapidibus obrui imperauit. Quod factum ægerrimè exercitus tulit: qui, quamuis ab eo muneribus donaretur, eum nihilominus ob Bagorazi & fratris Xerxis cædem odio proſequebatur. Poſteà autem Ochus à Secundiano accerſitus, venturum ſe promittit: ſed minimè venit: & hoc ab eo ſæpius fit. tandem Ochus multo ſe munit exercitu, & regnũ recuperaturus ſperatur. Arbarius equitum Secundiani præfectus, ab eo ad Ochum deficit, deinde Arxanes Ægypti Satrapa; quinetiam Artoxares ex Armenia venit ad Ochum: & ipſi citarin inuito impoſuerunt.

Regnat Ochus, & nomine mutato Darius appellatur, qui dolis iuramentiſq;

monitu Paryſatidis, Secundianum tentat. at Menoſtanes Secundianum diligenter hortabatur, ne crederet eius iuramentis, neq; cum fallacibus hominibus paciſceretur: ſed nihilominus Secundianus perſuadetur & capitur, & in cineres coniectus moritur, cùm ſex menſes, & dies quindecim regnauiſſet. Regnat igitur ſolus Ochus, qui etiam Dariæus nominabatur: apud eum autem auctoritate valebant tres eunuchi. primum quidem locum Artoxare, ſecundum Artibarxane, tertium Athoo tenentē. Vxorem autem potiſſimùm in conſilium adhibebat, ex qua, antequam regnum adipiſceretur, duos ſuſceperat liberos, Amiſtrin fœminam, & Arſacan marem, qui poſteà mutato nomine, dictus eſt Artoxerxes. Ex eadem autem etiam regnante alterum ſuſcepit marem, & ei nomen Cyri à ſole eſt impoſitum, deinde Artoſtem: alioſq; deinceps vſq; ad tredecim, atq; iſta hiſtoricus ex illa ipſa Paryſatide ſe audiſſe tradit. Sed reliqui filii celeriter è vita migrauerunt: ſuperfueruntq; illi quorum fecimus mentionem, & quartus filius, qui Oxendras eſt appellatus. Deſciſcunt à rege, Arſites frater eius germanus, ex eadem matre eodemq; patre genitus: & Artyphius Megabyzi filius. In eos mittitur Artaſyras, & Artyphium bello inuadit: atque in duabus pugnis Artaſyras vincitur: deinde rurſus congreſſus, Artyphium ſuperat, & eos qui cum illo erant Græcos muneribus ad ſe allicit, adeò vt ille cum tribus tantummodo Mileſiis relictus fuerit. tandem cùm iuſiurandum fidemq; ab Artaſyta accepiſſet, quoniam Arſites non comparebat, Regi ſe dedidit; Paryſatis verò Regi ad Artyphium interficiendum animato, conſilium dedit, vt ne tunc temporis illum interficeret: (hoc enim modo Arſitem deceptum ei ſe dediturum) ſed poſtquam ille deceptus captuſq; eſſet, tunc vtrumq; necaret. id quod ita factum eſt, conſilio exitum conſecuto. Artyphius enim & Arſites in cineres coniiciuntur. Arſitem tamen Rex morte mulctare nolebat. Sed Paryſatis partim precibus, partim vi id effecit. Pharnacyas item, qui vnà cum Secundiano Xerxem occiderat, lapidibus eſt obrutus: & Menoſtanes ſibi ipſi mortem conſciuit, cùm iam ad pœnam ſubeundam comprehenderetur. Deſciſcit Piſuthnes, & in eum Tiſſaphernes mittitur, atq; Spitradates, & Parmiſes. Piſuthnes verò aduerſus eos tendit, ſecum habens Lyconem Athenienſem, cum Græcis, quorum ille dux erat. Sed Regis duces pecuniis Lyconem Græcoſq; captant, & vt à Piſuthne deſciſcant, perſuadent. deinde Piſuthni fide data, & ab eo accepta, eum ad Regem ducunt, qui eum in cineres coniicit, eiuſq; ſatrapiam Tiſſapherni tradit. Lycon verò & vrbes & regiones mercede proditionis accipit. Artoxares autem, qui plurimum apud Regem poterat, ei molitur inſidias, de regno inuadendo cogitans. nam cùm eſſet eunuchus, imperauit vxori ſuæ, vt ſibi barbam cōficeret, idq; vt vir eſſe exiſtimaretur. Sed per eam patefacto hoc dolo, comprehenditur, & Paryſatidis in poteſtatem traditur, à qua interficitur: Arſacis autem Regis filius, qui poſtea eſt nominatus Artoxerxes, vxorem ducit Idernis filiam, Statiram; atq; Regis filiam ſimiliter vxorem ducit filius Idernis. Amiſtris autem erat filia, cuius ſponſo nomen erat Terituchmes, qui patre ſuo mortuo, pro ipſo ſatrapa conſtitutus eſt. Habebat autem ſororem ex eodem patre natam, quæ Roxane vocabatur: quæ, cùm formoſa erat, tum verò ſagittandi iaculandiq; peritiſſima. Huius amore captus Terituchmes, & cum ea rem habens, oderat Amiſtrin; tandemq; eam in ſaccum cōiicere ſtatuit, vt à trecētis viris, cum quibus defectionem molitus eſt, confoderetur. Sed quidam, cui nomen erat Vdiaſtes, qui authoritate apud Terituchmem valebat, & literas à Rege acceperat, quibus multa ei pollicebatur, ſi ſua filia ei ab illo periculo liberaretur, Terituchmem aggreſſus, interfecit: cùm ipſe Terituchmes aduerſus eos, qui in ipſum inſurgebant, ſtrenuè pugnando, multos interfeciſſet. . nam ab eo triginta ſex homines occiſos fuiſſe tradunt. Sed filius Vdiaſtis Mitradates nomine, qui Terituchmis armiger erat, nec adfuerat, poſtquam rem didicit, patri diras imprecatus eſt: & cùm vrbem Zarin occupaſſet, eam filio Terituchmis conſeruauit. At Paryſatis matrem Terituchmis, fratreſq; Metroſtem & Helicum, & ſorores, quæ præter Statiram, duæ erant, viuas terra obrui, Roxanem autem viuam ſecari iuſſit. Id quod factum eſt.

ctum eſt. Rex verò, vxori ſuæ, vt ſimili pœna Statiram afficeret, Arſacis filii ipſius vxorem imperauit. Sed cum matrem & patrem multis fletibus & planctibus placaſſet, & Paryſatidis animus flexus eſſet, pœnam remiſit. Sed & ipſe Ochus Dariæus Paryſatidi dixit fore, vt valde ipſam aliquando pœniteret. At in libr. 18. narrat, quomodo Ochus Dariæus mortuus ſit cùm Babylone ægrotaſſet, & annos 35. regnauiſſet.

Regno igitur Arſaces potitur, qui & Artoxerxes mutato nomine dictus eſt. hoc regnum adepto, Vdiaſti lingua abſcinditur, eiq; ponè auellitur: atq; ita tandem ille moritur, & filius eius Mithradates pro patre ſatrapa conſtituitur. Facta autem hæc fuêre impulſu Statiræ: vnde Paryſatis dolore afficiebatur. Criminatur Tiſſaphernes Cyrum apud Artoxerxem fratrem: is ad matrem Paryſatin confugit, & à crimine obiecto abſoluitur. Reuertitur Cyrus ad ſuam ſatrapiam, ignominia à fratre affectus, ideoq; de defectione cogitat. Satibarzanes Orōtem criminatur, cum Paryſatide conſuetudinem eum habere dicens, cùm alioqui caſtè illa viueret. Morte igitur mulctatur Orontes; & mater iraſcitur ipſi Regi, quòd Paryſatis veneno Terituchmis filium necauerit. Et de eo qui patrem igne contra legem ſepeliuit, fit mentio, vnde Hellanicus & Herodotus mendacii arguuntur. Refertur etiam Cyri à fratre defectio, & quomodo Græcum pariter & Barbaricum exercitum coegerit, & Clearchus Græcorum exercitus dux fuerit. Commemoratur deinde, quo pacto Syennenſis Cilicum Rex, ambos, Cyrum videlicet & Artoxerxem, in bello gerendo adiuuerit, & quomodo Cyrus ſuum exercitum, & Artoxerxes viciſſim ſuum exhortatus fuerit. Sed Clearchus Lacedæmonius Græcorum dux, & Menon, ambo Cyrum ſequentes, ſemper inter ſe diſſidebant, quòd Cyrus Clearchi conſilio in omnibus vteretur, Menon autem in nullo apud eum loco eſſet. Et ad Cyrum quidem ab Artoxerxe multi trāsfugiebant, ſed nullus à Cyro ad Artoxerxem: quam ob cauſam Barbarus cùm ad Cyrum deſciſcere tentaſſet, & accuſatus ea de re fuiſſet, in cineres eſt coniectus. Narratur etiam, vt Cyrus in Regis exercitum impreſſionem fecerit, & victoria potitus ſit: deinde vt occubuerit, dum Clearcho morem non gerit. Vt Artoxerxes contumelioſis modis in fratris cadauer ſæuierit: quippe qui non ſolùm capùt, ſed & manum, qua percuſſus ab eo fuerat, abſciderit, & velut de ea triumphans, circumtulerit. Scribit & vt Clearchus Lacedæmonius cum ſuis Græcis noctu receſſerit, & vnam ex Paryſatidis vrbibus occupauerit: & vt Rex cum Græcis fœdus inierit. Vt Paryſatis Babylonem profecta ſit, Cyrum lugens, & vix tandem caput eius manumq; recuperauerit, quæ Suſa miſerit, ibiq; ſepeliuerit. De Bagapate, qui iuſſu Regis caput à cadauere Cyri auulſit, & quomodo Regis mater, vbi in talorum luſu eum vicit, ex pacto Bagapatem obtinuit, & quomodo ipſi pellis detracta fuerit à Paryſatide, & cruci deinde fuerit affixus ab eadem: quo tempore ipſa propter multam Artoxerxis obſecrationem flere Cyrum ceſſauit. Quomodo Artoxerxes dona cuidam dederit, qui Cyri tiaram attulit, & Carem, qui Cyrum à ſe vulneratum arbitrabatur, honorificè exceperit. Paryſatis autem illum qui honotificè exceptus fuerat, cruciatibus adhibitis interfecerit. Vt Artoxerxes petenti Paryſatidi Mithradatem tradiderit; quippe qui in mēſa ſe Cyrum interfeciſſe gloriatus eſſet; & vt ſibi traditum, acerba morte mulctauerit. Hæc in libris 19. & 20. continentur.

In libris autem 21. & 22. & 23. (quo tota hæc finitur hiſtotia) hæc continentur: Quo pacto Tiſſaphernes Græcis inſidias molitus ſit, cùm ſocium ſibi adiunxiſſet Menonem Theſſalum, & per eum dolo iuramentiſq; Clearchum duceſq; cæteros in poteſtatem ſuam redegerit, quamuis Clearchus præuideret, inſidiaſq; amoliretur. ſed tum multitudo per Menonem decepta, Clearchum etiam inuitum ad Tiſſaphernem coegit accedere, tum etiam Proxenus Bœotius antè dolo circumuentus, vt id faceret, hortabatur. Quomodo Clearchum, & cæteros, compedibus vinctos, Babylonem ad Artoxerxem miſerit, & quomodo ad conſpiciendum Clearchum omnes confluxerint: & quomodo Cteſias ipſe, cùm medicus eſſet Paryſatidis, Clearcho, dum in carcere eſſet, multa humanitatis

officia, per eam præſtiterit: Et vt illum Paryſatis à vinculis liberaſſet, niſi Statira virum Artoxerxem ad eum interficiendum hortando compuliſſet. Ita Clearchus morte mulctatus eſt: & circa eius cadauer oſtentum hoc extitit, quòd flante vento vehementiſſimo, ſepulchralis agger magnæ altitudinis ſponte ſua id contexerit. Interfecti etiam fuerunt Græci cum eo miſſi, præter Menonem. Narrantur deinceps Paryſatidis in Statiram conuicia, & quomodo Statira fuerit veneno necata, quod hunc in modum paratum erat, (cauebat enim ſibi Statira diligenter ab hoc malo, quod ei tamen contigit) Vna pars cultelli veneno ſuperillinitur, cuius reliqua pars intacta remanſit: hoc ſecatur auicula parua, oui habens magnitudinem, (auiculam hanc Perſæ rindacem appellant) diuiditurq; in duas partes: & ipſa Paryſatis dimidam partem, quæ veneno carebat, accepit, cōeditq;: at partem veneno tinctam, porrexit Statiræ. Illa cùm eam quæ porrexerat, edere dimidiam partem vidiſſet, nec quicquam fraudis animaduertere potuiſſet, ipſa quoque vnà mortiferum comedit venenum. Hinc matri Rex iraſcitur, & eius eunuchi comprehenſi cruciantur, & morte mulctantur. Præterea q; Ginge comprehenditur, quæ Paryſatidi familiaris erat, atque de ipſa iudicium exercens, à iudicibus quidem abſoluitur, à Rege autem condemnatur. Tandem verò cruciatibus afficitur & necatur. eoq; nomine Paryſatis filio, hic viciſſim matri ſuccenſet. De Clearchi tumulo, qui octo pòſt annis, palmarum plenus apparuit: quas Paryſatis clam per eunuchos, quo tempore ille mortuus eſt, aggeſta terra obruerat. Cauſæ, propter quas Rex Artoxerxes & Euagoras Salaminis Rex inter ſe diſſiderent, & Euagoræ nuntii ad Cteſiam vt acciperent epiſtolas ab Abulite: & Cteſiæ ad ipſum epiſtola de reconciliatione cum Anaxagora Cypriorum Rege. Euagoræ nuntiorum in Cyſtrum aduentus, & à Cteſia datæ ad Euagoram literæ, vt ei fuerint redditæ. Et, Cononis ad Euagoram oratio, ſuadennis vt ad Regem aſcenderet. Et Euagoræ epiſtola de honoribus, quibus ab eo affectus fuerat. Et Cononis ad Cteſiam epiſtola. Et tributum Regi datum ab Euagora. Et, epiſtolæ Cteſiæ redditæ. Et, Cteſiæ ad Regem oratio de Conone, & epiſtola ad ipſum. Munera ab Euagora miſſa, Satibarzani traduntur, & nuntii in Cyrum perueniunt. Et Cononis epiſtola ad Regem, & Cteſiam. Quomodo adhibita cuſtodia retenti ſint nuntii à Lacedæmoniis ad Regem miſſi. Epiſtola Regis ad Cononem & Lacedæmonios, quam ipſe Cteſias tulit. & quomodo à Pharnabazo Conon conſtitutus ſit Nauarchus. Cteſiæq; in Gnidum patriam ſuam aduentus, & Lacedæmonem, & diſceptatio aduerſus Lacedæmoniorum legatos apud Rhodum: & emiſſio ab Epheſo vſque ad Bactra, & Indicæ regionis, dierum, paraſangarum, Catalogus Regum à Nino & Seramide vſque ad Artoxerxen, quibus ille librum ſuum claudit.

PERSARVM REGES FLORENTE MONARCHIA.

I. Cyrus regnauit annos viginti nouem.
II. Cambyſes annos ſeptem, menſes quinque.
Magus ſeptem menſes.
III. Darius filius Hyſtapſis, annos triginta ſex.
IIII. Xerxes annos viginti.
V. Artaxerxes Longimanus quadraginta.
VI. Darius Nothus nouemdecim.
VII. Artaxerxes Mnemon quadraginta, ſiue vt alii 43.
VIII. Ochus annos viginti ſex.
IX. Arſames annos quatuor.
X. Darius vltimus annos ſex.

Illud quoque hic obiter adiiciam, nempe, ab anno Longimani ſecundo ad initium Alexandri, annos centum quadraginta quatuor numerari.

PARTHORVM REGES QVI DOMINATI SVNT IN PERSIA POST EIECTOS MACEDONES.

Arſaces I. vnde reliqui appellati ſunt Arſacidæ.
Arſaces II.
Pampacius.
Pharnaces
Mithridates.
Phraates.
Artabanus.
Mithridates II.
Orodes.
Phraates II.
Teridates.
Vardanes.
Cotarzes.
Meherdates.
Vonones.
Vologeſes.
Parthamaſpates.
Artabanus.

PERSARVM POSTERIORES REGES.

Artaxares	Annos 14. menſes 10.	4193.
Sapores	ann. 31.	4208.
Ormiſdates	ann. 1. dies 10.	4239.
Vararanes	ann. 3.	4210.
Vararanes II.	ann. 17.	4244.
Vararanes III.	menſ. 4.	4261.
Narſes	ann. 7. menſ. 9.	4269.
Miſdates		
Sapores	ann. 70.	4277.
Anaxerxes	ann. 4.	4351.
Sapores III.	ann. 5.	4351.
Vararanes IIII. qui & Cermazat, annis 11.		4356.
Iſdigertes	ann. 21.	4367.
Vararanes V.	ann. 20.	4388.
Vararanes VI.	ann. 17. menſ. 4.	4408.
Perozes	ann. 20.	4428.
Valens	ann. 4.	4445.
Cauades	ann. 11.	4449.
Zambades	ann. 8.	4461.
Cauades	ann. 30.	4468.
Coſroes	ann. 48.	4498.
Hormiſda	ann. 8.	4546.
Coſroes	ann. 39.	4554.
Siroes	ann. 1.	4593.
Adheſyr	menſes 2.	4594.
Sarbaras	menſes 6.	4595.
Bornarim	menſes 7.	4596.
Hormiſda	ann. 10.	4596.

Inde Saraceni Perſidem occuparunt.

ARABVM SARACENORVM REGNVM.

Machomes	ann. 10.	4587.
Eubozara	ann. 2. menſes 6.	4597.
Aomar	ann. 10. menſes 6.	4600.
Odmen	ann. 12.	4615.
Haly	ann. 4. menſes 9.	4623.

Alhatem	menſes 4. dies 20.	4627.
Moaui	ann. 19. menſes 6.	4628.
Ezid	ann. 3. menſes 8. dies 12.	4647.
Maruan	menſes 9.	4651.
Hedimelech	ann. 22.	4652.
Vlid	ann. 9.	4673.
Zulzimin	ann. 3.	4682.
Haumar	ann. 2.	4685.
Izedus	ann. 4.	4687.
Euelid	ann. 18.	4691.
Walidus	ann. 1.	4709.
Gizid	ann. 1.	4710.
Maruan	ann. 6.	4711.
Muhamad Abubala	ann. 5.	4716.
Habdalla	ann. 21.	4721.
Mady, qui & Muhamad		4743.
Moyſes	ann. 1.	4751.
Aaron	ann. 23.	4753.
Muhamad	ann. 5.	4776.
Habdallas	ann. 17.	4781.
Muhamad	ann. 40.	4798.

Hucuſq; eorum ſucceſſio ſcripta inuenitur. Succedunt Turcæ illorum regna paulatim occupantes, & primus Tragolipax Mucaletus, Sultanus Perſarum declaratus eſt. 4838. & qui eum ſecuti ſunt, Sultani omnes dicti fuerunt.

SERIES REGVM PERSIÆ PROXIMORVM.

Vſumcaſſanus Rex Perſarum —— Deſpoina.

Caloioannes Rex Trapezuntis.

Hardnelles —— Martha.
gener Vſumcaſſani

Iacuppus interfecit Harduellem.

Iſmael Sophi, Rex Perſarum, qui cum Selymo Turcarum Imper. conflixit anno Chriſti 1515.

Alphantes, ab Iſmaele interfecti,

Moratchamus

Tammas 42. annis regnauit, obiit 1575.
Iſmael II. patri ſucceſſit. altero anno obiit.

Mahomet Hodabendus, qui nunc cum Turcis bellum gerit, cœpit 1577.

REGES OTTOMANNICI.

Othomannus primus Rex Turcarum cœpit annô Chriſtianæ Salutis

1301. regnat	ann. 28.	5267.
Orchanes	ann. 22.	5295,
Amurathes	ann. 23.	5317.
Baiazetes	ann. 24.	5340.
Cyriſcelebes, qui & Calepinus	ann. 6.	5365.
Mahometes primus	ann. 14.	5371.
Amurathes	ann. 31.	5385.
Mahometes ſecundus	ann. 31. menſes 6.	5416.

Hic factus eſt Primus Imperator Conſtantinopolitanus, qui deinceps ſequuntur, Orientis Imperium obtinuerunt.

Baiazetes ſecundus	ann. 31.
Selymus	ann. 8.
Solymanus	ann. 46.
Selymus ſecundus	ann. 9.
Amurathes III.	

FINIS.

BREVIS

BREVIS AC VERA NARRATIO BELLI PERSICI, GESTI INTER MVRATHEM III. TVRCARVM, ET MEHEMETEM HODABENDE, PERSARVM REGEM:

DEDICATA

MAGNIFICIS AC CLARISSIMIS VIRIS,
HENRICO CANISIO ET DAVIDI LVCANO
ICtis, Illuſtriſsimorum Haſsiæ Lantgrauiorum
Conſiliariis.

DE bello Perſico in quinquennium continuum iam protracto, Viri Magnifici, Mecœnates colendi, varios ac incertos paſſim rumores ſparſos memini, eoſq; tales, qui grata quadam opinatione & aures & animos hominum ita compleuerunt, vt de crebris ac grandibus Perſarum victoriis, totidemq; Turcarũ cladibus, ac proinde labefactatis & accisis horum viribus, omniq; adeò proſtrata potentia vulgo perſuaſum fuerit. Quæ opinio eò cupidiùs eſt arrepta & acceptata, quò gratior fuit, cùm ea quæ cupimus, libẽter audiamus & credamus: Corrigenda tamẽ, & ex animis euellẽda, vtpote à veritate alienior, ac ſecuritatẽ pernicioſam aliquandoq; pœnitendã inuectura, idq; remedio veritatis, & ipſius hiſtoriæ probatiſſima narratione. Atq; vtinã ita res haberet, eaq; omnia quæ rumores iſti Turcis ominabantur, ſic comperta cerneremus: profecto fortunam iſtam non modò non inuidendam Chriſtiano orbi aut extenuandã, ſed plenis buccis prædicandam, & ad Deum autorem grato animo referẽdam quis noſtrum, niſi improbiſſimus, negaret? Sed ne omnem vulgatis iſtis rumoribus fidem detrahere, ac tot hominum, qui illos vti minime dubios, aut diuulgarunt aut probarunt, opponere autoritati me velle videar: fateor, multa quidem veritati congruere, plura tamen, & quod potiſſimum eſt, eneruati ac nutantis imperii Turcici perſuaſionem à vero quàm longiſſimè recedere. Tantùm enim abeſt Turcos eneruatos priſtinaq; potentia exutos eſſe, vt pacem aliquoties per legatos Perſicos tolerabilibus ſanè conditionibus petitam, vti conſtat, Turcarum Imperator reſpuerit, ipſoſq; legatos inſolentiùs, ac præter religionem iſtius iuris gentium tractarit. Quod vtiq; facturus neutiquam fuiſſet, ſi Perſam viribus ſuperiorem ſibiq; formidabilem agnoſceret. Dubium quidem non eſt, maximam multitudinem Turcorum, atq; adeò vltra decem myriades, partim fame, partim in conflictibus periiſſe. Sed hæc iactura tanti apud ipſos non fit, vt eam vel querelis proſequantur, vel aliquam regni ſui inclinationem, nedum interitum inde metuant. Nam quanta gente valeat, qui magnã Africæ, maiorem Europæ, maximam Aſiæ partem tenet, facile eſt cogitare, cùm numerus ſolummodo eorum, quos perpetuis ſtipendiis tam belli quàm pacis tempore (licèt non omnes officiis militaribus idoneos) alit, eoſq; Chriſtianorum ſobolem, aliquot centena millia exæquet. Turcos natiuos, & hoſce non imbelles prætereundo. Iam verò, vt de mutuis Perſarum cladibus taceam, vter quæſo durante bello plus occupauit? vter alteri plus territorii (nam de hoc potiſſimùm geri bellum videtur) eripuit? Perſa, quem Turcæ ereptum gloriari poſſit, ne agrum quidem aut pagum habet. Turca in ipſiuſmet Perſæ ditione interiore non

modò caſtrum munitiſſimum, Cars nuncupatum extruxit, ſed regionem ampliſſimam diuerſis in locis (licet hoc belli tempore magna ex parte deſolatam ac deſertam) occupauit, atq; etiamnum tenet. Quid? quòd Turca pacem petitam aliter inire conſtanter detrectat, niſi prouincia Syruan ſiue Media, initio quidem belli à Turcis capta, ſed paulò pòſt amiſſa, & adhuc in Perſarum poteſtate exiſtens: nec non omne id quod ſemel captum, ac pede ſuo, vti ait, contactum eſt (licèt amiſſum poſteà) ſibi reſtituatur? Atq; hic hæret aqua: ceſſitq; in tantum Perſa, vt feudi nomine & tanquam vaſallus, ſeu beneficiarius poſſeſſionem prouinciæ illius petierit: quod nec ipſum Turcæ adhuc ſatisfacit. Verum & hoc eſt, Perſam licèt militum numero inferiorem, fortitudine tamen parem aut propè maiorem, cunctando magis hoſtem oppugnare, cùm exuſtis ac vaſtatis longè lateq; ſuis etiam regionibus intra receptacula tutiora ſe contineat, hoſtiq; anſam ſequendi ob longitudinem itineris, ac commeatuum aſportandorum difficultatem atq; inopiam, præcidat, aut longiùs euagantem carpat, inſidiiſq; vt plurimùm pugnet: qua de cauſa prœlia & conflictus rariores, plerunq; tamen cum detrimento Turcarum euenerunt.

Porrò vt hiſtoria huius belli luculentiùs ob oculos ponatur, à primis occaſionibus cauſiſq; impulſiuis eam deducam, atq; ita referam, vti ea ab hominibus fide dignis, qui magna ex parte reb. geſtis interfuerunt, accepta, adeoq; è ſecretis Turcorum explorata, ac temporis progreſſu conſtantibusq; rumoribus veriſſima comprobata eſt: idq; breuiſſimè, cùm ſingulas & locorum & rerum geſtarum circumſtantias exactè perſequi ſuperuacaneum potiùs, ac laborioſum mihi aliis quàm plurimis diſtricto negociis, quàm vtile aut neceſſarium ſit futurum. Ac primò quidem manifeſtū eſt, acerrimis atq; implacatis odiis Turcos ac Perſas diſſidere, qui licèt in hoc conueniant, vt Mahometum tanquam primarium ac præcipuum Dei nuncium vtrinq; colant, eiuſq; Coranum (ſed in aliquibus diuerſum) amplectantur: tamen de numero Sanctorum ſiue interpretum Corani acerrimè diſſentiunt, quorum Turci vnicum tantùm, Ali nimirum: Perſæ præter hunc alios duos, Omar & Ebubegker magna veneratione tāquam diuos proſequuntur. Quæ quidem præcipua diſſenſionis cauſa eſt, vnde ſeſe mutuò vel infeſtioribus vel ſaltē non leuioribus odiis inſectantur, ac ipſoſmet Chriſtianos. Serpebat autem ante hoc bellum ſecta Perſica in Turciam quoq;, & Conſtantinopolin vſq; penetrabat, adeò vt Turcorum haud pauci tùm apertè deficientes ad Perſam transfugerent, tum religioni illi clàm fauerent. Cui malo primores Turci, & præcipuè clerus, tempeſtiuè occurrendum, grauioriſq; periculi cauſam auertendam cenſentes, quibus potuere rationibus Imperatorem ad inferendum Perſis bellum, hæreſinq; illam profligandam atq; oppugnandam, inducere conati ſunt, fingentes apparuiſſe ſibi viſiones (quibus illa gens multum tribuit) quæ inclinationem regno iſti, atq; extremam ruinam denuncient, niſi religio acriùs defendatur, hæretici armis inuadantur, animæq; iam ſponte perniciem ruentes ſeruentur: atq; hoc Deum ita velle, nec cœptis in cauſa tam pia tamq; neceſſaria defuturum. Chriſtianos quidem corporum eſſe hoſtes: Perſas verò animarum quoq;: ideoq; bellum his omnino mouendum, quibus deuictis aut ſaltem debilitatis in Europæos abſq; vllo impedimento vires & arma conuerti poſſint. Hæc & alia diligenter Imperatori inculcabant ſacerdotes eius Imam & Hoggia: Quibus acceſſerunt Begorum in finibus Perſicis conſtitutorum de iniuriis & excurſibus hoſtium frequentes querelæ. Interim quoq; Begus quidam, militibus aliquot præfectus, ad Iſmaelem Schah Perſarum Regem deſciuit: cuius exemplum & alii plures ſecuti ſunt.

Nec leues, imò fortiſſimos ſtimulos ſubdebat, facileq; bellum ſuſcipiendum perſuadebat (quemadmodum rariſſima Turcis vbiq; pax eſt) huic genti propemodum peculiaris, dominandi ac imperii proferendi cupiditas, quæ ex tot tantiſq; maiorum ſucceſſibus ac victoriis orta, pro ſua potentia non infelices euentus Murathi pollicebatur.

Itaq; Muſtafam Baſſam, non ita pridē Cypro capta celebrem, virū peritia rei

bellicæ

bellicæ inſignem maturiq́; conſilii,ſupremum belli ducem deſignat,omniq́; imperio militari inſtruit, acinace quoq; pretioſiſſimo accingit, duoq; vexilla regia tradit. Is 5. April. anni 78. Chryſopolin, hodie Scutari, ſitum in promontorio Damalico Aſiæ traiicit, ſolenniter ac honorificè à primoribus vniuerſæ aulæ deductus, reliquo exercitu diuerſis in partibus Aſiæ interioris ipſum expectante, qui poſtea congregatus bis centena millia adæquaſſe putatur. Continuatis igitur itineribus ſub initium Auguſti confinia Perſica attingit, & in vrbe quadam Aſſyriæ, Arſrom vocata, ſubſiſtit, reliquas copias vndecunq; excitas operiens.

Eodem tempore Dogkmak Sultan, princeps quidam Perſicus, deſignatus generalis Perſarum dux (qui legatum quondam apud Selymum, regis ſui nomine egerat) confinia tenuit, 25. milibus armatorum inſtructus, rebusq; gnauiter aduerſus hoſtes gerendis intentus. Turcæ interim Conſtantinopoli aliisq́; in locis proceſſiones frequentant, precationesq́; ſolennes pro felici huius belli ſucceſſu celebrant.

Accidit igitur, vt exercitibus haud procul diſiunctis, Dogkmak Sultan cupiditate ciendi conflictus ſæpius excurrens hoſtem laceſſeret. Cumq́; aliquandò in Deruis Begum, qui prima Turcorum agmina ſeruabat, incidiſſet, facilè eum ad confligendum, vtpote paucioribus oſtenſis copiis, induxit.

Incoato conflictu plures ſubinde Perſarum, reliquusq́; adeò ſuccedit exercitus, ac Turcos fortiter adoriuntur, & in tantas anguſtias cogunt, vt parum abfuerit, quin Deruis Beg cum ſuis omnibus fuiſſet oppreſſus, niſi Muſtafa Baſſa maturè cognito periculo tres alios Begos ſubmiſiſſet: quibus vnitis acris denuo pugna fuit excitata, tanto cum feruore, vt nec Perſæ cederent, quippe in certam victoriæ ſpem multis indiciis erecti: nec Turcæ, qui recentibus ac iunctis freti copiis hoſtem iam defeſſum facilè ſe oppreſſuros putabant. Fortiter quidem dimicantes Perſæ ad veſperam vſq; prælium protraxerunt, donec tandem & laſſitudine & pluuia ſuperueniente abſtracti receſſerunt, dubia vtrinq; victoria. Tanta aliquantiſper virtute Turcas repulerunt, vt caſtris propè imminerent, feruntq́; ipſum Muſtafam ſemel atq; iterùm armaturam ſuam popoſciſſe, atq; vniuerſum exercitum educturum fuiſſe. Verùm & nox inſtans, & pluuia ſatis effuſa, progrediēdi animū mutarūt. Vtrinq; 13. millia, vel vt alii 15. alii 18. occubuiſſe, multò tamen maiore cum Turcorum internecione (inter quos aliquot Sangiachi & præcipui duces deſiderati, & mille quingenti circiter fuerunt capti) & literis & conſtanti rumore poſtea confirmatum eſt.

Poſt hanc pugnam in Auguſto menſe factam aliquandiu ex vtraq; parte quieuerunt: qua de cauſſa Dogkmak ſuſpicionem colluſionis cum hoſte apud nouitium Regem Mehemet Chodabende ferebatur incurriſſe. Succeſſit hic Iſmaeli Schah, fratri ex patre Tamaſo, ſub auſpiciis huius belli veneno, vti perhibent, à ſorore ſublato, decrepitus iam & viſu orbatus. Reliquerat Iſmael filium impuberem: vnde in Mehemetem tota belli moles vnà cum regno deuoluta fuit.

Eo tempore ſumma annonæ penuria in Turcorum caſtris incidit, vnde magna multitudo fame periit.

Facto poſtea excurſu Muſtafa 300. Perſas cepit, omnes tamen obſcuræ ſortis, quorum aliqui Conſtantinopolin fuerunt adducti.

Vltra Pontum populi ſunt Iberi ſiue Georgiani, inter Colchida & Armeniā, Caucaſeis montibus circumdati, qui Chriſtianam quoque religionem ampleċtuntur, à Græca nonnihil diuerſam. Bellicoſi ſunt, ac diuerſis Regulis parent, totoq; belli tempore non exiguas Perſarum Regi ſuppetias tulerunt. Horum aliqui confiniis Turcæ vicini ſeſe in clientelam eius dediderunt.

Interim Turci aliquoties excurrendo plures hoſtium ceperunt, quotum 400. aut 500. unà cum prioribus captiuis Muſtafa truncari fecit, miſſis Imperatori duabus veſtibus Perſicis arte ac pictura eleganter elaboratis.

Diebus hiſce prælium illud, cuius ſuperiùs mentio facta eſt, eo quo retulimus modo, confirmatum vulgo Byzantii fuit, Turcis ipſis acceptam cladem minimè quidem diffitentibus, ſed de numero cæſorum diuerſimodè ſentientibus.

Pleriq; enim ex ſo la ipſorum parte 12. adeoq; 15. millia cecidiſſe affirmabant: tandemq; noua per mercatores quoſdam Italos, Galatæ contra Byzantium ſitæ tum commorantes, plurimaq; & interdum ne veriſimilia quidem commentos, in Europam ſparſa, numerum iſtum, plurimorum cum aſſenſu duplo aut triplo auxerunt.

Sub finem Septembris Turci haud difficulter, ac citra memorabile damnum occuparunt Tiflis, item Tſchaldung, vrbes ſitas inter Georgianorum populos & Syruan: idq; ductu Oſman Baſſæ, quem Perſæ Demirogli ſiue filium ferri cognominare ſolent. His rerum occaſionibus Muſtafa de ædificanda arce Cars conſilium cepit. Sed hoc tantò difficiliùs effectum iri pleriq; credebant, quantò Perſæ grauiora pericula ac damna inde metuentes, cunctis id viribus prohibituri viderentur. Ita enim de extructione eius arcis perſuaſum erat, vt diceretur, totidem capitibus quot lapidibus arcem illam conſtituram: quę tamen abſq; vllo impedimento, ſumma omnium cum admiratione poſtea erecta & abſoluta fuit.

Interim verò cum exercitu mouet in Syruan, olim Mediam dictam, tum temporis ſub ditione Perſarum. Cæterùm in eo itinere traiiciẽdus erat fluuius, quidam, quem Perſæ, profectione illa per indicium intellecta, ſtipitibus ac truncis ſubdolè compleuerant, ſummamq; hoſtibus tranſmittendi difficultatem obiecerant, ita vt aliquot millia hominum & camelorum in traiectu perierint, partim ſubmerſa, partim ab hoſtibus aſtu capta & occiſa.

Octaua die Octobris Mehemet Baſſa, ſupremus Vezirius Byzantii delectum egit 200. equitum, quos Beglerbego Wanenſi miſit.

Eodem menſe infeſtis armis concurrerunt Muſtafa Baſſa & Caraham Perſa, conflictumq; cruentum miſcuerunt, in quo 10. vtrinq; millia aut fortaſſe plura occubuerunt. Anceps fuit victoria quamuis Turcorum cæſorum numerus iterum fuerit maior.

Paulò pòſt Beglerbegus Wanenſis cum copiis ſuis ad Tauriſum vſq; excurrit, quæ eſt regia Perſæ prædamq; ſatis ingentem coëgit. Edicitur quoq; Beglerbegis Damaſci, Alepi & Natoliæ, vt celeriter copias ſuas educant, ac reliquo exercitui coniungant.

Muſtafa nihil deterritus clade ſemel atq; iterum accepta progreditur, vrbẽq; ac totam prouinciam Syruan, Perſis cedentibus magis quàm reſiſtentibus capit. Hi antè potiora ſua bona auexerant, vrbemq; ac alia oppida longo tractu ipſi vaſtarunt atq; exuſſerunt.

Iamq; ingruente hyeme de figendis hybernis cogitabat Muſtafa, & ſubſtituto Oſmano in Syruan cum præſidio 10. millium, ipſe ad vrbem Arſrom redit.

Allata tũ fuerunt Conſtantinopolin 8. tympana Perſica, ę poſtremo conflictu recepta: indieſq; ſuperiora illa confirmabantur, quibus hoc addebatur: paucis diebus ante occupatam vrbem Syruan Perſas aliquantiſper, haud tamen exiguo ſuo cum damno reſtitiſſe.

Tum temporis Tartarorum quoq; Rex, Turcæ tributarius, auxilia obtulit, eaq; fratre ſuo duce poſtea miſit.

Beglerbegis, quos antea excitos fuiſſe diximus, quò minùs expeditionẽ maturarent, obſtitit hyems, maiorq; pars exercitus dimiſſa tum fuit.

Contigit autem, vt dum ingenti commeatuum penuria exercitus Muſtafæ laboraret, aliiſq; permultis difficultatibus premeretur, tumultus inter Ianizaros & Spahos (qui equeſtrẽ agunt militiam, noſtriſq; nobilibus æquiparãtur, ſuntq; horum ordines quinq;, ſtipendiorum diuerſitate diſtincti) coortus fuerit, minùs tamen cruentus, ſparſæq; paſſim querimoniæ, & conuicia iacta in Muſtafam tãquam auarum, ac priuatis ſolùm commodis, poſthabita militum cura, intentum. Augebat inuidiam & indignationem clades ſociorum toties ſub infelici Muſtafæ ductu ingeminata.

29. Decembris duo Curſores Conſtantinopolin venerunt, affirmantes Perſas ingenti numero in Syruan reuerſos, præliumq; cum Turcis geſſiſſe.

His

His Caytam Baſſam cum aliquot millibus ſuccurriſſe quidem, ſed in pugna cecidiſſe. Maturè quoq; aduentaſſe Tartarhani copias, ſine quarum ſubſidio parum abfuerit, quin ad vnum omnes trucidati, ipſaq; vrbs in manus Perſarum redacta rurſum fuiſſet. Oſman Baſſan in periculis haud leuibus conſtitutum viriliter ſe hoſti oppoſuiſſe, dum ſuppetiæ ſecutæ ſint.

Eo in prælio vltra decem millia occubuiſſe, victoria penes Perſas ſtante. Captus fuit Perſa quidam Sulagk Huſſaim, qui ad Mehemetem Baſſam perductus indicauit, cladem vtrinq; fuiſſe exæquatam, licèt poſtea ſecus compertum ſit.

Rebus ita vertentibus noua edictio facta eſt in Aſia minore & Caramania, olim Cilicia, euocatiq; ſunt ſubitò 8. Sangiacbegi (qui ſub ſe habent tum equeſtres tũ pedeſtres copias, noſtris æquiparandi Comitibus) Imperator quoq; 300. tormenta, à falconibus denominata, pariterq́; argenti vim magnã ſubminiſtrat. Perſa nec ipſe rerũ gerendarũ immemor, copias indies adauget, & quantumuis ſera iam hyeme 80. circiter millia cogit. Cumq́; Tartari ingenti multitudine ſeſe Turcis coniunxiſſent, prælium vtrinq; acerrimum fuit commiſſum, in quo 30. milia Tartarorum ac Turcorum trucidata perhibebantur, capto ipſorũ duce, fratre ipſius Regis. Oſman Baſſa infelicem expertus pugnam fuga ſibi conſulit, auectis ſecum quibuſdam tormentis, & ad Georgianum quendam Schemhali dictum, qui paulò antè ad Turcam cum aliis defecerat, confugit, cuius filiam in vxorem poſtea duxit: hinc exigua cum ſuorum manu ad Demircapi ſiue portas ferreas, in anguſtiis Caucaſi montis ſitas, ſeſe confert. Ea victoria potiti Perſæ prouinciã Syruan integrã receperunt, vrbemq́; tum opibus tum munitionibus inſtructiſſimã diripuerunt, ac propugnacula à Muſtafa extrui cœpta deſtruxerunt, muriſq; nudatam toto deinceps belli tempore, retinuerunt & adhuc tenent. Turci quidem eam cladem extenuare ſunt conati, ſed pluribus indiciis atq; nunciis eam haud vulgarem fuiſſe conſtat.

Vtq; hoc primo belli anno plura, ſequentibus rariſſima prælia & conflictus cõtigerunt: ita Turcorum clades in vniuerſum 70. ferè millia æquaſſe, tam eorum qui in præliis, quàm qui fame perierunt: Perſa vltra 25. millia ad ſummum non amiſiſſe perhibetur.

Anno ſequenti 79. Turcarum Imp. omnibus viribus redintegraturus iſtud bellum, per Aſiam & Græciam totumq́; tractum ad Albam vſq; Græcam ſub veris initium ſeuera cum interminatione Beglerbegis, Baſſis, ac Sangiacbegis edicit, vt copias maturè cogant atq; educant: & diuulgatum eſt aliquoties, fieriq; viſa præparatio, ipſummet Imp. egreſſurum: quod tamen animandi cauſſa potius atq; alacriores reddendi Turcos ad ſequendum bellum admodum odioſum, fiebat. Quo edicto exciti Baſſæ quoq; Hungarici, Budenſis præſertim & Temes Warienſis, haud exiguas copias inſtruxerunt. Allatæ fuerunt etiam literæ Beglerbegi Wanenſis, quæ tum prælii ſuperioris, tum captæ vrbis Syruan narrationem antea commemoratam continebant. Eodem tempore Weywodis Moldauiæ ac Walachiæ iniunctum fuit, vt frumenti iuſtam quantitatem ſubminiſtrarent, per Pontum Euxinum in partes illas tranſportandam. Tartarhan quoq; per literas requiritur, vt exercitũ quàm ocyſſimè rurſum cõſcribat, mittunturq́; ipſi duo acinaces ingentes ingentis precii, cum aliis nonnullis muneribus 9. Martii 4000. Spahi ſiue equites, ac 5. millia Ianizarorum Conſtantinopoli de nouo mittuntur: eodemq́; tempore Beglerbegus Damaſci, filius Mehemetis Baſſæ copias ſibi ſubiectas educit. Triremes quoq; plures in Ponto Euxino & Morea (olim Peloponneſo) ad eundem finem inſtruuntur.

Tantum apparatum dum Turca moliretur, Perſa quidem de mediis ineundæ pacis cogitare cœpit, quam nec Turca auerſatus fuiſſet, niſi ea vtrinq; æmulatio & autoritatis tuendæ ratio extitiſſet, qua neuter pacis petendæ manifeſtus voluit eſſe autor, ne alteri cedere videretur. Itaq; bellum denuo inſtauratur. Captiuitate fratris ſui intellecta rex Tartarorum, de eo liberando cum Perſa agit: cui hic reſpondit, ita demum illud futurum, ſi pacem Turcarum Imperato-

ri æquis conditionibus perſuaſerit. Sed obiit ille poſtea in captiuitate: qua de cauſa Tartarus tum iuſſu Murathis, tum quòd fratrem vlciſci vellet, denuo expeditionem ſuſcipit, adiutus ab Imp. ſubſidiis haud mediocribus.

Nam & militem, & pannorum quantitatem haud exiguam, cupri quoq; centenarios 100. argenti clitellas 50. ex reddiribus Cairenſibus ſiue Ægyptiis accepit. Ipſi Regi donata eſt materia veſtiaria ex aureo & argenteo texto, ſerico & holoſerico, nec non acinaces precioſiſſimi.

Tranſportata item fuerunt arma omnis generis & tormenta per Pontum Euxinum, mandatumq; Regi, vt aut ipſe, aut præcipuus quidam Tartarorum exercitum duceret.

Aprili menſe rumor vbiq; ſpargebatur, coactas à Perſa ex omni ſuo regno ingẽtes copias, easq; confinia iam tenere: ideoq; Imp. rem ipſummet promoturum, & exercitui coràm affuturum, quòd præſentia ipſius tum plus animi ſuis, tum terroris hoſtibus eſſet allatura: Sericq; deliberatum & penè concluſum fuit, vt ſaltem pedem è Thracia moueret, quaſi in Caramaniam profecturus.

Arrectis itaq; tunc omnium animis & auribus; proq; tanto apparatu grandia ac miranda expectantibus, inſperata in exercitu de Muſtafa diffidentia eſt exorta, quam inobedientia comitari ſolet: & agitata ſunt conſilia de obtruncando eo. Inuidiam ei tantam conflauit auaritia nimia, vti ſuperiùs dictum, & ſegnior commeatuum procuratio.

Perſæ igitur valido cum exercitu progreſſi vrbem Tiflis antea Iur vocatam, & priore anno à Turcis captã, obſidione cingunt, adeoq; coanguſtant, vt obſeſſi commeatuum omnium penuria ad mactandos mulos, equos & canes adigerentur: parumq; abfuit, quin vrbs in extremis iam periculis conſtituta caperetur, niſi Damaſci Beglerbegus tandem ſuccurriſſet, qui conflictu excitato Perſas repulit, & obſeſſos victualibus refecit.

Eodem tempore Murathes ad omnes Europæ Baſſas literas emittit, quibus eos ad arma, equos & camelos ſubmittendos exhortatur: idq; magis terrendorum Perſarum cauſa, effectu haud ſecuto.

Interim Ochiali ſiue Vlutſchali Baſſa, Præfectus maris & claſſis regiæ, iuxta mandatum Regis claſſem omnibus modis inſtruit, tormentis, trabibus ligneis, aliisq; ad ædificandum neceſſariis præmittens per Pontum 6. triremes & mahonam ſiue nauim grandem vnam: quas ipſe 17. Maii cum aliis 50. triremibus ſubſequitur. Similiter cæteri Beglerbegi Aſiatici, Sangiacbegi & Spahi ad bellum eodem tempore exeunt.

Diximus antea plures eſſe regulos Georgianorum, & pleroſq; à partibus Perſicis. Cæterùm vidua quædã erat prædiues, quę Turcorũ inſultibus ac direptionibus cum ſuis expoſita variis damnis afficiebatur. Ideò de ſecuritate ſibi proſpectura, duos quos habebat filios ad Murathem ablegat rogatũ, vt æquis conditionibus ipſa cum ſuis in tutelam reciperetur. Turca non auerſatus petitionem iſtam, beneuolè fratres excipit: quorum alter poſtea pollicitationibus inductus, nomine Manug Schachbeg ad Turcicam fidem tranſiit, ſeq; circumcidi fecit, in cuius gratiam Imp. 25. Iun. ſolenne feſtum inſtituit, ac ſpectacula feſtiua celebrari iuſſit, in Hippodromo ſiue Atmedam. Factus hic eſt Beglerbegus ſuę ditionis, filiumq; Imperatori obtulit, qui cùm in aulã deduceretur puer adhuc, lacrymas fudit. Hinc ambo fratres 15. Iul. domum verſus abierunt: & dicitur minor Guarquorat beg in itinere ab apoſtata veneno ſublatus.

Interim Muſtafa Baſſa verſus Cars progreditur, milite illud atq; aliis munitionibus inſtructurus, ſumma quidem cum Perſarum indignatione, ſed nullo reſiſtendi conatu.

Ochiali feliciter confecto curſu ſuo per pontum Euxinum, tempeſtuoſum alioquin & importunum, caſtellum quoddam inter Mengrellios (qui ſunt Colchi) & Georgianos ædificare cœpit magno ſumptu, quod hoſtes paulò pòſt fugatis Turcis deſtruxerunt. Cumq; id denuo reſtauraturus eſſet, Perſæ superuenientes à propoſito ipſum magna data ſtrage ſecundò cohibuerunt.

Menſe

Menſe demum Septembri Muſtafà Baſſa ædificationem arcis Cars; quieſcentibus omnino Perſis, ſumma cum admiratione perfecit.

Eodem menſe Tartaricæ copiæ Turcis coniunctæ ſunt ad portas ferreas, duce Oſinan Baſſa, ſed eas nihil memorabile geſſiſſe conſtat. Exorta eſt autem in caſtris Muſtafæ lues peſtifera & ſumma annonæ caritas, ob quam ipſe Amaſiam in Lycaonia, hybernandi ibidem cauſa, literis Imperatoriis fuit auocatus. Subſtitit tamen ea hyeme in Arſrom, non ſtipatus pluribus, quàm 10. millibus, reliquo exercitu ob famem, peſtem, atq; inſtantem hyemem dilapſo. Beglerbegi ſimiliter, quotquot in expeditione fuerant, domum infectis rebus redierunt. Perſa à Caſmin (quæ altera eſt & penitior regia) Tauriſum verſus proficiſcitur, & de abitu Turcorum certior factus, in ipſorum ditionem excurrit, prædaque parta haud exigua retrocedens milites ſuos itidem dimittit.

Murathes cognita excurſione illa, veritus ne vlteriùs Perſa graſſaretur, continuò Muſtafam per literas hortatur, vt cum omni, quantum cogere poſſet, exercitu confinia repetat. Verùm is ob diſceſſum Perſarum ſeſe continuit, & vt maximè progredi voluiſſet, milites obedientiam detrectarunt: Ideoq; paulò pòſt Conſtantinopolin reuocatur, inq; eius locum ſubrogatur Sinam Baſſa cum mandatis, vt primò ſtatim vere ſeſe ad expeditionem paret.

Tartari cùm aliquandiu ad portas ferreas ſubſtitiſſent, tandem ſub anni finem pluribus ſuorum amiſſis intra fines reuertuntur.

Oſman Baſſa ſocerum Schemhalus, à quo in fuga Syruanenſi hoſpitio exceptus ac ſeruatus, generq; aſcitus fuerat, interimi facit.

Muſtafa ſemel atq; iterum auocatus, cùm haud dubiis ſignis iram Regis, conflatumq; ex delatione militum odium præſentiſceret, perculſus quoq; conſcientia venditorum ære præcipuorum munerum, (nam tanta eſt eiuſmodi ſupremi ducis autoritas, vt Vezirios etiam ſiue Purpuratos creare poſſit) moram conſultò trahit, & veritus inſidias, quàm optimè ſeſe munit. Mittitur itaq; Capitſchi Kyheia, qui eſt Cubiculariorum præfectus, cum aliis 15. Capitſchilar, duabus inſtructus literis, quarum alteræ ipſi Muſtafæ pro occaſione eius ſuffocandi erant offerendæ: alteræ mandatum ac voluntatem Imperatoris ea de re continebant, ne qua vis ſicariis fortè inferretur. Caſtra nactus ille Præfectus, cùm ea eſſent tripartita, ab vno ad aliud ablegatur. Tandem cùm colloquium Muſtafæ feriò flagitaret, ad interuallum fuit admiſſus, diſpoſitis vndiq; cuſtodibus armatis, cùm Muſtafæ haud dubiè ſuboleret, quid iſtud ſibi vellet. Ille exequendi facinoris occaſione priuatus, literas offerri fecit, quibus Defterdarum & Nyſchangi, id eſt, theſaurarium & Cancellarium ipſius Muſtafæ ſibi tradi conſignariq; petebatur. Muſtafa varia quærens effugia & excuſationes, cùm contrà non auderet, eos hac conditione ſe dediturum promittit, ſi de vitæ incolumitate ipſis caueatur. Atq; ita ambo iſti Conſtantinopolin abducuntur, & in caſtrum 7. turrium coniiciuntur, deq; omnibus Muſtafæ factis ſeuerè examinantur. Hos tamen Muſtafa, 9. April. Byzantium ingreſſus, ac Imperatori nonnihil reconciliatus, deinceps liberauit. Plures dies in vrbe moratus, ipſe à colloquio Imperatoris arcebatur, dubia omninò ſpe reconciliationis: ſed largitionibus immenſis gratiam aliquam ſibi tandem mercatus eſt.

25. Aprilis Sinam Baſſa deſignatus in locum Muſtafæ belli dux Imperatori valedixit, ab eoq; accinctus acinace pretioſiſſimo, acceptis quoq; vexillo prætorio & equis lectiſſimis, in Aſiam traiicit, ſolenni pompa tum aulicorum, tum triremium ac nauium in portu diſpoſitarum, tormentaq; certatim diſplodentium decoratus. Fama erat contra Georgianos hunc principaliter moturum: cui per iter Aſiaticæ copiæ hunc inde affluxerunt. Tartarus quoq; de nouo militem ſubſidiarium armauit.

Sinam itaq; delatus ad confinia, cùm habito circa Arſrom delectu plurimos ad eam militiam conſcriptos deſideraret, apud Sultanum conqueritur, qui ſubitò quodam die Aiac typhan indixit, hoc eſt, conſilium pedeſtre, idq; in area Palatina, inter arcem regiam & templum S. Sophiæ intercedente. Rara ſunt eiuſ-

modi conſilia & tumultuaria, nec niſi ardua aliqua neceſſitate vrgente inſtituuntur. Tractatum in eo fuit de perſequendo bello, & de illis, qui expeditionem ſubterfugerant, carcere mulctandis.

4. Auguſti Legatus Perſicus Muſuhali nomine, cum 17. miniſtris aduentauit, magnaq; cum pompa exceptus fuit.

6. Muſtafa obiit, cùm biduo antè in morbum incidiſſet, contractum ex eſu nimio melonum, ac ſuperingeſta aqua ſaccarea, quā Scherbeth vocant: quamuis alii ipſum ſibi mortem neſcio quo modo conſciuiſſe, metu imminentis ſupplicii, quòd ex accuſatione Perſæ ob ſuppreſſos aliquot legatos metuebat, ſuſpicati fuerint. Imperator mortuo ipſo vniuerſa eius bona confiſcauit, ac in arcem deuehi iuſſit, relicta nepotibus necdum adultis qualicunq; portione, quos in aulā posteà recepit. Dicitur hic idem Muſtafa Selymi iuſſu (quem in iuuentute erudierat) dum ageret Beglerbegum Cairi ſiue Ægypti, obtruncandus fuiſſe: quod tamen per indicia præmonitus ſimiliter euitauit. Nota eſt eius, quam capta Cypro exercuit, perfidia & crudelitas in Bragadinū alioſq; Chriſtianos pluſquā barbarica.

6. Die eiuſdem menſis Imp. ſuperioribus diebus venatum quaſi egreſſus, cùm vniuerſa aula in gratiam legati Perſici vrbem ſolenniter ingreditur. Moris eſt enim Sultanis, vt legatis exterorum Regum cum pompa ſeſe ſpectandos exhibeant. Comitatus fuit ingens & ſplendidè decoratus, armiſq; inſtructus, equitum quidem millia quinq;, tam præcisè, vt nec deeſſe quiſquam nec ſupereſſe eo ex numero deprehenderetur. Pedites, præſertim Ianizari, Solagki, & Aſapi, cùm inordinatè ac gregatim incedant, exactè numerari non potuerunt. Hi ad 7. millia fuerunt æſtimati, omneſq; decorè veſtiti. Atq; hîc erat cernere ſyluam quaſi plumarum & alarum aquilinarum, quas pileis geſtare, ſpeculis inſertis, ſolent. Equites magna ex parte amicti fuerunt aureis texris, & ipſorum equi, elegantiores alioquin & exquiſiti, phaleris & ornatu equeſtri: Turcis vſitato ſplendidiſſimi: præſertim verò regii, qui proximè ante Imp. ducuntur, dici vix poteſt, quanto pretioſorum lapidum, gemmarum & auri apparatu nituerint. Magna quoq; canum vis tum Moloſſorum, tum aliorum venaticorum ducebatur. Nec inelegāter circumpedes incedebant, geſtantes pileos pyramidales argenteos tenuis laminæ deauratos, inde ſatellites arcubus & pharetris inſtructi. Imperator ipſe placido nutu omnes tam Turcos, quàm Græcos & Hebræos ſalutabat. Ornatus equi erat admirabilis ac ſplendidiſſimus. Ipſi ſtapedes latiores ex ſolido auro, vti perhibent, confecti variis gemmis inſerti, vt de vnione inuſitatæ magnitudinis, qualis à fronte equi dependet, de freno, monili antilena gemmatis, ephippio deaurato, ſtrato margaritis conſetto nihil dicam. A tergo ſequebantur pueri nobiles & equites cataphracti bis mille centum, apparatu certè magnifico. Claudebant hunc triumphnm 12. Croati & Hungari captiui, tribus curribus impoſiti, quorum vnus tympanum pulſabat. Sed neq; hoc prætereundum, durante hac pompa 30c. ferè captiuos, quorum aliqui fuerunt Imperatoris, maior verò pars Ochiali præfecti claſſis regiæ, qui & ipſe pompæ intererat, fugam dudum animo conceptam, naui quadam biremi arripuiſſe: quos Ochiali ſtatim inſtructa naui prætoria aliaq; trireme in Archipelago longè perſecutus, octauo die pòſt re infecta domum rediit.

17. Eiuſdem menſis Legatus Perſicus in aulam deducitur, Sultanoq; literas Regis ſui ac munera offert, duos Coranos elegantiſſimè ſcriptos, 9. ſacculos plenos gemmarum rudium, & aliquot tapetes Perſici operis.

Cauſa legationis hęc erat, vt pacis tractatio cum Turca inſtitueretur, quò tandem miſerę plebi, cędibus ac bello tam diuturno vexatæ atq; exhauſtæ parcatur, præſertim cùm vnum vtrinq; Deum, eundemq; ipſius Apoſtolum ſiue nuncium colant, ac vt vires ſuas pro aſſerenda ſua religione in Chriſtianos ſiue infideles conuertant atq; exerceant. Haud ingrata fuit Turcæ ea petitio, iamdudum eius belli pertæſo, planeq; ſperabatur, ac tantùm non affirmabatur certa pacis concluſio: ideoq; magno in honore habitus fuit legatus, & à primoribus Baſſis frequenter ad conuiuia, iſtic alioqui rariora, inuitatus. Sed tota ſanciendæ pacis ra-

tio ibi

tio ibi potiſſimùm impingebat, quòd Turca prouinciam Syruan ſub initium huius belli à ſe captam, & quæcunq; pede contigiſſet ſuo, ſemelq; tenuiſſet, reſtitui ſibi peteret: legatus conſtanter id recuſaret, dicens, neq; id ſe in mandatis habere, neq; Regem ſuũ ſua quidem ſententia hiſce conditionibus aſſenſurum. Atq; ita Turca ſpe fruſtratus legatum dimittit 17. Septem. cum literis, quibus eandem petitionem apud Perſam vnicè vrgebat. Is domum verſus tendens, à Sinam Baſſa aliquandiu detinetur, & in vinculis quidem, tanquam is, qui Sultanum vana ſpe pacis fraudulenter lactarit. Ex itinere duo eius miniſtri Conſtantinopolin reuerſi fidem Turcicam ſuſceperunt.

Eodem tempore Sinam Baſſa, nulla dum re hoc in bello præclarè geſta, verſus Georgianorum ditionem progreditur, quibus occurrentibus acer conflictus fuit editus, ex quo inſignem cladem Turci acceperunt: quod ipſum literis cuiuſdam, qui interfuit, & fama confirmatum eſt.

Mittebantur tum ex vrbe 30. Reys, qui ſunt Capitanei nauium, 30. architecti, ac totidem Odobaſſi cum mandatis, vt triremes ædificarent in mari Caſpio, deſtinata ad hoc materia lignaria aliisq; neceſſariis: cuius rei effectus necdum apparuit. Sinam pertæſus huius belli domum redire deſiderabat, ac literis apud Sultanum ſeſe inſinuabat, pacemq; quibus poterat modis perſuadere conabatur. Nam ex ſupremo Veziriatu, qui ex morte Ahmatis Baſſæ ad ipſum deuolutus erat, plus ſibi honorum, opum ac quietis pollicebatur. E caſtris eius plurimi cogente inedia diſcedebant.

Perſæ ſub autumnum rurſus obſident vrbem Tiflis, haud dubia ſpe eius capiendæ. Sed Beglerbegus Damaſci denuò eos, quemadmodum ſuperiore anno, cruento conflictu deiecit ac repulit.

Hyeme iſta noui rumores ſpargebantur de redintegranda expeditione, mittendoq; Aga ſeu Præfecto Ianizarorum. Ac miſſi ſunt 13. April. anni 81. per Pontum 1500. Chulcardaſchlar, vti vocantur, delectiq; fuerunt Ianizari, qui terra ſequerentur: & hi paſſim equos à ruſticis coëgerunt, quos iterum, ſuſpenſa expeditione illa propter extremã in confiniis annonæ penuriam, militumq; omnium ferè ad hoc bellum tantùm non cogendorum animos prorſus inuitos ac alienos dimiſerunt. Itaque bellum hoc anno quaſi conquieuit, & Sinam Baſſa relictis confiniis Byzantium ea æſtate rediens ſupremum Veziriatus officium ingreditur.

Ineunte vere anni 82. rurſum naues aliquot victualibus oneratæ, & per Pontum ad confinia ſunt tranſmiſſæ.

29. Martii Legatus Perſicus cum trecentorum fermè comitatu, ad condecorandum feſtum Circumciſionis, à Murathe in honorem filii inſtitutum, Byzantium appulit. Cui extra Scutarium Beglerbegus Græciæ, aliiq; aulici numeroſo cum equitatu, Præfectus regiæ claſſis cum 25. triremibus eleganter inſtructis obuiam proceſſerunt: in littore verò Conſtantinopoleos Aga Ianizarorum, Odo & Capitſchi Baſſi, cum tribus ſuorum millibus eum præſtolati ad hoſpitium decenter deduxerunt.

Et quamuis præſente iam Legato pacis tractandæ atq; ineundæ ſpes eſſet, tamen Imp. maioris ſecuritatis atq; authoritatis gratia triremes aliquot milite impoſito emiſit, cùm non ita pridem 4. quoq; Czauſchos ad Perſam ablegaſſet, quibus tamen cum mandatis, non ſatis conſtat.

Interim feſtum Circumciſionis, præſentibus legatis pręcipuorum vrbis principũ eò inuitatorum inſtituitur, fitq; eius initium 2. Iun. extructis in Hippodromo ſiue Atmedã ſtationib. ſiue pergulis pro Imperatore, filio & gynæceo ipſius, necnon legatis exteris ac primoribus Turcarum, durauitq; illud 50. dies continuos. Quo tempore non ſolùm Veziriis Baſſis, Beglerbego Græciæ, Præfecto Ianizarorum & claſſis regiæ cum ſuis miniſtris, Czauſchis atque Spahis: ſed & legatis, quos Sinam Baſſa Sultani iuſſu, oblatis varii generis animalibus ac figuris è mero ſaccaro confectis, ſolenniter inuitauit, & horum miniſtris, adeoque multitudini plebis epulum quotidie fuit appoſitum, totaque Hippodromi area

cibis conſita. Ludi quoq; ac ſpectacula omnis generis, pleraq; inuſitata ac mirabilia fuerunt exhibita, ita vt infinita prope ariolorum, funambulorum, præſtigiatorum, pugilum, ſaltatorum, athletarum, muſicorum, ac aliorum, quiduis ridiculè, iocoſè aut ſcurriliter quoque agentium ſiue conantium, confluxerit colluuies.

Filius Regius Sultan Mehemet, ætatis ſuæ annum decimum ſeptimum ingrediens, à Mehemete vltimo Vezirio, Imperatoris quondam tonſore, 7. Iun. ſeorſim, adhibitis vſitatis ceremoniis circumciditur.

Tantus in eo feſto luxus atq; oſtentatio fuit vſurpata, vt Imp. ac filius congregata plebe ſæpiùs nummos, & patellas argenteas ternis vicibus quadragenas aut quinquagenas manu ſparſerint: quo concurſu plerunq; aliqui fuerunt oppreſſi. Breuiter, inuſitatæ mitæq; feſtiuitates ac ſpectacula curſus equeſtris & pedeſtris, ludicrorum conflictuum, iaculandi, caſtra oppugnandi, committendi canes vrſis aptisve, mittendi ignes volatiles, ſalientium aquarum, ferarum, Muſicæ, comœdiarum, tripudiorum, & ex diebus illis conſpecta ſunt, ita vt ſimile feſtum neq; apud Turcos vnquam, neq; alibi celebratum ſit.

Contigit interim, vt Perſæ Turcos omnium rerum ſecuros ex inſidiis obruerent, ac ſtragem darent ad 4. millia vulgò æſtimatam. Quo comperto Murathes vehementer commotus, non ſolùm ſtationem pro Legato extructam deſtrui, ſed & intra hoſpitium occludi eum iuſſit: cui poſtea, graſſante horrendum in modum peſte, plures centum miniſtris obierunt.

Paulò pòſt tres Perſæ haud vulgaris conditionis ad Turcas transfugerunt, quorum vnus fuit ille Muſuhali, qui anno 80. legatum egerat.

Nouiſſimum eſt, quo narrationem hanc concludo, quòd Perſæ rurſum ex improuiſo adorti Turcas, non modò 20. circiter millia trucidarunt, ſed vrbem quoq; Tiflis, ac totam regionem circumiacentem recepiſſe perhibentur. Cuius victoriæ non minimam cauſam fuiſſe aiunt Mehemetum Georgianum, quem antea à matre Conſtantinopolin amandatum fidem Turcicam ſuſcepiſſe dixi. Hic, cùm odium Imperatoris, neſcio quibus ex cauſis incurriſſet, ſentiens ſibi tēdi inſidias, ad Perſas magna cum Turcorum manu transfugit, hiſq; opportunā inuadendi Turcos rationē oſtendit, & ipſe opē haud exiguam præſtitit. De qua clade cōqueſtus poſtea apud Imp. Oſman Baſſa graui culpa Sinam grauauit, qui bellum hoc, etiamnum ſupremus dux, ſegniter adminiſtrauerit, atq; inde domum reuerſus ſubmittendorum auxiliorum vana ſpe ſæpiùs ipſum lactauerit. Quo modo graui inuidia ac ſuſpicione oneratus Sinam, omnem operam virilem, & in perſequendo hoc bello fidem ac feruorem Imperatori defert: ſed fruſtrà. Hic enim vehementi concepta ira illicò hominem ab officio remouit, parumq; abfuit, quin eum obtruncari faceret. Itaque homo omnium inſolentiſſimus, ac Chriſtiani nominis oſor acerrimus fugit, cuius bona ampliſſima confiſcata ſunt, eiuſq; in locum ſubrogatus Siauſch Baſſa, natione Hungarus, ac nobilis, in pueritia captus, vir ſedatus ac minimè tetricus. Faxit Deus Opt. Max. vt gentes illæ Mahometicæ infeſtioribus ac funeſtis armis tam exteris, quàm inteſtinis concurrant: ea verò, quæ in orbe Chriſtiano tum flagrant, tum metuenda videntur incendia, clementer reſtinguantur ac comprimantur: idq; ad nominis ſui gloriam, tranquillitatem publicam, noſtramq; omnium ſalutem.

FINIS.

P. CALLI-

P. CALLIMACHI EXPERIENTIS DE BELLO TVRCIS INFERENDO, ORATIO GRAVISSIMA, ac iam temporibus conuenientiſſima.

ITEM EIVSDEM HISTORIA, DE HIS, QVÆ A VENETIS TENTATA SVNT, Perſis ac Tartaris contra Turcos mouendis, non ſolùm verborum elegantia conſcripta ſingulari, verùm etiam multis grauiſſimis conſultationibus ad id bellum conficiendum referta.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI DOMINO RVPERTHO PALATINO RHENI, VTRIVSQVE BAVARIÆ DVCI, COMITI IN VELDENZ, ſuo Clementiſſimo Domino, Nicolaus Gerbelius felicitatem.

INGENIO *ſanè magno, magnaq́; ſapientia præditi fuere Philologi veteres, qui Ianum, ſiue is Chaos, ſiue Deus aliquis extitit, bina facie finxere, à fronte altera, altera à tergo, veluti eum, qui temporum, occaſionum, rerumq́; præteritarum & futurarum exactiſſimam tenuerit cognitionem. Vix enim eſt alia potentior ad vitæ rationem obſeruatio, quàm præterita ſimul & futura in promptu habere & nouiſſe, adeò vt rectiſſimè ſcripſerit Poëta, eum verè ſapere, qui* ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω λεύσσει. *Quid enim per immortalem Deum præſtabilius, quod vtilius humanis ingeniis indere natura potuit quàm proſpicientiam, qua quidem præſentia regere & moderari, futura vel præcauere diſcimus, vel deligere & appetere. Hac ſcientia imbutos non ineptè Græci, vt pleraque omnia,* [illegible] *appellauére. Ea res ſiue conſilium, ſiue prudentiam, ſiue ingenii ſolertiam nominare volueris, in rebus mortalium propè omnibus maximè pollet, vix tamen alicubi magis, quàm in re militari, negotiisq́; bellicis. Incredibile enim dictu, in quam perniciem, in quod diſcrimen atq́; periculum, vnius quandoq́; hominis ignauia, ingentes exercitus, imò gentem totam coniecerit, quem ſine errorem cunctantis animi ratio, ſiue conſilium potuiſſet emendare. Xerxes ille Perſarum Rex, potentia, opibus, hominum multitudine, armorumq́; copia celebris, exercitum in Europam traiecturus, multa per imprudentiam, multa temerè conatus eſt, quorum poſtea hominem ſui amantem pœnitere potuit. Inter quæ ſingulari animaduerſione dignum, quòd locum inter Seſtum & Madytum, vrbes Helleſponticas, Abydo & Aſia aduerſum, inq́; mare prominentiorem, magno labore ponte vinxit, quò facilior et expeditiorq́; ex Aſia in Europam foret excurſus. Pulchrum mehercle inuentum, ſed temerarium & imprudens. Nam haud multò poſtea tempeſtas pontem vtrinq́; laceratum diſiecit. Et quanquam incredibili labore pontem inſtaurauerit, tamen cùm maximè ponte opus eſſet, vtpote Rege victo atque turpiter fugiente, rurſum tempeſtas & imbres naues nauibusq́; impoſitas trabes diſſipauerant, adeò vt vix piſcatoria naui euaſerit Rex, nemini antea non formidandus. Quòd ſi ante factum rem recta reputaſſet via, intellexiſſetq́; naturæ opus non paſſim, neque ſemper hominum cedere cupiditati, & ſumptum & miſeram*

reſeruaſſet ad vtiliora. Idem Xerxes (libenter enim hoc exemplum humanæ videlicet ſtultitiæ plenum vſurpo) cum Athenienſibus, ob cauſas neſcio quas, bellum illaturus eſſet, priusq́ tanti belli molem ad Aſiæ Principes, minimè tamen illis quæcunq́ conſuluiſſent obſecuturus, detuliſſet, Artabanus Regis patruus, vir cordatus & ſingulari præditus ſapientia, percontanti Regi Darii exemplum explanauit, qui contra Scythas belli aleam tentarat quidem, ſed admodum inauſpicato, ſeſe verò contra viros terra mariq́ multò præſtantiores Athenienſes ſcilicet, copias educturum: non ſolùm tam ſalubri conſilio non geſſit morem, ſed etiam præclarum conſultorem cum turpiſſima apud Perſas contumelia ad mulieres remiſit: cuius authoritati & conſilio ſi Rex ſuperbiſſimus paruiſſet, tam infami ad ſuos fuga nunquam rediiſſet. Multò prouidentius apes, admiratione præcipua dignæ, quæ cùm multa habeant hominum cœtibus perſimilia, vt ſunt vrbes, Reſpub. mores, & Reges, ſiquando in pabula exeundum, deſerendiq́ lares atq; liberi, ante profectionem exploratores ſuos emittunt, qui ventos, imbres, vias, denique aditus omnes accuratiſſima obſeruatione explorãt. Quòd ſi miſſi ſpeculatores aduerſi aliquid renunciauerint, in vrbibus cunctantur, conſultant, prouidentq́, ne quod periculum aut exitium gens tota patiatur. Tantáne ſolertia, tantum prudentia tam puſillis animantibus, & nos, quibus nihil eſt ſuperbius, in tanto rerum nihil proficimus vſu. Hæc atq; alia ſecum animo volutans Callimachus, re ipſa non nomine tantùm experiens, cùm ſua ætate crudeliſſimus ille humani generis carnifex Turca Pannonia, circaq́ finitimas gentes bello atterere aggrederetur, Chriſtianos Principes hac Oratione inſtituere voluit, quo conſilio, qua ſpe, quibus tandem præſidiis tam truculento hoſti ſit occurrendum, haud dubiè id quod res eſt cogitans, non eſſe ſapere, id quod ante pedes eſt videre, ſed etiam illa, quæ futura ſunt, ſolerter & circumſpectè præcauere. Hanc itaq; multa bona fruge refertam Orationem, Illuſtriſſ. Princeps, Magnificentiæ tuæ dicamus, vt per te, tuoq́ auſpicio reliqui videant, quid in tam periculoſo bello opus ſit facto. Iam verò ſi veteres ſcuta, thoraces, nauium roſtra, arcus, ſagittas, aliaq́ id genus fortitudinis inſtrumenta templis conſecrauerunt, quid prohibet etiam T. M. veluti viuo templo hoc opuſculum, tanquam militare Enchiridion dedicare. Oblaturus eram præſtantiora, ſi tuliſſet hoc vel facultas mea, vel digniora T. M. potuiſſent offerri. Quid enim nobilius, quid præſtantius literis, quæ ſola immortales ſunt, & ſublimi feriunt ſydera vertice. Sis felix, Illuſtriſſ. Princeps, & animi noſtri erga T. M. promptitudinem, clementer ac placidè ſuſcipito. Argentorati Octaua menſis Martii, Anno 1533.

P. CALLIMACHI EXPERIENTIS VITA EX LIBRO IOANNIS TRITHEmii de Scriptoribus Eccleſiaſticis.

PHILIPPVS Callimachus natione Italus, patria Florentinus, Regis Poloniæ Secretarius, vndecunque doctiſſ. Philoſophus clarus, Orator facundus & Poeta inſignis, ac diuinarum Scripturarum non ignarus, ingenio præſtans, & diſertus Eloquio. Fertur multa præclara cudiſſe Opuſcula, quibus memoriam ſui poſteris reliquit. De quarum numero ſubiecta ſeruntur.

Opus inſigne de geſtis Attilæ Regis impii quod 1. prænotauit Attilam. lib. 1.
Hiſtoria Polonica contra Turcum. lib. 1.
De moribus Tartarorum. lib. 1.
Amorum diuerſo metro. lib. 1.

Et alia complura. Viuit vſq; hodie apud Regem Poloniæ maximo in pretio, & varia conſcribit ſub Maximiliano Romanorum Rege, Anno domini quo hæc ſcripſimus, 1490. Indictione duodecima.

EX LIBRO VII. R. VOLATERRANI.

VLTRA Viſtulam Maſouiæ ducatus Podolia regio & Drauaniza fluuius, ab eis dictus; Maſouiam à Lituania deducens ad Polonos pertinentes. Et Gueſnenſis & Poſnanenſis vrbes in ſacro Codice conſcriptæ. Ad hos Callimachus Geminianenſis meus familiaris penetrauit, vbi & literis, & ingenii ſolertia ex paupere diues magnoperè factus, apud eos Reges, quibus erat dilectus, ante hos annos deceſſit.

Hæc Volaterranus.

AD INNO-

131

AD INNOCENTIVM VIII. PONTIFICEM MAXIMVM GENVA ORTVM, oriundumque, de bello Turcis inferendo, Philippi Callimachi Experientis

ORATIO.

SI aut hunc locum ampliſſimum, quem Deus immortalis humano generi aditum ad beatitudinem eſſe voluit, vacare oporteret: dum quantum mortalis alicuius ingenium oſtentare ſe poſſet, iactandis laudibus, quæ ex rebus terrenis & caducis magis apparent, quàm verè ſint: aut ſi virtutis & meritorum tuorum teſtimonium aliud grauius, ſanctius illuſtrius eſſe, vel poſſet, vel deberet, quàm huius ſacroſancti Cardinalium Collegii, à quo inter tot probitatis, religionis, ſanctimoniæ, præclara lumina & ornamenta, tu potiſſimè electus, cui diuinorum omnium in terris ius & arbitrium rectè committeretur, maxima mihi ſuppeditaret copia efferendi ornandiq; tui, omni eo genere laudum, quæ à ſummi hominis dignitate, ſummoq; humanæ felicitatis culmine proficiſcuntur. Sed quoniam importunum videtur, & abhorrens huc, vnde ad diuina & æterna iter Deus patefecit, mortalium & mox periturorum afferre mentionem. Nec quicquam dici, excogitarive poteſt, quod ad merita tua efferenda, non minus ſit efficax, quàm iudicium de te factum ab his diuinarum rerum arbitris & immortalis Dei, Conſiliariis: non committam vt oblitus appaream, vbi & poſt qualem de te, & à quibus latam ſententiam, verba ſunt mihi facienda, omiſſaque tota ea orationis parte, quæ ab aliis adhiberi conſueuit enumerandis extollendiſq; virtutibus ac meritis eorum, quos (vt tu nuper) ad ſummi Dei prope æquale faſtigium ac maieſtatem ſublatos, veneraturi aliquando acceſſère, quantum vel ingenio, quod haud ſanè in me magnum eſſe conſtat, vel humanarum rerum experimento, a quo non mediocriter exercitus, conſequi potero, ea tantummodò explicare conabor, quibus in verum ad ſupernam ciuitatem iter, aut agendo, aut reducendo populum Dei, vocatione hac tua, Chriſtianis rebus ſuprà, quàm dici queat, fœlici, multò fœlicior futura ſit pontificatus adminiſtratio, cuius partes, admonitu ſaluatoris noſtri, qui non ſolùm vocandos conuiuas, ſed etiam compellendos cenſuit, ego, quantum pertinet ad præſentem actionem, duas omnino eſſe dixerim: alteram, quæ in perſuadendo conſtituitur, alteram in viribus. Sed cùm ſupra ordinem, ſupraq; authoritatem ſit, diſſerere de diuinis, id totum, quod poſitum eſt in perſuaſione, illis relinquo, quos à Deo in vniuerſam terram miſſos, Spiritus paracletus ſublimes agit, eorumque mentem ſimul & verba æquat, cœleſtibus atq; immortalibus explicandis. De reliqua autem parte, in qua vires deſiderantur, non ideò dicam, quia id commodiſſimè à me fieri poſſe exiſtimem, ſed quia circum terras & maria omnia, diu multumque, modò æqua, modò iniqua fortuna iactatus, ſi ea, quæ de facilitate rei Chriſtianæ in integrum reſtituendæ, aut vidi, aut aliter quomodocunq; percepi, reticerem, videri queam talentum mihi creditum ceu nequam ſeruus in terra occuluiſſe. Et tu, vel propter irritos conatus eorum, qui non multò ante te ſedere ad gubernacula nauigii, quod in æternæ beatitudinis portum fideles perlaturum ſcimus: vel propter implacabiles diſcordias, quibus Chriſtiani populi membra inter ſe tumultuantur & pugnant: vel propter ſuſceptam iampridem vulgo perſuaſionem magnitudinis virium aduerſariorum, deſperatis bene gerendæ rei facul-

tatibus, poſſis fortaſſe magnum licet & ſublimem animum tuum ſubmittere, & contentus ceu per manus traditarum tibi ouium numerum conſeruaſſe, non tam contemnere, quàm non audere, reſtituti atque aucti gregis decus tibi polliceri. Diuiſio 1. Itaq; planum fiet à me priùs, ordinem potius quàm vires defuiſſe Pont. Max. ſi qui paulò ante amplitudinem ac maieſtatem ſuam, religioni noſtræ reddere inſtituerunt. 2. Deinde dicetur, quid Chriſtianorum Principum concordia in 3. vtranque partem momenti afferre potuerit aut poſſit. Poſtremò, vbi quanta ſit aduerſariorum potentia, demonſtrauero, conficiendæ rei facultatem, ſimul & facilitatem explicabo. Quæ dum ſingula diſcutio, non improbè forſan ſperauerim, me benignè audiendum, non quia maximè ſpecioſa poſſim dicere, ſed quia Sanctiſs. huius ſedis maximè intereſt, mentes ſimul & cogitationes veſtras, in ea, de quibus dicturus ſim, intendi, vt amplitudo ipſius & dignitas, ſi fieri poſſit, ad priſtinum faſtigium attollatur. Dicendum eſt autem in primis de modo atque ordine, quem pro opportunitate vel inferendi, vel propulſandi periculi, in actione, de qua loquimur, parum hactenus ſeruatum eſſe propoſui. Etſi intelligo, quàm audax & propè impudens promiſſu, & quam difficile factu ſit, velle oſtendere expediendis rationibus, quibus ſacroſancta, & iuxta Dei immortalis authoritatem ampliſſima Romanæ Eccleſiæ Monarchia in integrum reſtitueretur, conſilium defuiſſe Pontificibus Maximis, de quorum virtute ac ſapientia, Deum ſimul atque homines conſenſiſſe apparet. Quandoquidem nec Deus videri poteſt temerè, ac ſine ſummæ virtutis ſingularisque ſapientiæ delectu permiſiſſe, vt cuiuſpiam arbitrio committeretur, ſalus populi à ſe tanti exiſtimati, vt dum beatum illum efficeret à beatitudine ſua, ſibi interim deſciſcendum putauerit. Nec credibile eſt, homines de adminiſtratione, qua immortalitatis ſuæ iura & myſteria continentur, credidiſſe, niſi illis, qui propter ſingularem diuinamque aliquam rerum omnium cognitionem ac prudentiam digniſſimi eſſent, vt de ſumma humani generis fœlicitate ius & authoritas ab immortali Deo ad ipſos transferretur. Sed quis non æquiſſimis auribus accipiat, ſi dixero, ſublatos eò magnitudinis, vt plus quàm ſibi, ne diuinæ quidem æquitati in homines licere, intuerentur, dum terras mariaque, & cuncta, quæ in iis ſunt, contemplantur, & nihil ſeipſis aut maius, aut ſanctius in omni humana natura conſpiciunt, abiectoque velut obſequio carnis & ſocietate, vt oculorum, ſic mentis aciem in Deum conuerſam tenent, quo ſemper dignum aliquid tanto ſibi munere commiſſo cogitarent ac facerent, cuſtodiendis conſeruandisque religionibus, obeundis tradendisque ceremoniis, quibus ſacrificia & diuini cultus tum propitiationes, cœlo hominibus patefaciendo, ſuum decus & pietatem retinerent, non acerrimè cogitationes à magnificentia tantarum tamq; ſublimium rerum in humiliora hæc, & pari ac cœlum & terram interuallo inter ſe diſtantia deflexiſſe. Quis enim cœleſtia ſimul & terrena, non dicam curare, ſed cogitatione atque animo omnium capaciſſimo complecti queat, præter diuinam illam prouidentiam, quæ velut humanum corpus rationis vigor ac nutus agitat, ſimul & gubernat, ita numine ac vi ſua omnem pariter naturam moderatur ac tuetur. Nequaquam tamen dixerim, humanæ imbecillitati condonandum, ſi quid aut cogitationibus ſuis inferius, aut à profeſſione velut abhorrens, aut à quibus intendebant ſeiunctiùs, quàm ſub eundem mentis intuitum venire poſſet, vel prætermiſſum, vel non rectiſſimè ex natura ſua extimatum ſit, à prioribus Pont. Max. ſiue inter expendendam muneris ſui magnitudinem, ſiue inter ſtatuendum, quantum cuiuſque meritis, vel iratus foret, vel propitius Deus: ſiue deniq; excogitandum ſtabiliendumve leges & præcepta, quæ improbos caſtigarent, bonos tuerentur, afflictos releuarent, ad extremum, omnes ad decus atq; honeſtatem hortarentur, à turpitudine autem & flagitio reuocarent. Quæ ſingula tanti ſunt, vt minimè mirandum queat videri, vel vnum aliquid eorum, omneis vnius hominis cogitationes à cæteris quibuſcunque in ſe auerſas occupare potuiſſe. Nedum non æquiſſimo ferendum animo, tot ſimul tantisque ac tam prope ad diuinæ prouidentiæ munus claris

curis

curis humanum aliquod ingenium non ſuffeciſſe. Sed neq; phas eſt, neq; ego aſſeruerim, reliquæ mortalitatis communi modo & menſura exiſtimandos, ceremoniarum antiſtites, ſacrorum autores, religionum magiſtros, templorum denique omnium præſides ac cuſtodes. Fuit, fuit in illis ingenium, ſapientia, virtus, quibus crediti ſibi muneris amplitudinem ſuſtinerēt. Quantumcunq; à ſummi Dei prouidētia & numine abfuére, tantùm ſolertiā, vim, atq; acumen humanæ rationis anteceſſēre. Atq; ideò nō ſic agam, quaſi parū prouiderint, ſed tanquam nimis multa conſiderauerint. Non quaſi eorum cœptis inopia conſilii, ſed tanquam abundantia cautionis obſtiterit. Deniq; nō quaſi aut negligentia, aut ignoratione agendorum vnum aliquod, cogitationes eorum fefellerit, ſed tanquam ſtudio & cura immodica, ſimul omnia moliendi, omnia prætermiſerint. Videbant enim in ea ſe verſari deliberatione, quæ maiora & ſanctiora multò complecteretur, quàm ſit hominum vel vita vel libertas. Quæ duo cùm maxima ſint & habeantur, collata tamen ad religionem nihil in ſe magni habere liquet: vel quia non minus ferarum ſunt, quàm hominis, vel quia in vniuerſum pendent in fortuna. Religio autem in animis mortalium extra fortunæ arbitrium ſepoſita, & propria eſt hominis, & vel ſola illum diſtinguens à pecudibus, non modò coniungit Deo, ſed quadam etiam prope æqualitate beatitudinis atq; immortalitatis, illi ſimilimum reddit. Itaq; cùm ea foret in diſcrimen adducenda, nihil quod equidem ad tātæ rei incolumitatem facere videretur ſatis, cautum ſatis atq; prouiſum arbitrabantur. Et dum reputant animo, ad hominum vſum cæteras res omneis, quæcunq; cœlo, terra, mari continentur, eſſe procreatas, homines autem formatos à Deo propter ſe, vt foret qui eius magnitudinem agnoſceret, bonitatem coleret, prouidentiam admiraretur, nihil temerè aut præproperè agendum intelligebant, propter quod aut homines ab æternę felicitatis itinere recto auerti poſſent, aut Deus cultu ſuo & venerationi deſtitui. Sapienter illi quidem atque ex grauitate, quæ ab iſta ſancta ſede exigitur, qui niſi timidè ac diffidenter in diſcrimen protrahendum putauere populum creatum, vt angelorum ſedes poſſideat, numerum compleat, ſolitudinem frequentet, denique vt diuinæ beatitudinis particeps, gloriæ teſtis, æternitatis ſocius perſeueret. Quis enim ſciens, quo conſilio Deus, humana ex ſeruitute populum ſuum eduxit, qua clementia ſeruauit in mari, nutriuit in deſerto, qua ſedulitate ad pietatem inſtituit atq; erudiuit, qua liberalitate ipſius labores compenſauit, & tandem quo pretio à ſqualore ac tenebris æternæ mortis redemit, non hæſitet, non horreat, non contremiſcat, cùm ſibi id diſcrimen ſentiat adeundum, à quo tam diligens, & perpetua Dei cura, & tam propenſa in populum ſuum charitas, in irritum conuerti queat? Licuerit itaque illis in re tanta & tam ancipiti per omnia diſcurrere, omnia implorare, omnia conari, in quibus aliquod momentum fore, ad id quod intendebant arbitrabantur. Et dum non quantum oportebat, ſed quantum metuebant, moliuntur, in ipſo conatu defeciſſe. Quòd ſi non tam eius, de quo fuerat decertandum, quam certaminis magnitudinem expendiſſent, facilè id, quod te facturum arbitror, ab Europæ ceruicibus impiorum iugum excuſſiſſent. Nec enim aduerſariorum vires, de quibus paulò pòſt dicam, tales aut ſunt, aut fuére aliquando, vt totius rei Chriſtianæ opibus occurri eis oportuerit. Neque adeò in animis fidelium refrixit pietas & religio, quòd pro rei bene gerendæ opportunitate non ſatis multi fuerint ſemper affuturi, ſi priores Pontifices Maximi, vires non ad opinionem ſuam, ſed ad belli neceſſitatem comparare inſtituiſſent. Sed dum plus quàm ſatis ſit, proſpiciunt, metuunt, cauent, dum conſultant, & ſingula metiuntur, ac minora ducunt, quam vt ſubſtinerent eam belli molem, quam animis ſuis præfigurabant, vel in ipſo aggrediendæ rei aditu, vel in cogitatione, prius quam, quo inſtituerant apparatu, ſe mouerent, defecére. Solus, quod cum bona cæterorum venia dixiſſe liceat, ſolus, inquam, Pius ſecundus, neque plus quàm oportebat, metuit, neque plus fuerat auſurus, ſi Deus immortalis, aut illius effœtis iam viribus non pepercisset, aut quam ille prærepturus erat palmam, tibi non reſeruaſſet. Conatus tamen atque inſtitutum ſuum omnium eſt laude

Commendatio Pii Papæ.

ac fauore proſequendum. Nihil enim in eo non mirabili quadam & ſingulari prudentia conſtitutum. Nihil non ſummo ac prope diuino ingenio adminiſtratum. Nihil denique non maximo ac præſentiſſimo animo ſuſceptum. Fuit enim, quod omnes ſcimus, in ipſo acumen ingenii à natura ſingulare, quod poſtea egregia doctrina, & maximarum rerum in omni vita experimentum, eo magnitudinis propagauerat, vt omnia poſſet, omnia auderet, omnia perficeret. Facilè itaque proſpexit veram gerendæ rei rationem, & proſpectam ita exequebatur, vt non plures in bellum educeret, quàm ſatis foret ad conſequendam victoriam. Cæteri, vt qui non ſuas, non hoſtium vires, non cogendi, alendi, conſeruandi exercitus facultates, non locorum interualla, non terræ, non maris diſcrimina, ſed id tantummodò, pro quo metuebant, conſiderarent, neque ordinem, neque modum conſiliis ſuis expediendis adhibere potuerunt. Atqui tota, non modò gerendi, verùm etiam conficiendi belli ratio in eo conſiſtit, vt nihil omnino ſupra, quàm rerum, temporum, locorum natura vel poſtulat, vel latura ſit, moliamur. Qua conſideratione omiſſa, nihil, quod quidem efficax futurum ſit in bellicis actionibus, vel aggredi, vel tractari, vel denique expediri poteſt. At ſi neque in timendo, neque in moliendo modum exceſſiſſent, ſed neque in ſuperuacua omnium potentiarum coitione, inanem operam impendiſſent, ſatis profectò fuit ſemper, & nunc eſt virium, facultatumque, ad eum hoſtem exterminandum, qui aliena magis opinione, quàm ſuis viribus, tam diu iam non ſolùm oppugnat impunè Ciuitatem Dei, ſed in illius etiam parte maxima & florentiſſima, capta ab ſe & poſſeſſa, per calamitatem & dedecus religionis noſtræ, immaniſſimam tyrannidem exercet. Sed quoniam nihil æquè illos abduxit, à vera via expediendi, quod intendebant, quàm cogitatio & cura pacandi inter ſe Chriſtianas opes: ſequitur id, quod ſecundo loco me facturum propoſui, vt de ea re quædam pro temporis & loci opportunitate explicentur. Non negauerim ſanè magnum ac præcipuum quoddam fundamentum, ſeu potius vim totam & rationem noſtræ religionis conſeruandæ in eo conſiſtere, vt Chriſtianorum omnium Principum ac Regum conſilia & facultates mutuò inter ſe quadam germana & velut indiſſolubili charitate conſentiant: idq; eſſe ordinis, auctoritatis, profeſſionis tuæ munus & proprium & legitimum. Sed vt nihil aut firmiùs, aut efficaciùs ad eam rem dici excogitari ve poſſet, ita nihil factu eſt difficiliùs. Quis enim ceu diuinus intellectus, qui quomodo tam diſpares, atque adeò inter ſe diſcordantes naturas conſociaret, pariter & connecteret, adinuenit? vt hanc, quam intuemur admiramurq; pulchritudinem ac ſoliditatem mundo cùm crearuit, attribueret. Ita voluntates tam multorum Regum, Principum, nationum, gentium, ac populorum habitu, lingua, moribus, inſtitutis non minus inter ſe, quàm locis diſtantium ſimul conciliauerit, vt idem omnes ſentiant, cupiant, agant. Licet enim nihil ſit de quo ſæpiùs cogitare, diligentiùs agere, pertinaciùs contendere debeamus, quam de immortalitatis noſtræ ratione ac myſterio, & religionis vis quædam & tacitus conſenſus Chriſtianorum omnium mentes impleat ac poſſideat, quaſi diuinum numen per vniuerſam naturam infuſum, exindeq; facilitas ſimul & opportunitas appareat conciliandis voluntatibus ad eam rem paribus omnium viribus defendendam, de qua par ſit apud omnes ſtudium & cogitatio: tamen neſcio, quod ſine inuidia dictum velim, quomodo plura quotidie & ſublimiora intelligentes, ſimul & tradentes de religione, ad eius tamen opera exequenda non adeò videntur alacres & prompti, ac fuêre maiores noſtri, in priſco illo & rudi fidei conſenſu. Sed neque ob id, quod propter eundem bonorum ac malorum finem Chriſtianis in vniuerſum propoſitum, ex æquo omnes periculum vrgere apparet, credi oportet, facilè omnes ad pariter reſiſtendum acceſſuros. Nam vtcunque publicè tantundem Chriſtianorum omnium intereſſe videatur, religionem noſtram ſaluam eſſe: quia tamen non eiſdem humani ac diuini iuris vinculis inter ſe omnes continentur, multæque multorum priuatæ rationes, aliæ alios in diuerſum

Concluſio primi diuiſionis membri.

Secundum diuiſionis membrum.

Quòd concordia factu difficilis.

diuerſum trahunt, non modò difficile, verùm etiam impoſſibile eſt, quòd ad vnam aliquam conſeruandæ religionis actionem, ſimul vniuerſorum conſilia & vires acclinentur & conſentiant. Non enim vt in re humana, ex magnitudine publica priuatim cuique ſplendor, opes, authoritas accumulatur: ita & in diuinis decus, magnitudo, dignitas, ſingulorum, ex publica religionis amplitudine conſiſtit. Sed quiſque priuatim ſibi formatur, ſibi creſcit, ſibi decus parit & dignitatem. Nec à religionis illuſtratur maieſtate, ſed illam virtute ſua, ſanctimonia, probitate maximè illuſtrat & tuetur. Quæ dum ſubeunt eorum mentes, qui ſimul ad rem gerendam ſunt conciliandi, non facilè ſinunt, vt Chriſtianæ Reipublicæ defenſio, eadem concordia ſuſcipiatur, qua defenditur à ſuis vna aliqua ciuitas, in qua, niſi et incolumitate publicarum rationum, priuatim nemo non modò eminere, ſed nec quidem eſſe poteſt. Id ſanè maximum, & ad communicandas defenſionis partes vehementiſſimum, quòd potentiarum omnium quocunque nomine appellentur, maieſtas & faſtigium, mutuo quodam veluti fulcimento inter ſe ſubſtinentur ac ſuſtinent, a quo ſi parum, ceu conniuentes recedant, tanquam contigua & ſimul connexa ædificia, ab vnius incendio periclitantur omnia, & ſi non ſuccurritur, abſumuntur. Ita propagatione quadam vehementiæ, cùm, quod impellit, ſemper multiplicetur, & creſcat vnius alicuius potentiæ ruina, labefactantur reliquæ, ac demum obruuntur. Quæ diſcriminis ſocietas iure ac meritò excitatura omneis videtur, ad mutuam communemque defenſionem. Sed vt cantus conſiſtit quodam temperamento & menſura diuerſarum vocum, quarum ſine totius diſcrepantia, nullam ne tantillum quidem poſſis, aut eleuare, aut deprimere, niſi & reliquas correſpondentis numeri, dimenſione moderceris. Nec ad harmoniam facit neruorum ad communem pulſum reſonantia, ſed cuiuſuis nerui certa vel intenſio, vel remiſſio. Sic in ea, quam dixi, potentiarum alterius ex altera dependentia. Ineſt quidem neceſſitas conſeruandi ac ſubſtinendi ſe mutuò, cæterùm non minùs cuiuſque intereſt, quo in ſtatu reliquæ conſeruentur, ne ſi vna aliqua paululum vel depreſſa fuerit, vel ſublata, temperamentum illud, quo omnes conſeruantur, corrumpatur. Quamobrem quis eſt, qui aut inuenire, aut poſtquam inuenit, perſuadere queat, quo pacto vel gerendis rebus, vel victoria perfruenda, nemo quicquam ad ſe pertinere putet? Vel quod belli præmium, qua vel ratione expetatur? vel quibus in locis, & quo ſit cum hoſte congrediendum, quandoquidem alii mari, alii verò terra ſunt potentiores, omneſque diuerſa ratione: quippe quod propter nauigiorum velo, aut remis agendorum varietatem, non pauciora pugnarum genera in mari verſantur, quàm in terra, vbi nonnulli equitatu, nonnulli peditibus, quidam ex inſidiis, multi in aperto, tum meliùs, tum acriùs pugnant. Et vt omittam inæqualitatem diſcriminum, ſi vinci contingeret, quæ humana ratio, ſeu potius quis diuinus intellectus credi poteſt, ſic inter omnes victoriæ fructum diſpenſaturus, vt nihil cuiquam accreſcat, ex quo periculum reliquis ſubinde immineat? Diſtrahuntur his cogitationibus animi, & quiſque rebus ſuis magis quàm alienis intentus, mauult ſolus per diſcordiam, ceu priuatim, tutus eſſe, quàm in concordia cum omnibus periclitari. Et vt vera ſalutariaque ſint, quæ de religionis neceſſitate, inter Chriſtianos vbique prædicantur, non tamen in animos deſcendunt, obſeratis iampridem prope omnium auribus, vel timore amittendi ſua, vel cupiditate retinendi aliena, perſeueraturque vltrò in ea diſcordia, quam quiſque cogitat ſibi opportunam. Sed vt cæteris in nationibus & gentibus, aut conſilio, aut neceſſitate humana, eam rerumque & animorum diſſenſionem retineri, ita fatale malum Italiæ eſſe crediderim. Si enim terra omnium terrarum potentiſſima, maximeque excellens, armis, equis, viris, & in qua, id quod longè his maius ac præſtabilius, homines ingenio, virtute, ratione, propè ad cœleſtes intelligentias accedunt, concors in ſe eſſet & conſenticns, omitto quòd nullis humanarum rerum terminis contineri poſſet,

Simile.

Italiæ diſcordia.

Italorum cõmendatio.

quòd nihil vſquam magnitudini ac dignitati ſuæ ſatis eſſe arbitraretur, quòd vbique omnia in terris vexaret, aggrederetur, expugnaret, cœlum ipſum minimè intentatum relinqueret. Et profectò in tanta ingeniorum, artium, machinationum ſubtilitate ac ratione; ſuſpicari queat, ſi per ocium liceret & ſecuritatem, inuenturam, quomodo mortalitati illuc aſcenſum pateſaceret, eamq; ob rem adeò immenſis opportuniſq; facultatibus moliendi atque efficiendi, adeò ingenti ſubtilitati, cogitandi & aſſequendi, ſupra vires, ſupra humanum intellectum inſitam eſſe à natura diſcordiam, non illam quidem acerbiſſimam & cruentam, vt ſe mutuo implacabilibus armis atque odio conficerent, ſed tractabilem, ac prope nihil vltra, quàm de humanis ciuiliter ſolicitam, ne quid, quod ſupra mortalitatem eſſet, vel agi, vel inueniri in quiete ac pace contingeret. Sed eſto, ſit in promptu ratio & temperamentum, componendis ſimul tam diuerſis opportunitatibus rerum atque hominum. Sit idem in nobis, qui in maioribus noſtris religionis ardor atque cura, ſit cuiuſque animo penitus infixum, ſua minimè ab aliorum Chriſtianorum commodis ſeparari poſſe, & diuiſim quenque totum ex religionis maieſtate pendere: præterea, ſublato reſpectu alicuius potentiæ in aliorum perniciem agendæ: conſtet de æqualitate laborum ſimul & præmiorum gerendis rebus: nulla denique vel humana vel diuina neceſſitas, conciliandis ſimul Chriſtianorum omnium animis & voluntatibus aduerſetur, multa tamen adhuc vi & natura ſua inexplicabilia ſupererunt. Quomodo enim conſtabit, quo quiſque tempore mouere debeat? Si enim id, quod maximè neceſſarium videtur, ſimul omneis in vere producendi, ante omnia propter locorum diſtantiam, cogentur plærique in ipſo rigore hyemis iter facere, tantaque hominum ſimul & iumentorum vexatione conuenire, vt gerendo ſubinde bello, nullum in ſe momentum videantur habituri. Sed perſuadeamus nobis id, quod ego nõ ſolùm nõ impugno, verùm etiam conſtantiſſimè aſſeuero, Deum affuturum religionis cauſæ, piosque ſuorum conatus per aſpera omnia & difficilia expediturum: concedamus tantùm maris, tam proceloſi, tam variè inſulis, vadis, ſcopulis implicitũ, feliciter difficiliori anni tempeſtate, enauigaturos vel Noruegios, Dacos, Suecios, ab Glaciali vſque Oceano, vel Britannos ex altero pene orbe, Hiſpanos autem à Gadibus, vltimisq; terrarum marginibus emenſos tot flumina, montes, ſaltus, præter naturales gurgitum, cautium, ſolitudinum difficultates, etiam glacie ac niuibus impeditos, tam integris viribus atque animis, quam volumus peruenturos aliquando quocunque aduocabuntur. Eadem ſtet de Gallis ac Germanis perſuaſio, nihil aut inſuperabile, aut inuium conuenturis obſiſtat. Quæ demum regio tantæ multitudini commodè accipiendæ aſſignabitur, quibus itineribus poſtea progredi? quo ab commeatu poſſe exiſtimamus? quam denique rationem alicuius ordinis aut diſciplinæ militaris ſperare audemus, in tam varia & multiplici cogitationum, ſtudiorum, linguarum, ac morum diuerſitate? Quòd ſi diuiſis copiis, hæc omnia induſtria, conſilio, virtute, authoritate Ducum, facilè expediri poſſe dicantur, illud certè non modò difficile, verùm etiam impoſſibile videtur, inter tot Principes ac Reges, genere, magnitudine animi, virtute, rebus geſtis clariſſimos, neminem fore omnino, qui ad alium quempiam ſummam rerum abs ſe transferri minimè iniquè ferat. Non enim ſi in pace atque otio quidam dignitatum atque honorum gradus obſeruantur, credere oportet, in bello etiam & gerendis rebus, eundem ordinem valiturum. Vt enim quiſque ad militiæ labores impiger, ad pericula fortis, ad diſciplinam peritus, ad conſilia prudens, ad fortunam felix, ita maximè & vult & debet in bello eminere, vbi nulla aut opum, aut dignitatis, aut potentiæ exiſtimatio, ſed animi tantummodò ſpectantur, muneribus obeundis, induſtria & ſolertia, indignanturque fortes atque impigri ſui non ſimilimis parere. Ceu enim felicitas humana habet natura ſua elatum in ſe quiddam atque inſolens, ita etiam virtus contumax eſt, Nec facilè flectitur, vt deterioris imperium patiatur. Ex quibus colligitur ſuperuacuam curam ſibi aſſumpſiſſe, qui de conciliandis ſimul Chriſtianis omnibus aliquan-

Diſcordia à natura. — *Noruegii. Daci. Sueci. Britanni. Hiſpani.* — *Galli. Germani.* — *Similitudo.*

aliquando agitauere, ſeu, quia tot pariter animorum ac rerum omnium diſcrepantias impoſſibile concordare, ſeu, quia ratio explicari non poteſt, quibus demum facultatibus, aut ſubſtineri, aut tractari concordes queant. Melius itaq;, qui aut cum paucis, aut ſoli actionem, de qua loquimur, ſuſcepere. Cuius rei, vt vetuſtiora omittam, locupletiſſimus teſtis eſt, tua inclita ciuitas. Quippe, quod nullis externis auxiliis ſuffulta, ſuis opibus, ſuis viribus, ſuis auſpiciis, ſua deniq; virtute, conſilio, magnitudine animi, vbiq; in toto orbe, maximas res, vt ſplendidiſſimas, non minus fœliciter, quam fortiter, ſæpe geſſit, pro religione noſtra, vel conſeruanda, vel augenda. Nec eſt vſpiam regnum aliquod, aut Reſpublica, de qua plura & maiora in hanc ſententiam commemorari queant, vel terra vel mari geſta, præter hanc vrbem ad omne genus magnitudinis, excellentiæ, dignitatis à natura productam. Quæ tamen ipſa, neq; adeo atq; tua ciuitas, longè colonias à ſe miſit, neq; præter bella de imperio & gloria geſta tã latè religionis cauſa, pro ſacris, pro templis, pro numinibus ſuis arma circumtulit. Quandoquidem quo Romanorum nomine tantummodo peruenit. Maiores tui ad Tanaim vſq;, florentiſſimis coloniis imperium ſuum propaganere. Nec eſt aliquod genus hominum, Chriſtianis infenſum rebus in Africa, in Aſia, in Europa, cum quo non ſolùm de amplitudine ſua, ſed de profeſſionis noſtræ iure atq; autoritate conſeruanda ſolliciti non ſæpius decertauerint. Verum huius aut temporis, aut actionis, non eſt illorum bella, victorias, triumphos enumerare, nec eam ob rem mẽtio hæc illata, ſed vt planum fieret, non magnopere laborandum de vniuerſali Chriſtianorum concordia, ad id bellum inſtruendum, quod vna ciuitas cũ voluit adornauit, geſſit, confecit. Poſſem ad hęc, licet non adeo præclara & magna, tamen multa & egregia eiuſdem generis recẽſere de Piſarum vrbe, qua quidem ſanè neſcio, an ſit aliqua in Italia anguſtior ſpacio, & circuitu ſuo, cum poſſet ampliſſimæ cuiq; cõparari gloria rerũ geſtarum, captis aliquãdo Hieroſolymis, recuperataq; ea omni regione, in qua ſalutis atq; immortalitatis noſtræ omnia ſunt orta & cõfirmata myſteria. Nec deeſſent, ſi cuncta quæ vobis ac mihi nota ſunt, repetere attineret, & aliarum etiam vrbium, tum Principum magnorum ac Regum exempla, quibus colligeretur, neq; eam, quæ inter Chriſtianos eſt, diſcordiam obfuiſſe aliquando Religionis defenſioni, cum vna aliqua potentia, vel paucæ ſimul eam ſuſcipere voluere. Neq; aut melius, aut efficacius rem geri à Chriſtianis poſſe, quam ſi abiecta cura conciliandi vniuerſos, illi tantummodo aduocentur, qui ad bellum facilè conuenire, commodè produci, diu perſeuerare, ac fortiſſimè pugnare poſſint & velint. Sed planius hæc propemodum liquẽt, quàm aut longiori oratione, aut pluribus exemplis ſint confirmanda. Atq; adeo à noſtris tranſeo ad vires aduerſariorum, quos merito quidem ac iure timeri poſſe apparet, cum ſint locis inenarrabiles, multitudine infiniti, diuitiarum fama nulli Chriſtianorum Principum comparandi: non tamen prout quiſq; inter eos his omnibus eminere videtur, ita etiam ordine de ſingulis diſputabo. Vtcunq; enim regionibus ac ſitu non minus inter ſe, quam orbis terrarum diuerſiſſimæ partes, ad ortum ſolis, ad occaſum, ad meridiem, ad ſeptentrionem diſperſi ac ſeparati innumerabilibus populis habitabilem ferè vniuerſam terram frequentent, eodem tamen & armorum & militaris diſciplinæ genere propemodum omnes vti non ignoramus. Et quicquid, quod quidem rem bellicam contingat, præter multitudinem de vno aliquo memoratur, ad alios quoq; facilè transferri poteſt. Eamq; ob rem ſatis conſtabit, quid de reliquis eiuſdem notæ hoſtibus intelligi oporteat, ſi de Turco dixero, à quo oppugnandorum aliorum non initium ſolùm verumetiam opportunitas videtur capienda, & quem imperii rerum geſtarum, opum vulgata magnitudo, præterea vicinitas, longè ante omnes metuendum, minimeq; ſuperabilem iampridem ferè omnibus perſuaſere. Nec ſanè præter cauſam, quando quidem conſtat eum multa ſimul regna poſſidere, cum quorum ſingulis, Romana olim potentiſſima Reſpublica diu ancipiterq; luctata, non prius in poteſtatem ſuam redegit, quàm conficiendis bellis deſtinauit illuc, inuſitata & noua conſilii ratione, Imperatores ac Legatos, qui eſſent ex-

Quod concordia ſuperuacua.

Genua.

Piſarum Vrbs.

Concluſio.

Vires & facultas hoſtium.

cellentia virtutis, ſingularitate prudentiæ, magnitudine animi, authoritate rerum geſtarum, omnium florentiſſimi. Et ſanè ſi ea quæ commemorantur fuiſſe aliquando, eſſet & nunc vrbium, populorum, nationum multitudo in Ponto & Bithinia, in Capadocia, in Armenia, in Troade, in Pamphilia, in Cilicia, & vt trans Helleſpontum ſimul omnia breuiter complectar, in toto eo tractu, qui à Colchide ad Syriam cis Euphraten continetur. Præterea in Thracia, Macedonia, Miſia, Achaia, Peloponneſo, cæteriſq; regionibus, quæ ab illo in Europa poſſidentur. Nec ab re fuiſſet omninò eorum cogitatio & cura, qui vniuerſas Chriſtiani nominis vires, congregare contra illum inſtituerant. Neq; forſan eſſet nobis ab eo inſtituto, ſi perfici poſſet deſciſcendum. Sed non ex ea quæ olim fuit, ſed ex hac quæ nunc eſt rerum atque hominum conditione, quid Turcus omnino poſſit, quæve illius facultates, & quantum timeri oporteat, animaduertendũ. Prouinciarum enim & regnorũ, quæ modo nominaui, tanta vbiq; vaſtitas & ſolitudo, quod exinde rerum quas geſtas legimus, fides omnino iam periit, nedum magni alicuius belli, aut propulſandi ſpem, aut inferendi audaciam quantulamcunq;, poſſint excitare. Ac ſi quis, veluti nos paulo ante, ea loca perluſtrat oculis, quærit in Troade ac Phrygia, vel contra quos mille Græcorum naues, & tot Reges ac Duces maximè coniurauerant, vel qui totius Græciæ tantum conatum, & tanti belli molem in annum vſq; decimum extraxere. Nec veriſimile putat ſolertiſſimum Ducem Hannibalem credidiſſe illis in regionibus ac gentibus fore aliquid momenti, contra eam potentiam, cui ſe duce Carthaginenſium, florentiſſimas opes ſuccubuiſſe videant, miraturq;, quid aut in Ponto fuerit, quod niſi ab omnium bellorum, tunc victore Pompeio, pop. Rom. expugnari poſſe deſperaſſet, aut in Aſia, quod ſine Scipione tertiæ partis orbis domitore, frangi, debilitarique nequiret. Nam Romanam rem eſſe vnius alicuius anguli earum ſolitudinũ locupletatam, quilibet pro ridiculo aſpernatur. Iam vero Macedonum res, quas niſi fabulas exiſtimat, nullum in Macedonia videns, illius quæ olim fuiſſe commemoratur magnitudinis, monumẽtum, vt ſileam de feritate, ac numero Thracum in bellis, quorum ne veſtigium quidem aliquod in Thracia reperitur. Sed ne abutar patientia tua, omnibus quæ in hanc ſententiam dici poſſent, audiendis, tria ſunt ex quibus elici ſolet, quæ ſit potentia imperii alicuius, armorum atque hominum multitudo, diuitiæ, res geſtæ: quæ quidem pro locorum varietate, atque amplitudine fortaſſe apud alios quoſdam Chriſtiani nominis hoſtes, non vſquequaque contemnenda videantur. Sed qualia reuera ſint apud Turcum, inſpiciamus. Nam ſi ad opinionem referantur, omnia pro maximis habenda eſſe intelligo. Itaque de hominum copia licet ex mentione, quæ apud ſcriptores inuenitur, de celebritate vrbium populorumque frequentia illis in regionibus, de quibus modo loquebar, planum ſit tantam fuiſſe illic hominum multitudinem, tantam linguarum varietatem, quod in vno Ponticis, adiacentibusq; nationibus emporio, Dioſcuriadæ res 120. interpretibus gerebãtur. Conſtetq; Mitridatem, cuius regnum ſi ambitu & ſpacio ſuo cum imperio Turci conferatur, minima quædam particula inuenietur, 22. linguarum differẽtias, intra fines ſuos habuiſſe. Licet præter ea bella quæ Turcus geſſiſſe, aut gerere auditur, cum ſine maximis copiis, nec ſuſcipi, nec ſubſtineri, nec confici potuiſſe, aut poſſe videantur, ingentis alicuius multitudinis opinionem, in animis pene omnium ſuſcitent, tamen ſic habeto. In totius Aſiæ magna quidem illa, & Latinis ac Græcis literis iuxta celebrata portione, quam Turcus habet, in qua complectebatur olim non ſolum quam modo dixi gentium ac linguarum diuerſitas, ſed multa ſimul regna, maxima, potentiſſima, nec minus quam Pontus multitudine hominum ac varietate vrbium celeberrima, hodie nulli vſquam indiginæ, nulli priſci cultores inueniuntur, ſed per totum longè lateq; patens terrarum ſpacium tot vrbibus, tot populis, tot regnis prius inclytum, vnica Turcorum nunc lingua & natio diſperſa, quæ quam modica ſit atq; infrequens, facile ſit ex eo coniectari, quod ab tam exiguis obſcuriſque profecta originibus, vt in tanta nouitate propemodum ignoretur. Nec eſt ab Aſiæ prope ſolitudine multum diſpar ſtatus regionum, quæ Chriſtia-

Minor nunc quam olim populorum multitudo. Pontus. Bithinia. — Solitudo in Turcicis regionibus. — Callimachus in Græcia & Aſia. Troas. Phrygia. — Macedones. — Thraces. — Subdiuiſio. — Dioſcurias. Mitridates. — Turcorum natio.

Chriſtianis ademptæ ſunt in Europa. Nam præter peregrinos translatitios ex Aſia Turcos, haud ſanè multos reſpectu magnitudinis famæ, pauci omnino illic Græci, & longè pauciores Bulgari, nec maiori numero Boſſinenſes, Serui, Epyrotæ, omneſq; agricolationi, aut ſimili neceſſitati intenti, & in occaſionem paratiſſimi, ſi queant ab ſe iugum depellere ſeruitutis. Quod ſi ad probandam Turcorum paucitatem, primordiorum obſcuritas non ſatis efficax putatur, propterea quod maiora geſſiſſe videntur, quam quæ parua manu expediuntur, vt ſileam quod eorum nihil, aut armis ſuis, aut viribus efficere, & quod omnia debent partim perfidiæ, partim ignauiæ illorum quos viciſſe creduntur, repetamus animo, non ſtrages peſtilentiæ, quæ inter eos ſingulis annis, prope ad internitionem omnium graſſatur, non maximas clades vetuſtioris cuiuſquam belli, ſed recentiores & quas tantummodo noſtris temporibus accepere. Quæ planè docent, quod ſi non à tam modicis ac prope nullis initiis, ſed prout eſt in fabulis de Æaco & Cadmo, ſi vi aliqua cœleſti & numine, nec ſemel, aut ex formicis facti, aut ex terra orti, ſed quotidie fierent, vel orirentur, maiori etiam frequentia & copia, quã formicæ & fruges omnes, tamen tam ſæpè, tam multis in locis, tam ingentibus cladibus cæſos audiuimus, vt nihil omnino magnum de ipſorum numero credi iam oporteat. Vt enim prætercam res à Diuo Vladislao, Poloniæ atq; Hungariæ rege geſtas, quas in hiſtoria, quæ à nobis de illo ædita eſt, explicauimus, quæ adeo innumerabilis, adeo infinita multitudo, dici, fingi, excogitariue poteſt, quam non penitus exhauſerint crebræ ac maximæ victoriæ. Huniadiani, omnis memoriæ, omniumq; ætatum Ducis celeberrimi? Cui cum Hungariæ præeſſet, ne nomen Turcicum funditus deleret, ideo fata ſe oppoſuiſſe crediderim, vt eſſet, in quod inclyti filii ſui Mathiæ regis diuina virtus, incredibilis animi magnitudo, ſingularisq; & admiranda in rebus omnibus prouidentia ſimul & fœlicitas, vim ſuam & fortunam, Chriſtianis rebus conſeruandis, exerceret. Quod ſi quoties in Europa victi, fuſi, cæſi à magno etiam illo Epyrota Scandrabeo, nec à minori, aut viro, aut Imperatore Dracula Valacho. Præterea, ſi omnes Venetorum mari aut terra de Turcis partas victorias proſequi velim, quis eſt ſubinde crediturus, tam multis magniſque ſtragibus, vnum aliquem ſuperfuiſſe gerendis bellis in Aſia? vbi inire non eſt, quam multos paulo ante Vſoncaſſanus in Meſopotamia, & nuper Soltanus in Syria trucidauerit? præter abſumptos ferro, fame, ſiti, cæteriſque humanis neceſſitatibus, contra Carmanum in Cilicia, ſub Tauro, & ad Candelorum, vnde exangues & ſemimortuæ, copiarum reliquiæ, cum reportarentur, eram ego Conſtantinopoli, & puduit me Chriſtianam magnitudinem, eum ſibi hoſtem intolerabilem perſuaſiſſe, quem regionis paulo aſperioris, modica quædam incommoda fregiſſe, peneque ad internitionem mulctaſſe, videbam. Prætereo ſtrages in mari acceptas, & cum hominibus ſimul naues eorum non pauciores à piratis captas, quam ab illis, quibus cum bella geſſere, tum pene claſſes totas, vel rei maritimæ inſolentia atque inſcitia, vel tempeſtatibus abſumptas. Quid enim attinet maritimas afferre clades, extenuanda multitudine illorum, quos incredibile ſi penitus, tam multos in rerum natura fuiſſe, quam multi terreſtribus præliis interiere. Quippe quod tot in Europa, tot in Aſia cecidiſſe ſcimus, quod mutuo vtrinque fides prope abrogatur. Nec iam quærendum, quo ſint numero, ſed nunquid aliqui ſuperſint dubitandum. Etam in Aſia multò ante quam contra Soltanum infœliciter eſt pugnatum à Turcis, & iam tum illic, præter haud ſanè multos, pro locorum natura & magnitudine, agreſtes ac negociatores, tanta vbique hominum penuria, vt paſſim deſperaretur, reſiſti poſſe, ſi vt fama erat, Vſoncaſſanus tunc in Pontum & Bithiniam irrupiſſet. Quam ſolitudinem quantum ſubinde auctam credi oportet, poſt tot & tam maximas ſtrages, à Soltano acceptas, in quibus non ſolũ militare hominũ genus, ſed ex agris quantulacũq; fuit in militiã coacta multitudo & negociatores etiã periere. Vidi etiã longè antea, & nuper quoq;, quã inanis & vacua ſit Turcis Europa. Nã rei Valachicę reſtituẽdę cauſa & cõſeruãdę, à Sereniſſ. rege Polonię ad Turcũ legat*, maritima oĩa inferioris Miſiæ ac Thracię, dũ prętergredior, mediterranea

Græci. *Bulgari.* *Boſſinenſes.* *Serui.* *Epyrota.*

Cadmus.

Vladislaus Rex. *Hiſtoria Callimachi.*

Ingens ſtrages Turcorũ numeroſa caſus Huniadianus. *Mathias Rex.*

Scandrabeus. *Dracula.*

Vſoncaſſanus. *Soltanus.* *Carmanus.* *Candelorũ.*

Conſtantinopolis. *Callimachus Conſtantinopoli.*

Callimachus in Aſia.

Callimachus legatus ad Turcum.

verò ad Macedoniam vſq; & ſuperiorem Myſiam inter redeundum perluſtraui, nullus vſquam locus munitus, nulla vrbs, nullum oppidum ſic ſitum, vt eius conditores alicuius vnquam belli affuturi, vel minimam cogitationem videantur habuiſſe. Nec aliud rerum omnium vbiq; ſqualor & vaſtitas, quam diuturnum atq; acerrimum bellum, in quibus verſatur locis, poſt ſe relinquit. Hominum verò omnis generis tanta raritas, vt ad nullum auidius ſpectaculum accurrant, quam ad homines contuendos. Cum enim propter regiam dignitatem paulò frequentiori ſeptus comitatu prætergrederer, è tuguriolis ſuis omnis ætas atq; ſexus viſendi ſtudio vias poſſidebat. In quo concurſu mirabar ego nō ſolum paucitatem gentis, ſed ſqualorem & ſordes, cum viderentur, non ex familiari lare, ſed ex profunda caligine teterrimi alicuius carceris, cum ferali habitu, exeſos macie vultus, & præmortua membra, vix ad conſpectum lucis proferre, & iampridem malis ſuis ſic affecti, vt miſeratione potius proſequendi, quam armis oppugnandi viderentur. Itaq; feſtinabat animus ad reuiſendam Conſtantinopolim, quo, vt populus amplitudini vrbis adæquaretur, ſciebam paulò ante toties tanquā affatim, iuſſu Turci, ex omnibus quas habet regionibus homines commigraſſe, vt etiam ſi bellum per ea loca deſeuiſſet, tamen adeò frequens & copioſa demigratio ex agris & oppidis, ſolitudinem paſſim fuerit relictura. Præfigurabam enim mihi, vim tantam me illic hominum inuentutum, quanta in colendis tam longe lateq; patentibus terris priùs ſuffeciſſet. Succurrebat & Iudæorum multitudo, quos ſuperſtitio & nouarum rerum cupido, quibus præter omnes alias gens illa conflictatur, ex vniuerſo orbe illuc ferebant attraxiſſe. Sed & nullus per id tempus vſpiam Turcorum erat exercitus, opinarique par erat etiam turbam omnem militarem eſſe ad Dominum congregatam. Hic iam non dicam, vbi ad locum perueni, expectatione me omninò fruſtratum, & qua toto itinere illic quoq; ſolitudine exceptum, fateor hominum plus aliquanto, quam in via inueniſſe, ſed vbique per vrbem prope idem atq; inter proficiſcendum videram. Squalor veſtis apud omnes, tum ſitus ac macies oris, & totius corporis inanitas. In veſtibulo tantum curiæ, quo ad augendam multitudinis ſpeciem, artifices etiam ex officinis & ſtationibus ſuis coacti, luculentior paulò veſtitus, verum numerus gentis nequaquam aut famæ, aut opinioni correſpondens. Sed, ex quo apparet Turcorum res, non hominum multitudine, ſed errore, ac vana Chriſtianorum perſuaſione conſiſtere, æque vt gentis paucitas contemnenda, ita arma apud eos, aut nulla aut ridicula. De quibus ne peruulgata quæq;, ac nota recenſeam, tranſeo non ferro ductas; ſed ex papyro ferruminatas galeas, & tenuiſſimis ſquamulis temere incruſtatas telas, corporibus circumtegendis. Quæ tamen armorum genera adeo rara, vt non niſi apud Principes viros inueniantur. Sed quoniam video nonnullas nationes in prælia non inermes ſolum, verumetiam nudas prodire ſolitas, non magnopere perpendamus, quibus illi armis ſe muniant à vulneribus, ſed quibus hoſtem ſoleant conuulnerare. Arcum habent tantummodo, & gladium, nec tamen omnes. In arcu quamdiu ab ſe ipſis non degenerauerant, nonnihil momenti fuit. A principio enim non decoris, & non habilitatis, ſed terrendi, ac fauciendi hoſtis ratio in omni armorum genere habebatur, atq; ideo ſagittæ graues & prælongæ. Arcus verò amplitudine ac robore tali fiebant, vt aſpectu terrerent contuentes, & facile telorum pondus ac proceritatem ferrent. Nunc vero per ambitionem decoris, omnia commutata, atq; adeo velut in mollitiem corrupta, vt non fortium virorum, ac militum tela, ſed puerorum ludicra videantur. Sed & gladii ab omni militari diſciplina deprauati. Ante omnia enim cum feriendi duplex ſit ratio, quippe quod vulnus aut punctim impingitur, aut cæſim infertur, ne punctim feriant, ſupini recurui ſunt, & mucro in dorſum ſuum retroactus, cęſim vero, ſi dimittantur, propter quod non velut in gladiis aliarum gentium, latitudo ferri à manubrio paulatim detenuatur in acumen, ſed contra, qua tenentur propemodum acuti ſunt, qua vero feriunt latiſſimi, & carent capuli libramento, eleuari ſurſum, & ad geminandum ictum recolligi non poſſunt. Atq; ideo, quod fieri arte quadam nonnulli putant, Turci, quando-

Nota ſolitudinē per vniuerſam Myſiam, Thraciā Macedoniā, ac ipſam Cōſtantinopolim.

Conſtantinopolis.

Iudæi.

De armis Turcorum.

Arcus Turci vtuntur & gladio.

Gladij Turcorum.

quandoquidem gladius in dorſum falcatus, & in mucronem auctus, ac præponderans, neq; infigi cominus, neq; referri ſurſum queat, ſi abſq; vulnere in vanum deciderit, neceſſario cogitur, inſolito more reiecto brachio, in aduerſum cæſim ferire. In quo genere ictus, quia cõtra ac nituntur nerui, intentatur, nullus omnino grauis impetus eſſe poteſt. Sed nimis multa de armorum atq; hominum paucitate. Vtrumq; enim facile paratur pecunia, qua ſi Turcus, vt fama eſt, abundat, nihil ei, quod quidem ad inſtruẽdum gerendumue bellum pertineat, deeſſe poteſt. Atq; ideo, quid de illius opibus coniectãdum ſit, diſcutiamus. Tametſi, cum demonſtraretur nunc à me, regna & prouincias, quas occupat, inania tantũ nomina eſſe, ac ſolitudines, abundè intelligi potuerit, quis apud eum ſit diuitiarum modus. Cum enim tam liberarum Ciuitatum, quam Regum opes, aut ex toto, aut ex parte, maxima & præcipua ſint ex portoriorum, & id genus vectigalibus, horum autem tota vis atq; ipſum fundamentum conſiſtat in hominibus, facile intellectu eſt in tanta hominum raritate, vectigalia illic eiuſmodi, neq; multa, neq; magna inueniri. Sine his verò non ſatis intelligo, quibus demum rationibus publicæ diuitiæ magnoperè multiplicari queant. Quod ex auri, argentiq;, & metallorum aliorum venis, quas Turcus poſſidet, argumentum adducatur, ſcire oportet, nihil eiuſmodi ab initio creatum, vel locupletandis regionibus, in quibus inueniretur, vel aliis oppugnandis. Nam ſi ita foret, quæ nimium ſua munera natura diſpenſaſſet, quæ totius humani generis ęquiſſima parẽs ac nutrix, ſic omnia inter omnes miro quodam temperamento, ac ceu fœdere mutuæ neceſſitatis diſtribuere curauit, vt quacunq; in toto orbe patet terra habitabilis alendorum hominum nuſquam ratio deeſſe poſſet. Atq; ideo quibus in locis frugum & cæterorum nutrientium nos fructuum copiam denegauit, metalla & id genus alia indulſit, non ad opum ſplendorem atq; amplitudinẽ, ſed ad vitæ neceſſaria comparanda, vt eſſet quod mutuo vtrinq; peteretur, locorumq; inæqualitas opportunitatem æqualitate ſic compenſaret, vt generis humani ſocietas, non ſolum vi rationis, ſed multiplicibus etiam neceſſitatum vinculis implicita & connexa, indiſſolubiliter perſeueret. Ex quibus planum fit, de metallorum venis, non tam pecuniarum copiam, quam cæterarum rerum inopiam arguendam, nec quicquam aliud in illis naturam eſſe voluiſſe, quam ſupplementa quædam alimentorũ, propter extremam, alioqui intolerabilem nonnullarũ regionum ſterilitatem. Quod niſi ita eſſet prouinciæ venis eiuſmodi redundantes, nequaquam à gente, neque multitudine neq; armis admodũ potente, aut vinci, aut redigi in poteſtatem potuiſſent. Itaq; ſi vectigalib. minimè abundat, & in metallis effodiendis, deducta portione, quã neceſſario ſibi operarũ vendicãt alimenta, vix ratio conſtat impendiorum, reſtat, vt ſi quid eſt apud eum auri atq; argenti, totũ ex manubiis ac præda coegerit. Quo ex genere video prope infinitas opes ad eum perueniſſe, ne dicam ex Dalmatis, Epyrotis, Bulgaris, Seruis, Boſſinenſib. Raſcis, cæteriſq; haud maximi nominis & momenti nationib. ſed redactis in poteſtatem ſuam, omniũ Græcorum in Aſia atq; Europa diuitiis. Tum etiam Gothorum ad Theodoſiam, quorũ opes tantas fuiſſe credere oportet, quantas ex ſpoliis prope totius humani generis, multis ac magnis victoriis comportare illuc potuerunt. Ad extremũ direpta Caffa, quo Armeniæ vtriuſq; aliarumq; circa Pontum regionum, præterea totius Græciæ naufragia à Turcorum tempeſtate, cum rebus omnib. quas ſecũ auferre potuere, ſe receperunt, velut in tutiſſimum portum: non tam propterea, quod ea vrbs ſitu atq; operib. munita, & prope in confinio orbis terrarum ad Aquilonem videbatur ſepoſita, ab omni mediterraneorum bellorum ſtrepitu ac periculo, quam quod erat ſub tutela inclytę tuę ciuitatis, quam propter rem nauticam, qua omnes gentes & nationes facilè antecellit, maris dominã dicere conſueuerant. Propterea verò, quod adeo procul abs ſe nomen atq; Imperium ſuum propagaſſet, in terra non minus, quam in mari poſſe intelligebant. Eamq; ob cauſam neminem fore aliquando arbitrabantur, qui aut auderet, aut poſſet illic eos oppugnare. Qua opinione minime fruſtrati eſſent, niſi Turcus iampridem communitis, non ſolum Helleſponti, ſed Thracii quoq; Boſphori faucibus; liberum

Opes Turci.

Portoria.

Vena metallorum.

Præda Turcorum.

Theodoſia.

Genua domina maris.

aditum præcluſiſſet omnibus, in mare Euxinum, per quod defenſio fuerat ſubmittenda. Sed facile fuit incautos imparatoſq́; & ab omni excluſos auxilio capere ac diripere. Quamobrem tam multis tamq́; ditiſſimis, tot locupletiſſimarum gentium atq; vrbium prædis, credere oportet illum, non vt modo dixi infinitas facultates, verũ prope omnes humanæ fortunæ opes, ſibi accumulaſſe. At quos non modo ex præda redactos, ſed quacunq; etiam alia ratione collectos theſauros, & pecuniarũ aceruos, adeo incredibiles, adeo infinitos, adeo ſupra extimationem omnem ac numerum fuiſſe putandum, vt non ſubinde exhauſtos intelligi conueniat, multitudine ſimul & magnitudine bellorum, quæ mari ac terra ſubſtinuit. Quandoquidem vario præliorum ac victoriarum euentu, prope ad 30. annum extractum ſit bellum, quod Turco poſt adflictas Græcorum opes Veneti intulere. Poſt expugnatam vero Caffam & Theodoſiam, non à Venetis ſolum, ſed à Cilicibus quoq;, à Medis, à Perſis, à Syriis, continuo ſe tueri ſit coactus. Quibus in bellis adeo grauibus ac diuturnis tot ſimul in locis, tam ſæpe, tam magnos exercitus paraſſe, aut pro fortunæ varietate inſtaurauiſſe conſtat, vt mirandum ſit potius, aliquam omnino pecuniarum vim tantam eſſe potuiſſe, vt in tam multis, tam ingentibus impẽdiis, non defecerit, quam quod aliquid ſuperfuerit, ſuſpicandum. Sed concedamus, patris huius, qui nunc regnat, inexhauſtas adeo fuiſſe opes, vt licet multum bellis impenderit, non minus tamen filiis moriendo reliquerit, propterea tamen quod nunquam pecunia effuſius diſſipatur, quam vbi honoris atq; imperii cupido, nullo preterquã largitionis confiſa ſuffragio contendit, quibus pręcognitum eſt, quomodo ab initio ad Dominatum peruenit, facillimum eſt deprehendere, quod in adeundo confirmandoq́; ſibi largitionibus principatu, longè plus pecuniarum ab ipſo, quam gerẽdis rebus à patre ſit erogatum. Nec ſolum paternorum impendiorum reliquias, ſed vniuerſas quas aliquãdo ille habuit opes, tam præcipitem filii ambitum iampridem conſumere oportuiſſe. Cum enim pro imperio patris ſupra 20. annos in Aſia pugnantem, ſciret ſe prope incognitum ſuis in Europa, & longè ſuperari à fratre gratia & authoritate, vbi paternæ mortis nuncium accepit, non ſolum quæ ad manum erant, ſed quaſcunq; etiam, aut ab amicis eblãdiri, aut ſubditis extorquere potuit, pecunias militibus diuiſit, vt eos pretio conciliaret ſibi, quos propter fratris paulo excellẽtiores corporis atq; animi dotes, erga eum propenſioris animi eſſe non ignorabat. Poſtquam verò ad loca peruenit, in quibus theſauros paternos cuſtodiri ferebatur iam non ſponte, ſed neceſſario, quæ inuenit omnia diſperſit. Quandoquidem id vnicum ſupererat adminiculum, vel attrahendi, vel conſeruandi apud ſe multitudinem, quam, niſi eius concitatiſſimum impetum blandimento illo præoccupaſſet, aut temere direpturam cuncta, aut ad fratrem defecturã præſentiebat. Huc adde donatiuum, non quoties ſibi dare placuit, ſed quoties milites accipere voluerunt diſtributum. Cum enim quæ in parente longè maxima fuit, authoritate careat, nec quicquam gerere poſſit maieſtate, cogitur fidem, obſequium, fedulitatem, ac cætera omnia ſubditorum, etiam minima munera coemere à ſuis. Quippe quod niſi pecunia, iratos ſibi conciliare, deſerturos retinere, ſeditioſos placare, contumaces cohibere, detrectantes in militiam cogere non queat. Quibus adeo variis, adeo multiplicibus, adeo quotidianis profuſionib. nedum Tyrãni vnius prædæ, orbis terrarum opes quæcũq; ſunt, minimè diu ſufficere valuiſſent. Sed quoniam res à Turcis geſtæ huic quam explicaui hominum ac pecuniarum inopiæ obſtrepere videntur, quantæ illæ quoq; ſint, & quantarum viriũ argumentum conſideremus. Poſſem equidem vnica eademq́; veriſſima aſſeueratione omnes complecti ac dicere, nihil omnino eſſe in illis, quod viribus tantummodo effecerint, Conſtantinopolim & reliqua Thraciæ, præterea Theſſalonicam, Corinthum, & quæ in Peloponeſo occupant, nec minus Eubœã, Caffam, Theodoſiam, Trapezuntem, ſuotum proditionibus ſuccubuiſſe. Sed quia conſeruiſſe quandoq; manum, ac minimè euictos abiiſſe audiuimus, libet paulo diſtinctius, quas demum nationes & gentes ſuperauerint, explicare, vt prope contra rerum naturam ex victoriis, quæ de aliis ad potentiæ argumentum commemorantur,

Tertia ſubdiuiſionis pars de rebus geſtis Turci.

morantur, Turcorum imbecillitas maximè iudicetur. Tranſeo hic Hydruntum, Scodram, Rhodum, cæteraſque vrbes, vnde aut turpiter reiecti, aut abire per calamitatem ſunt coacti, cum neque locus, neque tempus de his abundè dici patiatur, & ego ingratiſſimus ſim futurus, ſi vel inuictiſſimo ac ſapientiſſimo Regi Ferdinando breuibus verbis, nec rei magnitudinem ſimul & meritum æquantibus, gratias recuperatæ Hydrunti agerem. Qua victoria non ab illa, ſed ab hac ſacroſancta vrbe, totaq; Italia ſimul calamitoſiſſimæ ſeruitutis iugum depuliſſe intelligitur: vel ſi ampliſſimam Lauredonorum familiam, parum profuſa & accurata ratione laudarem, cui vt Scodram tueretur, ideo fata dediſſe crediderim, vt Venetorum contra Turcum bellum, à qua cœptum fuerat familia, ab eadem maximè finiretur: vel deniq; ſi non pleniſſimo ore ingentibuſq; laudum, non vocibus, ſed clamoribus efferrem ſupra omnes Platæas, Salaminas, Termopilas, memorabile atq; inſigne factum Rhodianorum, qui vrbem ſuam non dicam dirutam iam & captam recuperauere, ſed propterea dirui ac capi permiſerant, vt nullus in ea ſubinde locus, nullus propemodum lapis eſſet, qui Turcorum ſanguine conſperſus, atq; adeo madefactus ad omnem poſteritatẽ tantæ ac tam incredibilis eorum virtutis manifeſtiſſimum ſignum nõ retineret, hoſtibus autem æternum foret monumentum, Rhodianorum libertatem non muris, ſed hominibus expugnandis poſſe labefactari. Sed de iis atq; aliis cladibus quas accepere Turci, alias plura & accuratius. Nunc quod propoſui, ex illis quas in Europa vicere, non à quibus victi ſunt nationibus, de ipſorum imbecillitate diſputabo. Quanquam id ipſum, quod tam ſæpè fuſi ac cæſi maximum ſit documentum, quod non armis, non militari diſciplina, non opibus, non multitudine valent, ſed tantummodo opinione, vanoq; Chriſtianorum timore nonnihil eſſe videntur. Sed colligatur hoc, vt dixi, victoriis, quarum tumida ac inconſiderata iactatio facit, vt ipſorum vires pro maximis celebrentur. Nec enim iniuria. Quis enim audiens tot imperia, tot regna, tot prouincias, nõ longiſſimo ſubactas tempore, poteſt non commoueri? Eos verò qui tam multa, tam varia, tam longè lateq; diſperſa bella, modò mari, modò terra obierint, non putare potentiſſimos? Verùm deducantur ea quæ victorum proditionibus debent, extimẽturq; ſubinde vires eorum quibus cum ferro decertauerint, plus omnino eſt, quod queat colligi de ipſorum rerum tenuitate, eò quod nationes adeo modicæ & infirmæ tam diu illis repugnauere, quam quod iactari poſſit ad potentiam, propterea quod aliquãdo eas deuicerint. Quid enim aut vehemens, aut magnum exiſtimandum de viribus, quas tam diu certaminib. tot Epyrotæ, non illi quidem vrbium cum Pyrrho Rege ſuo expugnaturos, ſed qui nunc ſunt degeneres atque agreſtes priuſquam ſubiicientur ſubſtinuere, quib. Bulgari non ſolùm exigua, ſed rudi etiam & pœnitus paſtoricia montanorum manu ſemper fuere pares, donec continui ac diuturni non belli, ſed latrocinii tædio confecti & deſperati inquietiſſimæ libertati, ocioſam ſeruitutem non prætulere. Serui autem neque numeroſa natio, neque rebus bellicis exercita, ſed metallis effodiundis intenta, & prope ſine vſu ferri, præterquam in ſubterranei laboris inſtrumento, poſt infinitum præliorum numerum vix tandem ſuccubuere. Nam ſubigendis, nec tamen omnibus Boſſinenſibus & Raſcis tanto conatu, tot annos, tot varia fœlicium atque infœlicium pugnarum viciſſitudine, Turcos laboraſſe, proculdubio indicat, exiguum eſſe omnino planeque ridiculum quicquid id eſt, quod tantopere Chriſtiani ſibi reformidandum perſuaſere. Huc adde toties ductas, totieſque inefficaces contra Valachos expeditiones, quæ gens hodie in duas partes diuiſa, quarum neutra cum maximè floruit haud amplius, quàm ſexdecim armatorum milia in bella mittebat. Et tamen qui ex illis Biſſerabi nuncupantur, longiſſimo tempore tam exiguis copiis omnem Turcorum vim, non modò ſubſtinuere, ſed ſæpiſſimè etiam prouocauere, priuſquam inteſtina ſeditione partiti, & mutuo in ſemet ſæuientes, maximum illum Imperatorem, & Ducem ſuum Vladislaum Draculam amiſere. Quo orbi mirum omnino non ſtatim ſuccubuiſſe. Ita tamen longè poſt venere in deditionem, vt leges ſuas omnes ſimul cum rebus, & pene libertatem

Ferdinandus. Hydruntum. Lauredani. Scodra. Rhodiani. Qui vicerunt Turci. Epyrotæ. Pyrrhus. Bulgari. Serui. Boſſinenſes. Raſci. Valachi. Biſſerabi. Dracula.

Moldani. Moncastrū. Licostomum.

retinerent. Moldani autem licet in Euxini littore, amiſſis oppidis Moncaſtro & Licoſtomo, quorum in oſtio Tyræ amnis, hic ad Tyagolam paludem poſitū interiora regionis ſuæ, nunc etiam retinent, & proximis annis tam magnas ſtrages ſæpe Turco intulere, vt coactus ſit demum Stephanum ipſorum Principem eundemq; inclyti Poloniæ Regis Satrapam, non armis, ſed conditionibus cedentem ſocium atq; amicum appellare. O ſane egregiam potētiam, Hiſpanorumq; multitudini, Gallorum opibus, Italorum virtuti, Germanorum viribus formidandā; cum qua de ſumma agreſtes Epyrotæ tam diu contenderint, Bulgari paribus viribus ſæpe conflixerint, Serui prope nullis, vel militibus, vel armis bellum per annos multos extraxerint, qua deniq; Boſſinenſes & Raſci multifariam ſeorſum ancipiti fortuna pugnauerint, Valachi verò repreſſis illius armis & conatibus, nō vt victi, ſed tanquam victores pactionibus deciderint. Eatnunc ſi videtur quis, ac Turci efferat victorias, ac ſimul nationes ac gentes ab illo ſubactas enumeret, dummodo intelligat magis, non omnino mirandum eſſe, quod non vno, & ſeu impetu ſimul omnes adeo imbelles, adeo inopes, ac modicas nationes ſtatim ſubegerit, quam quòd poſt tam longum tempus, tam vehemētes conatus, tot ac tam ancipites præliorum caſus cum ſingulis exhauſtos, tandem cuiuſque laſſitudine magis quàm viribus ſuis expugnauerit. Quod ſi parum ex iis conſtat, quam non æqualis ſit famæ atq; opinioni res Turcorum, repetamus etiam memoria, quoties per hoſce annos ſuſi, cæſiq; ſunt in Aſia, quæ adeò ſemper imbellis & effœminata fuit, vt penè nullius vnquam, qui antehac contra ſe arma mouiſſet, impetum ſubſtinuerit. Exindeq; apparebit proculdubio nihil penitus tam inane eſſe, & quod minus timeri oporteat, quàm ſit rumor qui de rebus Turcicis circumfertur. Nam cum virorum quorumcunq; armis, nec minus fœminarum facilè ſemper ceſſerint Aſiani, & in omni pugnarum genere à Romanis, à Macedonibus, à Græcis denique contemptui, vt fœminæ omnino ſint habiti, nonne armis viris, & tota militandi ratione, omnium gentium ac nationum poſtremam dici oportet, quæ minimè par ſit illis, quos non modo viriles acies, ſed muliebres etiam bellis omnibus ſuperauere. Atque ideo cum ſatis conſtet ex iis, ſiue proſpera Turcorum, ſiue aduerſa conſiderentur, omnem rerum ab illis geſtarum opinionem, tanquam inanem temerè ſuſceptam, abiiciendam. Cumque planum ſit factum, ipſos non hominum numero, non armis, non opibus valere, reſtat vt ad ea quæ ab initio dicendi, cum de rei gerendæ ordine diſputarem, modicè per occaſionem de Chriſtianis facultatibus veluti delibata ſunt, pauca quædam ſuperaddantur, quibus breuius etiam quàm res poſtulat abſolutis, ad reliqua, quæ in fine dicenda ſunt properabo. Vos quæſo acrius etiam, quàm in ea quæ dicta ſunt, animum intendite. Diſſerendum enim de religionis noſtræ opibus, quæ nunc maximæ ſunt, deque illis in poſterum augendis & conſeruandis, quæ quidem materia vberrima eſt & pleniſſima dignitatis. Quippe de regibus maximis, de Ciuitatibus ſplendidiſſimis, de populis ac nationibus celeberrimis, quibus referta eſt, & ſupra maieſtatem ornatiſſima Chriſtiana Reſpubl. Cuius amplitudinis ſi per omnia decora euagandum, omnesq; opes ipſius, copias, facultates in medium protrahendas cenſerem, præter id quod facilè colligeretur, nullum omnino eſſe Chriſtianum principem, nullam nationem, quæ armis, diſciplina militari, viribus, rebusque geſtis, non longè Turcos antecellat, innumerabilia de ſingulis commemoraremus, in quibus per omnia genera fœlicitatis, virtutis, gloriæ, magnitudinis, oratio ſe iactaret. Sed neque inſtituti huiuſce, neque temporis, virtutes omnes, aliaque diuina & humana bona quibus publicè ac priuatim [illegible] populus maximè & vbique floret proferre, comparare, extollere. Quandoquidem id quod ad rem tangendam ſufficit, infinita ſuppetit copia enumerandi atque efferendi, cuiuſque Chriſtianæ gentis bellicas facultates. Nam vt ab iis incipiam, quid eſt de quo aut plura dici, aut maiori cum admiratione audiri queant, quàm de tota belligerandi arte, vi, ratione, quæ in Britannis, quæ in Gallis, quæ in Hiſpanis inuenitur? De quibus ſi exequi velim cuncta, quæ poſſunt

Stephanus.

A quibus Turci victi.

Aſiani imbelles.

Subdiuiſionis conclusio. De Chriſtianorum facultatibus.

Britanni. Galli. Hiſpani.

repeti

repeti ſingulatim, cuius gentis arma, equos, militem, virtutem, cum Turcorum ſquamulis, cinthenis, prædonibus, muliebribusque animis comparando, dies citius quam materia, vel deridendi hæc, vel exornandi illa me deficiet. Sed nec ea nota tam inclytis omni bellica laude nationibus inurẽda, vt conferantur pauculis & ſeminudis furunculorum turmis. Nec eſt à me committendum, vt videar ſuſpicari quicquam ſimile habere poſſe Turcorum, aut ferrumine in hemiciclos corniculorum laminas agglutinatas, oſſiculisq; exaſperatos calamos, cum ingentibus robuſtisq; Britannorum arcubus ac ſagittis, aut hebetes ſupinéque retuſos cultros cum acutis, & ad omne genus vulneris aptiſſimis Hiſpanorum gladiis, aut deniq; præuſtas, & paſtorum etiam ludicris ridiculas ſudes, cum ferratis ac prælongis, eiſdemque grauiſſimis Gallorum haſtis. Vt prætercam corporum robora, & proceritatem, etiam Romanis omnium gentium victoribus ſæpè formidatam. Iam verò quam abſurdum fuerit, quam indignum, ſi Germanorum innumerabilis non hominum, ſed populorum ac gentium multitudinis, omnium bellorum genere, & cum omnibus penè gentibus exercitatæ, res bellicas enumerare, vt præ Chriſtianæ rei magnitudine modica ex ſeruis ac transfugis Turcorum manus, nulliſq; aut humani aut diuini Iuris vinculis, ſed tantummodo latrocinandi ſtudio & flagitioſiſſimè agitandi licentia conſociata, contemnenda videatur. *Germani.* Nam Italiæ quidem ſanctiſſimum nomen & res auguſtiſſimas, ad huiuſmodi maculas & dedecora humani generis deprimenda, iactare, tam nepharium ſit atque indecens, quam ſi diuina & perpetua terrenis & caducis comparentur. *Italia.* Atque ideo ne aut ineptus ſim, qui ad exiguam atq; intermortuam ſcintillam militaris laudis Turcorum offuſcandam, à Chriſtianis tot ignes maximos & belli ardentiſſima fulmina producam, aut oblitus videar eius quod dixi ab initio, rectius videlicet ſenſiſſe, qui non tota Chriſtianorum virium mole aduerſus illos prodeundum cenſuere, nec de multitudine habendam rationẽ, ſed ſic rem totam moderandam, vt copiarum quantum victoriæ ſatis eſſet produceretur. Quandoquidem eò peruentum eſt, vt ſi immortalitatis, ſi ſalutis, ſi gloriæ noſtræ, quæ in periculum iampridem rapiuntur, diuina myſteria ſalua eſſe volumus, arma capere, atque in aciem prodire cogamur, tantæque ſuppetant facultates, vt delectu non multitudine ſint producendæ. Nihil aliud quod demonſtretur ſupereſſe iam video, niſi quis potiſſimum, aut Rex, aut populus inter tot ornamenta, & lumina religionis noſtræ eligendus ſit, cui merito publica omnium Chriſtianorum ſalus, in primis huius ſanctæ ſedis patrocinium committatur. *Cuius potiſſimum facultates digna, cui committatur Chriſtiana defenſio.* Et ſane ſi aliud quippiam, quam de conficiendæ rei commoditate quæreretur, videri queat anceps hæc deliberatio, propter multorum Regum, Principum, liberarumque Ciuitatum nobilitatem, virtutem, religionem, res geſtas, in quibus non facilè quiſquam alium ſibi præferri velit. Nunc quando id quærimus, quod non cuiuſpiam libera voluntas, non induſtria, non virtus, ſed regionum natura præſtiterit, tam æquo animo cæteri inuictiſſimum Poloniæ regem, in hac naturæ commoditate prælatum ſibi patiantur, quam in reliquis quoque, quæ virtus ipſa, & non voluntas præſtat, æquari, vel etiam vinci patiuntur, præſertimque quòd nulla eſt commoditas, ex multis ac maximis, quas frugum, pecoris, metallorum, rerumq; aliarum vbertate, diuerſis terris natura indulſit, quã quiſquam, dempto beatitudinis fructu, minus forſan quàm hanc, pro religione pugnandi, ſibi cupiat contigiſſe. Sed omiſſis aliis, quibus etiam præter loci opportunitatem cætera omnia cumulatiſſimè ſupereſſe intelligo, quid tandem velit aut poſſit præſtare Polonus, qui tum oportunitate, aliis omnibus, quæ ad rem gerendam faciunt, abundat, diſcutiamus. *Quid velit aut poſſit Polonus pro religione tuenda.* Ac primum de voluntate, vt id quod ab initio profeſſus ſum, demum colligatur, Chriſtianos quam facilimè poſſe priſtinum religioni decus atque amplitudinem reſtituere, difficile omnino præterquam Deo Opt. Max. cuiuſquam certam voluntatem deprehendere, propterea quod non ſolum inſita penitus in arcana mentis, humanorum ſenſuum omne iudiciũ effugit, ſed etiam propter multiplices ſimulationes ſermonis, oculorum, frontis, quib. veluti ſignis & nunciis, cogitationibus cognoſcendis, vti conſueui-

mus. Quô igitur pacto, voluntatem Poloniæ Regis in religionem poſſumus demonſtrare? Nempe ex factis. At illa quoque fingi ad tempus, & ſimulari interim ſolent. Contingit & id quidem, ſed in vna atque altera actione. Vbi verò cuiuſpiam totius vitæ curſus eadem æquabilitate, ac tenore cum ſumma conſtantia & grauitate, in vnum idemq; conſentit, planum eſt illum iam non ſimulare, ſed idem velle quod facit. Porro quid vſpiam in terris ab aliquo mortali aliquando ſimili robore animi ac virtute ſuſceptum, aut tanta conſtantia & grauitate retentum, atq; à Regibus Poloniæ profeſſio & tutela Chriſtianæ religionis. Nam

Vladislaus Rex. vt à Diuo Vladislao, huius qui nunc regnat genitore ordiar, qui non vt alii ferè omnes Principes ac nationes, vi atq; armis cogentibus, ſed iudicio & ratione ſic fidei noſtræ paulò ante acceſſit, vt plus penè agri atq; hominum cum ipſo Chriſtiano nomine accreuerit, quàm perditum ſit poſtea multis & natura ſua inſignibus, & fama rerum geſtarum inclytis prouinciis, Thracia, Myſia, Macedonia, Dardania, Epiro, Achaia, Peloponeſo, aut vniuerſis, aut maiori ex parte amiſſis in Europa. Vt prætaream damnum Aſiaticum in Trapezundæo imperio, propter quas iacturas niſi acceſſio tanta cum Vladislao præceſſiſſet de ſumma totius Chriſtianæ rei omnino deſperare oportuit. Quid enim futurum fuiſſe exiſtimamus, ſi niſi eum hoſtem Vladislaus Chriſtianum nomen profeſſus in ſe auerſum

Tartarus. tenuiſſet? Tartarus ſuas vires Turcorum copiis adiunxiſſet, quando ab his ſolis tàm multas clades accepimus, tam multis prouinciis orbati ſimus, vt vix vltra eos laturi videamur. Sed acceſſionem hanc ad fidem noſtram, licet maximè memorabilem pleniſſimamq; immortali gloria, & ſi ab alio profecta eſſet, inter prima prædicandam, non inuitus tranſeo, feſtinans ad ea, quæ omnem prope fidem excedunt, certè ſimilitudinem inter religioſarum voluntatum exempla non habet. Inter omnia enim maxima & præclariſſima, per quæ Chriſtiana amplitudo ſubcreuit, vtcunq; omnes omnium res geſtæ in medium protrahantur, minimè vel inueniri poteſt, vel proferri factum aliquod, quod ſit cum ardentiſſima religionis charitate, cum incredibili virtute, ſummaq; humanorum periculorum deſpicientia, qua Vladislaus profeſſionem noſtram & ſuſcepit & ſuſtinuit, comparandum. Nam cum videret ad quod inuitabatur, ſi Chriſtianis ſacris initiaretur, ſe cum ſuis non velut intra muros religionis noſtræ tantummodo ad illius fructum recipiendum, vt plæriſq; aliis contingit nationibus, ſed remanſurum quaſi ſæpimentum quoddam, & vallum cæterorum, ſine modo, ſine fine aliquo, à Tartaro immaniſſimo eodemq; potentiſſimo hoſte oppugnãdum, tam grauem tot laboribus ac diſcriminibus refertam, planeq; deſperatam perpetui belli neceſſitatem ſuſcipere non expauit. Quanta per Deum immortalem fiducia, fiduciam dico, quanta fuit excelſi atq; inuictiſſimi animi ſublimitas, quanta amplitudo, quanta firmitas, eum hoſtem ſibi ſponte aſciſcere, quem nec vinci, nec deleri, nec pacari poſſe intelligebat. Quo enim pacto ſperaret, aut vincere non congredientes,

Egreſſus de rebus vitaq; & moribus Tartarorũ. aut delere infinitos, aut pacare lattrones? Non eſt enim, vt ex bellis, quorum nobis omnis ars cognita eſt & diſciplina, coniecturam faciatis, ad conſequendum animo, quæ ſit illis in regionibus. & cum eo hoſte dimicatio. Quippe quod vbique alibi, multò ante affuturum bellum apparet, datur ſpacium colligendi ſe ac parandi, licet aduerſus hoſtem progredi, conferre caſtra, in aciem prodire, manum conſerere, & plærumque vno atque altero prælio totum bellum conficitur. Denique aliqui ſunt regionum fines, vltra quos nequeat hoſtis neceſſitatem dimicationis effugere. Illic verò tanquam Autumnalis, aut Verni aeris tempeſtates, & procellæ, omnia inopinata, ſubita, vehementia, momentanea, nullus conſilio locus, nullus virtuti, nullus diligentiæ ac diſciplinæ. Quid enim quantumuis ſapiens Imperator, aut prouidere, aut moliri queat, contra inopinatum impetum? vbi occurret palantibus, & tam vagis, quàm aut in aere volucres, aut in mari piſces, aut in ſyluis feræ. Qua ratione, vel contra inſtabiles caſtra, vel contra diſperſiſſimos aciem, vel contra refugos prælium conſtituet? Denique quibus artibus in neceſſitatem pugnandi adiget illos, quorum fugæ nulli propemodum termini ſunt impoſiti? O duram conditionem,

& mi-

& miſeram, ac planè nullo, præterquam immortalitatis præmio ſubeundã, cum eo hoſte rem gerere, aduerſus quem nulla ſit ratio, nedum exercendæ, ſed nec oſtentandæ quidem alicuius virtutis, aut militaris, aut imperatoriæ. In bellis enim aliis maximæ plærunq; laudes etiam apud victos remanent, ſi nihil aut ab Imperatore, aut militibus prætermiſſum, quod quidem ad victoriam facere poſſe videretur, in ducendo exercitu & collocando, in obſeruanda temporum ac locorum natura, in dirigendis hortandiſq; aciebus, ſimulq; in pugnandi alacritate, & ſeruandorum ordinum diligentia. Verum contra Tartaros quæ laus in victoribus nedum in victis enitere poteſt, vbi omnia ſine conſilio, aut arte aliqua per trepidationem ac tumultum aggredienda. Et merito rerum initia temeritati, quæ trepidationis eſt comes, exitus verò omnis fortunæ attribuendus. Quandoquidem non compoſito inſtructoq;, & accurrentes expectaturo agmine accedunt, ſed in populationes improuiſi, velut è terra exoriuntur. Si occurratur, effugiunt, inſultant incautis, repugnatores declinant, nullo loco conſiſtunt, nullo certo itinere, aut irrumpunt, aut ſe recipiunt, nec poſſis niſi caſu ad eos peruenire. Quippe quod in vaſtis, atque in immenſum vndique patentibus campis, non veſtigii aut ſigni alicuius, ſed ſyderum obſeruatione, tanquam in mari quærendi ſunt atque inſequendi, & proculdubio eorum qui prænauigarunt vias & receptus, vbi nullum omnino veſtigium relinqui poteſt. In mari citius obſeruaueris ac deprehenderis, quam illic aut venientium incurſum, aut euadentium fugam Tartarorum. Atque vt eiuſmodi hoſtium multitudinem ſimul ac naturam omnem intelligatis: Genus eſt hominum ſi modò homines dicendi, qui humanitatis neque legibus vllis, neque moribus continentur, ſed neque in terra agitant, neque pedibus vtuntur ad greſſum. Quippe, quod aut in currus, aut in equos ſublati, niſi humanę neceſſitates aliquando eos ad terram reuocarent, mediam quandam regionem inter volucria & gradiētia animalia, velut in aere obtinentes ætatem omnem tranſigunt. Vtcunque tamen, quando prope ad formam hominis accedunt, genus inquam eſt hominum, multò quam cæteri mortales ad motum celerius, & laborum difficultatumq; aliarum patientius, quorũ ego hoc ex rigore prope perpetua hyeme obſeſſæ terræ, à qua non multum amoti, illud verò ex aere in quem curribus aut equis admoti degunt, prouenire crediderim. Cæterum veluti celeritas, motus, difficiliumq; patientia maior apud illos, quam in aliorum naturis, ita in reliquis omnibus totius vitæ ratio atque inſtitutio, præpoſtera ac peruerſa. Aliarum namque gentium quælibet diuerſa ratione, ſuis ſimul ac regionum oportunitatibus ſe accommodans, locum ſibi delegit, cui cum propagatione ſobolis, & prope perpetuitate quicquid eſt aliud in terris, aut opis, aut iuris, vel in humanis rebus, vel in diuinis veluti deberet, quorum beneficiorum religioſa quadam & profunda charitate deuincta, non dubitaret ſubinde vitam, & quæ chara ſunt iuxta vitam, omnia pro illius loci incolumitate relinquere, quem etiam vt non minus, quam fructu nomine iucundum ſibi, & ſanctum redderet, & pluſquam vitæ authorem eſſe ſignificaret, patriam nuncupauit. At Tartari tanquam Grues, aut Ciconiæ, cum anni tempeſtatibus emigrantes, nullo ſoli alicuius præcipuo, vel amore, vel ſtudio commouentur, ſed aſſiduè locum ex loco mutantes, nec vſquam diutius, quam aut paſtionis oportunitas, aut rigor aeris paulò remiſſior perſuaſerit commorantes nedum quæ ſint patriæ præſidia, fructus, ornamenta, dignitates, ſed ne ſuauiſſimum quidem nomen illius intelligunt. Apud alios cum prima eſt etiam priuati domicilii, & familiaris laris cura quædam ac religio, ſimulq; ſub tecto & intra parietes agitandi par conſenſus, atque inſtitutum, eſt domeſticæ rei diſciplina, eſt matrimoniorum charitas & reuerentia, liberorumq; educatio ac protectio, eſt cognationum ac propinquitatum intellectus atq; obſeruantia, ſunt belli ac pacis iura, ſunt leges, ſunt conſuetudines, ſunt mores, ad quorum normam communis vita inſtituatur, deniq; aratur, ſeritur, & nutrimentis, ac cæteris ad vitam neceſſariis in futurum proſpicitur, quæ Tartaris in aperto ac ſub Diuo, & præter curſus ſine vllo omnino, aut publico, aut priuato ædificio agitantibus diuerſa ſunt

omnia. Nec eſt quod cum de illis cogitatis vobis in mentem veniat, parſimoniæ, frugalitatis, diligentiæ, cæterarumq́; virtutum, quibus & priſcis & noſtris temporibus intra domeſticos parietes priuatis ac familiaribus adminiſtrandis multi maximas laudes ſunt conſecuti. Primum enim inter eos, ne vmbra quidem aliqua cuiuſpiam inſtitutionis nedum virtutis rei domeſticæ adminiſtrandæ, ſed neque res eſt vlla domeſtica, ad de quòd nec quidem neceſſaria, domicilium nō habentibus. Matrimonii verò humanæ vitæ vnici, vel certè præcipui, tum præſidii tum ornamenti, quandoquidem non iudicio aliquo & poſteritatis cogitatione, ſed libidine atque impetu animi, nō vni, ſed quamplurimis vxoribus coniunguntur. Eademq́; temeritate qua coeunt quotidie ſeparantur, neque adfectu, qualem tota in vxorem vnam congeſta charitas gignit, neq; ſanctitate quam diuturnitas conſuetudinis parit, tangi poſſunt. Itaque nulla eius vinculi dignitas & reuerentia, ſed peculii loco vxorum multitudo annumeratur, quotieſque oportunitas perſuaſerit, ad ſeruitutem nationibus aliis venundantur. Eadem eſt in propinquos cæteros atque etiam in filios impietas & nundinatio, vt facilè appareat nullam aut ſanguinis, aut propagationis, vel curam, vel dulcedinem, quibus nec immaniſſimas quidem feras natura immunes eſſe voluit, ſæuiſſimis atq; indomitis eorum pectoribus inhærere. Bellis autem, ſi modo bella dici oportet, latrocinantium ſubitarii tumultus, & prædandi meræ occaſiones, non vlciſcendæ, non propulſandæ iniuriæ, non propagandi imperii cogitatione, ſed acquirendorum alimentorum neceſſitate promiſcuè contra ſuos ſimul & alienos tam pertinaciter inſiſtunt, quàm qui pax quid ſit, penitus non norint, nedum æquitatis alicuius, quales pacatis in regionibus ſeruantur leges & iura, vel credere, vel ſperare valeas inter eos, qui viciſſim omnes ſimul ab ipſis prope incunabulis imperant, parent, docent, diſcunt latrocinari, & ſine vlla futuri meditatione, vt rapaces feræ in dies viuunt. Adde quòd nec diſſimilibus alimentis vſum panis non habentes, ſed nec ignis quidem ad cibos. Quippe quod vel ſuis ſub alis, vel ſub ſtratis iumentorum caleſacta, aut omnino frigida & cruda, maximeq́; equina carne ſe cruentis vnguibus, ſimul atque ore infarciunt, quæ ſi quando defuerit, ſauciata iumenti vena, calentem, ac nonnihil adhuc brutæ animæ in ſe retinentem cruorem, lacte ac milio admixto, ingurgitant ſimul ac deuorant. Acceditq́; alimentorum diritas, non mediocre incrementum ad naturalem feritatem, quam etiam exauget multitudo, qua freti, ne dicam inſuperabiles, ſe credunt omnium gentium dominos, atque Imperatores ſe eſſe profitentur. A Boriſtene enim amne, qui ad Orientem terminus eſt Regni Poloniæ, vſque trans Imaum montem in Aſiam, & ad Septentrionalem Indiam porrecti, quicquid terræ per tam longum ſpacium iacet, inter Hyrcanum mare atque vltimos damnatosq́; frigoribus orbis fines, non ſolum procul ab omni manſuetudine & ciuiliori vſu, ſed etiam penè extra humanæ naturæ terminos frequentiſſimis populis ſimul occupant, ſimul implent, quos ſi numero aliquo complecti coneris, nihil plus facias, quàm ſi vniuerſi maris arenas dinumerare aggrediaris.

Proſequitur de voluntate Poloni.

Huic itaque tam immani, tam efferato hoſti, quem Vladislaus ipſe multitudine infinitum, bellorum verò ceu facibus ſemper furentem ſciret ſponte ſe oppoſuiſſe, ac veluti priuatis armis publicum Chriſtianorum omnium bellum gerendum ſuſcepiſſe, in quo ſi quid certaminum ſorte proſperum contingeret, fructus ad alios peruenerit, aduerſa autem omnia eum ipſum tantummodo in quem recidiſſent, debilitarent, ac frangerent, intelligitis profectò non eius fuiſſe, qui regioni tum demum cum periclitaretur ſuccurrere conſtitueret, ſed qui priuſquam illa in periculum raperetur, aliquando ſe pro eius incolumitate quaſi deuotum cum ſuis omnibus deleri mallet. Quod ſi ſo vacaret per omnes res, ſubinde ab illo geſtas euagari, & cum reliquis pugnis momenti ac nominis prope ſimilis imprimis repetere, & in partes ſuas digerere ac comparare cum aliis vbicunque commiſſis, illam, quam Poloni magnum Tartarorum conflictum vocant, nec ſine cauſa, quandoquidem atrociſſimæ illi ſtragi Trebia, Tranſimenus, Cannæ inſignia cladibus nomina, cedere

Trebia. Tranſimenus. Cannæ.

cedere iure poſſunt, exindeq; colligere, qua conſtantia, fide, robore animi, hanc tuendæ religionis voluntatem vltrò ſuſceptam, per omnem vitam deniq; ſuſtinuit, facilè appareret, cùm infinitos ſecum Chriſtiano nomini adieciſſet, quòd illius non pauciores inimicos poſtea deleuit. Sed feſtinat oratio ad recentiora alia, cùm tamen illa tam recentia ſint, quàm quæ geri contigit intra annum ab hoc, qui nunc agitur Nonageſimum. Itaq; venio ad eius filios, maximeq; ad Caſimirum, qui nunc regnat. Nam alterum Vladiſlaum ſcilicet, cùm Hungari, iam tum regnante apud eos Sigiſmundo Cæſare, à Turcis premi cœpiſſent, & poſt mortem Alberti, qui Sigiſmundo ſucceſſerat, viderent regnum ſuum non facilè bellum, quod vrgebat, propulſaturum, ſine eo defenſore, qui eſſet virtute, authoritate, rebus geſtis, fœlicitate omnium, qui viuerent, præſtantiſſimus, neque propter vicinitatem ignorarent, quanta & qualia geſta eſſent contra Tartaros, prius à ſeniore Vladiſlao, & ſubinde etiam à iuniore, qui Diuo parente ſuo ad id bellum ſimul cum regni ſucceſſione, quaſi per manus acceperat, incredibilique virtute ac fœlicitate gerebat, tanquam ea familia non ſecus ac Paulus diuina electione conuerſus, propulſandis vbique religionis noſtræ diſcriminibus deſignata eſſet, illum potiſſimè, qui apud eos regnaret, deligendum putauère. In qua deliberatione credendum eſt omnino affuiſſe illis diuinum aliquod conſilium, & cœleſte numen, ne celeberrimum iſtud regnum futurumque alioqui inuictiſſimum, mali alicuius caſus conditionem tunc ſubire adduceretur. Cæterùm, velut euentus indicauit, fœlicitati Vladiſlai nihil vltra fata debebatur, quàm titulus tanti regni pro incolumitate Chriſtianæ rei ſucceſſoribus conſeruati. Duxit enim duas contra Turcas expeditiones, in quarum ſecunda mortem oppetiit. Priùs tamen continuis ſucceſſibus Turcorum arma eouſque retuderat, vires debilitauerat, animos atque audaciam fregerat, vt multos poſt mortem ipſius annos ab inuadenda Hungaria abſtinuerit. At Caſimirus, quem ad maiora famæ atque amplitudinis momenta, diuina prouidentia deſtinaſſet, vbi regni accepit gubernacula in familiari & domeſtico Tartarorum bello, id quod propter eius hoſtis naturam & mores factu omnino eſt difficilimum, gerendæ rei occaſiones, admirabili quadam & diuina ratione ſic præuidit, incredibili celeritate ſic occupauit, fortunatiſſimo euentu ſic tranſegit, vt præ huius conſilii ſapientia, virtutis magnitudine, fœlicitatis ſplendore, parentis fratriſque ſui ampliſſimæ res geſtæ, quodammodo obſcurari videantur. Et quid ni obſcurentur, quandoquidem in illorum victoriis extremum fuit, potentiſſimos hoſtes vel fugaſſe, vel fudiſſe. At is exercitibus prope delectis, Regibuſque & Imperatoribus aut cæſis, aut captis, & in ſeruitutem abductis, pro arbitrio ſuo alios præfecit, à quibus etiam, cùm voluit, ſæpenumerò regnum & imperium ſubinde tranſtulit ad eos, in quibus Tartaricæ perfidiæ pauciora ſigna eminebant. Repetantur hîc animo omnium ætatum, omnium Regum, omnium nationum res bellicæ, nihil maius, nihil admirabilius, nihil quod minus humana veneratione ac laude plenè ornari queat, inuenietur, quàm Reges & Imperatores illis dediſſe gentibus, quas nemo vnquam impunè bello laceſſierit, & quæ victoriis ſuis maximas & pulcherrimas orbis terrarum regiones ſæpè ſubmiſere, ab omnibuſque inuictiſſimæ ſemper vbique præſtiterunt. Iam verò, quàm magnificum, quàm ſublime, quàm prope ad diuinæ maieſtatis faſtigium elatum, habere inter domeſtica ſeruitia Principes ac Dominos eius nationis, quæ aliarum omnium Principem ſe eſſe ac Dominam profiteatur. Quod, vt Caſimiro contingeret, cum incredibili virtute, ſummaque ipſius fœlicitate perfectum, cùm perpetuæ conſtantiq́ue eius in religionem voluntati diuinitus eſt attributum. Vidimus itaque Tartarorum plæroſque Reges cum coniugibus ac liberis aut bello captos, aut authoritate in poteſtatem redactos, tam æquiſſimo animo apud eum ſeruire, quam qui nedum regnaſſent, ſed ne partem quidem minimam libertatis eſſent experti aliquando. De quibus rebus ſi dicẽdum foret, ab eruditiſſimo aliquo & facundiſſimo viro Põponio, Corteſio, Policiano,

Vladiſlaus Poloniæ & Hungariæ Rex.

Caſimirus Rex.

Pomponius. Corteſius. Politianus.

Scala. Calphurnius. Brognolus. Albertinus. C. Cæſ. Pompeius. C. Marius.

Scala, Calphurnlo, Brognolo, Albertino, vel ab alio quopiam, qui ingenio, exercitatione, doctrina cum his, quos nominaui, eſſet conferendus, poſſetq; velut illi aſſequi oratione quantum vellet: ô quàm multa, quàm ſublimia, & vel rerum ipſarum magnitudinem, vel auguſtiſſimi huius loci dignitatem coæquantia audiretis. Nonnulla enim ad C. Cæſaris in gerendis rebus celeritatem atque induſtriam, nonnulla ad Pompeii rationem & diſciplinam referrentur, in quibuſdam C. Marii virtus & conſilium, in quibuſdam Q. Maximi prudentia & grauitas commemoraretur. Ad extremum, prout ſunt ſingula geſta, eſſe dicerentur aduerſus eum hoſtem, cuius cùm inſultus, conſilia, receptus, neq; obſeruari, neq; deprehendi humana ratione poſſint, diuino quodam intellectu ac prouidentia peruenire ad ea oportuiſſe intelligeretis. Eum verò, qui talia geſſiſſet, iure ſupra hominem collocandum atq; habendum eſſe. Mihi autem pro ingenii mei atq; doctrinæ mediocritate ſatis ſit ex his, quæ vel dicta ſunt, vel dicenda, apparere, inſtitutum & voluntatem tuendæ religionis, ſemel ab Vladislao ſuſceptam, conſtantiſſimè ſemper à ſuis poſtea & retentam eſſe, & retineri. Quippe quòd cum crebris eius familiæ victoriis paulò antè res eò deducta foret, vt propè nihil ſupereſſet, quod magnoperè à Tartaris formidari iam poſſet. Turcus autem, qui ſi ab illis Polono domi otium daretur, intelligebat fore, vt ſua protinus oppugnarentur, incredibilem eius gentis multitudinem ab Hircano vſq; mari euocatam, inter Axiacum ac Boriſtenem amnes ſe recipere perſuaſiſſet, ex quo loco Poloniæ regnum, hoc eſt, religionis noſtræ arx & propugnaculum facilè inuadi ac laceſſiri, illi verò propter paludes & flumina, quibus circumſepti, difficilimè vel adiri poſſent, vel oppugnari, inuenit propenſiſſimus in rem Chriſtianam Caſimiri animus, quo pacto id diſcrimen non ſolùm in præſens ſubmoueretur, ſed etiam, vt ſi poſtea intentatum foret, ſemper irritum redderetur. Nihil enim pietati præcluſum, aut inexpugnabile. Igitur cùm ætate procedente intelligeret ſe indies minùs ac minùs idoneum militiæ laboribus ſuſtinendis, filium

Albertus Caſimiri filius.

ſuum Albertum contra illos miſit, vt quod bellum per omnem ſubinde vitam geſturus erat, iam tum paternis auſpiciis ordiretur. Ipſe verò ſupra quam aut exprimi, aut comparari poſſit voluptatem maximam, & quaſi fructum laborum periculorumq; exhauſtorum caperet, ſubſtituto ſibi eo religionis defenſore, qui eſſet virtute, indole, ætate, ac cæteris omnibus, vel animi, vel corporis dotibus florentiſſimus. Itaq; Albertus, vt facilè intelligi queat, quo animo & voluntate ſit erga Chriſtianam profeſſionem, nihil aut ab aui, aut genitoris, vel diſciplina, vel inſtituto aberrans, mira celeritate progrediendi, incredibili omnium difficultatum tolerantia, ſingulari ingenio remorandi fugientes hoſtes aſſequutus, tam ingenti clade affecit, quòd cùm cæſorum numerus iniretur, facilè credi poſſet, nullum penitus ſuperfuiſſe. Nec ſanè ſuperfuit, præter imbellem atq; inermem turbam confectorum ętate ac debilium, tum mulierum ac puerorum, quos cum curribus & impedimentis ſepoſuerant, prope ad littus Ponti vltra Boryſthenem locis ſterilibus omnino & paluſtribus, nec ſolùm exinde acceſſu difficilimis, ſed propter ſalubrium aquarum inopiam, qua tota ea regio prope inhabitabilis iumentis atq; hominibus, præterquam illis, qui ibidem nati atq; educati, iam inde ab ipſo vitæ exordio, cœli terræq; & aquarum grauitati aſſueuére. Hic quod ſine inuidia factum velim, non poſſum non ingemiſcere, quòd hæc Sancta eouſque

Regreſſus de merito Poloniæ Regũ in religionẽ.

vel intenta aliis, vel ab iis auerſa fuerit, vt tam maxima, tam illuſtria & peruulgata illius glorioſiſſimæ familiæ in religionem noſtram merita, aut non animaduerterit, aut non paribus præmiis affecerit, præſertimq; vt priora omittam, ampliſſimam hanc Alberti victoriam, quæ cùm ab omnibus in cœlum vſq; gratiſſima religioſarum mentium commemoratione efferretur, expectabant, non ſolùm dico Poloni, verùm etiam circumuicinæ nationes, quo tandem genere pręmii, honoris, laudis, tam felix Chriſtianis rebus prœlium à te afficeretur, cùm eſſent omnium animi erecti ſupra communia & vſitata, & quiſq; ſibi præfiguraret inuenturum, te inauditum aliquid & ſublime, nouo genere dignitatis, ſplendoris, amplitudinis, quo ſimul tam inſigne factum illuſtraretur, ſimul Albertus diuini

tini paſtoris ceu ſtimulo ad reliqua obeunda incitaretur, aduerſariorum verò animi ſubmitterentur, videntes apud eos, quibus cum res gerenda, non vltimum præmium eſſe victoriam, ſed maius aliquid ac præclarius, diuiniſq; & æternis rebus quàm ſimilimum, propter quod homines non ſolùm mortem in prœlio non expauеſcerent, verùm etiam cuperent illam vltrò & appeterent. Tu tamen id, quod veriſimile non eſſet, æquiſſimo omnium parente, non dicam diſſimulas adhuc, ſed nimis diu deliberas. Et dum tecum cogitas expectationem omnium, gratiſſimo animo tuo digna aliqua ſignificatione peruincere, mediocres tuæ voluntatis oſtentandæ occaſiones prætermittis. Quippe quòd ad hanc vſque diem diſtuleris Alberti ipſius fratrem Fridericum, inter Eccleſiæ cardines deſignare, quod genus honoris ſæpè aut egregiæ alicuius literaturæ, aut iuris ſcientiæ, aut priuatis vnius meritis, aut generis nobilitati ſeorſum condonatur, quæ omnia ſimul ſunt in Friderico, non dicam ſumma & ſingularia, ſed partim vſque in miraculum excellentia, partim modum ac vim humanæ amplitudinis ſupergreſſa. Nam cùm ea in regione bonarum literarum ac legum mediocris etiam in Ciuili conditione cognitio, propter raritatem in maxima ſermonis ac laudum celebritate verſetur, quanto honore proſequi, quanta admiratione ſuſcipi oportet eum, qui ex ſummo fœlicitatis culmine, exq; ipſa humanarum opum arce ac faſtigio, animum ad eiuſmodi ſtudia deflexerit, quæ vt genere ac natura ſua fortunis omnibus præferenda concedam, tamen vel hominum, vel temporum vitio prope inter poſtrema vbique & ab omnibus expetuntur, à quo peruulgato & communi errore Fredericus ſatis magnam laudem meruerat, ſi iuuenilem animum abſtinuiſſet. Verùm naturæ bonitas ſingularis & incredibile ingenii acumen, quo ille maximè excellit, peruicere, vt non modò meliora cognoſceret, ſed cognita quoque mirabili ſtudio & conſtantia ſequeretur. Itaq; breui ad eam diuini & humani iuris ſcientiam, ſola rei ipſius pulchritudine ductus peruenit, ad quam ſi quis è media plebe fructus cupiditate & quęſtu tantummodò motus perueniſſet, iampridem digniſſimus haberi potuit, qui huic cœleſtium conſiliariorum collegio inſereretur. Quòd ſi literarum diſciplina, & iuris cognitio, quarum alterutra in plebeio ac tenui homine ſatis eſſet ad hunc ordinem aſſequēdum, in adeò illuſtri viro parum ſufficiunt, & merita maiorum requiruntur, quis vnquam in toto orbe terrarum aut fuit, aut eſſe potuit aliquando, in quo ornando & efferendo ſancta hęc ſedes propenſior eſſe debuerit? quandoquidem in vno multis pariter gratia referenda, auo ſcilicet Friderici, patruoq; & parenti, ac fratri, quorum prior rem Chriſtianã innumerabili multitudine adauxit, duo reliqui mira conſtantia & virtute ſeruauére. Poſtremus incredibili animi magnitudine ſubſtinet ac defendit. Ex quibus vnumquodq; tãti eſt, vt nõ vna atq; altera dignitate compenſandũ, ſed cũctis ſimul opibus atq; honoribus, qui ab Chriſtian ę rei capite ac Patrono proficiſci queũt, iure cumulandũ videatur. Iam verò nobilitas, ob quã plæriq;, vt puto, ad exornandũ ſacroſanctũ hoc collegium, Cardinaliũ numero ſunt adiecti, tãta in eo eſt, vt non ſolũ veſter hic conſeſſus, ſed vniuerſum quoq; genus Chriſtianũ ab ipſo ſplendorem ac decus ſuſcepturũ videri queat. Nam cùm vltimũ, quod quidē ſciam nobilitatis faſtigiũ noſtris temporibus fuerit, à Rege eſſe procreatũ, Fridericus multis gradibus ſuprà euectus eſt. Quippe quòd nõ ſolùm patre, ſed auo etiam & patruo ac fratre Regibus illuſtriſſimus. Quibus accedit etiam nobilitas matris, quæ & ipſa Regis filia, Regis ſoror, Regis mater, Regis coniunx. Hoc vltimo gradu Beronicen ſupergreſſa, cui natalium illuſtrium felicitatem totam contigiſſe credidére. Huic itaq; tantæ ac tot maximorum Regum ſplendore vndiq; circumfulgenti nobilitati, non video, quæ demum claritas inter humana comparari poſſit, ex qua maius aut certè par lumen atque ornamentum cœtui veſtro videatur acceſſurum. Sed dabuntur poſthac cauſæ multę ac tempora de his dicendi atq; audiendi plura. Nunc, quod inſtitueram, proſequar aperire, neminem omnino eſſe, cui Rex Poloniæ non ſit præferendus ſtudio ac volũtate rei & nominis Chriſtiani conſeruandi atq; augendi. Quod licet ſatis planè intelligi potuerit ex iis,

Fridericus Caſimiri filius.

Elizabeth Regina Polonia.

Proſequitur de voluntate Polon.

quæ aduerſus Tartaros geri & geſta eſſe commemoraui, licet tamen aliorum quoq; breuem mentionem afferre, quæ in eundem finem piè ac religioſè ab eo facta ſunt, vel permiſſa, quibus cognitis, nemo dubitare poterit, bellum cum Tartaris geri à Polono, non ſtudio tuendi ſua, ſed voluntate religionis conſeruandæ. Nam cùm nulla ferè actio ſit, quæ ex toto careat otioſorum maligna interpretatione, video eſſe aliquem poſſe, qui publicam Chriſtianorum omnium defenſionem, quam ille vltrò præſtat, transferre conetur in neceſſitatem arcendi ab rebus ſuis, infeſtiſſimæ latrocinium gentis, quod vt ita foret bene, inſtituti tamen animi eſſet non extenuare beneficium, neq; exigere, vt alteri profuturus, nullum interim ſui reſpectum habeat, ſed potius gratiam referre, vt fluminibus, vt ſoli, vt lunæ, & cæteris eiuſmodi, quæ dum naturam & curſum ſuum, à quo deſinere non poſſunt, exequuntur, mouenturq; in aliud, nobis etiam proſunt. Sed non propterea quòd Polonus bellum, per quod religio conſeruatur, nolle gerere non poſſe videatur, ideò & minùs vult. Cùm enim ſuſcepit id, quod nunquam deponi poſſe intelligebat, perſeuerare inſtituit. Itaq; nó ex eo, quod nunc agit, ſed ex illo primo conſilio & voluntate arbitror percenſendum. Nec qua neceſſitate nunc pugnet, ſed qua mente & cogitatione bellum ſuſceperit exiſtimandum. Et cùm religio ad id eum pellexerit, minimè inuidere oportet, quòd dum nos defendit, ſe quoq; & ſua tueatur. Huc adde adiacentium aliarum regionum ſecuritatem ac pacem cum eodem hoſte, quæ vel ſola ſatis ad probandum, Polonos quoq; in ſimili quiete agitare poſſe, ac non niſi religionis ardore inflammatis animis, vltrò pro illius ſalute atq; amplitudine depugnare. Cuius rei etiam, vt à malignis interpretibus dubitatio aliqua excitari potuerit, nonne & tota & funditus paulò antè extirpata eſt, cùm Rex Poloniæ bello, de quo iam dudum loquor, haud intermiſſo, non modò pecunias, ſimul & gentes, nec ſemel, nec exiguo numero ſubmiſerit in expeditiones alias, reliquorum Chriſtianorum auſpiciis ductas contra Turcos, verùm etiam vacationem dederit à domeſticorum bellorum muneribus, ac ſponte indulſerit, vt ſine fraude eſſet ſuis omnibus, qui cruce ſignati Chriſtiano nomini militaſſent, quod nullo modo oportuit, ſi aliud quippiam quàm religionis columen, pugnandi aduerſus Turcos, cauſam ſuggereret. Quid enim pertinere ad ſe Polonus putauiſſet ea, quæ ab aliis cum Turco agerentur, ſi non niſi pro ſe ſollicitus foret, aut qua ratione de viribus ſuis & facultatibus domeſtico periculo propulſando detraxiſſet, ſi nõ vel, ut ante dicebam, ab initio ſuſceptæ profeſſionis noſtræ, gens illa in animum induxiſſet, ſe vbiq; ac pro omnibus Chriſtianæ rei hoſtibus opponere. Sed nimis

De potentia Polonorum ad tuendam religionem.

multa de Polonorum voluntate, quam Chriſtiana re defendenda propenſiſſimam eſſe cùm docuerim, ſupereſt oſtendi potentiam quoq; ipſorum, aut illam æquare, aut etiam antecellere, cuius rei validiſſima fundamenta video conſtituta inter diſſerendum de Tartaris. Nam ſi egregium quippiam ac magnum putatur, vel ſubſtinere, vel oppugnare Turcos, genus hominum ab initio mercenarium & translaticium ex Aſia, dubiis originibus, paucis armis, & nulla militari diſciplina, quàm immenſa intelligi debet potentia, qua cohibentur, ac veluti repagulis quibuſdam inter ſuos fines includuntur Tartari, qui in Sarmatiam & Scythiam vniuerſam non aduentitii, nec claritatem generis ab alia quapiam natione repetentes, ſed indigenæ, ac de originum vetuſtate cum ipſo rerum exordio decertantes, multitudine verò ac gloria bellorum quicquid reliqui in toto eſt orbe humani generis ſuperantes, multis populis ac nationibus omni genere memorabilium geſtorum domi foriſq; inſignibus, quod ab ipſis quaſi ex quodam pugnaciſſimarum gentium ſeminario ortæ ac profectæ dignitati ſimul & gloriæ fuére. Rebus autem bellicis euſq; ſemper valuére, vt cùm Martem apud ſe natum profiteantur, aliæ omnes vbiq; gentes facilè credant. Sed cùm videam, vos non ſine quadam voluptate audientes hæc cognitioni noſtræ propter locorum diſtantiam non familiariſſima, conſenſus veſter ſimul & ratio Polonicæ magnitudinis apertiùs declarandæ facit, vt licet oppugnandis Turcis ſatis videri queant, vireſq; Tartarum multitudine ac robore hominum, tum audacia & celeritate

Turci & eorum progreſſus.

Scytharum commendatio.

leritate

lacritate aggrediendi res & conficiendi, præterea laborum neceſſitatumque omnium patientia maximo interuallo illos antecedentem, ſubſtinuére ſemper ac ſubſtinere, tametſi recenſenda etiam putem alia, ex quibus id, quod inſtitui, locupletius comprobetur. Itaq; omiſsis Tartaris, præterea quòd milite & potentia Chriſtianam rem contra Turcos ſæpè Polonus iuuerit, in qua re vel ſola maxima tutæ facultatum ineſt argumentum, libet interrogare, quo tandem amplitudinis gradu cenſendam arbitremini eam potentiam, quam, vt paulò antè dicebam, Rege Alberto mortuo, cùm non ſolùm à Turcis, verùm etiam à Boemiis atque Auſtralibus in orbitate ſua oppugnaretur, inclytum Hungariæ regnum, præter omnes idoneam ac digniſſimam cenſuit, cui ſalutem ſuam libertatemque committeret. Quod quidem iudicium debet apud vos omnino eſſe grauiſſimum, quando Hungari propter tot bella, quibus vndique circumſepti in vltimo diſcrimine rerum ſtatum ac nominis conſtitui minimè videri queunt, aut temerè, aut per cupiditatem aliquam imploraſſe illos, quorum domi atque foris facultates omnes propter vicinitatem minimè ignorarent. Idem quoque licet de Prutenis & dicere & credere. Nam cum Teutoni ſub titulo beatæ virginis religioſam militiam profeſſi iampridem eum regni Poloniæ tractum, quem ad ſinum Codanum Sarmaticumque Oceanum, Pruſſiam ac Pomeriam vocant, Polono in honorem fidei noſtræ, cuius illi defenſionem præ ſe ferebant, non aduerſante poſſiderent, atq; vbi quibus cum pugnare conſueuerant Litfani, cum Rege ſuo Vladislao Chriſtianis ſacris ſunt initiati, cœpiſſent quò ſecurius, eò libentius inter ſuos agitare, Pruteni eorum cupiditatibus offenſi, ad Polonorum opes confugêre, quas nullo modo imploraſſent, niſi tantas eſſe intellexiſſent, vt eos non ſolùm ab inuiſo paucorum Teutonorum dominatu vendicare poſſent, verùm etiam contra vniuerſam Germaniam facilè tueri. Eſt enim religioſa ea militia confugium omnium nobilium Germanorum, quorum fortunas caſus aliquis domi attriuerit. Eamq; ob rem non ignorabant Pruteni fore, vt tanquam ad commune incendium ex tota Germania accurreretur, & res bello repeterentur, quod cùm contigiſſet, quia inter Chriſti fideles dimicatū libentiſſimè prætereo, quanta ſuorum clade Germani inuictiſſimum Poloniæ robur ſunt experti? Vos nihilominus, & ſi ea, quæ ſine ſummo dolore propter Chriſtiani ſanguinis effuſionem narrari non poſſunt, prætermitto, ex his, quæ commemoraui, facilè intelligitis immenſam quandam atq; incredibilem eſſe potentiam, quæ tot ſimul bellicoſiſſimarum gentium conatus fregerit ſemperq; retuderit. Huc adde à Moſcouienſibus Ducibus imploratum à Polono paulò antè contra fratres iniurias patrocinium, in qua re arma expedienda nō fuêre. Dux enim ille, quamuis audax & confidens, opumq; alioquin atq; hominum multitudine Barbaricæ elatus, ceſſit authoritati regiæ, & quo nullum poteſt eſſe aut maius, aut certius rei ac maieſtatis Polonicæ documentum, vltrò fratribus priuſquā admoneretur, ſatisfecit. Sed vt contendi queat, valuiſſe in iis, quæ commemorata ſunt, aut locorum opportunitates, aut hominum neceſsitatem magis, quàm eorum, à quibus res Polona implorata, vel iudicium, vel voluntatem, id quod mox dicturus ſum, certè neq; auerti à malignis, neq; attenuari ab inuidis, nedum maximè ab hoſtibus formidari poteſt. Vltrò enim ac libere animi voluntate ſuſceptum, incredibili copiarum atq; opum vi inchoatum, ſumma denique animorum & corporum alacritate ac robore perfectum eſt, quod ignorare vos non ſinunt multorum irriti contra eos conatus. Boemorum regnum ſpacio terræ non ampliſſimum, ſed ſitu, armis, viris, equis, diſciplina militari, eſtque partim natura munitum, partim arte ac diligentia inſtructum, vt prope Centeſimum annum iam libertatem iuraque & ritus ſuos facilè aduerſus omnem ferè reliquam Chriſtianam vim tueatur. Hungaria verò cui fœliciori ſorte non huic ſanctæ ſedi aduerſari, ſed pro ipſius authoritate atq; amplitudine contra Turcos pugnare obtigit, vt eſt ſpacioſior multò, ita etiam omnium facultatum genere ac rebus geſtis inſignior. Contra hæc duo tam opulenta regna, tamq; omni humana ope atq; ornamento florentiſſima, vt alterum iamdudum penè ab omnibus

Hungarorū teſtimoniū.

Militia Teutonicorum in Pruſſia.

Polonorum potentia ex rebus geſtis.

Boemia.

Hungaria.

[illegible]

fidelibus, alterum ab infidelibus facilè ſe defendat, Rex Poloniæ paulò antè arma mouens, eodem tempore filium vnum in Boëmiam, alium verò miſit in Hungariam, tantis cum copiis, tamq; omni arte ac facultate bellica inſtructis atque ornatis, vt Boëmia quidem, quæ ſæpè antea Chriſtianorum aliorũ omnium conatus retuderat, vnius tunc impetum Reguli non ferens, ſe ſimul & ſua cuncta humana & diuina illi ſubitò tradiderit. Hungari verò, ſiue in honorem fidei noſtræ, quam tuentur, ſiue propter vicinitatem & fœdera, quibus fuére ſemper cum Polono coniuncti, peruicére, vt à Buda ipſa regni capite, quo iam Regulus alius proceſſerat retrò ad parentem reuerteretur. Maxima hæc omnino & incredibilem quandam opum, virium, facultatum amplitudinem præ ſe ferentia, non tamen maiora, quàm polliceri queat. Immenſum & prope infinitum ſpacium, per quod eiſdem, quaſi quibus orbis terræ partes, finibus circundatum Poloniæ regnum inter Boriſthenem, Iſtrumque, & Oderam, ab Euxini maris littore ad Sarmaticum Oceanum porrigitur, intra quos non tam eius regni, quàm penè humanæ naturæ terminos, id quod rebus in bello gerendis nihil eſt efficacius vnica, ſed copioſiſſima. Et terrarum tanto ſpacio æqualis gens eſt & natio, non moribus, non lingua, non inſtitutis varia, ſed omnium diuinarum humanarúmque conſenſu, ſimul & iure ſociata, cuius ſi ſtudia ſi volũtates, ſi deniq; ceu conſpirationem quandam in omnibus agitandi rationibus ſpectes, verius domum vnam & familiam, quàm nationem dixeris: ſi verò multitudinem intuearis, non regni vnius incolas, ſed totius orbis terræ populum eſſe arbitreris. Equorum verò atq; armorum tanta illic copia, quanta, vt nihil aliud dicam, ſatis ſuperq; fuit, cùm eodem tempore numeroſiſſimis Tartarorum copiis reſiſtendum eſſet, Hungariaq; & Boëmia diuerſis exercitibus, ſed eiſdem maximis, & ad rem gerendam inſtructiſſimis oppugnarentur. Nam diuitiarum modum quis ritè exiſtimauerit, cùm non vt aliis quibuſdam in regionibus, aurum atq; argentum ſub terram prope ex ipſis inferorum penetralibus modicè ac laborioſiſſimè eruatur, ſed manibus illuc importetur ab Anglis, Scotis, Dacis, Sueciis, Britonibus, Phriſis, totoq; eo nationum tractu, quem à Gadibus ad ſinum Codanum flexibusq; & nominibus multiplex abluit Oceanus. Vt enim arbitror vos minimè ignorare, eſt illis in regionibus alibi, vt in Hollandia & Flandria lineæ ac laneæ veſtis tam frequens artificium. Alibi, vt in vtraq; Hiſpania vini atq; olei: alibi, vt in Anglia & Scotia lanarum & pecoris tanta vbertas & copia, vt inde in multas prouincias res eiuſmodi deferantur. Tritici autem & frugum cæterarum nullibi modus pro indigenarum multitudine ſufficiens. Itaq; cùm omnes populi ac gentes alimentorum ſupplementa non aliundè ferè, quam ex Poloniæ regno accipiant, nec alimenta ſolùm, ſed ligna etiam & picem, cæteraq; opportuna fabricandis nauibus, quibus fruges exportantur, præterea colores lanis ac pannis inficiendis, tum etiam mel & ceram, & quibus omnis Septentrio abundat, ferarum pelles, genere, colore, vſu differentes, veſtimentis ſimul ornandis, ſimul aduerſus frigora & tempeſtates muniendis, dubitari non poteſt, tam infinitam pecuniæ vim illuc importari & remanere quàm infinita eſt multitudo rerum, quibus tot populoſiſſimæ regiones alendæ ſunt ſimul & ornandæ. Atq; ideò quando vires & potentia regionum colligi ſoleat ex rebus geſtis, ex amplitudine ac ſpacio terræ, ex multitudine armorum atq; equorũ, deniq; ex diuitiis, omniúmque harum rerum demonſtratum ſit, Poloniam ſplendore, magnitudine, copia, vi maximè eminere, nimirum fateamur oportet regni illius potentiam inprimis digniſſimam eſſe, in cuius amplitudine ac robore reſtituendæ in integrum, religionis noſtræ ſpes omnis collocetur. Sed quoniam fieri poteſt, vt quantumuis maximæ facultates inefficaces ſint ad expediendum id, quod inſtitueris, propter aliquam, vel à natura, vel à caſu iniectam difficultatem, quandoquidem planum fecimus, in vnico Poloniæ regno ſatis ſuperq; opis eſſe Chriſtiano nomini, quod poſtremò factūrum me propoſui. Iam nunc dicam de conficiendæ rei facilitate, vt oratio mea finem aliquando accipiat, & tu non ſolùm, quia poſſis profeſſionis noſtræ hoſtes exterminare, ſed etiam quia facilè poſſe videas, ad tantum

Poloniæ regni ſpacium ad potẽtiam.

Multitudo & concordia Polonorum ad po.

Equorum armorumq; copia in Polonia.

Diuitiæ regni Poloniæ.

Angli. Scoti. Dani. Sueuij. Britones. Phriſi. Gades. Sinus Codanus. Hollandia. Flandria. Hiſpania. Anglia. Scotia.

Epilogus de potentia Polonorum.

De facilitate rei conficiendæ.

tantum tamq; immortale decus cõſequendum mentem tuam ſimul & actiones conuertas, intelligo ſanè nihil eſſe, quod quidem magis inuitare ad agendum poſſit, quam facilitas perficiendi. Atq; ideo partem hanc vel accuratiſſimè tractandam fuiſſe. Verùm quia in his, quæ hactenus dixi, multa explicata ſunt de rei Chriſtianæ ſimul & Turcicæ vi, magnitudine, copiis, de armorum genere, de opibus, de bellandi ratione ac diſciplina, ſimul & de rebus geſtis, ex quibus omnibus facilitas ipſa delendi execrandam ſuperſtitionem ac diram gentem, de qua loquimur, non obſcurè colligi potuit. Præterea, quia vnius alicuius aut Regis, aut liberæ ciuitatis opibus melius, quàm vniuerſorum Chriſtianorum conatu id effici poſſe iam dixi, in eaq; facultate Poloniæ regnum maximè eminere, propterea quòd maximum ſit & populoſiſſimum, abundetq; rebus omnibus, quibus bella conficiuntur, multò ero in hac vltima parte breuior, quàm fueram prioribus explicandis, totamq; hanc etiam facilitatis rationem pendere à Polonis demonſtrabo. Præter illa enim, ex quibus modo dicebam, facilimum vt pauciores à plurimis vincantur, ſeminudi ab armatis, egentes omni bellico apparatu ab inſtructiſſimis, præterea ignari militarium artium, à peritis, & qui admodum exigua rerum geſtarum fiducia in aciem prodirent, ab illis qui omnium victoriarum genere maximè florerent, tria ſunt quibus facilè conficiendorum *Subdiuiſio.* bellorum tota ratio continetur, propinquitas locorum quæ oppugnanda, acceſſus non impeditus, neceſſariorum facilis ſuppeditatio, vt viribus integerrimis progredi, vt citò perueniri, vt commodè perſeuerari poſſit. Quæ cùm ita ſint, *Prima pars ſubdiuiſionis de propinquitate, quâ Polono Turcis coniunguntur.* quis eſt tandem inter omnes Chriſtianis ſacris initiatos, vel propinquitate ad rem gerendam contra Turcos, vel facilitate accedendi, vel commoditate ſuppeditandi ſibi extrahendis bellis opportuna, qui ſit cum Polono conferendus? Licet enim multi ſunt terrarum, quas Turcus occupat finibus adiacentes, nemo tamen coniunctior exiſtimari debet, quàm cui expeditiſſimum ſit imperii illius non margines, & velut remotiſſima membra, ſed caput ipſum ſtatim vitalia aggredi & conuulnerare. Vt enim planè percipiatis, quid inter Polonum atq; aliis Turcis finitimos interſit, reliquis omnibus, magna pars temporis bello vtilis, abſumenda aut mari, aut vaſtiſſimis ſolitudinibus emetiendis, priuſquam perueniant ad loca, in quibus res gerenda. Polonus verò ſic Turcorum terris eſt coniunctus, vt ſimulac fines ſuos tranſcenderit, in promptu habeat ſeu ditiſſimum gentis illius emporium Adrianopolim, ſeu imperii caput Conſtantinopolim malit oppugnare. Superato enim ad Siliſtriam Danubio, quouſque Poloniæ *Secunda pars ſubdiuiſionis de facilitate accedendi.* regnum extenditur, ſi ad Orientem conuertat agmen, decem dierum ſpacio ad Thracium Boſphorum perueniet. Si verò meridiem verſus progrediatur, biduo minùs attinget Andrinopolim. Atq; vt non ſolùm breue, ſed nulla etiam montium, ſyluarū, fluminum difficultate impeditum iter intelligatur, ad Danubium vſq; duo tantummodò nauigabilia ſuperanda, Tiras & Sarectus. Ille Po- *Tiras.* doliam inter & Valachiam influit Euxinum. Hic verò per mediam ferè Vala- *Sarectus.* chiam labitur in Danubium, ſed vterq; in poteſtate eſt Poloni, materiaq; abundè ſuppetit vbique, ſeu pontes, ſeu naues fabricare inſtituerit. Cæterùm, nullus vſquam ſaltus, nulla palus, nullæ rupes, quibus properantis exercitus nedum militaris gradus, ſed ne quidem valeat remorari. Poſt Danubium, primis caſtris Hemus tantummodò tranſcendendus, per eum locum, quem incolę Bolcanum *Hemus.* vocant. Duplex eſt iugum, ſed vtriuſque aſcenſus & deſcenſus haud ſanè perdifficilis. Via verò tam lata, vt geminos ſimul currus vbiq; facilè accipiat. Inde campi colleſq; frugiferis arboribus ac vinetis conſiti Theſſaliam verſus. Nam Thracia horridior paulò, & vt frugibus vbiq; infœcundior, ita pecoribus abundantior. Ad quam viæ facilitatem accedit, quòd eundum eſt per gentes, non dicam minimè infeſtas, ſed quia religionem noſtram profitentur, fauentes Chriſtianis rebus. Polono autem non ſolùm ex vicinitate cognitas, & amicas, ſed etiam propter linguam atq; originum cognationem quodammodo conſanguineas. Numeroſiſſima enim ad Septentrionalem Oceanum, & plagam frigoribus damnatam, natio, quam, id quod plerią; veſtrum non ignoratis ab initio quidam *Excurſus de origine Polonorum, gentiumq; aliarū eiuſdem linguæ.*

Venedes, nonnulli Antes, plures Sclauos nominauére, paulatim cœli terræque clementiam ſecuta in Auſtrum ad interiora Sarmatiæ prius Roxolanis ſe immiſcuit, cum quibus poſtea corrupto vocabulo Ruteni ſunt appellati.

Ruteni.

Inde proſperè cùm migratio prima ſucceſſiſſet, erectis animis ad fœliciora in leuam dextramque ſe effudit, & illinc quidem ad Euxinum vſq; Podoliam Ruſſiamq; Albam, hinc verò vtramq; ripam Iſtulæ Mazouiamque ac reliquas Polonici ſimul & Boemici regni terras multitudine ſua impleuit, & mox trãſgreſſa Danubium, non vnius atque alterius vrbis, ſed pro rerum, temporum, fortunæ opportunitate, modò armatos, modò inermes magnarum regionum populos, velut in colonias mittens, Bulgariam, Raſciam, Boſſinam, Seruiam, Croaciam, Sclauoniam, cùm occupaſſet, propagandi ſui non antè finem fecit, quàm ad ſinum perueniit Adriaticum, ibi tanquam Septentrioni, à quo profecta erat, aduerſum orbis terrarum marginem attigiſſet, & natura ſe, ne progredi iam poſſet, opponeret, vltra ſe diffundendi modum ſibi conſtituit.

Podolia.
Ruſſia alba.
Mazouia.
Polonia.
Boemia.

Bulgaria.
Raſcia.
Boſſina.
Seruia.
Croacia.
Sclauonia.

Maximus omnino ac vix animo metiendus terrarum tractus, inter humanæ naturæ Septentrionalem terminum ac ſinum Adriaticum. Sed vtrunque immenſus vel infinitus potius eadem vbique lingua & præter Romanorum Coloniam Valachiam, gentes omnes eadem primordia profitentes.

Valachia.

Hic iam, etſi nihil dicerem, tamen animis & cogitationibus veſtris ſubiret, quid ad bene gerendæ rei facilitatem interſit inter eos, à quibus omnia per interpretem expedienda, & illos, qui per ſe mutuò colloqui, hortari, percipere, rogare, pacifici valeant. Cùm enim duo ſint, quibus & diſtamus à beluis, & vis omnis humanæ ſocietatis continetur, ratio ſcilicet ac ſermo, & illa quidem ſine hoc hominibus fruſtra conceſſa videri queat. Nam quid attineret, quantumcunque ſapientiſſimè cogitare, diſcurrere, prouidere, ſi non eſſet ſermo, qui rationis inuenta enunciaret.

Duo ſunt, quibus diſtamus à beluis.

Ea demum natio, quæ gerendis rebus non ſolùm inuenitur opportuna, ſed etiam ſtatim eloqui poſſit, inprimis idonea iudicanda, cui actionis, de qua loquimur, ſumma committatur. Huc adde, quod aiunt, ſapientem debere omnia priùs experiri, quàm arma. Quod ſi ita eſt, & ſi nedum bellum, ſed nec nomen quidem belli ſine armis eſſe nequeat, plura tamen omnino ſunt, quæ lingua, quàm quæ manu illic geri oporteat. In qua facultate quis tandem eſt alius, quàm Polonus, qui effuſiùs iactare ſe poſſit? Nam qui Turci communi appellatione dicuntur, gentis ſuæ veluti corpus, ex triplici hominum genere affecére, ex captiuis, ex transfugis, ex indigenis, & ii quidem adeò pauci ſunt numero, vt præ multitudine duorum priorum generum vix eſſe intelligantur. Cæterùm transfugæ captiuiq;, quos ſeruos vocant, omnes ferè ex gentibus, quas modò dicebam, linguam atq; originem cum Polonis habere communem. Ex quibus planè conſtat, vt nihil ferè niſi quod beluarum eſt, viribus, ab alia quapiam natione geri contra Turcos poteſt, ita omnia Polono eſſe expeditiſſima dicerem.

Turci.

Tertia ſubdiuiſionis pars de ſuppeditatione neceſſariorum.

Nunc, vt propoſui, quam facilis ſit illi annonæ ac reliquorum, quę ad bellum faciunt ſuppeditatio, ſi aliunde quàm à domo ea petenda eſſent & ſubmittenda, ſed cùm demonſtrauerim paulò antè frugum vbertatem, qua regnum Poloniæ occidentalem ferè omnem plagam enutrit, prætereà planum fecerim, velut imperii Turcici non fines extremos, ſed interiora, & quaſi centrum attingit, nullis interiectis, aut maris, aut terræ difficultatibus, non video quare ſit mihi in hac commorandum, quandoquidem ex prædictis iam pridem intelligitis, & abundè ea Polono eſſe, quæ vſus belli expoſtulat, & qua ſubuehenda ſunt, viam non ſolùm breuem, ſed omni etiam impedimento abſolutiſſimam.

Cohortatio ad rem gerendam.

Atq; ideò dicendi finem faciens, per Amplitudinem tuam, qua prope ad diuinum numen accedis, tum etiam per ſalutem populi, quem Deus beatitudinis ſuæ ſocium eſſe voluit, prætereà per incolumitatem religionis, cuius profeſſione à brutis diſtinguimur, cœleſtibusq; & æternis rebus admonemur, te rogo atque obteſtor, vt a peruulgata commiſſi tibi muneris adminiſtratione animum cogitationesq; tuos vendices, & quantus ſis, & quàm ſacer, & in quo diuinarum humanarumq; rerum culmine locatus reputans, immenſæ ac ſacroſanctæ magnitudinis tuæ æquales ſpiritus concipias,

atque vt immortalis Dei vicaria poteſtate Chriſtianam Rempublicam regas, ita ad illius laudes factorum tuorum aliqua imitatione velut accedas, reducendoq; & conſeruando in viam gratiæ eam gentem, quam ipſe vnigeniti filii ſui pretio ab æternæ damnationis culpa liberauit. Tulerint qui ante te fuêre Pont. Max. commendationem, aut retentis, aut conſtitutis legibus, quibus adiri adminiſtrariq; ſacerdotia, tum ſacrificia propitiationesq; ac diuini cultus, ceremonias & ritus obire & ſeruare oporteat, celebreturq; ipſorum nomen titulis magnarum quidem virtutum, ſed tamen quæ in multis & poſſint & ſoleant elucere, tu ſupra hæc vſitata & communia, quæ ſine admiratione propter frequentiam audiuntur elatus, ſublimiori quodam diuiniſq; operibus ſimilimo conatu, periclitans iamptidem ac planè periens Chriſtianum nomen, non hominis, ſed ſaluatoris noſtri æmula laude reſtituiſſe & conſeruaſſe memoreris. Declaraui effuſius etiam, quàm pro diuini ingenii tui acumine oportuit ſatis ſuperq; virium fuiſſe ſemper ad id decus nanciſcendum. Sed eos, quos paulò ante te hoc in faſtigio maieſtatis ſuſpici contigit, pluſquam pro modo belli & conatos eſſe, & timuiſſe, ex eoq; à vera bene gerendæ rei ratione aberraſſe. Præterea minimè eſſe laborandum in Chriſtianorum omnium concordia, quod difficilis, quod intractabilis, quod ſuperuacua. Vnius namq; vel Regis vel liberæ ciuitatis opes abundè ſufficere aduerſus eos hoſtes, quorum paucitas contemnenda, diſciplina militaris nulla, arma ridicula, diuitiæ modicæ, res geſtæ ex perfidia. Poſtremò, eas eſſe Chriſtianas facultates, vt quantumcunq; volueris, facilimè poſſis & conficere. Ex quibus non ſolùm intelligere, ſed & planè fateri oportet, expeditiſſimum tibi eſſe ad victoriam iter. Nec præterea, quæ confutata iacent, quiequam inter humana inueniri, quod animum tuum excelſum & magnificum aut poſſit, aut debeat reuocare, à tam ſublimi culmine laudis, honoris, gloriæ conſequendo, præſertimq; dum hoſtis diſtractus, & bello Syriaco implicitus & afflictus, nedum conatibus tuis reſiſtendi, ſed ne reſpirandi quidem ab ingentibus cladibus illic paſſis habet facultatem. Aderunt eo in conatu tibi alii plæriq;, quos Chriſtianæ rei iactura ſollicitos habet, ſed inprimis Poloniæ Rex inuictiſſimus, cuius vt dixi, populi ab ipſis cunabulis tuenda religione noſtra erudiuntur, nec quicquam in omni vitæ curſu, aut frequentiùs agunt, aut pertinaciùs, quàm vt inſultent infidelibus. Habebis itaq; militem, cui genus id belli non ſolùm ſit cognitum, ſed etiam familiare. Præterea qui hoſtem ex propinquo ſubitò inuadere. Propterea verò quòd abundat omnibus, quibus & geritur bellum, & extrahitur acerrimè, ac perſeueranter oppugnare poſſit ac velit. Ad extremum, cui gentes inter quas decertandum, primordiorum cognatione coniunctæ, eamq; ob rem, ſimulq; quòd Chriſtianis ſacris initiatæ, vinci cupientes, ac minimè pertinaciſſimè repugnaturæ. Et quoniam non pauciora conſilio, quàm viribus tranſigenda erunt, cum milite & regni illius conſiliarii præſto, cum aliis generibus omnibus deliberationum prudentiſſimi, tum in eius belli ratione maximè exercitati, in primis Petrus de Buyno, Epiſcopus Vladiſlauienſis, cuius ingenii acumen, grauitas, conſtantia, magnitudo, præterea vitæ ac morum ſanctimonia humanum modum ſupergreſſa iam pridem meruêre, vt à cura illius velut anguli Chriſtianæ rei transferretur in hanc religionis noſtræ, ſacroſanctam arcem, ex qua in electorum populo, non corporis vnius, ſed totius multitudinis ſaluti intenderet ac proſpiceret. Quæ cùm ita ſint, dubitare non debes, ſed neq; potes, eum Deo Opt. Max. bene iuuante triumphum te conſecuturum, quo ſupra omnem humanam laudem, decus, amplitudinem, auguſtus & ſanctus, viuus adhuc & ſentiens habearis. Populus autem Chriſti, ac nomen, velut rigidiſſima hyeme depulſa, vbiq; in terris floreat. Cœlum deniq; ipſum ineffabiliter gaudio impleatur, non vna atq; altera inuenta oue, ſed innumerabilibus, infinitis, quæ à recto beatitudinis noſtræ itinere vel abductæ fuerant, vel aberrauerant.

Epilogus generalis.

FINIS.

MAGNIFICO PATRICIO, ET SAPIENTISSIMO SENATORI VENETO, M. ANTONIO MAVROceno, Matthias Dreuetius Regis Alberti Secretarius Salutem.

DEFVNCTO *paulò antè Caſimiro Rege noſtro, cùm quinque ipſius filii ſupereſſent, habereturq́ conſultatio de creando ſucceſſore, minimè ab initio idem conſilium omnibus fuit. Quidam enim naturæ ius atq; ordinem ſequendum arbitrantes, ad primogenitum ſe conuerterant. Nonnulli virtutem ac merita, quam magis naſcendi felicitatem intuentes, Albertum malebant, quòd iam tum bis regnum à Tartaris ſeruaſſet, nec ſolùm indole, ſed magnis etiam ac præclaris rebus geſtis eminuerit. Alii verò quamplures ſuadebant, non quòd ex cauſa aliqua regnaturo deberetur expendi, ſed quid regno, & iis, qui parituri eſſent, expediret, eumq́ deligendum potiſſimè, ſub quo viderentur commodius agitaturi. Sed, vt decuit, ad extremum aliis quibuſcunq; rationibus præponderauit reuerentia virtutis, ſimul & gratia meritorum, pariq́ omnium conſenſu in faſtigium paternæ fortunæ Albertum extulere. Hic paucos poſt dies conſilia, vt fit, ſuorum exquirens, de fœdere cum Turcis renouando, miſit me ad Petrum de Buyno, Epiſcopum Vladislauienſem, cuius fidem & potentiam in conſulendo, paternis rebus ſemper magno vſui fuiſſe ſciebat. Ad ſe verò Regem declarandum ſtudium ſimul & momentum maximum attuliſſe. Profectus igitur ad illum in Cuiauiam, cùm offendiſſem legentem in hiſtoriis, quas Vincentius de rebus Polonorum edidit, vbi ſententiam ſuam protulit de his, quæ Regis nomine propoſueram. Conſiderabam, inquit, mecum inter legendum, modò non temerè cuiuslibet eſſe hiſtoriam conſcribere, nec ſine ſumma ratione, apud antiquos id munus ab honeſtis viris, eiſdemq́ ſapientibus, multumq́ & diu in Republ. verſatis vſurpari conſuetum. Sciebant enim acuta quidem & ſolertia ingenia, in quacunq; fortunæ ſorte procreari ſolere, magna verò & capacia omnium, quæ aut Reſpubl. aut regna conſtituunt, augent, ornant, ſubſtinent, oriri non poſſe, niſi ex natalium amplitudine, quæ par foret ſcribendorum maieſtati. Ad cognitionem autem & iudicium eorum, quæ vel vtiliter, vel honeſtè, aut contra in Rep. adminiſtrantur, non adeò inter Scholaſticos, ex Philoſophorum præſcriptis, quàm ex vſu gerendis rebus perueniri. Quæ ita eſſe vidi ex Vincentio. Nam licet ingenua, quia tamen tenui in familia ſimul natus, ſimul educatus, ſupra communia & vſitata cogitationes atq; animum minimè attollere potuit, eamq́ ob rem minuta quæq;, ac propemodum ſordida, cõſectatur. Si qua verò vel modicè excellunt, ea quibus aſſueuit pro magnificis ſcribendo, ducit, miraturq́, ac narrat diligenter. Ab illis autem, quæ ſunt vi & natura ſua verè maxima & memorabilia, eouſq; velut obruitur propter inſolentiam, vt neq; ingenio capere, neq; oratione ſubſtinere illa poſſit. Ex quo euenit, vt narratio alibi, vt caligans, ſtatim circa initium hæreat, alibi vt cæca progrediendo offendat, nonnullis etiam in locis tanquam victa ſuccumbat. Et quoniam non in Senatu magis cum ciuibus, ex vſu rerum & temporis, ſed domi cum bellis, quaſi ex formula de prudentia, cæterarumq́ virtutum artibus diſceptare conſueuit, deliberationes aut nullas, aut ineptas inſerit, & in reddendis agendorum rationibus & cauſis, plerunque inanis, interdum alienus, ſæpè etiam contrarius inuenitur. Ad conciones demum, quarum efficacia ferè omnis duci ſolet ex præcedẽtibus dictis factisq́, vt qui eorum neq; experimentum habet, neq; notitiam, nulla præparatione aut memoria præteritorum accedit, nullam ex argumentis quaſi vim, nullam ex ſententiis approbationem adhibet. Atq; ideò neq; attentionem legenti, neq; ſenſum elicit, iacetq́ non exanguis tantùm, verùm etiam exanimis totus ille vigor & curſus rerum atq; orationis, à quo hiſtoria vehementiam quandam, & velut*

velut ſpiritum accipiunt, terrendo, cohortando, miſerando, indignando. Quam partem boni authores accuratiſſimè tractauerunt, vtpote ſine qua ciuitatum & populorum mores, conſuetudines, inſtituta, tum ſeparatim cuiuſque natura, affectiones, ſtudia, neque colligi, neque decore oſtendi potuiſſent. Quòd ſi nil plus, quàm intelligi queat ex Vincentio, in maioribus noſtris fuit, ſeu prudentia in conſiliis, ſeu conſtantia in periculis, aut firmitatis in laboribus, aut induſtria in aggrediendis rebus & gerendis, nec melioribus, quam ille narret, vel artibus, vel inſtitutis regnum ſimul & nomen ſuum propagauère, pudet pigetq; me noſtræ nationis. Si verò tam multa & magna in pace, in bello, domi atq; foris, neq; præuideri ſine præcipua quadam & prope diuina ſapientia, neq; ſuſcipi ſine animorum magnitudine ſingulari, neq; perfici ſine ſumma & virtute, & ratione potuére, meritò quidem doleo, non contigiſſe illis parem ſcriptorem, & qui ingenio & ratione facta ipſa complecti atq; exæquare poſſet. Quamobrem cum Callimacho noſtro, vt eam prouinciam ſubiret, egi ſæpè aliàs, ſed nuper accuratiùs, cùm legiſſet mihi libellum nouiſſimè à ſe æditum, de his, quæ à Venetis tentata ſunt, Perſis ac Tartaris contra Turcum concitandis. In qua materia explicanda, viſus eſt mihi aſſequi quaſdam vtiq; velut vmbras, & prima lineamenta, ſcriptoris neq; imperiti, neq; rerum inexperti. Tametſi in eo conatu memorabili quidem, ſed quia prius omiſſus quàm inchoatus, nil tale fieri contigit, in quo aut ingenium, aut facundia magnoperè ſeſe efferret. Sed tamen exinde poſſemus, ſi magnam aliquam & copioſam materiam aggrederetur. Adiuuat enim amplitudo rerum ſcriptorem, & in ſplendore ac ſtrepitu factorum dictorumq; ſublimium veluti ſcribentis ingenium excitatur. Ita ſi quis eſt orationis ſqualor & tenuitas ferè deliteſcit. Sed cùm ita à me diſceſſerit, vt minimè certum habeam, quid de effectu petitionis meæ mihi poſſim polliceri, feceris tu mihi rem maximoperè gratam, patriæ autem noſtræ honeſtiſſimam, vbi ad ipſum veneris, ſi meo ſimul & tuo nomine ceu vim adhibens, extorquebis, vt eam gratiam referat regno & nationi bene de ſe meritis. Scio multùm tibi aſſici, nec pertinaciter precibus tuis aduerſaturum, præſertim quòd non minùs laudis ipſum, quàm regnum ſequetur. ſi nobis obtemperauerit. Tu verò illi, à quo educatus ſis, & bonis artibus inſtitutus, nullum genus gratiæ aut ſolidius, aut quod malle debeat, referre potes, quàm ſi perſuaſeris, vt boni viri officio fungens, illos à quibus ornatus eſt atq; auctus ferè omnibus humanæ fortunæ decoris; viciſſim ornet ipſe, immortalitatiq; commendet.

Reuerſus igitur ad Regem, ſine mora Callimachum adij, tam ſtudio exequendi, quæ in mandatis dederat Epiſcopus, quàm cupiditate videndi libellum cuius intulerat mentionem. Ille de hiſtoria quidem conſcribenda reſponſum dedit, quale oportuit eum, qui foret grauiſſima voluntate erga Polonos, & minimè contumax videri cuperet aduerſus Epiſcopi poſtulata, ſed in re tam ardua, laborioſa, ocij, ingenij ac doctrinæ ſuæ rationem habendam putaret. Libellum autem non ſolùm facilè, verùm etiam libenter exhibuit, cuius lectione poſtea cùm ſupra modum delectare dubitaſſem, equidem falli, aut propter beneuolentiam, qua iure Callimachum quaſi parentem proſequor, aut propter conſuetudinem legendi ſcripta ipſius cum voluptate, vel certè propter ætatem imbecillam adhuc talibus iudicandis. Sed authoritas Epiſcopi ſummi viri, nec ſolùm præditi ingenio ac doctrina ſingulari, ſed omnium quoque diuinarum humanarumq; rerum cognitione, ac prope experimento prudentiſſimi confirmauit me, vt crederem non ſolùm meritò placere mihi, verùm cum voluptate & fructu aliquo legendum etiam ab omnibus, qui in Reipub. alicuius adminiſtratione cum authoritate aliqua & dignitate verſarentur. Nec ſolùm ob eam rem, ſed etiam quia continet geſta eius ciuitatis, quæ tibi patria eſt, & in qua meritò plurimùm excellis propter doctrinam tuam & virtutem incredibilem dignum putaui, vt cura & diligentia mea in manus tuas perueniret. Eſt vt legendo comperies vetuſta, & magnarum actionum communione fundata beneuolentia inter ciuitatem tuam & regnum noſtrum. Quòd ſi officium hoc meum qualecunque humanitate, qua es, accipies, ad publicam inter Venetum & Polonum priuata etiam amicitia noſtra acceſſerit. Vale.

P. CALLIMACHI EXPERIENTIS, IN LIBELLVM DE HIS, QVÆ A VENETIS TENTATA SVNT, PERSIS ac Tartaris contra Turcos mouendis, Præfatio.

POSTQVAM Vladislaus Poloniæ ac Hungariæ Rex, qui viribus & auſpiciis ſimul ſuis, ſimul cæterorum fidelium, maximeq́ Venetorum, diu contra Turcos Chriſtianum nomen defendit, ſecunda expeditione in curſu gerendarum rerum, non ſine ingenti iactura religionis noſtræ ad Varnam interiit. Græci, quorum imperium ad eam diem non alio magis, quàm illius præſidio ſteterat, conuertere ſe ad Italiæ opes implorandas, ſperantes, propterea quòd non priuato aliquo odio impugnarentur, ſed ob eam cauſam, quæ communis foret eis cum cæteris Chriſtianis, Italicos, qui minimè ignorarent, quàm triſte ſit & diſcriminoſum hominibus, agris, vrbibus, bellum, & quæ cum illo accidere ſolent, intra ſuos fines ſubſtinere, putaturos ſatius mala eiuſmodi ab ſe procul aliena defendendo retinere, quàm Græcorum etiam opibus, aucto hoſte, ingenti ſuarum rerum calamitate in Italia experiri. Sed pleriſq; curandis illic ſuis intentis, quibuſdam alienis imminentibus, nonnullis pacis atq; otij facilitate captis, nonnullis parum futuras clades prouidentibus, haud facilè inueniebatur, qui communi periculo inſigniter moueretur, putaretq́ ſibi potiſſimum euenturum. Igitur ſubacta Græcia, omnes ſimul poſtea trepidatio eadem ac pœnitentia inuaſit. Et paſſim animo angebantur, quòd propter quietem breuem ſimul & incertam, maximo ac impacabili bello, aditum ad ſe præcludere neglexiſſent. Apparebatq́ præſentis iam mali conturbatione perculſos magno conſenſu occurſuros. Sed vbi ruina, quæ procul ab oculis acciderat, in auribus quoq; fragor cœpit euaneſcere, ardor ille animorum, qui viſus eſt ab initio in aciem omnes ſubitò producturus, intra præteritorum reprehenſionem complorationum deferbuit. Neq; præter Venetos quempiam vſq; ad arma commouit. Illi haud ita multò pòſt vera æſtimatione affutura diſcrimina metientes, tum rati exemplo, magis quàm verbis ſe mouendis cæteris profuturos, dubium maiori animo an apparatu primas tuendæ religionis noſtræ partes ſuſcepére. In quo incepto præter ſpem poſtea deſtituti à Chriſtianis Perſas & Tartaros ſibi adiungere curauerant, agendoq́ & ſuadendo eò rem deduxerant, vt prope ſine aut labore aut periculo fidelis alicuius, Turcorum opes funditus euerterentur. Verùm ſeu gloria illorum, ſeu Chriſtianæ felicitati fortuna inuidens, facilè inuenit, quomodo non tantùm ab inſtituto committendi inter ſe infideles, ſed etiam à toto eo bello cogitationes ſimul & vires ipſorum retraheret ad reſiſtendum oppugnaturis vicinitoria, & quæ ſine totius imperij Veneti naufragio negligi non poterant. Cæterùm, quia non citra effectum res omiſſa eſt: adeò autem ratio conſilij laudanda, ac non minùs admiranda, ſimul & prædicanda magnitudo animi & conſtantia eorum, qui à ſuis deſeri cùm ſentirent, nequaquam periculis cedendo, ſed quòd alios ad pacem & concordiam inclinaſſet, in ſtimulum gerendæ rei auertendo non tantùm inuenerant, quomodo opportunitatibus ſuis tunc conſulerent, ſed etiam demonſtrauére Chriſtianis cæteris facultatem ſimul & rationem delendi aduerſarios ſuos, ſi quando poſtea intendere ad id animum placuiſſet. Eamq́, ob rem nuper cùm eſſem Craconiæ apud Ioannem Miricam in horto, vnà cum Nicolao Mergo Niſſenſi, ac Boſczi za Iacobo, quorum vtrius doctrina & eloquentia inſignior ſit an admirabilior, non facilè quis dixerit, mirati ſumus inter legendum res geſtas Venetorum, de Perſis propemodum diſſimulanter, de Tartaris verò nullam eſſe omnino in hiſtoriis Sabellici expreſſam mentionem. Sciebamus enim, multùm ac ſæpè eſſe actum à Venetis permagnos Oratores apud Regem Poloniæ, de vtraq; gente in Turcos concitanda, nec ſuccurrebat conſectantibus,

Ioã. Mirica. Nic. Mergus. Ia. Boſczíza.

ctantibus quæ potiſſimum ratione materia eiuſmodi foret prætermiſſa cum multa in ea eſſe viderentur, quæ varietate rerum & copia, hiſtoriam exornare poſſent, præterea nouitate ſua allicere lectorem ac tenere, ad extremum gentis, cuius facta deſcribuntur authoritatem, magnitudinem, ſapientiam, magnoperè declarare. Subiit igitur cogitatio mandandi ſeparatim literis, quæcunque cum nationibus illis vel geſta vel tentata forent à Venetis. Tum quia licere videbatur ſine iniuria eius qui indigna cenſuiſſet, vt ſcriptis ſuis insererentur. Tum quia memineramus ex perpetuis aliarum vrbium hiſtoriis, pleraſq; inſigniores materias excerptas, ac ſeorſum particularibus voluminibus explicatas. Interea autem quæ toto eo bello vel effici, vel tentari contigit, nihil aut illuſtrius, aut memorabilibus quàm id factũ apparebat, tum propter Tartarorum Perſarumq; nomen & bellicam induſtriam, ferè ab omnibus authoribus nobilitatam, tum ob Reges maximos, qui eo in conatu Venetis affuere, ſed & propter vtilitatem indicandi fidelibus quemadmodum periculorum ſuorum curatores magis remedia non ſuperſunt. Sed occurrebat in primis ea difficultas, quòd ſi hoc mihi faciendum aſſumerem, propterea quòd de me multa forent explicanda, non videbar tam liberè, quam ratio hiſtoriæ poſtulat illa commemorare poſſe. Atque ideo conatus ſum ab alterutro impetrare, vt verecundiæ ſimul & nomini meo conſulerent. Quandoquidem materia digniſſima foret, in qua eximium quodq; ingenium & eloquentia verſaretur. Sed cum ſuadendo parum proficerem, nolui pro virili mea, vel mihi ipſi, vel gloriæ eius Ciuitatis, à qua maiores mei oriundi ad extremum deeſſe, proſecutusq; ſum ita ſingula, vt neque derogauerim quippiam, nec arrogauerim veritati. Sed neque liberum fuit cum plerique eorum per quos hæc geſta ſunt, viuant, & facilè coarguere poterant mentientem. Cæterùm veluti dictorum factorumq; ſeries ad vnguem conſtat, ita fieri forſan queat controuerſia in vno atque altero proprio nomine eorum, à quibus res geſta. Fateor enim tam curæ fuiſſe, quo nomine mihi quis vocaretur, quàm quo conſilio atque ordine quicquam, aut geſſerit, aut dixerit.

Narrationis initium.

BELLO quod cum Ferrarienſe haud ſanè vltro inceptũ, Veneta Reſpublica cum tota Italia ſubinde geſſit, quando ſatis conſtat pari omnium ordinum tam gaudio quàm conſenſu eſſe depoſitum dubitari forſan queat plus ne ſpei in ſuſcipiendo quàm in gerendo animi Venetus præ ſe tulerit. Quippe quod apud ipſum vicinitas abhorrenteſq; à bellicis ſtudiis Ferrarienſium animi excitauerant, ab initio ſpem haud dubiam fore, vt ſine maximo conatu, priuſquam omnino quiſquam ad reſiſtendum expedire ſe poſſet, adiiceret imperio ſuo ceu ſuburbanum ornamentum ac præſidium, eamq; ob rem fiducia plenus arma ſuſceperat. Vbi verò reliqua Italia coniunctis viribus & conſiliis, velut ad commune incendium reſtinguendum accurrat, non fructus ſolùm ſed pulchritudo etiam victoriæ, ad rem gerendam animos erexerat. Præter id enim quod apparebat, exinde ſimul oportunitatem, ac vires, ſimul & cauſas ad ſubigendum plura quàm deſtinaſſet acceſſuras, longè glorioſiſſimum videbatur ſi ſine aliquo externo auxilio ſuis opibus atq; auſpiciis tam multorum pariter impreſſionem contra ſe retudiſſet. Atque ideo ſummis, & viribus & conatibus decertatum. Nam in pace quidem ſuſcipienda, non tam præſens difficultas valuit, quàm memoria periculorum & tædium belli, quòd prope ad Trigeſimum annum varia fortuna cum Turco extractum, paulò ante depoſuerat, deſiderabaturq; ferè ab omnibus in Ciuitate laxamentum aliquod, & ceu tempus ad reſpirandum. Sed veluti corporibus plenis ac mole ſua laborantibus frequentius mala valetudo inſultat, & facilius inhæret. Ita in adeo ingenti magnitudine multiplicium negociorum ac rerum maximæ ac populoſiſſimæ vrbis, nunquam tum fortunæ deeſſe poſſit occaſio

interturbandi aliquid. Tametſi pax ab omnibus vnanimi voto fuerat expetita, eius tamen dulcedinem non ex æquo omnium animi penitus admiſere. Nam & peſtilentia vehementius ſolito per id tempus ſæuiens, multorum domus luctu & ſqualore quotidie implebat, acceptaq; in Oceano Iberico clades, etiam fortunas aliquorum euerterat. Cum enim propter vulgatam iampridem adeo concordẽ totius Italiæ conſpirationem, Venetorum res haud procul exitio adducta crederetur, cœpiſſetq; ipſorum nomen & authoritas apud exteras gentes prope palàm

Columbus pirata.

vileſcere, Columbus maximè inſignis pirata, ſumpta exinde cogitatione ſimul & audacia, quatuor ex Venetis negociatoriis triremibus multa & pretioſa merce onuſtas, haud longè à promontorio, quod caput ſancti Vincentii appellatur, diripuit, dubium conſentiente Rege Portugalliæ, qui & ipſe Venetorum imperium tam vehementes contra ſe conatus toleraturum deſperaſſet. Id vtique ad ſuſpicionem valuit, quòd ab ea rapina Columbus cum rebus atque hominibus qui ſuperfuerant pugnæ commiſſæ, antequam triremes capi poſſent

Lisbona.

rectà in Lisbonam, quæ regia ſedes eſt, ſe recepit. Conſtat tamẽ dimiſſos captiuos poſtea hoſpitio ac viatico à rege beneuolè adiutos, quod ipſum malignè vulgò interpretabantur. Plærìſque id omne impenſum renouatæ in illius animo Veneti nominis reuerentiæ, poſt initam pacem in Italia, aliis diſſimulandæ mali facinoris conſcientiæ tributum aſſeuerantibus, ego Regis animum liberum ac ſublimem, nihil aliud captaſſe crediderim, quàm ne alienæ, aut iniuriæ intempeſtiuus vltor, aut miſeriæ inhumanus contemptor videretur, ſeruataq; totius facti in legitimum tempus cognitione, interea tam libertatis regni, quam benignitatis ſuæ ſeruaſſe rationem. Sub idem quoque tempus ex improuiſo plæ-

Copia Matthiæ Regis in forum Iulii.

ræque Matthiæ Regis Hungariæ copiæ irrupere in forum Iulii, eamq; ob rem nonnihil etiam publicè trepidatum, inuaſeratque ingens ſolicitudo plebis pariter & Patrum animos, ne Italia coniunctis ſibi viribus bellicoſiſſimi Regis, & cuius potentia rebus Venetis infeſtandis in primis oportuna, reſumendi arma quæreret occaſionem. Itaque properè omnis equitatus qui circa eam regionem in ſtatiuis erat moueri iuſſus ad loca quæ periculo propinquiora credebantur. Sed veluti poſtea res indicauit, ab Vngaro, qui tum maximè in armis erat contra Cæſarem, nihil aliud cogitatum eſt in eo motu, quàm occupare per occaſionem, aut portum Naonis aut Tergeſtum, cuius rei ſpem fecerant nonnulli exules, quaſi ſolutæ, ac ſine vllo cuſtodiæ diligentioris ſtudio vtrobique ab indigenis agitaretur. . Cæterùm cum nihil quale ab exulibus aſſeuerarum erat, inueniſſent, ſed cura & diligentia Cæſarei Præfecti, is erat Georgius Elecheri pacis ac belli artium iuxta peritiſſimus, viderent omnia prouiſa inſtructaq; non modò aduerſus inſidiantium occaſiones, ſed etiam ad apertam vim ii inferretur ſuſtinendam, ſine aliquo conatu poſt dies retro qua venerant abiere. Acceſſit autem ad hanc inanem trepidationem, mox etiam publicæ orbitatis verus o-

B. Mocenigi Ducis mors.

mnium in Ciuitate luctus ac mœror, ſubſecuta ducis Mocenigi morte, qui omnium ante ſe Principum laudes, maximo interuallo antecedere potuit, Republica non minus aucta, quàm fortiter ſapienterque adminiſtrata, niſi quietis tam ingens quàm minimè improbandum ſtudium, in florentiſſimo gerendarum rerum curſu materiam illi intercepiſſet. Hærentem igitur & quaſi alienatam à ſenſu pacis Ciuitatem, inter has ſimul veras, ſimul falſas ceu nubes

M. Barbadicus Dux.

aduerſorum ſeſeruauit Marci Barbadici in demortui Principis locum ſubrogatio, ad cuius electionem publicæ fœlicitatis indicium affuiſſe videri poterat. Tanta omnis generis virtutum indoles in ipſo non ſolùm eminebat, verumetiam multis ac magnis Ciuitatis oportunitatibus, ſpem omnium de ſe iampridem impleuerat. . Sed quo nullum diſciplinæ ac probitatis antiquæ maius argumentum de eo afferri queat, liberorum multitudo, quæ in aſſequendo Principatu ad eam diem multis aliis impedimento fuerat, vel in primis illi eſt ſuffragata. Nam cum Ciuitas ſemper antea credidiſſet paternam magnitudinem corrupturam filios, tantùm abfuit, vt tale aliquid de familia ſub patre tam Sancto inſtituta ſuſpicaretur, vt etiam crediderit id quod poſtea res comprobauit, ſe

cum vſus poſtulaſſet, non minora præſidia in filiis, quàm in patre habituram. Ingens itaque omnium ordinum lætitia tantæ ſpei principem excepit, gratulabanturque vulgo inuicem, & quicquid fœlix fauſtumq́; dici poteſt publicè ac priuatim mutuo ſibi pollicebâtur. Ille autem ſtatim ab initio principatus, quando foris omnia mari terraque tranquilla acceperat, vbi Cyprum licet ab armis, non tamen à ſuſpicionibus quietam miſſis eò quingentis peditibus præſidio firmauit, pacis artibus ornandæ augendæque Ciuitati pro natura ſua intentus, in primis palatium quod ſub Mocenigo fœdum incendium deformauerat, maiori quàm inſtitutum fuerat, ſtudio atque impendio inſtaurandum curauit. *Inſtauratio palatii.* Multum enim maieſtati publicæ addi intelligebat, ſi comitium & Senatus habendi locus, tum Principis ipſius ædes Amplitudini tanti imperii magnificentia & ſumptu adæquarentur. Et quoniam fruſtra videbatur ab externis pax quæſita, populâte quotidie Ciuitatem peſtilentia, *Contra peſtilentiam.* quam nulla re magis vulgari credebant, quam attrectatione veſtimentorum vtenſiliumque aliorum, quæ in vſu morie̅tium fuiſſent, oportunè excogitauit nouum Magiſtratum creari, vniuerſis eiuſmodi mortuorum ſupellectilibus concremandis, ſeponendiſque ad certum tempus habitatoribus à funeſtis domibus, nec minus peregrinorum commerciis interea inhibe̅dis. Qua cura contagione ſublata effectum eſt, vt peſtis paulò poſt omnino ceſſauerit. Nec defuerant inter quærentes mali publici remedia, qui ex cauſis communis labefactæ valetudinis vehementiſſimam dicere̅t fœditatem odoris tetráſque exhalationes circumiectarum paludiu̅ ac meatuum aquarum in vrbe, *Purgantur canalia.* quos tam ſordidis domorum eiectamentis, qua̅ limoſo cœno ab inuehente ſe per paluſtria mare aggeſto iam pridem repletos, ſubinde recurrens in fretum, aqua propemodum ſiccos quotidie relinquebat. Itaque ne huic quoque parti ſalutis ciuium ſuorum indulgentiſſimus princeps deeſſet, de meatibus aquarum expurgandis age̅diſq́; intra vrbe̅ altius, cum Patribus egit ac perſuaſit, qua cura, nō tantum valetudini, ſed oportunitati etiam communi conſultum. Quandoquidem plæraque loca refluente mari, iampride̅m adiri & nauigari deſierant poſſe. Reddita valetudine ac ſplendore ſuo ciuitati, vt nihil omnino ad ſummam eius temporis fœlicitatem deſideraretur, leuandis annonæ preciis commeatumque copia inducenda animum adiecit. *Annonæ copia.* Nec mora adeo ingentem vim omnis generis frugum rerumque aliarum quibus non ſolum commodè, ſed opulenter viuitur diuerſis in locis, importari curauit, vt ſatis conſtet vel ab vrbe condita nunquam vilius eiuſmodi omnia veniſſe. Quæ per ſe grata vulgo, exinde etiā gratiora reddebantur, quod nihil in eis affectatum credebant, nec dari captandæ populari auræ, ſed ciuium commodis intelligebant. Quandoquidem paterno in omnes animo ipſum eſſe quiſque ſibi perſuaſerat. Neque aut benignius audierat, aut maiori cum æquitate confugientium ad ſe querelas iniuriaſq́; compenſauerat. Tam florentis & tranquilli ſtatus fama, etiam per exteras nationes emanauerat. Itaque Turcus qui bello Syriaco erat contra Soltanum occupatus, intelligebatq́; propter clades quas illic acceperat, actum eſſe de imperio ſuo, ſi præcognita ſibi ac longiſſimo experta bello Venetorum potentia, tunc maximè contra ipſum arma reſumpſiſſet, *Legatio Turci ad Venetos.* cum ingentibus donis Oratores miſit, qui pacem ac fœdus cum Parente ſuo, haud ita multò ante ad Scodram percuſſum renouarent. Callimachus verò Experiens, *Callimachus agit de Venetis rurſus contra Turcam armandis.* qui vltra quàm de priuatæ fortunæ modo credibile ſit, magnis ac variis caſibus per diuerſas regiones ac gentes agitatus, tandem in Polonia inſtituendæ Regiæ prolis gratia ſubſtiterat, cum ſciret arma, in Turcos ſumpta, Venetos poſuiſſe non ſponte, ſed ex medio belli curſu reuocatos, ſuſpicionibus molitionum vel inuidentium illorum gloriæ vel timentium magnitudinis incrementum, vbi pacatè agi in Italia accepit, ratus poſſe fieri, vt rurſus ad rem gerendam contra Turcos ſe conuerterent, repetita apud Polonum mentione, eorum quæ ante pacem Turcicam de armandis Tartaris agitauerant, perſuaſit per occaſionem vt illorum animi ſuperinde tentarentur. In quam cogitationem ne temere incidiſſe putetur, quando eadem oportunitas quæ inuitauit Venetos, vt Chriſtianorum hoſtes Chriſtianis rebus conſeruandis implorarent, il-

lius quoque ſtudium atque operam neceſſariam reddidit. Res eſt paulò altius repetenda. Poſt occupatum Conſtantinopolitanum imperium, & reliqua omnia, quæ ad id locorum Græcis in Europa paruerant, cum Turcus, exploratis per incurſiones tam viribus quàm ſitu Epyri & adiacentium Regionum, agitaret de præparando ſibi in Italiam aditu, redacto in poteſtatem ſuam portu aliquo in ſinu Adriatico, Veneti, non tam quia periculò propiores eſſent, quàm quia veriſimile apparebat, neminem fore omnino Chriſtianis initiatum, qui non eos ad commune exitium propulſandum ſequeretur, nedum conſilia communicaret, pertentando aliorum animos illa occaſione fretus deſtinata perficeret, Religionis noſtræ publicum diſcrimen priuatis armis ſuis interim ſubmouendum cenſuere. Nec poſtea deſtitere cæteros Chriſtianos principes implorare, in primiſq; Pontificem Maximum vt ſocias vires in eo bello coniungerent, cuius tam victoria quàm periculum ex æquo ad omnes pertineret. Sed cum perſuaſum foret ab initio omnibus, amiſſa à Græcis Peloponeſo, Venetos non tam velut ad Chriſtianæ rei iacturam ingemuiſſe, quam exiſtimaſſe oblatam ſibi occaſionem dilatandi imperium ſuum, & cum aliqua laude etiam religioſorum animorum poſſidendi multa à quibus inuadendis antea magis pudor quam iniuria eos abſterruiſſet, poſtulata eorum ſic vbiq; accipiebantur, quaſi quærerent labores periculaq; & impendia eius belli communicare, cuius fructum minimè fuerant communicaturi, ſi fœlicitate quam inter aſſumendi arma ſperauerant debellare contigiſſet, videbaturq; iniquè tum demum peti accedere alios ad infœlicem exitum conſilii, cuius ſibi ipſi fuiſſent authores, ſed cupiditate occupandi aliena. Quia verò cogitationibus ſuis ſucceſſus abfuiſſet, iactare ſpecioſa nomina pietatis & religionis, & ad malam fortunam implorare ſocios quos quãdiu bonam ſperauerant contempſiſſent. Aiebant ergò paſſim per contemptum, gererent gnauiter bellum ſponte pro vtilitate ſua ſuſceptum. Sed nec veriſimile eſſe adeò prudentem ciuitatem, id onus temere ſuſcepiſſe, quod facillimè ſe laturam ignoraſſet. Itaq; cum intelligerent contra ac periclitans Religio ſperare adegerat, ſe à Chriſtianis deſtitutos inter difficultatem perſeuerandi, & pudorem deſiſtendi anxii vulgò & incuria variè fremebant, & modo omnia conari, modo nihil placebat, viciſſetq; ad extremum ſententia eorũ qui in periculis non quæ ſpecioſa videntur, ſed quæ vſus neceſſaria redderet ſequenda eſſe dicentes, cenſebant quibuſcunq; conditionibus molem belli à ſe in alios transferendã, vt periculis ſuis tandẽ experirentur ea quæ Venetis credere noluiſſent. Sed acclinatos in eam voluntatem Patrum animos noua ſpe oblata erexit rurſus ad rẽ gerendam Paulus Maurocenus, qui ſapiens eſt appellatus. Nã cum legationes pleraſq; concitandis ad arma Italię Principibus fruſtra obiiſſet, licet ęgrè ferret malignè id bellum à multis interpretari, tamen ratus animaduertendum non adeo quid alios pati, quam quid ipſos facere deceret, tum gnarus fortis eſſe & conſtãtis animi, vbi præclaras res & magnas gerere cum ratione acceperit, nequaquam cedere vel terreri difficultatibus, ſed placidè tolerari accidentia, quæ non ignauia aut temeritas conſilii, ſed maximis quibuſq; conatibus obluctans fortuna obiecerit, ratione habita ex tẽporis ac rerum oportunitate, oſtẽdit, præterquam quod turpe foret quaſi cupidè cœpiſſent, & timidè deſiſterent, etiam ſine ſummo diſcrimine, incepta omitti nõ poſſe. Turcum omnem pacis mentionem ducturum pro confeſſione imbecillitatis, cedentium vltro ipſius viribus. Eamq; ob rem dicturum conditiones quaſi deſperantibus ac victis, quas & ſuſcipere & repudiare tantundem periculi in ſe contineret. Authoritatem regum ac liberarum Ciuitatum pro maiori parte ſtare ex opinione, ſi ſecus quàm pro dignitate imperii ſui quicquam ſtatuerent interituram perſuaſionem quæ de virtute ac facultatibus ipſorum circumferretur. Nec eandem poſtea futuram & in Italia & apud exteras nationes, quæ ad eam diem fuiſſet, Veneti nominis reuerentiam, multumq; audaciæ aſſumpturum ſibi æmulum quenq; ſi vidiſſet ipſos operibus ſuis ceu diffidere, nec dubium, exindè inuitatum nouandis rebus animum adiecturum. Eamq; ob rem nunc certum eſſe in pace agitaturos, etiamſi illam

Paulus Maurocenus.

Turcus

Turcus dediſſet. Quanto autem grauius velut à porta Ciuitatis, totis viribus Italici bellum imperii propulſare, quando procul a domo pauculis triremibus Turcorum conatus impedire, facilè intellectu eſſet omnibus qui rerum geſtarum cum Genuenſibus, & Philippo Mediolanenſium Principe meminiſſent. In eorum arbitrio eſſe belli quod gererent, rationem temperare, ad modum facultatum ſuarum, pro vt eas ſuppetere intelligerent, vel oppugnandis alienis, vel ſuis defendendis. Illud vtiq; pro maximo ducendum quod interea ſecuri eſſent ab omni alio bellico diſcrimine. Neminem enim vſq; adeo impudenter rei Venetæ infenſum, vt abiecta Dei atq; hominum verecundia quicquam moliturus foret, per quod diceretur à tuitione Religionis eos auocaſſe. Sed vt nullũ alium fructum ſibi poſſent polliceri, benè inſtitutis animis ſatis eſſe debere, bonam conſcientiam, tum laudem, quam ſeruata Chriſtiana re conſequerentur. Nec autem impendiũ aut diſcrimen aliquod tanti exiſtimandũ, quin vltro eſſet pro tãta gloria ſubeundũ. Ad extremum, ſi vellent ex natura ſua rem diligenter attendere, proculdubio intelligerent vel in primis ex eo perſeuerandum eſſe incepto, propter quod plæriq; deſiſtendum putarent. Deſertorum enim à cæteris virtutem manifeſtius apparituram. Sed neq; fore vt aut conſilio, aut oportunitate aliena bellare cogerentur, aut communicare victoriam, ad quam Deo ac felicitate publica duce maiori, tum præmio, tum laude ſoli ſine aliis Chriſtianis adiutoribus eſſent peruenturi. Erigent modo animos anniterenturq; ne alienam ſiue deſidiam, ſiue peruerſam rationem imitando, indignos ſe oſtenderent illis Maioribus, qui prope frequentius pro Religione conſeruanda quam pro iniuriis ſuis bella geſſiſſent, non defutura aliunde gerendæ rei adminicula, ſi Chriſtiani ad extremum vſq; negare perſeueraſſent, commemoratiſq; ſubinde multis de Perſarum regno, cui Turcus immineret minimè dubitandum eſſe inquit illorum Regem Vſuncaſſanum, ſi inuitaretur, ſuſcepturum conditionem communicandi conſilia & vires, contra eum hoſtem, quo ſaluo, ſecurus ipſe eſſe non poſſet. Eam non ſolùm efficacem, ſed etiam minimè difficilem vincendi rationem, ſi adiuncto ſibi Rege, armis, equis, viris, & diſciplina militari maximè inſigni, ſed & propinquo locis quæ oppugnanda forent, ſubito ancipitem quaſi procellam diuerſis in partibus eodem tempore excitarent, cuius vehementia perculſus hoſtis, priuſquam conſtitueret, aut quomodo vires ſuas diuideret, aut cui prius periculo potiſſimè occurreret, ſpacium & occaſionem ſua prope expugnandi præbere cogeretur. Nihil minus aut timeri à Turcis, aut cogitari quàm ſuæ ſectæ homines contra ſe cum Chriſtianis coniuratos. Eoq; diſcrimen maius & trepidationem apud ipſos orituram, vbi firmum eſſe animaduertiſſent, in id rem totam verti, vt per ſe educerentur, ſuperato Euphrate mouere in Cappadociam, & Galaciam, quaſi intima Ponti & Bitiniæ petituri. Euacuaturum enim Turcum neceſſariò præſidiis omnia quæ in Europa poſſideret, vt fundamentum rerum ſuarum Aſiam tueretur, nec remanſurum ſubinde cis Helleſpontum bellum, ſed ſine defenſoribus prædam expoſitam quibuſcunq; prius accurriſſent. Quoniam tum non religioſum foret inconſulto Pontifice Maximo inire fœdus cum Rege a Chriſtiana profeſſione alieno, priuſquàm de Oratoribus ad eam rem deſignandis referretur, videri ſibi legatum ad vrbem mittẽdum, qui quod ſępè antea factum fuerat Pontifici repetitis iterum cauſis belli contra Turcum ſuſcepti, & ſimul commemoratis ſumptibus ac periculis, quibus ad eam diem illud ſubſtinuiſſent, dum fruſtra fideles quoq;, ſed ipſum maximè cuſtodem ac Principem Chriſtianæ rei ad commune exitium propulſandum implorant, demonſtraret eò rem deductam eſſe, vt etiam ſi velint minimè queant diutius ſine aliena ope tanti hoſtis impetus tolerare. Itaq; ſi ſua pericula nõ eſſent magis quã antea fuiſſent curæ Chriſtianis aliis neceſſario cogi ad pacẽ ſe cõuertere. Sed qa experti forẽt, parũ benignos interpretes ſuſcepti à ſe belli, ne in deponẽdo quoq; reprehenderẽtur voluiſſe neceſſitatẽ ſuã prius indicare. Cõſiliũ verò cõſociandi in bello Vſoncaſſanũ cũ Perſis, vt profundius in animũ Põtificis aliorũq; deſcẽderet, non ita aperiendũ tanquã à ſe cogitatũ, ſed ſuggeſtum

Vſuncaſſanus.

aliunde, quaſi vulgatum foret paulò ante, licet non ſatis conſtanti fama illum à Turco laceſſitum, de incunda cum Venetis belli ſocietate cogitare, quam rem minimè ſperare auderent. Quid enim ille vellet coniungere ſibi à ſecta ſua omnino abhorrentes, præſertim quos ſciret à ſuis ceu proditos, certè quod diſſimulari non poſſet deſtitutos. Verùm ſi communi omnium Chriſtianorum nomine inuitaretur, fieri forſan poſſe, quòd magnitudo authoritatis extorqueret apud animum perturbatum, vt tam deſiderium vlciſcendi inſultantes ſibi vltro, quàm cupiditas conſeruandi ſua plus valerent quàm diuerſitas religioſorū. Sed tametſi conſilium ſubeſſet, quo flecti ad Venetam ſocietatem poſſe crederetur, non tamen audere prius tentare, quàm eius rei veniam impetraſſent. Tum quia periculoſum appareret indicari infidelibus, minimum opis Chriſtianis eſſe in ſeipſis, tum quia meritò vererentur, quorſum accipi contingeret, ſi cum Religionis hoſtibus fœdus atq; amicitiam coniungerent, quādo crimini dabatur, quando arma vt eos delerent ſuſcepiſſent. Probata eſt verò ab omnibus Mauroceni ſententia. Itaq; decretus ad vrbanam legationem obeundam ex Equeſtri ordine Iacobus de Medio,

Iacobus de Medio.

Antonii filius, vir raritate ingenii, & ciuilium rerum ſingulari peritia maximè memorabilis. Is paucos poſt dies poſtquam Roma venerat, renunciauit Patribus ſuis multa quidem, ſed in futurum omnia Pontificē polliceri, quo ad præſens, nullam ſpem reliquam eis præterquam domi eſſe. Inrenderent erga animos & cogitationes expediendis rationibus ſi quas putarent ſupereſſe rebus & maieſtate Veneta conſeruandis. Mentionem Regis Perſarum auditam illic quaſi ſimulatum incitamentum à quærentibus belli ſocios, tamen in oſtentationem fidei adhibitæ, permiſſum vt experirentur ſi quid adminiculi Chriſtiano nomini, vel in Perſide poſſent inuenire. Itaq; cum cenſuiſſet Senatus nihil vtiq; minus è Repub. quàm ſi agendum de concordia vltrò accederetur, omniaq́; experienda eſſe, vt ſi vincere non poſſent, primam ſaltem pacis mentionem ab hoſte extorquerent, ſupplemento ad claſſem in Peloponeſum miſſo, qui in Perſidem proficiſceretur, deligitur Catherinus Renus,

Catherinus Renus.

ex Senatorio ordine, vir haud dubiè facundus atq; ſolers. Sed ambigebatur cui potiſſimùm itineri ſe committeret, cum propter bellum quòd inter Turcum & Carmanum ac alios Barbaros gerebatur in Cilicia, viderentur omnia impeditiora, quàm vt tutè illac eſſet euaſurus.

Bernard. Iuſtinianus.

Hæſitantibus igitur cæteris, Bernardus Iuſtinianus, Leonardi filius, cui non ſolùm Ciuitatis res ſuæ cognitæ, ſed omnis etiam peregrina hiſtoria, ſimul regionum ſingularum tractus atq; ſitus, planum fecit, ſi ille parum ſe circumduxiſſet, non ſolùm procul à periculo, verumetiā per nationes vrbesq́; partim amicas, partim quibus idem quod & Veneto expediret, facilè quo mittebatur peruenturum. Enarratis deinde quæ contra Turcos, Venetus communi conſilio atq; auſpicio cum Polonis geſſiſſet, tum aliis expeditionibus, ſed præſertim illa infauſta qua ipſorum Rex Vladislaus ad Varnam occubuit, quo tempore ſi cæteri qui ad Helleſpontum claſſem habebant, eadem qua Venetus Imperator fide ac diligentia Turcos à tranſitu in Thraciam prohibuiſſent, præter id quod in expedito victoria Vladislao remanebat, iam pridem nedum authoritas aliqua impiæ gentis, ſed ne nomen quidem eſſet in Europa. Adiecit beneuolentiam pro religionis incolumitate ſic initam apud vtranq; gentem poſtea Sanctam permanſiſſe, certatumq́; per occaſiones mutuis officiis, eamq́; ob rem tam in gratiā

Caſimirus Poloniæ rex.

vetuſtę amicitię, quàm ob ſingulare ſtudium pietatemq́; egregiam, Caſimiri Poloniæ Regis, erga Chriſtianum nomen, pro comperto habere, ſi id, quod ſine aut difficultate, aut diſcrimine facere poſſet, Catherinus ad illum egrederetur, benignè daturam operam, vt incolumis ad Caffam duceretur,

Caffa.

atq; inde transfretaret in Sabaſtopolim, ad Regem Georgium,

Sebaſtopolis. Georgianorum Rex.

à quo per regiones ac gentes aut ſibi aut Perſis in Armenia & in Media ſubiectas, tam libenter quàm facilè ad deſtinatum locum ſine dubio mitteretur. Tum quia Rex ille eſſet coniunctus affinitate Vſoncaſſano, tum quia Chriſtianis ſacris initiatus. Sed in primis propterea, quòd poſt ademptam Græcis Trapezuntem,

Trapezus.

intelligeret regnum ſuum non diutius fore incolume, quàm Turcus bellis aliis detineretur. Ex ſententia Iuſtiniani, dimiſſus

ſus Catherinus, non ſecus ac ille prædixerat benignè, & cum cura habitus, productuſque ab vtroque Rege, haud multò poſtquam in Perſas venit, cum de fœdere perſuaſiſſet, impetrauit etiam mitti illinc Oratorem, quo cum Senatus ageret, ſtatueretque quo tempore, quibus in locis, & quo genere copiarum, vtrinque in hoſtem impetum fieri oporteret. Sed ne gerendæ rei occaſio diſtraheretur, placuit Oratorem per Meſopotamiam in Ciliciam recta deſcendere, indeque in Cyprum etiam mox Venetias nauigare. Itaque oportune contigit, vt inter nauigandum delatus Rhodum, inuenerit illic cum claſſe, à populandis Pamphiliæ maritimis, tunc maximè reducta, Venetum Imperatorem Petrum Mocenigum, qui poſtea Princeps fuit. Is erat vt vir ingentis animi, nec factis minus, quàm oſtentatione magnificus, velut ad pugnam omnia in claſſe expediri iuſſit, & quicquid prædę aduectum erat, in conſpectum exhiberi, ab eoque ſpectaculo Perſam fiducia Reipublicæ lætum velut à præſenti ſpe debellandi Venetias ad Senatum in Triremi expedita deportari curauit. Ingens ſub illius aduentum plebis ſimul & Patrum animos lætitia inceſſit. Sed vbi cognitum eſt, veniſſe cum mandatis, non ſolùm ad Venetos, verumetiam ad alios Chriſtianos Principes, pęnè omnium indignatio ſubſecuta, multaque in Catherinum, cuius paulò ante nomen in cœlum vſque laudibus extulerant, cum probro & querela iactata, quaſi temere aut poſtulaſſet, aut conſenſiſſet, alium quempiam ſimul cum Venetis implorari. Nam præter id quod Veneti nominis Maieſtatem, de qua omnia maxima credi volebant minui apparebat, ſi plures ad rem gerendam complices deſiderarentur, experti etiam quàm non ſerio eius belli mentio & Romæ & alibi in Italia audiri conſueuiſſet, verebantur, ne ſi idem quoque Barbarus animaduertiſſet, ab inſtituto conſociandi arma, abſterreretur. Perſa ingenio nationis, inſtituta, iactantia Regis ſui arma, copias, diſciplinam militarem, pugnas cum extuliſſet, nihil victoriam remorari dixit, niſi paucarum vrbium, haud quaquam validas munitiones, quibus expugnandis præterquam quod gens illa minimè aſſueta, etiam machinarum & tormentorum, neque vſum, neque copiam haberet. Sed tamen ſi à Veneto ſubmitterentur breui vltra Helleſpontum nihil remanſurum, quod in Turci eſſet poteſtate. Ipſi quibus pręcognitus hoſtilium rerum ſtatus in Europa, de ratione illic quoq; in tempore debellandi ſecum ſtatuerent. Poſtremò petiit, vt dum ad maiores conatus vtrinq; oportuna expedirentur, claſſis Veneta adeſſet in Cilicia Carmanis fratribus, qui & ipſi, vtpote Vſoncaſſani amici & conſanguinei, non leue momentum acceſſuri forent, Turcorum rebus euertendis, ſi paternum regnum, vnde non magis Turcicis armis quàm ſuorum perfidia paulò ante eiecti fuerant, recuperaſſent. Intelligebat Senatus rem eſſe magni diſcriminis, ſi oppugnandarum vrbium apparatu inſtruerent Regem, qui propter communem cum Turco Religionem facili momento poſtea cum eo redire in gratiam, & contra Chriſtianos coniurare poſſet. Eouſque tamen exacerbati erant ſingulorum animi, quia non ſolùm deſtituti, ſed irriſi etiam in periculis ſuis ſibi videbantur, vt cum communi fidelium omnium diſcrimine occaſionem ſuam occupādam cenſuerint. Factum igitur Senatuſconſultum, vt primo quoque tempore tres onerariæ cum machinis tormentiſque ac reliquo omni inſtrumento excidendarum munitionum, in Cyprum nauigarent, parataeq; illic eſſent ad nutum Vſoncaſſani, expoſituræ omnia in continenti, vbi & quando ille fieri voluiſſet. Petitiſq; & acceptis à Perſa Oratore literis, quibus Rex certior fieret eorum quæ conſtituta erant, illū quidem ad vrbem dimiſere. Cæterum ne ſpacium ei relinqueretur labefactandi cœptorum ſpem apud ſuos, ſi fortè parū oportuna de reliqua Italia renūciaſſet, placuit quod Ioſapha Barbarus, Antonii filius, Perſicæ linguæ gnarus, id quod per commercium ſermonis non difficilimum apparebat cum eiuſmodi literis ac Senatus mandatis, eodē quo ille venerat itinere, ſtatim proficiſceretur ſimul ad confirmandū Regis animū, ſimul & quicquid de Chriſtianis cæteris ab Oratore ſuo poſtea illi aſſeueraretur. Serū iam eſſet ad reuocandū progreſſum in expedi-

Pet. Mocenigum.

Orator Vſoncaſſani Venetiis.

Carmani Cilicia Reguli.

Cogitationes Senatus & decretum.

Ioſapha Barbarus.

tione commiſſum, præterea Ioſaphæ negotium præcipiendi Senatus nomine Mocenigo, vt de reſtituendis in regnum ſuum Carmanis cogitationem ſimul & curam aſſumeret. Quam rem veluti cum mandato efficiendi quoq; vim & facultatem accepiſſet, haud multò poſt Mocenigus ſtrenuè aggreſſus, non minori ſua laude, quàm Carmanorum gaudio perfecit, captis ceu continuato impetu tribus vrbibus Sechino, Coricho, & Seleucia, quarum expugnationem reliquarum omnium mox deditio ſubſecuta. Permiſſo Ioſapha, ſapienter quidem prævideraт Senatus, ne facilè in irritum cœpta conuerti poſſent. Sed veluti in opportunitate conſilium longè prudentiſſimum fuerat, ita res iam tranſacta reddidit ſuperuacuum. Prius enim quàm in Perſas perueniſſet, Rex cum Catherino mouerat in Armeniam, & receperat in deditionem Tocatum Regionis Metropolim, & plæraque nequaquam tanti momenti oppida. Itaque non tam mouendus fuit à Ioſapha, quàm confirmandus ad rem ſtrenuè gerendam, quod ſanè ille præſtitit. Memorabilibus enim aliquot pugnis commiſſis ingenti ſtrage demum profligauit hoſtem, qui non ſolùm Aſiaticas copias ſuas, ſed quas etiam in Europa habuit Perſarum conatibus oppoſuerat. Verùm cum ea forent incognita Venetiis, Senatus non minus quàm magnitudo rei poſtulabat ad omnia intentans reſpectanſque, ne ſi Ioſapha parum proſpero itinere vſus eſſet, agendorum curſus diſtrahi contingeret, aut deſperatione Perſæ, ſi quid fortè quod minus expediret Orator interea renunciaſſet, aut per indignationem quaſi tam oportuna amicitia negligentia extimatione ſua, à periclitante Veneto amplecteretur, ſtatuit mitti oportere alium, qui eodem quo Catherinus circuitu, & ſi paulò ſerius ſine dubio tamen ad deſtinatum perueniret. Ad eam igitur legationem accingentem ſe iuſſu Patrum Ambroſium Contarenum, Bernardus Iuſtinianus monuit, vt poſtquam ad Poloniæ Regem diuertiſſet, diligenter Callimachum interrogaret de rebus Tartarorum, & an ſpes aliqua videretur poſſe illos annuente Polono contra Turcos concitari. Literas pręterea tradidit, in quibus eadem Callimacho ſignificabantur, & ſimul futurum ſibi vſui atq; laudi publicæ priuatimq; apud Venetos, ſi ſua opera momentum aliquod accederet conficiendo bello quod ſuſtinebant.

Sichinum. Corichum. Seleucia.

Ambr. Contarenus.

Callimachus.

Sciebat Iuſtinianus maximis conatibus haud ita multò antea decertatum eſſe inter vtramque gentem, Tartarorumque Regis Tamberlani, rem longè ſuperiorem fuiſſe, profligatos ſæpe Turcos, magniſque cladibus affectos. Ad extremum Imperatorem ipſorum, cuius pronepos eſſet Maumethus, qui tunc regnabat, captum abductumque in ſeruitutem, & in cauea more feræ habitum quamdiu ſuperuixit. Præterea nunquàm adeò bona fide abſcedi ab armis, vt omnium ſimul tam decorum, quàm iniuriarum belli memoria deponatur. Coniectabaturque exinde vir longè prudentiſſimus fieri poſſe, vt vel ſtimulis vetuſti odii percitus, vel gloriæ prius partæ laudibus inflatus Tartarus, non detrectaret conditionem, reſumendi arma feliciter antea experta, quibus accederet etiam quod non ignoraret partem gentis ſuæ, quæ in Taurica Cherſoneſſo agitat, vltra ſeruilem modum contumelioſè haberi à Turco poſt Caffam & Theodoſiam expugnatas. Ambroſius, vbi in Poloniam venit, impetratis facilè à Rege omnibus quæ itineri ſuo oportuna credidit, Callimachum ſic dimiſit, vt qui mox per literas poſtulatis Iuſtiniani eſſet ſatisfacturus. Itaq; ille prius facta de agendis mentione cum aliis plæriſq; ſed in primis cũ Petro Buyno Epiſcopo Vladiſlauienſi, ſummæ authoritatis, ſummæq; virtutis viro, cogitationes Veneti de Tartaris ad Regem detulit. Cæterum poſita conſultatione, vix vnus atq; alter indulgendum cenſebat, vt ab adeò ambiguis ac deſperatis remediis Chriſtianæ rei ſalus peteretur. Alii multi gentẽ in armis natã & per latrocinium ætatem omnem agentem, minimè ea mentione velut inuitandã ad prædã dicebant. Satis ſuperq; paratã per ſe, niſi terreretur difficultatib. quas ſibi præfiguraret incognitis regionib. vbi intellexiſſet ſine impẽdio ſui, patere ſibi acceſſum ad terras longè opulentiſſimas, & flumina, paludes, ſaltus, mõtes, quorũ tranſitũ deſperaſſet, nihil in ſe terribile habere præter nomina, futurã

Tamberlanus.

Maumethus.

Pe. Buynus.

ſubinde Chriſtianis multò grauiorem quàm Turcis, quos eodem ſuo aliarumq́; nationum non ſolùm periculo, ſed etiam exitio a Græcis ex Aſia in Europam acitos, vix quiſquam poſtea ſuſtinere potuiſſet. Et ſera tandem pœnitentia intellectū, præſtare à ſuis vinci, quam implorare auxilia, vnde plus diſcriminis, quàm ex bello immineat. Eamq́; ob rem minimè ob vnius Veneti nominis ſiue diſcrimen ſiue ambitionem, reliquorum omnium in Europa ſalutem, in perniciem adducendam.

Sententia Vladiſlauienſis.

Vladislauienſis autem Epiſcopus, quia pertinaciter negare quicquam beneuolis & amicis, præſertim contra Chriſtianæ profeſſionis hoſtes, tam turpe exiſtimabat, quàm periculoſum temere concedere ea, quæ petebantur, rem totam ad arbitrium petentium reiiciendam cenſebat. Illos, poſtquam & per ſe & à Polono moniti attentius ſingula conſideraſſent, ſine dubio omiſſuros petere id quod meritò negandum ſibi intelligerent.

Scriptu Callimachi ad Venetos de Tartaris.

Qua ſententia etiam à Rege comprobata, Callimachus paulò poſt ea, quia ita viſum erat tanquam re minimè aut Regi aut ſuis communicata, ſic Veneto reſcripſit, vt doceret merita Regum Poloniæ in Religionem noſtram manifeſtiora eſſe, quàm vt commemorare oporteret, ingentiora quàm vt ſatis laudari poſſent, ſtudii deniq; ac pietatis pleniora, quàm vt omnino quiſquam foret illis comparandus in voluntate rei Chriſtianæ ſeruandæ augendæq́;.

Vladiſ. Caſimiri pater.

Caſimiri eius qui tum regnaret parentem quidem cum Lituanis fidem noſtram profeſſum, non ſolùm innumerabili multitudine eam auxiſſe, verumetiam ceu munimento quodam ſepiſſe, pòſt quod, contra aduerſariorum ſuorum impetus, tutus remaneret.

Vladiſ. frater Caſimiri.

Fratrem verò ſuum Vladislaum gerendis rebus contra Turcos in ipſo ætatis ac fortunæ flore occubuiſſe.

Caſimirus.

Ipſum deniq; Caſimirum, licet non ignorantibus quas prouincias ſibi, quæ regna filiis ſuis ſubieciſſet, vt vix credibile appareret quicquã, aut tẽporis, aut ocii ſibi reſeruaſſe, non modo ad agendum, ſed ne ad cogitandum quidem de Religione, tamẽ pro illius incolumitate multa interim geſſiſſe ac gerere. Quæ iure ac merito Venetis perſuaſiſſe poterant facilè impetratu ab illo eſſe, non ſolùm de Tartaris, verumetiam omne aliud genus opis & momenti contra Turcos.

Multa Tartarorum genera.

Quia tamen cum multa ſint genera Tartarorum, neq; in literis, neq; à Catherino ipſo expreſſum fuiſſet aſſignate quos potiſſimè actionibus ſuis oportunos crederent, minimè viſum eſſe prius eam cogitationem Regi ac ſuis aperire quàm pleniora ſignificaſſent. Vt autem ad deliberationem accederent facilius, qualeq́; id foret quod petere inſtituiſſent apertius intelligerent, ſcire oportere. Tartaros non quemadmodum vno vocabulo qui vbiq; ſunt, complectuntur, ita etiam eodem in loco ſimul omnes agitare, ſed longè lateq́; ſub ipſum Septẽtrionem ſparſos, alios in Aſia ſedes ſuas habere, alios in Europa, quoſdam in vtriuſq; terræ confinibus. Eos autem qui in Aſia degunt, minimè aliquando ſe in Europam transferre. Sed aut inter ſe, aut cum finitimis nationibus verſus Hircanum mare, & vſq; trans Imaum montem perpetua latrocinia verius quàm bella exercere.

Cerceta. Zigo.

Incolentes autem Thauricam Cherſoneſſum in Europa ab Aſia abſtinere, præterquam quod Cercetarum Zigorumq́; littoralia trans Cimerium Boſphorum Monopſolis, atq; id genus Scaphis infeſtant. Medios autem inter vtroſq; velut influxus aliquis ac refluxus Oceani, modo in hanc, modo in illam terram ſeſe effundere.

Tanais. Rha flu. qui & Volga ſeu Volha.

Et hyeme quidem conuerſos ab Occaſu in Eurum ventum ſuperato Tanai, progredi vſq; ad ripas fluminis Rhas, qui ab indigenis Volga dicitur, & inde ſecundo amne prope ad Caſpium mare commigrare, recipiendo ſe à locis tum maximè remotiſſimo ſole niuibus glaciebuſq́; obnoxiis, ad temperatiora, in quibus paſtionis, aliarumq́; oportunitatum copia hominibus ſimul & iumentis ſuppetat.

Boriſtenes.

Æſtate verò eaſdem cœli terręq́; commoditates ac temperiem, quam in Aſia captauerant, viciſſitudine anni conuerſa cis Tanaim ſequi, & vt paulò ante intenſiora frigora nimioſq́; æſtus euitantes, ad Boriſtenem redire. Cæterùm veluti locis inter ſe diſtant, ita etiam alia apud alios, tum fruſtra tum ob rem aut ſperare poſſe aut requiri. Omnibus quidem genus idem campeſtris vitæ in curribus & ſub diuo eſſe. Eandem præterea ingeniorum horriditatem, corporum duritiem, frigoris, inediæ, ſitis, aliarumq́; humanarum neceſſitatum

patientia. Nec minus prædandi ſtudium ac pertinacia. Multitudinem autem & feritatem in Aſiaticis maximè eminere. Armorum copiam & conſtantiam in prælijs apud alios maiorem inueniri. Ab illis nihil geri ex inſidijs, nihil de hoſte peti, præterquam quod in promptu ſit rapientibus. Non ferro, non igne ſæuiri aduerſus ea, quæ ſubito auferri nequeant. Denique in præſens tantummodo proſpici, neque ex conſilio, ſed ex viribus & euentu, aut decus, aut vituperationem factis attribui. Europæos, & qui viciſſim anni tempeſtates, modo huius, modo illius terræ clementiori ſeceſſu moderantur, prope ad noſtram militarem diſciplinam accedentes, non plura impetu & armis quàm conſilio ac virtute tranſigere, nec ſemper temere aut irrumpere, aut recipere ſe, ſed inſidioſè plærumque & explorato copias ducere. Locorumque ac temporis rationem aliquã habere ſine occaſionibus ſuis, ſine alienis interturbãdis. Et quoniã pugnatum ſit diutiſſimè, pugneturque quotidie ab illis quidem contra Rutenos & Moſcouiẽſium ducem, ab his vero contra Polonos, vſu edoctos eſſe, nõ ſolùm armis, ſed igne etiam hoſtium facultates corrumpere, nec quicquam inter prædandum inuiolatum relinquere, vnde aut fiducia ſpoliatis, aut periculum ipſis creari queat. Itaque videri meritò eorum operam, ad id quod Veneti animo agitarent, non leue momentũ habituram, ſi adduci poſſent, vt cõditionem ſubirent. Et veriſimile eſſe illos, qui ſub Turco non longè à Caffa agitant, omnia facturos, vt liberarent ſeſe à Tyrannide, qua durius premuntur quàm ferre conueniat eos, qui meminerint ſe de Turcis paulò ante toties triumphaſſe. Sed vt cætera omnia conſentirent vtiliter implorandos eos qui in Taurica ſunt Cherſoneſſo, tamen quia numerus eorum nequaquam ingens, minimè auſuros tantum ſibi oneris aſſumere, & ſi maximè auderent omnino nihil magnum moliri poſſe. Illis ſanè qui nunc in Europam, nunc in Aſiam commigrant, armis & multitudine pares eſſe maximis bellis gerendis, ſed minimè patere eis aditum ad inuadendum hoſtem in Thraciã & Macedoniam aliunde, quàm per terras regni Poloniæ. Quàm autem periculoſum, adeò ingẽtem & Chriſtiano nomini infenſam multitudinem, ad bellum inſtructam, in regnum accipere, planius eſſe quam vt foret declarãdum. Se quidẽ credere Polonum etiam cum diſcrimine rerum ſuarum Religioni non defuturum. Sed conſiderarent ipſi, quatenus amici Regis beneuolentia vti oporteret. Cæterum veluti ea omnia auxilia, quæ animo conceperant, eſſent propter diſtantiam tarda, propter gentium perfidiam ambigua, propter diuerſitatem religionum periculoſa, ita tamen non videri pertinere ad Chriſtiani nominis Maieſtatẽ, vel ad exiſtimationem ſapientiſſimæ ſimul & potentiſſimæ Ciuitatis, ſpes in adeò ancipiti & prope pudendo genere opis collocare. Si operam ſimul & cogitationes intendiſſent pacandis inter ſe Germanis atque Hungaris, qui tam diu mutuo concertarent magis, quia vtroſque primam mentionem pacis mouiſſe pudebat, quàm quia nonnullos belli maximè pigeret, ſine dubio amplexaturos occaſionẽ ſimulandi exorta ſibi arma quæ videri vellent ſponte poſuiſſe. Illinc poſtea tam efficacia quam vera auxilia Religioni noſtræ affutura. Quibus etiam ſine dubio accederent Poloni, cui genti nulla penitus in toto orbe foret comparanda ad id belli genus conficiendum, vel diſciplina militari, vel multitudine armorum atque hominum, vel commoditate inuadendi hoſtem ex propinquo. Hæc aut his non diſſimilia Callimachus cum ſcripſiſſet, mittereturque paulo poſt Romam cum mandatis ad Xiſtum Pontificem Maximum, iuſſus eſt via ſecedere ad Venetos, vt auertendo eorũ animos ab inſtituto, coram planius indicaret difficultatẽ exequendi cogitationes eiuſmodi, & quantum periculi non Polonis modo, ſed cæteris etiam Chriſtianis, vel ex ſola mentione tali orietur. Quomodo autem diſſimulantius id fieret, adiectum eſt ad commiſſa de Tartaris, vt repetita ab exordio vſque beneuolentia, qua gens vtraque hactenus inter ſe certauiſſet, præſertim circa Chriſtianæ rei tuitionẽ, cuius ſumma tũc maximè Venetis opib. innitteretur, diceret, veluti non ſine ingenti nominis ſui laude publicum omnium fidelium diſcrimen propulſarent, ita aliorum diſſimulationem quotidie magis ac magis de Chriſtiana maieſtate detrahere. Quid enim aut ſanctũ, aut religioſũ infideles

Rutheni, Moſcouiæ Dux.

Thracia. Macedonia.

Poloni.

Callimachus ad Xiſtum, Pon. Ro. Mandata ad Venetos.

ſentire

ſentire poſſe de ſacris illis, quibus qui eſſent initiati, nullam curam gererent, quo minus per omne ludibrium ac dedecus profanarentur? Multa prodita eſſe memoriæ de concordia, qua olim Chriſtiani in Aſiam atq; Africam tranſmittentes bella infidelibus inferebant. Nec vlla magis cauſa inſultari lentius ab hoſte quã timore, ne acrius laceſſendo irritaret, cogereturq; ſubinde rem gerere cum vniuerſis, amiſſa occaſione ſubiiciendi ſibi ſingulos ſeparatim. Falli ſi qui eſſent, qui aliena calamitate ſuam prolatando ſatis opis in ſemetipſis habere putarent, vbi reliquis ſubactis ad eos bellum perueniſſet. Nam qui hodie pares viderentur, multò futuros tunc inferiores, cum quicquid interim Chriſtianæ rei adimitur, hoſtibus accreſcat. Quibus vna atque eadem nunquam ceſſatura cauſa bellandi aduerſus Chriſtianos omnes, quorum viciniorem quemque ſubigere auctis exinde viribus in alios ſtatim ferri, & priori quaque victoria ceu machina vti ad reliquos expugnandos. Vulgatum quidem paulò ante in Polonia conueniſſe omnium Italicorum Principum Oratores ad Xiſtum Pontificem Maximum in Fulgineo, quo propter peſtem ab vrbe ſeceſſerat, agitatumq; illic de ratione obuiandi communibus periculis & cupere Polonum ſcire quo exitu conſultatio illa foret abſoluta. Inuitari enim à Turco ad pacem, quam licet gerendo contrà Tartarum rem commodam ſibi, tamen aſpernaretur ſi quid opis afferre poſſit ad cæterorum Chriſtianorum conatus. Nec putare ſpectandum ſibi ocioſè eius belli euentum cuius æque proſpera & aduerſa obiectum ſe ſtatim veluti in prima acie Tartaris ac Turcis per omnes ſolicitum habere oporteret. Cæterum quia & id futurum accepiſſet, orare vt ſiue quod ſæpe antea fecerant inſtituiſſent ipſi, ſiue Italia omnis ſimul pecuniam mittere Matthiæ Hungariæ Regi, darent operam, ne ea quæ pro rei Chriſtianæ conſeruatione impenderent, in illius exitium conuerterentur. Regem quidem illum magnitudine, virtute, rebus à ſe & parente ſuo fœliciter geſtis, digniſſimum cui tutela Religionis committeretur, ſed quod bona illius venia dictum foret, per ambitionem & cupiditatem, iampridem nonnihil velut à ſe ipſo degeneraſſe, ac prope omiſſa cura tuendi ſua ab infidelibus conatus omnes conuertiſſe, contra Boemiam & Auſtriam, quibus oppugnandis, ſi auxilia ei ſubminiſtrarentur, tam iniquum eſſe quam pernicioſum. Quandoquidem eiuſmodi inteſtinis certaminibus omnis ratio ſimul & facultas Chriſtianæ defenſionis corrumperetur. Quæ poſtquam Callimachus Venetiis in Senatu recitauit, reſponſum eſt. Licet propemodum ſerò tandem Pontificem alioſq; Principes Italicos vrgentium diſcriminum curam aliquam ſubiiſſe, & vera eſſe, quæ de conuentu totius Italiæ conſenſu conſtitutum de pecunia Hungaro impendenda. Cæterum nec Venetis, nec aliis facti illius complicibus, cordi eſſe ea quæ in Auſtria vel Boemia gerebantur. Placereq; mitti à Pontifice Maximo in eas regiones legatum, qui videret ne pecuniis decretis ad bellum Turcis inferendum, alios in vſus Hungarus abuteretur. Deq; ea re ſcripturos ſe Oratori ſuo ad vrbem, Polonum facturum ex ſua maiorumq; ſuorum dignitate ac Religione, ſi tantiſper à pacificatione cum Turcis abſtineret, donec experimentũ indicaret, quantum efficaciæ demum foret habitura totius Italiæ conſpiratio, contra eum hoſtem, quo cum ſola ipſorum Ciuitas tamdiu ancipiti fortuna decertaret. De Tartaris miſſuros ſe Oratorem in Poloniam, qui ex commodo vtriuſq; gentis cum Rege ageret, ſtatueretq; quid potiſſimum expediret. Intelligere ſe Chriſtianam rem non poſſe aut conuenientius aut efficacius, quam à Chriſtianis tueri, nec niſi inuitos conuerſos ſe ad Barbarorum auxilia, cum puderet iam pigeretq; toties ad id locorum fruſtra ſuos appellare. Et neceſſitas plura imperaret quàm libera ratio experiri ſuaſiſſet. Romæ ſubinde, tametſi contra annitente cum Veneto, etiam propter res Auſtrales Cæſareo Oratore Thoma de Cilia, qui poſtea fuit Conſtantienſis Antiſtes, facilè futurum fuit impetrare de Legato, ad cuius arbitrium pecunia in Hungaria mittenda diſpenſaretur, tamen eò facilius conceſſum eſt, quo pronior quiſq; vt retineat ſua ad vſus ſibi neceſſarios, quàm vt eroget in alienos. Conuenerant enim illic Oratores omnium, inter quos conſtitutum fuerat impendendo Hungaro bellum procul ab Italia fouere.

Matthias Rex.

Reſponſum Venetorum.

Acta Romæ.

Thomas de Cilia.

Aſſentiebaturq́; libentet quilibet non ſolùm vt adhiberetur arbiter diſpenſationis, ſed etiam ſi fieri poſſet, vt pecunia indiſtributa remaneret. Cēſentib. plæriſq́;

Donatus Acciolus.

in primis Florentinorum Legato Donato Acciolo, ſingularis prudentiæ ac doctrinæ viro, rem bonam peſſimo exemplo fieri. Non defuturas enim ſubinde tranſmontanis Regibus extorquendi ab Italia pecunias vt ſemel quacunq; ratione accepiſſent. Qua opinione latius iactata ab inuidentib. rei Venetæ, cui potiſſimè eo impendio ſuccurri apparebat, factum eſt vt omnia in irritum verterentur. Proceſſerat interea Venetus Orator in Poloniam, quia dubium erat, an Tartari conditionem amplexarentur, malebatq́; Rex illos quam ſe videri aduerſatum oportunitati Chriſtianorum, permiſerat, vt legatio ad eos perferretur. Facile igitur fuit gerendis bellis, & raptu viuere procreatis perſuadere, vt contra eam gentem quam ſæpe antea viciſſent arma caperent, & in regionem præda

Oratores Tartarorū Venetiis.

abundantem, irrupturi ſe accingerent. Itaq; reuertenti mox in patriam Veneto adiunxerunt Oratores ſuos, qui fœdus cum Senatu ſtabilirent, datis acceptiſq́; conditionibus, quibus militari oportet. Non adeo conſenſus Italiæ ad auertendum ab ſe Turcum iampridem Romæ, vel dilatos, vel omiſſos ciuitatis animos deiecerat, quantum extulit Tartarorum aduentus. Omnes in curia & vulgo lætitia exultare, demum iuſtum humanorum inſpectorem laboranti Religioni adeſſe dicere, ſuorumq́; pios conatus adiuuare, atq; eò per omnia certatim fana laudes & grates illi agere, inuentis vt credebant belli ſociis, cum quibus ceu vincere facilimum ita minimè communicandam victoriam. Nec dubitabant plæriq; affirmare, interfuiſſe Venetæ amplitudinis, vt ſine aliqua Chriſtiana ope debellarent. Cæterum quo Barbarorū ſimul ſpem & fiduciam implerent circumducturi illos per vrbem, priuatorum ſimul & publicorum ædificiorum, intuenda magnificentia, omnem diuitiarum pompam in conſpectu exhiberi omnibus præcepere, nec ſolùm apud officinas & ſtationes negociationem, ſed in veſtitu quoq; & ornatu ordinum ſingulorum. Inſtruxerant etiā copioſius ſolito machinarum armorūq́; varietate ac multitudine mirabili, armentaria publica, & nauale, vt non minus bellicis quàm pacis opibus florere atq; abundare intelligerētur. Pariq; ſubinde oſtentatione conuiuiū omni opulentia auri atq; argenti vltra veterem ac nouū luxum affluentiſſimū illis exhibuere. Rediturosq́; ad ſuos tandē onerarunt donis, qualia dediſſe oportuit volentes videri omniū humanarum opum velut horreum penes ſe eſſe. Ferunt inter tam multa natura ſua ſpectanda, tum etiam de induſtria compoſita atq; aucta in admirationē, vix quicquam attentiore intuitu Barbaros expendiſſe, ſeu vitæ humanæ ſuperuacua putauerint, ſeu naturalibus ac vilibus aſſueti precioſa non nouerint, ſeu maiori animo contempſerint quā poſſideri videbant. Populi quidē ac Senatus tam publica quam priuata maieſtate motos conſtat, dixiſſeq́; ad ſummam fœlicitatem nihil deeſſe illis præter amœniorē vrbis ſitum, deteſtati ſqualorem ac ſordes paludis, quam incolendam delegiſſent. De ratione ac tempore progrediendi in expeditionem, iactatis vtrinq; multis, nihil certum deniq; conſtitutum, præterquam fore, vt Venetus eorū opera omnino vteretur, miſſurumq́; haud multò poſt qui ad rem gerendam reuocaret. Irent ergo & pararent omnia quæ ex vſu futura intelligebāt. Feſtinabat quidem animus ad vltimum rei periculum, tum quia grauiſſimo bello implicitis omniq́; alia ſpe nuper deſtitutis, minimè vacabat pendere diu in ancipiti, tum quia cupiebant oſtentare ſe Italicis aliis & veluti pœnitentiam incutere, quaſi temere reſiliiſſent à communione belli, quod magnitudini ſuæ nihilominus pari authoritate ac multitudine hominū gereretur. Sed inter ſpem metumq́; conſtituti de Poloni voluntate, in præbendo tranſitu, Quandoquidē Rex ille licet Religioni maxime deditus, quia tamen humanæ imbecillitatis vicio videri poterat propriis oportunitatibus magis quā alienis ad extremū tributurus, præſertim quod minori verecundia negaturus foret quā ipſi petituri, vt ſtatus ſui contēpta ratione maximo cum diſcrimine curaret aliena, minimè in prōptu habebant, quod de Tartaris ex ſolido ſtatui oporteret, priuſquā planè intelligerent

Fran. Sanutus.

quantū à Polono poſſēt impetrare. Refetēte igitur Frāciſco Sānuto, Marini filio,

cuius

cuius animi magnitudinem à natura productam, erigendis confirmandiſq; aliis, inter ancipites ſpei conſultationes mors tam immatura quàm minimè opportuna, haud multò pòſt è medio ſubſtulir, Senatus cenſuit præmittẽdum eſſe in Poloniam ad Regem Bartholomeum Brandum, cui ſubinde ob virtutem ac fidem domi expertam, Cretenſem Cancellariam commiſit. Sed tunc Reip. actis in monumenta referendis ſub Phœbo Capella inter alios ſcriba, non ſine aliqua eminentia verſabatur. Et ne quid moræ ſubeſſet, poſtea cœptis proſequendis iuſſus eſt etiam ſe parare. Interim Dominicus Georgius, Vincentii filius; vt quamprimùm Brandus de impetrato tranſitu renunciaſſet cum pecunia, de qua conuentum pro ſtipendio illuc proficiſceretur, ſimul de ducendo vltrò Danubium Tartaro ſimul gerendis rebus, poſtea Legati munera obiturus. Fuit enim in Georgio, nam & ipſe non ſine publica iactura in primo ſenectutis aditu mortuus eſt, ſumma dexteritas in pertractandis hominum ingeniis. Ad obeunda autem negotia par animi robur ac prudentia, eaſq; ob res credebatur Barbarorum ferociam, prout vſus poſtulaſſet, facilè poſſe, aut comitate ſua aut conſilio à temeritate prohibere. Profectus igitur non minori celeritate, quàm Patribus cordi eſſe intelligebat. Brandus vbi Cracouiam venit, introductus in Curiam ad Regem, ita verba fecit. Si Veneta Reſp. pro gloria & imperio ſuo dilatando cum Turcis decertaret, tametſi multa, Rex inclyte, ad hanc diem prӕceſſerint, documenta egregiæ voluntatis ſuæ erga te, ac tuos omnes, ob quæ iure forſan liceret, tamen minimè auderet tale quicquam à te pro amplitudine ſua petere, vnde oriturum rebus tuis, vel exiguum diſcrimen videretur. Satiùs enim putat nulla beneficia conferre, quàm ſubinde repetere ea cum pernicie amicorum. Sublatamq; eſſe cauſam arbitraretur, cur quiſpiã ſuccurri ad tempus ſibi vellet, ſi multò grauius poſtea referenda gratia foret periclitandũ. Sed cùm ſuſceperit, nõ tam ſuũ, quàm alienum bellum, a quo qui præteriri vidẽtur, differuntur vt grauiùs demũ oppugnentur, non adeò credi debet negotiũ ſuum agere, quàm tibi ac rebus tuis proſpicere, ſuadẽdo, vt malis iam nunc amicè Reip. coniunctus, ceu nubeculӕ vnius modicũ imbrem ſubire, donec amicorũ opes expugnẽtur, reſeruare te ſolũ, ſubinde intolerandis ſæuiſſimæ tempeſtatis, procellis vexandũ atq; obruendũ. Niſi fortè ſuperatis Chriſtianis aliis aut firmiorẽ te ad reſiſtendũ, aut finẽ Turcis oppugnãdi futurũ arbitraris. Fuerat ſanè ſpes ab initio Venetis fore, vt quod maximè decebat, ne Chriſtianus eis nõ adeſſet, facienteſq; ex ſe coniecturã quantum conſeruandis immortalitatis ſuæ myſteriis quiſq; impẽſurus credi oporteret. Videbãt maiores aliquãdo quàm pro modo belli copias conuẽturas, ſed fruſtra ſæpiùs imploratis, modò vniuerſis, modò ſingulis, quorũ intererat, tametſi pudendũ ac periculoſum apparebat, tamẽ quia ſibi perſuaſerãt ſatiùs eſſe rẽ Chriſtianã quocunq; modo defendere, quã planè deſertã relinquere, tuitionẽ illius cũ aduerſariis cõmunicauère. Nec ſanè hactenus infeliciter. Quandoquidẽ Rex Perſarũ, cũ quo paulò antè fœd⁹ ꝑcuſſere facta in Armeniã impreſſione nõ ſolũ cõuertit à Chriſtianis in ſe Turcũ, verùm etiã magnis cladib⁹ affectũ haud mediocriter debilitauit. Sed cũ par ſit credere Perſam ea aggreſsũ magis, vt æquo iure pacẽ ſibi q̃ Chriſtianis victoriã de Turcis paret, vidẽt Veneti prӕoccupandũ eſſe. Et quoniã fideles ceſſant, vndecunq; ſpes, fortuna, ratio obtulerit, contrahenda auxilia. Eamq; ob rẽ nequaquã ignorãtes eſſe quoddã ceu naturale, certè implacabile odiũ inter Tartaros & Turcũ, crebraq; & magna bella inter eos geſta. Miſerunt nõ multò antea prӕtentatũ illorũ animos, qui quãtũ per Oratores ſuos renũciauere, ſeu inſita cõtra gẽtẽ inuidia, ſeu ſpe mercedis moti, cupiũt in Thraciã ac Macedoniã deſcẽdere, Turcos ꝓculdubio illinc exterminaturi. Sed q̃a trãſit⁹ ad ea loca nõ aliũde patet, q̃ per regnũ tuũ, licet cõſiderãtib. nõ tua q̃ ſua intereſſe pelli Europa nationẽ, qua ӕquè Chriſtianis omnib. exitiũ imminet, minimè dubiũ eſſe oportuit, te nihil negaturũ ꝑiculis tuis p̃ſertim q̃b. adiũcta vltima religionis neceſſitas, maluerũt tamẽ priùs ad arbitriũ tuũ referre, q̃ pollicerẽtur de te, vel ea, q̃ nõ min⁹ tibi dare, q̃ illis accipe ſit opportunũ, vt beneficii loco cedat id, q̃ ſi foret præoccupatũ, credi potuit à neceſſitate tua extortũ. Vidẽt ſanè Veneti

Phœbus Capella.

Dominicus Georgius.

Verba Oratoris Veneti ad Polonũ.

eorum, qui tranſituri ſunt multitudinem, arma, perfidiam, rapacitatem, ſi prima fronte inſpiciantur, poſſe ſollicitudinem incutere. Sed præter id, quod talis victoriæ fructus digniſſimus eſt, qui etiam per ancipitia petatur, nec fieri poteſt, vt ſine periculo periculum ſuperetur. Conſtat etiam ſic tranſmitti poſſe per extrema regni tui, iuxta Euxinum mare, vt nullum omnino aut tibi, aut tuis vel damnum, vel diſcrimen inferatur. Sed neq; adeò hebetes & inconſiderati ſunt Tartari, quòd in progrediendo nihil de reditu ſuo ſint cogitaturi. Et cùm in armis nati minimè ignorent bellorum ancipites euentus, nullo modo credi oportet præciſuros ſibi opem recipiendi ſe in tutum, ſi vinci prœlio contingeret. Eamq́ue ob rem ſine dubio inter eundum ab omni iniuria temperaturos exiſtimandum. Quòd ſi nihil habet tranſitus ſuſpicioſum, multò eſt minùs reditus pertimeſcendus. Nam ſi, quod optabile puto, victores redibunt, aucta Chriſtianæ felicitatis maieſtate, nihil contra te committere audebunt. Victos autem atq; armis exutos, ſua calamitas ab inſultando continebit. Maiores tui viri religioſiſſimi non dubitauére, conuertere eam gentem ab aliis contra ſe, vt à tergo eorum Chriſtiana res veluti poſt munitiſſimum propugnaculum tutè agitaret. A quibus verò id, quod incredibile eſt, degenerare velis? Quod te facere conueniat, dubitare non potes, maximè cùm petatur, non vt oppugnes tu religionis noſtræ hoſtes, ſed vt ire illos permittas ad id prœlium, in quo vtrauis acies victoria trucidetur. Victoria pertinet ad Chriſtianos. Atq; vt negari minimè poſſit, genus hoc remedii nonnihil in ſe habere, propter quod ad alia, ſi ſuperſint, confugiendum fortaſſe videatur. Quandoquidem non tam anceps eſt, quàm vnicum. Si omittitur, quò nos tandem conuertemus? Quippe quòd nullæ vſpiam Barbaræ nationes, de quibus tale aliquod ſperare conueniat. Et Chriſtiani iampridem operam ſuam adeò pertinaciter negant, vt non ſolùm inane, ſed ſtultum etiam ſit iterum ad eos confugere. Igitur cùm planè eò res deducta ſit, vt aut cedendum ſit hoſti, vt hoc auxilio reſiſtendum, conſtetq; ſatiùs multò eſſe agendo atque audendo periclitari, quam per ignauiam & metum tutò agere, quippe quòd virtutis etiam infœlix exitus gloriam ſuam habet, timor verò & ſocordia vtcunque proſperè ceſſerint, turpitudine non vacent, ſine dubio præſtat periculosè defendi, quàm metu incerti diſcriminis certiſſimæ calamitati ſe ſubiicere. Quòd ſi quid præter id, quod expedit, caſus attulerit, neceſſitas quæ voluntatibus ſimul & conſiliis mortalium imperat, factum expurgabit. Poſſent alia multa in hanc ſententiam dici, nihil enim efficaciùs domeſticis & familiaribus tuorum exemplis, quibus nullus vnquam rerum ſuarum reſpectus fuit, vbi religioni noſtræ ſuccurrere oportuit, ſed & tua priora facta ad illorum imitationem quacunque oratione apud animum tuum vehementiùs ſtimulare te queunt. Atq; ideò finem verbis meis imponens, illud tantummodò adiecerim, pulcherrimam tibi oblatam occaſionē ſine tuo aut tuorū aliquo vel impēdio, vel labore conſequēdi gloriam cōſeruati Chriſtiani nominis. Tibi enim inprimis ſalutem ſuam debeat neceſſe erit. Quandoquidem per quos ſeruaretur à te maximè acceperit. Sed & aliorum Regum ac Principum Chriſtianorum, quia ſubmittendis auxiliis ſuis ad hoc bellum ſe retrahunt, factum & ſi non fortiſſimè, tamen defendi poteſt, quaſi facultas eis, non voluntas deſit. Tu ſi alienam opem retardaueris, minimè credibile fuerit, alia te quapiam vel neceſſitate vel ratione feciſſe, quàm quòd alienatus à tua tuorumq; ſolita pietate Chriſtianæ rei, vel ſine tua opera ſuccurri nolueris. Ingens Regis ac ſuorum cura orationem Brandi excepit. Nec diſſimulata eſt inter muſſantes in conſilio quorundam indignatio, quaſi Callimachus negligentiùs, quàm oportuetat, Venetos ab eiuſmodi poſtulatione retraxiſſet, pluresq́; ſubinde dies vehementioribus ſtudiis, quàm ciuilis ferat conſultatio, de ea re diſceptatum eſt. Multi namq; aſſeuetabant, Venetum nil aliud quærere eo motu, quàm ablegare à ſe bellum, quod nec ferre poſſet, neq; quo cum communicaret, inueniret. Si cogitaret debellare aduerſus Turcos, minimè adiecturum fuiſſe animum ad auxilia Tartarorum, quos ſciret ſine vlla omnino conſtantia præliandi, tantummodò per occaſiones latrocinari. Se tueri ſpe, fore exinde, vt

Conſultatio Polonorum ſuper poſtulatis Venetorum.

Turcus

Turcus mutata belli ratione, vim ſuam totam conuerteret in Polonos, qui contempta pace abs ſe oblata, Tartaros contra ipſum immiſiſſent. Quam Dei, quam hominum opem poſtea tam procul à Chriſtianis aliis, inter Tartaros ac Turcos periclitantes ſibi repromitterent? cùm viderent Venetos deſtitutos à proximis quibuſq;, ſine quorum periculo tam vinci quàm vincere non poſſent? Sapientiſſimos ſemper habitos Italicos, atq; etiam eſſe. Eamq́; ob rem non oportere credi eos temerè ſe retrahere à contagione tam ancipitis belli. Nec poſſe vitio Polonis verti, ſi parcendo rebus ſuis, imitarentur alios Chriſtianos Principes, inprimisq́; Pont. Max. cuius eſt præcipuum & proprium munus videre, ne detrimento aliquo Chriſtiana res afficiatur. Commemorabanturq́; ad hæc vexatio & tumultus, quibus ſubiiciundum foret regnum, tam in progreſſu, quàm in reditu, tantæ & tam inconditæ multitudinis. Atq; id quoq; vel inprimis ceu maximè vitandũ iactabatur, ne Tartaris, dum producere ad oppugnandum aliena vellent, ad inuadendum ſua iter ſimul & facultatem demonſtrarent. Ad extremum dicebant; plus quam, ſalua verecundia, poſtulari ab eis poſſet, Polonos iamdudum pręſtare religioni oppugnando aſſiduè Tartaros, nec eſſe tantùm Venetis tribuendum, vt propter ipſos alio ſe bello implicarent aduerſus eum hoſtem, qui & vicinus eſſet, & propter diuitiarum, imperii ac rerum geſtarum famã etiam ablongiſſimè degentibus, nequaquã irritandus cẽſeretur. Multis rationibus extra turpitudinem poſſe incipiendi neceſſitatẽ declinare. Retrocedi autem poſtea ab incepto ſine multa indignitate minimè liberũ fore. Euenturumq́;, vt qui de æqua pace ſuſcipienda tunc deliberarẽt, vbi propter difficultates, quæ bello annexæ ſunt, cœpiſſet facti pœnitere vltrò quantumuis iniquiſſimas conditiones ſubirent. Vladislauienſis autẽ & plæriq; alii, nõ quo conſilio Veneti ea molirentur, ſed quid ſuæ rationes poſtularent, conſiderandũ cenſebant. *Vladislauienſis ſententia.* Etſi in pace atq; otio tutè ac decorè agere poſſent, minimè res ſuas ſecundas cũ alienis periclitantibus cõiungendas. Sed videri ſibi rẽ tranſactam agi. Iampridẽ enim genus & naturam belli eius cõiunxiſſe ipſos nõ Venetis modò, ſed quibuſcunq; aliis Chriſtianis, qui oppugnarentur, nec voluntatis eſſe, ſed religionis vel pugnare, vel abſtinere. Cæterùm in abſtinẽdo præter turpitudinem ineſſe tantummodò dilationem calamitatis tantò certioris, quantò facilius futurum, vt ſoli tandem, quàm cum aliis tunc ſimul iunctis vincerentur. In pugnando autem multa eſſe, quæ tam fortuna, quàm virium conſiliorumq́; ſocietas repromitteret. Atq; ideò cùm neq; fas eſſet, neq; tutum vt vacarent, tantummodò agendi tempus adhibendum. Et quoniam in eo, quod neceſſariò aliquando fieri oporteret, minimè aliud quippiam liberum haberent, quàm decernere, fieretne ſtatim, an paululum differretur totam deliberationem eò cõnuertendam, vt ex præſenti ſimul & mox futura rerum ſuarum conditione ſecum ſtatuerent, mallẽt ne integros, & ſibi atq; aliis opitulari valentes belli ſocios habere, an debilitatos, & qui pręter periculum nihil deniq; allaturi eſſent in commune. Multò eſt faciliùs ſtantem retinere ne cadat, quàm ingenti ruina proſtratum erigere. Si non ſolùm integra, ſed etiam florente tunc Venetorum re, irent cum eis obuiam diſcrimini, mox vtcunque ceſſaſſent, affuturo, multa & magna præſidia, vtroſq; ex alteris habituros. Nec in releuandis ſociis, quod poſt caſum eſſet difficilimum, ſed in delendis hoſtibus operam ſimul & conſilium fore inſumendum. Quæ omnia in contrarium verterentur, ſi per inanem metum eorum, quæ multò minora eſſent quàm fama perhiberet euitantes vltrò inuadere, expectarent propulſare inuadentes. Occurrendum eſſe creſcenti indies incendio, priuſquam ſeipſum alendo ad eam magnitudinem perueniret, vt minimè humana ope reſtingui poſſet. Remedia ad id locorum veriùs non tentata eſſe, quàm non inueniri. Nec vlla re magis, quàm reſiſtentium negligentia, fortunam ac nomen Turci hactenus creuiſſe, nec diutiùs ſtare, quàm inuenirentur, qui impugnare auderent. Cuius rei quòd aliud argumentum quærendum, quàm ipſos Venetos, tot iam annos ſuis opibus atque auſpiciis omnes illius contra ſe conatus facilè retundentes? Nihil omnino ſpecioſius Polonis contingere poſſe, quàm conſeruatæ religionis laudem cum tam inclyta

Repub. habere communem. Quam occaſionem, etiamſi ſubitò ad arma diſcurrendum, atq; in aciem foret prodeundum, tamen occupare attineret. Expeririq; potius quantum vires & fortuna eorum pro laude & gloria poſſent, quàm de vita & libertate demum ſine alicuius ope decertare. Optimi cuiuſq; ac bene inſtituti eſſe minimè abnuere periculo ſuo ad decus & claritatem nominis peruenire. Ex quo intelligi oporteret, quantum à veræ rationis intellectu aberrarent, ſi id ſuo cum diſcrimine velle deberent cum alieno aſſequi recuſarent. Quò pertinacius à cæteris Chriſtianis ceſſaretur, eò vehementius annitendum, ne hoſtis per huiuſmodi contumaciam illos ſingulatim ſubiiceret, quos coniunctos tentare nō auderet, & tunc maximè alienis vitiis, quàm virtute ſua fretus oppugnaret. Habere quidem profectionem ac tranſitum Tartarorum nōnihil in ſe, quod cum cura & dexteritate tractari oporteret, idq; factu eſſe facilimum. Nam quæ dicerentur de regione ab illis inter progrediendum exploranda, ſerò deniq; iactari poſt innumerabiles ex ea gēte captiuos, qui diu in ſeruitute habiti, nec tantùm in vna atq; altera parte, ſed in omni prope angulo regni verſati, tandē ad ſuos refugiſſent, cùm iam nihil eorum ignorarent, quæ hoſtibus occultari ſolerēt. Sed & per commercia negotiatorum, qui quotidie vltrò citroq; commearent tam liberum quàm facile fore, cùm voluiſſent ſingula in toto regnō otioſè ſpeculari atq; expendere. Quod ad pacem Turci attineret, præterquam quòd veriùs dilatio quædam interitus, quàm remediū dicenda, poſſe adhuc verbis ac diſſimulationibus multis extrahi. Quandoquidē Venetus nihil peteret præter ea, quæ ob priuatū periculum ſuum minimè credi deberent conceſſiſſe. Hæc & ſimilia venientibus ſemper pluribus in ſententiam, crebrò iactata. Expugnauerāt tandem in [illegible]no Regis, cætera omnia, quæ deliberationē extraxerant, præterquā de vexatione regionis, ſine qua apparebat adeò numeroſam latrociniis aſſuetā multitudinē n[illegible]imè progredi aut redire poſſe. Et iam nemo videbatur aduerſaturus poſtulatis Veneti, ſi quo pacto inueniretur, quomodo quā minimo impendio ac diſcrimine rerū atq; hominū Tartarus tranſmitteretur. De qua cùm pro ingenio ſuo multa multi in mediū afferrēt, & nihil tamē ab omnib. probaretur, opportunè Callimachus ab vrbe egreſſus, vbi planū fecit, nihil à ſe vel agi, vel dici prętermiſſum, quod quidem Venetos ab eo propoſito reuocaturum appareret, minimeq; mirandū eſſe, ſi apud rerum ſuarū ſatagentes valuiſſet plus neceſſitatis, qua premerētur ratio, quàm verba ſua, cōmemoratis expeditionibus, quas tam vetuſtis quàm recētioribus tēporibus Tartari in Aſiam duxēre, docuit, quandoquidem ex conſuetudine ſua ſoliti recipere ſe per Sarmatiam Aſiaticam, verſus Hircanum mare ad extrema Iberiæ, qua Colchidi cōmittitur, faciliorē ſimul & propinquiorē p ea loca acceſſum habere, extirpādo in Aſia, id eſt, à radice ipſa Turcorū imperio ac nomine, q̄ ſi cis Tanaim p Euxini littora circūducerētur, pugnaturi demum illis in locis, in quibus vtcunq; res proſperè agеretur, fructus tamen & pretium victoriæ inter vincendum foret corrumpendum. Minimę enim, vbi tot ferociſſimarum gentium immanitas ac rabies mutuò debacchata eſſet, ſuperfuturum aliquid, propter quod non potius ſubinde pœnitendum certauiſſe, quàm gaudendum viciſſe. Nullius magis quàm Venetorum intereſſe, vt poſſeſſa cis Helleſpontum à Turcis quàm integerrima recuperarentur. Eamq; ob rem multò magis probaturos committi inter ſe Barbaros in Aſia, quàm in Europa. Illic ſine Chriſtianorum iactura dum mutuò inter ſe immaniſſimæ gentes digladiarentur, affuturam Veneto liberam occaſionem non modò inuadendi, ſed etiam occupandi omnia, quæ Aſiatico periculo accurrentes hoſtes præſidiis euacuata vbiq; in Europa reliquiſſent. Facilè à Polonis omnibus Callimachi ratio probabatur, ſimul quia vera, ſimul quia tollebat omnem ſuſpicionem præſentis alicuius vel damni vel incommodi. Conſtabatq; veriſimiliùs purgaturos ſe apud Turcum, quàm facti imprudentes, ſi non per regnum ipſorum, ſed per diuerſiſſimas regiones Tartari contra illum progrederentur. Interea autem Veneti, ſeu ferentes malignè Pont. Max. alios Principes deſtituiſſe à conſenſu retinendi procul ab Italia Turcorum arma: ſeu bellum, in quo paulò pòſt contra eos ab

Callimachi reditus.

Veneti cum Turco pacē ineunt.

omnibus

omnibus ferè Italicis coniuratum præſentientes, iam tunc ex eo, qui à finitimis captantibus occaſionem, ceu in domo opprimendi implicitos externis expeditionibus mari atq; terra: ſeu feſſi non tam gerendis rebus, quàm fruſtra concitando alios ad religionem defendendam, cum intolerabilibus vtriq; conatibus ac viribus, Scodra iterum circumſeſſa à Turco oppugnaretur, de pace cum illo conuenerant. Inter tot tamen præſentes, & mox inſtantes difficultates inprimis conuenerant, ne quid non cum ſua dignitate tractaretur. Eamq; ob rem uoluerant ab aliquo, qui in ciuitate emineret, tantæ ac tam opportunæ rei mentionem primam moueri, ſed ſubmiſerant Ioannem Darium, Græcum hominem, vt ſimulatione aliqua viam ad id, quod intendebant, patefaceret. Is, qui vtpote multos annos in Veneta Cancellaria verſatus, Græco ingenio grauitatem ſimul & ſapientiam Italicam adiunxiſſet, inſito genti contra Latinos odio permotus, ferensq; pariter præ ſe ſpem tam gratię ineundæ, quàm præmii conſequendi, multa apud Turcum præfatus de magnitudine Imperii illius, de fama rerum, quas geſſit. Nihil minùs ad vtrumq; pertinere dixerat, quàm victoriæ ſuæ tectum curſum in ſcopulos & ſaxa inacceſſa, quæ Veneti partim in terra, partim in mari poſſiderent, deflexiſſe. Præter id enim, quod maiori vnumquodq; ſumptu ac labore, quàm vel fructu vel laude foret expugnandum, priùs ſibi ac ſuis omnibus conſeneſcendum, quàm ſingula adiret. Remorariq; interim felicitatem ſuam, tum vileſcere apud omnes vbiq; nomen & authoritatem, quibus tunc maximè florentibus facilimè poſſet non ſolam æqua, ſed ingentiora quoq; periculis ac laboribus præmia conſequi, ſi omiſſis Venetis, qui claſſe, milite, diuitiis ac repugnandi vſu pares forent rebus ſuis defendendis, conuerteret ſe in alios, qui imparati, inermes, trepidi, nedum belli impetum, tantummodò famam non eſſent toleraturi. Illis autem ſubactis Venetos demum non materiam belli, ſed victoriæ præmium acceſſuros. Quæ tunc à Dario copioſiùs pro ſingulari facundia ſua, proq; rerum opportunitate explicata, non adeò quia vera viderentur, quàm, quia Turcus contra Soltanum feſtinabat, propulerant, vt permitteret agi cum Venetis de pace, cuius fama in Poloniam perlata, cogitationem ſimul & opportunitatem moliendi tunc plura cum Tartaris interrupit. Quam rem Poloni ęgrè tulerunt, vel quia ſpem conceperant, eo modo poſſe Imperium Turci facilè omnino exterminari, vel quia remanſuros ſe interim domi quietos videbant, ſi Tartari in tam longinquam expeditionem procul à regno proficiſcerentur. Ex eoq; ingens ſimilis occaſionis deſiderium manſit in animis ferè omnium. Deferuerat poſtea bellum, quod ad Ferrariam, & in Ciſalpina Gallia commiſerat cum Italicis aliis ferè omnibus Venetum reuocatum ex Græcia, apparebatque ipſum ſubinde maieſtate ſua abundè tutum futurum inter finitimos, à quibus tam vehementibus conatibus paulò antè fruſtra tentatus fuerat. Et ob id ſuſpicari poterat minimè repudiaturum conditionem commutandi arma contra infideles, ſi cæteri Chriſtiani poſita priori æſtimatione vna cum illo mouere inſtituiſſent. Igitur Turco de pace, cuius concluſio ſuperiori anno dilata fuerat, cum Polono iterum agente, ſeu quia adiecerat, vt credebatur, animum ad ſubiiciendam ſibi vniuerſam Valachiam, in qua duo maritima emporia Lycoſtomum & Moncaſtrum priùs occupauerat, ſeu quia bis acie victus per ea tempora in Syria, pacare cuncta in Europa, & vires ſuas omnes illuc conuertere volebat, ſeu quia vulgatum erat fratrem ſuum extorrem apud Rhodianos in Hungariam venturum, acturumq; illinc de recuperatione debitæ ſibi ſucceſſionis, auxilio Matthiæ Regis. Et timebat Polonos cum illo coniuraturos. Callimachus Regi perſuaſit, veniſſe tempus, quo vel per fœdus ineũdum, recuperarentur amiſſa in Valachia; vel inductis Venetis ad reſumendum arma, Turci tota Europa pellerentur. Dimittendos eſſe cum ſpe aliqua Oratores, qui de pace venerant, ſubindeq; petendos Venetos, vt arbitrandi inter partes negotium aſſumerent, inituri ab vtriſq; gratiam, inprimisq; à Turco, qui minimè pacis mentionem inferret, ſi neceſſariam ſibi eſſe non intelligeret. Propter res contra ſe geſtas, maximam eſſe Venetorum authoritatem apud Barbarum, qui vbi vidiſſet ea quoq;, quæ in Polonia

Ioã. Darius.

Lycoſtomũ.

Moncaſtrũ.

Suadet Callimachus tentare animos Venetorum ad reſumendam arma contra Turcos.

agerentur, humani ingenii vitio omnia cùm rimor vrget in deterius auertentis, crediturus foret, Venetos aditũ non tam Polono ad pacem, quàm ſibi ad bellum quærere. Eamq; ob rẽ ne irritaret non concedẽdo ea, quæ illis æqua viderentur, & ſimul moliendi cõtra ſe arma diſtrahendiq; gemino bello copias ſuas, cauſam ſibi ipſe præberet, nequaquam pertinaciter aduerſaturũ, cenſentibus Lycoſtomum & Moncaſtrũ ceu pignus ineundi ſeruandiq; ſine dolo fœderis, Valacho reſtitui oportere. Quæ ratio, ſi parum proceſſiſſet, Venetos, quibus tũc ab omni alio bello, non ſolùm otium, verùm etiam ſecuritas ſumma eſſet, vbi eis ſpes ſubiiceretur de Tartaris opportunè in Pontũ deſcenſuris, nullo modo prætermiſſuros occaſionem cũ Polonis inuadendi atq; opprimendi hoſtẽ, iam tum a Soltano maximis ſtragibus prope ad rerũ ſuarum deſperationem, non debilitatũ, ſed confectum. Vt autẽ maiori autoritate negotiũ illis proponeretur, in animo verò Turci grauior perturbatio, & ſuſpicio ſimul excitaretur, ſi intellexiſſet nõ ſolùm Polonos, ſed Germanos quoq; ad Venetũ ſe conuertiſſe. Demonſtrandum eſſe etiam, Cæſari nihil ad res ſuas erigendas efficaciùs, quàm ceu conſentientibus & mox acceſſuris Polonis implorare illũ contra impreſſionẽ, qua Matthias Hungariæ Rex Auſtriã vexabat. Sine dubio namq; ſi inter turbatã Chriſtianã Remp. Venetus ſe opponere decreuiſſet, ex duobus alterũ euenturum. Aut enim Matthiam tam potentiſſimæ ciuitatis authoritati minimè aduerſari auſum, ſuis contentum, poſtea quieturum, aut tam multorũ armis ſtatim ſuccubiturum. Quorum vtrum magis expediret, haud facilè dici poſſe: quandoquidem Chriſtiana res pacato illo fortior, ſublato illo multò tranquillior futura eſſet. Et ad monendum in Turcum Venetos, tam hoc quàm illud efficaciſſimum appareret. Non facilè credebatur quoſuis talis conſilii rationem commodè explicaturos.

Legatur Callimachus ad Cæſarem & Venetos.

Itaque placuit Regi Callimachum ad Cæſarem, ac ſubinde Venetias legatum de rebus eiuſmodi proficiſci. Vt tamen cum aſſeueratione maiori omnia vtrobiq; tractarentur, Collegas duos ex primoribus Polonorum illi addidit.

Maximilianus.

Erat Cæſar tunc Coloniæ reuerſus à coronatione filii ſui Maximiliani, cui per eos dies ad imperii ſocietatem admiſſo, Romanorum regnum commiſerat. Itaq; vbi cum Callimacho Polonos ad ſe legatos nouit, quia credebat illos ceu diſcrimini propinquos

Matthias Rex.

timere incrementa Matthiæ Regis, à quo tunc præſertim res feliciter in Auſtria gerebatur, conceperat ſpem maximam, venire vt illius conatus viribus & conſiliis communicatis reprimerentur. Quo vno modo fortunas ſuas facilimè in integrum reſtitui poſſe ſentiebat. Igitur ad eum cùm veniſſent, incredibili gratulatione accepit. Cognitis autem, quæ attulerant, & ſi non planè quod cupiebat, proponeretur, tamen quia eundem finem videbat, facilè conſenſit experiri. Nec ſanè multum intererat, recta à modico circuitu peruenire quò vellet. Præſertim quòd quicquid moræ interceſſiſſet, antequam inciperetur, conficiendi celeritas videbatur poſtea compenſatura. Cùm minimè dubium foret, quin vno ceu momento Matthias exterminaretur, ſi contra ipſum Veneti cum Cæſare ac Polono ſimul arma induiſſent.

Legatio Cæſaris & filij adiungitur Polonis ad Venetos.

Deſignati igitur, qui cum Polonis Venetias proficiſcerentur Tridentinus Epiſcopus, Ioannes Inderbachius, Bernhardus Pergenius, & Georgius Ellecheri. Quia non conſtabat Maximiliani nomen, propter res in Gallia dubium magnificentius aut felicius ad id tempus geſtas, magnum eſſe, videbaturq; adepto Romanorum regno longè grauiſſimum pondus authoritati ſuæ acceſſiſſe, illius quoque Oratorem paternis adiungi placuit.

Bernhardus Polemus.

Electusque eſt ad id munus obeundum Bernhardus Polemus, vir non ſolùm nobilitate generis, ſed ingenio quoque ac ſingulari iuris peritia inſignis, Venetiis, tametſi frequentia Oratorum quotidie illuc confluentium velut ad præſidium communis omnium gentium æquitatis, meritò poterat iampridem vt à rebus conſuetis auertere animos ciuitatis, ne alicuius aut Principis aut Regis Legatorum aduentum magnoperè vel expenderent, vel mirarentur, tamen vbi cognitum eſt tot ſimul ab illis mitti, in quibus nihil impunè negligi poſſe conſtabat, omnes in expectationem conuerſi ſunt, ac dum ſecum quiſq; & cum aliis coniectando cauſam requirerent, quamuis ſpes erat amiciſſimo venire, tamen

etiam

etiam exinde conciliandos arbitrati, & ſimul beneuolentiæ mutuæ argumẽtum exhibendum, commiſere Prætoribus vrbium, per quas iter facturi erant, vt cum dignitate & cura vbiq; haberẽtur. Hermolao autem Barbaro, & Dominico Triuiſano, qui tunc potiſſimè mittebantur gratulatum Maximiliano propter regnũ, ad quod fuerat euectus, iniunctum, vt ſi in itinere venientes offendiſſent, publico nomine complecterentur ac ſalutarent. Quod Patauii fieri contigit, non ſine voluptate ſimul & admiratione illorum, propter orationem ab Hermolao habitam, rebus quidem ac tempori accommodatam, ſed inprimis elegantia & copia verborum maiori, quàm audire antea conſueuiſſent. Poſtremò miſſi cum Nicolao Georgio, Bernardi filio, ex Patriciorum ordine, plerię; etiam alii viri ſplendidiſſimi, qui appropinquantibus ciuitati accurrerent, conteſtarię; publicum ex aduentu eorum gaudium inducerent ad hoſpitium in oſtentationem vſq; opulentiſſimè rebus omnibus inſtructũ atq; ornatum. Quod vbi factum eſt poſtridie ad Senatum cùm veniſſent, mutua ſalutatione dicta ſimul & accepta, vbi cõſedere, Tridentinus Antiſtes, qui erat Cęſareæ legationis Princeps huiuſcemodi orationem habuit. Credo ego antehac multa huic vrbi feliciter contigiſſe, quæ maioribus noſtris ſimul & nobis maximè læta fuerint. Nec enim potuit ad hanc peruenire authoritatis ac rerum magnitudinem, ſi ſuorum ciuium virtuti forma abfuiſſet. Nihil tamen eſſe puto, quod plus veri gaudii aliquando huc inferre potuerit, quàm legatio hęc noſtra. Quippe quod proſpera alia, maximè circa humanas facultates, cùm eueniunt, tantummodò opes augent, quibus variè fortuna dominatur, nec tanta lætitia contingunt, quanta ſolicitudine poſſidentur. Legatio autem noſtra, quãdo exinde ortum habet, quod ſummi in orbe viri dignos eſſe vos cenſent, ad quos non tam de rebus, quàm de vniuerſi prope humani generis ſtatu referant, gloriam vobis parit immortalem, qua ſapiens quilibet, lõgè, longè magis quàm diuitiis gaudet, nec immeritò. Illæ enim malis æquè ac bonis temerè inculcantur à fortuna, eſtq; ipſarum fructus labilis, tum ſi maximè diuturnus perſeueret, vitæ tamen ſpacium non excedit. Hæc autem non niſi optimum quenq; res ſequitur, vtpote manans à virtute conſtansq; eſt & firma. Nec ſolùm viuentem ornat, ſed in omne etiam æuum ad poſteros ſe diffundit, ſoliditatemq; & ſplendorem accipit à vetuſtate, qua cætera maximè corrumpuntur. Itaq; quò diligentior habenda ratio de perpetuis ac ſtabilibus, quàm de caducis ac momentaneis, tantò acrius animum intendere debetis, cùm agitur de gloria veſtra, quàm ſi ageretur de facultatibus. Quarum deſpicientiæ laus ferè ſemper coniuncta eſt, cùm vera nominis claritudo minimè aliquã do ſine flagitio negligatur. Quanquam ea, de quibus acturi venimus, non tantùm eò ſpectant, vt dignitas & gloria veſtra creſcat, ſed vt imperii quoque magnitudo propagetur. Quod quemadmodum futurum ſit, faciliùs erit intellectu, ſi pauca quædam ex præteritis commemorauero. Nouit planè Cæſar, vel inprimis ſuum eſſe tueri rem Chriſtianam contra infideles, nec ſine rubore quodam vidit vos paulò antè laborantes, cùm ceu munere ipſius occupato, & totius Europę, publicam defenſionem priuatim ſuſtinendo, communem omnium fidelium hoſtem non tam noſtris finibus ſubmotũ, quàm intra ſuos conſtrictum tenebatis. Cæterùm, quia vicinitas non ſinit vos ignorare quicquam eorum, quæ per hos annos facta ſunt & fiunt in Auſtria, nõ putat adeò oportere repeti ea, quæ vobis nota ſunt, de cauſis, ob quas muneri ſuo ſimul & periculis veſtris non affuerit, quàm inire conſilium, per quod vbi vſus poſthac exegerit, facilè adeſſe queat. Eſt enim ſapientis præteritorum extimatione proſpicere futuris. Et vt minimè inter ſecundas res contraria optare debet, ita quaſi ventura ſemper extimeſcere. Quod cùm in omnibus ſeruandum ſit, tum maximè in his, quæ à principio animaduerſa aut tractata ſecordiùs, non facilè demum corriguntur. Cæterùm, ſi quando prætermiſſum fuerit malorum initiis occurrere, non ideò perſeuerandum potius in negligentia, quàm maioribus conatibus ſubinde reſiſtẽdum, ceu Medici faciũt. Morbum enim qui naſcens leuiter curari potuit, vbi ad perniciem creuit, remediis quibuſcunq; etiam ancipitibus aggrediuntur. Videatur fortaſſe conſultatio hæc

Hermolaus Barbarus. Dom. Triuiſanus.

Nic. Georgius.

Cæſarei Oratoris ad Venetos Oratio grauiſſima.

Similitudo.

tardiùs haberi, quàm oportuit, ſed robur Chriſtianæ rei ſolidiùs fundatum eſt, quàm vt ad deſperationem ſtatim labefactari potuerit. Nec præteriiſſe opitulãdi rationem, ſed dilatam eſſe hactenus, dicendum. Si quid verò vltra negligeretur, iam planè non ex periculo, ſed ex calamitate foret, cui nulla poſtea vel ratione, vel facultate ſuccurri queat. Video equidem, dum modò hæc, modò illa cauſa Chriſtianos auerſos tenet à coniungendis opibus contra commune diſcrimen, multa hoſtem occupaſſe, ex quibus nonnihil viribus ſuis additum, noſtris verò detractum eſſe apparet. Sed in illis omnibus plus omnino nominis eſt, quàm rei. Quid enim noſtris temporibus aut fuit, aut deniq; remanſit, vel in Thracia & Macedonia, vel in prouinciis aliis, quas Turcus in Europa occupat, quod aut ademptum nobis magnoperè vires noſtras extenuaſſe credatur, aut adiectum hoſti afferre poſſit conflandis gerendiſq; bellis magnum aliquod momentum, vel opum, vel hominum multitudine? Quandoquidem omnes illæ regiones iampridem tam vaſtæ ſunt & incultæ, quàm in quibus ſimul cum bello continui quoq; latrocinii, manus, ferrum, ignis, licentia graſſantur. Si data eſſet optio, maluiſſem ſanè illas quoq; nobis incolumes mãſiſſe, ſi non adminicula ſaltem ornamenta rerum noſtrarum futuraſ. Nunc quia tranſacta reuocari nequeunt, nec iam periclitantur ea, ſine quibus eſſe poſſimus, minimè vel differre, vel diſſimulare quicquam licet. Nam ſi id, quod fieri cœptum eſt, vera præſidia & fundamenta religionis noſtræ euertentur, ruina non tam hoſti aditum patefactura eſt nobis opprimendis, quàm ſtatim inde ſua ipſa nos obruet. Quæ quidem calamitas eò periculoſiùs nobis imminet, quò difficiliùs latentibus quàm apertis malis ſuccurritur. Haud enim ab hoſtium viribus adeò intentatur, quibus tanquam manifeſtis ire obuiam liceret, quàm inſidioſè obrepſt, non modò remedia noſtra, ſed conſilia etiam, niſi expergiſcamur, præoccupatura. Nam cùm ſit in Matthia Hungariæ Rege infinita, inſatiabiliſq; cupiditas ampliandi quaqua verſus regnũ ſuũ, nec ſatis fidat viribus propriis, ſi quæ cõcupiſcit, integra aggrederetur, inſtituit Turcorũ opera & manu vti, debilitãdis prius illis, cum quibus mox aggredi cogitat. Quæcunq; autẽ Turci ſibi ſubiiciũt, non tam perdita eſſe, quàm ceu depoſita apud illos credit, quaſi facilimũ futurum, ſi libuerit, poſtea cũcta recuperare. Huic adeò diſcriminoſę ac nefarię cogitationi, qui obſiſtere poſſe, inprimis Cęſarẽ videbat, ſi auctoritate ſua, Chriſtianos ad pariter repugnandũ induxiſſet. Eamq; ob rem cõuerſurus animũ ipſius à publico ad priuatũ periculum arma in Auſtriam mouit. Nec alia vel ſpe vel cõſilio illic tumultuatur, quàm vt neq; ipſe tanquam occupatus imploretur à Chriſtianis aliis, neq; Cæſar illis adeſſe queat. Interea verò Turcorũ ſucceſſus materiã & quaſi iter præſtruat ad eam regni amplitudinẽ, quam ſibi ille temerè repromittit. Ex hoc fonte quicquid calamitatis vſpiã per hoſce annos Chriſtiani ſubiére, profluxit. Hinc Turci bis iam per ſuburbana noſtra graſſati, tametſi incurrendo tam procul à finibus ſuis per hoſtiles terras ſcirent ſe à tergo relicturos tot montium anguſtias, tot ſaltus inuios, intra quos facilè includi à paucis, & ſine ferro, humanis tantummodò neceſſitatibus necari poſſent. Quod nequaquã auſi forent, niſi permiſſu & cõſilio illius, qui patrare poterat, vt ſalue reuerterentur. Ingemuit ſanè nõ Cæſar tantùm, ſed omnes pariter Germani, vbi cognitũ eſt vaſtari à Turcis Italiã, à qua ciuilioris vitæ inſtituta, bonarũ artium notitiam, & ſimul diuinorũ omnium rationem ſe accepiſſe, & illinc pendere ſciebant. Sed quid facerent, cùm ſi parũper à periculis ſuis oculos auertiſſent, Hungarus fuerit ſtatim illos oppreſſurus? Cæterùm per id tẽpus, veluti Cæſar opportunitati veſtrę minimè accurrere poterat, ita fruſtra futurum videbat, ſi maximo bello implicitos ad aliam quampiam actionem imploraſſet. Nunc verò quando benignitate Dei immortalis Reſp. veſtra terra mariq; pacem habet, optat quidẽ Cęſar, vt ea vobis ſolida ſit & perpetua. Sed impenſiùs admonet, occultum malũ immiſſum iampridem ab Hungaro intra Chriſtianæ rei viſcera, paulatim exedere corpus, ac veluti tabe conficere. Neq; adeò oppugnari ſe nunc in Auſtria, quàm id agi, vt Matthiæ praua cupiditas ad exitum, quem ſibi propoſuit, venire poſſit. Qui tamen armorum ſuorum fiducia deceptus, eodem incendio

Matthias Rex.

incendio, quod in aliorum perniciem fouet, paulò pòſt ſit conflagraturus. Non enim, ſi par eſt, prodendis Chriſtianis opibus, ideò etiam inſtaurandis ſufficit, cũ prodere ſit cuiuſcunq;, reſtituere autem in integrũ, non niſi fortunæ ac facultatum maximarum, quales virtus & felicitas veſtra vobis aggerauit. Et nunc illud curat, vt ad opes & potentiam, ad quam vos extulit, tantum gloriæ accumulet, quantum ſæpè votis concipitur, rariſſimè autem impetratur. Quid enim huic, qua fruimini, tranquillitati ac rerũ omnium opulentiæ ſpecioſiùs cõtingere poſſet, quàm tot Principes viros, ipſumq; Chriſtiani nominis caput profiteri, ſitum eſſe in vobis, an tollantur è toto orbe fideles, vel maieſtatem ſuã & decus reciperent? Fuerit fortaſſe vobis aliquid difficile in gerendis rebus contra Turcum, ſed quis labor, quod impendiũ, quæ pericula tanti eſſe potuerunt, vt nõ bene exhauſta ſint pro aſſequenda extimatione, quæ vobis remanſit, non dico inter vulgares, ſed in confeſſione eorum, qui cùm primi videantur, & ſint inter mortales, præferendo modo vos ſibi manifeſtè indicant, plus aliquid virtutis & fortunæ in vobis eſſe, quàm hactenus contingere hominibus conſueuerit. Veſtrũ igitur ſine dubio eſt, opinioni huiuſmodi non deeſſe, ſed quo plus quàm alii poſſe ac pollere putamini, eò acriùs anniti, vt vera de vobis credi, rebus ipſis comprobetur. Atq; inde etiam impenſius, quod nõ ſolùm ad præſentem gloriam veſtram confirmandam id pertinet, ſed ad futuram quoq; in omne æuum propagandam. Quanta enim cum laude, admiratione, neceſſe eſt commemoretur a poſteris, veſtra autoritate ac virtute inter cæterorũ omnium deſperationes Chriſtianum nomen ab interitu aliquando conſeruatum? Sed & maxima rebus veſtris exinde ſecuritas accedet. Quippe, quòd nemo vnus poſtea illos tentare ſit auſurus, in quibus ſciant ſatis auctoritatis atq; opis fuiſſe vniuerſis protegendis. Non oportuit ſanè, vt dixi, quicquam negligentiæ committi in his, per quæ aditus parabatur ad fidem noſtram extinguendam. Sed illa neglecta ſunt, quæ non ſtatim exitium afferebant. Quicquid eorum, quæ ſuperſunt, expugnari continget, tale eſt, vt ſolum perire non poſſit. Sed ſæpè iam dico, caſu ſuo cętera omnia ſit oppreſſurum. Si vos ex trãſactis minimè vel expendere, vel timere futura volẽtes ceſſauetitis, fatetur quidẽ Cæſar, neq; in ſe, neq; in alio quopiam ſpei quicquã ſupereſſe. Verùm ſi ventura prouidentes animum erexeritis, veluti certè debetis erigere, vt pro gloria & amplitudine veſtra tantum audeatis, quantum Deus immortalis dedit vt poſſitis, videt planè mox fore, vt quæ adempta ſunt omnia Chriſtianis, vbiq; iterum ſubiiciantur. Nec facultas ſolùm, ſed ſpes etiam præcidatur infidelibus moliendi contra nos aliquid in futurum. Immaturè tamen, non modò actio, ſed etiam cogitatio ſuſciperetur aduerſus illos, priuſquam reprimantur machinationes Hungarorum, qui non vt Turci directa fronte, ſed obliquè ac per inſidias graſſantes ad idem naufragium rem Chriſtianam occultè impellunt, ad quod illi rapiunt manifeſtè. Tollendi autem mali eiuſmodi duplex eſt ratio, alteraq; ex auctoritate noſtra pendet, altera ex viribus. Si auctoritas opitulando efficax eſſe poteſt, dignius omnino eſt remedium, & leuitate noſtra & profeſſione Chriſtiana, tum etiam magis conducit futuris actionibus, vt in extorquenda pace ab Hũgaro, non præconſumantur tempus ac vires, quibus eſt infidelibus occurrendum. Quòd ſi ille modeſtiam ac modum cupiditati ſuæ imponere noluerit nunquam vel iuſtius, vel pro maiori gloria conſequenda bellum ſuſcepiſtis, quam ſi iungentes vires veſtras cum Cæſareis paci ſimul & incolumitati Chriſtianæ aduerſantem exterminaueritis. Quid enim dici excogitarive poteſt, in quo arma noſtra aut conuenientiùs aut glorioſiùs poſſint vel debeant ſe exercere, quàm ſeruando ſeruare ab interitu Chriſtiano nomine. In cæteris enim quibuſcunq; actionibus, tametſi iuſtè ageretis, quia tamen circa priuata veſtra verſarentur, non adeò animorum veſtrorum æquitas ac virtus eluceret, atq; in iſta, ad quam communi Chriſtianorum omnium vtilitate acceſſiſſe conſtabit. Sed neq; ſeruandis augendisq; noſtris tantum gloriæ ineſſe poteſt, quantum ſeruatis alienis, præſertimq; vniuerſis. Ab hac enim deliberatione aut ſalus aut exitium manaturum non in Germaniam ſolùm, ſed in cæteras quoq; regiones ac gentes,

quæcunque fidem noſtram profitentur. Maxima prorſus ac diuina laus, & cui, poſtquam ſeu fatum, ſeu fortuna Cæſari eam inuidet, nemo penitus inueniri par queat, præter magnitudinem veſtram, quæ virtute ſua, nobilitate, rebus geſtis digniſſima eſt, cui tot Principes ac Reges Maximi, tot florentiſſimæ quoque Reſpublicæ Chriſtiani nominis, debeant cum libertate cætera omnia, quæ hominibus aut vſui ſunt, aut decori. Quandoquidem gloriam ſi auerſaremini iure accuſari poſſitis. Quod non magis iniuſtiùs eſt, qui per ambitionem inuadit laudem, qua ſit indignus, quàm qui aſpernatur & deſerit eam, quã meretur. Eſt profectò Rex Matthias audax & cõfidens, ſed non ignorat, quàm impar ſit futurus, ſi tot ſimul contra ipſum conſpirauerint. Eamq; ob rem ſperare poſſumus, ceſſurum veſtræ authoritati, minimeq; recuſaturum vobis arbitris dare & accipere tales pacis conditiones, quales tempus ac ratio inſtaurandæ ſimul & firmandæ Chriſtianæ incolumitatis expoſcunt. Quòd ſi communem æquitatem ſimul & periculum aſpernatus tergiuerſari maluerit, ſtatim primo conatu obruetur, tanto maiori ſpe religionis noſtræ ad maieſtatem priſtinam efferendæ, quantò expeditiùs erit poſtea moliri, ſublato ex toto quàm modicè repreſſo impedimento. Poſſem hic iam recenſere, quantum authoritatis ſimul & roboris obligatis nobis beneficio noſtro Principibus tam vicinis, tam maximis, ac primæ apud omnes dignitatis, partim ſubitò Reip. veſtræ accedit, partim paulò pòſt gerendis rebus contra Turcos. Quandoquidem multa poſſidetis tàm in terra, quam in mari, vnde ex propinquo gerere pariter atq; alere bellum commodè poſſitis. Propterea verò quòd claſſem habetis præter omnes numeroſam, nec ſolùm paratam, ſed etiam exercitatam, iampridem contra id genus hoſtes, nemo eſt, qui de fructu victoriæ plura ſibi ac maiora repromittere valeat. Sed nolo videri quicquã efficaciùs ad vos mouendum, quàm veram gloriam, ac benefaciendi ſtudiũ & conſuetudinem. Quanquam veluti factutum rectè nihil aliud, quàm facti pulchritudinem ſibi proponere oportet, ita ſi præmium aliquod exinde contigerit, minimè decet aſpernari. Quæ cùm dixiſſet Tridentinus, Bernardus Polemus Regis ſui ætatem, res geſtas, facilitatem talia eſſe, inquit, vt magnopere Veneti ſe conciliare velle deberent. Reip. namq; ipſorum, quæ virtutis ac bonarum omnium artium fundamentis ſubnixa facilè immortalitatem ſibi polliceri poſſit, & ſimul cuiuſdam quaſi libramenti inſtar gereret inter Chriſtiana regna vnoquoq; in aptiſſimo mutuæ firmitatis temperamentò retinendo, nihil opportunius excogitari poſſe amicitia & ſocietate eius Regis, qui iuuenis eſſet, & ad bellicas actiones non minùs peritus atq; impiger, quàm audax & fortunatus. Amicitiam, quæ inter bonos eſſet, robur & ſoliditatem accipere à perſeuerantia & diuturnitate. Eamq; ob rem illas præcipuè ineſſe attincteq; maximè, vt diu durare poſſet. Propter varias autem actiones, quibus implicentur neceſſe eſt, qui non rerum ſuarum, ſed pene omnium fidelium ſimul curam & tutelam ſubſtinerent, magnoperè expedire, vt promptiſſimo atq; exercitato cuique in agendo coniuncti forent. Multa executus præterea de commodis, quæ his, qui non ſolùm beneuolentia, ſed etiam vicinitate coniungerentur, propinquitas ſubminiſtrare poſſet ac ſoleret, non tantùm in otio & pace officiis commutandis, ſed in bello etiam ſiue inferendo, ſiue propulſando, cùm non tanquam ex duobus regnis diuerſis ad mutuas opportunitates foret conueniendum, ſed tanquam ex vnico vbicunque res vocaſſet, præſtò ſimul ſemper eſſent & accurrerent. Adiecit nõ oportere memoria præteritorum retrahi à ſpe rei melius gerendę. Nihil aliud obſtitiſſe priùs, quò minùs Chriſtiana defenſio quanto decuerat cõſenſu & apparatu ſuſciperetur, quàm Matthiæ Regis machinationes & conatus, modò in Boemiam, modò in Auſtriam. Poſtquã ille aut coercitus foret, aut ſublatus è medio, quoniã Chriſtiani abundarent omnibus, quæ tam facilẽ, quàm certã victoriam præbitura viderẽtur, ſine dubio etiam concordiã affuturam. Cæſaris ac filii autoritatẽ multis modis vel inuitos attrahere poſſe, ſi qui rebus ſuis intẽti eadẽ qua ſuperiori tempore diſſimulatione vti inſtituiſſent. Ad extremum multò magis rei ac nomini Veneto conducere, præoccupata laude conciliatorũ inter ſe Chriſtianorũ, vnà

Verba Oratoris Regis Maximiliani ad Venetos.

cum

cum illis aduerſus infideles procul ab Italia pugnare de alienis, quàm Hũgarum, vbi quãtum cogitaret virium ac facultatum ſibi adiecißet, grauißimum hoſtem prope ante oculos ciuitatis, & velut in ſuburbanis igne ac ferro debacchantem, ſubmouere. Poloni verò ſubinde, cùm planum fecißent propter inſultus, quibus à Tartaro ſine intermißione aliqua laceßerentur, nihil minus regno ſuo expedire potuiſſe, quàm ſi apertè Turcico etiã bello ſe cũ Venetis ſimul implicuißent, Chriſtianis cæteris pertinaciter abſtinentibus, oſtendere plus tum valuiſſe apud ſuos diſcrimen, in quo deprehenſa Veneta Reſpublica laborabat, quàm reſpectus aliquis incurſionum, quæ ab hoſte domi eis imminebant, paratosq; fuiſſe ſemper quamcunq; adire difficultatem, priuſquam difficili tempeſtate implorantes ſe deſererent. Eamq; ob rem nunquam vel modicè dubitaſſe curare atq; expedire, qualiacunq; illi opportuna ſibi eſſe nunciaßent. Tametſi plæraq; eiuſmodi forent, à quibus prouocari ſtatim Turcus potuißet. Quid enim futurum, ſi præſenſißet? Polonos nauare operam Veneto concitandis Perſis, & ſimul immittendis in Cappadociam ac Pontum Tartaris, qua vna gente nullam in toto orbe aut magis odißet propter clades ab ea acceptas, aut vehementiùs reformidaret, propter multitudinem ac ſe inuadendi opportunitatem? Mutatam quidem eſſe fortunam, & qui maximo, nec alii cuipiam tolerando bello premebantur, in ſumma eſſe pacis tranquillitate. Polonos tamen perſeuerare in ſolita voluntate gratificandi eis, quicquid foret, quod aut viribus, aut authoritate præſtare poßent. Et licet malebant Venetarum rerum conditionem eam eſſe, quæ nullius ope indigens, facultatem maximam haberet opitulandi quàm plurimis, tamen ſi quis parum ſecundus ventus extra portum diutius in periculo ipſos agitaßet, nihil in mora futurum fuiſſe, quò minus accurrant tuituri ſtrenuè, quacunque nauigii partem commiſißent. Cæterùm non quia proſpera ipſorum intercipiebant cauſam alicuius periculi adeundi, ideò voluntatem Polonorum minus gratam eſſe oportere. Tyrannici enim & malè inſtituti animi, non Venetorum eſſe, metiri modum debendæ gratiæ potius ex opportunitate ſubeundorum diſcriminum, quàm ex beneuola voluntate animorum. Nec ſupereſſe facultatem aliquam bene merendi de felicibus, ſi nullum meritum niſi in propulſandis aduerſis agnoſceretur. Sine dubio aduerſus fortunam ingratos, in ſe verò iniquos habendos, ſi cenſerent ad expendendum aliorum erga ſe animos magis pertinere iuuari inter contraria accidentia, quàm coli rebus florentißimis. Ad extremum, ſi ita animati eßent, vt putarent inania gratulatum ſtudia, cùm proſpera omnia adeßent, neminem non mala eis imprecaturum, vt foret, vnde gratia ab illis iniretur. Quod ſi neque fas eßet, neq; expediret minùs deberi fauentibus in tranquillo, quam auxiliantibus in tempeſtate, Polonos, qui nequaquam in periculis à Veneto ſe auertißent, & tunc præter omnes felicitati gratularentur, iure ac meritò ſperare, ſuasq; res viciſſim curæ illi fore, daturumq; enixè operam, ne ipſius tam conſilium, quàm opportunitatem ſecutos, pœniteret vel dilatæ, vel contemptæ pacis, quam Turci antea obtulißent, & tunc maximè offerrent. A qua amplexanda tametſi bona id fortaßis venia fieri licebat, quando Venetos quoq; iam ſibi conſuluiſſe, tamen abſtinuerant, putantes non conuenire certum quicquam ſtatuere, priuſquam accepißet iudicium illorum & voluntas, in quorum gratiam ad eam diem rem totam extraxißent. Propterea quòd adeò ſæpè eiuſmodi mentio à Turco inferretur, facilè intelligi illum quidem ſolicitudine verſari. Polonis autem in expedito eſſe, peruenire ad æquas fœderis conditiones. Videret ergo Venetus, quàm diu pacẽ ſeruare vellet, & qua ratione ipſos de rebus ſuis ſtatuere oporteret, vt ſimul ac neceßitas poſtulaßet, nihil impediret, quò minus vires & cõſilia communicare poßent. Si videretur fœdus ad tempus expedire, nõ deeſſe Polonis, quo pacto id commodè tractaretur. Cæterùm, ſperare maiora quædam impetrari poſſe, adhibito velut arbitro, ſub quo diſceptarent. Orare igitur per ea, quæ præceßerant merita, nec minus per ſpem futurorum, vt id ſibi aßumerent, mißoq; ad Turcum de rebus eiuſmodi legato, ſummam gratiam ſibi conciliarent tam ab illo, qui pacẽ deſiderabat, quam a Polono,

Polonorum Oratio.

qui ab ea non abhorreret, ſi opportunã cenſerent. Minimè dubium, Venetorum autoritatem tanti eſſe apud Turcũ, quòd etiã rebus ſuis florentibus, nequaquam illis magnopere aduerſaretur. Nunc quando prope ad vltimũ diſcrimen felicitas Soltani eum adduxiſſet, quocunq; impendio curaturũ adimere omnẽ occaſionem Chriſtianis, quæ ad arma ipſos concitatura videretur. Exindeq; ſpẽ fieri reſtiturũ Lycoſtomum & Moncaſtrum, quæ maiori ſumptu & periculo, quàm vel gloria, vel emolumẽto poſſideret, idq; omnino ſatiùs ductutum, quàm ponere ſe in diſcrimẽ amittendi omnia, quæ vſquã ditionis ſuæ haberet in Europa. Exq; illis, quæ à Cæſare nunciarẽtur, putarent oblatam occaſionem maiorem, quàm vt propter duo emporiola forẽt amittenda. Polonos nullã conditionẽ recuſaturos conandi & moliendi quæcunq; allatura crederẽtur momentũ aliquod euertẽda funditus dira gẽte ac nefanda ſuperſtitione, quæ tot iã annos in religionẽ noſtrã prope impunè graſſaretur. Tartaros etiã vim omnẽ ſuã quocunq; Polonos ſuaſiſſet, cõuerſuros, quo vel vnico genere auxilii nomẽ Turci facilimè deleri vbiq; poſſet.

Cogitationes Senatus ex aditu Oratorum.

Erexerat Senatus mirè animos ad verba Oratorũ, cũ iam tũ velut obuerſaretur oculis tota agendorũ ſpecies, & vix mente conciperent præmia ſimul & laudẽ victoriæ de Turcis reportãdæ, ſi vnà cũ Hungaro aut perſuaſo aut coacto, tot pariter Reges maximi Venetis virib. adiungerẽtur. Et gaudebãt omnes, oblatã ſibi occaſionẽ reprimẽdi opes & conatus Regis, cuius cogitationes iampridẽ ſuſpectæ erãt, tã ꝓpter veteres ſimultates & diſceptationes de finib. inter Venetũ atq; Hungarũ, q̃ propter nouã affinitatẽ paulò antè cũ Ferdinãdo Rege nõ aliam magis ob cauſam initã ab ipſo, vt credebatur, q̃ vt haberet in Italia quo cum machinari ac moliri poſſet, ſi qua in perniciẽ Venetorum animo agitabat.

Ferdinandus Rex.

Sed neq; obſcurũ erat infremuiſſe ſuperiori anno, & multa palã ſæpenumerò minarũ plena per indignationẽ iactãdo effudiſſe, poſtq̃ ſenſerat pecuniã, q̃ ex decreto Italicorũ omniũ, qui Xiſto Pont. Max. cõuenerant in Fulgineo ad eũ mitti oportuerat, retentã fuiſſe, cui⁹ rei æmuli ſubſtituerãt Venetos autores. Itaq; cupiebat Senat⁹ obiici difficultatẽ aliquã illi in rèb. ſuis domi, propter quod foris ab alienis auerteretur. Sed cũ videret ꝓpter ætatẽ & naturã Cæſaris nõ min⁹ diſcriminis eſſe in huius ſenili & cunctationi dedito ingenio, q̃ in illius feruido ac præpropero ſuſcipiẽdis ſimul atq; obeũdis bellicis actionib. nõ ſtatim abſolui potuit cõſultatio, ſed in dies pluſculos ꝓtracta eſt.

Dux ægrotat.

Interea Princeps morbo implicit⁹, cũ rumor eſſet, graui⁹ omnino ægrotare, q̃ vt citò poſſet cõualeſcere, cauſam pbuit Tridẽtino, ac Legatis aliis adeũdi Senatũ rurſus indicãdi, quãto ꝑiculo Cæſar poſtulatũ eventũ expectaret.

Cæſarei ac Polonus Oratores rurſus ad Senatũ.

Eſſe.n. ſibi cõſilia & rationes alias aduerſus hoſtẽ ſuũ, ſed ꝓtuliſſe illa, ꝑ q̃ nõ ſolùm reb. ſuis, ſed in vniuerſum Chriſtianis omnib. cõſuleretur. Nõ poſſet tã diu pẽdere in ancipiti ꝓpter acerrimos in ſe conatus, occupandumq; genus aliud defenſionis, ſi Venetus ab his, q̃ propoſita forẽt, ſe retraheret. Rogare ergo inirẽt rationẽ tollẽdi morã reſpondẽdi, ſi quam Principis valetudo eſſet iniectura.

Reſponſio Senatus.

Ad ea Senatus maximopere moleſtã ciuitati aduerſam Principis valetudinẽ, nõ q̃a eſſet in Rep. aliquid, quod abſente illo rectè adminiſtrari non poſſet, ſed quia decẽtiùs, & maiori cũ dignitate omnia eũ præſens foret, abſoluerẽtur. Eſſe.n. in eo prudentiã incredibilẽ cum diuturno ciuilium rerũ experimẽto. Et multũ maieſtatis ac decoris à capite, Senatui ac cæteris ordinibus accedere. Cæterùm, ſiquando conſilium, decor & maieſtas in Rep. viſa eſſent, tunc maximè videri propter dignitatẽ legatorũ, qui conuenerant, & ſimul propter grauitatẽ eorum, de quibus agebatur. Quoniam verò ita caſus tuliſſet, non ideò prætermittendum reſpondere illis, quę beneuolè nunciata eſſent à Principibus maximis, vicinis, amicis, & quorum proſpera & aduerſa omnia, Reſp. Veneta ſemper ſibi communia exiſtimaſſet. Igitur quod attineret ad bellum contra Turcum geſtum, ſi quid in eo factum foret, quod à Cæſare probaretur, gratiſſimum eſſe Venetis omnibus. Quandoquidẽ nõ alia magis cauſa id ſuſceperãt, quàm ne religio noſtra ſine defenſore eſſet, donec cæteri Chriſtiani omnes parare ſe ſimul & accurrere ad cõmune diſcrimen poſſent. Quã rẽ licet ſegnius quã oportuerat, expediri animaduerterẽt, interpretariq; factũ ſuum malignè, nõ tamen a cœptis retroceſ-

retroceſſuros fuiſſe, ſi illi à quibus ſubminiſtrari auxilia conueniebat tantũ modo ſatis duxiſſent abſtinere, nec inſidiati occupationi, quæ auerſos in Græciam tenebat, Venetorum res in Italia labefactare inſtituiſſent. Liberos quidem à cæteris actionibus non oportuiſſe viribus ſuis diffidere. Sed & Perſas ſibi iam tum coniunctos & Tartaros mox affuturos fuiſſe. Neque adeò à bello ſe retractos, quam à victoria. Ex quo facilè intellectu, inuitos ſe ad pacem inclinaſſe, nec fore aliquando, vt negarent aut operam aut facultates ſuas Chriſtianæ defenſioni. Suſcitare quidem in animis ipſorum ea, quæ depoſita eſſent, magnam ſpem aggrediendæ rei ordine, & apparatu oportuno, tamen quia experti forent, haud ſatis reſpondere opinioni, quęcunque de ſtudio ac pietate aliorum in Religionem ſibi repromiſiſſent, minimè audere ſtatim ſe prorſus fortunæ committere. Et quamuis Cæſari, ſentientibusq; cum eo multum tribuerent, non minus tamen reformidare cognitam in periculis ſuis paulò ante multorum contumaciã quorum animos prætentandos cenſerent. Cum Hungaro quidem per eos dies pacẽ firmaſſe, ſed minimè omnes exinde aditus obſeſſos ad ſalutem Chriſtianæ rei expediendam, ſi nihil aliud reſtaret à quo terreri poſſent, ne arma inducerẽt. Nec defuturos in tempore, ſi vidiſſent Cæſarem cum ſuis eam viam ingreſſum, per quam ſequi ipſi vel poſſent vel deberent. Ex quibus intelligi volebant, minimè perſuaderi ſibi, Cæſarem tanto aut animo aut conſtantia contra Hungarũ motum, quanto oportebat, pro rei ſimul & iniuriarũ magnitudine. Neq; alia ratione aut cauſa retrahi ſe ab incipiendo quàm timore, ne deſtituerẽtur in actione. Cæterum ſi Cęſar ſtrenuè antecedere cœpiſſet, gnauiter ſubſecuturos. A tractanda autem concordia abſtinendum putabant, nõ tam quia iniri poſſe deſperarent, quam quia intereſſe ſua videbant, Hungarum occupari qualicunq; bello, ne per ocium vacaret ſibi nouare aut mouere aliquid contra eos. Polonis verò reſponſum eſt libenter vt ęquũ erat pro amicis & beneuolis ſuſcepturum Senatum curã expediendi, quantum autoritas ſua prodeſſe illis apud Turcũ poſſet. Deberi id non ſolum beneuolentię, qua ſe mutuo proſequerentur, officiis vltro citroq; inter ſe collatis ad id locorum, verum etiam ſpei multarum rerum, quas poſtea cũ Polono communibus auſpiciis Veneti ſe geſturos augurabantur. Eaq; fuit cauſa, ob quã cum diſceſſiſſent poſt triduum collegę, habito reſponſo Callimachus ſupra duos menſes in Ciuitate remanſit, expectans quid renunciaretur à Veneto Oratore ex Conſtantinopoli, ad quẽ de rebus Poloni Senatus ſe ſcripturũ affirmauerat. Poſt diſceſſum Legatorum ingraueſcentem quotidie morbũ iampridem effœta Principis ætas haud diu ferre potuit, ſecutaq; eſt octauo Principatus ſui menſe illius mors, non ſine ingenti luctu ac mœrore Ciuitatis. Multæ enim egregięq; partim populares, partim Senatorię in eo virtutes, omnibus æquè ordinib. charum reddiderant. Nam populus quidem per ſe benignitatẽ illius & clementiã, Senatus verò conſilium ac prouidendi acumẽ ſummè diligebat. Vterq; ſimul ſapientiã atq; æquitatem maieſtati tanti viri debita veneratione admirabatur. Quoniam verò ea Ciuitas nõ ſolum magnifica ducendis Principũ ſuorum exequiis, verùm etiam propemodum ſingularis apparatu & genere Ceremoniarum, viſum eſt tam ex his, quæ vel ante vel poſt mortem eius qui tunc obiit dici fieri ve contigerint, quã de ordine ac ritu funerationis pauca inſerere. Igitur pridie quàm viuendi finem fecit, accitos ad ſe filios ita allocutum ferunt. Inter ea quæ parentes liberis ſuis moriendo relinquunt, nihil ſine dubio ſpecioſius claritate nominis ac gloria, ſed nec quicquam oneroſius. Pecunia enim & cętera vulgo chara, ſplendorem potius accipiunt, quàm prębent ſi rectè poſſideantur. Tũ ſine culpa euerti plærumq; ſolent, nec ſemper illorum vice turpitudo ſuccedit. Gloria nec haberi ſine ſummo decore, nec ſine maximo flagitio imminui poteſt. Atq; vt ornat & venerabilem facit ad quem peruenit, ita ſi parum ſtrenuè foueatur, degenerantis à ſe prauitatẽ lumine ſuo illuſtrat, atq; oſtendit magis. Ex quo intelligere debetis magnã recte agendi neceſſitatem, vobis à me impoſitam, qui ſedulo operam dederim, vt hæreditatẽ magis gloria, quam diuitiis pollentem ex me acciperetis, dictis factiſq; veſtris omnibus, lucẽ inde acceſſurã. Rectis quidẽ

Moritur dux Venetus.

Verba morituri Ducis ad filios.

vt clarius niteant, contrariis ne latere valeant. Eamq; ob rem eſſe a vobis identidem cogitandum, non quàm pulchrum ſit patre ampliſſimò naſci, ſed quantum oneris exinde filiis incumbat rebus magnis ac præclaris pro his qui beneuolentia, vel ſanguine coniuncti ſunt, ſed imprimis pro patria obeundis, vt teſtificanda demum virtute ipſorum potius, quàm deteſtanda ſocordia, argumentum ex ſplendore patrio adducatur. Alii ſuos quantumuis locupletari curent, ego abũde vobis omnia ſuperfutura cõfido, ſi paterna ſimul & veſtra innocentia, fide, probitate clari eritis. Tum me vobis chariorem fore ſemper exiſtimaui, ſi gloriæ plus vobis quàm auri reliquiſſem. Veſtrum erit enixè conari, ne parum ſapienter cogitaſſe, néue non acutiſſimè, quales euaſuri eſſetis prouidiſſe dicar. Et quoniam prius à morte deprehendor, quam implere potuerim expectationem, ob quam patria me in hoc faſtigium euexerat, totis viribus laborandum, vt quem petierat ex me fructum ex vobis conſequatur, præreptamq; ſibi operam atq; induſtriam meam virtute veſtra compenſet. Non enim ſucceditis mihi, priuatis tantummodò debitis meis ſatisfacturi, ſed multò magis publicis. Et cum ſine reſpectu vel facultatum vel vitæ, vnumquenq; patriæ ſuæ vſui atq; honori eſſe oporteat, vos maximè oportet, qui non ſolùm veſtro, ſed meo etiam nomine debetis. Facile autem munus in hoc veſtrum implebitis, ſi perſuaſeritis vobis, non in augendis ditandiſq; priuatim veſtris domibus felicitatem conſiſtere, ſed in libertate atq; amplitudine publica, ſimulq; parati eritis, quandocunq; illius vſus poſtulauerit, corpora veſtra magno & elato animo impendere, longiſſimam famam pro minimè longa vita conſecuturi. In quam ſententiam cum ratio ipſa vos ducere, tum verba & authoritas mea debet. Sed & domeſticis exemplis inuitamini, quando, vt alios multos qui ante illos in gente noſtra floruere omittam, non ignoratis duo decora & lumina, non familiæ tantum, ſed Ciuitatis etiam noſtræ, Iacobum & Hieronymum, alterum ad Patras, alterum in Bononienſi agro paulò ante in legatione extinctos, cum diuerſiſſima in parte orbis vterq; difficili Reipub. tempeſtate ſtrenuè rem gereret. Ego quod ad me attinet mallem ex vita veſtra fructum atque ornamentum Ciuitati accedere. Verùm ſi teſtificandum fuerit etiam morte, quantum patriæ tribuatis, & quàm ſimiles maioribus noſtris ſitis, nequaquam digni videremini quorum parenti tota ſe Reſpub. aliquando commiſiſſet, ſi recuſaretis periculum vel depoſcere vel adire. Ceterum velut in publicis actionibus fortitudinem maximè ac iuſtitiam amplexandas cenſeo, ita modeſtiam domi & concordiam præcipuo quodam ſtudio & conſtantia excolendas. Quicunque enim in rebus ſuis modum adhibet, tranquillè agens intra domeſticos parietes, præter id quod commodè viuit & imperturbatè, etiam ex conſuetudine tranſit in eam naturam, vt in Repub. turbulentum aut intemperatum quicquam neque cogitare neque ferre velit. Qua quidem animi affectione nihil eſt quod in conſeruandis, augendis Ciuitatibus, efficacius dici queat. Sperabam ſanè verſari ex diuturna inſtitutione mea, has in animis veſtris cogitationes, ſed cum id quod rectè fit, nunquam ſatis fiat, nolui in hoc quoque articulo aut Reipub. aut mihi aut vobis non adeſſe. Subinde priuſquam ſepeliretur incidit deliberatio de admittendo Oratore Turci, ſpectatum pompam funerandi, cum ille impenſius id peteret, & multi eſſent qui non cenſerent tantam varietatem rituum, veſtimentorum, ordinum in Religione prophanis oculis ſubiiciendam. Putabant enim, quandoquidem ſimul Cleri longè inter ſuos diſſimilima Vniuerſitate, conuenturæ etiam eſſent Fraternitates pœnitentium ciuium, quæ Scholæ à Venetis nuncupantur, animum Barbari moueri poſſe, vt ſuſpicaretur non vnum eſſe ſenſum omnium, & cogitationem erga Deum immortalem apud illos, quos habitu, colore, tonſura, ornatu, nuditate ſimul & operimento, aut capitis, aut pedum, vexillorum deniq; & cæterorum diuerſitate, qua obeundis cæremoniis vterentur, mirè inter ſe differre animaduerteret. Vt enim notiora quæq; omittam, quibus variè ab inuicem diſtinguuntur profitentes Sacerdotium, nec ſub eodem nomine Religioni mancipati, quãtum ambiguitatis apud imperitum Chriſtianarum rerum apparebat habituras

Iacobus Barbadicus. *Hieronymus Barbadicus.*

Conſultatio, an admittendus Turcus ad pompam Ducalis funeris.

Schola.

ipſas

ipſas laicorum fraternitates, candenti & in pectus pendulo verticis ſimul & faciei velamento, ac cætero totius corporis informi atque inuſitato amiculo, præterea inceſſu; cantu, vexillis, candelabris, ac funalibus diſcoloribus, oculos etiam atque aures, quibus ſunt familiares prouocantibus? Tametſi eiuſmodi omnia ex arcanis fidei noſtræ educta decenti ratione inſtituta ſint ac fiant. Vt enim qui tunc maximè præſidebat in ea fraternitate quæ putatur punire, quia ſe in eiuſdem numinis, cuius & Ciuitas tutela eſſe profitetur Iohannes Bellinus, non tam pictor emendatiſſimus teſtimonio Comitis Veneti, in quo pingendo artem vicit, naturam penè ęquauit, quam peritus Chriſtianæ Philoſophię, quodam tempore cum à Polonis Oratoribus interrogaretur, narraſſe conſtat, Fraternitates eiuſmodi originem trahunt à priſcorum fidelium inſtituto, quibus omnia inter ſe communia fuere. Vocantur verò Scholæ propterea, quod viuendi rectè præcepta illic traduntur pariter & accipiuntur. Cæterum quia multitudo Chriſtianorum in immenſum aucta, & ciuilibus muneribus neceſſario implicita non admittit in vniuerſum priſcam illam rerum omnium communionem, imago quædam ipſius ac ſimilitudo ſeruatur. Nam ſi quis inter eos egere cœperit cum impenſa aliorum nutritur, & tenuiorum filiæ pro natalium dignitate dotantur, proſperaq; alia & aduerſa mutuo inter ſe patiuntur, nec genus aliquod officii quod frater fratri in vita debeat, prætermittitur. Ad extremum ritu & cæremonia inſtituta à primis collegiorum eiuſmodi authoribus mortuos ſuos efferunt, & tradunt ſepulturæ. Procedentibus autem ſimul in publicum aut officii aut ſolennis alicuius gratia commune quidem omnibus velare effuſe caput præ ſe ferenda humilitate. Idemque apud omnes candor in amiculis vniuerſum corpus operientibus. Qui color diuinis rebus obeundis, vt minimè omnium ſordidus & coinquinatus vel in primis congruere putatur. In vexillis verò diuerſitatem ſeruaſſe oportuit, & differentiam ante ſe ſigna præmittere non eorundem numinum titulis congregatos. Nam in colore cæreorum alii aliud propoſitum habent. Qui enim candore in illis vtuntur, puritatem fidei ſuæ velut oculis ſubiici cupiunt. Qui rubedinem malunt, charitatis imitantur ardorem. At quibus ineſt ſpei viriditas eam coloris ſimilitudine profitentur. Quibus verò cura ſanctimoniæ indicandæ animi ſui ſenſum cæreo pallore teſtantur. Nam funeſti qui nuper auertenda peſte collegium ſuum inſtituere, ad tam lugubrem deprecationem atrati, vt maximè decet, progrediuntur. Igitur in adeò multipliciter vario ſenſu & apparatu elaturorum principem animi deliberationem eo vtiq; acclinabant, vt nihil tutius Religionis maieſtate conſeruanda arbitrarentur, quàm ſubducere omnia eius aſpectui, qui propter noſtrarum rerum ignorationem perperam videbatur interpretaturus. Sed Marcus Sannutus, Franciſci filius, paternæ magnificentiæ in conſulendo tam hæres quàm imitator, docuit non adeò Turcum hebetem ac ſocordem credi oportere, tum ſuæ quoque ſectæ rituum vel oblitum vel imprudentem, vt putaturus foret ad Religionem ac pietatem pertinere potius quo quis habitu ornatus incederet, quàm quo animi affectu erga Deum immortalem eſſet. Nec verendum rem, quæ tota ab oculis ſubmota intra mentis arcana ſeſe contineret, opinionem accepturam ex his, quæ non modò animi non eſſent, verumetiam extra corpus nullo præter quam opinionis diſcrimine verſarentur. Sed & nihil in illis omnibus non tale eſſe, vt admirationem potius quàm contemptum eliceret, niſi fortè crederetur homini tenui ac Barbaro, quem propter inſolentiam etiam mediocris pompa in admirationem maximam concitare poſſet, ea demum aſpernanda ac ridicula apparitura, quæ in amplitudine ac copia omnium magnarum rerum, tamq; opulenta & ſapiens Ciuitas, vt magnifica & ſpectanda conſtituiſſet ac frequentaret. Pertinere ad Chriſtianam ſimul & Ciuitatis maieſtatem Barbaros videre, coli Religiones illic non ſolùm piè, ſed etiam opulenter. Varietas verò culta & veſtimentorum facilè intellectu quo ſpectaret. Nam ſi talis diuerſitas afferre crederetur decorem illis qui militarēt humano cuicunq; Principi, non eſſe cauſam, quare ratio eadem non pro-

Iohannes Bellinus.

Marcus Sannutus.

baretur inter militandum immortali Deo, cui cultiora omnia & præſtantiora quam homini ſine dubio deberentur. Ad extremum irrideret Barbarus ſi videretur, dum modo apud animum eius ex multiplicium rerum ſplendore ac copia, plus attentionis & formidinis quam contemptus ex habituum diuerſitate crearetur.

Sebaſtianus Bodarius.

Probata eſt Sannuti ſententia, cui qui primus acceſſerat Sebaſtianus Bodarius ſupra quam dici queat in omni deliberatione circumſpectus & ſapiens, adiecit, vt cum Barbaro ſimul collocarentur, humanarum diuinarumq; rerum periti, qui oportunè declararent, ſi qua illius animum vel modica ambiguitate ſuſpendiſſent.

M. Dandulus.

Petrus Contarenus.

Ant. Leonardicus.

Deſignatiq; ſunt ad eam rem Marcus Dandulus, Andreæ filius Ciuilis ac Pontificii Iuris ſcientia inſignis. Petrus Contarenus Adorni, Venetę Hiſtoriæ ſcriptor accuratus & prudens, Antonius Leonardicus, Sacerdos cæremoniarum rituumque ſacrorum gnarus ac retinens, maioris tamē nominis ex ſingulari peritia Geographiæ, quam vltra veteres nouosq; authores excoluit ac illuſtrauit.

Ritus & cærimoniæ humandi Principis.

Cæterum in conſuetudine ac ritu humandi Principis, multa ex vetuſta obſeruatione fiunt, quorum magis intellectus interpretandus, quàm ſeries exponenda. Nam, quis ordo faciendi, omnes pene ſciunt, ratio verò à plærisq; ignoratur. Atque in his quidem quæ aliena a communi conſuetudine efferendi mortuos non ſine probabili cauſſa conſtituta, dignaque quorum ſenſus exquiratur hæc videntur potiſſimè. Defuncti corpus in anguſtiori habitu feretro impoſitum, adiecto iuxta gladio & calcaribus, non qua ſolent, ſed contraria ex parte pedibus inſertis, atq; in digitos priorium prominentibus, collocatur in parte Pallatii, ad quam toto triduo aditus ęquè omnibus pateat. Deinde conuenit omnis apparatus & pompa funerandi, & feretrū quidem ſubit nautarum turba promiſcua. Pręferturq; conto equeſtris haſtæ longitudinem æquante ſcutum, colore cœleſti, in quo Leonis aurea imago eminet. Ex Patriciorum verò ordine octo rubeis veſtibus inter atratos inſignes funus comitantur ſimul & circumdant. Vbi proceſſum eſt in areā quæ adiacet templo diui Marci, nautæ quàm maximè poſſunt ſublatis brachiis, feretrum in altum leuant, moxque ad terram vſq; demittunt. Subſequentesq; deinde Cleri, cæterorumque de more anteeuntium multitudinem funus inferunt in ædem, reliquis obeundis cæremoniis deſtinatam, illic tumultuario opere locus extructus magnopere eminens, in quo ponitur feretrum. Tum procul abſcedentibus nautis octo illi Patricii coccinati adeſſe perſeuerant & circunſedēt, donec laudes mortui, oratione quæ de more habetur, explicentur. Quorum omnium vt nihil omnino temere in adeo prudenti Ciuitate, ita nec vnus nec facilis intellectus. Nam quod triduū viſendum funus exponitur, poteſt ſic accipi, quaſi ſignificetur exinde maluiſſe Ciuitatem eum viuere, quem adeo ſero, & velut inuita mortuū efferat: ſeu queritur ex conſuetudine ſatietateq; videndi exanimem affligtantis ſe populi deſiderium lenire: ſeu docetur vulgus placidè ferre ſuorum obitus, videns pari conditione & Principes viros interire: ſeu deniq; captatur ſpacium decenti pompa funeris adornanda. A nautis verò portari conſtitutum, vel quia ex illo ordine ab initio præcipua Ciuitatis incrementa manauere, & nunc authoritas maximè ſubſtinetur, vel vt Reipub. gubernatorem efferri intelligatur. Nam depreſſio & elatio feretri, quæ inter procedendum cum funere adhibetur, aut deſignat inſtabilitatem rerum humanarum, & fortunæ modò deprimētis modò eleuantis inconſtantiā: antè cœlo delabi animas, & illuc mox redire teſtatur. Scutum verò anteferri, & cōtum quaſi militaris habitus ſupplementum ad gladiū & calcaria, vt inter nautica terreſtris quoq; militiæ decora luceant, vel quia Princeps Ciuitatis eſt clypeus, vel vt conſtet abunde pręmunitum accedere ad ea certamina, quę poſt mortem incumbunt, vel datur vulgari perſuaſioni credentium tale fuiſſe Hectoris ſcutum, quia Veneti volunt à Troianis orinndos ſe videri.

Veneti à Troianis.

In calcaribus autem præpoſtere alligatis, vel neceſſitas valet, quando pedibus ſupini & rigentis aliter applicari nequeunt, vel iudicatur retro eundum ad primordia, ex quibus vita pręceſſerat. Patriciorum octo funus circumſiſtentium color igneam naturam ſignificans, aut Ciuitati ſimilem vigorem porten-

portendit, aut quia creditur ad elementum vi & actiuitate ſua cætera attriturum conuerſurumq́ in ſe tandem omnia, multorum Veneto nomini ſubinde adiiciendorum augurium continet. In numero autem perfectio Ciuitatis oſtenditur, quando perfectum corpus octonario numero continetur: vel argumentum habet Imperii nunquam periculoſè caſuri. Nam cubus, qui ſignificatur & abſoluitur octo angulis, quoquo modo iactetur nunquam ſic recidit, vt non ſimili ſtabilitate conſiſtat. Laudationem Ducis extincti, Patriciæ iuuentutis primarius eo tempore adoleſcens, ſed mox Equeſtris ordinis decus eximium Lucæ Piſani filius Paulus compoſuit recitauitq́, non minori aſſenſu quàm voluptate auditorum. Dixit enim verè ſimul & ornatè, conſtititq́ inter omnes nec materiam Oratori, nec Oratorem materiæ defuiſſe. Qui conſenſus cum latè per vrbem manaſſet, cauſam præbuit, vt viri eruditi pariter & eloquentes, Ludouicus Mocenigus, Pandulfus Piſauricus, Benedictus Brognolus, Georgius Valla, Ioannes Calphurnius, Nicolaus Leonicus, L. Cteticus, Antonius Albertinus, Æmilianus Cimbriacus, & pleriq́ alii ea ætate omnis generis doctrinæ lumina & ornamenta conuenirent ad Callimachum, apud quem ex occaſione habitus ſermo de Eloquentia quæ propè ad ſummum faſtigium iam perueniſſet, deq́ felicitate temporum, quandoquidem vbiq́ in Italia tanta copia doctrinæ præclariſſima ingenia florerent. Quæſitumq́ eſt contingeret ne id natura, quæ poſt certas annorum reuolutiones ſimilia producere ſoleret, ac veluti reuocare præterita, an maiori induſtria & diligentia literis nunc quàm proximis temporibus incumberetur. Nam propagationem librorum, quàm ſcriptoriæ artis paulò ante repetitus vſus mira multiplicandi fœcunditate literarum formulis induxit, maiori ingeniorum ac doctrinæ iactura quàm fructu contigiſſe planè fatebantur. Eam diſputationem Callimachus ſcripſit poſtea atq́ ædidit. Tunc verò cum videret reſponſum ex Conſtantinopoli diutius expectandum, quàm oportunum ſentiebat rebus ac deliberationibus Regis ſui, egit cum Senatu, vt negocium ſuſciperet renunciandi, quicquid ſubinde afferretur. Abiit in Poloniam. Nec multò plus, cum nihil à Venetis ſignificaretur, miſſus à Rege ad Turcum, pacem cum illo firmauit in biennium.

Paulus Piſanus. Ludo. Mocenigus. Pandul. Piſaurenſis. Bened. Brognolus. Geor. Valla. Ioã. Calphurnius. Nico. Leonicus. L. Creticus. Anto. Albertinus. Æmilianus Cimbriacus. Callimachus.

FINIS.

PERSICORVM APPENDIX.

In qua ſunt

I.

Joſephi Barbari, Patr. Veneti, Itineris, quod Reip. ſua nomine ad TANAIM *& in* PERSIAM *ſuſcepit & perfecit, Deſcriptio; varietate rerum iucundiſſima.*

II.

Ambroſii Contareni, Patr. Veneti, & Reip. ſua nomine ad VSVNCASSANVM *Perſia regem, Legati, Itinerarium.*

III.

Hiſtoria belli Turco-Perſici, nuperrime admodum, & noſtra memoria, continuis annis 17. varia vtrimq; fortuna & ſucceſſu geſti; IX. libris exacte comprehenſa à THOMA MINADOO RHODIGINO *Med. Addita Declaratione vocum barbararum & nouarum, quarum in hiſtoria paſſim mentio; earundemq; cum antiquis appellationibus collatione.*

IV.

Anonymi Deſcriptio eiuſdem belli Turco-Perſici, nuper geſti, &c.

Omnia ex Italico in Latinum nunc primum conuerſa

à

IACOBO GEVDERO AB HEROLTZBERGA.

ANNO CIↃ. IↃ CI.

REVERENDO ET NOBILISSIMO VIRO DN. IOHANNI GEORGIO A WERDENSTEIN, CATHEDRAL. ECCLESIARVM,

Auguſtanæ & Eyſtadianæ Canonico, Præpoſito Gebſenhuſano; Sereniſſ. Boiar. PP. à conſil. Domino ſuo omni ſtudiorum genere obſeruando S. P.

QVOD ſub tuo patrocinio Itineraria & hiſtorias Perſicas in publicum emittere auſus ſum, Reuerende & Nobiliſſime vir, fecit inprimis amor tuus & beneuolẽtia ſingularis, qua me primo ſtatim amicitiæ noſtræ ingreſſu complexus, & hactenus non obſcuris indiciis proſecutus es. In cuius vicem quę retribuā non habeo, hoc niſi admiſeris, vt quæ tibi à multis prompta eſſe ſcio, à me ſint paratiſſima, ſtudium ſcilicet & obſeruantia, qua te vbiuis locorum colere, virtutes, quibus præditus es, admirari, eximiam deniq; eruditionem & eloquentiam tuam, non adeo frequentem alias in hoc ordine, magnifacere merito iubeor. Etſi vero leuia videbuntur, quæ offero, tuóq; nomini nuncupata volo, vtpote quæ non ex meo proficiſcũtur ingenio; ſed elaborata ab aliis, ſola latinitate, qualicunq; ſane, à me donata fuerunt: me tamen in propoſito confirmauit fauor tuus erga hæc ſtudia, quod ſciam, quam grata tibi ſint eiuſmodi munera, præſertim ex animo ſyncero, & nõ fucato profecta. Quin & his ipſis noſtris laboribus non parum autoritatis ex nominis tui ſplendore & patrocinio acceſſurum, mihi perſuadeo, vt minus Theonino, quod dici ſolet, dente à liuidis & inuidis meis arrodantur. Accipe igitur vir Reuerẽde & Nobiliſſime hoc munus à me fronte, qua alia ſoles, hilari & benigna, meq; ac ſtudia mea de meliore nota commendata habe, tibiq; certo pollicere, ſtudioſiſſimum me tui ſemper, quo ad vixero, manſurum. Vale quam diutiſſime, ordinis equeſtris & bonarum literarum decus. Dab. Herolzbergæ Kal. Februariis, Anno 1601.

Tuæ Rev. Nobiliſſimæ
Studioſiſſ.

Iacobus Geuder ab
Herolzberga.

SCIPIO GENTILIS S. D. IOHANNI PRÆTORIO, VIRO ET MATHEMATICO CL. amico integerrimo.

QVæ iuuenis libros Genderi cauſa moretur,
Rectoriq; olim in veſtra mihi dicta corona
Impediat, cæli ne viſant abdita lumen:
Candide Prætori, occidis tam ſæpe rogando.
Ingenuus nam me terret pudor, vt me anolim
Aedere, nec doctrina vlla perfecta, nec acris
Arte laborata ingenii, limaue polita:
Multa licet ſæclo charitas inſcitia noſtro
Oblinat: haud illa quæ tempeſtate fuiſſet,
Roma, ferenda tibi; cum irato nulla papyrus
Deflueret Nilo, & pelles rex Attalus vrbi
Mitteret hædinas, populo gratiſſima dona.
Genderi at merito in lucem cupis ire labores,
Et varios Italum libros; quibus ille Quiritum
Iura dedit, Latiumq; togæ donauit honorem.
Illic res magnæ, regumq; arcana leguntur.
Armaq;, conſiliisq; vigens Mauortia virtus,
Illic Pannoniæ ſæuo colliſa furore
Spectatur facies, & ouantes ſanguine turmæ.
Quidue ingens valeat Germana potentia bello,
Et coniurato deſcendens Dacus ab Iſtro:
Quæq; alia, ingenii ſumma ſpe præditus ille,
Summa animi iuuenis, venturo condidit æuo.
Dum generis laudem & patrui renouare Philippi
Ardet agens decora, atq; in poſtuma mittere ſæcla.
At me præcipue liber oblectabat, ITERQVE,
Quo Contarenus, Veneto mittente Senatu,
Regna ſagittiferi penetrauit ad inclyta Perſæ:
Vt regum regem, & populos conciret eoos
Maumettem contra, celſasq; Propontidis arces.
Ille quidem Italiam, & veſtri regna ampla Thuiſci
Nullus deſcripſit. quis enim notiſſima rerum
Illuſtret, ſoliq; faces adiungat aperto?
Sarmatiam vero ingreſſus poſt Vandala rura,
Heu quales hominum mores, cultusq; referre
Incipit, informesq; ſitus, vaſtasq; paludes,
Barbariemq; omnem Getici ſub ſidere cæli!
Heu quas ærumnas, quanta ille pericula, noſtra
Pro re communi, pro relligione piorum
Pertulit! haud ego me comitem tali ipſe dediſſem,
Heroi quamuis magno, rerumq; perito.
Segnis inersq; domi malo latitare: vel, iſta
Si me noſſe iuuet; tecum clariſſime, tecum
Prætori, radiisq; tuis, doctisq; cylindris
Hæc eadem nullo diſcam diſcrimine pallens,

Vt mo-

Vt modo me ille tuus terrarum atq; æquoris ingens
Cumq; ſuis late depictus gentibus ORBIS,
Detinuit, dulciq; animum perfudit amore!
Totos vt cupiam tecum conſumere ſoles,
Menſuramq; omnem terræ pelagiq; notare,
Et varios ſitus, diſtinctaq; cernere regna
Arte manuq; tua. qualem nec Dædala quondam
Æquaſſet clara Icario ſollertia caſu.
Quantula, ſi ſpectes, noſtræ patet area laudi!
Illa orbis domina, ac victrix vix cernitur iſthic
Italia, atque ſuas humilis non erigit alpes:
Vix etiam Imperii cuſtos Germania tanti,
Galliaque, & lato tellus inſignis Ibero
Hic parent, vix magnanimis ſola culta Britannis.
At gens Hollandum penitus latet; orbeq; in illo,
Per quem fulminea ſpaciatur claſſe ſuperba,
Non reperit tamen ipſa locum, contenta requiri
Qua iaceat regione Poli, quibus innatet vndis.
Vſq; adeo terræ, ac famæ confinia diſtant.
Sed licet hæc puncti tenuis ſint inſtar, & vmbræ,
Aetherio collata cabo, luciq; profundæ:
Attamen hæc etiam humanæ ſunt grandia menti:
Neptuniq; iacet tota interfuſa lacunis
Immenſis tellus, oculiſq; imperuia noſtris,
Maxima regnorum & populorum nomina ſeruat.
Quis magni Atlantis, Meſſicanæq; receſſus
Vidit adhuc, terraſq; imo ſub Dite latentes?
Et quæ neſciuit prior, aut non credidit ætas?
Quorum multà hodie nautarum audacia felix
Repperit, & noſtras ſub leges ire coegit.
Sæcula namq; auſim felicia dicere noſtra;
Bella modo Europæ paullum ſopita quieſcant.
Non etenim ſolitas tantum grandeſcere fruges
Cernimus, & nitidis montes florere metallis;
Nec pecudes, ſoboleſq; vigent arteſq; virorum,
Oppidaq; exſurgunt: ſed amico numine Diuum,
Vbertate noua terræ naſcuntur, & orbes.
Omnia quæ labor iſte tuus doctiſſime nobis
Prætori oſtendit, clarasq; eduxit in auras.
Ergo, ceu quondam Phidiæ pulcherrima ſigna
Cecropius ſacra populus ſuper arce locabat;
Ipſe etiam magni hæc iuſſu tua texta SENATVS,
Haud tantum noti, qua NORICVS *imperat enſis,*
Sed quà Germanum diffundit gloria nomen,
Æde ſacras celſa, atq; nouum decus adiicis Vrbi,
Qua nihil Europa Sol pulchrius adſpicit omni,

AD IAC. GEVDERVM, P. NOR. HORVM LIBELlorum Paraphraſten εἰδύλλιον BERNH. PRÆTORII.

VT nitidi ſoles, & lucida tela diei
Aeſtiui, nunquam ſuerunt infundere ſeſe
In gremium terræ fruſtra: quin protenus igni
Spiramenta ſuo laxent, cæcosq; receſſus:
Multa modis multis, & tam diuerſa figuris
Omniparens poſt vnde genit, Dea perſica, Tellus
Germina, tot fœtus frugum, tot ſecla animantum:
Sic non incaſſum radii virtutis auitæ
Percellunt, feriuntq; ſuo fulgore nepotum
Interiora animi, & generoſæ lumina mentis:
Qui, niſi degeneres, nec tanto ſanguine dignos
Se præbere, not hæq; notam conquirere plantæ
Inſtituant; & quos præſens & poſtera taleis
Arguat infami rumore perenniter ætas:
Sæpius inſpectant ſpecula iſta domeſtica: ſeq;
Conformare illis tota nituntur opum vi.
Haut ſecus ac pecoris generoſi pullus apertis
Altior ingreditur campis, & crura reponit
Mollia compoſitis gradibus; vibratq; coruſcis
Ignem oculis, & frena fremens ſpumantia mandit:
Tum procul armorum ſonitum ſi percipit; aut ſi
Martius ille æris rauci canor increpat: vltro
Stare loco neſcit; micat auribus; & tremit artus:
Tantus ei curſus, tantus certaminis ardor!
Hoc eodem, GEVDERE, *modo tu volta parentum*
Cotidie intuitus: Patris & propiora trilinguis
Et Patrui celebris veſtigia pone legendo:
Quorum hic Sempronii, vel Achæi Neſtoris inſtar
Egregie cordatus homo, teretiq; PHILIPPVS
Ore fuit nuper, catus & ſapientia in omni
Ciuili, vt ſummus Germani ſideris Atlas,
Cui Leo verſicolor, veluti ſtupefactus & hærens,
Dicere nequaquam veritus ſit: Poſſe ſiniſtri,
Hoc ſuperante viro, tibi nil Pegneſe venire.
Ille ſed excellens virtute & laudibus hiſdem,
Ardua cum-primis heic munia ſuſtinet; & quæ,
Vt vulgaria non, ſic non vulgaria poſcunt
Pectora; quin ſenſus faciant ſudare vel imos:
Iuris & adflicti vir ſeruantiſſimus æqui.
Horum, inquàm, GEVDERE, *tuens exempla; valentem*
Non turpi torpere domi torpore iuuentam
Eſſe putas dignum, ceu potor inertis Hieræ:
Verum, illis ſi non par eſſe per omnia poſſis,
Ne tamen inferior longe ſis; niteris omni
Conatu, niſuq;, indefeſſoq; labore.
Hinc variis linguis, & multifidis doctrinis
(Quando alii nugas, inconceſſasq; petiſſunt
Delitias, perduntq; bonas in pectore doteis)
Excolis imbutam mentem: Iam ciuica tractans
Iura: modo hiſtorias: nunc Euclidea: modo eius,
Deſcripſit radio totum qui gentibus orbem:
Iam, quæ ſint Ciueis ratione modoq; regendi:

Ex

Ex quibus inſignem tibi colligis vndiq; gazam,
Dædala ſicut apis, quæ in ſaltibus omnia libat
Floriferis; cellisq; ſuis, loculisq; reponit.
Non raro vt ſubeat tacitam admiratio mentem,
Copia viſendi quum ſit tot ſcripta, ſuapte
Ducta manu, & totidem noctis dieiq; labores.
Iam nunc communem in patria Germanidos vſum
Italico ſpolias habitu quam-plurima; & illa
Veſtibus exornas aliis, atq; vrbe Quirini
Donas; perſpicuo, facili, planoq; retexens
Omnia ſermonis filo, tramaq; polita.
In quibus eſt Venetus, culto SORANTIVS *ore;*
Qui Mahumetani res regni, robora, vires,
Et belli neruos; arcanaq; plurima; & aſtus;
Et ſtudia, & mores, ſæuaq; tyrannidis iras;
Et procerum inuidiam, & conſulta, & perfida corda:
Queq; illi poſſet ratione viaq; reſiſti,
Infringiq; eius res, & conatus, & ardor:
Singula Chriſticolis ſcitu digniſſima terris:
Ingenio tanto, tanta dulcedine pandit;
Vt melius nihil, vt breuius nil poſſe putemus
Dicier à quoquam, mentem qui aduorterit illuc.
Eſt in iis itidem MINADOVS, *ſcriptor Eoi*
In regno Arſacidum belli; quod pluribus annis
Continuo, non eſt ita pridem, Turca furore
Geſſit ibi, variis ſucceſſibus atq; triumfis;
Sæpe etiam haut parua iactura & clade ſuorum.
Dignus & hic, propter memorandos, ancipitesq;
Euentus belli; gentisq; immania facta;
Crudeleisq; modos; atq; inſatiabile fineis
Tendendi Cacoethes, & irrequieta cerebra:
Et ſtatum, in extremis qualis ſit Perſidos oris:
Vt non ſocordi, nec inani fronte legatur:
Scilicet exemplum capiatur vt inde, quid è re
Cuiusq; eſſe velit; ſi non ſatis ante periclo
Edoctus proprio, quid proſit cernere poſſit.
Quin etiam verſatur adhuc incude ſub illa
Præſignis cultu rerum locuplete libellus,
Quomodo Pannoniis ſit deturbandus ab aruis,
Non adeo magnaq; manu, magnoq; paratu,
Turca ferox, omnis veri, pietatis & hoſtis:
Et ſimileis alij, in ſolem quos proferet ætas.
His operam ſtudiis dum das, GEVDERE, *profecto*
Non operam ludis: tibi ſed, patriæq;, lariq;
Commodus; & decus exornas laudabile gentis,
Supremæ tendens præſcripta ad candida calcis.
O ſi nobilium noſtri pars plurima ſecli,
Queis Deus & fortuna potens paria ocia fecit
Ad ſimileis animum vellent adiungere curas;
Et frugi, mentem quæ paſcunt nectare dulci,
Et cœlo adſimilant, & regna vrbeisq; gubernant;
Sic operarentur ſtudiis, tempusq; redemtum
Nobile, quo dignum, pretio prudenter haberent,
Poſthabitis nauci rebus: certe omne per æuum
Nobilius noſtra nil nobilitate clueret.

IOSEPHI BARBARI, PATRICII VENETI, ITINERIS, QVOD REIPVB. SVÆ NOMINE AD TANAIM, & in Perſiam ſuſcepit & perfecit, Deſcriptio.

VIRO MAGNIFICO ANTONIO BARBARIGO, VIRI CLARISSIMI IOHANNIS LVIGI FILIO, Antonius Manutius S. D.

PERMVLTVM *hodie mortales habent, quod gratiæ mercatorum diligentiæ referant: non tam ob eas commoditates, quas ab iiſdem multarum vtilium ac vitæ humanæ maxime neceſſariarum rerum participatione accipiunt, quam propterea, quod in dies iam denuo complura loca ac regiones interueniente horum peregrinatione inuenta ſint. Earum etſi quædam priſco bene cognitæ ac peruagatæ ſeculo fuere: maiorum tamen noſtrorum tempore externæ rurſum ac incognitæ euenere, vt nouum quaſi ac peregrinũ illarum nomen ad moderni ſeculi aures delatum, partim propter ſtatus illarum varietatem, partim religionis diuerſitatem, & nouam barbarorum vocabulorum effictionem: adeo quidem, vt harum cognitio confuſa plane ac perplexa ſit. Omnino autem non propterea minus eorum laboribus debemus, pro eo ſaltem, quod nos id docuere: præſertim cum noſtra tempeſtate nullus amplius viuat Alexander, qui Ariſtotelem ad ſcribendas res naturales compellet; neq; alter aliquis Plinius, qui eaſdem declaret nobis, ac in memoriam reuocet. Verum enimuero inter modernos omnes, qui primi hac in parte vel maxime orbi terrarum profuere, ſine vllo dubio fuerunt Domini Veneti, qui pro ſingulari ſua magnificentia ac potentia, quam in rebus nauticis ſemper obtinuerunt, & mercatores ſæpius vel Oratores ab Illuſtriſſima Repub. ad diuerſos orbis Principes, ablegati, nauigiis per remotiſſima quæq; loca & regiones penetrare poterant, atq; hoc etiam modo cum compluribus nationibus barbaris commercia alere. De his omnibus cum perſæpe mecum ipſe altius cogitarem, non parum intereſſe reperi, rerum illarum notitiam habere, quam ſi qui latius apprehenderunt, cum publicæ vtilitati inſeruierint, bonam ſui apud poſteros memoriam reliquerunt. Hinc cum in manus deueniſſent quorundam ab illis confectorum itinerum narrationes, eaſdem correxi, & in meliorem iis digeſſi ordinem, quæ antehac impreſſæ plurimum à primorum ſuorum auctorum integritate abfuere. His adiunxi vnam è reliquis aliis, quæ haud pridem iam typis aliorum excuſa lucem aſpexerant. In illis autem omnibus ea ſum diligentia & aſſiduitate vſus, quæ decere eos inprimis videtur, qui id ſibi præcipue faciundum proponunt, vt magis vniuerſale hominum commodum, quam propriam & domeſticam vtilitatem ſpectent. Cogitanti autem, cui potiſſimum hoſce labores meos dicare deberem, qui & delectari iis, & pariter eaſdem à maledictis & calumniis aliorum defendere ac tueri poſſit, dignam Tuæ Magnific. Rhambertus Benedicti mentionem ſubiecit. Quem hominem cum tot & tantis ornatum virtutibus viderem, tamq; excellenti iudicio præditum, ita vt notus ob id omnibus eſſet, facile mihi perſuaderi paſſus ſum, fore eum quoque, qui vt vehementer impenſeque Magnific. Tuam amaret, ita eandem debitis animi ſtudiis proſequeretur & coleret. Atque ſic renouata in animo meo eſt amoris illa adfectio, quæ initio mox tum naturali ab inclinatione profecta, tum meritis & beneficiis compluribus mihi exhibitis aucta M. T. ſum proſecutus.*

proſecutus. Itaq; nunc eandem M.T. ex animo rogo & obteſtor, leuidenſe hoc munuſculum accipere à me ne dedignetur, ea animi promptitudine ac beneuolentia, quæ & ſinceram meam voluntatem non dedeceat, & humanitate ſua quam digniſſima eſſe videatur. Cuius me gratiæ ac fauori commendo.

Iter ad Tanaim.

TERRA illa, (vt euidentiſſimis rationibus Geometræ probant) in comparatione cœli tam parua eſt, quale eſt punctum poſitum in medio circumferentiæ circularis. Cuius, (propterea quod maior illius pars aquis cooperta eſt, ſeu intemperata propter nimium frigus & calorem) pars ea, quæ inhabitatur, multo etiam minor eſt. Nihilominus tanta eſt ibi hominum raritas, vt pauci ibi inueniantur, qui maiorem partem illius perluſtrarunt: reperiatur verò nullus, niſi fallor, qui totam eam viderit. Illi autem, qui partem viderunt aliquam, hoc iam tempore inprimis mercaturæ vel nauigationibus ſunt homines dediti. Quibus duobus exercitiis tam inſignes fuerunt, vt ab initio hucuſq; maiores mei & Domini Veneti, vt veriſſime dici poſſe putem, eos hac in parte ſolos principatum tenere. Et quia Imperium Romanum non ſeſe per vniuerſum orbem, vt olim, effundit: diuerſitas etiam linguarum, morum & religionis mundum huncce inferiorem diuiſit: maxima pars illius minimæ, quæ nunc inhabitatur, incognita eſſet, ſi mercatores & nauigatores Veneti eandem non aperuiſſent atq; illuſtraſſent. Inter quos, ſi vllus eſt, qui noſtro hoc tempore partem aliquam illius peragrauit, poſſim tuto affirmare, me eum eſſe. Siquidem fere vniuerſum iuuentutis meæ tempus, meliorem etiam vigoris partem, in locis remotis ſum moratus, & quidem apud gentes barbaras, homines ab omni ciuilitate alienos, morumq; & conſuetudinum noſtrarum expertes. Vbi res vidi & probaui multas: quæ cum hic in vſu non ſint, illi, qui (vt ita dicam) nunquam Venetiis vrbe egreſſi ſunt, ſi perſequi eas omnes ſcribendo voluero, mendacia fortaſſe me vendere dicent. Atq; hæc principalis rei cauſſa extitit, propter quam minus curæ habuerim, non ſolum deſcribere ea, quæ vidi, ſed nec verba de iiſdem facere.

Adſtrictus autem cum eſſem precibus eius, cuius in me imperium erat ſingulare, & intellexiſſem vna multa de rebus illis, quæ omnino incredibiles eſſe viderentur, ſcripta reperiri in Plinio, Solino, Pomponio Mela, Strabone, Herodoto, Diodoro, Dionyſio Halicarnaſſæo, & modernis reliquis, vt ſunt M. Paulus, Nicolaus Comes, & Venetiani noſtri, Ioannes Vandæus Anglus, recentesq; alii, vt Petrus Quirinus, Aluiſius de Moſto, Ambroſius Contãnus: facere non potui, quin omnes illas res, quas mihi quidem videre contigit, conſcriberem, in honorem inprimis Dei mei, qui me ab infinitis tutatus eſt periculis: deinde vt ſatisfacerem illi, qui me adeò ſibi deuinxit. Facio etiam lubens propterea, vt proſim poſteris meis in ea fortaſſe, vbi ego fui, olim loca ituris: deniq; vt commodo alicui ſim & inclytæ Reipub. noſtræ, ſi eidem aliquando occurrat, aliquém ex ſuis in orbis eas partes ablegare.

Diuidam autem ſermonem meum in duas partes. In illarum prima iter meum ad Tanaim narrabo: In altera illud, quod in Perſiam ſuſcepi. Ita vero deſcribam, vt pericula pleraq; & difficultates, quæ mihi interdum occurrerunt, omittam.

ANNO à nato Saluatore CIↃ. CCCC. XXXVI. inſtituere cœpi iter meum ad Tanaim, vbi paſſim per annos ſedecim moratus ſum, & regiones omnes illas tam mari quam terra magna cum diligentia & curioſitate perluſtraui.

TARTARIA ipſa, ſeu is, qui in medio eiuſdem conſiſtit, ad ortum ſitus flumen Ledile habet: ad Occaſum & Meridiem POLONIAM: ad Septentrionem RVSSIAM, ad Auſtrum verò, quæ plaga verſus mare MAGNVM ſpectat, Alaniam,

Cumaniam,& Gazariam, quæ omnia loca confinia mari Tabacchio ſiue Caſpio ſunt,& poſita deinde inter illa, quæ modo dixi, confinia.

Etſi verò melius ea omnia ſpectaui, cum iter facerem, mari per ea loca, quæ magnum mare reſpiciunt, & ex parte terra etiam, vſq; ad flumen Elice dictum, quod ipſum à Capha cum ſexaginta fere millibus oriatur, verſus Moncaſtrum fluit, vbi celeberrimus fluuiorum Danubius eſt: Nihil tamen hic de illis dicam, cum loca eſſe ſciam omnibus perquam notiſſima.

ALANIÆ nomen à populis deſcendit Alanis, qui lingua patria & vernacula dicti ſunt As. Hi Chriſtiani fuere, & expulſi ac deſtructi a Tartaris. Regio ipſa, montium, fluminum, & planiciei capaciſſima eſt. In ea monticuli inueniuntur manu facti, qui oſtendunt, monumenta & ſepulturas olim fuiſſe. Habent autem in ſummitate aliqui eorum grande ſaxum, cum foramine certo in loco facto, in quod coniiciunt crucem ex integro alio lapide fabricatam: & eiuſmodi ibi innumerabiles ſunt. In modo dictorum monticulorum vno ingentem abſconditum eſſe theſaurum, accepimus. Cui auditioni hæc res fidem fecit, quod Petrum Landum Conſulem olim, tum regionis illius ad Tanaim Cairo vnus acceſſit, cui nomen erat Guldebin, qui cum Cairi eſſet, intellexiſſe ſe dicebat, ex fœmina Tartara, maximi ponderis theſaurum in monticulorum horum vno Contebe dicto, ab Alanis repoſitum eſſe. Et hæc fœmina certis eum hoc ipſum ſignis, vt in monte ſic in terra monſtratis edocuit.

Hic ergo Guldebin ad excauandum montem à Conſule illo miſſus eſt, qui cum foſſas paſſim in locis aliquot feciſſet, per duos annos hunc continuando laborem, poſtea eſt mortuus. Quo factum, vt pleriq; exiſtimarent, eum per impotentiam theſaurum hunc inuenire non potuiſſe.

Quocirca Anno CIↃ. CCCC. XXXVII. cum in vrbe Tana, ea nocte, quæ ſecuta eſt diem feſtiuitatis D. Catharinæ, ſeptem noſtrum mercatores in domo Bartholomæi Roſſi ciuis Veneti conueniſſent, vt Franciſcus Cornarus, qui frater erat Iacobi Cornari; Catharinus Contarenus, qui Conſtantinopoli poſtea verſatus eſt; Ioannes Barbaricus, vrbe Candiæ Andria ortus, Ioannes de Valle, qui Patronus Triremis (Gardæ deinde mortuus) ſimul cum aliis quibuſdã Venetis Dorbenthum profectus eſt vna triremi quam ædificauit, impulſus à Domino eius oppidi, eaq; populatus eſt naues illas, quæ Strawa veniebant, ita vt admirabilis res eſſet. Sed eo nunc omiſſo, inſtitutum meum perſequar.

Igitur cum Moſes Bonus, Alexander de Zudecca, Bartholomęus Roſſus, & ego, nocte feſtiuitatis D. Catharinę conueniſſemus in vrbe Tanai ſeptẽ noſtrum mercatores in ædibus Bartholomæi Roſſi, de quibus tres ante nos iam ibi fuerãt & de theſauro illo deliberaſſemus: factum demum eſt, vt cum inter nos conuenimus, ſcripto omnium noſtrum ſententiam (de excauãdo monte illo) & quidẽ iuramento confirmatam comprehenderemus. Eius manu Catharini Contareni expreſſi apographum ſeu exemplum etiam nunc apud me eſt. Atq; ſic hoc inter nos pacto cõcluſo centum & viginti homines vna collegimus, quos ad rem eam efficiendam nobiſcum duximus, illorumq; ſingulis tres in menſe ducatos ſoluimus. Octo autem poſt confecto dierum ſpacio, nos ſeptem vna cum centum & viginti illis, quos conduximus hominibus, vrbe Tanai cum impedimentis cibariis, armis, inſtrumentisq; aliis (quæ geſtabamus ſuper illa Zena, quæ in Roſſiam portari ſolet) profecti, in glacie per fluuium iter fecimus, ſequentiq; die ad locum conſtitutũ appulimus, qui ſupra fluuiũ ſitus ſexaginta millibus vrbe Tanai diſtat.

Hic monticulus quinquaginta altus erat paſſuum: ſupra verò planus. In plano illo alium ſuſtinebat monticulum birreto rotundo ſimilem, qui lapide circumcirca munitus erat, tam lato & ſpacioſo, vt duo in margine eiuſdem homines, alter alterius applicatus lateri, tuto incedere poſſent. Atq; hic alter mõticulus duodecim paſſus in altitudinem tendebat. Forma autem illius circularis tanquam ſi circino dimenſa fuiſſet, octoginta diametro ſuo paſſus includebat. Nos rebus omnibus rite atq; ordine diſpoſitis, excauare planiciem maioris cœpimus montis, radicibus parui illius monticuli adhærentem; hac potiſſimum intentione, vt

ſemitam

ſemitam paulo faceremus ſpacioſiorem, per quam ad ipſum etiam monticuli fundum deſcendere poſſemus. Initio cum excauare cœpiſſemus, ſolũ ita durum & congelatũ fuit, vt nec ligonibus nec ſecuribus rumpere illud poſſemus. Paullo autem cum inferius deſcendimus, terrã inuenimus mollẽ, fuitq; hoc ipſo die bene ſatis laboratum. Mane ſequentis diei ad operas noſtras cum reuerteremur, terram congelatã rurſum, ac multo quam antea duriorẽ reperimus, & quidẽ adeo durã, vt nimio illius perfodiẽdæ labore deterriti, Tanaim reuerti conſtituerimus, hoc firmiſſimo cũ propoſito & deliberatione, vt tempore cõſtituto reuerſi, denuo labores noſtros aggrederemur. Circa finẽ igitur Martii Menſis onerariis aliquot aſſumptis nauibus reuertimur, homines nobiſcũ centũ & quinquaginta habentes: principiũ excauationis facimus, quæ ipſa duorũ ſpacio dierum ita feliciter proceſſit. vt partem iam montis 60. in longitudinem, in latitudinem octo, in altitudinem decem paſſuum excauatam haberemus.

Audietis hic miraculum ingens, & res dictu fere incredibiles. Omnia illa, quę prædicta fuerunt, inuenimus: ob quæ reperta maiorem nobis de eo ſpem feceramus, de quo poſtea nobis dictũ fuit. Cauſa etiam hæc erat, cur (cum certi aliquid nobis de inueniendo theſauro polliceremur) nos, qui alios mercede conduxeramus, geſtaremus corbitas melius, quam alii: egoq; docui qui illæ fierent. Admirabile inprimis viſum eſt nobis, quod ſolum nigrum erat propter herbas, inde infra vbique carbones erant. Quod equidem fieri facile potuit: nam in proximo habentes ſaliceta, facile ex iis ignem in monte extruebant. Inde cineres reperti ad palmi profunditatem: quod ipſum etiam poſſibile ſatis eſt. Siquidem vicina habentes arundineta, igne ex iiſdem facto cineres habere potuerunt. Deinde coniectæ ibi fuere milii corticulæ, itidem vnius craſſitiem ſpithami exęquantes. Et quia dici fortaſſe poſſit, eos panicium ex milio confectum comediſſe, ſeruatasq; cortices condidiſſe in locum illum, perlubens ſcire velim, quantum eos milii habere oportuerit ad explendam latitudinem illam, qualis nempe mõticuli iſtius fuit, milii corticum ſpithamum vnum craſſi ibidem ſeruatorum. Sub his poſitæ erant ſquammæ piſcium, ſiue Raiarum, & id genus aliarum, palmi vnius inſtar craſſæ. Et quia dicere quis poſſet, in flumine illo Raiarum ſatis inueniri, adeo etiam, vt integer iiſdem mons cooperiri poſſit, conſiderandum lectori relinquo, quam poſſibilis aut veriſimilis res ea ſit. Duntaxat de hoc ego certus ſim, quod eãdem cognouerim veriſſimam eſſe, qui deinde apud me ipſum cogitaui, quod ei, qui ſepulturã illam curauit extrui (cui nomen erat Indiabu) cum iis vti voluiſſet ceremoniis, vt in rebus proceſſu eo (qui tum temporis forte ſeruabatur) opus fuerit, vt multo ante de re deliberaret, curaretq; colligi & reponi per tẽpus aliquod omnes eas res. Eo vero nos cũ excauãdo proceſſiſſemus, nihil tamẽ dum de theſauro illo inueniſſem⁹, duas in monticulũ ſolidũ foſſas facere cõſtituimus, quæ quatuor in longitudinẽ & latitudinẽ paſſus continerẽt. Et hoc moliẽtes, reperimus terram albam & duram, adeo vt gradus in ea fecerimus, per quos geſtabamus corbitas. Inferius autẽ cum circa paſſus fere quinq; deſcendimus, reperimus iu loco illo vaſa aliquot lapidea, eorum quædam cinerem continebãt, quædam carbones, quædã erant vacua, quædã vero tergoribus oſſium piſcinorũ plena. Reperimus vna quinq; aut ſex globulos (Pater noſter vulgo dicunt) magnitudine pomi auraici. Erant autẽ ex terra cocta & pellucida cõfecti, ſimiles iis qui in Marchia fiunt. Ibidem etiam inuenimus dimidium Ramini parui argentei, cui ſupra impreſſum fuit velut ſerpentis caput quoddam. Dies autem Solis cum adueniſſet, in medio nobis opere conſiſtentibus, ventus ab Ortu repente tam atrox exortus eſt, qui ſolũ vniuerſum cõcuteret, & ligones quibus ad excauandũ vſi ſunt, & lapides in faciem operatorum, ita vt cruentos vulneratosq; redderet, coniiciebat. Quocirca diſceſſum illine paramus, alia fortaſſis grauiora nolentes experiri, fuitq; dies Lunę Paſcha ſequens. Locus autem ille olim cauea Guldobini dictus: abhinc ad hodiernum vſq; diem cauea Francorum appellatur. Hæc ita res nos à propoſito deſiſtere coegit. Quamuis paucorũ ſpacio dierum tantum confecerimus laborem, qualem vix per eandem temporis moram non à mille

etiam hominibus confici quis poſſe ſtatuat. Certi aliud nihil de theſauro illo nobis conſtat: qui ſi (quantum nobis quidem coniicere licuit) aliquis ibi fuit, cauſa propter quam conditus ſeruaretur, ea fere eſſe potuit, quod hic Indiabu, qui Alanis dominabatur, cum intellexiſſet, Tartarorum Imperatorem ſui debellandi cauſa maximo cum exercitu & copiis aduentantem: & cum theſaurum illum defodere decreuiſſet (ſic vt à nemine illud animaduerti poſſet) ſuum ſibi ſepulchrum more eius gentis faciendum ſimulauit, & occulte in loco eo reponi iuſſit, id quod ei libuit, & ſupra deinde monticulum illum extrui.

Religionem Maumeticam, quoad eam Tartari acceperunt ab initio hucuſque, anni iam centum elapſi videntur. Tametſi autem ante quidam eorum religioni Maumeticæ addicti erant, in vniuerſum tamen liberum erat cuique, eam quæ ſibi maxime placeret, religionem ſequi. Vnde quidam eorum ſimulachra adorabant, ex ligno & pannis confecta, eaq; impoſita carris vehebant.

Religionis autem Maumeticæ initium fuit eo tempore, quo Præpoſitus nationi Tartaricæ erat quidam nomine Hedeghus, & Sidahameth Can Tartaris imperitabat. Hic Hedeghus pater fuit Nauri illius, de quo in præſentia ſermo nobis futurus eſt.

Anno Chriſti cIↃ. CCCC. XXLVIII. Tartariæ dominabatur Imperator quidam nomine Vlumahumeth Can, alio nomine Magnus Imperator Maumeticus dictus. Is cum diu regnaret, & aliquando cum exercitu ſuo foris verſaretur: Capitaneum habuit Naurum, qui (vt ſupra dictum) filius Hedighi erat, à quo primum impulſi Tartari, religionem Maumeticam aſſumere coacti ſunt. Diſſidium aliquando ortum eſt inter Naurum & Dominum eius Vlumahometum. Vnde factum, vt ab eodem Naurus diſcederet, cum certis aliquot legionibus, quæ ſequi eũ voluerũt. Profectus eſt autem verſus flumẽ LEDILE, vbi erat quidam nomine Chezimameth, quaſi Maumetum paruum dicas, qui de ſanguine ortus erat Imperatorum iſtorum. Vna autem cum fœdus feriiſſent, ambo illi exercitu copiisq; coniunctis in aciem contra Vlumahetum deſcendere conſtituerunt. Iter autem fecerunt prope Gitercanum; & venerunt per campos Thumeni, cumq; circuitu vterentur, Circaſiam ire verſus flumen Thanaim cœperunt, & ſinum maris Caſpii (vulgo Tabacche) quod, vt & Thanais, gelu totum erat conſtrictum. Ac quia magna hominum, pecudumq; infinita multitudo erat: neceſſe fuit diuiſis late agminibus incedere, ne ii, qui præcederent, cibaria poſt venientium & ſtramina abſumerent. Hinc factum, vt vnus ex ductoribus peruenerit in locum nomine Palæſtram, alter ad flumen Thanais, vbi eſt Boſagaz, quod ſignificat lignum cinericium. Diſtantia autem locorum iſtorum vnius nempe ab altero, millium erat centum & viginti, & inter hanc diſtantiam iter faciebat populus, tametſi non omnis vná incederet.

Quatuor ante menſes, quam ad Thanaim veniſſent, approximare eos intelleximus. Vno autem menſe, antequam Dominus veniſſet, venire ad Thanaim præcurſores aliquot cœperunt, qui iuuenes quinq; aut ſex equites erant, ſinguli equum vnum manu poſt ſe trahentes. Horum illi, qui in vrbem venerunt, ad conſulem vocati erant, vbi comiter blandeq; accepti ſunt, & oblata illis ſtudia ac officia omnia. Rogati autem, vnde & cuius potiſſimum rei cauſa venirent, iuuenes ſe eſſe dicebant, qui animi cauſa exſpaciarentur, aliudq; iisdem nihil in os quicquam intrabat. Et ſtantes ita per vnam alteramve horam, demum diſcedébant. Idem hoc quotidie fiebat, niſi quod ſemper erant aliqui, qui quotidie veniendo numerum illorum augerent. Domini ipſius ad Tanaim aduentus cum non longe abeſſet: quinq; aut ſex integro dierum ſpacio venire eorum iam viginti, iam quinquaginta cœpere armati, bono omnes in ordine incedentes, deinde & centuriæ eorum aduenerant. Venit demum & ipſe dominus, & caſtra ab vrbe Tanai metatus eſt, ſpacio tanto, quantum quis eiaculatione arcus emetiri poſſet. In Moſchea quadam antiqua (templum Maumetanum vulgo appellant) Conſul continuo cum aduentum illius intellexiſſet de offerendis illi muneribus deliberat, nouenamque illi vnam, alteram matri, tertiam capitaneo exercitus

Nauro

Nauro mittit. Nouena appellatur munus rerum nouarum diuerſarumq;, vt ſunt panni ex ſeta confecti, Scarlati resq; aliæ numero ad 9. quas quidem offerre Dominis pro munere loci illius mos obtinuit. Voluit Conſul, vt is eſſem ego, qui vna cum aliis munera Domino iſti offerrem. Fuit autem etiam ei allatus panis, vinum ex pomis, Boſa, quæ cereuiſia eſt, & aliæ res ſiue ſpecies ad nouem vſq; numero. Vbi ingreſſi Moſcheam ſumus, Dominũ ſuper tapetes extẽſum, & Nauro Capitaneo incubante reperimus: ille annorum erat viginti duorũ: Naurus vero viginti quinq;. Accedens autem ego cum illis qui munera ferebant, & terram & populum illi commendaui, quem in poteſtate ipſius eſſe dixi. Atq; ille primo me humaniſſime alloquendo reſpondit: deinde ad me eundem conuerſus ridere incipit, & manus inuicem vnam cum altera collidens, in hęc prorumpit verba: Ecce qualis eſt terra iſta, vbi homines tres, tres duntaxat etiam oculos habẽt: & hoc propterea dicebat, quod animaduertiſſet Buranum lapicidã noſtrum interpretẽ Ioannem Gręcum Conſulis miniſtrum, & eum qui vinum ex pomis confectum ferebat, vnum tantum ſingulos oculum habere. Nos venia ab eodem impetrata, domum reuerſi ſumus. Sed cum quibuſdam illud, de quo iam dixi, minus rationabile probabileq; videri poſſit: Pręcurſores illi, quorum aliquando ad quatuor, decem, viginti, aut triginta per planicies illas ſimul iuerunt, & tam longo à ſuis itineris interuallo, vtpote decem, ſedecim, vel viginti etiam dierum diſtabãt; cogitantibus apud ſemetipſos, vnde viuere interdum & ſe ſuſtẽtare potuiſſent. His ego ſic reſpondeo: quod horum quilibet, qui à ſua cohorte ſeiũgitur, apud ſe habeat vtrem ex pelle caprina confectum, farinæ ex milio molitæ plenum, & eiuſdem rariſſimo cum melle mixtæ. Habent & ligneam patinam, in quam, quando feræ illis deſunt (quarum in ſyluis regionis illius ſatis inuenitur, & eas ipſi capere optime norunt, præſertim arcubus ad traiiciendas vſi) farinam illam coniiciunt, & ex eadem cum aqua permixta potionem certam faciunt, eaq; paſcuntur. Ex his aliquando quidam à me rogatus, quid comedat tum cum in campis verſetur? me contra viciſſim rogauit, cur moriantur homines nihil comedentes, quaſi dicere vellet: Habeam ego duntaxat id, quo vitam meam leuiter paſcam, de reliquo non ſum ſollicitus. Vitam herbis & radicibus tranſigunt, & demum eo quo poſſunt, dum illis ſal non deſit: nam eodem carentium os puſtulas contrahit adeoq; marceſcit: vt quidam eorum malo illo contracto moriantur, vel dyſſenteria etiam pereant. Verum eo, vnde digreſſi ſumus, reuertamur. Poſtquam hic Dominus diſceſſit, cœperunt tunc venire alii, qui animalia ducebant: & erant primo greges equorum ad ſexaginta, centum, ducentos, & plures etiam equos habentium, deinde hos camelorum & boum greges ſecuti ſunt: Deniq; venerunt greges pecudum & animalium minorum; durauitq; res per ſex dierum ſpacium, ita vt die tota, quantum in omnes partes circumſpicere poteramus, nil niſi campum plenum hominum & animalium venientium diſcedentiumq; videremus. Et hoc ita in fronte agminis erat: vnde quis facile colligat, quam multo maior numerus eorum in medio collocatus fuerit. Nos in muro ſtabamus, (vrbis enim portæ clauſæ erant) & veſperi fuimus defatigati ſpectando. Et propter multitudinem harum gentium & pecudum, diameter campi quem occupabant, erat inſtar paganeæ patentis millia centum & viginti. Hoc vocabulum Græcum eſt, quod, cum eſſem in Pelloponeſo, (vulgo Morea) apud locupletẽ quendã Dominum, qui ſecũ duxerat centũ ruſticos, pariter didici. Quilibet eorũ clauã in manu gerebat, & ſtabãt omnes in ordine, alter ab altero ad centũ longe paſſus, identidemq; terrã huiuſcemodi clauis feriebãt; verbũ quoddã vſurpãtes, ita vt cũ feræ illud audirẽt, extra ſeſe è ſyluis eiicerẽt. Venatores aũt qui pedeſtres vel equeſtres fuere, cũ auib. & canib. in ea ſeſe vbi potiſſimũ viſum fuit, loca coniiciebãt: & quãdo iam tẽpus adeſſe videbãt, proiiciebãt aues, & canes vinculis ſolutos, eo vbi opus fuit, currere ſinebãt. Inter alia animalia q̃ hic populus venabatur, erant etiã perdices, & aues quædã aliæ, quas nos gallinaceas appellamus: quæ caudam habẽt inſtar gallinæ curtã, & collo ſtant erecto velut galli, alias tã magni vt pauones, quib. colore etiã omnino ſunt ſimiles, cauda tantũ excepta. Hinc cũ ad Ta-

naim monticulorũ è terra factorũ foſſarumq; ſatis reperiatur; ad decẽ fere milliũ ſpaciũ circũcirca, vbi olim vrbs antiqua ſita fuit, maior cõſueto numerus ſeſe in mõticulos illos ignotasq; valles abſcõdit. Res erat eiuſmodi, vt circum muros vrbis & intus in foſſis tot perices eſſent & gallinaceæ, vt viderentur omnia illa loca cortes aliquot bonorũ inquilinorũ fuiſſe. Filii incolarũ regionis illius, cum aliquot earũ vna capiebãt: duas pro aſpro dabant, quorũ apud nos vnus obolorũ octo põdus habet. Erat eo tẽpore in vrbe Tanai Monachus quidã Thermo, ordinis S. Frãciſci, qui ex duobus circulis vno grandi effecto, & defixo terrę palo, extra muros ad decẽ & viginti vna vice capiebat: cumq; eas aues vẽderet, tantũ inde nummorũ ſibi cõparauit, vt puerũ emeret Circaſiũ, quẽ appellauit pernicem, eumq; Monachũ fecit. Nocte etiã in domib. feneſtræ apertæ relinquebãtur, cãdela aliqua ibidẽ collocata, vt aliquãdo ad domũ ipſam vſq; venirẽt, cerui feræq; aliæ adeo multę, vt dici fere nõ poſſit quot fuerint numero: Sed hę nõ ad Tanaim veniebant. Ex planitie quã populus ille occupauerat, colligi facile potuit, quanta eiuſdẽ multitudo eſſet, quæ profecto fuit ingẽs. Nã in loco quodã nomine Boſagaz, qui quadraginta vrbe millib. diſtabat, & ego piſcinã meã ibi habebã, piſcatores dicebãt, ſe hyeme piſcatos eſſe, & ſale cõdiuiſſe multos piſces, quos Morone & Cauiari vocãt: & ibi tũc quoſdã ex illis adfuiſſe & ſuſtuliſſe omnes eos piſces, qui ſale cõditi vel nõ cõditi eſſent: omne etiã ſal & Cauiaros rapuiſſe: (quod quidẽ ita craſſum, vt illud Gieuizæ eſt) adeo quidem, vt (quod miraculi loco erat) ne minima amplius ſalis mica reperiri poſſet. Fregerũt & dolia, ceperũtq; alia lignea vaſa, vt ſuos his carros reficerẽt. Præterea ruperũt tres exiguos molares lapides, qui illis erãt ad ſalẽ molendũ, vt exigua parte ferri potirẽtur, q̃ in illarũ medio infixa erat. Sed quod mihi factũ eſt, idẽ & aliis accidit vbiq; omnibus: Item Ioanni Valle, qui piſcinã habebat, & cũ intellexiſſet venturũ eo Dominũ iſtum, curauit fodiendam magnam foſſam, & in eam triginta circiter vaſa (ſiue fiſcos) Cauiari plena deponenda: Deinde humo ſuperingeſta eam texit, ac ne quis id animaduerteret, multum ligni vri iuſſerat. Hanc cũ illi foſſam inueniſſent: ne minimum quidquã ex piſcibus aut fiſcis ibi reliquerunt. In hoc populo innumerabiles ſunt carri, duarum rotarum, noſtris altiores, feltris partim coopertæ, partim pannis, quãdo ad eos pertinent, qui maioris ordinis aut dignitatis ſunt. Quidam horum carrorũ domunculas ſuperextructas habent; quas illi hoc modo ædificare ſolẽt. Circulũ accipiunt ligneum, cuius diameter ſeſqui alterius paſſus ſit: & ſuper hũc alios iniiciũt circulos, in medio ſeſe inuicẽ interſecantes. Inter hos deinde collocant ſtoreas ex arundinib. textas, quas aut feltris aut pãnis iuxta morẽ & conſuetudinẽ ſuã cooperiunt. Et quando caſtra alicubi mutari volunt, deponunt caſas iſtas è carris, atq; in iis habitant. Poſt duos dies, cũ Dominus hic iam diſceſſiſſet, venerũt ad me quidã ex ciuibus, qui murũ me conſcẽdere iubebãt, dicentes, extra eſſe Tartarũ quendã, qui mecũ haberet quid loqueretur. Iui ego & locut⁹ cũ illo ſum; qui dicebat mihi, in ꝓximo eſſe quendã Edelmaghũ cognatũ Domini, qui lubẽs (ſi ego ita vellẽ) vrbẽ intraret, & hoſpes meus, ſeu, vt vocãt, cognatus eſſet. Ego à Cõſule, quoad mihi hæc facere liceret, petiui veniã, eademq; ſimul impetrata, ad portã iui, hominemq; vna cũ trib. ſuis in vrbẽ intromiſi: Nã portę etiã tũ adhuc clauſæ tenebãtur: Duxi deinde in domũ meã, & honorifice tractaui ſatis, vino præſertim, quod ei maximopere placebat. Et ſic paucis inter nos ſermonib. habitis, per duos apud me dies integros mãſit. Ac cũ iam diſcedere deberet, maxime cupere ſe dicebat, ſi vna cũ illo irẽ ego, vt qui recẽs frater illius fact⁹ erã: me, quocunq; vellẽ, cũ illo ſecurũ, & ab oĩ tutũ periculo ire poſſe. Nihil aũt ea de re mercatorũ cuiquã dixi: quorũ viciſſim null⁹ erat, q̃ id non maximopere admiraretẽ. Atq; dũ eo ire cõſtitui, duos mecũ ex vrbe Tartaros pedeſtres duxi. Equos deinde ego & ille ambo cõſcendim⁹, & fere circa tertiã diei horã vrbe diſceſſim⁹: ille aũt vehemẽter erat ebrius, qui tã multũ vini bibit, vt ſanguinẽ eiiceret. Et cũ ego illũ monuiſſẽ, ne adeo ſeſe ingurgitaret, geſticulari cœpit more ſimiæ, dicẽdo: Sinas q̃ſo vt bibã, vbi .n. vinũ magis reperiã? In glaciẽ a. cũ fluminis trãſeũdi cauſa deſcẽderem⁹, ego me eo vbi ſpiſſiſſimã animaduerti niuẽ eſſe cõtuli. Ille

vero

vero fractus vino ac debilitatus, non alio quam quo equus eum ducebat, progrediebatur: & quidē in loca prorſus niue carētia, vbi equus ſeſe in pedib. continere nō poterat, (equi enim eorū ferrea non habēt) ſed cadebat aſſiduo: Ille vero loris eū ex debat (nā calcaria geſtare ibi moris nō eſt.) Equus autē cadebat modo, modo ſurgebat, & durabat ea res fere quadrantē integrū vnius horæ. Deniq; flumē tranſeundo ad alterū peruenimus ramū ſiue partē, & eandē ipſam maximo cum labore & difficultate ſuperauimus. Cum autē defeſſus ipſe eſſet, multitudini ſeſe cuidā immiſcuit, q̄ iam ibi caſtra poſuerat, eaq; nocte nos hoſpitio excepti ſumus omnibus moleſtiis exerciti, vt credi par eſt. Mane ſequentis diei equitare rurſum cœpim⁹: verū nō ea cū alacritate animi, vt p̄cedentib. dieb. feceramus. Cumq; iā alterū fluminis ramū ſuperaſſem⁹, p ſemitā illā, qua popul⁹ incedebat, & nos iuimus: cui⁹ ꝑfecto multitudo in vniuerſum tāta fuit, quāta æſtiuo tēpore formicarū paſtū vna egredientiū eſſe ſolet. Per duos dies cū equitaremus, demū in locū eū, vbi Domin⁹ erat, p̄uenimus: ibi maximus illi honor exhibitus eſt, & ſubminiſtrata oīa de his q̄ haberi poterant, vt caro, panicū, lac, & id genus alia: ita vt nihil horū illi deeſſet, q̄ ad vitę alimoniā & ſuſtētationē neceſſario pertinebāt. Sequēti die cū percupid⁹ eſſē vidēdi equitat⁹, & in oī re diſpoſitionis huius populi, res tātas tāq; admirabiles vidi, ita vt oīno exiſtimē, (ſi de iiſdē ſcribēdo ad viuū vſq; oīa veluti geſta fuere, recēſere velim,) integrū & maximū ſoli huic rei volumen non ſuffecturū. Venimus poſtea & eo, vbi tentoriū Domini eſſe cognouimus: quē reperim⁹ ſup tapete ſedentē, & hunc circūcirca populos innumerabiles, quorū illi qui negotii alicuius cōficiendi cauſa acceſſerant, genib. flexis adorabāt, arma à ſe procul ad vnius iactum lapidis proiicientes. Cum aliquo ex his loquebatur Dominus, & rogatum primo, quid fieri ſibi vellet, certo deinde manu dato indicio, ſurgere eundē iubebat. Cōſurgens autē ille propius accedebat, & denuo iterum ad octo fere paſſus longe ab eodē in genua procūbens negotiū ſuū exequebatur. Et hoc tā diu fiebat, donec nullus eſſet, qui expediendū aliquid haberet, populus dimiſſus eſt. Iudicia in caſtris ibi diligētiſſime exercētur ad hūc modū. Si aduerſariū quis habeat, à quo iniuria ſit affectus, vel duo ſi ſe verbis inuicē adorti ſunt, (non quidem ita velut hic à noſtrū pleriſq; fieri ſolet, ſed ſi vel minima ſit iniuria) ambo illi, vel plures etiā, ſi adſunt, vna abeūt, eo vbi maxime cōmodum videtur, & primum, quē interdum reperiunt (modo loci & conditionis ſuperioris ſciant eſſe hominē) compellant, dicentes: Domine, nobis ſatisfacias, lis enim inter nos exorta eſt. Tum hic, ſane ſit quicunq;, conſiſtere, & accuſationes illorum audire cogitur: Deinde parte vtraq; audita, ſententiā ſuam profert, nullo prorſus eiuſdē apograho relicto. Atq; decreto illi nullus demū eſt, qui minimo etiam vel leuiſſimo murmure contradicere audeat. Fit hoc iudiciū maximo mortaliū concurſu, quos, ſentētia dicta, iudex acti negotii teſtes appellat: Cuiuſmodi iudiciis vniuerſus aſſiduo campus plenus eſt, & ſi quod inter illos in itinere diſſidium exortum, hoc idē obſeruant, vt iudicē ſibi quemcunq; deligentes, eidē cauſę ſuę deciſionē committant. Vidi die quadā cum ibi eſſem patinam ligneam in terram abiectā, in qua, è terra eadem ſublata, panicum eſſe coctum reperi. Conuerſus ergo ad Tartarum quendam rogaui, quid hoc rei eſſet? Reſpondit ille; Relictam ibi eſſe patinam illam propter Hibuch Peres, qui idiomate eorum idolatræ appellantur. Quærenti autem porro, qui ibi eſſe poſſint Idolatræ? retulit his verbis: Satis eſſe Idolatrarum, ſed eos occultos tamen eſſe. A multitudine populi incipiā, & dicam dūtaxat iuxta arbitratum meum, tametſi alias nemo fuit, qui numerare eum potuiſſet: nihilominus rem ita exponere placet, prout mihi ſe habere viſa eſt. Credo firmiter, ad trecēta hominum millia in exercitu illo fuiſſe, quando in aciē vnam ſeu agmen coactus fuit. Et hęc dico propterea, quia pars maior exercitus illius ad Vlumahumetum, vt dictū ſupra eſt, pertinebat. Homines illi adeo robuſti & fortes ſunt, vt quidam eorum per excellentiā appellentur Tulubagator, quod idem ſignificat, quaſi ſtultum robuſtum dicas. Illud vero vocabulum tanto apud eos vulgo habetur pretio, quale fortaſſe apud nos ſapientis aut pulchri haberi poſſit: vnde euenit, vt Petrum hunc (certam aliquam volentes deſignare perſonam) ſa-

pientem, & Paulum illum pulchrum vocemus. Iſti præeminentiam eiuſmodi habent, vt negotia omnia, quæ peragenda ſibi ſumunt, (tametſi aliquãdo ex parte rationi ipſi aduerſentur) peracta quam optime eſſe dicantur. Nam cum iidem alias ſapientiſſimi habeantur: omnia deinde illa, quæ ſuarũ erant partium & officii, quam diligentiſſime executi eſſe vidẽtur. Hinc eorũ reperiuntur multi, qui ſi ſint in prœlio, vitã viliſſimi pẽdunt, periculis nõ exterrẽtur, ſed in fronte ſemetipſos cõſtituẽtes agminis, pericula quęq; audaci & intrepido animo ſubeũt: adeo quidẽ, vt inde leuiſſimi etiã & timidiſſimi, audacia & viribus aſſumtis in fortiſſimos belli coſiſſimosq; euadãt. Videtur ita mihi omniũ ꝓpriiſſime hoc cognomẽ additũ illis fuiſſe: nullũ enim adeo fortẽ ſum cõſpicatus, qui nõ vna etiã furioſus mihi viſus ſit. Nam per Deum immortalẽ, annon hæc inſania eſt, vnum contra quatuor in pugnam ſolum deſcendere velle? nonne ſtultitiam quis merito eam dicat, ſi videat aliquem ad prœliandũ gradum compoſuiſſe, qui cultellum ſaltem in manu habeat, contra alios plures, quorum ſinguli gladio & enſe vtantur?

Nũc dicã aliquid, quod optime mihi quadrare huc viſum eſt: & aliquãdo ipſi mihi in vrbe Tanai cõmoranti accidit. Die quadã cũ in foro vrbis hominũ complures ſtarẽt; Tartari aliquot vna venerunt, dicentes; In ſylua quadam, tribus ab vrbe millibus diſtante, centum ſeſe equites Circaſſos abſcondiſſe: qui more & cõſuetudine priſtina excurſionẽ in agros vicosq; incolarũ facere conſtituiſſent. Forte fortuna ſedebã ego in officina cuiuſdã magiſtri ſagittarum, vbi tum etiam Tartarus quidam aderat, qui ſementẽ illi attulit. Hic cum rẽ intellexiſſet, continuo ſurrexit, rogitans alios, cur nõ ad capiendos Circaſſos illos proficiſcerentur. Demum etiam, quot illorũ eſſent equites, rogabat: cum centũ eſſe reſpõdiſſent: Bene, inquit, eſt: noſtrũ autẽ quinq; ſunt, at veſtrum omnes quot equites efficiẽt? Quadraginta, aiunt illi: Tum hic continuo fieri bene poſſe exclamat: Circaſſos nõ viros eſſe, ſed fœminas, adeoq; facilime vinci & capi poſſe affirmans. Hæc cũ audiuiſſem ego, extẽplo eo me contuli, vbi D. Franciſcũ me putaui repertúrum: cũ quo rem totã, prout Tartarũ eandem narrantẽ audiui, communicaui: Qui dictis aſſiduo ſubridẽs me rogauit, an vna ꝓficiſci eſſet animus? Huic reſpõdi ego: Quod ita. Igitur equos ambo conſcẽdimus & impetramus aliquot ex noſtris militibus, per fluuiũ ad nos tranſeãt. Circa meridiẽ Circaſſos aggredimur, quorum quidã æſtu & laſſitudine nimia confecti in vmbra ſeſe reficiebant: quidam vero altiſſimo erãt ſomno ſopiti. Factũ autem ſingulari noſtro infortunio eſt, vt antequã eo perueniſſemus, ſignum tuba datũ eſſet. Quamobrẽ multis ſonitu tubarũ animaduerſo, occaſio fugiẽdi conceſſa eſt: tametſi nihilominus illorum ad quadraginta necaſſemus, & captiuos haberemus. Sed pugna inprimis inſtituta fuit ad placitum eorum, qui (vt ſupra dictũ eſt) ſtulti robuſti appellantur. Voluit enim Tartarus ille, vt recta ad hoſtes capiendos proficiſceremur: qui poſteaquam ex noſtris nullũ mouere ſe ex acie vidiſſet, excurrit, aſſiduo nobis, vt reuerteretur, clamantibus. Reuerſus demũ eſt poſt vnius ſpacium horæ, lamentabundus vehementer & dolens, quod nullum ex hoſtibus fugientibus caperẽ potuiſſet. Hic tamen nihilominus nos ob remeritatem eum reprehendentes, ludibrio habuit. Quæ hæc obſecro ſtultitia fuit? Certe ſi quatuor aut tres ex fugiẽtibus reuerſi fuiſſent, in minutiſſima eũ fruſta diſſecuiſſent. Præcurſores illi (quorum ſupra facta eſt mentio) quamprimum ad Tanais campos venerant, in octo ſeſe partes diuiſerunt, itinere ſatis longo à campo ſe mouentes: quod quidẽ propterea maxime faciebãt, vt expiſcarẽtur, ſi futurus quis eſſet, qui nocere alicui vel prœliũ committere voluiſſet. Domino aduentante Bazari ſubito adſiſtunt, & ſemitã vtrinq;, per quã ingrediatur, relinquũt. Hyberno tempore tot pedes ſunt animalium, vt lutũ maximum faciant: æſtiuo autem adeo etiam ſunt multi, vt ſpiſſiſſimum puluerem excitent. Mox atq; Bazaros præmiſerunt, furnos ſibi extruunt, in quibus carnes deinde aſſant & elixant. Fercula ſua cum lacte, butyro & caſeo præparant, ferinam aſſiduo in promptu habent, inprimis vero ceruinam. Inter illos multi etiam ſunt opifices, vt pannifices, fabri, bractearii, & id genus alii, quorum præſentiam vſus rei militaris requirit. Sed dicet fortaſſe quis, hoc pacto eos

Cigano-

Giganorum inſtar incedere. Minime dico ego. Nam (hoc tantum excepto, quod non muris cingantur) vrbes alias ſpacioſiſſimas pulcherrimasq; cõdunt. Ad propoſitum vt accedam, aliquando cum in vrbe Tanai in loco quodam ſtarem, vbi pulcherrima & altiſſima turris exſtructa erat, eam Tartaro cuidã adſtanti tũ mihi, oſtẽdi, rogauiq; an non res pulcherrima eſſe videretur. Cõuerſus ad me ille, & ſubridẽs: Qui ſibi metuit, inquit, turres extruat. Et tũ vere mihi locutꝰ videbatur.

Sed mercatorum cum mentionem fecerim, ad narrationis ordinem reuerſus dico mercatores ibidem ſemper conuenire, qui merces ſuas varias diuerſasq; in regiones exportent, qui vel hac etiam cum conditione in aciem ſe collocari cum reliquis patiuntur, vt alio ſeſe põſtea, vbi libuerit, conferant.

Tartari illi boni etiam ſunt aucupes: Girifalcorum ſatis habent, & ad Camæleontes aucupãtur, quorum apud nos vſus non eſt: animalia etiam & feras grandiores ſectantur. Geſtare autem in pugno aues ſolent, & manu altera furcam: & quando laſſitudine ſunt confecti, furcam ſub brachium ad onus geſtationis leuandum reponunt: duæ enim auium illarum aquilæ vnius magnitudinẽ ſuperãt. Interdum grex anſerum exercitum præteruolat: tum emittere quidam ſagittas ſolent digitum vnum craſſas & abſq; pennis contortas: quæ cum pauliſper prouolarunt, ſe vertunt, & in obliquum diſtortæ eunt eo vbi collum, alas aut pedes cum caduut, vna perfringunt. Quandoq; etiam tam multi anſeres præteruolant, vt aer his totus plenus eſſe videatur: mox propter nimiũm quem populus clamorem tollit, ita redduntur attoniti, vt in terram concidant.

Cum de auibus vniuerſis iam ſermo mihi ſit, rem narrabo quandam, quæ digna ſane obſeruatu viſa eſt, ea ſic habet: Equitanti mihi per riuum fluminis cuiuſdam, accidit vt hominem quendam conſpicerem, qui cum famulis ſuis loquebatur, & perſonam loci aut dignitatis alicuius referebat. Hic cum forte fortuna me tranſeuntem videret, ad ſe venire iuſſit, rogauitq; cuius expediendi cauſa negotii exiuiſſem? Reſpondi ego, quod nempe illius quod neceſſitas vellet conficere. Verti deinde me, & vidi ibi poſitos quinq; aut quatuor acornas, ſuper quos itidem poſiti erant cardueles aliquot. Iuſſit autem herus ille ex famulis cuidam, vt aliquot ex illis tolleret, qui ablatos vna duos equo impoſuit, & laqueo facto in acornam illos intruſit, vnumq; ex his dedit Domino, qui coquere poſtea iuſſit. Famulus ſubito veru ex ligno facto cum aſſauit, aſſatumq; hero obtulit. Hic manu carduele prehenſo ad me conuerſus, eo iam, inquit, venimus, vbi honorem & humanitatem te tuisq; dignam meritis exhibere tibi poſſum: & ſic in tres partes carduele rupto, partem vnam mihi, alteram ſibi, tertiam vero & eam quidem minutiſſimam, illi qui aſſauerat famulo appoſuit.

Quid iam de infinita animalium multitudine dicam? an vero omnibus res dignas fide narrare videbor? vtut ſane eſt, & de illis tamen dicere aliquid conſtitui. Ab equis autem ordiar.

Mercatores in hoc exercitu equorum ſunt, qui ex armentis eos educant, & in varias abducunt regiones. Atq; Carauana (ſic vulgo vocant hoſpitum & mercatorum vna commeantium agmen) quæ in Perſiam aliquando venit, priuſquam ego inde diſcederem, quatuor millia equorum eo adduxit. Neq; eſt quod hic quiſpiam mirari debeat; quia ſi vna die mille vel duo etiam millia equorum velis emere, facile ibidem inuenias: In greges enim cogũtur velut pecora. Et ſi ad gregem ex his vnum venias, venditorem duntaxat ea de re (te nimirum centum vel plures etiam emere equos velle) compelles. Hic clauam & laqueum in collo gerit, & tanta in re expedienda vtitur celeritate, vt continuo cum hunc vel illum è grege equorum petis, laqueo collo eiuſdem iniecto, eum ex ordine ſeorſim ab aliis ducat: atq; hoc pacto quot eidem libet, facile tot capere equos poteſt. Incidi aliquãdo errans in mercatores iſtos, qui equorũ tantam ducebant multitudinẽ, vt campus ab eadem fere totus fuerit coopertus; quæ res viſa eſt omnino admirabilis. Regio illa equos quidem multos, ſed non adeo egregios aut formoſos habet. Parui enim ſunt, ventrẽ magnũ habent: auenã non comedunt: & (quando in Perſiã adducũtur) laudaſſe eos ſe maxime vẽditores putant, ſi dicãt auena paſci,

alias enim quando non eadem paſcuntur, onera ad ſufficientiam impoſita geſtare non valent.

Secundum genus animalium, quæ regio illa producit, boues ſunt maximi & pulcherrimi, tanto numero, vt ad omnia Italiæ totius macella explenda ſufficiant: & hi ea veniunt via, quæ è Polonia ducit, & armenta quædam per Walachiam & Tranſyluaniam in Germaniam vſq; tranſeunt; vnde poſtea in Italiam abiguntur. Geſtant iis in locis boues & onera, & clitellas, quoties vſus requirit.

Tertium apud eos genus animalium cameli duorum gibborum magni & villoſi, qui in Perſiam quoq; ducuntur, & viginti quinq; ibi vnus aureis venditur. Nam illi, qui ex Orientalibus regionibus adducuntur, gibbum vnicum tantum habent, & parui ſunt, ideoq; eorum vnus aureis duntaxat decem venditur.

Quartum animalium genus verueces pinguiſſimi ſunt, qui genibus in altum erectis ſtant, pilis longiſſimis obſiti. Caudam etiam eius magnitudinis habent, quæ pondò duodecim librarum ſit. Et tales vidi, qui rotam trahunt, ſuper quam reponunt caudam, ſi quis forte animi cauſa eos alliget. Ex pinguedine harum caudarum omnes ſuos cibos condiunt, quæ illis quidem loco butyri eſt, non tamen in ore (vt butyrum alias) diffluit. Ipſe neſcio an quis fide bona narrare auſus ſit ea, quæ modo à me dicentur, etiamſi res ita ſeſe omnino habeat. Roget enim aliquis, vnde viuat hic populus, ſi per diem aliquando totum iter facit: vbi auenam, qua equi reliquave animalia paſcantur, reperit.

Atq; in eo hic cibariorum pręparandorum fere mos eſt. Februario menſe per præconem in exercitu vniuerſo proclamatur, vt quilibet, is qui ſementem facere velit, prius omnes eas res, quæ ad ſationem pertinent, adornet: Siquidem menſe Martio ſatio in loco certo ſit proceſſura, & vna, quod ad hunc vel illum menſem futuro ſeſe itineri accingere omnes debeant. Hoc facto illi qui opes eiuſmodi poſſident, vt vel ſerere ipſi poſſint, vel aliis idem pro ſe exequendi poteſtatem facere, neceſſaria ad id omnia parant, & certa aliquot ex his ſimul inita conditione, ſementes ſuas carris imponunt, & cum vxoribus, liberisq; (vel ſine his ſoli etiam) egreſſi, animalia ſecum eo ducunt, quibus inprimis ſe opus habituros exiſtimant. Demum in locum ſationis ſe conferunt (qui plerunq; vnius vel duorum etiam dierum itinerariis inde diſtat, vbi proclamationis tempore exercitus caſtra habuit) tum arant ibi, ſerunt, tamq; remanent diu, donec omni peracta ſatione cum reliqua rurſum ſe multitudine coniungant.

Imperator idem eſt tunc erga exercitũ, quod mater, quæ liberos ſuos ſpaciatum emittit, & aſſiduo eo vbi ambulant, oculos conuerſos habet. Hic ſerentes vndiq; circumit, ab iiſdemque non prius diſcedit, quam quatuor aut quinq; dies poſt, cum frumentum iam maturuiſſet.

Meſſis vero tempore, nõ totus eo exercitus deducitur: ſed duntaxat illi eunt, qui paulo ante ipſi ſeuerunt, & illi etiam, qui emere frumentum volunt, carris, bobus, & camelis eo proficiſcuntur, vel illud etiam, quo opus habent, quod in villis ſuis alias facere conſueuerunt. Agri valde apud eos fertiles ſunt: frumenti medimnos quinquaginta ex vno reddunt.

Nepos quidam fuit Vlumahumethi, qui cum per annos aliquot rei ſuæ priuatæ publicæq; præfuiſſet, & ſuſpectum haberet affinem quendam ſuum (qui verſus LEDILE flumen degebat) quaſi populum illum inuadere hoſtiliter vellet, quem ille ſationi præfeciſſet: quod quidem non ſine ingenti ſuo periculo & diſcrimine accidiſſet; per vndecim integros annos ſationem ſubditis ſuis interdixit. Atq; hi interim toto eo tempore carne ſeſe, lacte & rebus aliis, quæ haberi inter illos poterant, paſcebant: Nam farinæ tunc etiam reſidui aliquid & panici habebant, ſed eiuſdem admodum cari.

Rogante autem me, quid facturi demum eſſent, his vitæ deſtituti alimentis, ridebant illi, dicentes: Se tamen carnis adhuc ſatis habere. Nihilominus poſtea hic Dominus ab affine iſto, ſuo regno expulſus eſt. Deniq; & Vlumahometus (de quo ſupra dictum à nobis ſatis prolixe fuit) cum ad fines regni ſui obuiam armata manu hoſti proceſſiſſet, animaduertiſſet etiam exercitum ſuum Chezimamethi

copiis

copiis inferiorem, ideoq; impetum earundem, ſi prælium ab vtraq; parte committatur, ſuſtinere omnino non poſſe, exercitu relicto ipſe vna cum filiis aliiſq; perpaucis profugit. Chezimametus nullo prorſus aduerſante Imperatorem ſeſe ac Principem populi totius tulit, atq; ita ad flumen Tanais cum vniuerſo exercitu in menſe Iunio venit. Poſt duos autem dies cum vniuerſa multitudine carris etiam & animalibus illis quæ ſecum habebat Tanais flumen transgreſſus eſt. Res vt auditu mirabilis, ſic lõge viſu admirabilior ea viſu fuit: omnes enim abſq; minimo ſtrepitu in ordine procedebant, ſecuri adeo, ac ſi iter terra facerent.

Ordo quem in itinere obſeruant hic eſt: Illi qui potentia & opibus reliquos præcedunt, famulos ſuos præmittunt ad locum eum vbi habitare aliquandiu volunt, qui ingentes lignorum ſtrues comportant & amputant: Syluas enim fluuio proximas multas ſatis habent. Faſciculos ex arundinibus conficiunt, quos lignorum ratibus illis & carris imponunt, & ad hunc porro modum progrediuntur, adigendo equos vt trabes illas & carros trahant, qui ab hominibus quibuſdam nudis iuuantur. Poſt menſem vnum ego, qui nauigio per fluuium ad piſcinam meam viſendam ibam, in tot faſces & rates incidi, quæ ſecunda iam vice venerant, (& relictæ prius ab iſtis erant) vt vix per eaſdem penetrans admodum difficulter cœptum iter meum continuare poſſem. Vidi vltra hoc etiam per riuos vbiq; tot lignorum fluitantes rates, adeo vt eorum infinita multitudo in maximum me ſtuporem & admirationem adduxerit. Ad piſcinã autem cum perueniſſem, reperi & in locis circa vicinis plus multo illas damni intuliſſe quam eas quarum ſupra mentionem fecimus.

Eo tempore (ne hic amicorum obliuiſcar) Edelmughus Imperatoris cognatus fluuium cum transfretaſſet, reuerſus eſt. Venit autem ad Tanaim & vna cum eodem filiorum ſuorum vnus. Tum comiter amplexatus me ille ſic alloquitur: Filium hunc adduxi tibi, quem tuum eſſe volo. Et ſubito deinde detracto è corpore filii thorace quem habebat induit eundem mihi & vna octo mancipia ruſtica donat, hanc partem eſſe prædæ dicens, quam in Roſſia accepiſſet. Manſit vero apud me per duos fere dies, & munera contra à me ſatis ampla accepit.

Sunt aliqui, qui cum à reliquis ſe diſgregant, eo animo, quaſi non amplius ad eoſdem reuerſuri, facillime hoc pacto amicorum obliuiſcuntur, dicentes non magis ſe inuicem viſuros eſſe. Vnde euenit, vt ſæpius iis quibus merito debebant, ceremoniis non vtantur. Hi profecto quantum ego doctus experientia iudicare poſſum, hac in parte ſe haud integros bonoſq; gerunt, ſiquidem dici prouerbio ſolet: Montem non monti, ſed hominibus homines obuiari ſæpius & occurrere. Accidit mihi in reditu ex Perſia, vt cum legato Aſſambeii iter per Tartariã facere inſtituerem, & inde per Poloniam Venetias reuerti (quamuis ab eo itinere auerſus fuerim) vnaq; nobiſcum ibant complures Tartari. Rogaui iſtum Edelmugh, qui talia indicia mihi dedit effigiei ſuæ, vt tam ex nomine quam ex effigie & ſignis eius agnoſcerem eum ipſum eſſe quem mihi pater pro filio propoſuerat. Et, vt Tartari illi dicebãt, magna is apud Imperatorem in gratia & autoritate fuit: ita vt ſi vlterius progreſſi fuiſſemus, haud dubie in manus eiuſdem incidiſſemus. Et de hoc etiam certiſſimus ſum, quod cum eo quoq; optime conueniſſem, velut cum patre olim.

Quis exiſtimaſſet autem poſt quinq; & triginta annos in tanta locorum & regionum diſtantia Tartarum cum Veneto conuenturum? Adiungam & hoc, quod tametſi non ea tempeſtate accidit, ad propoſitum tamen prioris meæ orationis quadrat.

Anno CIↃ. CCCC. LV. cum in taberna eſſem negociatoris cuiuſdam vini in Riuo alto, diſcurrendo paſſim per tabernam, vidi pone quædam dolia, in capite dictæ tabernæ, duos homines in compedibus, quos ex figura oris Tartaros cognoui. Percunctanti autem quinam eſſent, Reſpondebatur, Seruos Catelanorum fuiſſe: qui cum naui oneraria fugerent, in mari à mercatore illo capti ſint.

Audito hoc, ſubito ad Dominos profectus ſum, & querimoniam apud eos ea-

de re grauiſſimam habui. Hi continuo procuratorum ſuorum aliquot eo miſerunt, qui in priſtinum eos libertatis & officii gradum reducerent. Illi igitur in præſentia Tartaros illos liberauerunt, & vna mercatorem iſtum condemnauerunt. Exolui iuſſi Tartaros & domum mecum deduxi.

Deinde iidem rogati à me, vnde & ex quibus regionibus eſſent? Vnus ex illis ſe Tanai patria eſſe & ſeruum fuiſſe Chazadabuchi dicebat. Eum mox cognoui ego Imperatoris ſcripturarium, qui vectigalia ex mercibus colligere ſolebat, iis quæ ad Tanais portum appuliſſent. Cœpi ergo hominis faciem conſiderare, qui ſæpius alias domi meæ fuit. Quæro poſtea ex eo quod ei nomeǹ ſit; Reſpondit, Chebechzi, quem latino idiomate furfurarium vel aberratorem dicas. Intuitus eundem paulo melius rogito, an me noſſet: Primo negauit. Verum ſimulac nominaui Tanaim Iuſuph; inquit, Es: (ſic enim ibi me nominarunt) confeſtimq; ad pedes meos ſe proiecit, & oſculari eos voluit, confeſſus ſimul quod bis ſibi vitam ſeruaſſem. Primo enim, ait, cum mancipatus eſſem, non viuum me ſed mortuũ exiſtimabam, cui tu eo tempore & vitam & libertatem reſtituiſti.

Deinde quò vrbs Tanais conflagrauit, quo etiam foramen in mœnibus factum; per quot tot emiſiſti, mortales, quorum in numero ego & Dominus meus eramus. Atq; hoc veriſſimum eſt, quia cum incendium exortum viderem, foramen in muro feci, ex aduerſo autem ſolum vacuum erat, vbi multi mortales conſpiciebantur: & per hoc extracti fuere ad quadraginta homines; & inter hos etiam hic & Chazadabuch. Retinui ambos domi meæ per duos fere menſes, & cum nauigio Tanai diſcederem, domum vtrumq; remiſſi.

Igitur amplius nullus amicorum obliuiſci debet ea ratione, quaſi non magis loca illa vbi iidem verſantur, viſurus ſit. Vel ſexcenta enim accidere poſſunt ob quæ inuicem conueniant: & hic fortaſſis qui plus poteſt opus habebit eo qui minus poteſt. Ad res Tanais reuerſus, percurram pauliſper Septentrionis & occaſus regiones, tranſeundo ſinum maris Caſpii: Inde ad ſiniſtram declinans ad magnum mare me conſeram vſq; ad prouinciam Mengleriam dictam. Poſtquam Tanai diſceſſi, terra in littore iter faciendo, tertia die regionem quandam inueni Chremuch, Dominus eiuſdem appellatur Biberdi, quod Diodatum alias ſignificat. Hic filius Chertibii erat, qui alio nomine verus Dominus dicitur. Pagos habet multos Iuriſdictioni ſuæ ſubiectos, qui ad neceſſitatem duo equitum millia efficiunt. Campos præterea, ſyluas & fluuios complures & pulcherrimos poſſidet. Primores terræ rapinis & excurſionibus victum ſibi quærunt: quod præcipue facere ſolent in ſpoliandis Carouannis, quæ paſſim loca illa tranſeunt. Equos habent egregios & generoſos: Ipſi homines ſi corporis conſtitutionem ſpectes, robuſtiſſimi ſunt & ingenio aſtutiſſimo. Frumenti in ea regione ſatis eſt, item carnis & mellis, vini ſecus. Poſt hanc gentes ſunt diuerſarum linguarum, haud procul à ſe inuicem diſtantes, vt Eliphe, Tarcoſia, Sobai, Chernerthei, As, Alanii, quorum ſupra à nobis mentio facta eſt: Et hi Mengleriam totam duodecim ſpacio dierum peruadunt.

Mengleria ipſa vicina Catachis, qui ad Caſpium montem incolunt; Proxima etiam eſt Georgianiæ, & magno Mari, & ex parte vna flumine Phaſo clauditur, quod ipſum eandem circumdans in magnum mare influit. Dominus prouinciæ illius nomine Bendian, ad mare illud duo ſita propugnacula habet, dictum ex his alterum Vathi, alterum Sanaltopolis, vltra quæ etiam plura caſtella & domunculas poſſidet.

Ager per ſe totus ſaxoſus & ſterilis eſt. Genus frumenti præter panicum aliud non producit. Sal conductum illis Capha aduehitur. Telarum aliquid conficiunt, ſed rudium & nullius precii; hominesq; ſunt bruti & effeti. Argumentum rei hoc eſt.

Cum Vathi eſſem, quo Conſtantinopoli cum Impoparone ſeu naui Turcica conceſſeram, eo animo vt inde poſtea Tanaim me conferrem, in quendam Azolinum Squarciafigum Genuenſem incidi. Fœmina quædam erat, quæ erectis ſupra portã pedibus ſtabat, ad quã Genuenſis ille inquit: Surina patro in cocon?

quod

quod ſignificat: Domi ne herum habes? per id maritum ipſius intelligendo. Reſpondit illa: Archilimiſi; quod ſignificat; adfore præſto. Diduxit autem ei labra: Et ea monſtrando mihi: Ecce, inquit, quam pulchros hæc dentes habet: Et ſic etiam ſinũ monſtrauit tractauitq; mamillas. Ad quæ illa ne minimũ quidẽ motus aut indignationis alicuius ſignum dedit. Intrauimus demum ædes, ibiq; cõſedimus. Alozin vero ille, (vt pruritum virilium demonſtraret) ſignum puellæ quærendi dedit: Venit illa & ſumma cum pudicitia ac caſtitate circum vbiq; quærit. Interea dum hæc fiebant, maritus aduenit, & manum in marſupium Genuenſis iniicit, dicendo: Domine, Tetariſica? quo quærebat, an pecuniam haberet. Cum autem indicium faceret, ſe iam non habere, aſpros aliquot è marſupio demptos eos illi donauit, vt pro his ſibi quod placeret emeret: Atq; hic poſtea abiuit. Nos ibidem per ſpatium aliquod morati, deinde animi cauſa paſſim per regionem exſpaciabamur. Et tum vbiq; hic Genuenſis iuxta morem conſuetum regionis, illud quodcunq; in mentem venit, faciebat, vel abſq; minima etiam famæ aut exiſtimationis ſuæ læſione.

Vnde manifeſtum eſt brutas & efferas gentes eas eſſe. Eam ob cauſam etiam Genuenſes, qui in regionibus iſtis negotiantur, hoc inter ſe habent in more poſitum, vt Menglierum appellent eum, quem ſtultum alias nominare volunt.

Neq; hoc prætereundum videtur (cum mentionem nummi, quomodo Tartarico idiomate proferatur, hactenus fecerim) Tetarti proprie albus dicitur, & per hunc colorem nummum Tartari argenteum, qui alias albus eſt, intelligunt. Græci etiam aſpros ſuos albos vocant: Turci Akeian habent, album nobis quoque, & Zagathicengh album item nominant. Venetiis vt olim ita nunc quoque nummi cuduntur, qui dicuntur albi. Eadem & ratio monetæ Hiſpanienſis. Atq; hinc facile quis colligat, quam multæ nationes ſimul hac in parte, videlicet in vna eiuſdem rei appellatione concordent.

Ad Tanaim rediens per flumen illud iui, quod, vt ſupra dictum eſt, Alanum ſpectat: Inde per Caſpium mare extra ad manum ſiniſtram incedendo Capham vſq; perueni, vbi terram reperi anguſtam, quæ continentem Inſulam mari iungit, velut ea quæ in Morea ſeu Pelloponeſo eſt, & Zuchala appellatur.

Salinæ ibi maximæ reperiuntur, quæ exhauriuntur vbi quis ad Inſulam illam peruenit. Prima ad mare Caſpium à Cumanis dicta Cumania eſt gens celebratiſſima. Inde eſt caput Inſulæ, vbi eſt Capha, ibi erat Gazaria, & vſq; in hunc diem Picus, quo menſura ſumitur, id eſt, cubitus in Tanæ regione & vicinis vbiq; appellatur, Picus Gazariæ. Ager inſulæ iſtius Caphæ Tartarorum in poſſeſſione eſt, qui Dominum habet vocabulo Vlubi, qui filius erat Azicharoi.

Numerus populi ſatis amplus eſt, qui cum vrget neceſſitas, tria vel quatuor etiam equitum millia efficiunt.

Caſtella duo munita habent, Verum non adeo fortia: Alterum Soragaſthi Incremin lingua illorum dicitur, apud nos fortitudinem voces: alterum Therchiade eorundem idiomate, quadraginta loca ſignificat. Ad inſulam iſtam, & primum os maris Caſpii, locus quidam eſt Chertz dictus, qui Boſphorus Cimmerius nobis dicitur; dein Capha & Saldaia, Graſin, Cymbalo, Sarſona & Calamita: Omnia nunc Turcicæ iuriſdictioni ſubiecta propugnacula, de quibus in præſentia nihil dicam, cum loca omnibus nota ſatis ſint.

Narrare duntaxat Caphæ ereptionem placet, velut rem ex Genuenſe quodam Antonio de Guaſco intellexi, qui tum temporis ibi erat, & mari poſtea in Georgianam fugit, inde in Perſiam venit, vbi tunc me conuenit: tametſi alias notum ſatis ſit, qua ratione promontorium iſtud in manus Turcicas peruenerit. Poſſederat ea tempeſtate agrum illum Tartarus quidam Eminachbi, huic Caphenſes ex more ac conſuetudine gentis annis ſingulis tributum certum pendebant.

Factum aliquando, vt Eminachbi & Caphenſibus inter ſe diſcordantibus, Conſul, qui eo tempore Genuenſis Italus erat, legatos ad Imperatorem mittere conſtituerat & vocare aliquem ex ſtirpe huius Eminachbi, cuius fauore velle

videbatur Eminachbi imperio deiicere. Miſit autem ad Tanaim nauim vnam, & vna legatum. Hic vbi eo venit, continuo in caſtra Imperatoris Tartarorum it, & ibidem vnum ex ſtirpe Eminachbi reperit, quem ſecum vna Capham ea lege duxit, vt rurſum poſt ſe remitteret, Caphenſibus conditiones illas recipere nolentibus. Eminachbi cum de facto ſuo dubitaret, Legatum ad Ottomannum miſit, cui per eundem (ſi claſſem ſuam eo mitteret) ſe terra præliaturum promiſit, Caphamque in poteſtatem ac manus ſuas traditurum. Ottomannus qui cupidiſſimus ſtatus eiuſmodi erat, claſſem eo miſit, qua breui in tempore id confecit, vt terram illam imperio ſuo ſubiiceret, vbi & Menglierus captus fuit & ad Ottomannum miſſus, qui dein per annos cō plures eundem in cuſtodia habuit. Haud multo poſt Eminachbi (ob mala quæ cum Turcis commercia alebat) pœnitere cœpit, quod terram Ottomanno dediſſet. Quam ipſam ob cauſam omnem ad Inſulam aditum præcluſit iis, qui victualia & annonam eo vehebant.

Hinc factum vt acris frumenti & carnis penuria eſſet, adeo quidem vt parum tum ab obſidione ſtatus Caphenſium abfuerit. In mentem autem illi veniebat, ſi Capham Menglierum mitteret, ibidemq; eum cuſtodia ampla muniret, fore vt priſtina annonæ fertilitas redeat, ſiquidem Mengliero huic vehementer exteri fauebant. Ottomannus cum conditionem eſſe optimam exiſtimaret, Capham Menglierum miſit, qui quamprimum aduenit, ingens rurſum annonæ fertilitas extitit; Nam & ab incolis impenſe amabatur. Atq; adeo cum firma cuſtodia teneretur, vt non metus vllus euaſionis eſſet, & hinc per regionem etiam exſpaciari eidem liberum, quodā die certamen arcu iaculandi propoſitū eſt. Id ita in illis locis fit. Duos ſtipites humi defigunt, iisq; tranſuerſum lignum ſupponunt inſtar patibuli; Inde tenui funiculo ſuſpendunt pateram argenteā. Illi qui iaculari poſſunt aut volunt, ſagittas ſuas habent, ſupra cum ferro mediæ inſtar lunæ fabricato, & equo cum arcu ſub funem iſtum currunt, & quādo iam pauliſper proceſſerunt (directe equo procurrentes) ſe recta rurſum vertunt & ad funem iſtum iaculantur: deniq; hic qui pateram illam deiicit, victor certaminis proclamatur. Menglierus tam opportunam occaſionem nactus, arcu nimirū iaculandi, equites centum, cum quibus prius pactum inierat, in valle ſe abſcondere iuſſit: Ea remotior paulo à loco illo, vbi certamē illud inſtituebatur, erat. Et cum ſimulaſſet, ſe quoq; arcu iaculari velle, curſu apprehenſo & incitato ad ſuos profugit. Continuo atq; hæc res intellecta eſt, præſidia inſulæ eum ſecuta ſunt, cum his cōiunctus Menglierus Surgaſthum profectus eſt, vrbem ſex à Capha millibus diſtantē, & capta ea trucidatoq; Eminachbi, Dominum ſe prouinciarū illarum omnium tulit. Anno ſequenti Gitercanum verſus ire conſtituit. Locus ille ſedecim à Capha millibus eſt, eum in poſſeſſione ſua habebat quidam Mordaſſa Cā, qui tum temporis cum exercitu ſuo fluminis Ledilis ripam occupauit. Cum hoc conflixit Menglierus cepitq; vna cum toto exercitu, cuius maiorem partem Capham miſit. Ipſe cum exercitu in hyberna ad flumen dictum contendit. Ea tempeſtate alius quidam Dominus Tartarus aliquot inde dierum itinerariis caſtra locauit, qui cum intellexiſſet in eo loco hybernari, flumine cōgelato ex improuiſo Menglierum adortus eſt, & fugato eodem Mordaſſam liberauit, qui tum in vinculis captiuus tenebatur.

Fractus victusq; Menglierus Capham cum reliquiis copiarum reuerſus eſt. Sub primum Veris ſequentis initium, Mordaſſa forti cum exercitu, Capham, ad expugnandam Inſulam venit, & excurſionibus in eam aliquot factis cum ſubiugare ſibi non poſſet, vltro ipſe retro ceſſit.

Dictum autem mihi fuit propterea maxime diſceſſiſſe, vt exercitum denuo validiorem colligeret, eo animo, vt reuerſus ad id loci, deiicere Menglierum dominatu poſſet. Et hoc quidem tametſi per ſe veriſimile ſatis ſit, tamen inſigni materiem mendacio præbet: ſiquidem illi qui ignorant, vnde exercitus hi prodeant, qui Ductores eiuſmodi habent, & neſciunt etiam quod diſcrimen inter Magnum Can & Mordaſſam Can ſit: arbitrati Mordaſſam nouos colligere exercitus,

ercitus,

excitus, vt his inſulam adeat, perſuaderi ſibi patiuntur & dicunt: Magnum Can, via illa quæ Capha educit iuſſu Ottomanni venire ea intentione, vt per Moncaſtri viam in Walachiam & Vngariam, vbi tunc Ottomannus erat, concedat. Ea res falſa omnino & ementita eſt, quantumuis literis Conſtantinopoli miſſis ſignificata. Poſt Capham inſulam circum ad mare Magnum Gotthia eſt, deinde Alania, quæ per inſulam verſus Moncaſtrum it, vt dictum à nobis ſuperius eſt. Gotthi Germanica lingua vtuntur, quod inde ſcio, quia cum famulum haberem Germanum, vna colloquebantur, & ſatis ſe inuicem intelligebant: eo modo qno forte mutuo colloquentes Foriulienſis & Florentinus aliquis alter alterius animi ſenſum aſſequitur, ac ſermonem percipit. Ab hac vicinia Gotthorum cum Alanis nomen Gototelorum deriuatum eſt. Alani primo in locis illis erant. Superuenere Gotthi & regiones illas occuparunt, & mixturam ex ſuo Alanorumq; nomine fecerunt: Et ſicubi inuicem permixtæ ſunt, exinde Gotitelani vocari cœperunt. Hi omnes ritu Græco viuunt, itemq; Circaſſi. Et quia mentionem Thumeni & Gitercani fecimus, hic quoq; res eas quæ in locis illis viſu ac memoria dignæ reperiuntur, ſilentio & obliuione præterire nolumus.

Tumeno verſus Orientem ſex dierum itinerariis procul diſtat Ledile flumen, ad hoc ſitum Gitercanum eſt oppidulum nunc fere demolitum ac deſtructum. Magnum olim illud & ingentis famæ erat. Prima enim nauis quæ aromata ac ſericum in Aſſyriam vehebat, cum intercepta ac deſtructa à Tamerlane fuiſſet, reliquæ Gitercanum conceſſere, & hinc ad Tanaim, inde poſtea ſex aut ſeptem validas triremes Venetias ad tollendas & auehendas merces miſerunt. Atque eo tempore non Veneti ſolum ſed ne aliæ quidem gentes maritimæ in Aſſyria amplius negotiatæ ſunt. Ledile flumen latiſſimum & altiſſimum ingenti ſtrepitu in Caſpium Mare influit, quod ipſum quinq; & viginti millibus Gittercano diſtat, & in eodem velut in mari, infiniti piſces capiuntur. Satis magna copia ſalis è mari fit. Per idem quis ex aduerſo nauigare in ſinum Muſci poteſt, terram Ruſſorum in die, & quandoq; Muſcenſes cum nauigiis ſuis ad emendum ſalem Gittercanum eunt. In hoc flumine ſyluarum & Inſularum complures reperiuntur. Vna earum ad triginta ſe paſſuum millia extendit. Syluæ arbores producunt eiuſmodi, ex quibus dein conficiuntur ligna ad extruendas nauiculas, quarum vna octo vel decem equos, totidemq; homines ſuſtineat. Cis flumen iſtud Septentrionem & Orientem verſus, in ea via quæ Moſcham ducit, in ripa porro quindecim illinc dierum itinerariis, populi Tartari innumerabiles paſſim ſparſi ſunt. Verum ad meridiem ſi in fines vſq; Roſſorum deuenias, prouinciola quædam reperitur nomine Riſan. Hanc cognatus quidam Ioannis Ruſſiæ Ducis poſſidet: incolæ Chriſtiani ſunt, & ritibus ac ceremoniis Græcis dediti. Ager feraciſſimus frumenti eſt, carnis quoq; & mellis, itemq; rerum aliarum optimarum. Ibidem & Boſa fit, quæ cereuiſia alias dicitur. Vicos & ſyluas ea regio habet complures, & cum paulo vltra proceſſeris, ciuitas Colona eſt, & præterea quædam aliæ: ambæ hæ lignis præcipue munitæ, ex quibus & ædificia reliqua extruuntur. Nam non multum lapidum iis in locis reperitur. Trium illinc procul dierum itineribus Moſchia ipſa eſt, quam Iohannes Ruſſorum Dux inhabitat, eam mediam nobiliſſimus fluuiorũ Muſcus tranſit, cui ſuper pontes aliquot extructi ſunt, & credo equidem ab illo flumine terram ipſam Moſchiam appellatam. Caſtellnm ſupra collem poſitum, ſyluis vndisq; circumdatur. Frumenti & carnis facilitas, quæ ibi ſumma eſt, hinc colligitur, quod carnes ad menſuram & pondus non vendunt, ſed emptoris ſaltem oculis ſubiiciunt, vt quatuor marcheto vno carnis libræ conſtent. Gallinas ſeptuaginta pro marcheto vno dant, anſerem pro tribus vnum vendunt. Frigus ibidem adeo magnum eſt vt flumina etiã congelentur. Animalia etiã varia, vt porci, boues, circumferũtur, qui hyeme capti ac excoriati, duri adeo vt lapides ſunt, quorũ vel ducentos quis emere vice vna poſſit. Scindi hi alio modo nõ poſſũt (nã duri vt marmor ſunt) niſi quis in hypocauſtũ deferat vt caleſiãt. Fructus exceptis nucib. & pomis q̃ in foro vẽdũtur alii nõ naſcũtur. Quãdo tranſire de loco in locũ volunt (p̃ſertim ſi profectio lõga &

prolixa ſit) in hyeme iter faciunt. Congelata enim tunc omnia ſunt, & ob id illi quidem progredi quam optime poſſunt, quamuis frigus noxæ aliquid & impedimenti afferat. Trahis ſecum vehunr omnia ea quæ volunt, & quidem in eo celerrime ſeſe expediunt. Trahæ apud eos in eo vſu ſunt, quo apud nos fortaſſe carri; & hi à latere & parte dextrà Trauali vocantur. Æſtate propter ſpiſſiſſimum puluerem, qui è ſyluis (quæ circum vbiq; infinitæ ſunt & maximæ, & earum maior pars inhabitabilis eſt) prodit, exire longe non audenr. Vuas nullas habent, ſed vinum ex melle quoddam conficiunt, itidemq; cereuiſiam ex milio, in quorum vnum atq; alterum, flores bruſcandolos coniiciunt, qui fœtorem poſtea eiuſmodi emittunt, qui cerebrum obturbat & inſtar vini inebriat. Haud putarem ſilentio prætereundam eſſe ſingularem hic Ducis Iohannis prouidentiam: Is cum toties adeo ſubditos ſuos inebriari animaduerteret, & ob id ipſum labores ſuos resq; alias factu perutiles ac neceſſarias intermittere, edictum promulgauit, quo ſeueriſſime ſanxit, Omnes in exilium eos pelli debere, qui cereuiſiam aut vinum ex melle conficerent, vel floribus bruſcandolis vterentur. Eo edicto tantum profecit, vt ſubditos ſuos in vitæ melioris ſtatum reduceret: Et quo ad hæc ſunt geſta, iam inde anni fere viginti quinq; elapſi ſunt. Olim Ruſſii tributum Tartarorum Imperatori pendebant: nunc autem confœderatam terram habēt nomine Caſſan, quam idiomate noſtro ahenum appelles. Ea ad flumen Ledile poſita ad ſiniſtram verſus & Bachium mare euntibus conſpicitur, & quinq; dierum itinerariis Moſchia diſtat. Hæc terra negotiationibus plena eſt. Vis in ea & copia pellium maxima, eæ in Moſchiam, Poloniam, Pruſſiam & Belgicum tranſmittuntur; & ipſæ etiam ex parte demum in regiones Septentrionales Zagathai & Moxium deueniunt, quæ Septentrionales regiones Tartarorum Imperio parēt, qui maiori ex parte Idolatræ ſunt, ſicut & Moxii.

Sed quoniam ego rerum Moſchiarum peritiam aliquam habeo, de religione eorumq; vitæ reliquo ſtatu, qui cognitus mihi, aliquid dicam. Certo anni tempore equum ſolent accipere, quem in medio ſui conſtituunt, & inde in omnes quatuor pedes ad quatuor recentes palos ligant, ſimiliter & caput terræ palo defixo. Hoc facto, venit aliquis ex illis qui arcu & ſagittà inſtructus & interuallo conuenienti ab equo conſiſtens ad cor equi iaculatur adeo vt eundem occidat. Illo excoriato vtrem reliqui ex pelle conficiunt: carnes inter ſe mutuo variis ceremoniis vſi partiuntur, & eam poſtea comedūt. His actis pellem totā implent ſtramine, atq; ita conſuunt, vt integra eſſe videatur, & per ſingulos pedum lignum directe traiiciunt, vt in pedibus quaſi viuus conſiſtat. Demum ad arborem aliquam proceram omnes congregantur, & ab ea ramos quot ſatis eſſe videntur demetunt, & ſupra tabulatum ædificant, in quo equum illum in pedes ſiſtunt, atq; ſic eum adorant, Sibelinos, Armelinos, Doſſos, Vares, vulpes & id genus animalium alia illi offerentes, quæ arbori illi appendunt omnia, eo modo, quo nos offerre candelas ſolemus, adeo vt pleni aliquando pellium tales arbores ſint. Vulgus carne imprimis, miles ferina & piſcibus, qui in flumine illo capiuntur, veſcitur.

De Moxiis dictum à nobis iam ſatis prolixe eſt. De Tartaris nihil præterea, quam quod horum qui Idolatræ ſunt, ſtatuas adorent, & eas carris impoſitas circum vbiq; vehant, tametſi multi eorum ſint, qui in more hoc habent poſitum, vt illud inprimis animal adorent, in quod primum domo ſua egredientes incurrunt. Dux ſubiugatam habet Norgroth, quod in lingua noſtra nouem caſtella vocamus. Ea prouincia ampliſſima & latiſſima eſt, & à Moſchia Septentrionalem verſus plagam octo dierum integris itineribus diſtat. Initio à plebe, qui homines omni prorſus ratione carentes erant, & infinitos inter ſe hæreticos alebant, adminiſtrata eſt: nunc autem lente & ſucciſiue ad Catholicam conuerſi fidem: aliqui eorum credunt, ſecus aliqui faciunt, ratione tamen vtuntur, & inter ſemetipſos ius & iudicia exercent.

Moſchea diſcedens ſi quis migrare in Poloniam velit, viginti duorum dierum iter conficiat neceſſum eſt. Primus locus qui in Polonia reperitur, caſtel-

lum

lum quoddam eſt vocabulo Trochi, quo accedere ii qui è Moſchea veniũt minime alias poſſunt, niſi per ſyluas & colles eo penetrent. Locus enim vacuus ac deſtructus eſt. Illic ambulando paſſim (vbi olim caſtra fuere) extructi ignis ſigna reperias, vbi conquieſcere viatores poſſunt, & interdum ſi velint focum extruere. Haud procul inde villa quædã eſt. In ea quæ Trocho via educit, nón amplius ſyluæ vllæ aut colles ſunt, ſed vna vici aliquot reperiũtur. Et nouem ab eo loco dierum itinere caſtellum quoddam ſitum nomine Loniri. Inde in Lituaniam deuenitur, vbi prouincia quædam eſt Varſonith dicta, quę Dominis quibuſdam paret, qui ſubditi Caſimiri Polonorum Regis ſunt. Regio ipſa fertilis eſt; caſtella vicosq; complures habet, verum non adeo celebres. Trocho in Poloniam commeantes ſeptem dierum iter conficiunt. Ea regio ſplendida & pulcherrima eſt. Merſaga ciuitas Poloniam claudit. De caſtellis & regionibus (cum minus eas probe cognitas habuerim) nihil vltrá dicam. Accedit eo & hoc, quod Rex ipſe cum familia vniuerſa Chriſtianiſſimus & filius eiuſdem natu maior Boiemiæ nunc item Rex eſt. Polónia cum diſceſſiſſemus, quatuor dierũ itinere Francofurtum appulimus, vrbem Marchionis Brandeburgici Iuriſdictioni ſubiectam. Atq; ita intrauimus Germaniam, de qua dicere iam nihil volo, cum nobiliſſima per ſe ſit, & à multis paſſim ſtudioſe perluſtrata.

Reſtat vt de Georgiana aliquid proferam, quæ ex aduerſo regionibus illis oppoſita, de quibus modo diximus, vicinaq; Mengleriæ eſt. Rex prouinciæ illius appellatur Pancratius, agrum poſſidet pulcherrimum frumenti, carnis, vini. fructuumuc reliquorum feraciſſimum. Vinum ibi in arboribus velut Trapezuntiæ naſcitur. Homines ſtatura pulchri ſunt & proceri: ſed veſtes ſordidas moresq; viliſſimos habent. Tonſi raſiq; caput incedunt, quamuis circumcirca capillos aliquot inraſos relinquant, ad ſimilitudinem Abbatum noſtrorum: qui reditus amplos poſſident: myſtaces etiam geſtant, quos creſcere barba cubito & quadrante longiores ſinunt. Caput mitrula verſicolori contegunt, cuius in cacumine appenſa criſta eſt. In dorſo item iubas ſatis longas, ſed ſtrictas portant, & in tergo ad nates vſq; criſtas: Nam alias equum conſcendere non poſſunt: qua in re minime eos quidem vitupero, quia & Gallos vti iiſdem animaduerti. In pedibus ocreas gerunt, quæ ſoleas ad hunc modum factas habent, vt quando erecti ſtant, planta & calcaneo terram attingant, verum in medio tam alte è terra prominent, vt pugnum quis ſub plantam abſq; detrimento iniicere poſſit; Et hinc euenit, vt quando pedes eunt grauiter moleſteq; incedant. Eos hac in parte vituperandos eſſe cenſerem, ſi neſcirem & Perſianos iiſdem calceamentis vti. Circa épulas (velut idipſum in domo primarii cuiuſdam viri vidi) hos fere ritus obſeruant. Tabulas quadratás habẽt, mediĩ cubiti latitudine, auro in circuitu excauatas. In medium vnius copiam quandam panici collocant, cocti abſq; ſale aut vlla alia pinguedine, & hoc apud eoſdem leguminis loco habetur. In altera eiuſmodi tabula carnem ſuillam peruſtam & paulum admodum aſſam, ita vt, quando comedebant, ſanguis adhuc ineſſet, & hanc tamen illi auide & voluptuoſe vorabant. Ego guſtare non potui, & ob id etiam panico duntaxat fui contentus. Vini abunde erat ſatis, quod quidem egregie propinãdo circumlatum fuit. Aliud cibi genus apud eos nõ eſt. In prouincia illa montium ſyluarũq; complures ſunt. Regio quædam eſt nomine Ziſilis, quã fluuius Tigris præterfluit; quæ quidẽ fertilis ſatis, ſed inhabitata male eſt. Habet & caſtellum quoddã quod appellatur Gori, & in vicinia mari magno eſt. Et hæc ea ſunt quæ de meo ad Tanaim itinere, deq; regionibus illis, vna cum rebus cæteris memoria dignis narrare volui. Supereſt vt aliud quidpiam exorſus, partem iam ſecundam arripiam, & res iter meum Perſicum concernentes ſcribendo perſequar.

F I N I S.

ITINERARII IOSEPHI BARBARI VENETÆ REIP. LEGATI AD PERSARUM regem

Pars Secunda.

CVM circa annum 1471. Illuſtriſs. Venetorum Reſpub. bellum cum Turcis gereret, legati munus ab eadem ad Aſambeium Perſiæ regem mihi demandatum fuit, quod fides erga Rempub. & ſtudium meum atq; dexteritas in demulcendis Barbarorum animis & haud infelix cum illis conuerſatio iam cognita vbiuis, & perſpecta eſſet. Miſerat Perſa iam antea legatum ad Venetos, adhortatusq; fuerat, vt bellum contra Turcas continuarent, ſe in id vnice quoq; intentum euigilare, omnibuſque copiis & regni viribus contra eos contendere. Hoc legato, itineris comite vſus, Venetiis duabus triremibus minoribus ſoluimus; nos ſequebantur aliæ duæ maiores, machinis atq; tormẽtis bellicis, & quicquid ad horum vſum pertinet, inſtructis, iis quoq; vehebantur milites qui machinarum vſum Perſis demonſtrarent, munera quoq; à Veneta Repub. horum regi miſſa. In mandatis acceperam, vt Pamphyliæ atque Ciliciæ (hodie Caramania dicitur) oram legerem maritimam, & Aſambeo ſi adeſſet, vel ipſius delegatis, omnia illa munera Reipub. nomine offerrem atque donarem.

Plurimum erant bombardæ diuerſarum formarum & magnitudinis. Pulueris nitrati magna copia, & ferramenta & plauſtrorum apparatus, ad machinas illas accommodatus, quæ omnia ducatorum M. IV. conſtabant.

Milites erant arcularii, atque bombardarii circiter ducenti, quatuor præfectis ſubiecti, inter quos Thomas Imolenſis imperium habebat. Iſque alios eo adſciuerat ad imperium hoc non ineptos.

Munera vero pocula & vaſa erant argentea, quorum pretium prope M. III. ducatorum fuit, tamen veſtes Attalicæ & Sericæ ducatorum M. IID.

Panni rubri & aliorũ colorũ ex lana confecti ducatorũ M. III. Cypri regẽ Famaguſtæ cum Pontificis & regis Ferdinandi legatis ſalutauimus, ibi qua via in Perſiam peruenire liceret, num per Caramaniam tutum iter foret, diligenter inquiſiui. hanc vero vndique ab hoſtibus obſeſſam eſſe, fama tunc conſtans ferebat. Famaguſtæ igitur inuitus aliquantulum ſubſtiti, attamen continuo ſuſcepti itineris perſequẽdi deſiderio flagrãs cum legato Caramaniæ principis, quem in Cypro offenderam, reliquis legatis in inſula relictis, minori quadam triremi vectus, ad ipſam Caramaniam portum quendam ingreſſus, cui caſtrum imminet Sigi nomine. Eius loci dominus nobiſcum in colloquium venit. Is licet omnibus rebus aliis & poſſeſſionibus à Turcis priuatus & ſpoliatus fuerat, aliquor tamen centena equitũ habebat & peditũ, qui ipſum ſequebantur. Quos etiã hinc inde errantes prædatum emittere ſolebat. Vnus è fratrib. ipſius ad Aſambeũ pro-

fectus

fectus fuerat, opem ipſius imploraturus auxiliumq; contra Turcas petiturus. Cumq; familiarius colloqueremur, inter alia retulit ſe diu noſtrum expectaſſe aduentum, & literas Aſambei edebat nobiſq; monſtrabat, quibus præſenti animo iubebatur eſſe, futurũ vt breui claſſis Veneta ad ea loca permearet, cuius auxilio & poſſeſſiones cæteras & inprimis loca maritima recuperare poſſet. Cum igitur certo cognoſcerem magno deſiderio claſſem in his oris expectari, eamq; huc adducendas eſſe naues quæ Famaguſtæ permanſerant, appropinquare iuſſi. Interim certior fio Imperatorem claſſis Petrum Macenicum, eiuſq; præfectum (quem Proueditorem vocant) Victorem Sorantium, & Stephanum Malipetrum cum aliis ducibus, Corycum, Ciliciæ oppidum, quod arce munitũ egregia, vulgo Curcho dictum, appuliſſe. Miſi continuo Auguſtinum Contarenum, vt quæ mea de bello gerenda eſſet ſententia, iis ſignificaret. Inprimis vero mihi videri, vt priuſquam alia ſuſcipiatur expeditiõ, Sigiam claſſis deducatur, me quoq; ibi ſubſtitiſſe, & victoriam facilem futuram apparere: quod ſi vero aliud ei videatur magis neceſſarium, paratũ me ipſius iudicio parere. Sigi autem nõ amplius 20. milliaribus Italicis Coryco diſtabat. hoc oppidum iam obſidere imperator machiniſq; oppugnare cœperat, vbi vero quę mea eſſet ſentẽtia cognouit, Sigiã ad me cum claſſe vniuerſa peruenit. Hæc 56. triremibus Reip. Venetæ conſtabant, ego 2. minores, totidemq; maiores habebã. Aderant quoq; Ferdinandi triremes 16, Regis Cypri 5. Rhodenſiũ equitum, 2. aliæ 16. à Põtifice miſſæ. Mutinæ (quæ Madone dicitur) ſubſtiterãt, Venetæ triremes ſingulæ, 5. tamen exceptis, 8. equos eorumq; ſeſſores vehebant. Namq; equitatus noſter 440. equis cõſtabat, quos vbi in portum fuimus delati, cum parteq; copiarum pedeſtrium in terrã expoſuimus iiq; ad excurſiones ſtatim ſeſe accinxerunt, poſtero die Imperator renuntiat, videri ſibi hanc arcem inprimis validam & mari apprime munitam, nec abſq; maxima difficultate, quod ſuper monti iaceret, vi capi poſſe, meum ea de re cognoſcere iudicium cupiebat. Fatebar quæ ille de loci munitione dixerat, hoc tamen nobis commode cedere aſſerebam, quod vltra 25. milites in eo non reperirẽtur, qui ad defenſionem apti eſſent ad locum illum & territoriũ vicinum ad 20. vſq; lapidem tuendũ relicti. Ex horum paucitate victorię facilitatem coniecturabam. Sed imperator perplexus & quid ageret incertus, aliquandiu nihil reſpõdit, duabus autem horis elapſis, Amiratum ſuum miſit, qui de oppugnatione futura me certiorẽ redderet, qua re cognita, ad Themingam, Caramaniæ principis ducem properaui, qui cognito quod oppugnatio decreta eſſet, haud parũ mecum exhileratus fuit. Poſtero die ſummo mane Theminga retulit, quendam ex arce ad ſe veniſſe, qui deditionem eius offerat, ſi ſaluis & integris impedimẽtis præſidiariis tutus abitus & diſceſſus concedatur. Id imperatori Macenico ſignificaui, qui cõditionem hanc accipiens per Themingam præſidiariis incolumitatem & bonorum omnium conſeruationem promitti iubebat, quod ſi alio migrare velint, paratos qui tuto eos deducant. His intellectis Theminga volebat, vt cum domino arcis ipſe colloquerer, cuius rei gratia ad portum acceſſi, cui contigua erat quadrata feneſtra, è qua cum domino arcis colloquendi facultas data eſt, paucis inuicem commutatis verbis deditionẽ ſpopondit ſi fides ei ſeruetur, & abitus concedatur liber bonaq; illi ſalua omnia relinquantur. Quod vbi ſtipulãti repromiſi portas aperuit, meq; cum Admiralio noſtroq; interprete & tribus aliis claſſiariis intromiſit. Quæſiui quonam diſcedere vellet, ſe in Syriam proficiſci dixit, eo vt tutius cum vxore, liberis & opib. peruenire poſſet, triremi Veneta ſeſe deduci rogabat; annui, ipſeque ſtatim bona & facultates ſuas conuaſare cœpit, partem iam antea ad abitum parauerat. Sic arce egreſſus cum omni comitatu qui circiter 150. hominibus conſtabat, cum per accliuia montium deſcenderet, ducem quẽdam Venetum, qui cum manu claſſiariorum ad occupãdam arcem properabat, obuiam habuit. horum militum ea fuit rabies & furor, vt poſthabito imperio militari nullis minis abſterreri potuerint, quin opes & ipſos homines in prædam raperent, quare omnes duces mire fuerunt contriſtati, ob rupta iuriſiurandi fœdera tam auguſte ſancita. Vbi veſperi in claſſem redii, Imperator ſtatim me ac-

cerſuit,& quam acerbe ferret militum petulãtiam, verbis grauibus expoſuit,ad Themnigam Caramaniæ principis præfectum tendere,& facinus militũ inobedientia perpetratum excuſare quidue ipſi animus eſſe de eo rapta ſtatuere indicare iuſſit.Huius negotii expediundi cauſſa cũ ad littus acceſſiſſem interpretem meũ,aſinum præda onuſtum agentem reperi, ſubito aufferri prædam,& multis plagis eum caſtigari curaui,apud Themnigam quo ad potui commodiſſime raptum excuſaui,futurũ vt ſequenti die in authores ſceleris animaduertatur & in poſterum melior ordo in exercitũ inſtituatur.Ille hilari vultu me excepit,vnum ſibi dolere dixit,quod Sigiæ dominus ipſiusq; comites, qui à ſuo principe deſciuiſſent,eo tumultu non fuerint interfecti. Senſi parum illũ de Sigiano laborare, ſed reſpondi huic incolumitatem promiſſam fuiſſe,quæ neceſſario ipſi ſeruanda ſit,non ſtudio vel data opera,ſed militũ furore ſcelus hoc perpetratum, idq; maximo cũ dolore Imperatoris & omnium reliquorum Ducũ eueniſſe. Imperator Victori Sorantio Præfecto claſſis, aliiſq; delegatis negotium dat, captos & prædam oblatam recuperandi, ſequenti die edictum ſeuerum, grauiſſimæq; pœnæ fuerunt promulgatæ,qui horũ quicquam occultarit,iubebanturq; omnes quicquid rapuiſſent,in terram comportare, præterea inquiſitio arctiſſima,in omnibus triremibus eius rei cauſſa inſtituta & habita fuit. Homines ad vnum omnes reperti,& bonorũ raptorum pars magna recuperata, ſelectæ fuerunt Sigiani facultates & Sorantii triremi impoſitæ,in quã ipſe quoq; cum vxore & liberis deductus fuerat. Reliqua præda,quæ plebis fuerat,ad ducẽ, qui illis erat deſignatus,fuit delata,mãndatumq;,vt quilibet bona ſua auferret. Credebatur vulgo Sigianum maximas opes à parentibus relictas poſſediſſe, quæ forſitan(in auro,argento,ſerico,margaritis & gemmis)ducatorum M.x.ſummã excedebant.huius rei fidẽ fecit Cretenſis quidam, qui tum forte duos ſacculos abſtulerat, cum altero Rhodum abiuit,vbi paulo poſt decumbens,cũ morti vicinus eſſet, mandauit,vt Sigiano 800.ducati darentur in compenſationem prædæ,qua tunc tẽporis eum defraudarat. Hæc igitur hunc in modũ geſta ſunt. Mox duo Sigiani fratres ad claſſem peruenerunt,eumq; viſitarunt, rationibus & perſuaſionibus tantum apud ipſnm effecere,vt in terram deſcẽdere & cũ bonis omnibus apud ipſos cõmorari decreuerit; vbi vero claſſis noſtra ex illis locis ſoluit, eundẽ occiderunt, alter vero defuncti vxorẽ matrimonio ſibi iunxit. Corycũ rediimus,& capibus è nauibus deductis,machinæ ad oppugnationem fuerunt diſpoſitæ: Turcæ arcẽ defendebant, qui diſiecto primo muro incolumitatem hominum & bonorum pacti,deditionẽ fecerunt.arx Caramaniæ principi,qui cũ exercitu noſtris ſe cõiũxerat,reſtituta fuit.Inde Silephicam diſceſſi, quibuſdam Caramani copiis comitatus:hæc celebris quondã vrbs Seleucia dicta,à Turcis tenebatur. Præſidiariis nuntiaui,vt deditionem ſponte faciant,liberũ & tutum abitũ illis cum bonis omnibus conceſſum iri,quod ſi obſidionem expectare velint,futurum,vt nullus illorũ periculũ mortis euadat.Reſponderunt hinc vt diſcederem, ſe cras cũ Caramanno acturos,q; & factũ,nã per legatos deditionẽ & incolumitatẽ hominum & bonorũ pacti ſunt, ceſſitq; vrbs Caramaniæ principi.His geſtis Imper. claſſis Venetæ Cyprũ rediit, ꝓpe Famaguſtã in ſtatione permanẽs,vt adminiſtrationi hui⁹ inſulæ p̃eſſet.Nãq; rex Iacob⁹ nõ ita pridẽ,cũ in Cilicia moraremur vita functus erat:cũ q̃ neceſſaria videbãtur,diſpoſuiſſet,Ægeũ mare repetiit: Sed in portu Famaguſtæ:(q̃ Salamis quondã)cũ trib.triremib.minorib.& duab.maioribus copiiſq; à Veneta Rep.mihi deſignatis ſubſtiti. Appulerũt interim duę triremes à Ferdinã. rege miſſę.his vehebatur Nicoſię Epiſc.regiſq; legat⁹:q defũcti regis filiã naturalẽ,in matrimoniũ pro Ferdinãdo petebat. His reb. intẽti,nocte quadã maximo cãpanarũ ſonitu ad arma cõclamarũt,Epiſc.cũ ſuis ſequacib.in forũ vrbis deſcendit,vrbẽq; occupauit:Inde Cerauniã,q̃ Cerines hodie,& fere vniuerſam inſulã in ſuã poteſtatẽ redegit.Intellexerat Venetorũ Imp.duas naues (galeras)Neapoli cũ Epiſc.Nicoſiano ſoluiſſe,& ortũ verſus curſũ direxiſſe,ſuſpicatus q; res erat,in Cyprũ illos tẽdere, Victorẽ Sorantiũ p̃fectũ, cũ decẽ triremib. minorib.eodẽ miſit;illuc delatus,poſt multa colloq a,cũ Epiſc.eiuſq; aſſeclis habita,

tandem

tandem obtinuit vt vrbem & quæ occupauerat amplius, reſtitueret, indeq; diſcederet, quod mox effectum fuit. Ferdinandi legatus Neapolim rediit. Pontificis vero Famaguſtæ permanſit. Aderat mihi continuo Aſambei legatus qui mecum eadem via domum redire cupiebat: Vnam tantum triremem mediocrẽ ad iter inſtans curaui, ambas illas maiores, quibus machinæ & munera, quorum ſupra memini vehebantur in Creta inſula ſubſiſtere iuſſi: pars ibi permanſit, pars Venetias reducta: copias mihi adiũctas ad tuendam Cypri inſulam reliqui. Nos Corycum reuerſi; huius loci deſcriptionem apponere lubet. Sita eſt Coryci vrbs ad maris littus, verſus occaſum, rupes eſt eminens, tertiam partem milliarii in circuitu habens; quondam ibi caſtrum erat, quod magnificum & ſatis munitũ fuiſſe, pars eius quę ſupererant, & ipſę ruinę declarabãt, ad portas regias inſcriptiones videbantur pulcherrimorũ characterum non abſimilium iis, quibus Armeni vti conſueuerunt, ſed diſcrepabant tamen ab iis quibus nunc vtuntur, ſiquidem Armenii qui me comitabantur eos dignoſcere nequibant. Caſtrum hoc deſtructum ab vrbe Coryco, portum verſus, iaculatu arcus diſtat. pars vrbis in ſaxo foſſa munito poſita: pars ad littus maris tendit vbi murus eſt fortiſſimus, etiam contra machinarum impetũ munitus. Ipſum caſtrum alium collem & muros atq; turres fortiſſimas habet, eius ambitus duas tertias milliarii efficit. Legũtur ad duas eius portas inſcriptiones quædam Armeniis litteris inſignitæ. Quælibet huius caſtri pars propriam ciſternã habet, aqua dulci plenã, præter eas quatuor aliæ ſunt publicæ, in quibus tanta aquarum copia, vt cuiuis magnæ vrbi ſufficeret. Vbi portam, quæ orientem reſpicit egreſſus fueris in illa via non procul ab arce, Arcus marmorei, ex vno lapide cæſi (quorũ pars magna concidit) viſuntur, ex ruinę ab vtraq; parte viæ ad quoddã vſq; templũ pertingunt, quod medio milliari diſtat, magnũ & multis columnis aliiſq; egregiis ædificiis ornatũ quondã fuiſſe apparet. Loca circumuicina arci montuoſa & ſaxoſa ſunt, cuiuſmodi Iſtria noſtra habet, incolæ Caramanię principi parent. Terra fertilis eſt frumenti, Goſſypii, omniſq; perfectiſſimorum fructuum generis: boũ & equorum magnã copiã alit. Aere temperato gaudet. hic tum temporis regionis ſtatus erat, nunc immutatum credimus ob crebras Turcarum irruptiones ac deuaſtationes. Ad maris littus duo caſtra ſunt munitiſſima, quorũ alterũ Sigi in monte ſitũ, ſupra à nobis deſcriptũ fuit, alterũ vero ad 6. milliaria ab hoc remotũ marinis aquis alluitur ſatiſq; munitũ eſt. Corycum 10. milliaribus diſtat Seleucia vel Seleucha, ad eam plagã quæ Occidentẽ & Septentrionẽ reſpicit, fluuius vrbẽ alluit, qui prope Corycum in mare ſe exonerat, magnitudine Medoaco noſtro ſimilis. Ad montẽ vicinum theatrũ eſt cuius forma Veronenſe refert, egregiæ magnitudinis Orcheſtris & columnis vnius lapidis condecoratũ. Idẽ mons amplius aſcendẽdo arcuũ & porticum rudera monſtrat, quidã ipſi monti inciſi, alii ſeparati, vrbis mœnia in ſummitate montis poſita, portis ferreis abſq; vllo ligno conſtructis clauduntur, turres habent ab vtraq; parte, 15. pedum altæ, 7. vero latæ, eleganter ſunt elaboratæ tanquam ex argento eſſent. Murus terra duriſſima tegitur, quæ tamen firma hæret, vt per eam in mœnia aſcendi nequeat, hæc vnũ milliare in circuitu habẽt, terra vero adiacens tria complectitur. quo ſpatio Caſtrum Seleuciæ propugnaculis & turrib. munitũ cernitur. Vterq; murus 30. paſſuũ interuallo diſtinguitur. Caſtrũ ſpatioſam cellã habet, in ipſa rupe concauatã, ibi ligna ad bellicos apparatus præparata aſſeruabantur. Ciſterna ſemper aquę copia abundat. Vrbs hęc Armeniæ minori adſcribitur, quæ ad Taurum vſq; montẽ ſeſe extendit, vulgo Corcheſtan dicitur. Hic aliquandiu quieſcere libuit, poſtea ad inſtitutũ iter in Perſiã nos accinximus. Variæ patẽt viæ. Nos illã ſecuti, quæ mari eſt vicinior, Tharſum vrbẽ egregiã appulim'. ea Dulgadoro paret, qui fratrẽ habuit Seſſicarũ nomine. Regio vero Sultani imperio ſubiecta eſt, licet Armeniæ minoris pars ſit. Vrbs 3. millia in circuitu cõtinet, in eã pons lapideus per fluuiũ, quo fere vndiquaq; cingitur, aditũ præbet. Arcẽ habet amplã ex lapide egregie conſtructã, vrbs in colle parum alto poſita. Inde vnius diei itinere Adena eſt, ampliſſima vrbs, quã æque fluuius alluit ſpatioſus, pontẽ lapideũ 40. paſſuũ habẽs arcubus diſtinctũ. In hoc

ponte ſpectaculum nobis ridiculum Suffi (quos peregrinos vocaremus) ediderunt, namq; ſubito delirantium in modum ſaltare cœperunt, vnus cantu præibat, Diuina quædam & Mahumetis beatitudinem prædicans, ad cuius vocem vel lente vel celeriter prolatam reliqui ſaltationes ſuas accommodabant: vix per quadrantem horæ durauerant choreæ, cum nonnulli nimium ſaliendo fere exanimes in terram mortuis ſimiles conciderunt, quos incolæ qui frequentes aderant, in vicina domicilia deferebant. Hoc ſpectaculum in ipſo itinere ſæpius iterarunt, quaſi religione quadam ad id tenerentur. Adena & vicina regio goſſypino abundat, Sultano ſubiecta eſt, licet in Armenia minori ſita ſit. Multæ paſſim arces, oppidaq; deſtructa ac deuaſtata ad Euphratis vſq; ripas cernuntur, hunc fluuium naue Turcica, qua 16. Imperatoris equi vehebantur tranſiuimus. Crebra ibi viſuntur antra atq; cauernæ, quæ vrgentibus tempeſtatibus, receptum peregrinantibus præbent. Ad alteram ripam Armeniorum pagi ſunt, vbi pernoctauimus: ſuperato fluuio proxima vrbs ſeſe obtulit Orpha nomine, quam Edeſſam quondam vocatam volunt, Aſanibeo paret, à Valibecho eius fratre adminiſtratur. Non ita pridem inprimis floruit, ſed deſtructa maiori ex parte à Turcis fiet, cũ Aſambeus Bithia, quæ Bir dicitur, obſidione diſtineretur, præfectus, qui ob diruta propugnacula arcis & vrbis non abſq; periculo & timore ibi viuit: conſpectis literis humaniter me excepit. Inde ad radices montium delati, Merdinam vrbem peruenimus, ad quam aditus per ſcalas patet, cuius gradus lapidi inciſi magnitudine pedium 1 v. per milliare Italicum ſeſe extendunt. In ſummitate porta eſt, qua per longam plateam in vrbem itur, mons vndiq; fontibus aquę dulcis eſt irriguus, in ipſa vrbe alius eſt mons circũciſus arcis firmiſſime vicem gerit, in quem ſimiliter per ſcalas & gradus aditus patet, ædium parietes pro muro ſunt, non deeſt incolarum frequentia, ſericũ & goſſypium magna copia paratur. Turcæ vt huius vrbis, quæ Aſambeo paret, altitudinẽ prædicent, affirmant, nunquam anẽ volare ſuper eam cerni. In hoſpitio quodã diuerti, quod Ziangirbeius Aſambei frater ædificauit, qui ibidẽ hoſpitãtur, gratis cibus ſubminiſtratur ijs, qui tamen digni videntur; vrbem Aſamheph nomine attigimus, ſed prius ad dextram frequenter ſpecus & antra in paruo quodam monte excauata, & habitationi hominũ deſtinata viſuntur, ad ſiniſtram mons eſt, cui vrbs impoſita, ad cuius radices æque, vt in priori illo, ſpeluncæ ſunt, incolarũ frequentia & altitudine viarum, quæ hinc inde per montẽ ducunt. Vrbs hæc non incelebre eſt mercatorũ emporium, qui vt plurimum goſſypio negotiantur, milliare vnum & medium cum ſuburbio in circuitu complectitur, in hac multa egregia ędificia & nonnullæ Moſcheæ reperiũtur. Fluuius profundus, & lacus præterfluit, qui pontẽ è ligno ſtructum habet. hoc monte ſuperato, iter per planiciem collibus mediocribus diſtinctã patet, inde duorũ dierũ itinere, verſus orientẽ eundo, vrbem Sair in conſpectu habuimus, quæ triangulari forma cõſtructa, ab vno latere arce multis turrib. munita, defenditur, tria milliaria cõplectitur, quõdã floruiſſe etiã nunc apparet, magna ibi incolarũ copia pulchraq; ædificia & tẽpla, nulli fontes perennes, duo veloces & magni fluuii trãſeundi ſunt, alter Bettalis alter Iſan vocatur, vterq; pontem habet lapideum, ex vno arcu conſtructum, ſub quibus facile lintres erecto malo penetrare poſſent. Huc vſq; Armenia minor ſeſe extẽdit, nec alti montes, nec dẽſæ ſyluæ, nec domicilia, præter conſuetũ morem ædificata, vidẽtur. Pagi crebriores vndiq;, ex agricultura incolæ viuunt vt noſtri ruſtici, frumenti, fructuũ, goſſypii, equorũ & boum copia abũdant. Ibi capræ reperiũtur, quas annuatim tondent, è quarũ lana illa veſtimenti materia, quã Cambellot vocant, paratur, magna cura aſſeruãtur & lauantur ſæpiſſime, vt puræ ſint & mũdæ. Nunc regiones quæ Tauro monti ſubiacẽt nobis intrandæ erant, hic mons à ponto Euxino prope Trapezuntẽ exoritur & verſus orientẽ ſeſe extendẽs ad ſinũ Perſicũ terminatur, in primo ingreſſu altiſſimi & aſperrimi montes ſunt, cuius incolæ, Corbi dicti, plane diuerſo à vicinis vtũtur: crudeliſſimi ſunt & vnica latrocinii laude clari. Caſtra hinc inde rupibus impoſita incolunt, è quibus diligẽtiſſime peregrinantes ſpeculãtur, quorũ vix quiſquam manus eorũ effugit, quin ſpolietur.

ſpolietur. Eius rei ipſe teſtimonium ferre poſſum. Namq; 4. Aprilis die, anni 1474. cum ex vrbe Cheſan (cuius dominus Aſambeo comiter paret) mane digreſſi eſſemus, & vix medii diei iter confeciſſemus, in præcipiti quodam monte impetum Corbi illi in nos fecerunt, quo legatus Aſambei, qui me comitabatur, & Cancellarius meus, duoq; alii occiſi, ego & reliqui noſtri ſocii grauiter vulnerati fuimus: ſed tamen equo non eram turbatus, commodius fugam ſolus arripui, poſtea vero omnes ſocii itineris ſuperſtites conuenimus, duce itineris (quem Califfo vocant) vſi tertia die in vrbem Vaſtan delati; hæc deuaſtata eſt & male culta, vltra 300. focos non habet. Inde bidui itinere diſtat Choy, non minus quam ſuperior ruinata, 400. ædes habet, incolæ mechanicas artes & agriculturam exercent. Cum circa vltimas Tauri partes hærerem, à reliquis ſociis & duce itineris (ſeu Califfo) ſecedere conſtitui. aſſumpto igitur quodam ipſius ſocio, qui viam monſtraret, tertia die Taurin ſeu Ecbatanam attigi: In via in Turcimannos & Cordos forte incidimus, qui, quo pergeremus? ſciſcitabantur. Reſpondi ad Aſambeum me tendere, atq; literas ad eum deferre; has illi inſpicere volebant, quod cum fieri poſſe negarem, quidam alapam mihi inflixit grauiſſimam; nec interpres meus immunis fuit à verberibus, & fere omnes duriter ab illis fuimus tractati. Taurim ſeu Ecbatanam cum perueniſſemus, in hoſpitio (quod Cauoſtra vocant) diuertimus, Aſambeum de aduentu meo certiorem feci, qui ſequenti die mane in aulam me accerſiuit, ſane miſere eram indutus, & cuncta mea veſtimenta vix vnum atque alterum ducatum valebant. Gratus Regi fuit aduentus meus, benigneque me excepit, iam ſe certiorem redditum dicebat de morte legati ſui duorumque reliquorum, atq; latrocinio quod fueram perpeſſus: daturum ſe operam ſpondebat, vt de damno illato omnibus abũde ſatisfiat. Obtuli literas publicas, quas ſemper in thorace reconditas habueram. Iuſſus fui eas legere, quod alius non eſſet, qui eas intelligeret. Interpres earum ſenſum Regi exponebat, quo intellecto, dixit conſiliario quodam ſuo, vt ordine recitarem ſingula, quæ amiſeram, conſignataque illi traderem, & ſi quid aliud vellem, ei exponerem: quo facto, domum mihi deſtinatam vt repeterem, cumq; vocarer, ſubito comparerem. Aula regia in hunc fere modum comparata erat, per portam quandam in cubiculum veniebatur, quadratum 4. vel 5. paſſus longum æque atque latum, ibi primi aulæ miniſtri 8. vel 10. ſeruiebant. Ad aliam portam quidam ianitor baculum manu tenens ſtabat, hæc in hortum ducebat ſeu pratum trifolio mire fragrans, ad dextram ſilicibus ſtratum, inde ad paſſus 30. per ſex gradus in cubiculum noſtro more concameratum aſcenditur. In cuius medio fons erat ſemper aqua plenus, ad læuam ſedebat Aſſambeus ſuper puluinari acu m picto, aliud à tergo habebat, cui ſe inclinabat. ad latus ancile & Perſicus gladius ſeu Acinaces iacebat; cubiculum hoc vndiq; tapetibus erat conſtratum, ibiq; primarii aulici ſedebant. Pauimentum atq; parietes opere muſacio (maiori quam nos ſolemus) ornatum erat. Primo die quo in aula comparui, cantatores quidam & muſici aderant, qui cithara, teſtudine, cimbalis & fiſtula ſuaui concentu ludebant. Sequenti die bina veſtimenta ſerica, Perſico more confecta, tum linteolum ſericum, quo cinguntur, & goſſypinum minutum, quo tegmenti vice vtuntur cum ducatis 20. mihi miſit, mandauitq; vt in forũ, quod Maidan illis dicitur, venirem, & feſto quod Tafaruccio vocant, intereſſem. Eques illuc properaui, reperiq; ad 3000. equitum, & bis totidem peditum, qui ſpectatum venerant. Regis filii in feneſtra quadam adſtabant. Adducti fuerunt lupi quidam feri, qui vno pede fune alligati erant, in medio foro ſiſtebãtur omnes: proſiluit quidã huic ſpectaculo aſſuetus, qui ſublata manu lupum irritabat, contra hunc lupus inſurgebat, & qua parte gula hominis eſt, cum offendere conabatur, ſed fruſtra: hic enim inſultus eius dextre euitare ſciebat, & non niſi in caligas impingebat lupus, vbi ita munitus erat irritator, vt dentium morſu lædi nequiret. Equi hoc ſpectaculo efferati ſeſſores præcipitabant, quidam in terram, alii in aquam, quæ vrbe irrigat, cadebant: vno lupo defatigato, producebatur ad irritandum alius. Hoc ſpectaculo, quod ſingulis diebus Veneris edi conſueue-

rat, finito. In aulam fui deductus, iuſſusq; cum aliis ſedere humi (vt orientales populi in more poſitum haberent) in loco honeſto, mantilia ſupra tapeta fuerunt ſtrata, & vnicuiq; noſtrum pelluuium argenteum vino plenum, aliudq; aqua refertum cum poculo argenteo fuit appoſitum. Durante hoc conuiuio animalia quædam in medium fuerunt producta, ab Indo quodam Principe Aſſambeo dono miſſa: primum Leonza (vel Leæna) catena ferrea alligata, cuius magiſter qui eam domuerat, lingua Indica Babureth vocabatur: ieænæ non eſt abſimilis, ſed crines habet rubicundos, nigris maculis cõſperſos: qui & albi & nigri in vultu quoq; rubro conſpiciuntur, ventrem album, & caudam leoninæ ſimilẽ gerit, natura eſſe feraciſſima ſatis apparet. Hoc animal leo ſequebatur, proximeq; leõzæ ſiſtebatur, quem vbi adeſſe hæc ſenſit, ſubito inſilire parata, niſi magiſter vi eã longius retraxiſſet. Præterea duo elephanti, qui cum in cõſpectum Aſſambei veniſſent, ad certa quædam verba quæ ductor ipſorum pronũciauerat, recta ipſum intuebantur, & grauitate quadam non indecenti caput inclinabãt, reuerentiã illi exhibere ſimulantes. Horum maior ad arborem, quæ forte in horto erat, craſſitudine viri, deductus, ad alia verba ſui ductoris, caput ab vtraque parte contra eum illidit, conquaſſauitque tam diu donec illam euertit. Poſtea Camelopardalis ſeu Giraffa in medium fuit adducta, quod animal pedum altitudine equum ſuperat, ſed poſteriores pedes anterioribus breuiores ſunt, vngulas ſciſſas vt bos habet, crines colore puniceo, vndique maculis nigris magnis atque minutis conſperſa eſt. Venter albus eſt, crines longi: cauda varietate capillorum aſininæ ſimilis, cornua exigua hinnulorum inſtar gerit, lingua eius brochii altitudine acuta eſt vt ſerpentis, qua & herbas & ramos tanta celeritate deuorat, vt vix inglutire ſentiatur. Caput ceruino non abſimile, elegantius tamen eſt, quo ſublato quindecim pedum altitudinem refert. pectus tamen latius quam equus, & dorſum anguſtius inſtar aſini habet. ſane pulcherrimum animal eſt, ſed ad onera ferenda minus aptum. Tunc tria columbarum paria in tribus diuerſis columbariis afferebantur, nigris albisque pennis inſignita, quę præterquam quod collum longius anſeris ſimilitudine habebant, à noſtratibus nihil differebant. Inde conĳcere licuit, magnam harum auium in hiſce regionibus penuriam eſſe. aliter enim adductæ non fuiſſent. Tandem tres Pſittaci inſignis magnitudinis diuerſorum colorum, & duo mures odorati, qui Zybethum conficiunt, allati fuerunt. His ordine viſis, digreſſus illinc in aliud cubiculum ad conuiuium accubui, quo abſoluto, is qui curam legatorum habebat, veniam mihi diſcedendi dedit. vix domum perueneram, cum alius à Rege miſſus, accurrit, meq; in aulam acceſſit, vt comparui, Rex cur diſceſſiſſem quærit; veniam mihi abeundi à legatorum præfecto datam fuiſſe, reſpondi. Tunc ira percitus, præfectum illum coram ſe vinciri & verberari iuſſit, tandem octauo elapſo die me intercedente, in gratiam fuit reſtitutus. Sequenti die, quam hic plagas tulit, ſummo mane vocatus in aulam, conſueto loco honoratus fui, isq; dies feſtus erat, quo propter legatos Indicos plura ſpectacula edita, & triumphi celebrati fuerunt. Aulici veſtimentis Attalicis, ſericis, & Cambellotinis variorum colorum induti erant. In cubiculo regio circa 40. circumſtabant honoratiſſimi, in atrio vero circa 100. exterius vero ad ducẽtos, inter portas vtraſq; ad 50. In proxima planicie ad 20000. qui omnes epulum operiebantur. Inter hos ad 4000. equitum erant. Aduenerunt quoque Indici legati, qui proxime Regi accubuerunt: allataq; fuerunt horum munera, & in conſpectu Regis & aulicorum circumgeſta. Primum animalia ſuperius dicta: tunc 100. viri vnus poſt alterum ſecuti ſunt, quilibet quinq; linteamina tenuiſſima goſſypina geſtabat, quo tegminis vice vti ſolent, vnumquodq; quinq; vel ſex ducatorum pretio veniebat. Tertio ſex viri totidẽ pannos ſericos ferebãt. Quarto nouem alii pocula argentea manibus tenebant, iisq; pretioſæ gemmæ (equos poſtea deſcribam) continebantur. Quinto loco fuerunt quidam crateres, & paropſides, & pocula porcellana dicta, geſtantes. Sexto lignum aloes & ſandalum portabatur. Vltimo loco 25. colles ſeu pyramides ex aromatibus conſtructæ, ſequebantur, perticis & funibus alligati: quilibet à quatuor viris ferebantur. His

omnibus

omnibus perluſtratis, cuilibet eorũ epulum fuit datũ. Quo finito Rex Indos rogauit, nũ quis alius apud illos Princeps eſſet Moſulmanus, ſeu qui ſectam Mahometi coleret. Duos adhuc exiſtere reſponderũt, reliquos omnes Chriſtianos eſſe affirmabãt. Poſtero die Aſſambeus genialiter me excipere, & gẽmas dono ſibi miſſas monſtrare cupiens, in aulam me vocauit. Principio digitale arcus ex auro confectũ, pyropo magno, caratt. 11. duobusq; adamantibus ornatũ, in manus tradidit: anulos quoq; aureos duos, quibus pyropi ſinguli incluſi continebantur caratt. 4. vniones plurimæ caratt. 5. Adamas mucronis formã gerens, caratt. 20. duo capita auium, quas in itinere mortuas dicebãt, forma & pennis à noſtratibus lõge differebant. Hæc, inquit Rex, dona Princeps quiſpiã vltra Perſicum ſinũ habitans obtulit, tibi autem ad me conuerſus, quid videatur, dicito: Reſpondi, pretioſiſſima & exquiſita hęc munera eſſe, non tamen eiuſmodi, quin ille longe pretioſiora mereatur. Ad hæc etiam meos tibi quoſdã monſtrabo theſauros, ſtatimque iuſſit afferri volumen ſerici figurati, mihiq; in manus tradi. Ego ſtrophium capiens, eo volebam apprehẽdere, ne manu contingerem. Quo viſo in me intuens, & ad ſuos conuerſus, ſubridens eis dixit, En homines Italos: quaſi meum illud factum laudans. Alia vice in cubiculo quodam ſub tentorio quieſcentem Regem comperi, isq; ſubito, quid cenſes, inquit, de hoc cubiculo, veſtrane hunc quoq; in modum ſunt parata. Reſpondi, noſtra ædificia huic plane eſſe imparia, nec mirum, cum ipſius potentia noſtrã longe ſuperet, nec etiam noſtri homines huiuſmodi contignationum genere vtuntur, nihil ſane ad ornandum hoc cubiculum deſiderari poterat, forma erat quadrangularia. Vndiquaq; tapetis ſericis & auleis pulcherrimis ornatum: eius porta ex ligno Sandalico confecta, aureis laminis, vnionumq; reticulis elaborata. Iuſſit me Aſſambeus Rex aſſidere reliquis aulicis, ibiq; in linteolo balanitas 12. oliuarum magnitudinem habẽtes, præſtantiſſimi coloris produxit, ex gemmæ carattos 50. vel 60. ſingulæ ponderabant, ſed aliam addidit reliquis forma & magnitudine præſtãtiorem, vtpote quæ duarum vnciarum & mediæ pondo excedebat: quæſiuit igitur Rex, quo pretio æſtimarem eam gemmam? Subriſi. Ipſeq; viciſſim & quid ſentirem rogando inſtitit. Reſpõdi, ſimilem balanitam nunquam meis oculis ſubiectam fuiſſe, nec vſquam parem reperiri me certo credere: quod ſi pretium dicerem, balanitesq; loqui poſſet, interrogaretque, num ſimilem vidiſſem, cogerer, quod res eſt, fateri. Quare puto gemmam hanc nullo auro, ſed maxima quadam vrbe perſolui poſſe. Tunc Rex me intuitus, in hæc verba Cataini, Cataini, prorupit: tres ſcilicet mundus oculos habet, duos Cataini, vnum Franci (Europæos intelligens) poſſident. Conuerſus ad adſtantes quæ interrogauerat, quodq; à me reſponſum tuliſſet, ordine narrauit. Hæc verba Cataini, Cataini, à quodam legato Imperatoris Tartarorum antea inaudiuerat. Is è Cathaia (quæ Scythia eſt) Anno 1436. redierat, iterq; quod Tanaim ducit, ſecutus, hoſpitio à me fuerat acceptus, ſperabam enim gemmam quandam ab eo pro præſtito officio accipere. forte quadam die de Cathaia ſermo incidit, tum ille duces eius regionis & aulicos Francorum ſeu Europæorum notitiam habere, aſſeruit, quod qua ratione fieri poſſet, eum interrogarem: Theodoſiam ſæpius eos contendere, mercimoniaque exercere, viciſſim noſtrates in Tartariam proficiſci, vnde mutua illa cognitio oriatur, reſpondit. Addidit Catainos duos oculos Francos vnum habere: mox conuerſus ad Tartaros, qui forte adſtabãt, ſubridẽs, vos vero nullũ habetis, dixit. Hæc cũ antea mihi nota eſſent, nunc quid ſibi vellet Regis prouerbium, quo vtebatur, rectius intelligere potui. Mox pyropum, qui Rubinus vulgo dicitur, videndum accepi, is magnitudinẽ caſtaneæ rotundæ ſimilis, vnciam vnam cum ſemiſſi excedebat, coloris nitore & ſplendore mire præſtabat. Monſtrabãtur quoq; balanitæ, pondere & colore præſtantes: Veſtium ſericatum Attalicarumq; magna copia edita, eas in Parthia confectas Rex aſſerebat. Nec nõ etiam tapeta, ſerico filo elaborata. Poſtridie cum more ſolito in tentorio ipſius comparuiſſem, nummum argenteum mihi mõſtrauit, qui magnitudine Marcellino vulgari & notæ monetæ ſimilis erat: fœminę non inelegantem faciem inſculptam habebat, eius capillum

nodum à tergo flexit, ſerto tempora cingebantur. Intuere, inquit, nonne hæc facies ſimilis eſt D. Mariæ virginis. Id cum ita ſe habere negarem: & cuius nam hunc, inquit, auguraris eſſe vultum. Antiquam, reſpondi, Ethnicorum deam repræſentat, quod inde patet, ſiquidem ante natum Chriſtum ſculptura hæc facta apparet. Protulit eodem momento Rex adamantes tres, præcipuus carattos 30. ponderabat, reliqui caratt. 12. excedebant, vndiquaque puriſſimi, in mucronis formam inciſi. Reſpondit quoque margaritas & vniones plurimas, pretii inæſtimabilis, & raræ pulchritudinis. Hæc omnia in feſto, quo duo ipſius filii circumciſi fuerant videre & perluſtrare contigit. Sequenti die in campo ſpacioſo, qui in ipſa vrbe eſt, Regem offendi. Is campus frumento ſatus fuerat, ſed feſtorum celebrandorum cauſſa ſeges priuſquam matureſceret protecta, pretiumque poſſeſſori pro damno allato numeratum, eo tempore plurima tentoria, ad 100. niſi fallor, ibi directa erant: Iuſſit ea mihi monſtrarier Rex, vidiq; ad 40. circiter, quę omnium erant pulcherrima, diſtincta habebant cubicula, variis coloribus ornata, pauimentum, tapeta tecta. Vidi quoq; tentoria duo, vbi varia veſtimenta Perſica, panniq; in vnum aceruum congeſti, aſſeruabantur. Ab alia parte ephippia 40. repoſita erant, argento exornata, ea in die feſti, Rex inter ſuos aulicos muneris loco diſtribuere conſtituerat. Duæ inſuper portæ pedum ſex altitudine ex ligno Sandalico confectæ, auro & margaritis ornatæ monſtrabantur. Altera die in ſolito loco eum ſedentem reperi; octo illi magnæ paropſides ligneæ, in quarum vnaquaque panis ex ſaccharo confectus, octo librarum pondo, aliaque bellaria, fructusque omnis generis erant, oblatæ fuerunt. Diſpoſuit cui ordine tradentur hæc omnia, inter quos primum locum ego obtinui, reliqua aliis proceribus fuerunt diſtributa. Poſtridie in comitatu 15. fere millium, eum ſedentem reperi, 6. coram ipſo ſtabant, eiusque mandata excipiebant. Imperabat vt certis quibuſdam viris, quos nominabat, munera diſtribuerent. Illi in tentorium, vbi hæc recondita erant, deducti, alii veſtimenta, alii equos, (40. diſtributos opinor) alii ephippia accipiebant. Veſte inter alios & ego donatus fui, his peractis fœminæ quædam aduenerunt, quæ choreas ducebant, ſimulq; cantus ad tibiarum ſonitum modulabantur. Ad ſaltationes iuſſu Regis aſſidentes aulici perrexerunt prouocati, & vt quiſque ſaltauerat optime, præmiumq; meritus videbatur vel equum vel pannos vngulatos, Damaſcenos, goſſypinos vel ſericos accipiebat, horum pannorum 300. fuerunt diſtributi, equorum circiter 50. durauerunt hæ choreæ ad horam vſq; 23. diei. Præterea Athletarum ſpectaculum editum fuit: duo plane nudi, pudenda ſolummodo tecta habentes Regi ſeſe ſiſtebant. a quo luctandi venia accepta, non eo adnitebantur, vt aduerſarium quiſq; ſuum in terram proſtraret, ſed potius vt comprehenſum dorſo prius ſubleuaret, rurſusq; ita deiiceret, vt in dorſum ipſe caderet. Multi ſtudio ſe ſubleuari patiebantur, vt inter cadendum inſidias ſtruerent aduerſario, eumq; valde inclinato capite ſubuerterent, hacq; ratione ſuperiores exiſterent. forte penes Regem adſtabat quidam athleta immani corpore & virium robore gigantem referens, 30. circiter annos natus, cui Rex imperauit, vt luctæ ſibi ſocium ſeligeret, & in palæſtram deſcenderet. Ille vero ad pedes Regis deuolutus rogauit, ne luctandi neceſſitatem ſibi imponeret, quod nō pauci qui cum eo antea fuerant congreſſi, ad mortem vſq; fuiſſent ab eo exagitati, tandemq; ſuppreſſi, quo cognito, Rex ei veniam à certamine quieſcendi largitus eſt. durauit hoc ſpectaculum vſq; ad ſecundam horam noctis. Interim in vrbe varii ornamentorum apparatus fiebant, & merces ſuas paſſim mercatores expoſuerant. Sed qui ſtadium currebant, pedites propoſitum habebant præmium. eratq; Italicum miliare vnum cum medio conficiendum, non currebant tamen continuo, ſed ſucculſim nonnunquam incedebant. Ipſi nudi erant, totoq; corpore vnguento illiti, quo nerui confirmarentur, corio pudenda tegebant. Vbi quis alios præuerterat, metamq; reliquis citius attigerat, ſignum in altum ferebatur, vt qui ſequebantur, ea de re certiores redderentur. Idem fiebat cum ſecundum & reliquos terminos attigiſſet, qui ſæpius hoc ſpacium iteratus fuerat, victor coronabatur, & brabæa ornabatur. Hi curſores Regi

ſunt

ſunt à pedibus, fere nudi ſemper incedunt, indefeſſi per decimum diem curſum continuare valẽt. His ſpectaculis peractis, peregre Rex cum aula pro more gentis proficiſci conſtituit: num eum comitari, vel domi manere, atq; otio frui vellem, quæſiuit. Reſpondi, me paratum, & cum ſumma moleſtia aulam ſequi, gratum illi hoc reſponſum fuit, iuſſitq; ſtatim equum & tentorium mihi conſignari, & pecuniam numerari. Vrbe relicta primum ea loca petiit, vbi herbam creſcere optimam, & aquę copiam reperiri intellexerat, diebus ſingulis 10. vel 15. milliaria conficiebat. Tres filios ſecum ducebat. Alius qui Babyloniæ morabatur, cũ matre eum ſalutãdi cauſſa in caſtra peruenit, patriq; 20. equos pulcherrimos, 10. camelos, pannosq; ſericos donauit. Eadẽ liberalitate proceres & barones, qui cum filio venerant, erga Regem vſi ſunt. Non tamẽ munera hæc retinuit, ſed me præſente aliis pro libitu diſtribuit. Tunc cibi fuerunt appoſiti, quibus cum nos reficere.mus, noua adferuntur, Ogarlumahemetem Aſſambei filium Perſæpolim, quæ Syros dicitur, occupaſſe, ſibiq; eam vrbem partemq; regni vindicaſſe, quod falſis quibuſdã rumoribus de Regis morte temere credidiſſet. His cognitis Rex cum vniuerſis copiis Perſæpolim verſus, quæ 120. milliaribus diſtabat, iter arripuit. Magna vſus eſt feſtinatione vno die parteq; noctis 40. milliaria confecit, tertioq; die ad vrbem peruenit. Rem incredibilem narrare videbor, nam qua ratione fieri poſſit, vt tanta hominum copia, viri, fœminę, pueri & infantes in cunis tam longinquum iter adeo breui tempore faciant, vix apparet. Et recte ſeruatis ordinibus incedebant, impedimenta omnia animalia geſtabant, nec panis, nec vini penuria laborabant, carne & fructibus aliisq; rebus neceſſariis abundabant. Hæc re vera ita contigiſſe oculatus teſtis bona fide aſſeuerare audeo. Magnates & proceres, qui Regem comitantur, vxores ſecum & liberos, ſeruosq; atq; ancillas, magno numero, partemque facultatum ſecum ducunt, ad hæc omnia comportanda magna camelorum, mulorum, & equorum copiam alunt. Infantes cum nutricibus muli gerũt, vxores equis incedunt, ordine ſimul præmiſſis mancipiis, caput obnubunt tela minutiſſima, ne ſolis ardore lædantur. viri Regi adſiſtunt. Tanta autem proficiſcentium copia eſt, vt à primis ad nouiſſimos medii diei iter interſit. Luſtratio huius multitudinis in hunc fere modum inſtituta fuit. planiciem ſpacioſam quandam occupauit certus equitum numerus, quorum alii armati, alii inermes erant, ibi à ſummo mane ad 24. diei horam conſiſtebant, interim qui luſtrationi habendæ conſtitutus erat, hinc inde obequitabat, nec nomina tamen, nec equorum colores vel inſignia deſignabat, ſolummodo qui duces eſſent, quibus parebant cohortes ſingulæ, & quo numero armatorũ præſtarent, exquirebat. Hunc comitatus ſum cum quodam famulo, & numeraui fabarum calculis, quæ vidi ordine omnia, eaq; conſignata, qua fieri potuit diligentia referre libuit. Tentoria 6000. erant. Cameli 30000. Muli ad onera ferenda 5000. Equi ad onera ferenda 5000. Aſini 2000. Equi bellatores 20000. Inter hos 2000. circiter laminis ferreis auro atque argento pictis, tecti erant. Alii coperti erant corio, alii ſerico, eo artificio & in hunc vſum parato, vt ſagittæ penetrare nequirent. Eodem modo horum ſeſſores muniti & tecti erant. Conficiuntur laminæ illæ ferreæ in vrbe Beſchone Perſis, noſtris vero quinque vrbes, vocatur, duo milliaria in circuitu habet, in monte ſita; Non alius ibi reperitur incola præter horum armorum artifices; quod ſi quis peregrinus diſcere hoc artificium velit, facile eum admittunt, hac lege, ne vnquam vrbem deſerat, aliove habitatum migret. Parantur quoq; aliis in locis, ſed non ea copia neq; præſtantia. Præter ſupra ſcripta animalia in exercitu numerabantur, muli præſtantiores 2000. Agmen pecudum & paruorum animalium circiter 20000. Armentum animalium maiorum 2000. Leopardi ad venationem aſſueti 100. Falcones 200. Canes leporarii 3000. Canes odori 1000. Accipitres 50. Milites gladio cincti 15000. Serui & mancipia cum gladio 2000. & cum arcu 1000. Equitum ſumma 25000. excedit. Fœminæ præſtantiores & honeſtiores 10000. Ancillæ 5000. Pueri atq; puellæ qui 12. annũ attigerãt 6000. Pueri atq; puellæ adultiores 5000. In hoc numero hominũ lãceati cõſpiciebãtur circiter 1000. Peltati 5000. Sagittarii 12000.

mah

Reliqui diuerſis armorum generibus vtebantur. Mechanici atq; artifices in certas tribus erant diuiſi, ſartores, ſutores, fabri, ephippiarii, quiq; ſagittas conficiũt, aliiq; maxima copia caſtra ſequebantur. Præterea etiam piſtores, quiq; fructus atq; aromata & vinum venale habebant Panis non maiori, quam Venetiis, pretio veniebat. Vini menſura quartæ Venetæ par, ducatis 4. vendebatur. Caro, caſeus, oryza, & fructus, melones inprimis, quorum nonnulli 30. librarum pondus habebant, tum etiam auena vili pretio conſtabat. Sed penula, corium, ephippia, aliaq; equorum ornamenta difficilime recuperari poterant. Equi nuſquam venales reperiebantur, paucis exceptis gregariis, quorum ſæpius 4000. vel 5000. è Tartaria mercatores ſimul afferunt, & pro 5. vel 6. ducatis vendunt, parui ſunt, & ad onera ferenda apti. Inter camelos 8000. fere erant, qui duo tubercula in dorſo habebant, tegmenta eorum & tintinnabulis perſtrepebant: quidam magnates 10. 20. vel 30. horum ſuperbiæ ſaltem & oſtentationis cauſa alebant, nec vnquam onera eis imponuntur. Cæteri unum tantum tuberculum habentes, tentoria atq; reliqua impedimenta ſanis impoſita geſtabant. Sic mulorum fere 2000. pompæ cauſſa circumducebantur, tegmentis egregie ornatis. Equorum circa 1000. vidi, ad hunc vſum reſeruati. Nocte proficiſcentibus magnatibus atque fœminis, ſerui lucernas & luminaria præferunt. Regem 500. circiter equites præcedunt, hos alii quidam vexilla alba ac rubra manu tenentes præuertunt, qui magna voce cunctos è via cedere, & Regi eiusq; cohortibus ſpacium æquum ad libere incedendum, dari iubent. Hæc quoad ordinem, pompam ac magnificentiam exercitus Perſici animaduertere potui. Sed minus proſpera valetudine tunc vtebar, ideo exercitu relicto Sultaniam vrbem regiam me contuli: quondam florentiſſima fuit, hodie mœniis caret, arx muro cincta ruinam minatur, iam antea à Principe quodam Giuſa nomine deſtructa. Arx milliare in circuitu habet, quo ſpacio templum ſeu Moſchea pulcherrima, arcubus, concamerationibus, ianuis, valuis, aliisq; ornamentis ex auro & argento paratis, inſigniter condecorata, ob præſtantiam ædificii opus rarum atq; magnificum. Vrbs magna eſt, vltra 3. milliaria in ambitu comprehendit, fontibus abundat, celebrem quondam fuiſſe, ipſum nomen indicat. hodie non bene colitur, vltra 8. vel 10000. animarum vix ibi reperies. Rex interim Perſæpolim accelerabat, ei me iungere omnino animus erat, primum Culpercheam perueni, vrbem paruam, noſtra lingua Mancipium domini diceretur; apparet tamen ex ruinis ſplendida quondam ibi ædificia fuiſſe, 2. milliaria in circuitu habet, & citra 500. focos habet. Hoc in loco interpres meus mortem obiit: ab eo tempore nullum reperire potui, qui officium eius ſuſciperet, præter morem igitur legatorum aliorum, toto quinquennio, quo in hiſce regionibus verſatus ſum, eius vicem ſupplere coactus fui. Ad Regem vt perueni, haud vulgare ſeueritatis exemplum vidi. Comitabatur eum quidam Coſcadam nomine, annorum circiter 80. natus, cui ſex erant filii, qui omnes munia regiâ geſtabant; ſcripſerat ad eum filius rebellis Ogurlumahumet, qui Perſæpolim occuparat, iuſſusq; literas edere, id facere renuit. Comprehenſo igitur, atque in vincula coniecto, barbam primum radere, tunc in macellum deportari, duas vncinas ferreas, quibus appenduntur carnes, dorſo ipſius infigi, ſicq; appendi iuſſit. Quo ſupplicio per duas horas perpeſſo, tandem extinctus eſt. Sed Ogurlumahumeth, vbi patrem Perſæpolim properare cognouit, vrbe ceſſit, datisq; ad auunculum literis, patris iram mitigare, & in gratiam redire tentauit, contentus quocunq; ei libitum fore loco viuere, modo neceſſaria ad victum concedantur.

Tota illa regio Perſiæ ad eam vſq; viam, qua nos incedebamus, deſerta puluerulenta, ruderoſa & ſaxoſa eſt; & compluribus in locis aquis deſtituta. Et hinc fit, quod vbi aquæ copia aliqua eſt, ibi etiam villæ quædam ſint: ſed eædem nunc maiore ex parte deſtructæ ac deſolatæ. Harum quælibet caſtellum è terra extructum habet. Sementes ibi, vinum, & fructus, aquæ omnia vi fiunt, adeo vt vbi non aquæ ſint, habitatio non niſi peſſima eſſe queat. Verum ducere aquam ſub terra ſolent, quatuor aut quinq; dierum itinere procul à flumine illo, ex quo eandem

dem

dem hauſerunt. Atque eam ad hunc modum ducunt. Ad fluuium eunt, penes quem foſſam ad putei formam faciunt; dein, rectà excauando, cum expenſione libramenti, verſus locum illum eunt, ad quem deducere illam volunt, ſic vt canalem deſcendere ſit neceſſe, qui profundior foſſæ dictæ fundo ſit: & quando iam ad viginti longe paſſus canalem iſtum perduxerunt: foſſam aliam priori ſimilem efficiunt: & ſic è foſſa in foſſam aquam illam, eo vbi volunt, deducunt: vel, vt melius dicatur, alueum & aquæductum faciunt, per quem eandem ducunt. Hoc perfecto opere, caueæ fluuium verſus caput aperiunt, & aquam adfundunt, quam per aquęductus in regionem vſq;, & eo quo libet quaſi transfundunt, per radices montis eandem ducentes, & de flumine largiſſime promentes. Id illi ſi non facerent, habitare ibi nequirent, vel maxime etiam propterea, quod rariſſimæ illis pluuiæ cadunt. Cum apud quoſdam de regionis ſterilitate loquerer, reſponſum mihi fuit, minime id mirari me debere, quia villa illa, qua progrediebantur, erat ſalubris, nec æſtuoſa, vbi complures herbæ inueniuntur, ſimulq; erat in regione temperatiſſimi aeris. Ligna ex quibus domos extruunt, albores ſunt; quorum tot illi in locis aquoſis plantant, vt neceſſitate vrgente ad quoduis extruendum opus ſufficiant. Fabros inter ſe lignarios excellentes habent, qui dũ comparare ligna aliquando coguntur, ex ligno (quod in circuitu toto vix palmum vnum vel alterum comprehendit) ſecto tabulatoq;, portam duorum paſſuum longitudinis, tam apta cum dimenſione artificioſaq; expolitione conſtruunt, vt mirum id certe ſit. Et hoc etiam modo podia resq; alias vſui domeſtico inſeruientes elaborant: adeo vt à latere ſi quis inſpiciat, fruſta intus ligni appareant. Similiter ciſtas etiam præparant. Et vt certo confirmem, non alios ibi, neque maiores neq; minores, neq; in monte neq; in plano albores exiſtere. incidi interdum in ſpinarum arbuſtum, cui ingentem ſegminum & ſcrutorum adhærere copiam vidi, per quæ hoc illi intelligi volũt; quaſi febrem & morborum alia ſymptomata arceant. In exercitu quamuis infinita populorum multitudo ſit: ne vnus tamen reperitur, qui ex infortunio aliquo doleat, aut mœſtus alias ſit: cuncti hilares & lætiſſimi, cantando, ſpatiando, ridendo, potando ſeſe exercent.

Iter noſtrum perſequentes vrbem inuenimus quandam vocabulo Spaham; ea muris è terra erectis & foſſis vndique circundata complures hactenus in admirationem ſui mortales pertraxit: præterea quatuor circuitui ſuo millia includit, & vicorum ad decem millia habet: in illis tam pulchra ædificia atque in vrbe ipſa ſunt. Hanc porro vrbem populoſam, diuitem, & multifario artificum operariorumque genere refertam eſſe comperimus. Quondam hæc Principi ſuo rebellis erat: quo factum, (annis iam inde viginti elapſis) vt Rex quidam Perſię vocabulo Giauſa eo venerit, qui in priſtinum eos obſequium reduceret. Is rebus ſuis confectis ac diſpoſitis, inde tandem diſceſſit. Vnde breue poſt tempus, cum rebellis iterum fieret, copias ſuas emiſit, ſingulari cuiq; militum propoſito mandato, vt in reditu ſinguli ſingula hoſtium capita referrent: poſtquam vrbem incendiis atq; rapinis vaſtauiſſent. Atq; hi quidem ſtrenue imperata ſunt executi: adeo, vt (quod multos, qui in exercitu illo fuere, referre audiui) quidam quibus capita maſculorum non ſuppetiiſſent; fœminarum pro iiſdem capita, capillis abraſis obtruncarent; vt hoc pacto Principis ſui iuſſis obſecundarent. Et hinc euenit, vt tota iam illa fere regio ruinoſa deſtructaq; ſit. Nunc ſexta illius pars tãtum incolitur. Antiquitates complures pulcherrimæ, notabilesq; ibi ſunt: has inter præcipua, maxima quædam quadrataq; cauerna eſt: illi intus aqua ineſt, paſſus vnius profunditatis, limpida & puriſſima, ad bibendumq; haud inſalubris. Hanc circum ripa eſt, & huius in ambitu columnæ cum ſuis fornicibus & domiciliis, aliisq; complurium mercatorum cellis: atq; hic locus tempore nocturno ob merciũ cuſtodiam aſſiduo clauditur. Res & operæ aliæ multæ & pulcherrimæ ibidẽ conſpiciuntur: de his in præſentia nihil habeo quod dicam. Id ſaltem adnotare memorabile placuit: quod id temporis (prout illi dicebant) quinquaginta hominum armatorum millia eadem vrbs aluerit. Caſſanũ poſtea deuenimus, vrbem populoſam, vbi res ex ſeta & goſſipio confici pulcherrimæ ſolent: tanto in nume-

to, vt ſi quis vna die eiuſmodi mercium pro decem etiam aureorum millibus emere velit, venales ibi facile reperiat. Ambitus mœniorum vrbis millium trium eſt: extra villas longiſſimas pulcherrimaſq; habet. Illac Comũ appulimus, vrbem male exædificatam, cuius ipſius muri in circuitu ad millia ſex extenduntur. Hæc non eiuſmodi eſt, quæ artifices aut operarios præſtantes alat: ſed incolæ plærumque agriculturæ laboribusq; ruſticis dediti ſunt, præterq; hoc in vineis fodiendis, hortis plantandis, fructibus delicatioribus educandis occupantur. E fructibus inprimis pepones ſunt excellentes, horum vnus librarum triginta pondo eſt. Extra iidem in cortice virides ſunt, albi intus, ſapore haud ſaccharo dulcedine inferiori. Domorum in vniuerſum ad viginti millia habet. Progreſſi vlterius Iexum peruenimus, quæ vrbs operariis & artificibus præſtantiſſimis abundat: quales illi ſunt, qui ſuas operas ex ſeta, goſſipio, & ciambelotis contexunt. At circa hoc ipſum in dubium aliqui vocare narrationis veritatem auſint? Hos ego parum profecto vel nihil moror, vtpote qui optime mihi de certitudine ſim conſcius: atque vlteriori cunctatione poſthabita, in relatione mea pergo. Vrbs illa ſpacium in circuitu millium quinque mœnibus ſuis includit, atque varias ibi contexunt elaborantque operas ex ſetis illis, quæ Straua & Azu veniunt, & regionibus illis, quæ verſus Zagathai & mare Caſpium ſitæ ſunt: quarum omnium optimæ Iexum perueniunt, qui poſtea maiori ex parte operas ſuas conficiunt ex materia, quam in India, Perſia, Zagathai, Cimo & Macimo, partim etiam Cataio, Burſia & Turcia coemerunt. Atque hæc tanto ibi cum ſtudio & induſtria fiunt, vt ſi quis pannum in Aſſyria, aut merces alias ſplendidas ac pretioſas emere velit, non aliunde quam inde plærumque tollat. Quando quis coemendarum mercium cauſa eo venit, is in forum mercatorum ſe confert, in quo circumcirca tabernulæ extructæ ſunt, & in medio illarum locus quadratus vacuus ad tabernas alias extruendas ibidem relictus. Portas habet duas catenis ſuperductis, ideo ne per eaſdem equi intrent. Eas vna cum reliquis intrant, & (ſi aliquos inter illos notos habeant) ibidem conſidunt: at non vbi forte viſum commodius. Quælibet tabernarum ſex in circuitu pedum eſt: & ſi quando plures mercatores adſunt, ſinguli ſingulas tabernas occupant. Hora interdiu ſtatuta, adſunt quidam, qui pannos ex ſeta mercesque alias humeris geſtantes circum vbique taciti ac ſilentes eunt. Illi vero, qui tum fortaſſe mercatores adſtant, ſi ex mercibus aliquam, quæ ſibi arrideat, conſpicantur; baiulos iſtos compellant, & vlterius ſi emere quid volunt eo (quod ſupra in carta expreſſum plærumque extat) pretio cognito eodemque depoſito, tollunt merces, eaſq; intus in tabernam coniiciunt: & hæ quidem res omnes, momento vno, relicta ſermocinatione vlteriori fiunt. Nam mercator quicunq; eſt, continuo atq; cum eo qui merces illi emendas obtulit de pretio tranſegit, diſcedit. Atq; hic quidem mercatus ad horam vſq; ſextã durat. Veſperi hora certa venditores veniunt, pretiumq; pro mercibus auferũt. Interdum ſi nullus eſt, qui pretium æquale rebus offerat, diſcedũt, ſequentiq; die reuertuntur. Dicitur interdum vna die in vrbe illa onera ſetarum duo diuendi, quæ menſuræ modo decem millium librarum pondus æquant. De iis quæ ex Ciambelotis, goſſipio, & id genus materia aliæ operæ conficiuntur, vlterius nihil dico: cum præſertim ex illis, quę ex ſeta fiunt, facile quis rationẽ ducat, quanto plus ibi rerũ eiuſmodi aliarum paretur. Hactenus iter totum meũ ad Noti viam direxi: nunc per Orientis rurſum viam reuertar: in ea primum Syras vrbs aſpectum noſtrum ſubiit: hæc maxima & latiſſima cum vicis ſuis millia viginti circundat. Ingẽs illico populi multitudo & mercatores frequẽtes; nam omnes ii qui è partibus ſuperioribus velut ab Ere Sanmarech aut Niſu veniunt, ſi per Perſiæ viam venire volunt, tranſire Syras neceſſario debent. Fluuius illico gemmas & ſetas, ſolum item aromata meliora delicatioraq;, vt Rheobarbaram, & id genus frutices alios producit. Vrbs iſta ab Aſſambeio muris extra è terra altiſſimis & fortiſſimis munita, foſſisque profundiſſimis circundata, intus vero Moſcheis plurimis ac magnificentiſſimis ędibus, rebusq; aliis nobilioribus ornata ſplendet. Animas

hominum

hominum ad ducenta millia, & plures etiam alit. Illico, ſecure ſatis, abſque diſcrimine vllo, per dies aliquot viximus. Inde, Perſia prius emenſa Ere ſumus ingreſſi, vrbem in medio regionis Zagatai ſitam. Huic filius Soldani Proſaithi imperat: per ſe alias latiſſima eſt, Syris parte tertia minor; eandem in operis ex ſeta & goſſipio conficiendis æmulatur. De caſtellis, vicis, oppidulis in itinere illo ſitis, cum circa eadē memorabile nil adeo occurrat, nihil eſt quoq; quod in præſentia commemorem. Aquilonem ſi paullo verſus procedas, in ſolitudines & agrum ſterilem deuenies: aquæ ibi nullæ prorſus, excepto quod alicubi putei manu facti ſunt; fruticum herbarumque parum, ſyluarum ac ſaltuum minus; atque continuum ſic quadraginta dierum itiner eſt. Dein in hac ipſa Zagathai regione, vrbs alia maxima populoſiſſimaq; reperitur, vocabulo Sammarcahanthi, qua omnes ii, qui Cimo & Macimo aut Cataio veniunt mercatores viatoresve tranſeunt. Mercatorum ibi & artificum copia. Filiis quondam Giardæ parebat. Cim vero & Macim, quorum ſupra facta eſt mentio, prouinciæ duæ ſunt maximæ: qui eaſdem incolunt, idolatræ ſunt: & regio hæc ea eſt, in qua catini & patinæ è Porcellana fiunt. Immenſæ ibi negotiationes gemmarum, ex ſerico operum, idq; genus aliarum rerum exercentur. Illinc in prouinciam Cataii diſceditur: qua de narrare tantum conſtitui, quantum ipſe ex legati cuiuſdam Tartari relatione percepi. Hunc igitur cum aliquando in vrbe Tanai conueniſſem, & varii inter nos de prouincia illa ſermones agitarentur; inter alia is retulit, quod cum loca illa, quæ modo diximus, tranſiret, atque poſtea regionem Cataium intraret, omne illud quod in itinere impendiſſet, exſolutum pro ſe fuiſſe, vſque dum in vrbem quandam perueniſſet vocabulo Cambale, vbi honorificentiſſime exceptus & habitus fuerit, atque idem mercatoribus omnibus, qui illac iter feciſſent, vſu veniſſe. Ductus deinde eo, vbi erat Dominus, eſt: & ad portam cum habitationis perueniſſet, in genua extra procumbere iuſſus eſt. Locus erat is planus, latus & longiſſimus: In medio huius pauimentum lapideum erat, & ſuper hoc Dominus in ſella collocatus ſedebat, & humeros ad portam habebat conuerſos: à latere quolibet quatuor illius ſedebant miniſtri, itidem ad portam conuerſi: à porta autem eo vſque quo quatuor illi ſedebant, paſſim clauarii quidam ſtabant, bacillos argenteos manu geſtantes, qui in medio ſui callem velut aliquam relinquebant: in media hac calle ſparſim Turcæ aliquot ſuper calcaneos deſidebant, qualiter hic apud nos factitare fœminæ ſolent. Reductus à porta legatus demum eſt, iuſſusque quæ in mandatis habebat, explicare: quod cum eſſet exequutus, eadem hæc quæ explicuit, à ſingulis Turcarum, qui à latere ſedebant, repetita fuere, demumque acceptus pro dignitate is eſt: mandatumque illi, vt in hoſpitium reuerteretur, ibidemque rogationis ſuæ reſponſum expectaret. Quamobrem non illi amplius ad Dominum reuerti neceſſum fuit: ſed cum Conſiliariis ſaltem de re conferebat, iis, qui ad hoſpitium illius miſſi fuerunt, qui quidem huc & illuc rogata & reſponſa ferendo, negotium breui dierum vel horarum ſpacio expediuerunt, vt contentus legatus diſcederet, & non minus illi de proſpera rei tranſactione lætarentur. Famulus quidam legati huius, & alter eiuſdem ſeruus, qui ambo cum illo fuiſſent, res mihi dictu mirabiles de iuſtitia, quam incolæ loci illius exercere ſoleant, referebant: inter quas vnam, cum non leuioris ſit ponderis, quam aliæ, adnotare huc placuit. Cum die quadam, inquit, in Madian, quod aream apud eos ſignificat, eſſem, fœminam quandam, quæ hydriam lactis in capite portabat, conſpicatus ſum: & ecce venit quidam, qui hydria ſublata, lac illud bibere cœpit: tum hæc ſubito clamare, lamentari, plorare, quod vidua miſerrima peculio ac mercibus ſuis ſpolietur. Nec mora: prehenſus is fuit, qui iniuriam feciſſe mulierculæ videbatur: & oblique in partes duas enſe diſſectus, ſic vt vna vice ſanguis & lac per viſcera effunderentur: atque idem hoc legatus ipſe deinde pro vero mihi narrauit. Subiunxit & hoc: fœminam quandam, quæ in mola goſſipina laboraſſet, pannum extraxiſſe, eundemque à tergo ſe penes poſuiſſe: tum quendam, qui forte fortuna præteriit, pannū illum abſtuliſſe, vnaq; abiuiſſe.

Conuerſa autem fœmina, cum auferentem pannum conſpicata eſt, clamare, lamentariq; incipit: ac dein eum eundem inquiſitoribus monſtrauiſſet, ſubito hic ab illis prehenſus eſt, eodemq; modo quo prior in partes obliquas diſſectus. Dicunt non in vrbibus ſolum, ſed extra etiam in viis vbiq; circum, per quas viatores incedere ſolent, ſæpenumero ſuper ſaxum, aut in alio quopiam loco res pleraſq; inueniri, quæ inuicē à viatoribus & amittantur ibi, & viciſſim reperiantur: nullū tamen ex his reperiri eum, qui vel minimū illarum quid tollere ac ſeruare pro ſeipſo auſit. Et quod magis eſt, ſi quis (cū duo ſimul in via ſunt) alterum quo eat, interroget: & hic parum eidem vel fidat, vel ſuſpectum ob idipſum habeat, ac proin de re, cum eo qui rogauerat, expoſtulet, tum continuo iuſtam & licitam rogationis ſuæ cauſam illi explicet, oportet, ni pœnæ & animaduerſioni temeritati ſtatutæ ſubiicere ſe velit. Atq; hinc conſtat, ſummam tum libertatis, tum iuſtitię in regione ea rationem haberi. Mercatores omnes, qui ad id loci deueniūt, merces ſuas in forum ſibi ad id deſtinatum deportant, ibidemq; emendas exponunt. Tum hi, qui eo veniunt emtionis gratia, ſi forte rem quampiā, quæ Domino placet, reperiunt, tantū eiuſdem quantumlibet ſumunt, & contra aliud quidpiam quod eiuſdem ſit cum priori valoris ac pretii, mercatori dant. In minutis ſumtibus faciendis moneta ex papyro cuſa vtuntur, quæ quotannis varia forma imprimitur; vetus autem moneta ad anni alterius initium in officinam monetæ defertur, vbi illi, qui eam detulit, noua & recēs moneta datur, cum prius duo pro centum perſoluerit monetæ bonæ & argenteæ: vetus autem moneta in ignem coniicitur. Aurum & argentum ad pondus venditur, vbi & ex huius generis metallis certæ magnitudinis moneta fit. Religionem Catainorum iſtorum puto Ethnicam eſſe: quamuis plurimi Zagataini, aliarumq; nationū homines, qui inde reuertuntur, Chriſtianos eſſe adfirment. Cum ex illis quæſiuiſſem, quomodo Chriſtianos ſcirēt eſſe, reſpondebāt, ideo quod in Moſcheis illorū ſtatuę habeātur ad ſimilitudinē earū, quæ in noſtris tēplis ſunt. Factū aliquando, vt cū in vrbe Tanai cū legato illo eſſem, forte fortuna inciderē in Nicolaū Diedū ſenem Venetum noſtrū, qui interdū veſte ex panno ſe induębat, ea ſubſerieò ſuperinducta cū manicis apertis erat, prout tū Venetiis portare eiuſmodi pleriq; conſueuerūt: caput autē tegebat pileo, qui ex palea textus quatuor ſupra erat marginū. Hunc mox atq; vidit legatus, vehementer admiratus, hæc veſtis, inquit, talis eſt, quales geſtare ſolent Cataini: ergo & illi in religione nobiſcum conſentiunt, cum habitu in veſtimentis noſtro vtantur. Vinum in regione illa non naſcitur, cum frigida nimium ſit: verum fructuum aliorum copia eadem abundat. Atq; ea (vna cum rebus aliis compluribus, quas præterire hic ſponte volui) habui, quæ ex legati Tartarorum relatione eiuſdemq; familiarium facta mihi, de iis quæ Cataiorum regionem ſpectare videbantur, referrem, ipſe ego eo nunquam perueni. Sed Taurin rurſum reuertar, quæ (vt ſupra à me dictum eſt) inter meridionalem orientalemque plagam ſita eſt. Verum in præſentia de his quæ in via Orientis & Septentrionis loca vidimus, dicendum aliquid erit. Principio vrbem reperimus vocabulo Chuerch, omiſſis caſtellis aliquot, quæ paſſim in vrbem illam migrantibus conſpiciuntur; de quibus nihil adeo memorabile ſeſe offert, quod dicamus. In dicta vrbe puteum aquæ eſt ad ſpeciem fontis alicuius effoſſum, quod aſſiduo à ſacerdotibus aliquot, qui Taliſmanni ibidem appellantur, cuſtodiri ſolet. Summæ aqua illa virtutis eſt, &, vt ferunt, aduerſus lepram & locuſtas remedium ſaluberrimum adfert. Eo tempore Gallus quidam cum aliquot famulis & ducibus, qui Oethyopes erant, illac tranſiuit, qui lepram ſentiebat, & quantum perſpicere nobis licuit, ad lauandum eo conceſſerat. Quis ſanitatis illius effectus ſecutus ſit, ſcire non poſſum: hic tamen in ore vulgi rumor erat, permultos ſanatos fuiſſe. Cum adhuc ibi morarer, Armenius quidam (diu ante aduentum meum) à Rege Cypri pro aqua illa miſſus, ibidem etiam verſabatur, illius in reditu aliquandiu cum Thaurin proficiſceremur, comes fui, vbi poſt duos menſes, cum Thaurin appuliſſemus, hic aquam collectam in lagenam lapideam infudit, & poſt duos dies, cum ſegregaret ſę à me, cœptum

in Cyprum

in Cyprum iter continuauit. Eodem poſtea loci cum in reditu meo deueniſſem: eam ipſam aquæ illius lagenam, de baculo quodam pendentem vidi: qui è turri quadam exporrectus eminebat: & per hoc hominibus regionis illius intelligi dabatur, eius virtutis aquam illam eſſe, quæ præſtantiſſimum contra locuſtas remedium adferat. Etiam auiculas quaſdam nigri rubriq; coloris vidi, quas Mahometicas ibi appellitant: hæ confertim muſcarum more volitant, & (vt intellexi ego; tum cum in Cypro in reditu meo eſſem) cum in locuſtas incidunt, interimere omnes, quotquot reperiunt, ſolent: ac proinde vbi aquæ illius eſſe copiam ſentiunt, eo (vt incolæ regionis ferunt) cunctæ aduolant. Vrbs Cherach parua eſt: per eandemq; aditus ad rubrum mare, alio nomine ſinum Perſicum commeantibus patet. In hoc mari inſula quædam reperitur, in eademq; vrbs alia vocabulo Ormuos: hanc & continentem terram inter diſtantia millium duodeuiginti eſt: inſula ipſa in circuitu ad millia fere ſexaginta patet. Terra per ſe ſpacioſa, fertilis, habitabilisq; ſatis eſt. Aquas, præter eas, quæ ciſternis & puteis conduntur, nullas fouet: & hac etiam cum incolæ deſtituuntur, ſolent ex continenti petere, vbi etiam ſationes ſuas habent. Tributum Aſlambeio ſoluunt. Operæ ex ſeta ibi magna in copia fiunt, & mercatores ex India in Perſiam, & viciſſim venientes, ad portum eiuſdem appellunt. Dominus appellatur Sultan Sabadim, qui in Indiæ vias paſſim naues onerarias aliquot ad Conchas Margaritarum; aliasq; eius generis res pretioſas capiendas emittit: atque ibi cum eſſem, duo tunc ex India mercatores cum margaritarum, ſetæ, aliarumque rerum mercibus eo aduenerunt. In ſinum hunc Perſicum nobiliſſimus fluuiorum Euphrates ſeſe exonerat: huius à littore ſex dierum itinere procul Bagdath, aliter Babyloniam veterem voces, vrbs ſita eſt. Famæ olim magnæ fuiſſe quilibet exiſtimet, quæ maiori de parte deſtructa deſolataq; ædificiorum ad decem fere millia mœnibus ſuis includit. Victualium præterea fructuumq; delicatiſſimorum copia abundat: quales dactili ſunt piſtacea, hisq; alii guſtu & ſapore ſimiles: quos inter & Cydonia reperiuntur, noſtris magnitudine & ſapore haud imparia. Alia etiam Cydonia quædam ibi ſunt, quæ durum nihil tale quod noſtra inter corticem fouent, guſtumq; præbent dulciſſimum. Malorum etiam punicorum genus quoddam illico eſt, quæ non magna admodum ſunt, & magna ex parte corticis ſubtilis: ea in modum pomorum auraicorum educantur, in eademq; nihilominus dentes immitti poſſunt, velut in aliud quoddam pomum: ſiquidē ſepimentis in medio carent, excepto quod in fundo quædā rariſſima adparent. Sapor illorum dulcedini aliquantulū mixtus eſt: quędam etiam eorum lignello illo, quod noſtris grano in medio eſt, carent: quædā vero tam ſubtile idem habent, adeo vt ne tum cū in ore eſt, ſentiatur: tamq; parum quis cum comederit, inde expuit, quam ſi vuis ſe paſſis pauiſſet. Sacchari etiam confectorumq; aliorum ſapidiſſimorum quam plurimum cōficitur: Siropporum vero inprimis, quæ dein in Perſia locisve aliis conſumuntur. Nunc ad Ormuos reuertar, & pauca quędam de locis illis, quæ eidem ſunt oppoſita, commemorabo. Ea autem illac a ſinu eo ſita, Aquilonem verſus ſpectant: & à latere quidem vno Perſiam, ab altero vero Syriam Barbariamque vicinam habent. Ibidem autem Turcæ incolunt, & ſinus ille ab hac parte ad ducenta millia latus eſt, & à parte altera loca quædam Indiæ ſunt, trium Turcicorum Dominorum imperio & poteſtati ſubiecta. Extrema vero Indiæ omnia Prategiano Regi parēt. Euntibus autem Notum & Orientem verſus, ſic vt ſinus ipſe procedit, in finibus mox ciuitas conſpicitur vocabulo Calacuth: hæc decātatiſſima & famoſiſſima apud omnes receptaculū hoſpitiumq; è diuerſis in eam locis cōmigrantibus mercatoribus eſt: quales hi ſunt, qui per ſinum nauigantes, Cataio & cunctis aliis è regionibus eo veniunt. Nauigiorū ibi aſſiduo maximorū copia eſt: ſiquidē leuiſſimis rariſſimisq; tempeſtatibus mare patet. Spacioſa amplaq; mediocriter terra eſt, & aliorū etiam ſatis negotiatoribus incolisq; munita. Ad dictā ripam, quæ Ormuos opponitur, terra quædā eſt vocabulo Lar, fœcūda & ampla admodū, quæ duo millia ædificiorum continet, ſed nec viatoribus quidem ea, nec negotiatoribus caret, ſiquidē hi qui per ſinū illū veniūt diſceduntq;,

omnes ad hoc oppidum appellunt. Syras dein reperitur, de qua ſupra quædam dicta à nobis ſunt. Hinc ad vrbem quandam peruenitur vocabulo Camara. Vnius illinc diei itinere diſtat pons quidam, qui ſupra Bendamyrum latiſſimum fluuium extructus eſt. Pontem hunc Salomonem ad Oumaiæ villam ædificaſſe ferunt. Mons illi vicinus rotundus quidam eſt, qui ab vno latere diſruptus eſſe videtur:ad eundem acceſſus ſex paſſus in altitudinem tēdit. In ſummitate montis planicies eſt, circum autem circa columnæ quadraginta, quæ Cilminar adpellantur,quod noſtro idiomate quadraginta columnas ſignificat. Harum quælibet viginti brachiorum longitudinis eſt,craſſa vero adeo, vt tres circumplecti homines eam poſſint:quædam ex his deſtructę iam ſunt. Et ex hoc colligi potuit, ædificium aliquod ſplendidum quondam ibi fuiſſe. Poſtea ſupra planiciem illam,ſaxum eſt ſolidum, in quo exſculptæ plurimæ hominum ſunt imagines, gigantum inſtar proceræ, & ſupra omnes has figura in circulo vna, ſimilis his noſtris,per quas Deum patrem intelligimus,eiuſdemq; in manu globum fingimus: & ſupra eam aliæ ſunt ſculpturæ paruæ, in oppoſitu figuræ cuiuſdam hominis, arcui incubantis, quæ Salomonis repræſentare perſonam dicitur; inferius aliæ multæ ſunt,quæ maiores ſuos ſupra tenēt:atq; inter minores illas figura quædam eſt,quæ in capite Papalem geſtat mitram: hæc brachium extenſum manumque apertam habet,quaſi benedictionem illis,quæ infra ſunt,impertitura: eæ autem vniuerſæ eam reſpiciunt,videnturq; certiſſime atq; auide benedictionem expectare. Paullo ante figura quædam grandis equeſtrisq; eſt;quæ hominem præ ſe fert robuſtum & validum, & hanc dicunt eſſe Samſonem:eam penes figurę ſunt aliæ innumerabiles habitu omnes Gallico veſtitæ capillis longis. Ac omnes quidem illæ figuræ ſtatura ſunt media. Duorum illinc dierum itinere villa quædam diſtat Thimar dicta:& ab eadem ſimili rurſum ſpacio alia quędam villa, vbi monumentum quoddam extructum eſt, in eademq; ſepultam Salomonis matrem eſſe dicunt:ſupra hoc capella facta:& in pariete illius characteres Arabici,ad hūc modum expreſſi:Mater Sulcimen,hoc eſt,mater Salomonis.Locus ille ab incolis indigetatur Meſſeth Sulcimen, quod nos templum Salomonis eſſe dicimus: porta illius Orientem verſus ſpectat. Hinc trium dierum ſpacio ad villam quandam peruenitur, nomine Dehebeth; in qua agriculturæ goſſipinæq; operæ coluntur.Illinc eodem interuallo locus quidam diſtat,qui Vargari adpellatur:quæ terra præterito tempore pulcherrima ampliſſimaq; fuit: nunc mille ſaltem ædificiorum in vniuerſum continet: in hac incolæ agricolæ goſſipiiq; operarii ſunt. Ab ea quatuor dierum itinere alia villa eſt vocabulo Deiſer,& iterum trium dierum itinere,ab eadem quædam Taſte nomine: quam poſt,itinere diei vnius Iex reperitur,de qua ſatis ſuperius verborum à nobis eſt factum. Inde Meruthum itur,admodum anguſtam: à quo oppido duorum dierum itinere, ſiniſtram verſus flectendo,villa Guerde diſtat,in ea quidam habitant, qui Abraini indigetantur:qui,vt ego quidem exiſtimo, vel originem ſuam ab Abrahamo habent, vel religioni eiuſdem addicti ſunt: & hi pileos in capite longiſſimos portant. Breui inde itinere terra quædam ſita eſt, vocabulo Naim, deſerta & deſolata admodum,quingentaq; duntaxat ædificia ambitu ſuo includens. Duorum ab ea dierū itinere Naiſtam diſtat, & illinc viciſſim duorū dierū itinere Hardiſtan terra anguſta,ea quæ non vltra quingenta ædificia habet. Procul ab ea trium dierum itinere Caſſan conſpicitur, de qua ſuperius nonnulla diximus. Hinc eodem interuallo Con poſita eſt,ſupra etiam à nobis aliquo modo nominata. Dein Saua eſt, quæ ædificiorum ad mille habet: atq; in omnibus his locis agriculturæ goſſipiiq; operæ exercentur.Saua trium dierum itinere procul, terra anguſta quædam reperitur, vocabulo Euchar:inde trium quoq; dierum itinere in Sultaniam tranſitur,de qua ſupra quædam attigimus:à qua iterum ſex dierum itinere Thauris diſtat.Ea loca ſi quiſpiam relinquat, & Orientem & Zagathai verſus ad mare procedat: loca ſubſcripta hæc omnia inueniet. Thauri in Sultaniam ſex dierum iter eſt: à Sultania Eucharin trium dierum iter: Euchari Sauan quatuor dierum iter:Saua Choin terram anguſtam ſex: Choi Sarrin terrā itidem paruam trium:

Sarro

Sarro Sindaſium quatuor: Sindani Tremiganum trium: Tremigano Bilamum ſex. Dein Straua eſt, a qua nomen ſumſerunt ſetæ illæ quæ Strauanæ nobis dicũtur. Hæc ad mare Caſpium ſita, aeris non eſt admodum temperati: tritici parum producit: riſis pro alimento incolæ illius vtuntur, ex quibus aliquando panem conficere ſolent: in aliquibus locis, vbi aqua ſuppetit, Felliſeas conſuunt: & in ripa fluminum illorum caſulas ſuas & intus in iiſdem ahenum cum ſeta ponunt, immanem enim ſetæ vermium, mororumq; alborum habent copiam. Ibidem perdices ſunt innumerabiles. Et cum Dominus, aut perſona alia, loci alicuius, conuiuium inſtruit: perdices iſtæ coquũtur, & cuilibet poſtquam accubuerunt conuiuarum patina riſorum & dein perdicum ſingularis apponitur: atq; ſic vniuerſus fere populus perdicib. veſcitur: quæ minimo quoq; apud eoſdem precio væneunt. Ad littus prædicti maris plures etiam vrbes ſunt poſitæ, vt Straua Zanzinbenth, Mandrandam & aliæ. quas recenſere nunc omnes ſuperſedeo: & in his meliores ſunt ſetæ, quæ è locis illis veniunt. Non inconuenienter facturus videor (cum vicina propeloca ſint) ſi de iis etiam pauca commemorem, quæ in via Thrabiſonde Thaurin Africum verſus eunti ſeſe memoria digna obiecerũt. Prima ad mare magnum in itinere Trabizondino vrbs quædam pulcherrima latiſſimaq; ſeſe obiecit: cuius olim Dominus titulo Imperatoris vſus eſt (frater enim Imperatoris Conſtantinopolitani cum eſſet, ſe ipſum quoq; Imperatorem adpellari voluit: quam ob rem & ſucceſſores illius omnes, etiamſi fratres non fuiſſent Imperatoris, per manus inuicem tradito hoc ſibi titulo, fruebantur.) Hac de regione plura non dico: nota enim per ſe ſatis & celebris eſt. Inde Thaurin, & ſic, vt dictum prius eſt, verſus Afrieum commeando, paſſim in via villæ caſtellaque complura viſuntur, ire etiam per montes ſolitudinesq; oportet: & primus qui reperitur locus notabilis, caſtellum quoddam eſt in planicie in vallo poſitum & montib. vndiq; circumdatum vocabulo Baibuth: munitiſſimum id natura & fortiſſimum eſt; ſolum circa illud fertiliſſimum & omnis generis frumenti feraciſſimum: extra id ædificia mille & quingenta ſunt: quæ omnia poteſtati ac imperio Aſſambeii ſubiacẽt. Hinc quinq; dierum itinere, Arſengan diſtat; quæ magna olim fuit ciuitas: at nunc maiore ex parte deſtructa deuaſtataq; eſt. Poſtea verſus Occidentem Africumq; eundo, duo vltra illhac millia Euphrates celebratiſſimus fluuius eſt: hic pontem lapideum tranſit qui longiſſimus pulcerrimusq; eſt, ſeptendecim arcuum in vniuerſum eſt. Poſt hunc breui interuallo ſitum eſt caſtellum Carpurth; quod quinq; Arſengangio dierum itinere diſtat. Ibidem tum vxor Aſſambeii morabatur: ea quæ filia Imperatoris Trabiſondini fuit. Locus ſuapte natura fortis & munitus, maiori ex parte à Græcis Calogieriſq; incolitur: qui cõfœderati cum Domina iſta ſunt. In via caſtella & villę complures paſſim viſui ſeſe offerunt. Deinde caſtellum quoddam eſt vocabulo Moſchone: & aliud quoddam Halle dictum, & tertium quod Thene adpellant, ſingula fortia beneq; munita; quodlibet eorũ ædificia ad ſe pertinentia habet quingenta: à parte dextra flumen quoddam vnum ex his alluit: quod ſcaphis cymbiſq; tranſiri ſolet: atq; id vicinum Capurtho (de quo ſupra dictũ fuit) ortum habet. Incolæ locorum iſtorum qui ad Iuriſdictionem caſtellorum horum pertinent, Coniari vulgari nomine dicuntur: quod gregiarios in lingua noſtra ſignificat. Vltra in orientis via procedendo itur ad caſtellum quoddam muratum ſupraq; ſaxum poſitum, Pollu adpellant; quod extra ædificiorum ad trecenta efficit: atq; hoc fluuius quidam alluit. Orientem poſtea verſus eunti, quatuor dierum itinere confecto, à ſiniſtris, caſtellũ Amus eſt, in campis mediis extructum & ab incolis vacuum. Vniuerſa hæc regio vicina Trabizondæ eſt: viniq; ingentem copiam producit: vites etiam ibi ſupra arbores creſcunt; neq; metus inde vllus, vt à ſole lædantur aut adurantur: & dolium vnum vini, aſſiduo in locis illis, ducato, vilius ſolito noſtro precio diuendi ſolet. Syluæ plenæ ſunt nucum, fortis illarum quæ in Apulia naſcuntur: ſolum mediocriter etiam fœcundum & fertile. In certis quibuſdam regionis partibus vinum naſcitur quod Zomari illi adpellant. Huic proxima eſt Turcia, quæ Armenia primum erat: Verum iam hi qui

ex ea homines oriundi ſunt Carocoilu vocantur, quos in lingua noſtra vervuces nigros dicimus: ſicut Perſiæ & Zagathai prouinciæ nominantur Accorlu & nobis verueces albi ſunt: & apud illos regionum ſunt vocabula: quemadmodum dici inter nos ſolet roſa alba, roſa rubra, vel Guelfi & Gibellini vel Zamberlini & Moſtracieri: quibus titulis hic homines factioſi inſigniuntur. Caſtellum dein repetitur nomine Mus intra montes certos poſitum, paruum id quidem ſed forte: quod in monte extructum eſt, infraq; ciuitatem poſitam habet quæ ambitu ſuo tria concludit millia, & incolis abundat. Illinc trium dierum itinere Allarch abeſt, caſtellum pulcerrimum munitiſſimumq;, id ad lacum quẽdam poſitum eſt, qui amplus millium centum & quingenta eſt: aquilonem vero verſus, millia quindecim procul à lacu illo, lacus alius quidam eſt, qui circa octoginta millia ambit; in circuitu huius caſtella quædam ſita ſunt. Poſt Allarch, ciuitas quædam èſt, quæ ædificia mille mœnibus includit: & in ambob. his locis nauigia complurà ſunt. Etiam ad alterum illum lacum vrbs quædam eſt, nomine Ceus, fortis & mœnibus mediocriter munita. Inde diei vnius procul itinere, maritima via incedendo, Herzi diſtat: hęc fluuium habet eiuſmodi, qui quinquies etiam, pontem, ſeſe rotando, præterit, & Ceuſo quidem Herzilum vſq; alii quatuor pontes ad ſimilitudinem prioris extructi ſunt, quos item fluuius ille pręterit. Herzili ſepultura matris eſt Giauſæ, quem Perſiæ olim & Zagathai Dominũ fuiſſe ferunt. Procul à loco illo ad quinq; millia Orias eſt caſtellum forte in colle eminentiori poſitum. Medii hinc diei iter Coium perducit: non ad illam de qua ſupra quædam narranimus vrbem, verum ad aliam quandam eiuſdem nominis. Quinq; exinde dierum itinere; campeſtria quædam diſtat, qua in media ciuitas ſplendidiſſima ampliſſimaq; extructa, eademq; ſecunda iã vice à Tamberlane deſtructa eſt. Multæ præterea villæ cernuntur, & poſt has lacus quidam alius, qui in longitudine ad ducẽta patet millia, & latus millium triginta eſt: & inſulas quaſdam quæ incoluntur in ſe continet. Poſtremo duæ ſunt ciuitates Teſſa & Zetiſter vulgo dictæ: quæ ambæ inuicem tria ædificiorum millia efficiunt. Res alias, memoratu admodum dignas, ibi non vidimus: præterquam quod vbiq; in üſdem telarum bombicis & canapü operæ fiunt: & ſetarum pauciſſimæ etiam. Carnis abũdat copia: in primis veruecina, vini itidem & fructuum optimorum & ſapidiſſimorum, quos quidem illi ex inſulis illis quæ circum vicinæ in mari magno ſunt aduehere ſolent. Iam vice ſecunda Taurin reuertar & pauca quæ memoria digna ſunt de locis illi adiacentibus & vicinis addam, omiſſis omnibus illis quæ in medio ſunt, vtpote, quæ nec digna ſunt: quorũ mentio fieri debeat. Duodecim dierum itinere à Tauri poſita Sammachi eſt, quæ ciuitas media eſt in regione Therzichia. Dominus illius adpellatur Siruanſa: & hæc eadem ciuitas qualicunq; vrgente neceſſitate octo vel decem etiam ex ſe equitum armatorum millia producit: vicina præterea per ſex dierum iter, mari Caſpio eſt, quod eidem dextram verſus adiacet. Mengleriæ quæ ad ſiniſtram mare magnum ſpectat: & Cataechii qui ad Caſpium montẽ incolunt. Hæc ſplendidiſſima & magnificentiſſima ciuitas ædificiorum ad quinq; millia habet; operas ex ſeta & bombice conficit alias etiam complures ſecundum conſuetudinem illorum; & maiori in Armenia ſita eſt: vnde maior incolarũ pars Armenii ſunt. Illhac Derbenthum quoq; itur, ab Alexandro extructam ferunt: quæ ad Caſpium mare poſita eſt, & à monte miliari procul vno diſtat: in monte autem caſtellum habet: & dein in mare vſq; concedit cum duob. muri alis ad interius vſq; fundũ penetrantibus. Vrbs ipſa ab vna vſq; ad portam alteram medii miliaris ſpacii eſt; muri eiuſdem ex ſaxis duriſſimis acutiſſimiſq; ad Romanum morem extructi. Derbenthum noſtro idiomate arctum ſignificat, & à multis quoq; quibus cognita loci natura eſt Temicarpi adpellatur, quam in lingua noſtra portam ferream interpreteris. Et profecto, hic, qui eo illam nomine inſigniuit, id quidem conuenientiſſime fecit, nam prouincia hæc Mediam à Scythia diuidit: adeo vt ſi quis è Perſia, Turcia, vel Aſſyria & circum aliis iacentibus regionibus profectus, in Scythiam ire velit: oportet vt per portam vnam vrbis intret & per alteram exeat: quæ res illi qui alias ſitus loco-

rum

rum non cognitos habet, ſupra modum admirabilis & parum abſit quin impoſſibilis etiam videatur. Cauſa huius rei hæc eſt. A Caſpio, ad magnum vſq; mare, via recta quingentorum eſt millium: atq; ager totus mœnibus vallibuſq; abundat: Et locis in aliquibus Dominis quibuſdam ſubeſt. Agros nullus adeo audax eſt qui ibi conſerat, ſed iidem maiori ex parte incultos relinquunt. Vnde, ſi quis cogitat, ſe per viam eam, ne Derbenthum tranſire oporteat, iturum: neceſſum erit, vt primum in Gorgianiam eat; dein in Menglerhm ſe conferat, quæ ad magnum mare ſita eſt, & præterea caſtellum quoddam vocabulo Aluathi adeat, penes quod mons quidam reperitur altiſſimus, vbi equos relinquere & pedibus ambulare ſuper colles cogetur, tantiſper donec aſcendēdo deſcendēdoq; duorū integrorū dierū ſpaciū conſumat. Poſtea in decliui Circaſſia eſt; de qua ſupra in parte priore dicta quędā à nobis fuere: q̄ via per illos tantū frequētari ſolet, qui in cōfiniis habitant. Atq; per diſtantiā hāc locorū intelligi pōt, ꝙ ſi extra quis illhac proficiſcatur, incōmodiſſime id illi accidere. Ad propoſitū redeundo, ratio ēt ea eſt, ꝙ montis ēt radices aqua alluit: vbi Derbenthum eſt poſitū. Littus illico ante, & valde parū terræ eſt: & arctū hoc ad ſexaginta millia ad equitandū aliquo modo cōueniens: ibi dein à tergo ſeſe ad ſiniſtrā vertendo mons rotatur: & conſcēdi idē poteſt: qui more antiquo Caſpii nomen obtinuit: ad quē etiam Monachi ordinis S. Franciſci habitant & ſacerdos quidā latinus noſter. Populi, qui loca illa inhabitant, Caitacchi vocantur, vt dictū ſupra eſt. Idiomate diuerſo ab aliis vtūtur: atq; multi eorū ſunt Chriſtiani: quorū aliqui ritu Græco in ſacris adminiſtrādis vtuntur, Armenio aliqui, Latinū reliqui Catolicumue morem obſeruant. Ad mare, ab illo ipſo latere, alia quædam ciuitas eſt quę Caſpia adpellatur, à qua Caſpium primum nominari mare cœpit: hanc penes mons quidam eſt: qui oleum nigrum immenſi fætoris eiicit: quo ad luminis nocturni vſum, itemq; ad Camelos bis annuo ſpacio vngendos vtuntur: inuncti enim ſcabiē contrahūt. Agrum, qui ad Caſpium montem eſt, poſſidet Tumembi quidam; quem in noſtra lingua decē milliū Dominū dicas: ſubditi illius, domibus vtuntur ad birreti formam, ſimilibus omnimodo illis, de quibus ſupra nonnulla diximus. Infra hæ, è ligneo circulo vndiq; circūperforato, ſunt factæ: huius diameter ſeſqui alterius eſt paſſus: in circulum illum virgas aliquot defigunt: quæ in parte ſuperiori omnes in paruum alium circulum redeunt: dein vniuerſas felteris panniſue, iuxta conſuetudinem ſuam cooperiunt: & cum vlterius in loco aliquo morari nequeunt, caſulas dictas tollunt; habitationemq; aliam quærunt. Cum à Domino illo reuerteretur: Imp. Tartarici filius eo aduenit, qui in vxorē duxit vnā è filiab. hui' Domini; cuius pater recens è regno pulſus fuit. Hic in caſa ſimili quadā ſeſe poſuit: ſupque terrā ibi ſedit: interdiu a. inuiſebatur à quibuſdā qui è regiōe ſua eo venerūt, & ab aliquib. ēt incolis prouincię in qua tū ipſe degebat. Mod' viſitatiōis hic erat: quando iā ad iactū lapidis vni' à porta aberāt, armis exuebātur eadēq; ꝓiiciebāt: & paſſib. aliquot cū à porta propius aberant, flectebant genua, & hæc duab. vel trib. vicib. iterabāt: propius ſemper accedēdo donec ad decē longe paſſus abeſſent. Et tum primū eo in loco rem ſuam expediebant: acceptoq; reſponſo reuertebātur iterum, brachiis nō amplius ad dominum conuerſis. Aliquando cū Domino Tumembi vixi: huius vita meris potationib. conſtabat: vinūq; is bibebat è melle præparatū. Non extra propoſitū eſſe viſum eſt (cū de Caſpio mōte eiuſdēq; circū incolis q̄dā diximus) referre hic hiſtoriā quandā q̄ recēs à monacho quodā ordinis S. Dominici nomine Vicētio audiui, q̄ miſſus certi expediēdi negotii cauſſa illac erat: atq; decē ſpacio menſiū diſceſſerat. Ad religionē .n. noſtrā pertinere quodāmodo puto. Monach' hic ergo dicebat, è Soldani olim regione, certā Machometanorū ſectā ꝓdiiſſe: ingentem religionis Zelum ſpirantiū mortemq; Chriſtianorū ſitientiū: atq; hos, quāto plus itineris cōfeciſſēt, in tāto ſemper maiorē numerū & multitudinē creuiſſe. Facinoroſi iſti homines, iter ſuū, Caſpium verſus mare direxerunt: Sammachūq; aduenerunt, ac Derbenthū poſtea atq; illac Dumenum diſceſſerunt: & ex his armis deſtituti pleriq; erant. Ad flumen a. quoddā, vocabulo Terch ſeſe poſuerunt: Id in Tezechii prouincia eſt, ac circum

Caſpius mons:ad quem plurimi Chriſtiani incolunt. Hi tunc vbi aliquibus in locis Chriſtianos ſubolfecerunt : nullo habito ſexus ætatisue reſpectu fœminas, mares,iuuenes,ſenes,inuicem omnes trucidarunt. Poſt hæc in Gogi Magogiq; regionem nebulones illi excurrerunt : quas itidem Chriſtiani incolunt : verum ritibus in ſacris faciendis Græcis vtuntur: atque cum his haud modo alio, omnibus occiſis,peregerunt. Dein Circaſſiam verſus iuerunt: & Chipiche Charbatumque,quarum vtraque cis magnum poſita mare eſt, abierunt : abſq; ratione eadem cum illarum incolis Chriſtianis quoq; proceſſerunt: vſq; dum Didarcoſſan Cremuchumq; peruenerũt: vbi armata incolarum obuiatum manu eſt: tanta cum illorum confuſione & ſtrage, vt vix viginti & centum ſuperſtites euaſerint, è regioneq; profugerint. Atq; hinc perſpici poteſt, quam male Chriſtiani, circũ ibi degentes, habeantur. Atq; accidiſſe id quidem 1486. Chriſti anno, ait. Derbenthi (quæ res mirabilis admodum videtur) procedendo porta quadam ſub muro, in loco quodam, vuæ, aliæq; fructuum ſortes, prodeunt: imprimis vero amygdalæ. Ab altera porta ne fructus ne arbores quidem vllæ aliæ ſunt, excepto quod Cydonia fera incultaq; pauciſſima quædam naſcuntur : atq; id per decem, quindecim & viginti etiam millia, hoc in ordine durat. Vidi vlterius quoq; (cum ibi eſſem) in promptuario quodam anchoras duas, quarum vna octoginta & plures libras valebat: atq; hæ ingentium me quibus vſi olim ſunt, nauigiorum admonebant. Grandiores iam quæ inueniuntur anchoræ vna earum; centũ quinquaginta vel ducentarum quoq; librarum pondus æquat. Expoſitis his quæ ad regiones pertinere videbantur atque iis quæ propriis ſpectaui oculis meis, percepique auribus Taurim narrationem reduco. Initio autem de Aſſambeio quædam dicam. Is, Tauri cum diſcederet vocem quandam publicari iuſſit: tanquam contra Ottomannum expeditionem ducturus: quod ipſum tamen, ex coniecturis aliquot eum animaduerterem, credibile nunquam ſtatui. Erant in vniuerſum equitum armatorum quatuor & viginti millia : auxiliarium copiarum quoque ad millia ſex. Mancipiis infantibus & fœminis haud computatis. Igitur ſeptem fere dierum confecto itinere: ad dextræ deflectimus viam, Georgianiæ oppoſitam, quam & poſtea intrauimus: deprædandam enim Dominus ſibi propoſuit: qui præcurſores eo aliquot iuxta conſuetudinem ſuam præmiſit : qui equites numero ad quinque fere millia erant : anteibant illi demetentes ſtrenue ſyluas exurentesq;: montes enim nobis conſcendendi altiſſimi, ſyluæq; denſiſſimæ tranſeundæ erant. Focos, nos qui ſequebamur, fumumq; procul exeuntem vidimus: atque hoc pacto via quam tenere debebamus nobis innotuit. Itinere etiã in Georgianiam vſque alio, dierum duorum facto, Zitilin appulimus : quam regionem vniuerſam ne vlla facta oppugnatione quidem reliquimus. Vlterius ſed progredientes Gorum, & quædam alia circum loca ſtantia iuimus: eaque prædæ commiſimus omnia. His ipſis, compluribus in regionibus patratis ; factum dein eſt, vt pacta cum Pancratio Georgianiæ, Gurguraq; regibus Aſambeius iniret: ſedecim vt ſi aureorum millia deponerẽt: tum totam ſe illis rurſum regionem conceſſurum, Zitili excepta, pollicitus eſt: eam cum pecuniæ vim reges Pancratius Gurguraque celeriter adeo deponere non poſſent : Bolamites quatuor miſerũt: qui probati erant: verum non magni adeo nec pulchri, quales hi ſunt, qui Venetiis in templo D. Marci ſuper altare poſiti peregrinis monſtrantur. Et hoc modo cum Bolamites iſti Aſſambeio oblati eſſent : ad eoſdem videndos æſtimandosq; me miſit. Ego quamprimum à Domino diſceſſi : legati Pancratii Gurguræq; ſignificari mihi iubent, bene æſtimarem Bolamites : etenim ſe quoq; Chriſtianos eſſe. Ad Dominum cum peruenifſem : continuo Bolamites mihi dari iuſſit: & eum ſubtilem quendam admodum intuerer : rogatus ab Aſſambeio ſum quanti cum æſtimarem eſſe precii: reſpondi quatuor aureorum millium: ſubriſit ille, atque ; nimium caro tua in patria venduntur: Bolamites amplius nolo: ſed pecuniã malo. Homines quos tum temporib. è regionibus abſtulimus, quatuor vel quinque millium numerum explebant. Loca quæ percurrimus, ſiniſtram Gurguræ verſus prouinciam ſpectabant : Cothaelis, quæ Pancratio regi ſubdita eſt, oppidulum

dulum ſuprà monticulum poſitum ante cum labente fluuio habet: per pontem lapideum qui longus mediocriter eſt, tranſitur fluuius: iturq; Schenderum verſus, caſtellum ſatis munitum: quatuor quod Gorii dierum itinere diſtat. Dein (altiſſimo quodam monte ſuperato) Aſſambeii intrauimus prouinciam: quæ maiori in Armenia eſt: & trium procul dierum itinere, caſtellum Loreum reperimus: ab eodem quatuor rurſum dierum itinere, mons Noæ diſtat: is in quo primum remittente diluuio, quieuiſſe arcam dicunt; hic mons altiſſimus eſt, planiciemq; habet ſpatioſam: duorumq; dierum iter complectitur: & Veris aſſiduo æſtatiſq; temporibus niuibus coopertus eſt. Ante hunc mons alius paruus [illegible] idem onuſtus reperitur. Duorum dein dierum itinere procul, caſtellum e[illegible] quoddam vocabulo Cagri: & hoc circum Armenii incolunt: qui Catholici ſunt duoq; monaſteria habent: primarium quorum Alengiam vocant: in eodẽque monachos quinquaginta regulam D. Benedicti obſeruantes, alunt: Miſſam illi modo noſtro in lingua ſua canunt. Præpoſito (poſt meum Venetias reditum) carebant; & ex his tũ vnus venit: qui Venetiis ante hac ad D. Pauli & Iohannis in monaſteriis vixit: idq; propterea vt domi me meæ conueniret, cum à quo commendatus Sereniſſimo Senatui noſtroq; Summoq; pontifici fuit, quo in præpoſiti iam defuncti fratris ſui locum ſufficeretur. Aſſambeius poſtquam eiuſmodi pacta cum Pancratio Gurguraq; regibus iniiſſet: acc[e]piſſetq; ſedecim illa ducatorum millia: Taurin reuerti conſtituit: tum ego qui omnino iam expeditionem contra Ottomanum non proceſſuram animaduerti: veniam in patriam reuertendi petii: Eadem impetrata, per Tartariam primum cum legato Aſſambeii qui cum mercatoribus pleriſq; Tartaris in itinere ſeſe coniunxerat, iui: ab iiſdem intellexi (id quod in prima itineris mei ad Tanaim parte cõmemoraui) Hegmedhum Edelmughi filium Tartarorum Imperatoris nepotem, poſt patris obitum, ſummum apud Imperatorem ipſum dignitatis gradum obtinuiſſe: qui Hegmedhus datus à patre ipſo filius mihi erat: ac propterea etiam iter continuare illud vehementer cupii: vtpote qui certiſſimus eram, optime me eundem, ſi ad id loci deueniſſem, habiturum eſſe: Verum copiæ id impediere, quæ paſſim in regionibus illis vagatæ ſunt. Quamobrem neceſſum fuit mutare conſiliũ Tauringq; reuerti: id quod anno 1488. accidit. Eo cum perueniſſem: Aſſambeium habẽtem male ægrotãtemq; lethaliter reperi: is nocte Epiphaniæ feſtum ſequente, abiit: quatuor cum poſt ſe reliquiſſet, vnũ è ſecunda, tres vero è prima coniuge filios. Ea ipſa adhuc nocte, tres vterini fratres quartum non vterinum ſtrangulari curarunt, iuuenem viginti & duos annos natum: atq; ita inter ſe tres ipſi in partes hæreditatem paternam diuiſerunt. Dein frater medius occidi maiorem quoq; iuſſit: ipſe cum prius in poſſeſſionem ſeſe bonorum ipſius intruſiſſet, quam eandem ad præſens vſq; tempus retinet. Eæ autem res cum conſtitutæ ita eſſent: ego cui liber viuente patre ad ipſum & ad filios patebat aditus, cum Armenio quodam me coniunxi, qui Aſſenganum ibat, ibidemque etiam cõmorabatur: & mecũ duxi puerum Schlauonicũ qui ſolus mihi reſiduus fuerat ex his, quos mecũ in regiones illas è patria mea duxi. Veſtiui aũt me pannis illis quos habebã adhuc tenues: & quoad potuimus celeriter vna iuimus: ad exuendũ illud dubium, quale ex nouis illis accepimus, q̃ frequẽtia circa obitus eiuſmodi magnatũ accidere ſolet: Ad 29. Apr. Aſſenganũ peruenimus: quo in loco circa mẽſem fere vnũ manſimus: Carouannã q̃ Aleppũ ibat expectãtes. Migrantes illinc in Cymis, Caſſeg, Arapchir, q̃ caſtella ſunt incidimus. Poſt ad vrbẽ quãdã appulimus vocabulo Malathia: q̃ pulcerrima refertiſſimaq; negotiatorib. eſt: imperio v. Soldani paret. Aſſengano ad montes & valles complures deuenimus; in vias præterea lapidoſas peſſimasq; incidimus; raro a. caſulas reperiebamus & villas quaſdam pauciſſimis inhabitatas. Aſſengani aliquando, cum in mercatorum foro cum aliquib. ex Carouana, quibus cũ me coniunxi, aliquandiu morarer: cum illo qui vectigal à peregrinis exigebat, quidã tũ, ad recenſendos eos qui ſoluere debebant aderãt: atq; hoc medio in actu, in remoto quodã loco ſtabã: parantẽ iter diſcedentemq; Carouannam expectans. Et ecce è Carouanna vnus penes me conſtitit: & inquit:

quid hic ô bone agis? Publicanus quinq; vult ducatos perſoluas: Coz enim te intellexit iturum eſſe,(id quod noſtro idiomate Hieroſolymam vocant)atq; iam ni faxis ſubito te accuſabit. Iui ego, ſupraq; ſaccum ſedentem reperi,rogauique quid fieri ſibi vellet: reſpondit i ito & quinq; perſolue aureos. Cum a. ſinguli illi qui è Carouanna erant (nam hoc prius ex me audiuerunt) iturum Syeum clamarent: nihilominus Fro me quinq; deponere aureos debere contendebat. Syo celebratiſſimum in Perſia promontorium eſt: quod alio nomine Seghex dicitur: in noſtro idiomate Maſticum eſt. Maſticum enim ibi naſcitur, quo in locis illis plurimum vtuntur. Atq; in medio hoc vnus, qui (prout ego arbitratus ſum) domeſticus aliquis publicani erat: relinquas, ait, eum: Ille autem, volo, inquit, vt ſoluat: aſſiduo caput ad terram inclinans: tum hic manũ illius ad naſum impegit: adeo vt abſq; mora ſanguinem per eundẽ largiſſime effunderet: & illi cui pugnũ iſtũ impegerat, ſemper, inquit, fuiſti inſanus tu quidẽ: proripuitq; è turba me, & dixit: abi iam cum Deo ſodes. Conſcendi a. equum poſtea, cumq; Carouana abiui. In itinere, caſtella, villas regionesq; complures pulcherrimas tranſiuimus & transfretato Euphrate Aleppum apulimus: qua de prouincia dicere adeo nihil noui poſſum: nota enim omnibus ſatis eſt. Illinc cum diſcederem, additus quidam mihi Mucharius eſt qui in lingua noſtra ducem ſignificat: quo cum ego & famulus meus diſceſſimus: vt ad littus, ſeu vt appellant, Barutum peruenire mus. Atq; in littore cum in media Tripolis via eſſemus: in cohortem Mamaluchorum arcu iaculantium incidimus: horũ aliqui viſo ductore, equos ad præcurrendum me, ſuos cogere cœperunt: verum ego (qui animaduerti eos eſſe qui damno aliquo adficere me vellent) ductorem cum famulo ire præ me iuſſi: ipſe vero pedetentim ſubſequutus illos ſum. Mamaluchis autem iſtis cum approximaſſem: qui vlteriorem viam iam vndiq; præcurſu ſuo intercludebant, per duos fere arcus vnius iactus longius procedere cœpi: tum ſine mora ex his quidam compellat, me, pater, inquiens, ſalue. Ego (vultum illi benignum monſtrando) propius ad illum accedo, atq; vlterius, quid bone vir, aio tibi vis: tum hic viciſſim quo abis? Quo abeam ego? quo nempe meum me portabit infortunium: rogauit autem cur eiuſmodi verbis vterer: reſpondi annum iam elapſum quoad faſcium ſetæ mercatori cuidam vendidiſſem, ac proinde iam Aleppum iuiſſe vt precium pro eodem repoſcerem: ſed ibidem eum non reperiſſe & Barutum quod commeauerit audiuiſſe: atq; nũc de mea hoc pacto vagabundũ pauperie conqueri. Motus miſericordia eſt (poſtquam hæc à me audiuiſſet) aitq;, ô bone, cum Deo abi melioriq; fortuna vtere. Perrexi ego cumq; ductore me coniunxi: qui quam primum me aſpexit, ridere cœpit: ha ha ha exclamans, quam bene te è latronibus illis proripuiſti: noſti enim quod nec Tureice ego nec Oethyopice tu loqui poſſis: atq; hoc in colloquio Barutum appulimus: quo paucis poſt elapſis diebus, cum nauis è Candia quædam veniſſet: cum eadem in reditu illius in Cyprum profectus ſum: ac inde diuino cum auxilio Venetias poſtea perueni. Facturus operæ precium videor, ſi enumeratis iam omnibus ad iter pertinentibus rebus, quædam etiam de ſuperſtitionibus quarundam gentium, tũ de religionis ſimulatione, tum de mala cui iuncti perpetuo in locis illis ſunt, Chriſtianorum ſocietate commemorem. Igitur cũ in itinere Sammachum verſus eſſem: ad hoſpitale quoddam diuerti: in quo ſepultura ſub camera quadam lapidea erat: & hanc penes vir quidam barba & capillis longis nudus (excepto quod parum cum pelle quadam ante & poſt tergũ coopertus erat) in terra ſedebat. Salutaui eum, quidque boni faceret rogaui: reſpondit mihi ſe patrem ſuum cuſtodire: tum ego quis inquio pater eſt tuus? at ille pater ait, meus eſt qui proximo vult bene ſuo: qualis olim reuera fuit is qui hoc conditus monimento eſt: atq; vlterius dixit: ego per triginta annos integros ſocium habui illum coniunctiſſimum: volo autem vt viuum olim aſſiduo, ſic defunctum etiam ſequi: adeo vt cum vita quoq; defungar in hoc ipſo loco ſepeliar: ſatis profecto mũdum hũcce intuitus ſum. Iam mecum ipſe ad mortem ſic vſq; perſeuerare conſtitui. Aliud quoddam Tauris in die memorationum mortis vidi. In cemiterio quodam ſedebat vnus apud monumen-

tum

tum quoddam, cuius volucres complures ori inſidebant; atque inter has præcipue corui cornicesque erant: & cum cadauer eſſe mortuum putarem: rogaui ynum ex his qui mecum ibi aderant quid hoc eſſet? reſpondebat hominem ſanctum viuum eſſe; cui in vniuerſa hac prouincia ſimilis reperiri non poſſit: & vltra, vides inquiunt haſce aues: die aliqua paſtum eo aduolant: & cum ex illis aliquam compellat, continuo adeſt: ſanctus enim eſt. Et ſubiunxi vltra, propius accedamus, vt videre melius poſſimus.

Acceſſimus autem propius ad vnius fere iactum lapidis: & vidimus patellas aliquot ciborum apud eundem poſitas: aues autem ſupra vultum eius ad capiendam eſcam volabant: ille vero manu arcebat aliquas: interdum aliquibus cibi aliquid porrigebat: atque de his rebus omnibus plurima mihi miraculoſa iuxta intellectum ſuum fingebant: quæ profecto omnia, illi, qui parum tantum ſanioris iudicii intellectuſue ſit, non niſi ſtulta nugatoriaq; eſſe videantur.

Tertium illorum hoc erat: Aſſambeius cum maiori in Armenia quæ Turcimmannia nunc diceretur eſſet, luſtraſſetque militem, cum quo in Perſiam ad Giauſam regem Perſicum Zagataique ad Heren vſque vrbem debellandum proficiſceretur, Drauis quidam in exercitu tunc fuit, qui vna cum aulicis Domini menſa vtebatur: hic baculum aliquando quem in manu gerebat in catinos è quibus comedebant intruſit, & pauciſſimis dictis verbis eoſdem omnes perfregit: & hic ſalſus & lepidus homo erat. Rogauit poſtea, de eo, quod dixiſſet, Dominus: atque reſponſum illi ab iis qui intellexerant eſt: prædixiſſe victoriam hoſtiumq; contuſionem tali plane cum impetu futuram quo Catinos ipſe fregiſſet. Verum id affirmabat Dominus; & cum vlterius verum omnes futurum prædicerent: retineri ad ſuum vſq; reditum iuſſit: cum eidem promiſiſſet poſt ſuum è bello reditum quouis non indignum honore iudicaturum eſſe. Iuit poſtea Dominus, contudit ac proſtrauit hoſtem; vniuerſamque ad Heren vſque Perſiam cœpit; cunctoſque circum habitantes ſub iugum ſuum redegit: dein promiſſi non immemor; vocari huncce iuſſit eumque honorificentiſſime excepit & habuit.

Atque perſpici inde poteſt; quam res ibidem optimas ſtulti habeant: quamque facili cum labore ac opera ſancti quis opinionem apud multitudinem magnateſq; acquirat. Verum ad mortis memorationes reuertar. Has quando celebrare ſolent: ad ſepulturas omnes ingens maſculorum, fœminarum, ſenum & puerorum multitudo confluit; hi ad Grumim cum ſacerdotibus ſuis candeliſue accenſis ſedent: qui ſacerdotes idiomate ſuo aut legunt aut orant: & lectionem quando orationemque perfecerunt; cibum in locum illum adferri ſibi curant. Locus autem, ſeu cemiterium, vbi morantur, quatuor vel quinque etiam in circuitu millia ambit: & in viis quæ ducunt eo, ſemper complures pauperes adſunt, qui eleemoſynam ſtipemq; mendicant.

Monumenta ipſa, lapides ſingula erectos habent, ſupra cum impreſſo qui in iiſdem conditur defuncti nomine: etiam quædam ædiculas ſupra muratas continent. Atque hæc de rebus ad ſuperſtitionem pertinentibus dixiſſe ſufficiat.

Nunc de illis quæ ad religionis ſimulationem pertinent, vnam attingam. Atque vtinam inter Chriſtianos nos, vel non eiuſmodi ſimulationes eſſent, vel eædem iuſto eodemque modo quo hæc de qua dicturus iam ſum punirentur: primum enim vt optimum, ſic alterum non indecorum hercle eſſet. Macomethanus igitur quidam, ſanctus erat: qui nudus beſtiarum inſtar incedebat; aſſiduo de rebus apud illos ad religionem pertinentibus prædicans concionanſque: & hic cum magna vbique ſanctitatis in opinione eſſet, concurſuſque ad eundem creberrimi vulgi fierent, nondum tamen ea in qua à populo habebatur exiſtimatione contentus, in muro ſemetipſum concluſurum, & quadraginta dies ibi abſque cibo & potu ſanum integrumq; manſurum dixit. Ergo facinus id tam audax cum aggrederetur, lateres adferri coctos ex iiſdemq; Cameram rotundam extrui, & eidem ſe includi iuſſit: cumque poſt quadraginta die-

rum exitum ſanus integerque ex eadem egrederetur: omnes qui aderant mortales ſummam ob id in admirationem ſtuporemque adducti erant: verum vnus ex illis, cautior quam reliqui, eo ipſo in loco, carnis aliquantulum ſubolfecerat: & cum vlterius quæreret: fraudem vna cum cibo detexit. Hæc res cum ad Domini vſque aures pertigiſſet: Cadilaſcharo eundem tradidit: cuſtoditus etiam fuit diſcipulorum illius quidam, qui ſine quæſtione & tormentis confeſſus eſt, murum ſe ab vna ad alteram vſque partem clauſiſſe, ac proinde immiſiſſe canalem, per eundemque nocturno tempore iuſculum victualiumque alia infudiſſe. Atque ſic reuelato cognitoque dolo ambo illi duo mori iuſſi ſunt.

Quod ad malas, quibus ibidem Chriſtiani vtuntur ſocietates adtinet: illud hic recitare placuit, quod ex Petro Guaſco Genuenſi ciue audiui; qui inde tunc locorum venerat, mecumque circa tres fere menſes verſatus eſt. Eum, cum de rebus nouis quæ in regionibus illis accidiſſent, compellarem: Tauris, inter alia, inquit, cum die quadam in Armenii cuiuſdam ditiſſimi aurificis vocabulo Chozamirech taberna eſſem, Azi quidam eo peruenit, qui ſanctus in religione illorum habebatur, hic importune aurificem, vt religionem Chriſtianam abnegaret Mahometicamque aſſumeret, allocutus eſt: ille verbis ei humaniſſimis miſſum vt ſe faciat perſuadere conatur: hic furioſo cum impetu nihilominus aſſiduo inſtat. Promit ergo denarios aliquot aurifex, atque ea conditione vt in poſterum ſe relinquat eidem offert: ſed recipere noluit clamauitque porro Mahometanus fieret: reſpondit, at, Chozamirech, ſe nullo pacto religionem ſuam abnegaturum eſſe: verum in fide IESV CHRISTI qua in à pueritia educatus fuerit, firmiter perſeueraturum.

Tum conuerſus ſceleratus ille, enſem adſtantis cuiuſdam è femore eripit, Chozamirechoque ictum eiuſmodi in caput impingit: vt eo ipſo momento innocentiſſimum quamuis trucidauerit: ipſe vero in pedes ſeſe coniecit atque aufugit. Filius tum Chozamirechi quem triginta annos natum habebat, ipſeque tum in taberna præſens aderat, lamentari, deplorareque innocentis obitum patris cœpit: ac proinde ad Dominum ſeſe contulit, eundemque de facinore tam audaci certiorem fecit: is vt dolorem quem inde cœpiſſet re ipſa teſtaretur, aliquot ad ſicarium illum quærendum prehendendumque ſeruorum miſit: illum duorum dierum itinere Tauri procul in vrbe Meren dicta inuenerunt, ad Dominumque adduxerunt: hic cultellum popoſcit propriaque nebulonem ipſe cum manu perfodit: mortuique cadauer in aream publicam vt à canibus dilaniaretur proiici iuſſit; ſiccine, inquiens, creſcere propagarique Mahometanorum religio debet? Adueſperaſcente die, plerique ex vulgo quia Zeloſi circa religionem videri volebant; Darmiſcaſſum cuſtodem Aſſambeii ſenioris ſepulturæ, (apud nos Xenodochiarius is dici ſolet) acceſſerunt (hominem prudentia & auctoritate ſingulari prædirum prioriſque Domini theſaurarium) ab eodemque veniam tollendi cadaueris, ne canes de nocte illud abſumerent, petiuerunt: hic nihil ſuſpicatus ſubeſſe periculi, poteſtatem tollendi ſepeliendique dedit, quod & factum eſt.

Auditis his, Dominus, cuius non procul ab area diſtabat palatium, Darmiſcaſſum prehendi adducique ad ſe iuſſit: cui, tu ne es, inquit, qui contrarium mandato meo decreto facis? proinde ſatellitibus occidere vt ſeditioſum imperauit: quod illi quidem, abſque cunctatione; Domini obſequentes mandato, fecerunt.

Poſt hæc, cum populus, ait, iuſſis refragatus eſt meis; vrbs hoc tota facinus luet, ſacciſque, impero, induta ſit: atque ſic populus vniuerſus ſaccis cum clamore tremoreque ingenti induebatur: durauitque hic quaſi luctus per trium aut quatuor integrorum dierum ſpacium: dein exuere ſaccos multamue auri ingentem deponere iuſſit.

Hic actis, vocatum ad ſe Chozamirechi filium, optimis humaniſſimiſq; verbis conſolatus eſt. Fuit namq; Chozamirech mercator ditiſſimus honeſtiſſimæq; famæ.

Et hæc de mala quoq; Chriſtianorum in locis illis ſocietate atq; etiam aliis quæ hoc in perfecto opere continentur, rebus dicta ſunto. Quas profecto, eo quo fieri potuit ſtudio & induſtria, deſcriptas à me conſignatasq; omnes eſſe puto: idq; vlterius ea factum conditione teſtor, vt propagari illuſtrariq; magnę IESV CHRISTI Dei noſtri laudes poſſent; quas ad celebrandas Chriſtianos nos præcipue vero Reipublicæ Venetæ illuſtriſſimæ ciues aptos magis natosq; ſtatuo: quam gentes illas, quæ Barbaræ à culto vero eiuſdem alienæ, ac deniq; peſſimis ſceleſtiſſimisq; vitiis inquinatæ ſunt.

FINIS.

ITINERARIVM CLARISSIMI VIRI AMBROSII CONTARENI, VENETÆ REIPVB. NOMINE AD Vſuncaſſanum Perſiæ regem ſuſceptum.

AD IACOBVM GEVDERVM, P. NOR. HORVM LIBELLORVM PARAPHRASTEN; [illegible] BERNH. PRÆTORII.

VT nitidi ſoles, & lucida tela diei
Aeſtiui, nunquam ſuerunt infundere ſeſe
In gremium terræ fruſtra: quin protenus igni
Spiramenta ſuo laxent, cæcosq; receſſus:
Multa modis multis, & tam diuerſa figuris
Omniparens poſt vnde genit, Dea perſica, Tellus
Germina, tot fœtus frugum, tot ſecla animantum:
Sic non incaſſum radii virtutis auitæ
Percellunt, feriuntq; ſuo fulgore nepotum
Interiora animi, & generoſæ lumina mentis:
Qui, niſi degeneres, nec tanto ſanguine dignos
Se præbere, nothæq; notam conquirere plantæ
Inſtituant; & quos præſens & poſtera taleis
Arguat infami rumore perenniter ætas:
Sæpius inſpectant ſpecula iſta domeſtica: ſeq;
Conformare illis tota nituntur opum vi.
Haut ſecus ac pecoris generoſi pullus apertis
Altior ingreditur campis, & crura reponit
Mollia compoſitis gradibus; vibratq; coruſcis
Ignem oculis, & frena fremens ſpumantia mandit:
Tum procul armorum ſonitum ſi percipit; aut ſi
Martius ille æris rauci canor increpat: vltro
Stare loco neſcit; micat auribus; & tremit artus:
Tantus ei curſus, tantus certaminis ardor!
Hoc eodem, GEVDERE, *modo tu volta parentum*
Cottidie intuitus: Patris & propiora trilinguis
Et Patrui celebris veſtigia pone legendo:
Quorum hic Sempronii, vel Achæi Neſtoris inſtar
Egregie cordatus homo, teretiq; PHILIPPVS
Ore fuit nuper, catus & ſapientia in omni
Ciuili, vt ſummus Germani ſideris Atlas,
Cui Leo verſicolor, veluti ſtupefactus & hærens,
Dicere nequaquam veritus ſit: Poſſe ſiniſtri,
Hoc ſuperante viro, tibi nil Pegneſe venire.
Ille ſed excellens virtute & laudibus iiſdem,
Ardua cum-primis heic munia ſuſtinet; & quæ,
Vt vulgaria non, ſic non vulgaria poſcunt
Pectora; quin ſenſus faciant ſudare velimos:
Iuris & adflicti vir ſeruantiſſimus æqui.

Horum

Horum, inquam, GEVDERE, tuens exempla, valentem
Non turpi ſorpere domi torpore iuuentam
Eſſe putas dignum, ceu potor inertis Hieræ:
Verum, illis ſi non par eſſe per omnia poſsis,
Ne tamen inferior longe ſis; niteris omni
Conatu, niſuq;, indefeſſoq; labore.
Hinc variis linguis, & multifidis doctrinis
(Quando alii nugas, inconceſſasq; petiſſunt
Delitias, perduntq; bonas in pectore doteis)
Excolis imbutam mentem: Iam ciuica tractans
Iura: modo hiſtorias: nunc Euclidea: modo eius,
Deſcripſit radio totum qui gentibus orbem:
Iam, quæ ſint Ciueis ratione modoq; regendi:
Ex quibus inſignem tibi colligis vndiq; gazam,
Dædala ſicut apis, quæ in ſaltibus omnia libat
Floriferis, celliſq; ſuis, loculiſq; reponit.
Non raro vt ſubeat tacitam admiratio mentem,
Copia viſendi quum ſit tot ſcripta, tuapte
Ducta manu. & totidem noctis dieiq; labores,
Iam nunc communem in patriæ Germanidos vſum
Italico ſpolias habitu quam-plurima; & illa
Veſtibus exornas aliis, atq; vrbe Quirini
Donas; perſpicuo, facili, planoq; retexens
Omnia ſermonis filo, tramaq; polita.
In quibus eſt Venetus, culto SORANTIVS *ore;*
Qui Mahumetani res regni, robora, vireis,
Et belli neruos; arcanaq; plurima; & aſtus;
Et ſtudia, & mores, ſæuaq; tyrannidis iras;
Et procerum inuidiam; & conſulta, & perfida corda:
Quoq; illi poſſet ratione viaq; reſiſti,
Infringiq; eius res, & conatus, & ardor:
Singula Chriſticolis ſcitu digniſsima terris:
Ingenio tanto, tanta dulcedine pandit;
Vt melius nihil, vt breuius nil poſſe putemus
Dicier à quoquam, mentem qui aduorterit illuc.
Eſt in iis itidem MINADOVS, *ſcriptor Eoi*
In regno Arſacidum belli; quod pluribus annis
Continuo, non eſt ita pridem, Turca furore
Geſsit ibi, variis ſucceſsibus atq; triumfis;
Sæpe etiam haut parua iactura & clade ſuorum.
Dignus & hic, propter memorandos, ancipitesq;
Euentus belli; gentiſq; immania facta;
Crudeleiſq; modos; atq; inſatiabile fineis
Tendendi Cacoethes, & irrequieta cerebra:
Et ſtatum, in extremis qualis ſic Perſidos oris
Vt non ſocordi, nec inani fronte legatur:
Scilicet exemplum capiatur vt inde, quid è re
Cuiuſq; eſſe velit; ſi non, ſatis ante periclo
Edoctus proprio, quid proſit cernere poſsit.
Quin etiam verſatur adhuc incude ſub illa
Præſignis cultu rerum locuplete libellus,
Quomodo Pannoniis ſit deturbandus ab aruis,
Non adeo magnaq; manu, magnoq; paratu,
Turca ferox, omnis veri, pietatis & hoſtis:
Et ſimileis alij, in ſolem quos proferet ætas.

His operam ſtudiis dum das, GEVDERE, *profectò*
Non operam ludis: tibi ſed, patriæq;, lariq;
Commodus; & decus exornas laudabile gentis,
Suprema tendens præſcriptà ad candida calcis.
O ſi nobilium noſtri pars plurima ſecli,
Queis Deus & fortuna potens párta ocia fecit
Ad ſimileis animum vellent adiungere curas;
Et frugi, mentem quæ paſcunt nèctare dulci,
Et cœlo adſimilant, & regnà vrbeisq; gubernant;
Sic operarentur ſtudiis, tempusq; redemtum
Nobile, quo dignum, pretio prudenter haberent;
Poſthabitis nauci rebus: certe omne per æuum
Nobilius noſtra nil nobilitate clueret:

AVCTORIS PROOEMIVM.

CVM ab Illuſtti Venetorum Repub. munus legationis ad Vſuncaſſanum Perſiæ regem obeundæ, mihi demandatum eſſet. Etſi me non fugerent difficultates itineris, & pericula quæ mihi ſubeünda förent, tamen cum & deſiderium patriæ & publicum totius Chriſtiani orbis Bonum perpendiſſem, mecum conſtitui, diuino implorato auxilio, munus hoc licet grauiſſimum ptompto & beneuolo animo ſuſcipere, vt & Reipubl. noſtræ & vniuerſo Chriſtiano populo mea opera & ſtudio inſeruirem. Quæ vero toto diuturni & difficilimi huius itineris tempore acciderunt, digna mihi viſa ſunt, quæ poſteritati quoque innoteſcerent. Scribam igitur omnia, quæ à die diſceſſus mei Venetiis, qui fuit primus Quadrageſimæ dies anni 1473. vſque ad 24. Februar. Anni 1477. quo redii Venetias, euenerunt, annotatis prouinciis, vtbibus, & reliquis locis, quæ adii & vidi, eoruinq; conſuetudines & mores diligenter, & qua fieri poterit breuitate annotabo.

VENETO-

VENETORVM LEGATVS DISCEDIT VENETIIS, perluſtrata Germania, Polonia, Ruſsia; & ſuperata Sarmatiæ Europeæ ſeu Tartariæ deſerto, Caffam ſeu Theodoſiam peruenit.

CAPVT I.

VENETIIS igitur 23. Febr. Anno 1473. diſceſſi, comites itineris habui Reuerendum virum Stephanum Teſtam presbyterum; quo Diaconi & Cancellarii loco vſus ſum: Tum Demetrium Setinenſem Internuncium & Interpretem meum, duosq; ſeruos; Mapheum Bergomatem & Ioannem Vngarettum mecum ſumpſi, veſtimenta ex craſſa Germanorum more confecta; indueramus, ſub quibus pecuniam Stephanus thoraci intertextam, vt tutius ſecum ferret, abſcondiderat: Patriam non ſine graui dolore & moleſtia reliqui, nauicula conſcenſa templum S. Michaelis, quod eſt in Murano, petiimus, inde peractis ſacris, & accepta à Priore eius templi benedictione, recta diſceſſimus. Iam ibi 5. equi nos operiebantur, quibus conſcenſis, Taruiſinum peruenimus. Nihil magis cordi mihi erat, quam vt ſocii quidam & duces itineris ſeſe nobis offerrent, quos ne oblata quidem pecunia nanciſci potuimus. Vbi poſtera die, 24. ſcilicet huius menſis, Cogienſium oppidum, quod Conigliano hodie dicitur, attigi, conſtitui, quod periculoſum & diuturnum iter inſtare ſciebam, ibidem cum meis comitibus peccata confiteri, & ſacræ Chriſti cœnæ commmunicare, qua peracta 24. Febr. die iter noſtrum mane ingreſſi in Sebaſtianum quendam, natione Germanum, forte incidimus, qui me noſcete, & quo tenderem, ſe ſcire affirmabat, ſeq; Noribergam vſq; nos comitaturum promiſit. Diuinitus nobis occaſionem tam optatam & opportunam, oblatam duxi. Hoc igitur ſodalitio viam ingreſſi, maturato itinere, Germaniæ tandem fines attigimus, in qua arces & vrbes variorum Epiſcoporum & Principum reperimus, qui tamen Rom. Imperatori ſubiecti ſunt. Inter omnes eminet Auguſta Vindelicorum vrbs pulcherrima. non procul inde Sebaſtianus ille, noſter comes, Francofurtum petiturus, à nobis diſceſſit, inuicemque nobis valediximus, humaniterque amplexi ſumus. 10. Martii, duce itineris, qui viam monſtraret, comitatus, Noribergam attigi, vrbem pulcherrimam, quæ firma arce munita, eamque mediam fluuius interlabitur, vbi, cum de futuræ profectionis comitibus ſollicitus eſſem, ab hoſpite meo cognoui, duos Regis Poloniæ legatos in ea vrbe morari, in quarum familiaritatem me inſinuaturum ſpondebat. Qua re haud parum fui recreatus: miſi igitur Stephanum ſacerdotem, qui illos de meo aduentu & itinere edoceret, meq; ipſorum colloquium peroptare indicaret, quod illi minime reſpuebant. Eos vbi conueni, ambos Regiæ Maieſtatis Conſiliarios intimos eſſe comperi; Alter quidem Archiepiſcopus, alter eques, cui Paulo nomen erat; poſtquam eos, vt mos eſt, ſalutaui, dixi mihi ad eorum Regem proficiſcendum, meq; Aſſertorio libello inſtructum eſſe: Illi contra humaniter me exceperunt, & honore (non obſtante veſtimentorum, quibus indutus eram, tenuitate & vilitate) haud vulgari affecerunt. In eorum gratiam per quatriduum Noribergæ ſubſtiti, inde ad continuandum iter conſtitutum 14. Martii cum duobus illis legatis Polonis; quibus legatus Regis Bohemiæ (qui Poloniæ Regis filius erat primogenitus) ſeſe coniunxerat, diſceſſimus, comitatus noſter 60. circiter equis conſtabat. Peragrando Germaniam, ſæpius in optimis vrbibus, ſed vt plurimum in oppidis atq; caſtellis diuerſati ſumus; quarum multa ob pulchritudinem & munitiones maxime ſunt conſpicua. Sed ea deſcribere ſtudio ſuperſedeo, quod ea regio pleriſque ex auditu cognita ſit, & plurimi eam quotidie perluſtrent. Conſumpſimus fere duodecim dies in Germania, & magnam partem ditionis, quæ ad Marchionem Brandeburgenſem ſpectat, perluſtrauimus, donec in metropolim quandam, quæ Francofurtum dicitur, ad Oderam flumen ſita, ſatis pulchram & bene munitam peruenimus, vbi ad 29. Mar-

tium ſubſtitimus, proxime enim vrbs illa regno Poloniæ adiacet, vnde à Duce Brandeburgenſi certi quidam equites conſtituti fuerunt, qui legatos in regnum tuto deducerent. Erant illi equites probe inſtructi, & recte equitandi ordines ſeruabant. Pridie Cal. Aprilis Meſſaritiam vrbem paruam, ſed pulchram & arce munitam attigimus. Quæ prima eſt Regi Poloniæ ſubiecta. Inde nullum magni mom\u0113ti locum reperimus, donec nudiuſtertius Stragonam ſeu Poſnauiam peruenimus, vrbem ſplendidam propter pulchras plateas & domus: tum celebri mercatorum emporio claram. Inde 3. Aprilis recto ad Regem profecti ſumus; In via nec vrbes nec arces memoratu dignas offendimus, hoſpitia & reliqua omnia multum à Germania diſcrepabant. 9. Aprilis quæ pridie Paſchatis erat, Lanciſiam, vbi Rex Caſimirus morabatur, delati fuimus, cum de meo aduentu certior fuiſſet factus, duos nobiles ad me miſit, qui me Regis nomine exciperent, hoſpitium mihi ſatis honeſtum fuit deſignatum, die Paſchatis, vt par erat, domi quieui. Poſtridie mane Rex Damaſcenam mihi veſtem nigram miſit, ea, vt moris eſt, induta, in aulam me, multis magni nominis hominibus ſtipatus, contuli, Regem conſueta reuerentia ac humilitate ſalutaui, & Reipub. noſtrę literas obtuli, quæque in mandatis habebam, expoſui. Rex prandio me intereſſe volebat. victus rationem quod attinet, noſtro fere more viuunt, cibi bene parantur, & abunde apponuntur, finito prandio veniam à Rege hoſpitium repetendi petii, idemq; obtinui. Biduo elapſo denuo me Rex in aulam accerſiuit, & ad omnia, quæ nomine Reip. Venetæ propoſueram, ordine reſpondit, tantaq; erga me vſus eſt beneuolentia, humanitate, ac ciuilitate, vt certiſſimum eſſe compererim, quod vulgo apud nos dici ſolet, multis abhinc annis iuſtiorem non vixiſſe Regem, hoc ipſo Caſimiro Poloniæ Rege. Duos itineris duces mihi adiunxit, quorum alter per Poloniam, alter per Ruſſiam inferiorem ad locum qui Chio vel Magrana dicitur, vbi regnum Polonię terminatur, me comitaretur. Pro tanta humanitate Regi debitas Reip. Venetæ nomine gratias egi. Decimaquarta Aprilis die Lanciſia diſceſſi, per Poloniam continuato itinere, quę plana eſt regio, locis tam\u0113 quibuſdam ſyluis conſita, rerum ad victum pertinentium minus abundant\u0113 & fertilem eſſe, hoſpitioru\u0304 incommoditas & diuerſitas demonſtrat. 19. April. Lublinam perueni, vrbem ſatis commoda\u0304, arce munitam: in qua tres Regis filii literis operam dabant, quorum natu maximus decimumquintu\u0304 fere ætatis annum agebat, reliqui pauciſſimis annis minores erant, volebant vt eos conuenirem & viſitarem, (forſitan ſic volente Rege patre) quod cum feciſſem, amice ab eis fui exceptus, vnus eorum humaniſſimis verbis mecum locutus, ſummam Præceptori, qui eos inſtituebat, reuerentiam deferre videbantur, pro exhibita beneuolentia debitas egi gratias, nec ſine benigno complexu fui dimiſſus. Superata Polonia, 20. April. Ruſſiam inferiorem Regi Poloniæ ſubiectam ingreſſi ſumus; per dies quinque continuos iter per ſyluas denſiſſimas fecimus, nonnunquam in caſtellis exiguis hoſpitio excepti, ſæpius in villis hoſpitati ſumus. 25. eiuſd\u0113 menſis Iuſch oppidum attigimus, quod arce ex ligno conſtructa munitur, nec ſine periculo ibi ſubſtitimus, quod eius loci incolæ, nuptiis indulg\u0113tes, ad inſania\u0304 fere ebrii eſſent; vinum non habent, ſed ex melle potum conficiunt, qui vi\u0304m inebriandi maiorem quam vinum habet. Inde digreſſi, ead\u0113 veſpera in pagu\u0304 quendam Aitomirum peruenimus, qui cum arce totus ex ligno conſtructus eſt: totum 29. April. di\u0113 per ſyluas equitando conſumpſimus, non ſine manifeſto diſcrimine, ſiquidem via vndiq; latronibus erat obſepta. Nec erat vnde veſperi diuerteremur, nec cibi vnde nos refollicemus, erant, ſed in ſylua ea nocte cubantes, vigilare præterea, ne quam nobis iniuriam latrones inferrent, cogebamur. 30. April. in Belligraoch ſeu Albam arcem delati, in regio palatio excepti, non ſine maximis incommoditatibus ibi pernoctauimus. Cal. Maii ad vrbem quæ Chio ſeu Magraman dicitur, extra Ruſſiæ limites ſita\u0304, peruenimus, cui præerat Pammartinus Polonus, Catholicæ religioni addictus. Is cu\u0304 à regiis ductoribus de meo adu\u0113tu certior factus fuiſſet, hoſpitiu\u0304 pro loci co\u0304ditione ſatis tenue mihi aſſignauit, meq; viſitauit, & de victu, quod ſatis erat, mihi proſpexit. Hæc vrbs Tartariæ contermina eſt, mercatorum

ſatis

ſatis frequens emporium, qui ex Ruſſia ſuperiori pelles pretioſas aliasq; merces venales illuc ferunt. Inde magno comitatu Theodoſiã ſeu Caffam petũt, ſæpius tamen in itinere à Tartaris intercipiuntur, & miſerrime tractantur. Abundãt incolæ pane & carne. Eorum conſuetudo eſt à ſummo mane ad tertiam vſq; diei horam, ſi quæ habent, negotia conficiunda expedire. Inde in cauponas & cellas ſe reducunt, & ad noctem vſq; potãdo reliquũ diei exigunt, nouas cõtinuo rixas & lites in ebrietate excitant. 6. Non. Maii Pammartinus quoſdã è ſuis nobilibus ad me miſit, qui ad prandium me inuitarent & deducerent, vbi comparui, cumque vt par erat, honorifice ſalutaui, peramice me excepit, & ampliſſimis verbis ſuam operam obtulit, dicens, à Rege ſic imperatum, vt quoad fieri poſſet, honorem mihi & beneuolentiam exhiberet, & ab omni periculo incolumẽ me conſeruaret, tum vt rationem tuto ſuperandi Tartariæ campos, Theodoſiam vſque mihi commonſtraret. Egi pro tanta humanitate gratias illi debitas, & vt me ſibi commendatum haberet, rogaui: Ille contra Lithuaniæ legatum, qui ad Tartarorum Principem cum muneribus proficiſceretur, ſe expectare indies dicebat, quem 200. Tartarorum equites deducere debebant, eum me operiri volebat, quod tutus mihi cum illo tranſitus futurus eſſet, eius conſilium ſequi conſtitui. Inde ad prandium conſedimus, quod laute ſane & omnibus neceſſariis abunde paratum erat. Aderat quoq; frater eius Epiſcopus, & multi alii nobiles, nec deerant Muſici, qui durante prandio cantando nos exhilararent. Sed quod diutius accubandum eſſet, haud parum erat moleſtum, ſiquidem quiete potius & ſomno, quam ciborum abundantia opus habebam, prandio finito diſcedendi veniam impetraui, & hoſpitium meum, quod in vrbe erat, repetii. Arx tota ex ligno conſtructa eſt, vrbem fluuius alluit, qui Danambre ipſorum lingua, Italis Lereſſe vocatus, quondam Boryſthenes fuit dictus, qui tandem in Euxinum pontum ſeſe exonerat. 10. April. legatus cuius ſupra memini, appulit, quem poſtero die cum diſcedendum nobis eſſet, audita prius Miſſa, cum Pammartino adii & ſalutaui, ipſeq; Pammartinus grauiſſimis verbis illi ſeuere iniunxit, vt mei, Regia Maieſtate ſic imperante diligentiſſime curã gereret, & Theodoſiam vſq; ſaluum & incolumẽ deduceret. Cui ille reſpondit, ſibi in omnibus Regis mandato parendum eſſe, quem vitæ pariter & necis poteſtatẽ in ſe habere agnoſcat, nec ſe defuturum. Pro tot beneficiis in me collatis Pammartino, quas potui verbis concipere, gratias, vt ſane meritus erat, egi. Namq; eo tẽpore quo ibi commoratus ſum, ſæpius me domi viſitauit, & de victu abunde proſpexit, quæ beneficia vt aliquo modo compenſarem, equum illi Germanicum ſatis robuſtum, quo toto peracti itineris tempore vſus eram, donaui. Reliquos qui meſtris hucuſq; nos vexerant, quod ſtrigoſi eſſent & male habiti, ibidem reliquimus, & alios, quos fert ea terra, ad reliquum iter perficiendum ſumpſimus: cum iis, quos Rex mihi adiunxerat, viæ ducibus optime fui contentus, & vt decebat, gratum viciſſim me exhibui. Diſceſſi cum legato Lithuano 11. April. carro vectus, quo à diſceſſu meo à Regia Maieſtate vſus fueram, quod propter dolorẽ pedis equitare nequirem. Primum quem reperimus locum, Cereas fuit ad Poloniæ regnum pertinens, vbi ad 15. vſque April. diem permanſimus, quod Tartari illi equites ibidem nos excipere deberent, quibus ſtipati magnũ deſertũ ingreſſi ſumus, donec ad Boryſthenis ripã appulimus, qui Tartariã à Ruſſia diſcernit, profundus ſatis & milliaribus aliquot latus. Cumq; nobis trãſeundus eſſet fluuius, Tartari arbores ſecuerũt, eaſq; recte ligarũt inuicẽ, ramis ſupra ſtratis: poſtea omnia noſtra impedimẽta huic rati fuerũt impoſita; Tartari ipſi fluuiũ ingreſſi ex iubis equorũ pendebãt, quorũ caudis funes erãt alligati ad ratim trahendã, nos quoq; miſerũ hoc nauigii genus ingreſſi, equos ad fluuium ſuperandũ inſtigauimus & propulimus, quem tandem Deo clemẽter adſiſtente, ſuperauimus, ſed quanto cũ periculo, iis qui præſentẽ hiſtoriã legẽt, conſiderandũ relinquo. Ad alterã ripam delati, diẽ integrũ colligendis noſtris impedimẽtis occupati, inter Tartaros illos cõſumpſimus, quorum duces nõnulli diligẽtius me q̃ reliquos contẽplabantur, & varia ſecũ capiebãt conſilia. Relicta fluuii ripa, iter denuo per vaſtiſſimũ deſertũ ingreſſi omni re carebamus.

Legatus Lithuaniæ paulo poſt per ſuum interpretem me certiorem fecit, Tartaros conſtituiſſe ad ſuum Principem me deducere, nec aliter facere ſibi licere: quod eiuſmodi homo, qualem me eſſe appareret, Theodoſiam præterire nequiret, niſi prius ad Principem ipſorum deductus fuiſſet. His intellectis propter inſtans periculum valde fui perturbatus; & diligentiſſime Interpreti illi me commendaui, orauiq; vt promiſſorum & adhortationum Pammartini, Regis ipſius nomine factarum, memor eſſet, quod ſi è præſenti diſcrimine me liberaret; gladium ei pro exhibito beneficio promiſi. Ille conſolari me aliquantulum cœpit, & reuerſus ad legatum, quæ mea ſit opinio & deſiderium refert. Inde Tartaris ſeſe familiarius adiunxit, & ipſorum compotationibus interfuit, multisque verbis vix tandem me Genuatem eſſe perſuaſit, meq; vt ſinerent, quo ire vellem ſolutis 15. ducatis obtinuit. Hoc noſtrum iter ad 9. vſq; Iunii Calen. ingenti cum moleſtia durauit, ſemel diem integrum cum nocte ſequenti omni aqua deſtituti exegimus. Iam ad locum peruentum erat, quo à recta via legatus cum Tartaris ad Principem Tartarorum (qui in arcer cheriher deſidebat) declinare debebat, mihiq; Tartarus quidam dux itineris, qui Coffam me comitaretur, fuit adiunctus, eaq; ratione valediximus & diſceſſimus inuicem. Etſi vero non mediocri in periculo & ſollicitudine ſemper verſarem, ne forte Tartari, quos reliqueram, me ſequerētur è veſtigio, gaudebam tamen ſocietate iſtorum canum ſemel me tandem liberatum eſſe, quod propter immēſum fœtorem. quem eſus carnis equinę efficit, vix quiſquam diu penes ipſos manere queat. Ea nocte in campo pernoctauimus ſub quibuſdā carris, pellibus coopertis, nec diu ibi conſedimus, quin pluſimi ad nos affatim accurrerunt, & quinam eſſemus, ſciſcitarunt, vbi à duce noſtro Genua me natum eſſe intellexerunt, lac nobis bibendum obtulerunt. Poſtera die antequam illuxiſſet, inde diſceſſimus, & circa veſperam eodem die, qui fuit 16. Maii ſuburbium Theodoſiæ attigimus, gratias immenſas Deo ſummo noſtro protectori agendo, quod in tantis periculis hucuſq; nos ſaluos præſeruaſſet. Templum quoddam clam ingreſſi, interpretem meum ad Conſulem Venetum ablegaui, qui meum aduentum illi ſignificaret. Ille continuo fratrem ſuum ad me miſit, iuſſitq; nos, donec tenebraſceret, ibidem morari, quo tutius in domum quandam, quæ ad ipſum ſpectabat, in eodem ſuburbio ſitam, nos recipere poſſimus, eo ad conſtitutam horam nos contulimus, & honorifice fuimus excepti. Ibidem Paulum Omnibemum offendi, qui ex decreto Illuſtris Reip. Venetæ tribus menſibus ante me in hæc loca profectus fuerat.

ORATOR VENETVS CAPHA, SEV THEODOSIA diſcedit, ſuperato Euxino Ponto Phaſin vrbem peruenit, inde per Mengreliam, Georgiam & Armeniæ partem in Perſidis regiones, quæ Vſuncaſſano parent, defertur.

CAPVT II.

THEODOSIÆ ſitum & vrbis conſtitutionem exacte deſcribere nequeo, quod domi ſemper latere coactus fuerim, ne ſorte conſpicerer, pauca quæ vidi & audiui, adſcribam. Vrbs hæc ad Euxini Ponti littora ſita, emporium eſt frequens & celebrė, maxima habitantium copia refertum, & vt fama fert, opulentum ſatis & potens. Hic nauem conduxi, qua Phaſin vrbem nauigare conſtitueram, eo in mœotide in ſtatione erat, & ad Antonium Valdatenſem ſpectabat. Sed forte cum nauem ingreſſurus eſſem, Armenii duo ſeſe obtulerunt, quorum alter Romæ fuiſſe, & legationem Vſuncaſſani nomine obiiſſe prædicabat, ſuaſerunt hi, ne ad Phaſin deſcenderem, ſed alium quendam locum, Tina vocatum peterem, qui 100. milliaribus Trapezunte diſtaret. Inde equis quatuor horarum ſpacio, ad caſtrum quoddam Ariam vocatum, quod Vſuncaſſano pareat, tuto proficiſci poſſe, eoq; ſaluum me deducere ſpondebat. Non mihi placebat hoc Armeniorum cōſilium, admonitus tamen à Conſule eiuſq; fratre inuitus parui.

Caffa igitur 4. Iunii diſceſſi comitatus à Conſule, ſequenti die fluuium attigi, vbi nauis e conductitia nos expectabat, pro quā 70. ducatos ſoluere promiſeram, ſed propter mutatum locum, quo nos dncere debebat, 100. ducatos numerare coactus fui. Intellexi nullos in eo loco quo nauigare conſtitueramus, eos reperiri. Ideoq; nouem noſtræ naui impoſui, qui & nobis & ducibus itineris inſeruirent, & victum per Mengreliam & Georgiam ferrent. 15. Iun. terrā ſecundo vento ſoluimus, ingreſſi Euxinum Pōtum, recta curſum Tinam verſus direximus, quo cum 20. fere milliaribus abeſſem, eo tamen loco nondū conſpecto, contrarius noſtræ nauigationi ventus ab Oriente exorſus eſt: ibi cū nautæ frequentius ſolito ſecum deliberarent, quid loquerentur, intelligere volui: Reſponderunt ſe paratos eſſe me deducere quocunq; vellem, celare tamē poſſe locum illum quo deſcendere conſtitueram, periculoſiſſimum eſſe. His intellectis, diuinitus me à periculo præſeruatum auguratus, denuo verſus Liaſi & Phaſin vela dirigi iuſſi, paulo mitiori vento vtens. Locū, cui Varti nomen erat, 29. Iun. attigi, cumq; equi noſtri minus commode haberent, in terrā eos exponi, & Phaſin vſq; 60. milliaribus diſtātem, deduci imperaui, obuiam tunc nobis factus Bernhardus nauis domini frater, qui cū ad Tinā nos direxiſſe curſum intellexiſſet, præmonuit, ne illuc iremus, quod Subaſſa quidā cum magno equitatu in iis locis ageret, qui ſi forte in nos incideret, dubio procul nos omnes in miſeram ſeruitutē abducturus eſſet. His cognitis mutaui conſilium, indeq; diſceſſi. Varti autē, cuius antea memini, caſtrum eſt, & pagus exiguus, in Mengrelia ſitus. Dominus, cui paret, Gorbola vocatur, ad quē Caltichea quoq; ſpectat, ad Euxinū ſita, exigui momēti locus: Nonnihil ſerici & canabis atq; ceræ ibi reperitur, incolæ miſerrimi ſunt. Cal. Iulii Phaſis oſtia attigi, vbi Mengreliorum nauis pone nos ſequebatur, qui omnes inſanire mihi videbantur. Relicta naui in cymbam nos coniecimus, eaq; fluuii oſtium ingreſſi, primum inſulam quandam offendimus, in qua Oetes Medeæ veneficæ pater regnaſſe dicitur, hic pernoctauimus, culicum infeſtationibus valde diuexati, poſtera die fluuium cymba aſcendi, præterita Aſſo vrbe ad littus fluuii ſita, & ſyluis vndiquaq; cincta. hic fluuius duos arcubaliſtæ iactus latitudine patet, vbi in terram deſcendimus, Nicolaum Capellum Modonenſem, qui ditionis illius præfectus erat, tum Martham Gricaſſiam Genuatis cuiuſdam mācipium & Genuenſem, qui matrimonium ibi contraxerat, offendi. Diuerti apud Martham illam, quæ humaniter & benigne me recepit, & per biduum ibi moratus ſum. Phaſis vrbs in Mengrelia ſita eſt, Bendiano Principi ſubiecta, qui exiguam ditionem habet, 3. dierum itinere forte patentem, ſyluis & montibus paſſim conſitam, incolæ feroces ſunt, & brutis ſimilimi. Cereuiſiam coquunt, frumenti & vini parū & nullius momenti habent. Cibus ipſorum conſuetus ex Panico fit, pultis inſtar cocto, quo miſere ſuſtentantur. Trapezunte ipſorū neceſſitatibus nonnunqnam aduectitio vino & piſcibus ſale conditis occurritur: Theodoſia vero ſal aduehitur, quib. rebus ſi deſtituerētur, omniū hominū indigentiſſimi eſſent, parū canabis & ceræ legūt. Nihil illis deeſt præter induſtriā & diligentiā, quā ſi eſſent præditi, tantā piſciū copiā in fluuiō capere poſſent, vt ad ſuſtentandā vitā ſufficeret. Chriſti nomē profitentur, & Græcorū ritus obſeruant, multis grauiſſimis ſuperſtitionibus vitiatos. Phaſide 4. Iul. diſceſſi comitatus Nicolao Capello, Mazum fluuiū rate tranſimns, eoq; die cū ſequēti per cōtinuas ſyluas & montes magnam Mengreliæ partē emenſi, veſperi locū attigimus, vbi ipſe Bendianus morabatur: in planicie quadā cum vniuerſa aula ſub arboribus quieſcebat. Miſi Nicolaū illū qui de meo aduētu certiorē illū redderet, & alloquēdi veniā impetraret: cōtinuo vocatus fui, vbi apud ipſum cōparui, humi ſedentē cū vxore & liberis, debita reuerētia ſalutaui, me pone ſe humi ſedere voluit. Expoſui cauſas aduētus mei, petiiq; vt itineris ducē mihi concederet. Ille nihil mecū, quam quod gratus ei meus aduentus eſſet, locutus, ſtatim ducem itineris promiſit, & rurſus diſcedendi veniam dedit, tum caput ſuillum & carnem bubulam cum pane ad me miſit, quæ omnia peſſime cocta erant, neceſſitate tamen coacti, quod alium cibum non haberemus, contenti eo fuimus: per integrum diem, promiſſum

itineris ducem expectauimus. Planicies illa pulcherrimis arboribus conſita, quæ buxo fere ſimiles ſunt, proceritate tamen eos ſuperant, per mediam earum ſeriem via patet. Princeps ille Bendianus 50. annorum natus videbatur, facie non deformi, ſed ſtultiſſimis moribus prçditus. 7. Iulii iterum viam per continuos montes & ſyluas ingreſſi, ſequenti die fluuium ſuperauimus, qui Mengreliam à Georgia diſtinguit. Ea nocte in florenti quodam prato ſubſtitimus, lectorum vicem herba viridis ſupplebat, ad comedendum parum nobis ſupererat. 9. Iulii oppidulum quoddam Cotachis dictum attigimus, quod arce lapidea colli impoſita munitur, vbi templum eſt, quod antiquum eſſe apparet. Pons nobis tranſeundus erat ſuper latum fluuium ſtructus, qui ad pratum ducit, vbi caſæ quædam Pangionis Georgiæ Regis ædificatæ erant, ad quem arx Cotachis ſpectat, eius præfectus ad prandium me inuitauit, cum in quadam eius caſa conueniſſemus, humi diſcumbentem reperimus, meq; meosq; atq; alios è ſuis familiaribus aſſidere iuſſit; ante nobis corium quoddam ex adipe pinguiſſimum, ſtratum erat: panis, raphanus, & caro, aliæq; nonnullæ ſpurcities, quas dignoſcere non potui, appoſitæ erant. Vitrum vino plenum ſæpiſſime mihi propinabatur, vt inebriarer ipſorum more, qui Mengrelios ſtultitia & ineptiis æquant: cum vero potando eos aſſequi nollem, contemptui ipſis fui, eorumq; indignationem non mediocrem incurri, vix diſcedendi veniam obtinui, comite itineris adiuncto, qui ad Regem Georgiæ me deduceret. Inde igitur 12. Iulii diſceſſi, facto continuo itinere per montes & ſyluas, veſperi ad pedem montis in prato quicuimus, proximum erat caſtrum Scander nomine, vbi Rex Pangrates reſidebat: Dux itineris illuc ſe profecturum; & de aduentu meò Regem certiorem facturum, quam ocius ad me reuerſurum, & reliqui itineris comitem adducturum dixit, qui per totam regionem me deduceret: ſolum me in media ſylua, fame preſſum, totaq; nocte variis curis anxium dereliquit, eum illuxiſſet, rediit, & cum eo duo Regis ſcribæ, qui Regem Cotachium profectum, ſibiq; iniunxiſſe dicebant, vt omnia noſtra impedimenta, & quæcunq; nobiſcum tuliſſemus, perluſtrarent ſedulo, & publicas literas nobis darent, quo citra vllius tributi ſolutionem per totam ipſius regionem commeare poſſimus: quæ dixerunt, re executi ſunt, omnibus peruestigatis, etiam induſiis quibus induti eramus, perſpectis, quod mirum plane & abſurdum mihi videbatur, annotatis ſingulis, edixerunt mihi, vt ſolus ſine comite equum conſcenderem, & ad Regem eos ſequerer; omnem operam impendi, vt me ab hac profectione excuſarem, illi contra iniuriis me petebant: Tandem vix obtinere potui, vt interpretem meum ſocium haberem. Ad iter igitur nos accinximus, cibo & potu deſtituti, magnam viam emenſi, tandem ad caſtrum Cotachis peruenimus, vbi ſub arbore, tota eà nocte ſolum cum interprete me reliquerunt. Exiguum tamen piſcis fruſtum & panem, quo veſceremur, miſerunt. Reliqui mei ſerui in obſcurum pagum deducti, penes ſacerdotem quendam cuſtodiebantur, quid nobis animi fuerit, facile quilibet ex ſemetipſo colligere poteſt. Poſtero die ſummo mane Rex me vocauit, quem humi in caſa quadam ſedentem, multis regionis baronibus ſtipatum reperi: cum eum ſalutaſſem, varias quæſtiones mihi propoſuit. Inter alia, num ſcirem quot Reges in mundo eſſent, percunctatur, forte mihi incidit, & reſponderem, duodecim me credere. Annuit me verum dicere, ſeq; ex eorum numero vnum eſſe, mirari inſuper, quod in ipſius ditionem veniſſem, nec literas vllas attuliſſem à meo Principe? Reſpondi eius rei cauſam eſſe, quod domo diſcedens non putarlm fore, vt eius regni prouincias attingerem, aſſeueraui Dominum meum Pontificem Romanum maximi eum facere; & in reliquorum Regum numero certo habere, qui ſi ſciuiſſet euenturum, vt eius regni prouincias attingerem, dubio procul literas ad eum dediſſet, grata illi videbatur eſſe hæc mea oratio, & quæſtiones ſuas perabſurdas continuauit, ex quibus colligere potui, comitem itineris falſo me detuliſſe, quaſi magni pretii res mecum ferrem, quod verum ſi fuiſſet, nunquam ipſorum manus euaſiſſem. Scribæ tamen Regis volebant, vt quæ ipſis placebant in impedimentis meis exiguis Regi donarem, quem cum diſcedens ſalutaſſem,

rogaui

rogaui, vt ducem itineris mihi adſignaret, qui me per eius prouincias deduceret, quod facturum ſe promiſit, daturum etiam literas commeatus, quo tuto vndiquaq; tranſire poſſem. Sic igitur 14. Iulii diſceſſi, & reuerſus ſub arborem, cuius prius memini, literas & comitem ægre tandem à ſcriba regio obtinui. Reuerſus ad ſocios, qui in pago aſſeruabantur, nec vnquam futurum putabant, vt me conſpicerent amplius, quod immaniſſimum Regem eſſe à ſacerdote intellexerant, vbi me ſaluum conſpexerunt, Meſſiam ſe videre rati ſunt, nec modum ſatis hilariter me excipiendi reperiebant, quod nec miſero illi ſacerdoti ingratum videbatur, iuſſitq; ſtatim cibum mihi apparari. Ea nocte dormiuimus, vt potuimus, commodius. Poſtero die parum vini & panis ad reliquum iter melius conficiendum comparauimus. 15. Iulii denuo iter ingreſſi, per ſyluas & montes horribiles, maxima cum moleſtia per biduum illud continuauimus, veſperi penes fontem in herba quieuimus, ignemq; propter frigus excitauimus. Tandem 17. eiuſdem menſis die in vrbem Gorides, Georgiæ Regi ſubiectam, peruenimus, ea in planicie ſita, arce Cotti impoſita, munita eſt, & magnus fluuius eam præterlabitur. Dux itineris noſtri præfectum eius loci de aduentu noſtro certiorem reddidit, qui muneris accipiendi cauſa in domum quandam diuerti nos volebat: Ipſe paulo poſt nunciari mihi iuſſit, Regem illi per literas mandare, vt à me 26. ducatos accipiat, & vt duci meo ſex numerarem: quod auditu mihi mirum erat, nec fieri poſſe reſpondi, quod Rex humaniter me accepiſſet, eiq; 70. ducatos iam à me oblatos eſſe, ſed excuſationes illæ ſurdo canebantur, fuique coactus petitioni ipſius ſatisfacere, ad 19. vſque Iulii diem me detinuerunt, vix diſcedendi ab illis veniam obtinui, adeo incolæ iſti (qui beſtiæ potius quam homines dicendi) in noſtri admirationem rapti erant, vt nunquam prius homines conſpexiſſe viderentur. Quod ad Georgiæ prouinciam attinet, bonitate Mengreliam aliquantulum ſuperat, incolarum tamen iidem plane ſunt mores, & eadem viuendi ratio. Relatum nobis fuit, in quadam ſylua excelſum montem eſſe, templo magno inſignem, vbi Mariæ virginis ſimulachrum antiquum multis miraculis clarum aſſeruetur, eique quadraginta Monachos (qui Caloieri vocantur) præeſſe: non placebat illuc contendere, ob deſiderium quod habebamus ſinguli ex maledicta hac prouincia egrediendi, ſane in eius tranſitu tot ſum expertus moleſtias, vt eas recitare nimis longum & lectori tædioſum futurum eſſet. 20. Iulii hunc locum dereliquimus, continuato itinere per montes & ſyluas, interdum pagos in itinere reperiimus, vbi victum comparauimus, nocte ad fontes in gramine quieuimus, eaq; ratione totam Mengreliorum & Georgianorum prouinciam emenſi ſumus.

VENETORVM ORATOR ECBATANAM ſeu Taurin Vſuncaſſani regiam peruenit, Rege abſente, filio eius ſeſe offert, inde digreſſus, iter aliquot dierum per Perſidem continuat, donec Spaam vrbem attingit, vbi ipſe Vſuncaſſanus morabatur.

CAPVT III.

VIGESIMASECVNDA Iulii die montem immenſæ altitudinis aſcendere cœpimus, & ſub noctem vix ad ſummum culmen penetrauimus, vbi quieſcere coacti fuimus, licet potu aquæ plane deſtitueremur. Sequenti die ſummo mane itineri nos accinximus, ſuperatoq; monte, primum Vſuncaſſani ditionem, quæ Armeniæ initium eſt, attigimus, veſperi ad arcem Reo delati fuimus, quæ in planicie ſita ad fluuium quendam profundiſſimum, cui ab altera parte excelſus quidam mons imminet. Ad fluuium pagus ſitus eſt, quem Armenii incolunt, arx vero à Turcis, qui Vſuncaſſano parent, cuſtoditur, hic ad 25. Iulii diem quieuimus, vt reſidui itineris comitem nanciſcerer, nec incolis ingrati videbamur hoſpites.

Armenius, quem Theodoſia hucuſq; mecum deduxeram, qui Vſuncaſſani legatum ſe prædicarat, agnitus fuit ab incolis, & ſolius latrocinii laude mihi commendatus, vt mirum quibuſdam viſum fuerit, inſidias ipſius nos euaſiſſe: Equum quem ei accõmodaram, recepi, ſicq; à me dimiſi. Ducẽ itineris conduxi, Armenium ſacerdotem, ſpectatæ fidei hominẽ, qui me Taurin vſq; deduceret. 26. Iulii cum comite ſacerdote, & meis famulis Reo diſceſſi, ſuperato quodam monte in planiciẽ deſcendimus, vndiq; collibus cinctam, pagum Turcarũ offendimus, prope quem ea nocte in campo quieuimus; humaniter ſatis ab incolis excepti, altera die priuſquã illuxiſſet, ad ſuperandum alium quendam montem nos parauimus, quod inter deſcendendũ Turcarum quorundam pagus nobis eſſet tranſeundus, à quibus ſi conſpecti fuimus, certiſſimũ incurriſſemus vitæ periculum, quod tamen euaſimus properando, & iter accelerãdo: magna ibi pratorum planicies ſeſe obtulit, vnde celerius incedendi occaſionem nacti, parum quieuimus, in ipſo campo pernoctauimus. 29. Iul. ad montẽ Noe penetrauimus, qui cũ ſit altiſſimus, nunquã non ad radices vſq; niue albeſcit, eamq; faciem per totum annũ retinet. Quidam ad ſupremum eius faſtigium aſcendere conati, nunquam comparuerunt, nec vſquam amplius viſi ſunt: alii qui redierunt, non dari acceſſum, retulerunt. Exinde ſemper nobis ſpacioſiſſimos campos, quos colles nonnunquam diſtinguebant, iter patuit. 30. Iul. arcem Chiagri, quæ Armeniorum liberorum eſt, peruenimus, ibiq; diem vnum quieſcendi cauſa ſubſtitimus, quod panis, gallinarum & vini copiam haberemus. Inde Cal. Auguſti nouo conducto itineris duce, qui Ecbatanam ſeu Taurin viam monſtraret, ſub veſperam diſceſſimus, ad pagum Armeniorum, qui ad montem ſitus erat, ſequenti die peruenimus, naue nobis tranſeundus fuit fluuius, qui præterlabitur, prope quem Vſuncaſſanum ſuperaſſe ferunt, Tartaros fame, inedia & morbis fractos, eorũ principe, quem Soldan Buſech nominãt, capto, cui poſtea Vſuncaſſani iuſſu caput fuit amputatum: à ſiniſtra manu 11. pagi Armeniorum nobis conſpecti fuerunt, exiguo interuallo inuicem diſtincti, quorum incolæ Catholicam profitentur religionem, & Epiſcopo ſuo parent, qui Pontificis Romani imperium agnoſcit. Hęc regio totius Perſię fertiliſſima & amœniſſima eſt. 3. Auguſti oppidum Marerichi attigimus, prope quod ea nocte tranſgreſſi, poſtridie in ſummo calore, per continuas planicies equitauimus, nec vſquã aquam purã ad ſedandã ſitim reperimus. In itinere plurimos Turcomannos offendimus, qui cum ſuis familiis hinc inde peregrinabãtur ad loca herboſa, in quibus tamdiu morãtur, donec omnis herba à pecudibus ſit abſumta, tunc alio migrant. Sceleſtiſſimi ſunt latrones, nec vlla re magis quã latrociniis clarent: certe non exiguũ periculum ab iiſdẽ nobis imminebat, quod vt præcauerẽ, quoties mihi obuiam facti, ſignificari eis iuſſi, ad ipſorum Regem me tendere, quod vnicum fuit tuto ex ipſorum manibus euadendi remedium. Eodem die Taurin ſeu Ecbatanam ingreſſi ſumus: quæ in planicie ſita, muro ex terra male cõgeſto cingitur: prope eum conſpiciuntur montes, quos Tauri mõtes vocari aſſerũt. Diuerti apud hoſpitẽ quendã, qui duo cubicula nobis ad ſomnũ capiendũ cõceſſit, ſatis humaniter ſeſe erga nos præbẽs, mirabatur qua ratione eo vſq; penetrare & tot, quæ vndiquaq; impẽdere pericula dicebat, euadere potuiſſemus. Siquidẽ omnes viæ paſſim interſeptæ eſſent, quod in itinere clare vidimus; eius rei cauſam percunctãs, dixit, Gurlumamechũ Vſuncaſſani filium bellũ patri intuliſſe, & vrbem Syras ſeu Perſæpolim occupaſſe, quam eius nomine Sultanchali gubernet, ad reprimẽdos impios filii conatus, Vſuncaſſanũ exercitũ conſcripſiſſe, & Perſæpolim verſus tẽdere: clam vero cũ Gurlumamecho, quendã Satrapam Zagarli dictũ, qui proximos montes poſſideat, cõſpiraſſe, & in eius fauorẽ 3000. equites armaſſe, totamq; regionẽ ad portas vſq; Ecbatanæ deuaſtaſſe; huius igitur metu vias obſtrictas eſſe. Præfectũ vrbis ſemel cũ valida militum manu ad impediendas deuaſtationes vrbe egreſſum, ſubito à Zagarlio cæſum & in fugam conuerſum, amiſſis pleriſq; equitibus, ægre ipſum in vrbem euaſiſſe. Interrogaui cur omnes vrbis incolæ non proficiſcerentur in bellum, cum periculum proxime immineat: reſpondit, incolas militiæ non eſſe aſſuetos,

ſed præ-

ſed præfecto ſuo parere. Omni ſtudio & cura eo laboraui, vt cito hinc ad Regem proficiſcerer, ſed qui me illuc comitaretur, neminem vſquam reperire potui; neque vrbis præfectus fauorem vllum mihi exhibuit. Admonitus igitur ab hoſpite meo domi continuo latere, de victu ipſemet mihi proſpicere, quæ neceſſaria erant, per interpretem meum & Auguſtinum Pauienſem (quem Theodoſia mecum deduxeram, quod linguæ Perſicæ aliquam cognitionem haberet) comparare coactus fui. Illi diris & minis ſæpius fuerunt excepti, nec raro mors ipſa eis fuit oſtentata. Elapſis aliquot diebus Vſuncaſſani filius Maſubech nomine, cum 1000. equitibus Taurin peruenit, vt vrbem à Zagarlii incurſionibus defenderet. Hunc adii, & difficulter aditum & colloquium impetraui. Dixi me ad ipſius patrem tendere, ad quem vt tuto peruenire poſſem, comitibus mihi opus eſſe, quos mihi vt procuraret & aſſignaret, enixe rogaui, ſed nihil obtinui, vix me reſponſo dignabatur, nec vllam mei curam habere demõſtrabat, redii in diuerſorium meum, indies res videbatur in peius labi, Maſubechus pecunia Tauriſinos ad conſcribendum militem emungere cõnabatur, cuius voluntati fortiter illi reſtiterunt, omneſq; tabernæ fuerunt occluſæ: quã de cauſa hoſpitium meum relinquere, & in templum quoddam Armeniorum cum meis ſecedere coactus fui, exiguum loci ſpacium pro equis mihi aſſignatum erat. Nec quenquam ex meis egredi ſinebam, ne quod magnum nobis periculum crearetur. Quid in his anguſtiis animi mihi fuerit, facile quiſquam cogitare poteſt. Sed Deus pro ſumma ſua miſericordia, qui toties è diſcrimine nos liberauerat, hac quoque vice nos incolumes præſeruare voluit. 5. Septembris Ecbatanam peruenit Bertonius Liompardus ab Ill. Venetorum Republica ad Vſuncaſſanum miſſus, qui Theodoſiæ me conuenerat, ſocium habebat Brancalionem quendam ſuum nepotem: per Trapezuntem iter fecerat, & integro menſe ſerius me aduenit: Conſtitui Auguſtinum (cuius ſupra memini) Venetias remittere, & datis literis ad Senatum, de omnibus, quæ hactenus nobis contigerant, certiorem eum facere. Allapiam igitur eum dimiſi, quo maximis aditis periculis tandem ſaluus & incolumis peruenit. Ecbatanæ ſubſtiti ad 22. Septembris diem. Quis vrbis ſtatus & quæ conditio ſit, exacte cognoſcere non potui, ſemper enim latui, ampliſſima eſt, ſed aliquibus in locis inculta; nec magna ciuium frequẽtia refertam puto, omnibus rebus neceſſariis abundat, quæ caro tamen veneunt. Magna hic ſerici copia paratur, indeq; Allapiam defertur, ſerici etiam panni plurimi inde conficiuntur, omnium mercium copia præſtant: Gemmarum vero & lapidum pretioſorum nunquam audiui mentionem fieri. Forte appulit Cadilaſcarius quidam præcipuus inter Vſuncaſſani conſiliarios, qui apud Turcam legati munere functus, pacem procurare debuerat, qua fruſtra tentata, ad Regem reuertebatur; de eius aduentu certior factus, non ceſſaui omnem mouere lapidem, quo in ipſius colloquium admitterer, eumque munere quodam honoraui, orans vt in ſuum comitatum me recipere vellet, benigne & humaniter petitioni meæ annuit, & volente Deo, tuto me ad Regem deducturum promiſit. Inter alia mancipia duo Illyrii, qui Chriſti fidem eiurarant, illi ſeruiebant, qui continuo arctam amicitiam cum meis ſeruis contraxerunt, ampliſſimiſq; verbis ſua officia obtulerunt, certiores nos facturi de diſceſſu ſui Domini, quod etiam fecerunt poſtea, honorario à me remunerati. 22. Septembris cum Regio Conſiliario Ecbatana maximo comitatu mercatorum, & aliorum, qui metu rebellium ſe coniunxerant, ſtipati diſceſſimus. Regio, per quam profecti ſumus, vndique planiſſima eſt, raris collibus diſtincta, arida quoque vbi nuſquam arbor nobis niſi prope fluuios fuit conſpecta: pagos offendimus exiguos, ante meridiem in campo quieuimus, vbi etiam noctem poſtea exegimus; in pagis ſingulis, quæ neceſſaria nobis ad victum erant, comparauimus. Hac ratione iter continuando 27. Septembris Soltaniam vrbem peruenimus, quæ ſatis egregia nobis videbatur, arce munitur ampla, muro vndique cincta. In ea tres portæ æneæ conſpiciuntur, Damaſceno opere elaboratæ, viſu digniſſimæ, nec exiguo pretio conſtitiſſe puto. Vlterius nihil memorabile vidi, vrbs ipſa in planicie ſita, cui tamen

contigui ſunt montes quidam paullum æditi, tempore hyberno incolæ propter aſperrimum frigus alio migrare coguntur. Per triduum ibi morati, 30. Septembris priorem proficiſcendi rationem nunc per planiciem, nunc per colles repetiimus, conſueto in campis pernoctandi modo ſemper obſeruato. 4. Octobris vrbem Senam appulimus, quæ nullo muro clauditur, in planicie ad fluuium ſita, nonnullis arboribus cincta, ea nocte in hoſpitio iniquo ſatis quieuimus. Inde digreſſi, 6. denique Octobris, cum in campo nos dimiſiſſemus, febri grauiſſime laborare cœpi, adeo vt ſequenti die vix equo inſidere valuerim, mature vrbem Como attigimus, ibique poſtridie ſubſtiti, cum idem morbos omnes, qui mecum erant, inuaſiſſet, ſolo Stephano ſacerdote excepto, qui nos omnes curabat, ea fuit febris malignitas, vt nos omnes ad inſaniam adigiſſe, poſtea mihi fuerit relatum. Conſiliarius Regius miſit, qui me ſuo nomine viſitaret, & excuſaret ſimul, quod diutius eo in loco expectare non poſſet, ſiquidem ad Regem ei maturandum eſſet, ſe tamen ſeruum ſuum penes me relicturum, nec eſſe, vt quicquam timeam, ſiquidem in ea regione verſarer, vbi nemo me offenſurus eſſet. Propter morbum diu hic fui detentus. Vrbs in plano ſita, non adeo magna muro ex cœno conſtructo defenditur, incolarum frequentia & rerum omnium neceſſariatum copia abondans. 24. Octobris die iter denuo ingreſſi, licet ægre equitare potuerim, corporis viribus morbo valde debilitatis, poſtridie vrbem Caſſan attigimos, quæ in omnibus Como æqualis erat, niſi quod pulchrior aliquantulum nobis videbatur. Sequenti die in vrbem Nethas delati, quę in plano quoq; ſita, propter vini abundãtiam claret, per vnum diem tum virium colligendarum cauſa, tum quod acceſſum febris denuo ſentirem, ſubſtiti. 28. Octob. vt potui commodiſſime cõſcenſo equo ad iter abſoluendũ me paraui, eoq; per planicies cõtinuato, 3. Cal. Nouemb. Spaan vrbem, in qua Vſuncaſſan morabatur, attigi, explorato Ioſaphati Barbari Veneti legati hoſpitio, apud eum diuerti, à quo hilariter exceptus mutuisq; amplexibus familiariſſime recreatus ſum, cum vero ſomno & quiete potiſſimũ opus mihi eſſet, ſtatim me cubitum cõtuli. Poſtridie de rebus, quæ videbantur maxime neceſſariæ, conſilium habuimus. Rex vbi de meo aduentu certior fuit factus, mancipia ſoa ad me miſit, qui mihi gratularentur, & cibaria quædam munera afferrent. 4. Nouemb. ſummo mane per ſeruos nos accerſiuit. Ingreſſus cum Ioſaphato Barbaro cubiculum, vbi Rex cum octo aliis viris ſplendidiſſimis erat, eoque de more gentis ſalutato, quid in mandatis habebam, expoſui, & literas Reipub. noſtrę obtuli, cum finem dicendi feciſſem, breuiter ad ſingula reſpondit, excuſando ſe, quod in eas regni ſui partes concedere coactus fuiſſet. Poſtea aſſidere me ſuis aulicis iuſſit, appoſitiq; fuerũt copioſiſſimi cibi Perſico more ſatis bene parati. Conuiuio abſoluto Regi valediximus, & noſtra hoſpitia repetiimus. Elapſo bidoo iterum in aulã fuimus vocati, pleræq; contingnationes regiæ mihi monſtratæ fuerunt, forte tunc in campo ad fluuium quendã in loco amœniſſimo morabatur. Inter alia cubiculũ quoddam vidi, in quo Gurlumamech depictus erat, fune alligatum ducens Buſechum Sultanũ, cui ab alia parte caput amputabatur, hic omnis generis bellaria mẽſæq; ſecundæ nobis apparatæ fuerunt. Subſtitimus Aſpachanæ ad 25. vſq; Nouembris diem. Quo temporis ſpacio diuerſis vicibus in aulam prandii ſumendi cauſa vocati fuimus. Vrbs vero, vtut reliquæ moro ex terra congeſto cingitur, in planicie ſita, omnium rerũ quæ ad victum humanum pertinent, abundans, cum Regi rebellaſſet, obſeſſa, multas incõmoditates perpeſſa, cumq; obſtinatius ſeſe defenderet, furore militũ & victoris maxima damna accepit. A diſceſſu noſtro Ecbatana, donec Aſpachanam peruenimus, 24. dies elapſi ſunt. Perſia planiſſima eſt regio, & valde arida: in multis locis aquæ ſalſæ reperiuntur: frumenta & fructus, aquæ adminiculo abundanter proueniunt, omniq; genere obſoniorũ gaudent. Ab vtroq; latere mõtes imminẽt fertiliſſimi, qui frumẽti & fructuũ copiã producũt, omnia magno pretio vendũtur: vini quartarius Venetus 3. vel 4. circiter ducatis venit, panis non adeo carus eſt. Lignũ, quantũ camelus ferre poteſt, ducato cõſtat: caro quoq; carius quã apud nos vẽditur: 7. gallinæ ducato cõparantur: reliqua

liqua miriori pretio emuntur. Perſæ valde ciuiles & humani Chriſtianos non abominantur. Mulieres honeſte veſtiuntur, & decentius quam viri equitant, nec deformes eſſe ex liberali virorum forma apparet, ſectam Mahometanam ſequuntur.

VENETORVM LEGATVS ASPACHANA CVM Vſuncaſſano Ecbatanam diſcedit, vbi Ducis Burgundiæ & Moſchorum Principis legatos offendit, tandem abeundi veniam à Rege obtinet.

CAPVT IIII.

VIGESIMAQVINTA Nouembris die Rex cum vniuerſa aula Aſpachana diſceſſit: In hyberna Comum profecturus: Aulam nos quoque ſecuti eadem fere loca repetiimus, per quę antea tranſgreſſi eramus, ſub tentoriis in campis vt plurimum ſubſtitimus. Iam antea certis quibuſdam mercatoribus frumenti, commeatus, aliarumq; rerum neceſſariarum in caſtra conuehendarum cura fuerat commiſſa. 14. Decembr. Comum ingreſſi, per biduum ſub tentoriis immorati, aſpera hyeme ſæuiente, vix tandem domunculam, vbi diuerteremur, impetrauimus. Ibidem ad 21. vſq; Martium, anni 1475. ſubſtitimus. In aula ſępius vocati ad prandium, ſæpius Regem ſalutandi cauſa comparuimus. Ea ſplendidiſſima eſt, homines præſtantiſſimi ſemper in ea verſantur; quadringenti fere indies cum Rege cibum, humi ſedentes capiunt, quibus in ænea patina oryza vel aliud pultis genus ex frumento confectū, addita carne apponitur. Sed mēſa Regia magno apparatu ciborum inſtruitur. Prandenti Regi vinum ſæpius affertur, tum cantores quoq; & tibicines adſtāt, qui à Rege imperatas cantilenas modulantur. Eius perſonā quod attinet, ſatis procerus eſt, gracilis, iucūdus, vultu Tartarū referens, manus ei tremebant cū bibebat, facile cum quouis familiariter cōuerſabatur, quantum diiudicare potui 70. ætatis annum nondum attigit. Non expedit referre quoties demādati muneris cauſa ad colloquium à Rege vocatus fuerim, quidve impetrauerim, ſed ex euētu ſingula innoteſcent. Como Rex cum omnib. aulicis 20. Martii ſoluit, Ecbatanam verſus inſtituto itinere, impedimēta camelis & mulis ferebantur, vix vno die 10. vel 12. raro 20. milliaria Italica conficiebant, donec herba & paſtu iumentorū deſtituebantur. Pridie quā caſtra mouent, in alio loco tentorium Rex erigi curat, ad quod ſequenti die omnes contendūt; nec diſcedūt, donec omne gramen ſit abſumtū, hac ratione cōtinno iter perſequūtur. Mulierū quæ primæ in caſtra veniebāt, munus erat hoſpitia diſponere, tētoria erigere, & cibos maritis coquere, ſplēdide veſtitę incedunt, & optimis vehūtur equis, quorū regendorū artem apprime norūt. Gens eſt magnifica, pompis & faſtu mire gaudēs. Cameli diligēter curantur, quos è longinquo incedentes, volupe eſt contemplari. Nec quiſquā eſt tam tenuis abiectæq; ſortis, qui minus ſeptē camelos alat. Hanc aulicorū cateruam ſi procul ſpectes, immenſam eſſe hominum multitudinē crederes, opinione tamē maior quā re ipſa. Regium comitatum cum Ecbatanam intrauit, bis mille viris cōſtitiſſe puto, in itinere varie pro libitu hinc inde dilabebantur, nec vltra quingētos equites Rex vnquam ſecum habuit. Eius tentoria pulcherrima ſunt, vereq; regia, vbi dormire ſolet, cubiculi inſtar conſtructum eſt, penula rubra tectum. Mercatores qui caſtra vbinis ſequuntur, cariſſimo pretio omnia vendunt. Aulam nos quoq; inſequētes, ſinguli tentoria habebamus, ſæpius ad cœnam à Rege vocati, ſępius cibaria ab eo munera tulimus, eadem ſemper humanitate excepti, nec vſquam iniuria affecti fuimus. Cum pridie Cal. Iunii 15. milliariis procul Ecbatana Rex ſubſtitiſſet, Monachus quidam Ludouicus Bononienſis, qui Antiochenſem Patriarchā ſe profitebatur, 5. equitibus ſtipatus in caſtra venit, à Burgundiæ Duce ſe miſſum ferebat. Continuo vtrū nobis notus eſſet, Rex ſciſcitari iuſſit: quæ nobis conſtabant, reſpondimus, & nihil vnquā reticuimus: poſtero die eū vocauit ad colloquium, cui nos quoque intereſſe voluit, veſtes ſecum ex aureo filo contextas tres, toti-

demque holoſericas, rubro colore tinctas, aliasq; ex panno confectas attulerat, quas Regi obtulit. Nobis præſentibus, quæ in mandatis habebat, exponere iuſſus. cauſas legationis expoſuit, Principis ſui nomine præclariſſima quæque, verbis magnificis Regi offerens, eaque pollicens, quæ tacere potius quam referre honeſtius mihi viſa ſunt. Ipſe Rex ludibrio ea habere videbatur. Ad prandium vocati, plures quæſtiones in medium propoſuit, ad ſingulas ipſe ſatis commode reſpondit. Inde digreſſi, conſueta noſtra tentoria repetiimus. Ecbatanam 2. Iunii attigimus, vbi certa nobis fuerunt deſignata hoſpitia. Per ſex dies ibidem morati, Patriarcham & nos Vſuncaſſanus in aulam vocari iuſſit. Etſi vero iam antea quater, mihi domum redeundum eſſe, Ioſaphato diutius ſecum retento, edixerat, eius tamen voluntati nunquam aſſentiri volui, ſed quoad potui, commodiſſime reditum tam maturum deprecatus ſum, non futurum putans, vt eius rei vlteriorem mentionem facturus eſſet, ſed in aulam denuo vocati, primum Patriarchæ domum vt redeat; ſuoq; Principi Perſarum Regis nomine certo annunciet fore vt breui bellum Otthomanno inferat, iamq; in præcinctu ſe ſtare, nec promiſſis vnquam ſe defuturum. Tunc ad me conuerſus: Et tu, inquit, domum repetes, tuoque dices Principi, citra moram arma in Turcas me collaturum. Nec ipſe deſit officio ſuo; neminem habeo cui hoc munus tutius concredam teipſo, qui Aſpaamam vſque me ſecutus, ſingulorum teſtis es oculatus, quæ ibi in reditu vidiſti, ſingulis Chriſtianorum Principibus referre poteris. Regio mandato maxima cum moleſtia percepto, quo minus obtemperare poſſim, rationes allegaui. Ille vero vultu ſeueriori me intuitus; volo, inquit, vt eas, idque pro mea authoritate impero, daboq; ad tuum Principem literas, quæ & de voluntate mea & de tuo reditu eum certiorem reddant. Incertus quid facerem, conſilium à Patriarcha & Domino Ioſaphato, quorum ſæpius memini, rogaui, qui regiæ voluntati inprimis obtemperandum cenſebant, nec aliud patere remedium aſſerebant. His igitur intellectis reſpondi, grauis quidem, Rex, & moleſta mihi eſt profectio, ſed cum tibi ita viſum fuerit, non detrecto, tuæ voluntati & imperio in omnibus rebus obſequi & obtemperare: quocunque vero locorum fuero delatus, ingentem tuam potentiam & beneuolentiam erga me humanitatemque prædicabo, & Chriſtianos hortabor Principes, ne in cauſa communi ſuo deſint officio. Non ingrata Regi erat mea oratio, quam verbis humanis & beneuolis ſuo more excepit. Inde digreſſi, Patriarchæ mihique veſtes miſit, Perſico more, ex materia ſubtiliſſima confectas, nec multum poſt vnicuique noſtrum equum & parum pecuniæ offerri curauit, poſt Regis diſceſſum, Ecbatanæ per biduum vlterius permanſimus. 10. Iunii nos quoq; diſceſſimus, aulam 25. milliariis inde diſtantem repetituri, quæ in loco herbis & fontibus peramœno poſita erat, erectisque noſtris tentoriis, per multos dies ſubſtitimus, donec omnis herba & gramen fuerat abſumptum. Tunc vlterius caſtris ad quindecim fere milliaria promotis, tandem 27. Iunii Rex nos dimiſit, pridie vero ad eum vocati munera accepimus, quæ ad Principes noſtros referremus: Patriarcha quidem Burgundiæ duci, ego vero Reipublicæ noſtræ. Aderat quoque Marcus Ruffus, qui legationem Moſcouiæ Principis nomine obierat. Ea munera fuerunt opera quædam elaborata (lauori di zeſdi) item duo enſes & fulbantes, quæ capitis ſunt tedimicula & pilea. Intromiſſi in eius cubiculum, duo legati adſtabant Perſici, quorum alter ad Burgundionem, alter ad Moſchum ablegandus erat. Tum Rex ad Patriarcham & me conuerſus, Vos, inquit, ad Principes veſtros & reliquos Chriſtianorum proceres redite, eiſque meis verbis dicite, in me non fuiſſe moram, quo minus ipſemet in bellum, vt conſtitutum erat, contra Turcam profectus fuerim, ſed certo comperi, hoſtem nunc Conſtantinopoli degere, nec cum exercitu hoc anno in bellum egreſſurum, partem mei exercitus ad compeſcendos nefarios filii mei rebellis conatus. Reliquam partem contra Turcarum duces emiſi. Ego hic morabor, vt ad omnes occaſiones, quæ ſeſe offerent, præſto ſim hoſtibus reſiſtere. Hæc noſtris Principibus ſignificari, & nobis & legatis ſuis mandauit. Hæc vt & priora omnia illubentiſſime à

Rege percepi: ſed non dabatur rergiuerſationi locus. Eius voluntati parendi neceſſitas nobis incumbebat. Diſcedendi venia nobis conceſſa, ad iter accincti eramus, ſed in craſtinum expectare iubebamur, interim talem nobis fucum Rex parabat, nocte maiorem partem ſuorum peditum vltra montem trāſportari iuſſerat, qui diem expectabant, cum illuxiſſet a Ruiſcaſon quodam (ſic vocantur qui legatorum curam habent) in locum paulo eminentiorem deducebamur. Hic de variis & arduis rebus nobiſcum colloqui fingebat, cum, ecce, pedites illi eminus apparent, quos in tranſitu montis optime contemplari poteramus, eorū aduentum ipſe admirari ſimulabat. Tunc quidam ex ipſius mancipiis, horum inquit, ingens multitudo eſt, ſed & alii reſtant, non minori copia, in digreſſu dicebant 10000. virum eſſe. Vbi vero ſingula diligentius exquiſiuimus, eoſdem eſſe comperimus, qui continuo Regem comitari ſolent. His peractis literas Regias accepimus & ad tentoria noſtra rediimus. Sæpius cum variis hominibus & cum ipſo Ioſaphato Barbaro de potentia Regis cōtuli, vt pernoſcerem, quot equitum millibus Rex ſtipatus eſſet, communis plerorumq; fuit opinio Equitatū 20000. virum conſtare. Alium belli apparatum nō vidi, præterquam quod aſſerum fruſtis, quæ vnius paſſus longitudinem habebant, quidam ſe, ſcutorum inſtar, tegebant. Equites nonnulli ſupra ſericas veſtes, laminas induerāt ferreas ſatis tenues, quibus corpus tuebantur. Arma illis familiaria ſunt arcus & acinaces, quidā parmis, ſerico ornatis vtuntur, alii caſſidas & loricas geſtant: Generoſorum & pulcherrimorum equorum magna illis copia eſt. De ipſorum moribus & ſtatu regni, alia quæ in medium afferam, non habeo. Et hæc quæ dicta ſunt fuſius explicare lubens ſuperſedeo, ne tædium lectori adferant.

VENETORVM LEGATVS ECBATANA diſcedit per Georgiam atque Mengreliam proficiſcitur, ſuperatis multis periculis, tandem Phaſim peruenit.

CAPVT V.

CVM 4. Calend. Iunii plane ad abitum parati eſſemus, Ioſaphato Barbaro in proprio tentorio non abſque lachrymis valedixi, vtrique noſtrum hæc ſeparatio duriſſima erat. Equis igitur conſcenſis cum Patriarcha, Perſico legato, & Marco Ruffo Moſcouita, diuino implorato auxilio, iter ingreſſi ſumus, ſiniſtris certe auibus, propter immenſa pericula, quæ paſſim incurrimus, ad Phaſim curſum per Vſuncaſſani ditionem direxeramus, initio Armeniorum Catholicorum pagos, quorum ſupra memini, offendimus, ab Epiſcopo eius loci hoſpitio perhumaniter excepti, miſſæ catholicorum more peractæ, interfuimus, & ad paranda reliqua, ad proximum iter neceſſaria per triduum ibidem immorati ſumus, inde per quaſdam planicies, collibus diſtinctas continuato itinere, fines Georgiæ, & 12. Iulii vrbem Tipſiri Georgianorum Regi ſubiectam attigimus, hæc in colle poſita arce eminenti & munita defenditur, fluuius eam præterlabitur, Tigris nomine; vrbs hæc quondam celebris fuit, hodie valde deſtructa, exiguum quod ſupereſt, bene colitur, multiq; ibi degunt catholici: apud Armenium quendam eiuſdem religionis nos diuertimus, per Georgiam proficiſcendo caſas quaſdam reperimus, in montibus raro caſtella conſpiciebamus. 19. Iulii cū prope ad Mengreliæ fines perueniſſimus, Regem Pangratem in media ſylua, vndiq; montibus ſepta offendimus, quem nos omnes viſitauimus, inuitati cum ipſo cœnauimus, humi ſedentes, corio mappæ loco ſubſtrato. Cibi erant caro aſſata & gallinæ peſſime coctæ, vinum profuſe nobis propinabant, ea in re ſuam dignitatem verſari iudicantes. Poſt Cœnam poculis exhauriendis certabant, qui alios potando vicerat, in magno habebatur pretio. Turcæ cum vini potu abſtineant, cauſa fuerunt interrumpendi certaminis, quod cum & nos detrectaremus, contemptui ipſis fuimus. Rex 40. circiter annos agere videbatur, procerus erat, fuſcum, Tartarum ſimillimum, vultum habebat. Sequenti mane inde diſceſſimus & 22.

Iulii tandem ad Mengreliæ terminos fuimus delati. Hic Georgiæ Regis nomine belli dux quidam cum peditibus & turma equitum excubabat, quod motus quidam in Mengrelia propter obitum Bendiani principis excitari fuiſſent, hi nos ab incepto curſu nonnihil retardarunt, miniſque ac diris perterruerunt, tandem ablatis duabus pharetris cum arcubus & ſagittis, & accepta aliqua ſummula pecuniæ nos dimiſerunt. Ex eorum manibus elapſi quanta potuimus celeritate properauimus, Regia via relicta, in ſyluam nos abdidimus, ibique non abſque ſummo metu pernoctauimus, ſequenti die cum verſus Cotatin iter faceremus, in anguſtiis ruſtici quidam accurrerunt, qui vi tranſitu nos impedire conabantur, ipſamque criminabantur mortem, tandem poſt multas minas & colloquia Turcicis legatis tres equos abſtulerunt, quos non citra moleſtiam ab iiſdem recepimus, numeratis viginti circiter ducatis, ſub veſperam Cotatin regium caſtellum appulimus. 24. Iulii cum ſummo mane pons vltra fluuiū ſtructus nobis tranſeundus eſſet, iterum latrones quidā magno impetu miniſq; nos adorti, nec prius ab ipſis dimiſſi fuimus, quam pro ſingulis equis ſolidum perſoluiſſemus, hoc ponte ſuperato Mengreliæ territorium attigimus ſemper conſueto in campis dormiendi & cubandi more obſeruato. Hic noua nos exceperunt pericula, diſcriminaque. Namque 25. Iulii cum fluuium ratibus ſuperaſſemus, in caſam mulieris cuiuſdam deducti, quæ Mareſca Bendiani ſoror vocabatur, humaniter ab ea fuimus excepti, panis & vinum nobis fuit oblatum, & in pratum ipſius vndique ſeptum & clauſum fuimus admiſſi, cum poſtero die diſceſſuri eſſemus, munere quodam exhibitam beneuolentiam compenſare cogitabamus oblatis circiter viginti ducatis, quos tamen acceptare intio renuit, mox vero ad fraudes conuerſa abitum impediebat, niſi duos pro equis ſingulis ducatos numeraremus: mirabamur rei nouitatem & paupertatem allegabamus, ſed fruſtra, nec prius abire licuit, quin præter petitam pecuniam, minus quod antea obtuleramus, extorſiſſet: verebamur ſane ne rebus omnibus ab ea ſpoliaremur, cum eius hanc agendi rationem verſuriamq; conſideraremus. 27. Iulii quidam noſtrum equis, alii ratibus conſcenſis Phaſin tandem diſſipati peruenimus & diuerſorium Marthæ illius Circaſſiæ, cuius ſupra memini, repetiimus, variis periculis & diſcriminibus iactati in via, nec lætiori rerum noſtrarum ſucceſſu Phaſide fuimus excepti, triſte enim accepimus nuntium, Caffam ſeu Theodoſiam (quo omnis ſpes noſtra & curſus itineris directus erat) à Turcis occupatam eſſe. Quantum hic nuntius nos perturbarit facile quilibet exiſtimare poteſt, plane enim conſilii expertes, quid ageremus, quo nos conuerteremus, nuſquam deliberando & conſultando aſſequebamur. Ludouicus Bononienſis, Patriarcha Antiochenſis, per Circaſſiam, atque Tartariam & Ruſſiam reditum moliebatur, hoc enim iter ſibi notum prædicabat, iam antea nos obſtrinxeramus ne alter ab altero diſcederet, deſereretque ſocios, quod tunc ei ſæpius in memoriam reuocaui, ſed inſperatum ab eo tuli reſponſum, tempus nimirum inſtare, vt quilibet ſuæ ſaluti & vitæ conſuleret. Iniquum hoc mihi videbatur reſponſum, inſtitique precando, ne tantam erga me crudelitatem admitteret, ſed nihil impetraui. Omnimodo ille abitum parabat cum ſua familia & legato Turca, quem Vſuncaſſanus ei adiunxerat. Quo cognito, ad Marcum Ruffum & Turcicum legatum quem ſecum habebat, me contuli, cum his vnde veneramus reuerti cogitabam, gratum habere hoc meum conſilium præ ſe ferebant, & in ſignum fidei ora inuicem oſculabamur, ratamque hanc fore promiſſionem credebam: Illi vero clam conſpirarunt iter per ditionem Gorgoræ, Calcicani Domini tenere, vrbemque Vati petere, quæ Turcarum ditioni finitima, & tributum Ottomanno ſoluit. Hæc via minus tuta mihi videbatur, ideo Phaſidi permanere malui. 6. Auguſti Patriarcha diſceſſit, quem poſtero die Marcus Ruſſus ſecutus eſt, eumque Ruſſi quidam comitabantur, equis & nauibus Vati vrbem petebant, inde per Cyropolim, quæ Samachi dicitur, in Tartariam proficiſci cogitabant. Solus igitur relictus, quomodo animo fuerim affectus, cuiuis intelligenti conſiderandum relinquo: omnibus deſtituebar ſociis, & præ-

ter

ter quinque meos famulos neminem habebam familiarem vel notum, pecuniæ parum ſupererat, & de ſalute mea fere protinus deſperabam, nec vlla ratio itineris ineundi, nec modus ex his regionibus euadendi conſtabat: mœrore igitur atque luctu fere exanimatus, in febrim incidi grauiſſimam, nec aliud medicamentum morbo adhiberi poterat, præter aquam præterlabentis fluuii & parum panis, raró & ægre quidem pullos gallinaceos nanciſci potui. Morbus indies auctus ad deliriũ me redegerat. Paucis elapſis diebus 3. mei famuli eodẽ morbo fuerunt correpti, vnus ſupererat Stephanus ſacerdos, qui omnes curabat: pro lecto vilem culcitram habebam, quam Iohannes Volcanus Genuenſis, qui ibi morabatur, commodato dederat, ad 9. vſque Septembrem morbus continuauit. Iamque omnes de mea vita deſperarant, ſed induſtria hoſpitæ noſtræ Martæ, imo potius ex miſericordia Dei clementiſſimi, præſens euaſi mortis periculum, & ſanitati ſenſim fui reſtitutus. Cum etiam famuli mei iam melius haberent, vnica erat cura & deliberatio noſtra, de futuri itineris ratione ſanum inire conſilium. Quidam per Syriam proficiſci ſuadebant, quod nimis periculoſum iudicabam. Igitur Cyropolim vel Sumachiam petere, inde per Tartariam ire conſtituimus. 10. Septemb. equum conſcendi, vix duorum milliarium iter confecetam cum propter imbecillitatem virium amplius equo inſidere non valui, vbi humi, relicto equo, aliquantulum quieui, diuerſorium meum, vnde digreſſus fueram repetere coactus fui, vbi ad 17. vſque eiuſdem menſis diem ſubſtitimus, reſtauratiſque viribus, viam denuo, impiorato auxilio diuino, ingreſſi ſumus, comitem itineris Græcum quendam, qui Mengreliorum linguam callebat, mecum ſumpſi, à quo in infinita fui adductus diſcrimina, quæ enumerare ſingula, nimis longum, nimiſque tædioſum foret.

LEGATVS VENETVS PHASIDE DISceſſit, per Mengreliam & Georgiam in Mediam proficiſcitur, inde ſuperato Caſpio mari in Tartariam peruenit.

CAPVT. VI.

PHASIDE, vt dixi, 17. Septembris die diſceſſimus, per Mengreliam facto itinere, 21. eiuſdem menſis Cotatin defeſſi atque imbecilles tum ex morbo tum ex itinere, attigimus. Græcus ille itineris dux non ceſſarat hactenus nouas indies moleſtias nobis creare, ob quas eum, quoad potui, honeſte dimiſi, elapſo biduo cum ignotis quibuſdam, quorum ne linguam quidem intelligebamus, viam ingreſſi, montes quoſdam non ſine maximo metu ſuperauimus. 30. Septembris die cum Tiphin perueniſſemus, in ſacello Armenii cuiuſpiã Catholici diuertimus, qui mortuo quam viuenti ſimilior erat, ab eo omnia hoſpitalitatis officia nobis exhibita fuerunt: cum ibi moraremur filius eius, neſcio quo noſtro malo, peſte quæ eo anno vehementer illis locis erat graſſata, correptus fuit, cumque nobiſcum verſaretur, continuo vnus è meis famulis Mapheus Bergomenſis eadem contagione laborare cœpit, & per biduum à latere meo non diſceſſit, ſed pro more mihi inſeruiit, donec ingraueſcente malo, lecto amplius ſurgere non poſſet, & morbus à nobis agnoſceretur, conſulebant igitur vt cubiculum mutarem; cum nuſquam receſſus pateret, in ſtabulum vbi vaccæ nocte quieſcebant, me recipere coactus fui. Nec Armenus, noſtrum Mapheum amplius domi ſuæ hoſpitari volebat; quem ad me rurſus recipere cogebar. Stephanus eius gerebat curam, donec Deus ad alteram vitam eum euocauit, vix tandem aliud quoddam ſtabulum obtinui, in quo aeris mutandi cauſa migraui, ab omnib. eramus deſerti, vno dempto ſene, qui noſtram loquelã parumper intelligebat. Is ſemper fidiſſime nobis inſeruiit. Permanſimus hic ad 21. vſq; Octob. diem, pridie vero quam diſcedere conſtitueramus legatus ille Turca, qui cum Antiochenſi Patriarcha Ludouico profectus fuerat, appulit querens ſe ſpoliatũ rebus omnib. Patriarchę culpa, cũ quo Lauogaſiã vſq; iuerat, eoq; derelicto ad Vſuncaſſanum

ſeſe pergere, vt iuſtas ſuas querelas ei exponat. Cõſolatus ſum hominem, quo ad potui commodiſſime, & vna impoſterũ proficiſci conſtituimus. Tiphis vrbs ad Pancratem Georgiæ Regem ſpectat. Inde bidui facto itinere, Vſuncaſſani regiones ingreſſi ſumus, viã enim, quæ Samachiam ſeu Cyropolim ducit, tenebamus: Regio ipſa amœniſſima & fertiliſſima eſt. Vigeſima ſexta Octobris inuicem diſceſſimus, ille Vſuncaſſani Regnum: Ego ditionem Siuanſæ, cui paret Samachia petebam. Eius ope Turcicum ſacerdotem impetraui, qui Cyropolim vſque iter monſtrauit. Media fertilitate & amœnitate Vſuncaſſani regiones longe ſuperat, plana fere vndiq;, eius metropolis vt dixi Samachia eſt cui Siuanſa Mediæ Rex imperat, quo Cal. Nouembris fui delatus, ſericum hic paratur optimum & magna copia, ex quo panni leuiſſimi variæ ſortis conficiuntur. Magnitudine Ecbatanæ cedit, ſed quantum iudicare potui, omnium rerum abundantia, commeatus inprimis longe illam ſuperat. Cum ibi hærerem forte appulit Marcus Ruſſus Moſcouiæ legatus, qui mecum Phaſidem profectus fuerat, cum hic me verſari cognouit, in hoſpitio vbi eram, pro ſua humanitate me viſitauit, eum complexus peramãter, officioſe eum rogaui, vt impoſterum me meosq; in ſuam ſocietatem recipere vellet; quod benigne ſe facturum promiſit.

Sexta Nou. inde diſceſſimus verſus Caucaſias ſeu ferreas portas, quas Derbent ſuo idiomate nominant. Siuanſæ vrbs hæc patet, extremos Tartariæ campos attingit: In itinere nunc montes nunc planities ſeſe offerebant. Nec Turcæ, apud quos diuertebamur, inhumanos erga nos ſeſe præbebant. In media via oppidulum habuimus, quod optimorum fructuũ omnis generis, pomorum inprimis, fertiliſſimum erat, copiã vt admirati fuimus omnes. Ad Caucaſias portas 12. Nouemb. peruenimus, hybernare ibidem ex quorundam conſilio cõſtituimus, quod qui Ruſſiam tendunt, per Tartariæ deſertum proficiſci coguntur, id in vere commodius quam in hyeme fieri poteſt, & Caſpium mare (quod Mardi Bachan vocant) nobis erat ſuperandum. Inde ad vrbem Citracar quæ in ipſa Tartaria ſita eſt, via ducit, Derbent, ad Caſpium mare ſita eſt ab Alexandro Magno ædificata perhibetur. Ferrea porta dicitur, quod ex Tartaria in Mediam atq; Perſiam proficiſcentibus nulla alia via pateat, quam per hanc ipſam vrbem, vnde vallis profundiſſima in Circaſſiam vſq; tendit. Mœnibus latis & optime conſtructis munitur: ſed à mõtis radicibus, vbi arx poſita eſt, ne ſexta quidem vrbis pars inhabitabatur; quo ad mare vergit, diſiecta dirutaque eſt, plurima ibidem ſepulchra conſpiciuntur. Commeatus vini, omniſq; generis fructuum copia præſtat. Hoc mare quod etiam Hircanum vocatur exitum nullum habet, latitudine Euxinum Pontum æquare putatur. Eſtq; profundiſſimum, Lupos canatos, quos vocant, & Morones magna copia capiunt, alios piſces non habent, præter innumeram Canum marinorum multitudinem, qui capitis, pedũ & caudę forma terreſtribus ſimillimi ſunt. Ibi quoq; piſcis eſt figuræ rotundæ, vnius fere vlnæ & mediæ, in quo nullum caput, nec aliud membrum conſpicitur. Inde liquorem eliciunt, quo ad vſum luminis vtuntur. Camelos quoq; inungunt, & per totam regionem circumfertur. Exacta iam hyeme, cum nouum ver adeſſet, 6. Aprilis Caſpium mare ingreſſi ſumus, ſocios nacti perhumanos. Ea enim natio non eſt crudelis, nec fera, nullam ab ea iniuriam accepimus, ſemel qui eſſemus quæſiuerunt, cum Chriſtianos nos intellexiſſent, nihil prætetea ſciſcitati ſunt. Thorace indutus eram laecero, pelle agnina duplicato, tunica ſuperinducta pellicea, pyleo quoq; ex ſimillibus pellibus confecto vtebar. Eo habitu in forum ſæpius proceſſi & carnes aliaq; obſculenta domum portaui. Quidam tamen qui me conſpexerat, ad alios conuerſus dixit, hic non videtur natus ad carnes portandas, quod cum Marc9 Ruſſus intellexiſſet, quid rei eſſet me admonuit, mirabar ſane in habitu tã ſqualido & vili me dignoſcier & eiuſmodi de me ferri iudiciũ, verum, vt antea dixi, ſocios habebamus iucũdos & humanos. Cum hic hærerem de ſtatu rerum Vſuncaſſani & Ioſaphato Barbaro certi quid intelligere magno tenebar deſiderio. Miſi igitur Demetrium interpretem meum Ecbatanam quæ 20. dierum itinere diſtabat, iſque 50. tandem die ad me reuerſus literas à Ioſaphato Barbaro

attulit

attulit, quibus Regis Ecbatanæ præſentiam ſignificabat, ſed quid rei gereret, plane incognitum ſibi eſſe ſcribebat. Marcus interim Iuſſus nauem conduxit, qua Curcram veheremur. Naues illæ hyberno tempore in terrã ſubducuntur quod mare nauigationem non admittat, in prora puppique anguſtiores ſunt, alueum largiorem habent, ligneis clauis configuntur & collinuntur pice. Nec magnete nec pyridicula nautica vtuntur, ſed littus ſemper legunt; Nauigia eorum periculoſiſſima ſunt, & remos quoſdam adhibẽt, artis autem nauticæ plane ſunt imperiti, licet nullos præterquam ſe, nautas eſſe credant. Machometanam ſectam omnes ſequuntur. 5. Aprilis die nauem ingreſſi, terra ſoluimus, 35. viri vna naue vehebantur, annumerato nauis magiſtro & nautis, reliqui mercatores erant, oryzam, pannos ſericos & bombycinos ad mercatum Citrachanam ferentes; Ruſſis vel Tartaris eos vendere vel rebus aliis permutare ſtatuebant. Per triduũ littus & montes proximos à quibus vix 15. milliar. aberamus, ſecundo vento legeramus, cum in plana loca emerſimus, ſubitoq; ventus contrarius die iam inclinãte ſpirare cœpit. Nocte ſequente tempeſtas aucta, vt iam actum de nobis omnes crederemus, ſed non obſtante euidenti periculo in terram euadete conabamur: nobis id molientibus, nauis forte vi fluctuum & procellarum impulſa in foſſam, quæ in continenti erat & difficulter eam capiebat, defertur, in qua tanquam in portu immota & ſecura ſtabat, nec amplius periculum à procelloſo mare imminebat. In proximum littus euadendi, nulla alia ratio patebat quam per ſtagnum, quod omnes ingreſſi, impedimenta noſtra humeris è naui extulimus, iamq; nauis aquam hauriebat, frigoris vi omnes premebamur, tum propter ventum, tum quod madidi eſſemus; cum illuxiſſet, omnium ſuffragiis concluſum fuit ne quis ignem accenderet metu Tartarorum, à quibus ſummum periculum nobis imminebat. In littore equorum veſtigia apparebant: Rates quoq; aderat nuperrime fracta, inde iudicabamus equis illis vectores vel viuos vel mortuos abſportatos fuiſſe. In eo metu vnum nos ſolabatur, quod in propinquo multæ eſſent paludes, vnde Tartaros lõgius à littore abeſſe credebamus, ad 14. Aprilem vſq; hoc in loco ſubſtitimus, cumq; commoda videbatur nauigatio, nauem è foſſa extractam & in mare denuo immiſſam onerauimus, eaq; die quæ Paſchatis vigilia erat, 30. circiter milliaria confecimus, cum altera vice contratio vento ſuimus excepti: ſed in Inſulas quaſdam quas Cannæ effecerant delati effugimus diſcrimen maris, licet ob frigoris vehementiam extrema quæque pateremur, tandem in continentem per arundineta madidi & defeſſi euaſimus. Nautæ magno labore tandem nauem extra fluctuum iactum funibus extraxerunt, hac ratione diem illum & alterum qua Paſcha & reſurrectionem Saluatoris noſtri celebramus, exegimus, nec alium præter butyrum & oua quædam forte in arena inuẽta habebamus cibum quo tam læto die nos exhilararemus. Nautæ & reliqui nauigationis ſocii, quis eſſem ſæpius ſciſcitabantur. Dixi (vt iam antea cum Marco Ruſſo conueneram) me medicũ eſſe, Deſpimæ, vxoris Moſcouiæ Ducis, ſeruum, meq; iam ad illam tendere. Paulo poſt quidam ex nautis carbunculo laborare cœpit, qui meum rogauit conſilium: Forte in naui parum olei reperi, ex quo (cum farina & pane cõmixto) emplaſtrum feci, eoq; breui tempore carbunculum ſanaui, tunc firmiter medicum me eſſe crediderunt & ſecum me retinere cogitabant: Sed Marcus me excuſauit, quod nulla ad manus medicamenta haberem, fore promittens, vt breui ex Ruſſia ad eos reuerterer.

VENETORVM LEGATVS SVPERATO mare Caſpio Citracanam Tartarorum vrbem peruenit: à Tartaris in multa ſæpe diſcrimina & metum conücitur, tandem cum mercatoribus Moſcouiam petit.

CAPVT VII.

DECIMA quinta eiuſdem menſis die, cum ſecundum haberemus ventum denuo mari nos commiſimus, inſulas illas & arundineta legentes, tandem

26. die oſtium Volgæ, fluuii immenſi, qui ex Ruſſia deſcendit, ingreſſi ſumus, inde ad vrbem Citrachan 76. milliaria numerantur, ad quam 30. Aprili delati fuimus, ab altera vrbis parte ſalinæ ſunt vbertimæ, vnde toti illi prouinciæ & circũiacentibus regionibus ſalis copia ſuppeditatur. Nolebant Tartari qui vrbi imperant nos ea veſpera vrbem ingredi, ſed in caſa quadam pernoctare, poſtera die tres Tartari principis nomine ad nos veniebant latiſſima oris facie deformes qui nos deducerent ad eum, Marcum amice excipiebant, & eum amicum eſſe Tartarorum principis perhibebant, me vero mancipium eiuſdem eſſe dicebant quod omnes Francos hoſtium numero haberent. Ingratus hic erat nuntius, & inuitiſſimus hæc noua percepi: Marcus pro me reſpondit, nec quicquã me loqui volebat, præterquam quod ipſorum fidei me commendarem. Id Cal. Maii contigit. Reuerſus ad tuguriolum indies maiori diſcrimine & metu fui conflictatus, vt non ſatis animo aut auribus oculiſq; competerem: inprimis propter Comerchieros, qui me gẽmas habere omnino dicebant: & cum penes me aliquid mercium Derbenthi emptarum eſſet, quas cum aliquo equo ad vſum itineris permutare inſtitueram, omnia nobis erepta ſunt. Poſtea ſignificarunt nobis, eodem interprete Marco, nos ab ipſis venundatos iri: eamq; ob rem certos homines in Moſcouiam cum mercatoribus venturos eſſe, ſed poſt multa diſcrimina ac moleſtias locus eſt ei rei conſtitutus, in oppido Alermi, vnde duobus milliaribus eorum Dominus aberat: vt interea taceam quæ opſonandum aliis nos præbere oportebat. Quare cum nec obulus apud me ſupereſſet vllus coacti ſumus à Ruſſis mutuo accipere Tartatiſq; negotiatorib. qui in Moſcouiã vna proficiſcebantur, ſed ingenti fœnore, nec aliter, quam interceſſore & fideiuſſore eodẽ, quem ſæpe nominaui Marco. Ita de Domino re cum illis tranſacta ſilẽtium aliquandiu fuit. Cæterum Comerchierorum Chamus ſiue princeps cum aliquando Marcus, domo abeſſet, ad me veniebat, & effracto oſtio, voce truculenta & minis aſperrimis gemmas quas me habere credebat, extorquere conabatur: vix eius euaſi manus, mulcendo eum & deprecando necem. Sæpius Tartari ebrii ex potu ex melle confecto tempore nocturno ad nos aduolabant; Francos ſibi dedi magna importunitate & tumultu poſcebant, nemo audaciſſimorum hominum inuentus fuiſſet, qui ob inſtans, & fere ante oculos poſitũ diſcrimen non fuiſſet perterritus. Hoc in loco ad 10. vſque Auguſti diem, qui D. Laurentio ſacer eſt ſubſtitimus. Vrbs Citrachan ad tres fratres ſpectat qui Tartarorum Imperatoris ex fratre ſunt nepotes, Cinaſſiæ campos & Tanais littora ſemper prædatum peruagantur. In ęſtate, maxime cum calor feruet, frigidiora & herboſa Ruſſiæ loca petunt. Vix per menſem hyeme ſæuiente in hac vrbe morantur. Vrbs ipſa non adeo magna eſt ad Volgæ littus poſita, ædificia ex terra ſunt conſtructa, muro humili circumdatur, alia non ita pridem ædificia ſtetiſſe apparet. Emporiũ ſatis celebre quondam fuiſſe perhibent: & aromata quo Venetias tunc temporis vehebantur, huc primum inde Tanaim quæ 8. dierum ſpatio diſtat delata fuiſſe affirmant. Citrachanæ princeps, cui Caſimacæ nomen eſt, ſingulis annis legatum in Ruſſiam ad Moſcouiæ ducem muneris aucupandi cauſa mittit, hunc plurimi Tartarorum mercatores comitantur, merces ſecum ferunt, veſtimenta ſerica & bombycina, quæ pellibus, ephippiis aliiſq; rebus, quibus indigent, permutant: Via in Moſcouiam alia non datur, quam per continua deſerta, vnde quilibet commeatũ ad iter ſeſe inſtituere cogitur. Eius rei Tartari exiguam curam gerunt, habent enim magnam equorum copiam è quibus diebus ſingulis vnum comedunt. Sola enim carne & lacte veſcuntur, nec alium cibum curant. Ignari quid panis ſit, paucis mercatoribus exceptis, qui forte Ruſſiam frequentarunt: Nos vt potuimus commodiſſime de victu ad iter nobis proſpeximus, parum oryzæ ægre nacti ſumus. Ex ea, lacte ſuperinfuſo, pultis genus coquunt quod ſolis ardore exſiccatum magnam vim nutriendi habere perhibent, cæpes quoque & allia nobis erant & parum panis bis cocti. In ipſo abitu veruecis caudam ſale conditam adeptus ſum. Via inter duo Volgæ brachia patebat; Bellum tum Imperator Tartarorum gerebat cum quodam ſuo nepote qui quod pater eius imperium tenuiſſet, ſu-

ſet,ſuper illud ius prætendebat, iter igitur minus tutum videbatur, vnde omnes deliberarunt,ad alteram fluuii ripam ſecedere, donec ad anguſtias quaſdam inter Tanaim & Volgam poſitas perueniret,quæ 5.dierum itinere diſtabant, tunc extra periculum nos verſaturos credebant. Ratibus igitur impedimenta omnia ad alterum littus fuerunt delata: ſed Marcus volebat ne ab eo diſcederem quod cum ipſo & legato,cui Auchioli nomen erat,commodius iturus eſſem,circa meridiem cum legato & interprete meo ad ſtationem nauium,quę 12.milliar.diſtabar, vbi noſtri erant ſocii proficiſci me iuſſit, quo ante Solis occaſum perueni, cumq; iam paratus eſſem rate ad alteram ripam permeare, ecce ſubito Marcus adeſt magno impetu, magnoq; furore me affatus ſubita fuga inſtans periculum euadere iubet:Iam vltimam vitæ horam inſtare certo credebam.Conſcendi igitur equum cum interprete meo & muliere Ruſſa, ducem ille itineris addidit Tartarum quendam, truculentiſſima facie, nec aliud præcepit,quam vt celerrime equitaremns, proximum erat monitis eius obedire, & præeuntem Tartarum ſequi,totam noctem & partem mediam diei ſequentis equitãdo exegimus; nec vnquam vt deſcenderemus permittere volebat.Sæpius per meum interpretem ſciſcitari iuſſi quo me duceret.Ille tandem cauſam,ob quam Marcus tã pręcipitanter nos diſcedere iuſſerat, exponit, quod nimirum Imperator mandaſſet naues vndiquaq; perluſtrari & perueſtigari. Vnde ille veritus, ne ſi forte in me incidiſſent,me retentaſſent vel in ſeruitutem rapuiſſent,hoc 13. Auguſti die circa meridiem contigit, ad fluuium iterum delati Tartarus ratem diſquirebat, vt in Inſulã nos deferret,quæ in medio fluuio poſita eſt.Ibiq; Auchioli pecudes paſcebant. Cum vero ratem nuſquam inueniebat,ramos quoſdam abſcidit, eosq; vt potuit optime & ſtrictiſſime colligauit;primum equorum ephippia impoſuit, tũc eoſdem fune ad caudam equi ligauit,ipſe equo inſidens, in Inſulam ſic tranſiit: quæ duobus arcus ictibus attingi vix potuiſſet. Reuerſus poſtea mulierem Ruſſam deduxit. Interpres meus natando eo euaſit,tum ad me quoq; tranſportandum reuerſus eſt,etſi ante oculos ingens periculum verſabatur, tamen fluuio me commiſi, veſtibus depoſitis, vt ſi minus dextre nauigatio ſuccederet,nando commodius euaderem & ſic in Inſulam fui delatus: Tandem equos tranſmiſit, quibus conſcenſis Tugurium ipſius petiimus, quod penula ex coactili materia ægre tectũ erat, vbi parumper quieuimus.Iam tertia exacta dies erat ex quo nullum cibũ ſumpſeram, parum igitur lactis ſeroſi impertiit,quod valde nobis arridebat. Accurrerunt ſubito Tartari plurimi,qui greges cuſtodiebant,cũq; me videbant,hiantes mirabantur,quomodo in eã loca delatus fuiſſem,in quo nunquã Chriſtianus ante me penetrarat. Nihil eis reſpondi,ſed vt potui morbũ & ægritudinem ſimulaui, ſed Tartarus qui me deduxerat, humanũ ſeſe præbebat & omnem fauorẽ & beneuolentiã exhibebat: die ſequenti,in ipſa vigilia B. virginis, quo maiori me honore afficeret,agnum pinguem mactauit, partem eius aſſauit, partẽ elixauit,eo cibo optime veſcebamur,ſordide licet omnia cocta eſſent, nec à carnis eſu religio me abſterruit,ſeroſum quoq; lac apponebat, & quod plurimi illi faciunt,lac equinum de quo tamẽ bibere nolebam, quamuis ægre id ferre videbantur. Subſtiti per biduum hic:cum ecce 26. Auguſti Marcus cum toto mercatorum comitatu è regione Inſulæ apparet, qui continuo rate Tartarũ & Ruſſum ſeruum ſuũ me accerſitum mittit,ad quem continuo me contuli,Stephanus & Iohannes Vngarus mea præſentia mire fuerunt exhilarati, non futurum enim credebant,vt vnquã amplius me viderent.Equum Marcus procurarat quantum opus mihi erat:vnũ diẽ quieuimus,priuſquam deſertũ,qno in Moſcouiam proficiſcitur, ingreſſi ſumus,legatus omnibus imperabat; & comitatus vniuerſus, 300. circiter perſonis Tartaris & Ruſſis conſtabat. Illi ad ducentos fere equos ſecum ducebant,quos vel vendere in Ruſſia, vel in itinere comedere conſtituerant. Pulchro ordine ad littus fluuii inceſſimus; ibidem pernoctauimus & ſub meridiem quieuimus,per 15.dies ea ratione iter continuauimus,cum periculum nos euaſiſſe affirmabant,quod ab Imperatore Tartarorum inſtabat.Eius nomen mihi iam non ſuccurrit, imperat Tartaris, qui vicinis illis locis degũt,iiq; paſſim

hinc inde vagantur, herboſa loca & aqua irrigua quærunt, nec diu vſquam ſubſiſtunt, lacte & carne, vt dixi, victitant. Vaccas habent & iuuencas quarum pulchritudinem ſi ſpectes, vix toto in mundo ſimiles reperiri credas, nec deteriores habent oues & verueces. Caro ipſa propter paſcuorũ præſtantiam delicatiſſima eſt; pluris tamen lac equinũ æſtimant. Regio planiſſima & amœniſſima eſt, nec vſquã mons vel collis apparet. Nõ attigi ditionem Imperatoris, cuius imperium deſcribo, ſed quæ hic poſui ex aliorum relatione percepi: omnium fert ſententia vltra bis mille non reperiri, qui gladio & arcu ſint armati, reliqui plane ſunt inermes & nudi, latrocinii laude inprimis celebrantur, continuo enim Circaſſiã atq; Ruſſiam deprædãtur & infeſtant. Equi ipſorum ferociſſimi ſunt & ferã naturam habent, nec ferreas ſoleas ferũt. Hi Tartari continuo intra Tanais & Volgæ littora excubant. Vltra Volgam aliam Tattarorum gentẽ reperiri dicunt, qui ad cingulum vſq; capillos nutriunt, ſilueſtres ſeu feri Tartari appellantur. In hyeme cum aſperum frigus ſæuit Citrachanũ vſq; excurrunt, vbi tamen præter carnium furta nihil damni inferunt, aquam & herbam continuo reliquorum more ſectãtur. Cum per quindecim dies iter ad ripam fluuii feciſſemus, ſyluã exiguam offendimus, vbi Tartari & Ruſſi ligna cædebant ad rates conficiendas, quibus fluuium transfretarent, dum illi his parandis ſtudent, forte in ſcapham nos incidimus, quæ certe parum valebat & non bene erat compacta, hac Marcus omnia ſua impedimẽta ad alteram ripam tranſportari curauit. Reuerſis qui ea illuc deduxerant, me iubet ad cuſtodienda ſingula cum noſtris impedimentis, & cõmeatu, qui ſupererat transfretare. Demetrium interpretem & Hungarum equos cuſtodire volebat. Ingreſſus igitur Scapham cũ Stephano & duobus Ruſſis, qui lignis quibuſdam Scapham gubernabant, ſpatio vnius milliaris vtraq; littora inuicem diſtabant: grauius tamen diſcrimen impendebat. Ex præcipiti curſu fluuii, & quod Scapha iam aquã hauriebat: quam nos ſentinabamus, tandẽ fauente Deo, magno cum labore ad alterã ripam euaſimus. Impedimentis in continentẽ expoſitis, Ruſſi denuo trãsfretare cogitabant. Sed impediebantur, ꝙ Scapha penitꝰ lacerata eſſet; Sex igitur noſtrũ hic manere cogebamur. Sequẽti mane totus comitatus nos ſequi debebat, in quo trãsmittendo biduũ integrũ cõſumptũ eſt. Socii mei quos penes equos reliqueram, ꝙ comederent, quod induerent, nõ habebant: omnia enim mecũ tranſportaram. De commeatu non parũ eram ſollicitus, quo diligenter examinato, valde dimitutũ eum reperi: viritim igitur diebus ſingulis, quæ neceſſaria videbatur portio, diſtribuẽda erat, licet tardior, in fundo quaſi, parſimonia erat. Oryza, cæpe, allia, lac ſeroſũ, cibus fere qnotidianus erat, poma hic reperimus ſylueſtria, quibus aſſatis nonnunquã veſcebamur. Biduo elapſo totus comitatus cum impedimentis omnibus, ratibus ad equorũ caudas alligatis fluuiũ ſuperauit, vnã ratem ſex vel ſeptẽ equi à Tartaris ſeſſoribus gubernati, trahebant, non iniucundo, periculoſo licet, ſpectaculo, vbi parũper quieuimus ad iter denuo nos accinximus, fluuio derelicto, qui certe ingens eſt & latitudine ac profunditate paucos ſimiles habet: duo enim milliaria in latitudinem eum patere exiſtimo, magna profunditate altiſſimis ripis.

VENETORVM LEGATVS PER SARMATIAM EVropæiam, Moſcuam, Ruſsiæ Albæ metropolim peruenit, Moſchorum ducis aulam frequentat, & qua ratione ab eo fuerit exceptus.

CAPVT VIII.

VIAM igitur, vt dixi, diuino implorato auxilio, ingreſſi nunc verſus ſeptentrionalem plagam, nunc verſus occidentalem, per ſpatioſiſſima deſerta iter faciebamus. Eundem quem ſupra expoſui, itineris modum obſeruabamus, meridiei & crepuſculi horæ quieti erant deſtinatæ, pro lectulo humus, cœlum & aer pro tegmento erat, nocte vigilias metu inuaſionis & inſidiarum tribus in locis agebamus. Sæpius nec pro hominibus nec pro equis aquam reperiebamus, nec feræ ſeſe offerebant beſtiæ, offendimus aliquando quadraginta circiter equos in paſcuis, quos anno præterito mercatoribus

commean-

commeantibus elapſos aiebant. Incidimus etiam in Tartaros quoſdam cum viginti carris, ſed quo tenderent cognoſcere non potui. Noſter commeatus valde erat diminutus, vnde parcius etiam nobis viuendum erat. 22. Septembris die Ruſſiam ſumus ingreſſi. In media ſylua tuguriola ruſtica poſita erant, quorum incolæ vbi Marcum in eo comitatu eſſe cognouerunt, ſtatim eum metu Tartarorum adierunt, mel cum cera offerentes, cuius partem mihi meisq; tribuit, noſtræque ſuccurrit indigentiæ, adeo enim noſtræ attenuatæ & exhauſtæ erant vires, vt vix equos conſcendere valeremus. Prima nobis occurrit vrbs Reſan, cuius Princeps Moſcouiæ ducis ſororem in matrimonio habet, cuius arx & reliquæ ædes omnes ex ligno erant conſtructæ. Carnis, panis & hydromelis copiam habebamus qua egregie fuimus recreati. Inde digreſſi per ſyluas denſiſſimas iter patuit, raro tuguriola ruſtica reperimus, in quibus diuertimus, iamque liberius quieti indulgebamus, quod in regione amica vbi nullo premebamur diſcrimine, verſaremur. Secunda vrbs Columna fuit, quæ pontem habet longiſſimum, ſupra fluuium Moſtrum ſtructum, qui in Volgam dilabitur. Marcus hic reliquum comitatum, (qui lentius procedebat) anteuertere voluit: vigeſimo ſexto Septembris die Moſcuam attigimus, peractis Deo gratiis, quod è tantis periculis ſaluos nos & incolumes præſeruaſſet. Hæſimus in deſerto hoc à decimo Auguſti die, qua Citrachana diſceſſimus, ad vigeſimum quintum vſque Septembrem, qua Moſcouiam ingreſſi ſumus, fere vbiuis ligno deſtituebamur; cuius vice fimo bubulo ad coquendos cibos vſi ſumus. Hic vbi appulimus hoſpitium nobis Marcus, hypocauſtum ſcilicet exiguum, cubicula & ſtabula pro equis procurauit: videbar mihi in ſplendido quodam verſari palatio, ſi cum prioribus periculis hanc ſecuritatem conferrem, biduo elapſo rurſus me viſitauit, & cibaria quædam obtulit, meque bono animo eſſe iuſſit, ipſius quoque principis nomine conſolatus, ſequenti die eum ſuis in ædibus conueni, cumque magno inde diſcedendi deſiderio tenerer, rogaui eum vt aditum ad principem mihi pararet: quod citra moram fecit, & paulo poſt in aulam fui vocatus; vbi cum comparuiſſem & ad colloquium Ducis admiſſus eſſem, cum prius debito honore eum ſalutaſſem, maximas ei gratias egi pro beneuolentia, quæ in itinere à Marco eius legato exhibita mihi fuerat, quod ipſius ope & conſilio manifeſta vitæ diſcrimina ſæpius euaſiſſem: hæc beneficia mihi quidem præſtita, ſed eo loco me habere ac ſi in Rempublicam Venetam, cuius legatus eram, collata fuiſſent, non paſſus ſermonem ad finem deducere, ſed interrupta mea oratione de Iohanne Baptiſta Treuiſano vultu auſtero & turbato, conqueſtus eſt, qua de re plura in medium adducere non expedit. Poſt longum ſatis colloquium, quo etiam de diſceſſu meo feceram mentionem, Dux alio tempore ad poſtulata mea ſe reſponſurum dixit; & diſcedendi tum à ſe veniam dedit, peregre enim profecturus erat; vt quædam regni ſui loca de more luſtraret: Ea inprimis, quæ Tartaris ſunt finitima, vbi Tartarorum quidam dux ſub ipſo cum 500. equiribus ſtipendia meret, limites ab incurſionibus latronum defenſurus. Vrgebam reſponſum de diſceſſu meo, ideo in aulam vocatus iterum, tres ducis barones eadem, qua Dux ipſe, beneuolentia me exceperunt & querelas eaſdem de Iohanne Baptiſta Treuiſano repetierunt, tandem in meo poſitum dicebant arbitrio, diutius ibi manere vel diſcedere: hoc reſponſo me dimiſerunt, ipſe quoque Dux quamprimum diſceſſit. Magno ære alieno Marco eram obſtrictus, ſiquidem omnes itineris ſumptus & alia quædam neceſſaria ille ſolus mihi meisque ſuppeditarat. Rogaui hominem vt abeundi veniam concederet, ſancte ei promittens, quamprimum Venetias attigiſſem, me citra moram omnia ei miſſurum, ſed nihil impetraui, quod & Tartaris & Ruſſis ſatisfaciundum eſſet, quibus ille pro me fideiuſſerat, nihil quicquam quod ad meum abitum faciebat, tum apud Ducem, tum apud Marcum, intentatum reliqui, ſed fruſtra erant, quæ aggrediebar omnia. Coactus igitur fui Stephanum Venetias mittere & Senatum Illuſtriſs. de ſolutione expenſarum & ſumptuum rogare, qui 7. Octobr,

cum Nicolao Leopolitano, qui eius regionis gnarus erat, Moſcua diſceſſit. Incidi hic in aurifabrum quendam Triphonem nomine, Aſcruuio ſeu Catharo natum, qui multa pocula argentea Duci conficiebat. Aderat quoque Ariſtoteles quidam Bononienſis, inſignis Architectus, qui in foro templum ædificabat, ad eum, opera Marci, migraui quod prius hoſpitium nimis iniucundum & anguſtum eſſet. Rurſus tamen inde Ducis nomine excedere iuſſus fui, & ægre ædes non procul ab arce ſitas conduxi, quas ad diſceſſum vſque meum incolui. Vrbs Moſcua metropolis totius regionis & ſedes Ducis in colli exiguo ſita eſt, ex ligno ædes, ipſaque arx conſtructa, amnis Moſca eam interſecat, ſuper quem multi pontes ſtructi ſunt. Extra vrbem ſyluæ ſunt plurimæ & denſiſſimę; omnis generis frumenta lætiſſime proueniunt, eaq; multo viliori, quam apud nos pretio veneunt. Vaccarum & ſuum ingens eſt copia, Gallinarum, anatum, anſerum & leporum maxima vbiuis reperitur multitudo, præter hos tamen nullam aliam ferinam carnem habent, forſitan quod feras capere neſciant. Volatilium omni genere abundant. Vuæ nuſquam proueniunt, nec fructus habent præter cucumeres, poma ſylueſtria, & nuces. Regio frigidiſſima eſt, incolæ per nouem menſes anni, domi ſe in hypocauſtis, vel ad fornacem continere coguntur, quæ ad vitam tolerandam, in æſtate requiruntur, tempore hyberno procuranda ſunt. Cum enim glacie, vi frigoris, paſſim omnia ſunt congelata, certo quodam vehiculi genere, quod vnus trahit equus, facilime hinc inde diſcurrere poſſunt, cum in æſtate propter lutum & paludes, viæ omnes ſint difficillimæ, & vix ab vno in alterum locum tranſitus pateat. Sub finem Octobris fluuius frigore adſtringitur & congelaſcit, cui ſuas tabernas ſuperſtruunt & venalia quæuis ibi exponunt, tanquam in foro, nec quicquam amplius in terra venale habetur: cauſa eius rei eſt quod locum illum, qui ab vtroq; latere ædibus & terra circumdatur, minus frigidum eſſe iudicant, huc indies vaccarum, ſuum, frumenti, ligni, fœni, aliarumque rerum neceſſariarum ingens copia confertur, nec vllius rei per totam hyemem penuria laborant. Sub finem Nouembris oues & vaccas mactant & in fluuio congelato venales exponunt, quæ in frigore denſiſſimo per tres & plures menſes abſque corruptione conſeruari queunt. Idem fit de piſcibus, gallinis & reliquo commeatu. Supra glaciem equi facilime currunt, interdum etiam ex caſu ceruicem frangunt. Homines liberali & honeſta facie, vt & mulieres eorum, ſed moribus ſubruſticis & turpibus præditi ſunt.

Pontificem habent, cuius electio penes Ducem eſt, Papam Romanum nihili curant, eius aſſeclas homines perditos æſtimant, potationibus & ebrietati mire dediti ſunt, in qua qui excellit, ſingularem inter ipſos meretur laudem, ſecus fit qui abhorret. Vinum vt dixi non habent, ſed hydromele eius loco vtuntur, cuius potus non ingratus eſt, ſi ſit vetuſtius. Nec eius confectio à Duce omnibus permiſſa eſt, hac enim libertate ſi gauderent, ſemper indulgerent genio, nec vnquam potationibus finem ponerent, ſeque inuicem belluarum more occiderent. A mane ad meridiem vſque, in foro verſantur, tunc in tabernas ſe recipiunt ad compotationes, nec vlli alio, præterquam his ipſis, negotio vacant. E Germania & Polonia tota hyeme magnus mercatorum numerus huc aduolat, pellium pretioſarum comparandarũ cauſa, puta Vulpiũ, Martium, Muſtelarum Scythicarum & Alpinarum, tum etiam luporum, quæ animalia non in hac quidem vrbe, ſed in regionibus, quæ adhuc aliquot dierum itinere verſus ſeptentrionem remotæ ſunt, capiuntur, huc vero ad mercatum conferuntur, quod mercatores vt plurimum hic conuenire ſoleant. Affertur quoque è Nouigrad magna copia, quæ vrbs Germaniæ finitima eſt, 8. dierum itinere Moſcua verſus Occidentem diſtat. Democratico iure regitur, & certum quoddam annuum tributum Moſcouiæ Duci pendet. Moſcouiæ dux latiſſimam prouinciam poſſidet, ingentem quoque populorum multitudinem ſubditam habet, qui tamen ad bellum fere ſunt inutiles. Ipſius imperium eam

Germa-

Germaniæ partem ab occaſu & ſeptentrione attingit, quæ Poloniæ Regi ſubiecta eſt. Quoſdam ipſius ſubditos gentem eſſe idololatram & vagam ſine certo domino perhibent, quæ pro libitu tantum eius imperium agnoſcunt: alios primam rem quam diebus ſingulis obuiam habent, adorare ferunt, de aliis non minus abſurda ſparguntur, quæ tacere malui, cum earum rerum nullam ipſemet viderim, & pleraq; fide apud me careant. Dux 35. circiter annos natus eſt, liberali facie & forma, rege digna, prædiṫus, duo ipſi fratres ſunt, & mater adhuc in viuis eſt, duos à priore vxore habet filios, quibus parum fauent, quod eis cum Deſpina male conueniat, duæ quoque filiæ ſunt & Deſpina grauida dicitur. Cum Dux territorium ſuum circumiuiſſet, ſub finem Decembris Moſcuam rediit. Iam dudum Stephanus ad adferendam pecuniam Venetias abierat, eius tamen reditum expectare nimis longum mihi videbatur, quod mores eius gentis & victus ratio mihi minime conueniret. Egi igitur cum nobili quodam aulico, vt apud Ducem negotium hoc procuraret, quo & pecuniam & diſcedendi veniam largiretur. Paucis elapſis diebus ad prandium Dux me vocari & ſimul annunciari iuſſit, ſe diſcedendi copiam mihi facere tum in gratiam Illuſtriſs. Reipubl. Venetæ, pecuniæ tantundem ſuppeditaturum, qua & Tartaris & Ruſſis ſatisfacere & domum redire poſſim. Acceſſi ad prandium, quod omni genere lautitiarum & cibis plurimis optimiſq; inſtructum erat, quo abſoluto domum me recepi ſubitò, vt mos poſtulabat; poſt aliquot dies iterum in aulam ad prandium me accerſiuit, tum ſuo mandauit Theſaurario, vt quanta opus mihi eſſet pecunia ad diſſoluenda debita Tartaris ac Ruſſis, numeraret. Regium tunc palatium adire, meq; veſte pretioſa, ex muſtelarum Scythicarum pellibus confecta, indui iuſſit, cum ea ſimul 1000. ducatos ſponte muneris loco donauit. Eo accepto munere domum repetii. Deſpinam quoq; coniugem ſuam vt viſitarem, imperauit: Ea benigniſſime me excepit; enixe rogans, vt Illuſtriſſimæ noſtræ Reipub. eam ſedulo commendarem, quod diligenter facturum me ſpopondi.

VENETORVM LEGATVS MOSCVA diſcedit, ſuperata Lituania, Polonia, & Germania in Italiam peruenit.

CAPVT IX.

PRIDIE quam diſcedere conſtitueram, ad prandium in aulam vocatus, priuſquam menſæ accumberemus, in contignationem quandam deductus fui, vbi Dux erat cum Marco & alio quodam Secretario; Dux verbis humaniſſimis & beneuolis me excepit, iubens Illuſtr. Reipub. Venetæ eius nomine ſignificari amicitiam ac beneuolentiam, qua erga eam affectus eſſet, in eius gratiam, ſi quæ poſſet alia mihi præſtare, benignè offerens. Cum mecum loqueretur ſemper ab eo parum recedere conabar. Ille vero quā proxime mihi & cominus adhærere nitebatur, ad interrogata plene ei ſatisfeci, & debitas pro tot beneficiis gratias egi. Eo familiaritatis erga me proceſſit, vt veſtes quaſdam aureas, Scythicarum martiū pellibus ſubductas, monſtrarit, quæ ſane pulcherrimæ & pretioſiſſimæ erant. Inde ad prandium acceſſimus, quod lautiſſime paratū erat, & maior ſolito ciborum apparatus apponebatur, aderantque plurimi eius Barones & proceres; hoc abſoluto eum è menſa ſurrexiſſemus, Dux me accerſit, & voce clara, vt quilibet facile percipere potuerit, abeundi veniam verbis humaniſſimis dedit, promptum atque beneuolum erga Rempublicam Venetam animum declarans, paulo poſt oblatum mihi fuit poculum argenteum hydromele plenum, quod iuſſerat mihi propinari, vt exhaurirem, & poculum muneris loco acciperem. Singularis hæc beneuolētiæ atq; fauoris demonſtratio eſt, qua vel legatos vel alios benemeritos cohoneſtant, mihi tamen permoleſtū erat, eiuſmodi hauſtu me onerare: Ingens enim poculum erat, & quartam fere partem iam exhauſeram: tunc forte Dux animaduertit amplius me bibere non poſſe, & iam antea de cōſuetudine Italorum edoctus fuerat, poculum igitur euacuari,

mihique vacuum tradi iuſſit, poſtquam dignas gratias egi, bona Ducis venia diſceſſi, multis Baronibus & nobilibus comitatus, qui ad ſcalas vſq; me ſequebantur, & amice me complexi valedicebant. Iam omnia ad diſceſſum parata erant. Sed Marcus niſi prius cum ipſo pranſus eſſem, diſcedere non permittebat. Cumque 21. Ianuarii lauto conuiuio exceptus fuiſſem, iter denuo Dei implorato auxilio ingreſſus ſum, vehiculis vtebamur quæ tuguriolorum inſtar facta ſunt, vno trahuntur equo, vnius hominis capacia ſunt. Impedimenta quoq; & commeatus imponitur, breui tempore magnum iter hic confici poteſt. Ludouicus Antiochenſis Patriarcha à Duce tenebatur, vt dimitteretur per Marcum obtinui, is mecum redire debeat, cum vero moras necteret, ſolus cum meis abii. Ne à via declinaremus, Dux quendam nobis adiunxerat, qui iter monſtraret. Idem vt in omnibus eius imperii locis fieret, abunde proſpexerat. Ea veſpera in pago quodam perexiguo diuertimus, ingenti vi frigoris premebamur, multæq; aliæ incōmoditates ſeſe obtulerunt. Igitur quo ad potui iter maturaui, tandem vt liberarer his moleſtiis, 27. Ian. die Vieſemum & poſt aliquot dies Smolenzecho vrbes attigimus, hæc poſtrema eſt Moſcouiæ duci ſubiecta, contermina Lithuaniæ, quæ Caſimiro Poloniæ Regi paret. A vigeſimo primo Ianuarii, quo Moſcouia diſceſſimus, ad 12. Febtuar. quo Trachi Lithuaniæ vrbem attigimus, per cōtinuas ſyluas iter fecimus, regio eſt planiſſima, exiguis collibus diſtincta, ſæpiſſime in ſyluis pernoctauimus, nonnunquam in vliſſimis tuguriolis diuertimus. Circa meridiem prandebamus, vbi ignē reperiebamus, quem ii qui nos proxime anteuerterant, accēſum reliquerant; intertupta glacie equos adaquabamus, & excitato igne nos calefaciebamus, vehicula lectorum vicem præbebant, ne humi iacere cogeremur. Per triduum ſupra fluuium glacie congelatum inceſſimus & duabus noctibus ibidem dormiuimus, quo ſpatio, 300. milliaria nos confeciſſe affirmabant. Rex Caſimirus tunc forte Trachi, quo perueneram, morabatur, vbi de meo aduentu certior fuit factus, continuo duos nobiles ad me miſit, qui me exciperent & de aduentu gratularentur, meq; in diē ſequentē ad prandium inuitarent. Poſtero die qui fuit 15. Febr. tunicam damaſcenā purpuream, Scythycarum martium pellibus decoratam, offerri iuſſit; qua induta in aulā curru, quem 6. equi trahebant, comitatus 4. Baronibus aliisq; quam plurimis, fui aduectus. Rex ipſe me excepit, & in cubiculum ſuū deduxit, in loco auguſto cum duobus filiis, quorum manus tangere me volebat, aſſedit, aderant plurimi Barones, equites & nobiles, ſella ꝓ me in medio cubiculo poſita erat, flexo genu perorare volebam, nunquam tamen Rex id permittere, nec aures præbere voluit, niſi prius aſſediſſem; aliquantulum reluctatus ſum, donec ſeuerius & inſtantius vt obedirem, imperatum mihi fuit. Expoſui ampliſſime, quæcunq; in itinere hoc meo Perſico occurrerant, quæ pericula ſubieram, quas regiones Vſuncaſſanus poſſideret, quæ ipſius ſit potentia, quid penes ipſum effecerim. Tum de Tartarorum moribus & imperio quædam diſſerui, tanta attentione Rex atque reliqui, ad ſingula auſcultarunt, vt nunquam mea oratio, quæ amplius dimidiam horam durarat, à quoquam fuerit interrupta: Tum etiam propter oblatum munus & beneuolentiā, Venetæ Reipub. nomine mihi præſtitam, Regi dignas gratias egi. Ille cōtra per interpretē ſignificari iuſſit, de meo reditu ſe plurimum exhilaratum fuiſſe, quod poſt abitum meum nunquam futurum crediſiſſet, vt incolumis in eas regiones redirem, ſe quoque perlibenter cognouiſſe, quæ de Vſuncaſſano & Tartaris dixeram, in eadem quoque opinione ſemper ſe fuiſſe, nūc vero melius confirmatum eſſe, quod neminem vnquam audiuerit, qui pari fidelitate quid rei eſſet, ei expoſuerit, poſt alios ſermones in palatium, vbi prandium paratum erat, fui deductus, mox Rex cum filiis ſecutus eſt, tubicines regio ſplendore præcedebant, Rex primus aſſedit, dextrum latus ambo filii, ſiniſtrum primus regni Epiſcopus claudebat, penes hunc proximus mihi locus fuit deſignatus, exiguo à Rege interuallo. Barones qui aderant menſæ quoque, ſed remotiori loco aſſidebant; quadraginta circiter perſonæ eo prandio interfuerunt, quoties noui miſſus inferebantur, tubicines præcede-

cedebant, patopſides magnę & multis ferculis refertæ apponebantur, prandium per duas horas protrahebatur, quo finito à Rege diſcedendi veniam petii, rogans num aliud quippiam mihi imperare vellet. Ille humaniſſime reſpondit, omnia ſua ſtudia & amicitiam Reipub. Venetæ deferens, quod vt eius nomine ad meos referrem, mandauit, ſimili oratione filios ſuos ad me vti volebat, illis debita reuerentia ſalutatis, in hoſpitium meum à multis aulicis fui deductus, tum de comite itineris ample mihi proſpectum fuit. Diſceſſi 16. Februar. & 9. dierum ſpacio vrbem, quæ Ionici dicitur, attigi. Inde per Poloniam facto itinere Warſouiam perueni. Regio hæc pulcherrima eſt, carnium & aliarum rerum neceſſariarum abundans, fructuum non adeo ferax: arces & pagos hinc inde vidimus, ſed nullam vrbem celebrem reperimus, vbiuis amice fuimus excepti. Cal. Martii vrbem ipſam metropolim Polonię intrauimus, vbi per 4. dies, quod defeſſi eſſemus ex itinere, quieuimus. Equos quoq; nacti ad reliquum iter perficiundum. 5. Martio diſceſſimus, ea die in oppidum Meſſarigum delati, vbi impoſterum periculoſior imminebat profectio, quod Polonia atq; Germania ibi terminantur. Francofurtum ad Oderam 9. Martii perueni, inde per Germaniam indies hoſpitia commodiora reperimus: 15. die eiuſdem menſis eum prope vrbem Giam iter faceremus, Stephanum, quem Moſcouia ad quærendam pecuniam Venetias miſeram, offendi, cuius aduentu plurimum fui recreatus, & de rebus, quæ domi agerentur, breuiter ab eo edoctus fui, ingreſſi eam vrbem per biduum quieſcendi cauſa ſubſtitimus. 22. Martii Noribergam perueni, & per 4. dies ibi moratus, iter per Auguſtam aliasq; Germaniæ vrbes pulcherrimas habui. 4. Aprilis Tridentum attigi, & Paſchatis feſtum ibidem celebraui, elapſo triduo denuo magno patriæ viſendi deſiderio inſtigatus, iter arripui, primum locum qui paret Venetis, Scalam nomine, cum attigiſſem, voti explendi cauſa, templum D. Mariæ, quod in monte Arthone eſt, 9. Aprilis die frequentaui, & oblationes, quas voueram, obtuli. Iam antea fratrem Auguſtinum de aduentu meo certiorem feceram, meq; vt circa veſperum 10. Aprili expectaret, ſcripſeram; Nimium tamen domum redeundi deſiderium non promiſit ordinem, quem ipſe præſcripſeram, ſeruare, priuſquam enim illuxiſſet, nauigium ingreſſus, Lucam Fuſinam 2. hora diei perueni, & priuſquam domum peterem, alterius voti exſoluendi cauſa ad templum D. Mariæ Gratiæ recta tendebam, vbi forte in vico Iudæorum fratrem Auguſtinum, & duos meos cognatos offendi, à quibus amiciſſime exceptus & complexus, ad templum vna perreximus, habitis precibus in curiam properaui: Iouis enim dies erat, quo Pregadorum conſilium habetur, admiſſus in conſilium, poſt mutuas ſalutationes acta legationis, & quæ effeceram, ordine expoſui. Dux noſter ſereniſſimus, quod non adeo proſpera vteretur valetudine, conſilio non interfuerat, ad eum igitur confeſtim me contuli. Poſtquam eum qua par eſt reuerentia ſalutaſſem, breuiter quid perfeciſſem, quidve eueniſſet toto legationis tempore narraui. Inde domum meam profectus ſum, actis Deo Opt. Max. infinitis gratiis, quod tot periculis ſaluum me præſeruaſſet, & ad meos reduxiſſet, quos denuo in hoc mundo videre ſæpius deſperaram. Finem narrationi huius itineris imponam, quam verborum elegantia excolere atq; ornare quiuiſſem, ſed malui rem ipſam, vt geſta eſt, breuiter & dilucide exponere, quam verborum ornatu & ſplendore mendacia illuſtrare: in deſcribenda Germania breuior fui, quod finitima nobis ſit regio, & quamplurimis cognita. Tædioſum atq; ſuperfluum fuiſſet in ea, iam antea nota, diutius immorari.

REPETITIO QVARVNDAM RERVM ad vberiorem Imperii Perſici cognitionem pertinentium.

CAPVT X.

VSVNCASSANI imperium magnum & vaſtum eſt, Turciam atq; Caramaniam conterminas habet. Prima eius prouincia Turcomannia eſt, quæ Sol-

dani regiones attingit, à parte vrbis Alappiæ. Perſiam Cauſæ eripuit, quem etiam occidit: Ecbatana ſiue Tauris regia ſedes eſt: inde Perſæpolim, quæ Siras dicitur, 24. dierum iter patet, hæc vltima eſt eius imperio ſubiecta, Zagatais finitima, qui Buſechi Tartarorum Sultani filii ſunt, cum quibus perpetua bella gerit, ab alia parte Media eſt, cui imperat Siuanſa, qui ſingulis annis Vſuncaſſano munera mittit. Pancratis quoq; Georgiæ Regis prouincia atq; Gorgorę Perſiam attingunt, vltra Euphratem quaſdam prouincias Turcis finitimas eum tenere dicunt, vniuerſa regio Aſpaamam vſque, quæ ſex diebus Perſæpoli diſtat, aridiſſima eſt; rarę arbores, rariores aquæ dulces reperiuntur; fertilis tamen & abundans commeatu & fructibus. Rex annum ætatis 70. meo quidem iudicio agebat, procerus, macilentus, & liberali vultu præditus. Primogenitus eius Gurlumamech, Gorda natus, bellum aſperum patri mouerat, fama eius vbiuis prædicabatur. Ex alia muliere tres filios: primus Sultanchali, 35. circiter annos natus erat, huic Perſæpolim donarat. Secundus quindecim annorum puer Lacubei vocatur. Tertii, qui ſeptimum annum agebat, nomen mihi excidit. Tertia quædam vxor Maſubecum ei peperit, quem catenatum circumducebat, quod cum Gurlumamecho conſpiraſſe contra patrem compertum eſſet, quam ob cauſam occiſus tandem fuit. Magna diligentia reſciſcere ſtudui, quæ vires eſſent bellicæ Vſuncaſſani, eaque de re cum diuerſis hominibus ſæpius collocutus, qui maximam ſummam 50. equitum millia retulerunt, quorum tamen plurimi ad bellum minime ſint idonei. Cum Turcis nuperrime 40000. Perſarum acie eum decertaſſe conſtans fama eſt, eorum, qui prœlio ipſi interfuerunt: eum tamen exercitum non ad debellandos Turcas miſſum ferebant, ſed tantum ad reſtituendum Pyramethum in Caramaniæ regnum, è cuius poſſeſſione ab Ottomannis fuerat deturbatus: hanc vnicam belli inter Turcas & Perſas mouendi cauſam fuiſſe, conſtanter affirmant. De aliis rebus, quæ minus neceſſariæ videntur, ſtudio prolixius ſcribere ſuperſedeo.

FINIS ITINERIS PERSICI.

HISTO-

HISTORIA DE BELLO INTER TVRCAS ET PERSAS, IOHANNIS THOMÆ MINADOI, in libros nouem diuiſa.

AD IACOBVM GEVDERVM, P. NOR. HORVM LIBELLORVM PARAPHRASTEN; eiuſdem BERNH. PRÆTORII.

VT nitidi ſoles, & lucida tela diei
Æſtiui, nunquam ſuerunt infundere ſeſe
In gremium terræ fruſtra: quin protenus igni
Spiramenta ſuo laxent, cæcosq; receſſus:
Multa modis multis, & tam diuerſa figuris
Omniparens poſt vnde gerit, Dea perſica, Tellus
Germina, tot fœtus frugum, tot ſecla animantum:
Sic non incaſſum radii virtutis auitæ
Percellunt, feriuntq; ſuo fulgore nepotum
Interiora animi, & generoſæ lumina mentis:
Qui, niſi degeneres, nec tanto ſanguine dignos
Se præbere, nothæq; notam conquirere plantæ
Inſtituant; & quos præſens & poſtera taleis
Arguat infami rumore perenniter ætas:
Sæpius inſpectant ſpecula iſta domeſtica: ſeq;
Conformare illis tota nituntur opum vi.
Haut ſecus ac pecoris generoſi pullus apertis
Altior ingreditur campis, & crura reponit
Mollia compoſitis gradibus, vibratq; coruſcis
Ignem oculis, & frena fremens ſpumantia mandit:
Tum procul armorum ſonitum ſi percipit; aut ſi
Martius ille æris rauci canor increpat: vltro
Stare loco neſcit; micat auribus; & tremit artus:
Tantus ei curſus, tantus certaminis ardor!
Hoc eodem, GEVDERE, *modo in volta parentum*
Cottidie intuitus: Patris & propiora trilinguis
Et Patrui celebris veſtigia pone legendo:
Quorum hic Sempronii, vel Achæi Neſtoris inſtar
Egregie cordatus homo, teretiq; PHILIPPVS
Ore fuit nuper, catus & ſapientia in omni
Ciuili, vt ſummus Germani ſideris Atlas,
Cui Leo verſicolor, veluti ſtupefactus & hærens,
Dicere nequaquam veritus ſit: Poſſe ſiniſtri,
Hoc ſuperante viro, tibi nil Pegneſe venire.
Ille ſed excellens virtute & laudibus hiſdem,
Ardua cum primis heic munia ſuſtinet; & quæ,
Vt vulgaria non, ſic non vulgaria poſcunt
Pectora; quin ſenſus faciant ſudare vel imos
Iuris & adflicti vir ſeruantiſſimus æqui.
Horum, inquam, GEVDERE, *tuens exempla; valentem*

Non turpi torpere domi torpore iuuentam
Eſſe putas dignum, ceu potor inertis Hiera:
Verum, illis ſi non par eſſe per omnia poſſis,
Ne tamen inferior longe ſis; niteris omni
Conatu, niſuq́., indefeſſoq́. labore.
Hinc variis linguis, & multifidis doctrinis
(Quando alii nugas, inconceſſasq́. petiſſunt
Delitias, perduntq́. bonas in pectore doteis)
Excolis imbutam mentem: Iam ciuica tractans
Iura: modo hiſtorias: nunc Euclidea: modo eius,
Deſcripſit radio totum qui gentibus orbem:
Iam, quæ ſint Ciueis ratione modoq́. regendi:
Ex quibus inſignem tibi colligis vndiq́. gazam,
Dædala ſicut apis, quæ in ſaltibus omnia libat
Floriferis; cellisq́. ſuis, loculisq́. reponit.
Non raro vt ſubeat tacitam admiratio mentem,
Copia viſendi quum ſit tos ſcripta, tuapte
Ducta manu, & totidem noctis dieiq́. labores.
Iam nunc communem in patria Germanidos vſum
Italico ſpolias habitu quam-plurima; & illa
Veſtibus exornas aliis, atq́. vrbe Quirini
Donas; perſpicuo, facili, planoq́. retexens
Omnia ſermonis filo, tramaq́. polita.
In quibus eſt Venetus, culto SORANTIVS *ore;*
Qui Mahumetani res regni, robora, vireis,
Et belli neruos; arcanaq́. plurima; & aſtus;
Et ſtudia, & mores, ſæuaq́. tyrannidis iras;
Et procerum inuidiam, & conſulta, & perfida corda:
Quoq́. illi poſſet ratione viaq́. reſiſti;
Infringiq́. eius res, & conatus, & ardor:
Singula Chriſticolis ſcitu digniſſima terris:
Ingenio tanto, tanta dulcedine pandit;
Vt melius nihil, vt breuius nil poſſe putemus
Dicier à quoquam, mentem qui aduorterit illuc.
Eſt in iis itidem MINADOVS, *ſcriptor Eoi*
In regno Arſacidum belli; quod pluribus annis
Continuo, non eſt ita pridem, Turca furore
Geſſit ibi; variis ſucceſſibus atq́. triumfis;
Sæpe etiam haut parua iactura & clade ſuorum.
Dignus & hic, propter memorandos, ancipitesq́.
Euentus belli; gentisq́. immania facta;
Crudeleisq́. modos; atq́. inſatiabile fineis
Tendendi Cacoethes, & irrequieta cerebra:
Et ſtatum, in extremis qualis ſic Perſidos oris:
Vt non ſocordi, nec inani fronte legatur:
Scilicet exemplum capiatur vt inde, quid è re
Cuiusq́. eſſe velit; ſi non ſatis ante periclo
Edoctus proprio, quid proſit cernere poſſit.
Quin etiam verſatur adhuc incude ſub illa
Præſignis cultu rerum locuplete libellus,
Quomodo Pannoniis ſit deturbandus ab aruis,
Non adeo magnaq́. manu, magnoq́. paratu,
Turca ferox, omnis veri, pietatis & hoſtis:
Et ſimileis alij, in ſolem quos proferet ætas.
His operam ſtudiis dum das, GEVDERE, *profecto*

Non operam ludis: tibi ſed, patriæq; lariq;
Commodus; & decus exornas laudabile gentis,
Suprema tendens præſcripta ad candida calcis.
O ſi nobilium noſtri pars plurima ſecli,
Queis Deus & fortuna potens paria ocia fecit
Adſimileis animum vellent adiungere curas;
Et frugi, mentem quæ paſcunt nectare dulci,
Et cœlo adſimilant, & regna vrbeisq; gubernant;
Sic operarentur ſtudiis, tempusq; redemtum
Nobile, quo dignum, pretio prudenter haberent,
Poſthabitis nauci rebus: certe omne per æuum
Nobilius noſtra nil nobilitate clueret.

HISTORIÆ BELLORVM INTER TVRCAS ET PERSAS GESTORVM

Liber primus.

ARGVMENTVM.

QVA occaſione motus autor ad hiſtoriam hanc conſcribendam acceſſerit. Origo & cauſa belli. Aiderus capite plectitur. Iſmael varia crudelitatis genera exercet, nouam ſectam inſtituit. Rumorem ſpargit de profectione ſua verſus Babyloniam. Amurathes bellum Perſis mouere ſtatuit. Periaconcona capitis ſupplicio afficitur. Varii motus in Perſia excitati, de quibus Baſſa Amurathes ab Vſtrefo Baſſa certior factus in ſententia de bello mouendo confirmatur. Conſilia de bello gerendo, Conſtantinopoli habita. Amurathes Muſtaffam toti exercitui præficit. Is Chalcedoniam petit, atque Simbriam, vbi copias colligit, & delectus habet; Seruaniam diſcedit, Charſa appellit, & ad Periardos montes caſtra artificioſe metatur. Rex Perſarum contra Turcas exercitum mittit, cuius ducem Tocomacſultanum creat, qui Charſam verſus proficiſcens, exploratores præmittit, à quibus deceptus ſpe victoriæ Turcas aggreditur, quos initio ſuperat. Tandem vero victus, noctis beneficio euadit. Diſtinctio victoriæ. Manucchiar Georgianus ad Muſtaffam accedit, ab eoq; amice recipitur.

BELLVM, quod Amurathes Turcarum Imperator, & Mahometes Codabanda Perſarum Rex, ambo Principes potentiſſimi, & barbari bello ſtrenuiſſimi, inuicem geſſere, deſcribendum aggrediar. Bellum, inquam, diuturnum atq; cruentum; ſed opportunum valdè & commodum Chriſtianæ Reipublicæ. Eo namq; durante Chriſtianorum proceres reſpirandi, ſuasq; vires, bellis tam peregrinis, quam ciuilibus attenuatas, recolligendi tempus & occaſionem nacti ſunt. Idq; diuinis potius, quam humanis factum arbitramur conſiliis; ſiquidem Turcis ſpes noua, nouarum victoriarum iniecta, qua allecti furorem iræ ſuæ procul à nobis remo-

uere, quam ſi in Europam conuertiſſent, ſtatum rerum noſtrarum non mediocriter labefactare potuiſſent. Huius igitur belli ſucceſſus varios, Tartarorum quoq; inſidias, Druſorum oppreſſiones, & Arabum inſolentiam deſcribam, ad id duabus præcipue rationibus permotus: Prima eſt, quod omnia viſa mihi ſunt digniſſima, quorum notitia & ad eos qui nunc viuunt, perueniat, & ad poſteros noſtros tranſmittatur. Tum quod hactenus neminem extitiſſe ſciam, qui earum rerum deſcriptionem nobis tradidiſſet veram & integram, qualem me confecturum ſpero. Siquidem per ſeptem annos fere cõtinuos tum in Syria, tum Conſtantinopoli, eo bello durante vitam egi, & per occaſionem artis medendi cum plurimis Baſſis, Legatis, aliiſq; magni nominis viris, tam Perſis, quam Turcis notitiam & familiaritatem contraxi, a quibus omnibus plurima eius belli negotia geſta & confecta fuere.

Secunda huius mei inſtituti cauſa eſt officium meum, quod iure à me requirere videtur, vt ad communem Chriſtianæ Reipublicæ ſalutem omnia mea ſtudia conferam; quod equidem hiſtoria præſenti me facturum puto. Ex ea enim apparebit, quantæ, quamve immenſæ ſint duorum horum Chriſtiani nominis hoſtium opes atque potentiæ, & quo in ſtatu nunc ſint poſitæ: Sperans fore, vt Chriſtiani Principes tandem excitati, arma ſua contra Barbaros illos ſerio dirigant, à quibus nobiliſſimæ atq; potentiſſimæ nationes iam ſubiugatæ fuere, idq; maximo & inæſtimabili cum damno atq; ignominia earum gentium, quæ propter Nobilitatem, illuſtriſſimæ; propter omnis generis ſcientias celeberrimæ quondam, & tanquam dominatrices orbis terrarum latiſſime imperium ſuum propagarunt. Nunc à ſuis coloniis, ædibus propriis, & patria pulſi, larium egeni, miſeri hinc inde eiulantes, aliorum opem & auxilia implorare neceſſe habent: Vel in ſeruitutem redacti viliſſimam, alii ſeruiunt, parent alii Chriſti hoſtibus infenſiſſimis, ita quidem, vt in ipſa fere Græcia Græcorum nomen extinctum & abolitum eſſe videatur. Verum ab eiuſmodi querelis, quæ aliquibus forte non erunt æque gratæ, licet neceſſariæ, hiſtoriam meam non auſpicabor: Quin potius eam à ſenioris illius Tamaſi, celeberrimi Perſarum Regis obitu exordiar; remotiſq; ambagibus, quis regni ſtatus poſt eius mortem ſub Iſmahele, & Mahemete, ſucceſſoribus & filiis Tamaſi fuerit, indicabo; vnde veriſſima huius belli cauſſa atq; occaſio innoteſcet.

Poſtquam Tamaſus cum XI. Turcarum Imperatore Solymanno, eius nominis primo, diuturno ſane bello fortiſſime decertaſſet, eumq; Ecbatana (quæ Tauris hodie, non Terua, vt habet Iouius, vocatur; vbi Regum theſauros aſſeruatos quondam, Herodotus ſcribit) expuliſſet, quam prius deuaſtarant Turcæ: tandem pax inter vtroſq; inita fuit; qua inter alia ſancitum erat, vt Cheiſeri arx, (quam Turcæ Chars, & Ptolemæus, vt videtur, Corſam vocat) à Turcis eorum ſtatu valde munita, terræ rurſus æquaretur, funditusq; euerteretur: Ab eo tempore regnum ſuum diligentiſſime Tamaſus adminiſtrauit, & ad priſtinum florem & nitorem reſtituit, latis legibus vtiliſſimis, prout mores earum gentium requirunt. Segetes lætiſſimę proueniebant, hinc reditus annui creſcebant. Arma, artes atq; ſcientiæ excolebantur, & maiori quam antea in pretio habebantur. Neq; quiſquam erat, qui bellum à Solymanno reſtauratum iri verebatur, ipſo nimirum alibi occupato atq; diſtento. Aliquot inde elapſis annis Solymannus, & qui ipſi ſucceſſerat in imperio Selymus, è vita exceſſerunt. Quos Tamaſus tandem ſecutus, Anno 1576. 11. Maii die obiit, vndecim poſt ſe relictis filiis, quorum qui natu erat maximus, Mahemetes vocabatur, qui in vrbe Heri (quondam Aria dicta) partem vitæ egerat, inde permiſſu patris Perſæpolim, quæ Siras hodie, magna ſtirpe liberûm edita, migrauit. Hunc ſequutus eſt Iſmahel, quem pater propter animi ferociam in arcem Cahacam (quæ inter Arſaciam vel Caſbin, & Ecbatanam ſita eſt) relegarat. Tertius fuit Aiderus, quem pater Zalchano, Pirii Mahameto, & Actæ Huſſaino atq; aliis matris Aideri cognatis, præſtantiſſimiſq; ducibus ex familia Iſtigelum prognatis, commendarat, eiuſq; curam illis commiſerat. Præter hos octo reliquit filios infantes, tam ex hac, quam ex

aliis mulieribus natos: quorum nomina fuere Mamut, Solymannus, Muſtafſa, Emanguli, Alychan, Amet, Abrahin, & Iſmahel ſecundus. Ante mortem teſtamento ſolenni Iſmahelem I. Regni ſucceſſorem declararat. Qui licet verus eſſe ſucceſſor non poſſet, quod Mahemetes ætate & iure prior eſſet: tamen ſpem maximam de ſe præbebat indolis præſtantiſſimæ, & virtutis ſingularis, videbaturq; iuſtum præ omnibus atq; ſeuerum præ ſe ferre imperium, atque fortitudinem, qua facile hoſtibus quibuſuis, licet ferociſſimis & bellicoſiſſimis reſiſtere poſſet. Cum enim iuſſu patris in arce Cahaca in cuſtodia teneretur, in omnes occaſiones intentus vigilabat, vt virtute atq; militari fortitudine fratre ſuperior euaderet:& quantum potuit, diſſimulauit, religioni Turcarum ſe ſtudere: hoc enim ſi de ipſo compertum fuiſſet, nulla alia interueniente cauſſa, in regni ſucceſſione ipſum impediuiſſet: palam tamen Turcarum hoſtem ſeſe declarauit, & pacis tempore in Turcarum fines, inuito parente, Erzirum vſque, quæ Simbra quondam, impetum fecit, oppida deprędatus, arces eius regionis ex improuiſo aggreſſus deuaſtauit; qua de cauſſa à patre in cuſtodia detentus fuit, licet æſtimationem ſuæ fortitudinis atq; roboris cuiuis facile probaret; Tamaſo inprimis, qui etſi grauiſſime ſibi iuueniles hoſce ardores improbari palam demonſtrabat, indies tamen in concepta opinione confirmabatur, vt heredem regiæ dignitatis ipſum declararet, qua digniorem Mahemete eum cenſebat. Et vt verum fatear, Mahemetes ille nunquam imperio adminiſtrando, & repellendis hoſtibus idoneum ſeſe præbuit, tum quod ex oculis laboraret, vnde Codabandæ cognomen ipſi fuit inditum, tum etiam, quod vitam ille tranquillam & quietam, qualem qui literis incumbunt, ſibi exoptant, ageret, proteſtatus inſuper, ſe ab onere illo grauiſſimo & immenſo imperandi, & quos illud ſecum trahit, laboribus & moleſtiis abhorrere. Non tamen propterea omni patris fauore & beneuolentia deſtitutus fuit: Siquidem Abas Mirize, inter filios eius medius, in adminiſtratione vrbis Heri, ybi natus fuerat, confirmatus, & titulo Proregis Ariæ, quæ latiſſima & fertiliſſima regio eſt, ornatus fuit: quem honorem Tamaſus Emiro Hamzæ, Mahemetis filio primogenito detuliſſet, niſi ille morte præmatura & ſubita præuentus fuiſſet.

Tamaſo igitur vita defuncto, Iſmahel à regni proceribus Arſaciam ad ſuſcipiendum ipſi ex paterno teſtamento delatum regnum euocatur. Sed interim dum, qui huius rei nuncium ad ipſum deferebant, equis celeribus eo contendunt, Arſaciæ nouæ turbæ, & in ipſa quidem regia excitantur. Periaconcona Tamaſi filia, ex ſorore Sahamalis Georgiani nata, quæ etiam Muſtafam filium Tamaſo pepererat, ibidem remanſerat, ſuos fratres ætate ſuperabat. Ad hanc & reliquos Conſiliarios regii teſtamenti executio iure pertinebat, illa tamen variis modis & artibus tentabatur, vt poſthabito Iſmahele, Aiderum ſuo ſuffragio & auxilio ad eam dignitatem eueheret. Eo ſane Aiderus, viuo adhuc, ſed grauiter decumbente Tamaſo, audaciæ proceſſerat, vt ingreſſus cubiculum regium, & capiti paterna corona impoſita, in conſpectu decrepiti & ægroti patris temerariam ſuam & inhoneſtam regnandi libidinem proderet, quo nomine acerrime increpitus fuit. Patre iam defuncto, multis precibus ſororem ſollicitare non deſtitit, quo ad ipſum regni hæreditas deferretur, tantumque impetraſſe iam videbatur apud ſororem, & regni proceres, vt ipſi denegari amplius, quod petebat, non poſſe putaretur, niſi fraude quadam clam ipſi fucus fieret. Interim ſoror perplexa quid ageret, neque prior Conſiliariis nouos motus excitare, nec pernicioſa contra fratrem Aiderum captare conſilia volebat: Religione quoque tangebatur, ne tam inſigni iniuria fratrem Iſmahelem afficeret, ad quem iure ex patris teſtamento regni hæreditas pertinebat: in ea tamen hæſitatione conſtituta, ambitioſo iuueni obſecundare, Iſmaheli ius ſuum inuiolatum conſeruare, vltimæ patris voluntati ſatisfacere, regnique commodis proſpicere cogitabat. Conſilio igitur cum primatibus habito, tandem ſtatuit Aidero permittendum, vt regio habitu veſtitus, in ſolio regio collocatus, tan-

quam legitime Rex electus, applauſum ſubditorum & populi captaret. Eo impulſus iuuenis ambitione iam obcæcatus, ab omnibus ſe pro Rege receptum, ſuisq; manibus regni habenas iam tractari certo ſibi perſuadebat. Verum tam lęta initia ſucceſſus nō habuere proſperos, quod aſtutia ſororis & Conſiliariorum præcipue factum: Eorum enim iuſſu omnes regiæ portæ occluſæ tenebantur, addito præſidio firmiſſimo. Vnicum tantum patebat oſtiolum, quod defendebant duces & milites ſtrenuiſſimi, quorum fides Tamaſo maxime perſpecta fuerat, quiq; Iſmaheli fauere imprimis credebantur, his iniunctum erat, vt omnibus aditum in aulam permitterent, exceptis Aideri aſſeclis. Hac illi ratione iuuenem ſuſpenſum tenere cogitabant, donec Iſmahel verus regni ſucceſſor ex arce Cahaca adueniret, maturoq; conſilio & proprio honori, & imperii incolumitati, quod ad ipſum ex paterno teſtamento pertinebat; vniuerſæ deniq; Perſiæ ſaluti atq; tranquillitati conſuleret. Interim Aiderus lætitia maxima fruebatur, ob nouos honores, qui paſſim ab omnibus Arſaciæ incolis ipſi deferebantur. Ex ſuorum autem amicorum atq; fidelium numero conſpiciebat neminem: Id qua de cauſa fieret, tandem, nec fruſtra, ſuſpicari cœpit. Zalchan amicorum omnium fidiſſimum præſto eſſe intelligebat, qui fraudes præſenſerat, cumque tumultu accurrerat, Aiderumque Regem proclamarat, qui interim & ſorori, & proceribus, atque aliis, quos ſuſpectos habebat, extrema quæq; minitabatur, niſi a propoſito deſiſterent. Tandem cum ſe publico omnium deriſui expoſitum cerneret, clam derelictis honoribus illis male auſpicatis, cum Regem ſe eſſe credebat, ægre fugitiuo eſſe licuit. Plenus igitur timoris, ac trepidans apud mulieres quaſdam aulæ ſeſe abſcondidit, quarum opera effugere, & vitæ, quod imminebat, periculum euitare ſperabat. Interim qui familiæ Iſtigelum addicti erant, clamores ciebant maximos, minis additis, videbaturque periculum aliquod euidens ab ipſis Perſiæ regno imminere: verum vt ſeditioſis illis & tumultuantibus ſpes omnis incideretur, Conſiliarii, conſentiente Periaconcona, decreuere Aiderum è medio tollere: primusque Sahamal Georgianus eius auunculus, cum diu ipſum fruſtra quæſiuiſſet, tandem apud mulieres abſconditum reperit, crinibusque arrepto caput ſine mora amputat, interueniente Zalchano Aideri fideliſſimo, aliisq; qui eius partes ſecuti fuerant, ſtrepitum atq; tumultum maximum excitantes, atrociſſima quæuis minitantes, quibus Sahamal caput Aideri cruentum, ac à cæde recenti adhuc tepidum, ob oculos abiecit, addita voce: Ecce vobis Regem veſtrum, eo fruimini. Improuiſo illo atq; horribili oblato ſpectaculo nemo fuit, quem rei indignitas ad iram, atq; adeo ad inſaniam fere nō concitarit, cunctiq; eo inclinabant, vt atrocem vindictam de autoribus tanti facinoris ſumerēt. Sed cognito tandem, ſe Iſmaheli, quo minus in regno ſuccedat, fruſtra repugnare atq; reſiſtere, neque mortem Aideri vlla ratione irritam reddi poſſe, quilibet rebus ſuis proſpicere cœpit, & diuiſi inuicem, aula egreſſi, diuerſis in locis fuga ſaluti ſuæ conſulere ſtatuerunt. Interim ſolitis ritibus & ceremoniis Tamaſus ſepulturæ fuit traditus. Iſmahel vero relicta arce Cahaca, Arſacię comparuit, vbi à ſorore exceptus, à proceribus Rex ſalutatus, & paſſim ab omnibus pro vero imperii ſucceſſore agnitus & receptus fuit. Hic vbi primum regni habenas tractare cœpit, libertatem & potentiam nactus abſolutam, poſthabita Perſarum conſuetudine, Turcicam arripuit, quam imitatus, octo fratres natu minores immiſericorditer necauit, deditq; operam exactiſſimam, vt non modo qui ſanguine aut amicitia Aidero occiſo iuncti erant, miſere trucidarentur; verum etiam, qui quouis modo ipſi fauiſſent, communi cæde opprimerentur: Hinc paſſim omnes Arſaciæ plateæ ſanguine redundantes viſæ, miſerique gemitus & clamores morientium, eorumque propinquorum exauditi fuere. Hæc crudelitas, quam nemo ſibi vnquam antea perſuadere de Iſmahele paſſus fuiſſet, de quo ſpem tantam, tamque ſplendidam omnes conceperant, ſibique Regem & Dominum toties exoptarant, animos Perſarum protinus immutauit, ſpe in timorem conuerſa, dolebant eiuſmodi ſe nactos eſſe Dominum, & ad regnum promouiſſe: abhorrebant à noua hac animi

ferocia

ferocia pluſquam belluina, deplorabant tot cædes innocentium. Verum hæ miſeriæ, immenſæ licet, multo grauiores viſæ ſunt, cum primum rumores de nouo Rege ſpargi cœpere, fore nimirum, vt religionis cultus alius ab ipſo inſtituatur. Quam ille famam mox re ipſa comprobauit, publico edicto propoſito, vt quicunque ipſius ſequi imperium, ſuiſque legibus parere velit, ſuperſtitioſam falſi Perſarum prophetæ Alii religionem eiuret, Turcarum vero conſuetudines & cultus ab Abubaco, Oſmanno, & aliis præſcriptos recipiat atque obſeruet.

Hac rerum nouitate (quæ præter ſpem omnium euenit, ſiquidem optima quæque de Iſmahele ex prioribus eius actionibus ſibi polliciti fuerant, maximaque beneficia in Perſicum regnum ab eo collata iri ſperabant) omnium animi ita perculſi atque commoti fuerunt, vt perturbationem tam grauem, tamque acerbam Perſiæ regnum antea nunquam viderit, Rege inprimis edicti obſeruationem vrgente, vel quod in ea ſuperſtitione plurimum verſatus, vel à teneris in ea inſtitutus fuiſſet (vt ſupra diximus) vel ſane quod eo prætextu vicinos ad ſuum Imperium allicere voluerit, Meſopotanios ſcilicet, Babylonios, Aſſyrios, atque alios eiuſdem cultus ſectatores: plurimi ſacerdotes & gubernatores vrbium ſubditarum, & amicarum, qui nimis pertinaciter priori ſuperſtitioni inſiſtebant, exilio mulctati: alii in carcerem detruſi, aliis oculi eruti: Inter quos Arſacenſis erat, presbyter primarius, quem Califfam vocant: alii aliis modis extincti fuere; & quod magis admirandum, ne mulieribus quidem ſanguine Iſmaheli iunctis aliiſque cognatis pepercit, neque ſexus, neque ætas, vel innocentia ipſos à calamitatibus & nouis tormentis texit. In hac rerum immutatione alii rumores non modo in Perſia, verum etiam in vicinis Turcarum regionibus diuulgabantur, qui Conſtantinopolim vſque pertingebant, eam ſcilicet nouarum rerum, quibus Iſmahelem ſtudere apparebat, cauſſam eſſe, vt videlicet collecto immenſo exercitu ex iis, qui nouæ ſuperſtitioni addicti erant, Babyloniam (quæ hodie Bagadat dicitur) contenderet, & Solimannum imitatus, ſolenniter ibidem inauguretur, & coronetur in Regem ab eo, qui tanquam ſucceſſor maximi ipſorum Califfæ ibidem præſidebat.

In hoc rerum ſtatu tam inſperato, dum nouæ indies cauſſæ timoris maiorum malorum comparerent, nec ſpes vlla affulgeret priſtinæ quietis recuperandæ, ſubito Iſmahel opera Periaconconæ, quæ quod ipſi ſemper fauiſſet, ſuperſtes remanſerat, è medio fuit ſublatus: ſed quo mortis genere tandem extinctus fuerit, certo non conſtat: alii Veneri deditum, occiſum putant: alii venenum ipſi clam à ſorore in Electuatio porrectum: alii, quod malim credere, Periaconconam clam cum Calilchano, Emirchano, Piry Mahemete, & Curchorum Baſſis, qui tanquam præcipui regni duces maxima authoritate pollebant, conſpiraſſe, eoſque muliebri veſtitu & mundo ornatos, ad Iſmahelem introduxiſſe ea hora, qua cum mulieribus ſecedere conſueuerat, ab illiſque ſuffocatum fuiſſe. Sed vtut hæc ſe habeant, conſtat certo, opera Periaconconæ ipſum occiſum eſſe vigeſimo quarto die Nouembris, Anni 1577. Eo defuncto, varia de ipſo hominum iudicia audire licuiſſet, omnibus ipſum tanquam ſeditioſum & legum contemptorem deteſtantibus, ideoque maxima lætitia omnes inuaſit, ſpem certam priſtinæ libertatis recuperandæ ſibi ea morte redditam credentes.

Interfecto Iſmahele, Periaconcona mox cum reliquis Principibus, qui cum ea conſpirauerant, de ſumma rei deliberare cœpit, admonens eos, vt quemadmodum ipſorum conſilio ob totius Perſiæ commodum, & regno & vita Iſmahel exutus fuiſſet, nec adhuc quis dignus ſucceſſor habendus eſſet, conſtaret, cum is nullam prolem reliquiſſet, ipſorumq; in manibus regni ſceptrum & authoritas conſiſteret: ſic ipſorum eſſe officii dicebat, vt ſedulo de regno, eiuſq; Maieſtate & ſplendore protegendo, libertate populorum, & pace conſeruanda, ciuitatibus ſubditis defendendis, toto imperio in ſecurum & tranquillum ſtatum reducendo cogitarent. Plurimi tunc gubernatores & Duces Perſiæ, tum publicorum,

tum priuatorum negotiorum conficiendorum cauſa Arſaciam conceſſerant, qui omnes attente, quonam hæ tam ſubitæ mutationes euaſuræ eſſent, expectabant. Emirchan ambitione æſtuabat, & nuptiarum ratione, quas cum ſorore Periaconconæ, à qua diligebatur, celebraturus erat, primum ſibi locum dignitatis, atq; honorum in Perſiæ regno certo promittebat. Mirize Salmas, qui tunc primas in aula obtinebat, regnũ ad Mahometem Codabandam Iſmahelis fratrem, vel ſane ad eius filium, natu maximum Hamzam deferre, eiq; filiam ſuam matrimonio iungere cupiebat, vt eius autoritate, ſibi ſuiſq; dignitatem, qua pollebat, ſtabiliret. Non deerant qui Abam ex Ariæ vrbe Heri, cui præerat Proregis nomine euocandum, & regno præficiendum iudicarent, idq; in primis vrgebat quidam cuſtos liberorum Tamaſi, ſperans huius beneficio reliquis ducibus & optimatibus in honoribus & dignitatibus ſeſe antepoſitum iri. Alios ſpes aliæ lactabant, arrepturos, quicquid ſors obtuliſſet. Principes etſi in variis cogitationibus verſabantur, vna tantum voce Periaconconæ reſponderunt, addita promiſſione ampliſſima, ſe videlicet eius & regni quoad vires & arma ipſorum durent, defenſionem vltro & audacter ſuſcepturos. Re tamen & verbis concepta iam animo conſilia & deſideria ſua caute occultabant. Et hic fuit exitus mutationum, quarum Rex Iſmahel, motus ambitione, author extiterat. Regnauit annum vnum, menſes ſex, & dies totidem. Amurathes Turcarum Imperator, qui Selymo non ita pridem in regno ſucceſſerat, audita morte Tamaſi, quem timebat, & intellecto rumore de Iſmahelis inſtituta profectione verſus Babyloniam, deque noua religione, ab ipſo publicata, eam occaſionem non eſſe negligendam, ratus, variis ex locis, quantum damni Perſiæ regno à nouo hoc Rege inconſtante, & turbulento inferretur, quot diſſenſiones excitaret, & quam iniquo animo omnes Perſiæ prouinciæ haſce calamitates paterentur optime cognouerat, & iam animo ſecum voluebat, vel viuo, vel mortuo Iſmaheli in regno ſuccedere, hancque occaſionem tam opportunam arripere ſtatuit, bellum in Perſiam transferendi. Hinc ſcilicet materiam nactus, qua vanas ſuas cogitationes & deſideria noui imperii acquirendi exequeretur. Quo nomine & ipſe, & eius prædeceſſores non modo ſuſpecti, verum etiam formidabiles amicis pariter, & inimicis extitere. antiquiſſima enim Regum Ottomannicorum conſuetudo eſt, quæ fere in legem tranſiit, vt neq; honoribus ſuis in hac vita recte ſe conſuluiſſe, neque ſatis gloriæ ſuæ poſt mortem duraturæ proſpexiſſe putent; niſi nouis conquiſitionibus Anteceſſores imitentur, & ambitioſis expeditionibus ſua potentia dignum quid efficiant. Amurathes igitur hiſce motibus intentus, animi ſui cogitationes alio dirigere, bellumq; promouere noluit, quin prius rei euentum cerneret. Vbi vero Mahometem in Regem electum eſſe cognouit, maiores ſumpſit ſpiritus, certamque ſibi atque indubitatam victoriam perſuadere auſus eſt. Namque vbi Iſmahel eo quo dixi modo extinctus fuit, Mirize Salmas, qui reliquis proceribus autoritate erat prior, licet ſanguinis nobilitate inferior, non deſtitit crebris literis Mahometem ad capeſſendum regnum exhortari, cuius poſſeſſionem quietam & tranquillam certo ipſi promittebat. Iam prius ipſi Salmas, ſtructas Iſmaheli inſidias clam aperuerat, tum quid Periaconcona, opera Sultanorum Principum contra ipſum machinata fuiſſet, & quod inhoneſto amore Emirchanum & Abam Mirizam proſequeretur, eoq; nomine nepotem ſcilicet ſuum, & Mahemetis filium proprio fratri in regni ſucceſſione præferre cogitaret. Hæc cum è Miriza Salma Mahometes cognouiſſet, fidei ipſius ac diligentiæ innixus, cupiebat tamen filium ſuum Hamzam Mirizam in eum potentiæ & dignitatis gradum euectum cernere, quẽ virtutes ipſius, & fortitudo in primis bellica, & in cõſiliis capiendis prudẽtia iure promereri videbãtur. Ipſe quoq; ad patrẽ ſollicitũ ſe mõſtrabat, ne quis honorem, quẽ iure ſibi cõpetere exiſtimabat, ei præriperet. Tandẽ vero Mahometes regnũ auitũ à priuatis teneri, leuitatiq; mulieris haud pudicæ, & q̃ bis ſe polluerat ſanguine fraterno, expoſitũ eſſe, amplius pati noluit. Igitur Mirizę Salmę reſcripſit, ſe regni ſucceſſionẽ iure ſibi debitã acceptare: inſuper daturum ſe operam, vt ſuo ſub imperio Perſiæ res floreant, ipſeq;

ſubditis magis ſit gratus Imperator, quam defunctus frater fuiſſet: Iam ſe accinctum eſſe itineri, verum Arſaciæ portas ſe nunquam ingreſſurum, quin prius, quam gratus ipſi ſit eius aduentus, oblato Petianconconæ capite teſtatum faciat. Hanc autem iure interficiendam dicebat, tum propter alias cauſſas quam plurimas, ob quas non vna morte digna erat, tum vero inprimis propter opprobrium Aidero fratri oblatum, tum etiam ob nefarium ſcelus in perſona Iſmahelis fratris perpetratum, quod regiam dignitatem alio, poſthabita regia familia, transferre voluerit, nimiaq; cum optimatibus nonnullis vſa ſit familiaritate & conſuetudine.

Hæc Mahometis iuſſa, vbi Miriza Salmas accepit, ſine mora, quæ in mandatis habebat, executus, ipſum totius Perſiæ Regem publice proclamauit, collectaq; manu infinita eorum, qui Mahometi erant deuotiſſimi, obuiam illi proceſſit, ſumpto ſecum Periaconconæ capite, quod ſparſis crinibus lanceę infixum, multo cum aſpicientium terrore præferri curabat. Ex his nouitatibus varia orta ſunt inteſtinaq; odia, variæ ſeditiones & tumultus, varii bellorum ciuilium motus, vt mala prætetita à nouis excipi vere quis dicere potuiſſet. Miriza Salmas Regem, apud quem plurimum ſe valere nouerat, ſæpius inſtigabat, vt vindictam de iis ſumeret, qui rebus priuatis conſulere cupientes, cauſſa fuiſſent interficiendi fratris. Hi contra, quantum poterant, ei reſiſtere ſtudebant: vnde noua indies damna atq; incommoda Perſiæ regno creabantur.

Sahamal Georgianus, qui iuſſu neptis ſuæ Periaconconæ Aiderum occiderat, vbi infortunium neptis ſuæ intellexit, ſubito arrepta fuga ad montem Armeniæ, quem Brus vocant, contendit, vitæ periculum euitare volens, quod ſibi à nouo Rege imminere videbat. Leuentolius Princeps Georgianus, edoctus periculo, quod frater eius iam ſubierat, parum fidebat Perſarum protectioni, cui quondam ſe commiſerat. Cognita autem Sahamalis fuga, qui ipſi ſanguine iunctus erat, & vicinam regionem poſſidebat, alienior à Perſis factus eſt, rebusque nouis ſtudere videbatur. Quin & illæ gentes, quæ Turcis ſunt conterminæ, & quæ Mediam Atropatiam, vbi hodie eſt Seruan, incolunt, fama ad ipſas de Mahumete in Regem electo delata, peſſime animis affectæ erant. Ex tam crebris mutationibus quilibet facile cognoſcere poterat, Perſiæ regnum plurimum è priſtino nitore atq; dignitate deperdidiſſe.

Hæc omnia eadem diligentia, qua prius geſta, ad Amurathem variis ex locis fuerunt perſcripta: ſed in ea re omnium ſolertiſſimus fuit Vſtrefbaſſa, qui in maioris Armeniæ vrbe Van ad lacum Actamat (qui quondam palus Mantiana dicebatur) ſita reſidebat. Namq; Iſmahelis obitum, optimatum conſilia & fraudes, Periaconconæ interitum, Regis noui cum Principibus diſſenſiones, eiuſdem Regis naturam & oculorum valetudinem ad aulam Turcicam diligentiſſime perſcripſerat: his addiderat, Regem à ſubditis parui fieri, & propter tres filios, quos multorum malorum cauſſas breui extituros, plurimi iam præuidebant, in contemtum veniſſe, tum etiam, quam facile Georgianorum Principes, & Atropatinorum populi (hodie Seruanenſes dicti) domari, & Turcico imperio ſubiici poſſint, quod ſint alieni prorſus à Perſarum Rege. Tandem omnia ea, quæ in Perſia geſta fuerant, ad Amurathem retulit, nulla re omiſſa ex iis, quæ ipſius animum ad ſumenda arma concitare poterant. Mahometem inſuper exiguo iudicio præditum, & multis grauiſſimis difficultatibus irretitum dicebat. Nec ſimilem occaſionem Perſiæ debellandæ vnquam oblatam iri, neq; eius maioribus talem imperii amplificandi, victoriæ deportandæ, & gloriæ maximæ cum fructu immenſo conſequendæ opportunitatem vnquam affulſiſſe, qualis ſe illi vltro nunc offerat: nulla igitur ratione negligendam aut vilipendendam eſſe.

Amurathi iam notæ erant omnes ab Iſmahele inceptæ mutationes, nec alio intentus erat, quam vt earum finem pernoſceret, ipſeque totus res nouas maximique momenti iam animo ſecum voluebat. Cum igitur ad ea, quæ prius intellexerat, aliorum quoque relationes accederent, & Vſtrefbaſſæ (cui forſitan eius rei cura data fuerat) literæ in aulam perueniſſent, multo con-

ſtantius ſecum decreuit vires ſuas contra Perſarum Regem experiri, quod Mahumetanæ legi aduerſaretur, vires Turcarum potentiamq; contemneret, ſolusque inter Aſiæ dynaſtas Imperium Turcicum vilipenderet, & odio haberet, eum eoq; de prærogatiua certare auderet, in memoriam etiam ſibi reuocabat, quod Selimo proauo, Solimanno auo hæc eadem expeditio in Perſiæ regnum facienda vehementer curæ fuiſſet. Hos eum immenſa vi bellica ſæpius Perſiæ regnum ingreſſos, regiones deuaſtaſſe, vrbes expugnaſſe, & vicinos hoſtes in maximas anguſtias redegiſſe ſciebat. In primis vero occaſio, quæ ſeſe videbatur offerre exoptatiſſima ad bellum gerendum, ipſum inſtigabat: aduerſarium, quem habiturus erat, in re bellica non eſſe exercitatum, amore filiorum obcæcatum, & irretitum, eiusq; vires ſubditorum diſſenſionibus valde attenuatas eſſe cogitabat, vires ſuas cum hoſtium potentia diligenter conferebat, & examinabat, milites ipſius poſt Goletæ expugnationem in pace vixerant, mancipiorum numerus erat immenſus tam peditum, quam equitum. Reditus habebat ampliſſimos, nec deerant aliæ rationes pecuniæ colligendæ, tum & tormenta bellica ipſi erant, & maxima copia, & ſingulari præſtantia, quibus rebus omnibus Perſam longe ſuperabat, cuius vrbes apertas eſſe, & parum munitas, nec contra vim tormentorum & oppugnantium defendi poſſe nouerat. His ſingulis ſedulo conſideratis, cum quæ ſibi exequenda propoſuerat, ad felicem euentum produci poſſe ſperaret, occaſionem arripere oblatam, belliq; initium facere ſtatuit. Eius conſilium Chriſtianorum Principum ſtatus maxime promouebat, cum omnibus colebat pacem, nec erat, qui ei facile bellum moturus eſſet, ſiquidem pax cum Cæſare inita adhuc durabat: Nec ſibi ab Hiſpano quid metuendum eſſe cenſebat, quod in Belgio occupatus eſſet, vel ſaltem inducias cum ipſo iniri poſſe, quæ occaſione regni Portugalliæ non multo poſt factæ ſunt, Veneti ſe in fide permanſuros ſolenni iuramento iurarant in pacis tractatione poſt partam victoriam ad Echinades inſulas inita: Nec aliunde à quoquam ſe impeditum iri in præſenti expeditione, certo ſibi perſuadebat. Rem igitur in concilio primorum Baſſarum, quos Viſirios vocant, à quibus res fere omnes, totius imperii, quæ alicuius ſunt momenti, tractantur, deliberandam propoſuit, Num ſcilicet expediat occaſione hac tam exoptata bellum in Perſiam transferre, an ea poſthabita, arma in Chriſtianos conuertere. Hac enim ſemper vſi ſunt Turcarum Imperatores & barbarie & impietate, vt nulla habita fidei & pactorum ratione, modis omnibus etiam iniuſtiſſimis potentiam ſuam augere ſtuduerint. Nec enim Perſis, nec Chriſtianis Principibus bellum inferre poterat Amurathes, quin iuramenta & fœderum pactiones, quæ ſacroſancte & inuiolate ſeruandæ, diſſolueret. Nullus tamen Baſſarum in eo concilio fuit, qui de fide ſeruanda & ignominia, quæ ex violatione pactorum imminebat, præcauẽda mentionem feciſſet. Vim præponebant iuri, & vnicum hoc ſpectabant omnes, qua ratione Imperatoris ſui deſiderio licet inhoneſto ſatisfacerent. Primus erat Mahemetes, qui dignitate, rerum experientia, & ætate reliquos ſuperabat, huius conſilium erat, vt Perſicum bellum Chriſtiano præponeretur; victoriæ certiſſimas cauſſas afferebat, nouas in eo regno exortas diſſenſiones, Regis nuper creati inſcitiam tam rerum ad Rempublicam adminiſtrandam, quam bellum gerendũ pertinentium: Hoc etiam bellum facilius multo geri & cõfici poſſe, quam ſi Chriſtianis inferatur. Non enim facile quemuis ex ipſorum Principibus ſolum bello peti poſſe, etſi potentia inferior, quamuis nullius vires ſint aſpernandæ; verum vno laceſſito mox alios ipſi auxilio venire, ſic vt cum omnibus tandem bellum gerendum foret; quanta autem ſit ipſorum potentia, ex eo patere, quod ante paucos annos claſſem 300. triremium vicerint, aliam huic fere æqualem, aut paulo minorem fugarint, & maiorem conficere poſſent, vbi rectius rebus ſuis conſuluiſſent. In huius ſententiam omnes deniq; Baſſæ pedibus iuere, bellum ſcilicet in Perſia facilius & maiori cum fructu, & ſine periculo inſignis alicuius cladis vel iacturæ geri poſſe, quam ſi contra Chriſtianos ſuſciperetur. Difficultates, quæ impedire hoc bellum poterant, duæ fuerunt in medium al-

latæ:

latæ: prior quidem ad itinera pertinebat: ſiquidem vias longinquas, ſaxoſas, & aſperrimas habituri eſſent, per quas exercitus, Cameli, equi, tormenta, & impedimenta ducenda forent: conſtat enim Iberiam & Colchidem, per quas in Perſiam aditus patet, aſperrimis montibus, & denſiſſimis ſyluis obſeptas, & quaſi circumdatas eſſe, vnde hoſtes quouis tempore inſidias ipſis ſtruere, & incautos aggredi poſſint. Altera difficultas de re pecuniaria à Sinano Baſſa in medium fuit allata: dicebat enim ad nouæ regionis imperium acquirendum hoc in primis requiri, vt ſemel parta conſeruentur, & ſubditi bello deuicti in officio retineantur, quod fieri nequaquam poſſet, niſi paſſim propugnacula & arces conſtruantur, horum ædificationem magno ære conſtare, nec minorem pecuniæ quantitatem ad ſtipendiorum ſolutionem neceſſariam eſſe, ſine qua milites nunquam in defendendis locis ſibi commiſſis fideliter officio ſuo fungantur. Ad eas difficultates, quæ non adeo graues viſæ ſunt, ipſe rex, quod ſufficere in præſens videbatur reſpondit. Quilibet igitur facilimam regni Perſici (quod Cheſelbas vocant) acquiſitionem iam opinione ſibi fingebat, & indubitatam victoriam animo voluebat. Inter alios vero Muſtaffa Baſſa acerrime negotium illud promouit, ſpem faciens indubitatam victoriæ certiſſimæ & ſplendidiſſimæ. (Hic eſt ille Muſtaffa qui Cyprum inſulam Venetis eripuit, & Ottomannico Imperio adiecit, æterna infamia dignus ob perpetratum nefarium in Marco Antonio Bragadino ſcelus, qui generalem ducem belli Famaguſtæ egerat, ſtrenueque ſuo officio functus, contra datam fidem, & pacta conuenta miſere trucidatus fuit) & quo facilius animi vota obtinere poſſet, Latinorum vires, & fortitudinem celebrabat, quam ſe in occupanda Cypro, in primis vero in expugnanda Famaguſta expertum eſſe, maximaq; pericula ſibi ab ipſis creata fuiſſe dicebat, armis quoque ad nocendum commodiſſimis, egregie eſſe inſtructos, quibus rebus nec Georgiani, nec Perſæ vlla ratione cum Latinis comparari poſſint, vnde & bellum his, quam illis, illatum futurum ſit facilius. Hæ primæ fuerunt de bello in Orientem transferendo deliberationes & conſilia, quæ in ſenatu Turcico ea de re habita fuerunt, è quibus facile vnuſquiſq; intelligere poterit, non Zelum religionis, non iniurias à Perſis prius Turcis illatas, ſed vnicum, & quidem inhoneſtum Amurathis deſiderium de regno occupando, cuius regem effœminatum, & parum ſtrenuum, incolas vero diſſenſionibus variis, & diſcordiis ciuilibus laborare, è ſuorum relatione cognouerat, cauſam tanti belli extitiſſe. Alii Perſarum incommodo edocti ſapere diſcant, ſciantq; Reipublicæ Chriſtianæ nihil eſſe pernicioſius, nihilq; magis capitale, diſſenſionibus mutuis, ciuilibuſq; diſcordiis. Cum in hunc modum bellum certo iam decretum eſſet, de modo belli gerendi proxima habita fuit conſultatio. Quomodo & quibus ex locis illud inchoandum eſſet, vt lætiores ſucceſſus inde ſequerentur, ipſe Amurathes præmaturo conſilio omnia perpendit, proteſtatusq; fuerat coram Viſiriis, non ſe belli facturum initium, ex quo certam & ſperatam victoriam deportare nequiret. Varia à Baſſis fuere propoſita, plurima ipſemet Imperator caute inquiſiuit, & quærentibus prompta dedit reſponſa. Erant nonnulli qui Babyloniam verſus totum exercitum ducendum, inde Perſepolim (quæ celebris habetur propter prædam eximiam, quam ibidem Alexander Magnus reperit, vt ſcribit Quintus Curtius) hodie Siras vocatur. Hinc Perſiæ regni occupandi initium faciendum. Aliis contra videbatur, recta via Ecbatanam, quæ Tauris hodie eſt, petendam eſſe, propugnacula circumcirca exſtruenda, locaq; vicina & ſubiecta occupanda. Deniq; nonnulli fuerunt, quibus bipartito exercitu ex vtriſq; modo dictis locis hoſtem aggrediendum eſſe placebat, vt in maiores anguſtias redactus facilius imperata facere, & ad quaſuis pacis conditiones etiam iniquiſſimas ineundas cogi poſſet. Verum hæc poſterior ſententia Amurathi non fuit probata, non enim ſuis viribus tantum fidebat, vt ſi exercitum diuideret, & imminueret, hoſtem debellare poſſet tam potentem, qui etiam potentiſſimis ſuorum maiorum exercitibus fortiter ſe opponere atq; reſiſtere auſus fuerat. Nec parum ipſum mouebat veterum Perſarum fortitudo, & robur bellicum, quorum fama vtpote immortalis iam pridem ad

ipſum quoque fuerat delata, nec parui faciendos ducebat Georgianos, antiquiſſimos Perſarum tributarios & confœderatos, qui ſoli crebris impreſſionibus eius exercitui plurimum damni & perturbationis afferre poterant. Nam ſi hi à tergo & latere, Perſæ vero à fronte ipſius exercitum aggrederentur, non mirum ducebat, ſi eos ſuperarent, licet valeant numero militum, armorum præſtantia & tormentis, quorum tamen vſus propter ſitum regionis non ſemper eſſe poteſt. Igitur vnicum tantum, ſed copioſiſſimum & inſtructiſſimum exercitum in Perſiam mittere, & viribus in vnum collectis eius acquiſitionem tentare decreuit, relictaque Georgia & Perſępoli (quæ vt dixi Siras vocatur) Mediam Atropatiam, quam Siruan nominant, inuadere, & maioris Mediæ vrbes expugnare ſtatuit. Plurimum autem fidebat in promiſſum ſibi à Tartaris Cumanis, ſeu Precopienſibus auxilium: hanc eius ſententiam vt eius Baſſæ quoq; probarent, tandem perſuaſit. Vnum tamen ipſis tunc aperuit, quod omnes, ſed Sinanbaſſa in primis, ſummopere fuerunt mirati, ſe nimirũ in bellum non eſſe profecturum, ſed alium magni nominis ducem exercitui præfecturum, qui ſuo loco imperaret. Huius rei cauſæ multæ fuerunt, principalis tamen, quod nonnunquam Epilepſia ſeu caduco morbo laborabat, verebatur etiam ne ſe abſente, filius in regno ei ſubſtitueretur, quem paſſim à ſubditis plurimum amari ſciebat, tandem quod à Chriſtianis Principibus non parum ſibi timeret. Dum hæc ita conſultantur, Sinan Baſſa, & Muſtaffa, aliique Viſirii cupide expectabant, cui nã ſupremi ducis officium in hoc bello Amurathes commiſſurus eſſet, alter enim alteri præferri anxie optabat. Nuncii expeditiſſimi ad Baſſas, & ciuitatum Rectores, qui in Van, Babylonia, Erziro, finibus Cappadociæ, & maiori Armenia conſiſtebant, illisque mandabatur, vt hoſtilibus incurſionibus vrbes & arces Perſarum deprædarentur, & quacunque ratione poſſent ipſis infeſtarent: omnes mandato huic paruerunt fideliter, in primis vero Vſtrefille Baſſa in Van. Nam præter vrbium excidia multa millia hominum in ſeruitutem abduxit, & tam in ipſam Perſiam quam Prouincias illi tributarias impetus fecit acerrimos, maxima damna paſſim omnibus inferens. Quare Perſarum animi valde fuerunt exacerbati, & haud obſcure ad vindictam ſe parare viſi ſunt. Indies creſcebat odium à parte vtraque, Amurathes vero tandem anno 1577. Muſtaffam totius exercitus ducem creauit, omnium rerum neceſſariarum ipſi copiam curauit, poteſtate data ampliſſima, vt de omnibus rebus, quibus opus habiturus eſſet, ſibi quam diligentiſſime proſpiceret. Conuocati ſunt omnes Baſſæ, Sangiachi, Agæ, Spahini, Ianizari, aliique milites, qui ſemper ſtipendia merent, & quouis tempore comparere in bello coguntur, iuſſique armis inſtructi ad initium veris in vrbe Simbra, quam Erzirum hodie vocant, ducem præſtolari, & quid hic ipſis imperaturus eſſet, expectare. Hic Calcedonem primum, deinde Amaſiam (quæ Scutari hodie) atque Sebaſtopolin (quam Siuas vocant, & patria eſt Strabonis) petiit. Tandem Simbram peruenit, vigente iam æſtate, ibique ſubſtitit, donec frumenta, milites, tormenta, aliaque neceſſaria collegiſſet, inde Mediam Atropatiam verſus diſceſſit, prius tamen delectu habito omnium copiarum, quo ſanos & robuſtos ab infirmis & ægrotantibus, armatos ab inermibus, bellicoſos ab imbellibus diuiſit, iuſtaque proportione inter ſe diſtribuit, vt quantum tribuere, quantumque fidere tam numeroſo exercitui poſſet, cognoſceret: primi fuerunt luſtrati Meſopotamii, quorum 12000. comparuerunt ſolummodo, dux tamen eorum ob eam paucitatem à Muſtaffa acriter fuit increpatus. Hi arcu & machæra vt plurimum pugnant, & parum in bello valent: ſecundi fuerunt Aſſyrii & Babylonii, Euphratis & Tigris accolę ex Balſaræ vrbis confinibus (quæ Teredon quondam dicta fuit) eo deducti iiſdem fere armis, quibus Meſopotamii ipſorũ vicini inſtructi, arcu videlicet, ſagittis, & machæra, eorum 14000. Equitum luſtrata fuerunt. Syriorũ 2000. comparuerunt, & hi tertii fuerunt recenſiti, veſtitu magis, quam armis conſpicui, hoſtiq; ſpem potius prædæ, quam terrorẽ iniicere poterant, milites tamẽ hi agebant, quibus conſuetum erat equos varie in gyrũ agere, & hinc inde volitando pugnare, hoſtiq; reſiſtere, & ſubi-

& ſubito ad ordines redite: proximi fuerunt Anatoliæ populi, qui in Magneſia, Bithynia, Phrygia, Ponto & Lydia conſcripti fuerant, illiq; noſtro tēpore ſub his fere nominibus Siuas, Amaſia, Maras, Burſia, & Angori intelliguntur, horum omniũ 10000. fuerunt ſtrenui milites, & armis bene inſtructi, pleriq; tamen equites ſagittarii. Ex Palæſtina & Iudæa 1000. tantum venerunt, equis promptiſſimis vecti, lanceis & arcu vtentes, ad fugam potius & rapinas, quam ad ſtatariam pugnam apti, veſtibus & virtute carebant. Cilicia ſeu Caramania 4000. militũ miſit, machæra, claua, & arcu inſtructos, homines aſperos & rudes, furtis; latrociniiſq; deditos. Tandem videre erat Græcos, ſpem ſcilicet vnicam, & decus inſigne totius militiæ, hi vt præſtabant animo inuicto, ſic armis erant inſtructi optimis, bombardis ſcilicet & gladiis, nec minus equi ſuis ſeſſoribus ad bellum erant idonei, quorum numerabantur 10000. Cuſtodia Imperatoris exercitus ex 3000. Ianizarorum peditum conſtabat, Conſtantinopoli deductis, qui Bombardis lõgioribus vtebantur, machæra accincti. Qui in Cappadocũ regione ad Armeniæ terminos, vbi hodie Erzirum vel Simbra poſita eſt, conſcripti fuerant, Beyrano Baſſę parebant. horũ erant 4000. pugnis & certaminibus aſſuefacti, primiq; hoſtē aggredi ſoliti gladio, bõbardis & lanceis ex Cannis Indicis confectis, & quidem equites pugnare conſueti, ſingulis legionib. & turmis duces certi erãt præpoſiti, q tamen ꝑ libitu bellici Imperat. mutabantur. Eorũ vero nomina vtpote barbara annotare ſtudio ſuperſedi, ne plus tædii, q̃ delectationis lectori afferrent. Hi erãt ſtipendiarii Turcarũ milites, quibus numero parum cedebant gregarii, q tamen armorũ præſtantia & robore, atq; audacia militari illos lõge ſuperabant. Omnib. igitur copiis luſtratis ad centũ & decē millia equitũ in hoc exercitu reperta fuerunt. Plurimæ tamen prouinciæ nullũ auxilium ad hoc bellũ contulerunt, Arabia fœlix, Ægyptus, Vngaria, Africa, aliaq; loca maritima, & remotiora ſuos milites domi continuere. Qui vero miſerant, domi nihilo minus iuſtis defendebãtur præſidiis, imo reperiebantur qui ocioſi errabant ad bellum nõ inidonei. Damaſcus quondã ob ſtudium rei bellicæ celebris, Ianizaros ſuos præſidiarios domi retinuit omnes. Muſtaffa Conſtantinopolim diſcedens, 500. tormenta minora ſecum aſportauit, quibus ad exercitus ſecuritatem, & propugnaculorum, quæ in hoſtili agro bello parto conſtructurus erat, defenſionem vti volebat. Infinitas aſprorum ſummas ad ſtipendia militibus ſoluēda ab Amurathe acceperat, iuſſus ex ærario Alapiēſi (vulgo Alepo) atq; aliis plures depromere, vbi neceſſitas poſceret. Ad hominum æque, ac pecudum alimenta frumenti decimas in regionibus ſupra nominatis imperauit, quod per Camelos Simbram deportatum, vel per Euxinum Pontum claſſe, cuius præfectus erat Alyucchiali, in portum Trapezuntis (hodie Trabiſonda dicitur) deuectum fuit maximo cum exercitus commodo, quod Simbra tantum quatuor dierum itinere diſtaret. Cæmentariorum atque foſſorum ſeu munitorum copia ingens exercitum ſequebatur. Denique quicquid illi ad tanti belli molem neceſſarium videbatur, diligentiſſime procurauit, atque hunc in modum omnibus rebus decenti ordine diſpoſitis, Erziro ſeu Simbra diſceſſit, octauo poſt die ad Corſæ ruinas peruenit, vbi cum & frumenti copiam, & campos compaſcuos, omnis generis fructus, & aquam puram reperiſſet, ſubſtitit, ſed interceptus tempeſtatibus horrendis & portentoſis per triduum ibi morari coactus eſt. Namque pluuiæ & imbres coorti, quos comitabantur turbines atque procellæ, quibus aquæ creuere, fluuii egreſſi conſuetos alueos exundarunt, tentoria ſubuerſa, pecudes & homines incommodis plurimis affecti fuerunt. Inde plurimi ægrotare cœperunt, ſanitatiſque recuperandæ cauſſa militiam deſerere coacti ſunt. Ipſe vero inſtitutum iter ſequi perexit, donec ſub veſperam, montes, qui Chielder hodie, quondam Periardus vocabantur attigit. Iam præſenſerat Perſas in armis eſſe, ipſumque ſpe pugnæ expectare. Fines enim amicorum, à Solimano in pace cum Tamaſo inita, conſtitutos tranſierat. Verebatur igitur, ne ipſos in loco minus opportuno obuiam haberet, vnde exercitum in tuto cõtinere voluit, ne ex improuiſo hoſtis ipſum aggrederetur, ipſe igitur in planitie caſtrametatus, Beyranum Baſſam

Simbrenſem, collem à dextra occupare iuſſit, Dreuin Baſſam in Caraemit, quæ Metropolis eſt Meſopotamiæ, in alio colle ad ſiniſtrum latus conſiſtere iuſſit. Præter hos Oſinanum Baſſam, Mahametem Baſſam, Mutaſſaden Baſſam, qui tunc ſponte exercitum ſequebantur, cum aliis quamplurimis ſtipendiariis, in iiſdem collibus, qui duorum cornuum inſtar erant, impoſuit; nec tamen eius exercitus, cuiquam poterat eſſe conſpicuus propter dictos colles; ipſe vero horum opera facile quemuis etiam de longinquo conſpicari poterat. Dum ea, qua dixi, ratione Amurathes ſeſe ad bellum parat, Perſarum rex ea de re certior factus, opponere ſe illi exercitumque contra ipſum ad defenſionem imperii ſui mittere decreuit. Vix adhuc in regno erat confirmatus, in quoſdam etiam Perſiæ ac Georgiæ proceres non æquo affectus animo, odia tamen celare, & diſſimulare neceſſitas ipſum docuit. Aperte igitur ſe ipſis reconciliatũ eſſe præ ſe ferebat, ſine quibus neq; exercitum iuſtum colligere, neq; hoſti reſiſtere poterat. Et licet Perſiæ regnum propter varias perturbationes & procerum atq; plebis diſſidia, immenſis damnis affectum fuerat: Obtinuit tamen, vt qui alicuius nominis erãt duces, defenſionem regni & regiæ maieſtatis in ſe ſuſciperent. Igitur dux generalis totius exercitus electus eſt Tocomac Sultan, Dominus & gubernator in Reiuan Armeniæ vrbe, bello celebris, & Turcis optime notus, apud quos ſæpius legationis munus ad Selimum & Amurathem obierat, à Perſis propter virtutem in magna exiſtimatione habitus. Huic rex mandat, vt quantas velit militum copias, ex Atropatia, Media maiore, & locis Turciæ finitimis colligat, detq; operam, vt hoſtes Georgiæ, & Mediæ Atropatiæ ingreſſu prohibere poſſit. Paſſim igitur in omnibus regni vrbibus edicta regia promulgantur, & affiguntur, in his ſcilicet, quas ſua lingua vocant, Amadan, Genge, Tauris, Naſſiuan, Marant, Ardouil, Soffian, Carachach; Turcoman, Giauat, atq; aliis cis & vltra Casbin poſitis, vt videlicet omnes belli duces, & præfecti copiarum, quam celerrime & inſtructiſſimi ſeſe ſiſterent, ad noui belli ducis mandata capeſſenda. Plurimi cognita voluntate regis, obtemperarunt, alii nihili eius mandata fecerunt, obſtinate enim adhuc in illis tumultibus perſeuerabant. Qua de cauſa rex ſollicitus, ægerrime ferebat hanc ſuorum ſubditorum contumaciam, clareq; videbat, multo ſibi vtilius fore, pacem cũ Amurathe, ſi poſſet, inire, quam bellum continuare. Neceſſario tamen defenſio arripienda erat, Georgianis in primis, & inter hos præcipue Dautchano, eam vrgentibus; per legatos enim regem officii commonefecerãt, vt videlicet honorem proprium, & regnum filio ſuo primogenito Emiro Hamzę conſeruare, & tueri velit. Exercitus Perſarum viris xx. ſolummodo millibus conſtabat, quos Rex cum Tocomaco in hoſtem miſit. Nõ enim deſperabat de victoria, quod ipſemet Turcarum Imperator non eſſet in exercitu, & anguſtiis viarum multum fidebat, in quibus numeroſus exercitus plus ſępius impedimento eſt, quam vt opem ferat ad victoriam conſequendam. Hæ Perſarum copiæ equeſtres erant omnes, machæra & arcu pugnabant, nonnulli bombardas vſurpabant, omnes tamen armis erant induti optimis & duriſſimis, animo erant inuicto & certo, magis magiſq; tamen eos excitabat virtus & ſtrenuitas ducis, qui ipſis imperabat. Omnibus itaq; rebus, tam ad pugnandum, quam victum pertinentibus, inſtructi, Ecbatanæ & Gengæ viæ inſiſtentes, Carram ſeu Charſan petierunt, quo hoſtilem exercitum iter direxiſſe certo intellexerant. Cum vnius diei itinere à Periardis montibus abeſſent, exploratores velociſſimos & fidiſſimos emiſerunt, vt de armis & numero copiarum hoſtilium certi quid cognoſcerent. Hi, quæ in mandatis habebant, diligenter executi, eodem tempore in Turcarum venerunt conſpectum, cum duos illos colles, quorum ſupra meminimus, duo illi Baſſæ de Beyran ſcilicet, & Dreuis occuparent, & caſtra ibi figerent: hos vbi viderunt Perſarum exploratores, diligenter eos cõtemplati, nullas alias copias adeſſe rati, quanta potuerunt celeritate ad Tocomacum regreſſi ſunt, qui cum toto exercitu paulatim ipſos inſecutus fuerat. Vbi exploratorum relationes intellexit, eaſq; cum rumoribus illis, quos Arſaciæ perceperat, de numero hoſtium, conuenire ſenſit, tum etiam quod ſibi perſuaderet,

partem

partem aliquam exercitus Turcici Charſæ forſitan relictam, & has tantum copias ad ſpeculandam & cognoſcendam regionem, & territorium hoſtile emiſſas eſſe, animum confirmauit, nimioque gloriæ deſiderio ductus, imprudens licet, aggredi hoſtem ſtatuit. Baſſæ in Beyran & Dreuis vbi ex colle Perſarum aduentum cognouerunt, ſubito cum ſuis equos conſcenſi, hoſti obuiam facti ſunt, quos licet ſtrenuos, & ad prælium inſtructiſſimos eſſe ſenſerunt, confiſi tamen in ſubſidium Muſtaffæ, quod Perſas adhuc latebat, pugnæ cruentiſſimæ initium fecerunt, quæ in planicie illa ad radices montis Periardi circa meridiem commiſſa eſt: initio ſeptem Sangiachi ciciderunt, plurimique alii tam gregarii, quam ſtipendiarii milites occubuerunt; à Perſarum parte nullum adhuc damnum comperiebatur. Sed audaciores redditi, arctiuſque vniti, curſum victoriæ ſequebantur. Muſtaffa de aduentu Perſarum iam certior factus, tam diu à pugna abſtinuit, donec prælium accerrime vigeret, & Turcæ hoſtibus paſſim immixti, confuſam magis eorum fugam redderent. Vbi vero ſuos amplius hoſtium impetum ſuſtinere non poſſe intellexit, ſubito fulguris & terræ motus inſtar, cum omnibus copiis, & aſſuetis vociferationibus maximoque cum impetu ſuis auxilio venit, hoſtemque aggreſſus prælium redintegrauit. Perſæ contra intrepide tam inopinatam & vehementem hoſtium vim exceperunt, & cum iam fere noctem imminere conſpicerent, maluerunt pugnam continuare, quam ignominioſa fuga dubiam & incertam ſalutem quærere. Maxima igitur fortitudine vbiuis hoſti reſtiterunt, donec auxilio tenebrarum, qua potuerunt commodiori ratione, in tutum ſe receperunt. Neque Muſtaffæ eos inſequi fas erat, propter noctem obſcuram; igitur caſtra repetere coactus eſt. Perſæ abſque mora equites quoſdam Arſaciam ad regem ablegarunt, qui de pugnæ ſucceſſu, de maximo Turcarum exercitu, & rebus aliis ipſum certiorem redderent. Amurathi quoque omnia, quæ geſta fuerant, Muſtaffa perſcripſerat. Ad hunc 5000. capita, quæ ex barba & facie Perſarum fuiſſe cognoſcebantur, & 3000. Perſarum viui fuerunt adducti. Quare ille lætitia effuſus, vt maiorem terrorem Perſis iniiceret, captiuos omnes capite plecti, & remotis truncis, capita in formam propugnaculi, horrendo ſane, & nunquam prius audito ſpectaculo diſponi iuſſit.

Dum hunc in modum ſæuit, quidam Manuchiaris legati ad ipſum aduentarunt, qui introducti in tentoria, nomine ſui domini ipſum ſalutabant, eumque imperata facturum ſpondebant. Erat autem Manuchiar ille natu minimus ex filiis viduæ Georgianæ, quæ Dedeſmit nominabatur. Ea re cognita Muſtaffa, maiori lætitia geſtiens, Baſſas omnes & duces exercitus ipſi ſolemni pompa cum tubicinibus & tympanis obuiam ire, eumque tormentorum bellicorum diſploſione, atque aliis lætitiæ ſignis excipere iuſſit. Illi, vt in mandatis habebant, honorificentiſſime Manuchiarē exceperunt, & in caſtra duxerunt, qui vbi ad Muſtaffæ tentorium peruenit, ſtrepitus illi tormentorū, bombardarū, tubarum atq; tympanorum repetiti fuerunt.

Ex equo cum deſcendiſſet, horrendam illam ſtruem, capitum Perſicorum in propugnaculi formā diſpoſitorum, inuitus licet, contemplatus eſt, & quid rei eſſet, diuinare cœpit, quæ tamen omnia Muſtaffa illi poſtea libere expoſuit. Ante omnia, debita reuerentia Muſtaffam ſalutauit, eiſuq; iuſſu ad latus ipſius conſedit, dona quædam, quorum regio, quam poſſidebat, ferax erat, ei obtulit. Dixitque, ſe motum fama de fortiſſimis rebus geſtis Turcarū iam pridem ad ſe delata, ſemper deditiſſimum domus Ottomannicæ fuiſſe, ſæpiuſque exoptaſſe, vt non modo facultates omnes, ſed vitam ipſam in eius obſequio impendere ſibi liceret. Nunc vero motum ſe priſtino ſuo deſiderio, & fama immenſi huius exercitus, incitatum quoque ſtudio militiæ Turcicæ ſub ipſius diſciplina & magiſterio addiſcendæ, omne ipſi & obſequium prompte obtulit, & ſpopondit. Nec vitam ipſam ſibi tam charam futuram, quin eam commodi atque vtilitatis eius promouendæ cauſa profuſurus ſit, cuius rei teſtimonium ſe in pugnis & præliis, quæ committentur, ſtrenue editurum,

& promiſſorum fidem facturum eſſe, pollicebatur: Rogans vt hæc omnia ab ipſo prompta, & beneuola mente Amurathis nomine acceptare velit, cuius nunquam non obedientiſſimus cliens exiſtere velit. Vbi Manuchiar dicendi finem fecit, Muſtaffa ſingula, quæ ab ipſo in medium fuerant allata ordine repetiit, & monſtrata illi ſtrue illa capitum, nec non copiis Turcicis, armis & belli rationibus ac copiis, tandem illi dixit: Hæc omnia à Deo Domui Ottomannicæ conceſſa eſſe, à quo etiam omnia eius deſideria & cogitationes felicem ſucceſſum ſemper habuerint, vnde cum maxima omnium admiratione toti fere mundo imperet: ipſum vero rectiſſime feciſſe, quod ſecta potiori quam ſequeretur, electa, ad ipſum perueniſſet, & Amurathi ſeſe ſubiicere voluiſſet, quod quo citius, eo rectius ab ipſo factum fuiſſe: Plurimum ſe delectari eius aduentu, quod belli ſocium ipſi ſe præbere velit, omnemq; promptam voluntatem & beneuolentiam ipſi offerebat. In vicem donorum & munerum quæ ipſi obtulerat, veſte deaurata, & ex aureo filo contexta, ſcuto etiam & clauo Turcico ex auro, & Encauſto pretioſe elaborato ipſum donauit. Neque vnquam ex ſuo tentorio, niſi ſtipatum ſuis mancipiis egredi, & alio ſe conferre paſſus eſt. Antequam vero in cœpta hiſtoria pergam, operæ precium me facturum duxi, ſi exponerem occulta quædam, quæ alios forſitan latere poſſunt, qui videlicet ſint Perſarum populi, regiones, vrbes, flumina, montes, Comitatus & Ducatus, id quod ſequenti libro facturus ſum. Declarabo igitur quinam illi Turcarum hoſtes ſint, contra quos bellum hoc ſuſceperunt, quinam homines, & quam fortes ſint, quæ regna quondam occuparint, quaſque regiones deuicerint, quam Religionem, quem cultum diuinum habeant, quis ipſorum modus belli gerendi, quibus armis vtantur, quæ pugnandi ratio. Tandem etiam de ipſorum reditibus & ſumptibus aliquid dicam, plurimaq; ſcitu digniſſima in medium adducam. Quibus cognitis & intellectis inceptam hiſtoriam perſequar.

LIBRI SECVNDI
ARGVMENTVM.

MAHVMETIS *natalis dies, & progreſſus. Eiuſdem teſtamentum & mors. Origo ſectæ Sophianæ ſeu Perſicæ & Turcicæ. Iouii & aliorum error, de origine vocabuli Sophi. Incrementum regni Perſici. Geographia eius regni vniuerſalis & particularis. Geographia Georgiæ, & vtriuſq; hiſtorica deſcriptio. Ordo dignitatum in religione Perſica. Ordo dignitatum in regni adminiſtratione. Perſarũ militia, arma, equi, exercitus & eius conditio. Reditus regni & expenſa. Cauſa declinationis iſtius imperii. Admonitio autoris ad lectorem.*

INCIDIT Mahometis vel Mahametis natalis dies in annum à reparata ſalute 593. vel vt alii volunt 567. fuitque Abdallæ filius, Abdelis Mutalepis nepos. Hic alium quoq; filium genuit cognomine Abutalep, qui Aly ſeductoris pater fuit, è familia Arabica pauperima & humilima nati. Mahometes vero maximo ſuo commodo Cadigen, quam alii Hadigen nominãt, vxorem duxit, mulierem ditiſſimam, & nobili proſapia ortam, ex ea filiam, cui impoſuit nomẽ Fattimę, ſuſcepit, quam Alyo, cuius ſupra memini, deſponſauit. Adiutus opibus coniugis ſuæ, cum pretioſiſſimis mercibus in Ægyptum profectus eſt, natura ambitioſus multa ſibi tribuit, & Sergii cuiuſdam monachi Apoſtatæ, familiaritate vſus. Ex Bibliis ſacris plurima ab ipſo didicit, quæ impie ſecũ animo voluens, tandem ſecum decreuit,

autori-

autoritate qua pollebat, & diuitiis ex nuptiis acquiſitis celebre ſuum nomen reddere, vel ſi qua ratione poſſet, nomen Prophetæ & viri ſancti apud rudem & imperitam plebem acquirere. Ab eo tempore perditorum hominum opera vſus, famam de miraculis à ſe editis, ſpargere cœpit, ſeque pro ſingulari Dei amico haberi voluit. Sergius monachus, & reliqui eius aſſeclæ eas fabulas confirmabant, & animis ſimplicium continuo inculcabant. Ipſe ſimulata quadam abſtinentia, tum etiam ficta ſolitudine, & ambitioſo quodam diuitiarum, & opum contemptu eos in errore confirmabat, prophanas quaſdam preces dictabat, & angeli cuiuſdam colloquium & congreſſum, tum etiam ementita quædam miracula, falſo prædicabat. Hiſce nugis cum imperitam plebem fidem adhibere, ſeque pro ſancto homine & propheta ab ea agnoſci cerneret, adhibita quoque autoritate temporali, quam diuitiis è matrimonio partis acquiſierat, leges ſceleratas & impias promulgauit. Inter alias vero ſanctiones, quibus referti ſunt Alcorani & alii eius impuri & pernicioſi libri, primum fere locum obtinet certa quædam precandi formula, qua nequitiis ſuis & nefariis artibus, quibus ſtudebat, autoritatem & gratiam conciliare volebat. Ea enim ad vnum Deum directa erat, quem tunc barbaræ illæ gentes, vtpote, Idolorum cultui, & ſuperſtitioſis fabulis inſiſtentes, in totum fere ignorabant. Eam hiſce verbis comprehendit: In nomine Dei pii, & miſericordis: Tibi, qui dominus es mundi, qui pius & miſericors, laus ſit & gloria, tibi qui dominus es diei iudicii, ſeruimus, à te auxiliũ expectamus, monſtra nobis viam rectam, quam prophetis tuis manifeſtaſti, non eam, ob quam peruerſis, & inimicis tuis iraſceris, Amen. Hanc precatiunculam quinquies diebus ſingulis quemque facere imperabat, circa auroram, meridiem, horam ſecundam poſt meridiem, veſperi, & poſt ſecundam horam noctis, certaſque addidit ceremonias, vt videlicet is, qui primi ſacerdotis munus obiret, quem Fachi vocabant, eminentiorem reliquis locum occuparet; Reliquis in vnum congregatis, voce, & modo precandi præiret, facie in terram prona, rurſuſque erecta, tum etiam vociferationibus, quas omnes vnanimiter imitarentur. Mahametes ipſe tunc ſacerdotis officio fungebatur, quocunque in loco eſſet, eiuſque exemplum ſequebantur reliqui, verum non modo in templo (quod Moſcheam vocant) verum etiam iu rebus politicis, atque adeo in foro ipſe ſolus autoritatem ſupremam obtinebat. Nam & reliqui ſacris à Mahamete inſtitutis intererant, ſed tanquam ſubditi, ipſi tanquam Regi, & gubernatori, parebant. Hinc mos apud Turcas inualuit, vt præter Imperatorem, Baſſas & Sangiacos, qui rebus ad iuſticiam & imperium pertinentibus præſunt Mufti quoque Fachi & alii, qui ſacra & leges curant, reperiantur. His ſuis inſtitutis propheta & ſapiens adpellari meruit, licet voluptatibus & libidinibus valde deditus eſſet, quas tamen artificioſe celabat. Coniugi enim ſuæ, cuius ope ad eam dignitatem euectus fuerat, perſuaſit; à Deo ſibi iniunctum eſſe, vt octo alias inſuper duceret: quod cum à muliere credula facile obtinuiſſet, octo alias, vel mulieres, vel concubinas ſibi adſciuit, inter quas celebriores fuerunt Aiſſa Abubacheri, Ofeſa Omari, & Fara Ottomanni filia, quarum opera imperium in ſubditas gentes, & recens confictam religionem ſtabiliuit & confirmauit. Annum ætatis 63. vel 60. vt nonnulli volunt, attigit, 30. vel ſecundum alios 25. annos imperium tenuit, & ne dum ille infirma valetudine vtebatur, impiæ illi ſuperſtitioni, maxime vero conſuetis precationibus quid detraheretur, conſtituit, vt eius nomine Abubacher eius ſocer in templo Mechæ primum locum obtineret. Quare plurimi fuerunt offenſi, Alyus in primis, & eius propinqui, quod ad ſe tanquam ad nepotem & generum Mahametis iure ſucceſſionem ſpectare iudicarent, ſed patienter eam nouitatem tolerabant. Neque Abubachero in obeundo munere ſibi commiſſo quiſquam reſtitit, donec vita Mahametes functus fuiſſet, à quo cum ſibi Alyus, & eius propinqui nihil amplius timendum eſſe cernerent, palam debitam hereditatem petere cœperunt. Initio quidem Abubacher eorum petitioni haud repugnaturus videbatur, vt videlicet gratum Alyo eiuſque amicis faceret, illum

imperio ſe digniorem æſtimans, non modo quod Mahameti propior eſſet ſanguine iunctus, verum etiam quod peritia rei militaris & corporis agilitate præſtaret. Sed cum paulo poſt, quæ mens & voluntas eſſet potentiorum quorundam, qui nullo modo imperio ipſum priuari volebant, cognouiſſet, aperte Alyo repugnare, & non modo rationibus & iure, ſed vi etiam aperta ſucceſſionem ſibi retinere ſtuduit. Quod Alyus demum ita fieri permiſit, tum ne noua religio quid detrimenti caperet, tum etiam, quod ab amicis & cognatis tandem fuerit derelictus & deſertus. Mercedem tamen ſuæ patientiæ non tulit aliam, quam quod præter imperium omnibus inſuper bonis & facultatibus à ſocero Mahamete ſibi & Fattimæ cõiugi derelictis ſpoliatus & exutus fuerit, quas Abubacher Tyrannus iniuſte ad ſe rapuit, facti ſui rationem allegans, quod iure ad eum hereditas deferatur, ad quem onus legis & presbyterij redit, ſicq; lege in poſterum cautum eſſe voluit, vt dignitatis & bonorum vel opum vnus idemque ſemper heres exiſtat, neque illa duo à quoquam propheta diuelli queant. Ea de re libri quidam ab eius temporis viris doctis conſcripti fuerunt, quibus quæſtio hæc controuertitur & deciditur. Alyus tam diu ſuperſtes fuit, donec Abubacher, Omar, & Ottoman qui ordine imperio functi fuerant, mortem obiiſſent, quibus ille tandem ſucceſſit, verum Mauius Damaſci dominus bellum eo nomine ipſi intulit, magna tamen gloria Alyi victus, & fugatus fuit. Hic poſtea magna cum laude dignitatem illam Mahametis obtinuit, & poſt mortem viri magnanimi, iuſti, & ſynceri nomen apud quoſuis ſuos aſſeclas conſecutus eſt, Caſæ, quę duorum dierum itinere Babylonia diſtat, ſepultus vna cum duobus filiis Haſſan & Oſſan.

Hæc fuit origo ſectæ Mahametanæ à Mahamete introductæ, quæ in oriente paſſim ab omnibus recepta, & ſine vllius controuerſia, aut diſcordiis ciuilibus approbata fuit, licet eæ regiones diuerſis plane dominis ſubiectę eſſent. Cumque diu pernicioſa hæc opinio Aſiaticorum populorum animos in maxima ſane dominiorum inæqualitate irretitos tenuiſſet, noua ſubito inter paucos Mahumetanos exſtitit ſuperſtitio, quæ tam altas exiguo tempore radices egit, vt pro vtriuſq; defenſione acerrima bella ciuilia inter eas gentes mutuo geſta fuerint, priori illa concordia & amicitia, qua ſub vnica Mahametana religione inuicem deuincti prius fuerant, protinus ſublata.

Huius nouitatis author exſtitit Sexchiunus, vel vt clarius eius nomen exprimamus Siec Giunetus; hic ſapientis (quod Siec vel Sophi vocabulum denotat) & ſancti nomen ſibi ſumpſit, & ſubditis ſibi gentibus, natura inconſtantibus & ſuperſtitioſis perſuadere conatus, primos illos Mahemetis ſucceſſores contra ius & æquitatem, Principatus dignitatem vſurpaſſe, eaque Alyum defraudaſſe, qui iuſtitiæ & modeſtiæ laude clarus hæres legitimus extiterat, hunc ſolum in precibus inuocari volebat, eiq; honorem debitum reſtituere, & priores tres tanquam damnatos & improbos eo ſpoliare cupiebat.

Multis ſane argumentis hanc ſuam inuentionem probauit, donec nonnullis eam perſuaſit, qui eum tanquam autorem & ducem recens excogitatæ veritatis ſecuti, ex ipſius ſententia in hæc verba preces concipere cœperunt: *Sit maledictus Abubacher, Omar & Ottoman, & Deus clemẽtiam ſuam exhibeat Alyo, deque ipſo ſit contentus.*

Ab eo tempore Alyi & filiorum ipſius ſepulchrum Caſæ in maxima veneratione eſſe cœpit, quod annis ſingulis eius ſuperſtitionis aſſeclæ viſitare ſolent, quemadmodũ Turcæ priorũ trium ſepulchra inuiſunt. Ipſi reges Perſarum Caſæ inaugurari, & gladio cingi voluerunt, vbi ipſorum ſupremus Califa, qui Alyi perſonam refert, impuro illi ſacerdotio præſidet.

Hinc error quorundam apparet, qui Perſarum reges Babyloniæ coronari exiſtimarunt propinquitate & celebritate locorum decepti, quod Caſa proxima Babyloniæ, & pago quam Caſtro vel vrbi ſimilior: Hæc vero vrbs eſſet celeberrima & potentiſſima. Hunc in modum Strabo quoſdam deceptos ſcribit,

ſcribit, qui pugnam, qua Darius imperio ab Alexandro fuit exutus, ad Arbellam vrbem celebrem commiſſam putant, cum ea ad pagum Gaugamelam, id eſt, Camelorum domum pugnata fuerit. Errant etiam, qui Arbellam hodie Taurim vocari exiſtimãt, cũ illa a Strabone in Babyloniæ regione ponatur: Hæc vero abſq; controuerſia in Media ſita ſit. Ex breui hac narratione apparere puto, quantum Iouius deceptus fuerit, dum Perſianam ſectam eodem tempore inuentam fuiſſe, ſcribit, quo Lutherus in Germania docere cœpit: Tum etiam quod illius autorem Arduellem cognomine Aiderum ſtatuit. Nam & tempore, quod illa ſecta diu ante Lutheri diſciplinam reperta, & inuentoris nomine fallitur, quod Giunet Siec vel Sophi, & non Arduel, vt ille vult, vocatus fuerit. Ab eo tempore Turcæ nouum ſibi cognomen quæſiuerunt, ſeque Sunni vocarunt, quod vt ipſis videbatur, veram & meliorem religionem haberent: Perſas vero Rafadios ſeu præuaricatores & peruerſæ fidei aſſeclas adpellarunt. Hanc ſolum ob cauſam, quod primos tres ſucceſſores Mahametis Abubacherum ſcilicet, Omarum & Ottomanum reprobarent, quos Turcæ pro veris & legitimis hæredibus agnoſcunt. Neque contentio hæc ex varia Alcorani interpretatione, aut legis completione ab Alyo facta, extitit, quod vtraque pars vno eodemque modo Alcoranũ interpretetur, & Alyus nunquam legem vllam ſanciit, ſed prius latas à Mahamete ipſe confirmauit. Turcæ etiam Alyum ſuo non dedignantur honore, quem poſt Abubacherum, Omarum, & Ottomannum legitime Mahameti ſucceſſiſſe dicunt. Perſæ autem licet Alyum venerentur, priores tamen tres non modo non honorant, verum etiam damnant, illis maledicunt & peſſime oderunt. Perſæ inſuper Cheſelbas dicti ſunt à rubro capitis ſigno, quod ex inſtitutione Arduellis, quem pro ſancto coluerũt, & Sophi nominarunt, geſtant. Quod nomen poſtea in ſucceſſione Iſmaelis renouatum fuit. Hic enim rurſum Sophi nomen aſſumpſit, quo primum Giunet vſus eſt, ob nouam à ſe inuentam ſuperſtitionem; & ad noſtra vſque tempora vſurpatum fuit, ab illis ſcilicet Aſiæ populis, qui cum multis aliis Alexandri Magni imperio quondam ceſſerunt, celebres tamen propter gemmas precioſas, corporis pulchritudinem & generoſos canes, qui apud ipſos magna copia reperiuntur. Sed de hoc vocabulo Sophi, vel Sophito plura in medium adducerem, niſi ab inſtituta materia alio euagari religio mihi eſſet, & breuitas ad alia nos reuocaret. Paucis tantum repetam, ea primum voce vſum fuiſſe Giunetum, qui propter diſcordiam in religione motam Siec & Sophi, non Saha vel rex fuit dictus. Plus enim ſtudiis & religioni operam dedit, quam imperii adminiſtrationi. Eius tres primi ſucceſſores tantum Siec cognominati fuerunt, videlicet, Siec Sederdin, Siec Giunet ſecundus, & Siec Aider, quem Iouius Arduelem vocat. Tandem Iſmahel eo nomine ſpreto Saha vel Rex adpellari voluit, qui tam late ditionem, & regnum ſuum prolatauit, vt quanta eius oppreſſio, & diminutio ab eo tempore facta fuerit, vix credi poſſit. Errat igitur Iouius, qui Iſmahelem primum Sophi dictum fuiſſe ſcribit, quod hæc adpellatio à Giuneto primum vſurpata, poſtea temporis ſpacio abolita, tandem ab Iſmahele rurſus in vſum reuocata fuerit. Eo regnante, Perſia Maieſtate & gloria cum Cyri & Darii imperii æmulari non iniuria videri poterat. Iſmaheli ſucceſſit Tamaſus, qui non eo, quo pater ipſius, rerum ſucceſſu proſpero & felicitate in imperio vſus eſt. Siquidem à Solimanno plurimum damni illatum ipſi fuit, poſt hunc Aiderus ſecundus aliquot ſaltem diebus & horis imperio potitus eſt, eius ſucceſſor Iſmahel omnes Perſiæ ciuitates maximis & grauiſſimis damnis affecit, vt ſuperius libro primo noſtræ hiſtoriæ expoſuimus. Mahametes, qui nunc regem agit, maioribus ſuis multo infelicior eſt. Hi omnes ab Iſmahele primo nõ Siec, vel Sophi, ſed Saha, id eſt, rex adpellari voluerunt.

Dixi de initio & incremento regni Perſici, de ipſius declinatione poſtea dicendum erit. Nunc Geographiam eiuſdem ordine perſequar, in qua hoc in primis cauendum, ne eius terminos, tam ſpatioſos, quales Iſmahelis Primi tempore, nec anguſtiores tamen, quam ſub initium huius, quod nunc geritur,

belli fuerunt, ponamus. Siquidem Iſmahel limites ſui imperii verſus orientem vltra Ariam extendit, verſus meridiem vltra mare rubrum in ſinu Perſico: ſubiugarat etiam Armenios, Meſopotamios, Babylonios, & Aſſyrios. Videbaturque ad ipſam vſque Europam pertingere velle. Sed tam læto rerum ſuarum ſucceſſu paulo poſt deſtitutus fuit. Nam eo adhuc viuente à multis potentiſſimis hoſtibus eius imperium fuit infeſtatum. Tamaſus vero, qui ipſi ſucceſſit, in maiores anguſtias redactus, Bithyniam, Meſopotamiam, Armeniam & Aſſyriam amiſit, nec abſque periculo & difficultate Georgiam & Mediam Atropatiam retinuit atque defendit, tandem etiam Perſarum hortatu, Arſaciam regni ſedem tranſtulit, cum prius Ecbatanæ ſeu Tauris fuiſſet.

Ad ſeptentrionem poſtea occurrit primum maris Caſpii pars orientalior. Inde per idem mare, continuato curſu, extenditur in Siruan & Georgiam ad Mengrelios ſeu Colchidem vſque: deinde paulò inferius Chorſam ſiue Chars & campos, ad Periados, vel Chieldermontes, attingit, vbi ad diſcernendos imperii fines Chielderum arx ſita eſt. Occidentale latus ſic poſſumus deſcribere: à Chieldero arce linea ducatur verſus ortum ſupra lacum Actamar & Coy vrbem in Armeniæ & Mediæ finibus poſitam, hinc planicies patet Caldarane dicta, & verſus meridiem vrbs Salmas, atque vlterius Sereſul vſque ad Euphratis oſtium. Pars meridionalis ab hoc oſtio, vbi etiam Baſſora eſt, incipit, ac totum eum maris tractum vſque ad Techiſnandan Caramaniæ deſertæ montes, complectitur, tandem in regno Candahar, quod verſus ortum eſt terminatur.

Reſtant termini verſus ortum poſiti, qui regnum Coraſſan, Tartaros Ieſſelbas, & vrbem Samarcante comprehendunt, tandem ad mare Caſpium, qua verſus ortum tendit, deſinunt, vbi videlicet verſus ſeptentrionem rurſus Perſiæ regnum vergit. Hoc terræ ſpacio, quod nunc emenſi ſumus, Prouinciæ non minus quondam, quam noſtro tempore celeberrimæ continentur. Verſus ortum eſt Georgia ſeu Iberia, pars Turcomaniæ, & Cuſſeſtan ſiue Aſſyriæ, à ſeptentrione vero Atropatia, hodie Seruania, Gheilan, Gely quondam, & Maſandran, olim Hircania dicta: ab ortu continet Candahar ſeu Paroponiſum, tum eṭiam Hori & Coraſſan, quam veteres Ariam nominarunt. A meridie habet regnum, quod hodie Fars dicunt, cum Caramania deſerta. In centro ſeu meditullio harum regionum vrbes Casbin ſiue Arſacia Caſſan & Hiſpahan ſitæ ſunt. Quas prouincias vniuerſas belli huius initio Mahametes Cadabanda poſſedit. Ex quum olim à Macedonibus, Græcis atque aliis barbaris ſubactæ, crebras imperiorum mutationes perpeſſæ eſſent, & quam plurimis hoſtilibus direptionibus toties expoſitæ fuiſſent, nomina etiam antiqua perdiderunt, & noua ipſis pro incolarum diuerſorum linguis impoſita fuerunt. Qualia vero illa ſint, ſuperius recenſuimus, quantum quidem coniectura colligere, & aliis quibuſdam rationibus probabilibus aſſequi potuimus. De quibus etſi Ananias, Pii II. tempore, & Niger Venetus, aliique nonnulli recentes Geographi plurima ſcripſerunt, ea tamen fabulis, quam veritati veriſimiliora videntur. Cuiuſmodi ſcripta Strabo & Thucidydes ſæpius reprehendere ſoliti ſunt. Sed poſthabita narratione de rebus naturalibus, admirabilibus, & poetarum fabulis, in hac noſtra Regionum Perſicarum deſcriptione, ea tantum in medium adducemus, quæ ad cognitionem ſtatus regni Perſici ſpectare videbuntur.

Tamaſus filio ſuo Iſmaheli, qui ei in regno ſucceſſit, 70. præfecturas reliquit, quarum Præfecti Sultan & Chan (quæ nomina Baſſis quoque Turcarum conueniunt) vocantur. Horum quilibet vrbem quandam præpotentem, quarum 70. erant, regebat, & in alias vrbes minores, arces & oppida, iuriſdictionem abſolutam habebat, vnde exercitus colligi & milites conſcribi poterant. Quæ nam vero hæ 70. vrbes fuerint, quibusue nominibus inſignitæ, abſq; ſumma difficultate plene ſcire nemo poterit, attamen præcipuarum quarundam nomina, quæ nobis innotuerunt, ponemus: Sumachi ſcilicet, Sechi, Eres, Seruã, Derbẽt, Caracach, Ardouil, Tauris, Reiuan, Genge, Hiſpahan, Maſandran, Gheilan, Heri,

Caſſam, Sitas, Starabat, Chilmiſhar, Candahar, Ieſed, Sapanec, Sultania, Bargo, Cum, Cotan, Seua, Casbin, & aliæ. Harum, vt dixi, imperium in alias quoque vrbes minores, arces, oppidaq; ſeſe extendebat. Hiſpahan à 12. Sultanis gubernatur, Casbin ſiue Arſaciæ, rex præeſt cũ tribus præfectis. In Heri ſunt alii tres præter Abas Mirize, & totidẽ in Candahar cum Ruſtan Mirize. Horum autem locorum exactam Geographiam contexere, tum quoque indicare qui in illis montes, fluuii, campi reperiantur, quæ diſtantia regionum, quæ poli altitudo ſit, labor foret non modo difficillimus, verum etiam inutilis, quod Turcæ in pleraſque iſtarum prouinciarum nondum penetrarint ſuis copiis, & nihil memorabile in illis geſtum fuerit: Superius in hiſtoria Abas Mirize & de Turcomannis, quorundam meminimus, quæ ſufficere arbitramur. Reuertemur igitur ad Georgiam, Mediam Atropatiam, & Maiorem, atque Armeniam, quarum diligentem & exactam deſcriptionem ſubiungam. Georgia, quondam Iberia dicta, ab Occidente Colchidem ſeu Mengreliam; Ab ortu Mediam Atropatiam, ſeu Seruan; à Septentrione Albaniam, hodie Zuitiam dictam; à meridie Armeniam maiorem, ſeu Turcomanniam habet. Vndique montes aſperi, ſyluæ denſæ, rupes & ruinæ locorum deſolatorum conſpiciuntur: Serico, fructibus, fetis & falconibus abundat. Eam fluuii celeberrimi, etiam Straboni noti, irrigant: præcipuus eſt Cyrus, qui regionem illam interſecat: huic vicinus eſt Araxes, qui ex Tauro monte oritur, non procul à Periardo, à latere montis Abo: inde verſus ortum ad Albaniæ confinia labitur, poſtea verſus occidentem, tandem verſus ſeptentrionem curſum tenet, vbi Cyri aquis immiſcetur, inde Artaſſatam Armeniorum vrbem è regione vrbis Reiuan ſitam, attingit. Inde continuato curſu planiciem Araſlenam (quondam Caldaranam dictam, vt putant) interluit, donec in mare Caſpium, quod vulgo di Corazun & di Baccu dicitur, ſeſe exonerat: à meridie Armeniam, à ſeptentrione Mediam Atropatiam, cuius Metropolis eſt Eres, alluit, ab incolis vulgato ſuo nomine Araxes dicitur. Alueum profundum habet & ſpacioſum. Noſtro autem tempore eius magnitudo non accedit ad portentam illã, cuius Herodotus, Q. Curtius & Natalis Comes meminerunt. Habet etiam Cyrus originem ſuam è Tauro Armeniæ monte, inde per Georgiæ planiciem in Araxem delatus eodem cum ipſo curſu mari Caſpio inuoluitur, vocaturque ab incolis Ser, à Turcis vero Chiur. Araxes qua parte Mediam Atropatiam & Armeniam alluit, plurimis aliis fluuiis, qui ex Armeniæ montibus deſcendunt, receptis augetur, præcipuus eſt Canac, qui ſuo curſu, non procul ab Eres peninſulam efficit, inde Araxi ſe immiſcet, vt ſuo loco dicemus.

Hæc prouincia plurimis Comitibus, Ducibus & Magnatibus paret, à quibus inculta æque, & montuoſa, quam plana & culta loca poſſidentur. Plerique Chriſti nomen profitentur, & Græcorum ritus & ceremonias ſequuntur, robuſti & fortes ſunt, quæque ſemel in animum induxerunt, firmiter retinent. Præter alios vero, qui & Comitatus & diuerſa prædia tenent, præcipui fere ſunt Principes: vidua quædam, cuius filii ſunt Manuchiar, & Alexander: Tum Lauaſſapi duo filii, Dauid & Simon: Poſt Leuentolius, quem incolæ Schender, nos vero Alexandrum cognomine Magnum vocamus. Giuſuf Gorii filius eſt. Sahamalis mentionem fecimus, cum Aideri mortem deſcripſimus. Tandem etiam eſt Baſſacchiuc. Sahamalis ditio ab vnã parte Atropatiam, ab altera Alexandri territorium attingit. Aſperum quendam & incultum montem incolit, quem Turcæ Brus nominant, cuius cacumina perpetuis niuibus albeſcunt, Sophianæ religioni addictus, ortum vero ex Georgia trahit, pecuniæ numeratæ parum habet, haſtas vibrare, & tela dextre eiaculari apprime nouit. Paucas vrbes, & nulla fere loca, quæ alicuius ſint momenti, ſed exigua tantum caſtella & humiles caſas atque oppida poſſidet. Eius ſubditi homines ſunt ferociſſimi, rapinis dediti, fugæque aſſueti. Filium reliquit vnicum, qui patri ab Oſmano Baſſa ob proditionem occiſo, ſucceſſit, de quo plura ſuo loco. Giuſuf natione, & religione Georgianus eſt.

Regiam habet Gori, ab occaſu eius territorium cum Baſſacchiuc terminatur, diſcernuntur inuicem lacu Eſſecchia. Verſus ortum ditionem Derbent attingit. Hic cum videret ab vna parte ab Oſmano Baſſa in maximas ſe anguſtias redactum, ab altera vero, qua Teflis eſt, totum exercitum Turcarum ſibi inſtare, tandem eiurato Chriſti nomine ad Turcas acceſſit, vt in hiſtoriæ contextu ſignificabitur. Vidua, cuius ſupra memini, filium natu minimum Manuchiar nomine adhuc habet; qui Muſtaffæ homagium præſtitit, eius filius natu maximus, Alexander fuit, cuius in deſcribēdis eius calamitatibus ſæpius mentio nobis erit facienda. Plurima caſtella poſſidet, quæ Alexandro filio regenda conceſſerat, totamque imperii curam ei commiſerat, quibus omnibus poſtea vna cum vita ab Amurathe & Manuchiar fratre minore exutus fuit. Horum territorium Chorſan ſeu Chars habet ab occaſu; ab ortu vero duorum fratrum Simonis & Dauidis ditio eſt. Fluuio alluitur, quem Turcæ Chiur vocant, alii Cyri fluuii bracchium eſſe putant. Regiam habent Altunchalo, quæ vox Turcis ſonat caſtrum aureum: ibi quoq; eſt Cliſca, locus commodus & opportunus, & alius quidam à Turcis Carachala ſeu caſtrum obſcurum & nigrum vocatus. Regia Altunchala qua Teflis & Charſan ſpectat, aſperrimis Periardi montibus, & denſiſſimis ſyluis, inſidiis ſtruendis & circumueniendis exercitibus aptiſſimis circumdatur, atque adeò ipſa loci natura & ſitu egregie defenditur. Sequitur verſus ortum Lauaſſapi ditio, quæ in Armenia potius, quam Iberia merito collocatur. Eam poſt patris obitum duo fratres virtute patri haud concedentes, hæreditario iure acceperunt, qui tamen illuſtre nomen & gloriam quam iam pene omnes acquiſierant, deteſtanda religionis mutatione fœde conſpurcarunt. Simon in primis omni laude dignus habendus. Nam & ſcientia militari, & poeſeos atque Philoſophiæ cognitione præſtabat, eoq; nomine in familiaritatem Iſmaëlis Tamaſi filii admiſſus fuit, cum vterque in Cahaca arce Perſiæ captiuus teneretur, de quo ſuo loco. Enormia vero delicta ab ambobus commiſſa, omnem virtutem, quæ in ipſis eluceret, obſcurarunt. Religione enim mutata & eiurato Chriſti nomine, facultatibus quoq; omnibus & imperio & honore ſpoliati fuerunt.

Etenim pater ipſorum Lauaſſap filium Simonem, vtpote natu maximum, & maiori iudicio præditum hæredem Regni teſtamento inſtituerat, cumque vitæ diem ſupremum obiiſſet, Dauid, fratrum natu minimus indigniſſime eam ſucceſſionem tulit. Ambitione enim atque regnandi cupidine inflammatus Simonem regno priuare, vique ei & armis illud eripere conatus eſt, quod & teſtamento paterno & lege naturæ ipſi denegatum fuerat. Aperte igitur hoſtem ſeſe declarauit, eductiſque copiis, aſſeclas plurimos, qui nouitati & ſeditionibus ſtudebant, reperit, & primo quidem annuos reditus, qui iure ad fratrem ſpectabant, intercepit, inque ſuum vſum, contra omnem honeſtatis rationem conuertit. Ex hiſce rapinis indies occaſionem maiorem nactus militum fauorem aucupandi, ſubito copiarum ſuarum numerum eum in modum auxit, vt non leuem formidinem vniuerſæ Georgiæ, fratri vero Simoni horrorem & metum maximum incuſſerit.

Simon vero vt peruerſas & nefarias fratris ſui molitiones certo cognouit, neque aliam ſui defendendi rationem inire poſſet, ad Tamaſum Perſiæ regem ſe conuertit, expoſita neceſſitate in qua hærebat, auxilium ab ipſo expetiuit. Nec fruſtratus ſua petitione, continuo præſidium 4000. equitum obtinuit; hi in Georgiam ſub Duce quodam Perſæ miſſi ſunt, cui Tamaſus ſeuere iniunxerat, vt viuum Dauidem in ſuam poteſtatem redigeret, ſecumque in Perſiam adduceret, ea tamen oblata conditione, vt ſi à religione, quam colebat, deſiſtere, & non amplius vt tributarius, ſed vt ſubditus Perſarum regi homagium præſtare velit, regnum auitum retineat, in eoque fratri Simoni præferatur, & confirmetur. Hanc conditionem ſi Dauid acceptaret, Dux ille ad Simonem tendere, atque eadem mandata ipſi exponere iubebatur. hunc, ſi in priſtina religione perſeueret, in cuſtodiam mandari, in eiusq; locum

Daui-

Dauidem fratrem ſubſtitui: Quod ſi Simon obedire velit, in regno ipſum confirmari, & Dauidem captiuum Arſaciam duci idem Rex imperabat. Perſarum ille Dux vbi Georgiam peruenit, abſq; difficultate Dauidem cepit, eiq; voluntatem Tamaſi aperuit, cui Dauid abſq; mora obſecutus, Chriſti nomen eiurauit, & Mahometanam religionem profiteri cœpit, eiq; pro Dauide in circumciſione nomen Dautchan fuit impoſitum. Inde Perſarum Dux ad Simonem profectus, eidem ſignificauit, ſe in eius gratiam iuſſu Tamaſi in Georgiam profectum, votiq; compotem ipſum feciſſe, capto fratre inimico: nihilominus tamen non permiſſurum Tamaſum, vt ſub eius tutela & patrocinio hoc regnum amplius poſſideat, niſi religionem mutet, & Mahometis legem ipſe cum ſuis ſubditis obſeruet: In ipſius nũc eſſe arbitrio, quid facere velit, præſtò eſſe fratrem, qui ipſi ſuccedere debeat, vtpote qui ſponte Mahumetanam religionem amplexus fuerit. Simon ex fratris perfidia maximam animo moleſtiam cepit, verum in religione Chriſtiana conſtantiam & ſinceritatem maiorem, quam vnquam antea probauit. Regno, quo in terris fruebatur, cedere, quam æterna ſalute priuari maluit: captiuus igitur ad Tamaſum ductus, ab eo multis verbis ad amplexandam Perſarum ſuperſtitionem inſtigatus fuit. At ille religionem, in qua educatus erat, conſtantiſſime defendit. Regis itaq; iuſſu in arcem Cahacam, vbi Iſmahel detinebatur, abductus, in vincula coniectus fuit. Dauid autem, quem poſtea Dautchan nominabimus, poſtquam de more gentis circumciſus fuit, barbara veſte ornatus, omnem paternam ditionem à Tamaſo gubernandam accepit, non equidem vt tanquam Rex vel Dux pro ſuo libitu ipſi imperaret, ſed tantum, vt ipſam ceu Chan de Feſlis vel Præfectus regeret & adminiſtraret. Diſcant alii huius Simonis exemplo, quam periculoſum ſit, barbaros ad ſui defenſionem in propriam ditionem attrahere. Nihil enim quicquam incertius eſt, vel quod facilius fallere poſſit, eorum hominum fide & pollicitationibus, qui nulla religione tanguntur, quiq; extrema quæuis ſcelera committere audent, vt alios ditione ſua & bonis ſpolient, atq; euertant. Sed progrediamur in deſcriptione locorum, quos Lauaſſap filiis ſuis reliquit. Vrbes præcipuæ ab ipſo poſſeſſæ fuerunt, Teflis, Lory, Tomanis, Chietes, Chiurgichala, & arces quædam aliæ atq; pagi. Regia tamen ſemper fuit in Teflis, iuxta quam ſepulchra Regum, qui eam partem Georgiæ tenuerunt, adhuc conſpiciuntur. Natura optime eſt munita, eamque exiguus quidam fluuius perluit, qui è propinquis montibus deſcendit, & non procul inde in Araxen fluuium delabitur, à Turcis Chiur vocatur, eumq; Cyri brachium quoddam eſſe putant. Qua parte Armeniam verſus meridiem ſpectat, vbi etiam Tomanis vrbs eſt, viæ patent anguſtiſſimæ, & valles profundæ, per quas Araxes hinc inde curſitando, ingenti impetu rupes aliaq; ſecum raptat, & maximorum damnorum cauſſa ſæpius exiſtit. Montes porro, per quos iter fit, denſiſſimis ſyluis, arboribus vetuſtiſſimis, cerris videlicet & pinis conſiti ſunt, vmbram obſcuram efficiunt, quæ cum alto, quod ibidem eſt, ſilentio, ad leuiſſimum cuiuſuis venti impetum, aut feræ cuiuſdam ſtrepitum, horrorem prætereuntibus incutere poteſt. A parte occidentali tranſitus difficilimi patent per Periardi rupes, quibus & hæc regio cum viduæ ditione ex iis locis fere inuia redditur. Nam & Araxes in anguſtis illis vallibus multis ſuis giris cuiuis prætereunti periculoſiſſimum iter efficit. A Septentrione Caucaſus aſperrimus & inuius occurrit, per quem nullus in eam regionem aditus Turcis patuiſſet, niſi vrbem Derbent in ſuam poteſtatem prius redegiſſent. Ipſa natura videtur præſenſiſſe Turcarum furorem & crudelitatem, quod tribus hiſce locis, qui in Georgiam Ottomannicos Principes ducere poterant, per Colchidem ſcilicet, Periardum, & Armeniam, aditum tantis difficultatibus obſtruxerit, vt ſimplices illi populi, & tractandorum tormentorum ignari, ab incurſionibus & rabie hoſtium ſecuri manere poſſint. Strabo lib. 2. harum anguſtiarum & viarum mentionem facere videtur, cum Pompeium & Canidium per haſce duas vias in Iberiam exercitum duxiſſe ſcribit: Turcæ vero ſub belli huius initium omnes quatuor tranſitus occupare, ſibiq; reſeruare conati ſunt, è parte Colchidis claſſem per Pontum Eu-

xinum ad Phaſis oſtia perduxerunt: prope Albanos Abdilchiraus Tartarus Siruaniam vel Atropatiam inuaſit, per reliquas duas anguſtias vniuerſus exercitus in Georgiam irrupit. Verſus Septentrionem non procul à lacu Eſſecchia, qui olim Lychnitis fuit dictus, vrbs eſt Baſſacchiuc, & aliquot caſtella, quibus Princeps quidam eiuſdem nominis Baſſacchiuc per multa iam ſæcula imperat; Hic ſubruſticus eſt & inurbanus, à Turcico exercitu parum damni hoc bello ſenſit, quod eius ditio à vulgari via, quam tenuerunt Turcæ, remotior eſſet. Quiete igitur & tranquille reliquorum infortunia & graues caſus tanquam è ſpecula contemplari ipſi licuit. Ea tamen pace ei frui non contigiſſet, niſi Tartari ex conſilio & hortatu Oſmani Baſſæ à promiſſis Amurathi factis diſceſſiſſent. Leuentii dein filius, quem incolæ Schender, nos vero Alexandrum, ipſi cognomine Magnum vocant, cum Iſſeo fratre ditionem circa Reiuan & Siruan extra Tomanis poſſidet, quæ Armeniæ & Atropatiæ potius, quam Iberiæ adſcribenda eſt. Hic alio defenſionis genere vſus, relictis armis, ad preces & munera confugit, quo ſe & ſuos in tuto collocaret: A Perſis inprimis ipſi periculum imminebat, quod per huius ditionem aditus in Siruan pateret, & Reiuan atq; Teflis exiguo interuallo ab eius prouincia diſtarent. Nec minus etiam Turcarum gratiam & fauorem largitionibus & donis ſibi conciliare ſtuduit. Neutrius igitur partes ſecutus, vtroſq; amicos habuit, & in maximis belli incendiis, cum paſſim omnia deuaſtationibus æſtuarent, ipſe ſolus immunis ab omni periculo & damno fuit. Regiam habet Zaghen, quæ ſerico abundat, deinde etiam Grin, & alia quædam oppida atq; arces poſſidet: omnium Georgiæ procerum ditiſſimus eſt, & præ omnibus aliis quiete & pace fruitur. Quondam Perſiæ regno deuotiſſimus fuit: Cum vero à Tamaſo inſidias ſibi ſtrui videret, quod ipſum ditione ſua priuare, & in fratrem Iſſeum, qui Perſarum religionem amplexus fuerat, illam transferre vellet, diffidere cœpit Perſarum patrocinio, ſecumq; ſtatuit neutri ſe adiungere, donec euentum belli cerneret.

Media Atropatia, quæ Siruan hodie dicitur, ab occaſu Georgiam attingit, Aquilonem verſus habet Albanos, vltra quos Tartari quidam habitant errones, incertis vagantes ſedibus, quos Pericorſchi vocant; intra Caucaſum & Volgam vt plurimũ morantur, vnde Volgenſibus, à quibuſdã annumerantur: pars Orientalis continet Caſpium mare, quod Polycletes lacum; alii vero mare di Corazan vocant. Verſus Auſtrum Armenia eſt, & plus vltra verſus Nothum iacet Media Maior. Metropolis eſt Sumachia, ad quam per Derbent è Scythia, & per Eres ex Armenia & Media iter patet. Quondam omnes Atropatiæ populi Perſarum Regibus parebant, ab Aidero ſcilicet, & Iſmahele Sophi inducti, demptis iis, qui Derbent incolunt, quibus ſemper Turcarum, quam Perſarum nomen & imperium magis gratum & acceptũ eſſe videbatur, & Mahumetanæ religioni, quam Aiderus & Iſmahel corruperant, firmiter illi adhærebant. Hæc regio vndiquaq; fertiliſſima eſt: Araxe & Cyro, aliiſq; fluuiis celebribus irrigua. Eres inprimis ſerico candido, quod mercatores mamadeum vocant, abundat. Ob crebras tamen vaſtationes, quibus hęc prouincia miſere fuit afflicta, exigua ſerici iſtius copia noſtro tempore reperitur. Poſtquam Iſmahel Derbent & Eres Principibus legitimis, ad quos iure eæ vrbes ſpectabant, eripuit, Præfectum ibi Perſarum Reges conſtituerunt, quem Sultanum vocarunt. Sumachiam gubernator quidam ſub Chan nomine regit, cuius iuriſdictioni Sechi vrbs & aliæ nonnullæ patent. Derbent vt extrema vrbs Atropatiæ eſt ab eo latere, ita poſtrema quoq; à Sophitis capta fuit: Nouæ Perſarum ſectæ reſiſtens acriter ſeſe defendit, in eius quoq; obſidione Aiderus occubuit: ſubacta tandem fauore, quo erga Turcas fuit affecta, nihil remiſit, vnde durante bello neq; Turcarum copias intromittere, nec aperte à Perſis deſciſcere auſa fuit. Intra Seruan & Tauris ſita eſt Caracach, ditio fertiliſſima, frumenti feraciſſima, copiam omnis generis pecudum alit: Neq; ventis expoſita eſt, ob humilem loci ſitum, iucunda tamen & temperata videtur hæc regio inter Atropatiam & Mediam intermedia iacere, easq; inuicem diſcernere. Ad Mediam ſpectat Tauris vrbs ad radices montis Orontis,

quem

quem Strabo partem Tauri nominat, ſita. Sed quia de hac vrbe tum in hiſtoria noſtra, tum in epiſtola, quam ad calcem huius operis tanquam appendicem adiecimus, plurima ſcitu neceſſaria ſcripſimus, eo lectorem remittimus.

Hoc tamen obiter dicendum, Taurim vrbem puncti in circulo vicem obtinere: vnde qui è Van vrbe, vel lacu Vaſtano in Mediam proficiſcuntur, ad vrbem Taurim verſus Orientem iter dirigunt, quo per Coy, Merent, & Soffian vrbes nono plerunque die perueniunt. Hanc viam tenuerunt Oſmanus & Feratus Baſſæ, cum exercitus ad hanc vrbem duxerunt, tum etiam Angiolellus, cum in Perſia eſſent, vt videre eſt apud Ramuſium. Alia via eſt verſus Reiuan, quæ per Naſſiuan & Chiulfal recta quaſi linea verſus ortum Ecbatanam vel Taurin ducit, quo nouem vel decem dierum ſpacio iumentis ſarcinariis perueniri poteſt. Feratus Baſſa, cum Reiuan muniſſent, per hanc viam Taurim excurrere tentauit. Vltra Naſſiuan & Chiulfal eſt Seruan & ditio Caracach, quam Turcæ nunc propugnaculis munire dicuntur. Ad plagam meridionalem & occidentalem ſita eſt Salmas & Siras in Perſia, verſus Septentrionem eſt Caſbin, Ecbatana nouem vel decem dierum itinere diſtans, vt Barbarus & Angiolellus ſcribit. Verſus Orientem remotior eſt Caſſan, & plus vltra Hiſpahan, quæ viginti quatuor dierum itinere Ecbatana diſtat. Sequitur Heri & Corazan, cum populis, qui Ieſelbas dicuntur, qui quondam tam infenſo in Perſas animo fuerunt affecti, vt ipſorum opera à Selimo ingentem cladem Iſmahel acceperit.

In Armenia maiori aliquot lacus ſunt, quorum præcipuus à Strabone Martianus, ab incolis Actamar, ab Italis vero Mar di Vaſtan vocatur; ibi quoq; eſt Araxenus vel Toſpites lacus, & Toetis, cuius aquæ veſtes lacerant & conſumunt, vt Strabo vult, per eum Tigris tanto impetu incitatur, vt amborum aquæ inuicem nullo modo miſceantur. Vltra lacum Actamar ſunt Caldarani campi, qui ob victoriam Selimi, quam de Iſmahele reportauit, nobilitati ſunt. Sed hæc forſitan ex aliorum ſcriptis nota ſunt, ego me ad minus nota referam. Arſaciæ moratur præcipuus Perſarum ſacerdos, quem Muſtaed Dini, ſeu Principem legis vocant, Turcæ Mufti eum nominant; Qui in reliquis vrbibus ſunt, huic ſoli parent. Non tamen hic ius eligendi, vel pro libitu creandi ſacerdotes habet, quoniam illud penes ſolum Regem eſt, qui Alyum & Mahumetem imitatus, non modo res ad regni ſtatum pertinentes, ſed & ſacra curat, verum euitandi maioris laboris cauſſa munus electionis aliis conceſſit. Huic Muſtaed Dini parent quoque Califæ, qui vere ii ſunt, qui ipſorum cultum diuinum in Moſcheis peragunt: præcipuus horum Regi coronam in inauguratione imponit, quod Caffæ quondam hodie Arſaciæ fieri conſueuit, cum Caffam adire Turcæ non permittant. Tres inſuper Sultani Arſaciæ morantur, quibus totius Imperii Perſici cura commiſſa eſt, diuerſa tamen officia gerunt. Vnus eorum militiæ præeſt; reliqui duo fiſcum & reditus atque ærarium curant regium: Hos Turcæ Deſtardar vocāt. Perſæ ſupremos duos Cancellarios, qui Arſaciæ ſunt, Mordar vocant: hi leges, decreta, & literas regias ſcribunt, alter ſigillum tenet, alter ſubſcribit Regis nomine. Ibidem Iudices duo, quos Caddi Turcæ adpellant, in litibus & controuerſiis omnibus ciuilibus ius reddunt, in criminalibus quæſtio & teſtium examinatio ipſis commiſſa eſt, quæ diligenter in libello conſcripta, quem Sigil vocant, Sultano vrbis Præfecto tradunt, qui latam poſtea ſententiam more gentis exequitur. Quæ in regia hac vrbe ratio Magiſtratuum & munerum eſt, eadem in aliis vrbibus obſeruatur: omnia tamen à nutu & voluntate Regis dependent. Præcipua autem officia in regno Perſico hæc fere nomina habent, Saha, Miriza, & Mirize, Chan, & Sultan, Mordar, Deſtardar, Caddi, Muſtaed Dini, Califæ. Ad cuſtodiam aulæ præſidiariorum aliquot cohortes aluntur; nobiliores, & qui numero plures ſunt, Curchi vocantur, nobiliumque aulicorum ſtatum participant: Eorum numerus ad 6000. accedit, ſingulis Chiliarchis parēt, & iidem Duci cuidā primario, qui ſingulari pre reliquis autoritate præditus eſt, & Curchi Baſſi vocatur, ſubditi ſunt. Proximi ab hoc ordine ſunt, qui Eſahul vocātur, quorū 700. plerunq; nominātur, ſub diuerſis centurionibus

militant, quibus omnibus præcipuus quidam Dux Eſahul Baſſi dictus, imperatores ſunt & alii minoris conditionis miniſtri, de quibus ſcribere ſtudio ſuperſedeo: Hic fere ſtatus eſt regni Perſici. Militia vero eiuſdem, tum quoad numerum militum & arma, tum quoad acierum diſpoſitionem tam exacte deſcribi nequit; ſubiiciam tamen, quæ veriora mihi videbuntur.

Perſarum ſane militia maxima formidabilis exiſteret, ſi omnes eæ vrbes & regiones, quarum ſupra meminimus, eandem Regi obedientiam præſtarent; verum cum nō modo tributarii, verum etiam ſubditi naturales officio ſuo in conferendis auxiliis deſint, mirum nemini videri debet, ſi & vires regni imminuantur, & exercitus exiguo militum numero conſtent. De diſcordiis inter Georgianos proceres iamdudum ortis, quantum illæ & ipſis, & Perſis damni attulerint, ſuperius iam explicaui: nunc ergo ad alios tranſibimus. Primus igitur occurrit Ametchan, dominus in Geilan, qui maximum adiumentum Perſico regno afferre potuiſſet, vtpote cunctorum opinione potentiſſimus habitus, cui 20000. equitum parere dicebantur: ſi vllo modo ſe induci paſſus eſſet, vt Perſas in hoc bello iuuaret: Verum ille infami potius & ſordido otio deditus, domi deſedit, atque ita omnium contemptui ſeſe expoſuit, & amicorum pariter & propinquorum odia incurrit. E'a re indignatus Tamaſus, quum à Turcarum bello vacuus eſſet, omnibus viribus ipſum aggreſſus eſt, donec tandem in ſuam poteſtatem eum pertraxiſſet, captumque, quamdiu imperio præfuit, ſpacio 15. annorum detinuit. Mahometes vero vbi ad imperium venit, imprudenter ſane ipſum è cuſtodia liberauit, ſperans fore, vt gratum ſe illi pro tanto beneficio exhiberet: verum ille, qui natura auariſſimus erat, neq; Tamaſi ſeueritate, neque Codabandæ lenitate moueri potuit, vt animum mutaret, & Regi tantis neceſſitatibus oppreſſo, & ad extremas fere anguſtias redacto, vel minimum auxilium non dicam dignum ſuis viribus & potentia mitteret.

Eadem perfidia vſus eſt Ruſtan Mirize, Rex in Candahar, & Tamaſi ex fratre nepos, quem neq; ſanguinis propinquitas, neq; communis vtriuſque honos & gloria, neq; religio, cui ambo addicti erant, ad vindicandum è tantis, quæ incumbebant, malis Perſiæ regnum pertrahere potuerunt, quamuis regnum Candahar delectos 25000. equites in campum educere poſſet. Neq; officii neglecti excuſationem allegare poteſt, regionum ſuarum nimiam diſtantiam, ſiquidem ne Turcæ quidem ea abſterriti fuerunt, quo minus copias Ecbatanam vſq; ad hoſtiles regiones occupandas ducerent, neq; ille committere debuiſſet, vt patria auxilium ipſius in tam aduerſa fortuna deſideraret. Non minor enim viæ tractus eſt Conſtantinopoli Ecbatanam vſque, quam è regno Candahar.

Neq; Emirmiran Dominus in Ieſt, homo auaritia obcæcatus, laboranti Regi opem tulit, verum quod maius eſt, etiam tributum, quod pendere iure tenebatur, Regi denegauit; parum commode tamen 4. vel 5000. equites inſtructiſſimos præſidio mittere quiuiſſet. Huius exemplum ſecutus Dominus in Lax, quem Ebrainchan vocant, ob inſignem potentiam, qua pollet celebris, qui vltro quondam vires ſuas in medium ad regni ſalutem & defenſionem contulerat. Iam vero non modo hac in parte ſuo deeſt officio, verum etiam regni prouincias ſe inuaſurum & occupaturum minatur; quas merito augere, & conſeruare debebat.

Sed omnes, quos nominaui, impietate & perfidia ſuperat Abas Miriza, Regis Codabandæ filius, qui patrem non modo in hoc iuſto bello defendere, & hoſtibus communis Perſarum libertatis ſe opponere nunquam in animum induxit, verum quod dictu horrendum eſt, in quaſuis intentus fuit occaſiones, vt contra omnem honeſtatis & æquitatis rationem patrē & fratres regno pelleret, ipſumq; diſcordiis inteſtinis & domeſticis ſeditionibus ad nihilum fere redactum, ad ſe raperet. Interim ipſius negligentia octodecim millia equitum domi otio torpēt, qui ad bellum vtiliſſimi fuiſſent, niſi diſciplina caruiſſent. Arabes qui regionem Cuſſeſtan incolunt, lubenter quondam Perſarum caſtra & ſigna ſecuti ſunt, hodie vero Turcis ſeſe coniunxerunt, & ipſis Perſis ſubitis ſuis excurſionibus plurimum ſæpe damni inferunt. In ipſis regni viſceribus gens Turcomana copias

Perſarum

Perſarum ſupra modum augere quiuiſſet, ſi ipſis operam ſuam locare voluiſſet, qua ratione autem ab illis alienior facta ſit, libro quarto hiſtoriæ noſtræ indicabitur. Atropatiæ regnum inſigniter labefactatum & laceratum eſt. Nam & Sumachia, Eres, Sechi, Derbent, & in Media & Armenia Reiuan. Teflis, atque aliæ vrbes præpotentes olim, nihil amplius auxilii ad bellum conferre valent, vnde tamen exercitus pars maior ante colligi conſueuērat. His igitur præſidiis omnibus Perſia noſtro tempore deſtituta, exiguis ſuis copiis (quæ fere nullæ ſunt, ſi cum priorum temporum exercitu eas compares) belli molem ſuſtinere cogitur. Eius autem vires, quæ hoc noſtro tempore ſint, ſic metiri licet. Hiſpahan cum ſuo territorio illi ſubdito, 8000. equites armare poteſt, quibus tamen fere omnibus ſtipendia ſoluuntur. Bargo 2000. Caſſan 4000. Seua 1000. Sultania 1000. Casbin 12000. Ardouil 1000. Siras 8000. Tauris 4000. Cum vero & Cuchiue Tauris 2000. Genge & reliqua pars Georgiæ 4000. equites ad bellum mittere poteſt. Reperiuntur & alii maximo numero, qui ſtipendia merent, & qui ſponte militiam ſequuntur. Omnibus autem copiis hinc inde collectis numerum 60000. equitum vix efficient, modo ex locis, quos iam nominaui, debita auxilia compareant. Quod ſi reliqui Principes, qui hactenus contumaces in bello comparere noluerunt, ſubſidia iuſta mitterent, exercitus 100. & 30. vel 40. millium militum colligi poſſet.

Arma Perſarum quibus vtplurimum in bello vtuntur, ſunt machæra, lancea, & arcus atque ſagittæ: machæræ tamen vſus ipſis eſt familiarior, quam cæterorum armorum. Nonnulli bombardas tractant, quibus ab Iſmahele & primis Tamaſi annis aſſuefacti ſunt. Plerique ferreis thoracibus atq; galeis, quas globuli tormentarii vix penetrant, ſeſe muniunt. Reperiuntur, qui equos armis ſolidiſſimis & optimis contegunt atque inſtruunt. Equi apud eos reperiuntur generoſi, qui Perſicorum, quos Strabo pro Regibus in Armenia aſſeruatos fuiſſe ſcribit, naturam imitari videntur. Velocitate curſus, robore, & ferocitate in acie præſtant, & facile quæuis addiſcunt: Non ephippiati ſunt manſuetiſſimi, armati vero bellicoſi, & facile ſeſſoris imperium patiuntur, vnde mirum non videbitur, quoſdam eorum 1000. alios 1300. aureis venditos fuiſſe.

Qui militiæ nomen dant, nobili pleriq; ſunt orti proſapia; quibus fere innatum eſt, fugare potius alios, quam fugari. Quos ſi cum Turcarum exercitu compares, qui plerumq; è multarum regionum conuenis & miſcellaneo, inutili ac vili hominum genere, fugæ & rapinæ dedito, conſtat, merito his illos præferes. Ipſos Perſas quod attinet, vtplurimum ingenio vafro prædita, inſidiis & fraudibus alios circumuenire ſtudent, fidei minima apud eos ratio ducitur, quo vitio cuncti fere barbari laborant: Imperii ſunt patientes, nouitatis ſtudioſi, quod malum Perſæ quouis tempore in ſinu fouiſſe videntur, vnde non modo regibus à ſubditis, verum quod deteſtabilius eſt, parentibus ab ipſis filiis ſtructæ fuerunt inſidiæ. Nota eſt deteſtanda illa conſpiratio, cuius Iuſtinus meminit, cum videlicet quinquaginta Artaxerxis filii in ſceleratiſſimum parricidium de obtruncando patre vnanimiter conſenſerunt, neq; eorum quiſquam fuit repertus, quem vel Maieſtas regia, vel reuerentia ſenectutis, vel pietas in patrem à tanto, tamque immani ſcelere deterruiſſet. Hanc immanitatem ad poſteros Reges, quaſi hæreditario iure translatam eſſe, exemplum Vnghermahamuri & aliorum, quorum paſſim hiſtoriæ mentionem faciunt, aperte docet: Filios videlicet patri, patrem filiis, ipſosq; filios inuicem mortem ſibi, & ruinam, regni cauſſa machinatos eſſe. Hinc ipſorum vires imminutæ, & ipſi omnium ludibrio expoſiti fuerunt.

Nulla re magis deterrentur Perſæ, quam catapultis igniuomis & bombardis: & tamen iis ſpretis munimenta caſtrorum hoſtiliū ſæpius aggredi & tentare ſubitis excurſionibus audent. Sed tormentorum vſum ipſi nondum exacte didicerunt, idq; potius ex cæca quadam ambitione, quam quod piaculum ducāt, contra hominem tam crudele armorum genus vſurpare; vel quod arte aut materia, è quibus illa conflantur, deſtituantur.

Acie lunata plerunque pugnare ſolent, in qua ordines hunc fere in modum

diſtribuunt. Cornu dextrum ex antiqua quadam conſuetudine occupant Duces, qui è familia Iſtrigelum orti ſunt, quos Turmam proditorum vocant, propter Zalchanum & ſocios, qui in fauorem Aideri tam pertinaciter conſpirarunt, vt ſupra oſtendimus. Cornu ſiniſtrum defendunt copiæ ducum, quos Zambeluzes vocant, qui Damaſco originem ſe trahere gloriantur: Tum etiam qui Tacalùzes nominantur, milites ſtrenuiſſimi & fortiſſimi. In ipſa acie Rex cum ſuis præſidiariis primum locum tenet: ſed Mahametes, qui nunc rerum potitur, tum propter ophthalmiam, tum propter varias ſeditiones, quibus regnum ipſius laborat, in bellum hactenus nondum profectus eſt. Eius vicem gerit Amza Princeps magnanimus, & rei bellicæ peritiſſimus. Regem igitur, qui in medio aciei conſiſtit, Auſares comitantur, qui è Perſarum nobilibus conſcribuntur, milites fortiſſimi: Eis ſimiles fuiſſe cenſemus, quos Xerxes ſuperbo titulo, Immortales vocari voluit. Poſtremo agmini præſunt poſteri Calirchani, iſq; honor penes ipſos iure hæreditario manet, ob ipſius Calirchani merita, quibus Iſmahelem ſibi deuinxit, cui obtulerat, ſe cum maximo exercitu, non educto præſidio ordinario, quod Arſaciæ eſt, Caſam vſq; penetraturum, & regiæ coronationi viam paraturum. Exercitus frons è copiis Garibdileri & Chiaperis conſtat. Hi ad omnes occaſiones intenti paratique, promptiſſima auxilia in omnibus tumultibus Perſarum Regibus tulerunt, & ſtrenue officio ſuo functi ſunt. Diximus de ratione inſtruendarum acierum, ſupereſt, vt de reditibus huius regni aliquid in medium afferamus.

Communis eſt opinio omnium, qui rerum Perſicarum notitiam habent, ſub Tamaſi imperio quinq; auri milliones annuos vel circiter in regni ærarium collatos fuiſſe: ipſe autem ſingulari vſus ſtratagemate, longe maiorem eam ſummam effecit, vt octo milliones accederet. Edixit enim ſeueriſſime, vt omnis generis monetæ duplo quam ante pretio venirent, & paſſim ab omnibus eo valore expenderentur & acciperentur: ſuis quoq; militibus ea pecuniæ æſtimatione ſtipendia ſoluit. Eius exemplum Amurathes, qui nunc imperat, ſecutus eſt. Iuſſit enim cecchinum, qui 43. Maidinis Cairi conſtabat, Conſtantinopoli 85. valere: edixitque, vt paſſim ab omnibus regni incolis in eo pretio haberentur. Sub hoc autem Rege reditus annui, vt communis fama eſt, duos auri milliones vix excedunt. Non enim ea in Mahemete acquirendarum diuitiarum eſt induſtria, quæ in Tamaſo fuit: Neque eadem ipſi, quæ Tamaſo à ſubditis præſtatur obedientia. Hæc autem ærarii diminutio partim inde procedit, quod tot opulentæ ditiſſimæq; regiones huic Imperio à Solymanno aliiſque Turcarum Imperatoribus ademptæ fuerunt; & inprimis Meſopotamia, Aſſyria & Erzirum: partim etiam, quod tributa à Georgianis, & aliis regni ſubditis non perſoluuntur. Et hi quidem ſunt reditus, quos in pecunia numerata in ærarium Arſacienſe, vrbes vi ſubactæ, conferre ſolent. Nam regiones bello quondam ſubactæ, in ſola militum ſtipendia non fuerunt diſtributa, vt Turcarum eſt conſuetudo: plurimæ tamen arces atq; oppida & pagi reperiuntur, quorum domini iure feudi Regi Perſarum homagium & obedientiam præſtare coguntur: quorum tanta eſt copia, vt partem ſtipendiorum equitatus, & 4000. præſidiariorum, qui Curchi atq; Eſaul Arſaciæ vocantur, ſuppleant. Maiores autem reditus ex tribus hiſce vrbibus, Tauris, Caſſan, & Iſpahan Rex percipit, quod hæc præcipua totius Perſiæ emporia ſint, quo omnis generis merces ex Europa atq; Aſia deferuntur.

Nec minores his ſunt expenſæ: primum enim vnicuiq; è ſeptuaginta illis Sultanis ſeu prouinciarum rectoribus, ex ærario Arſacienſi 3. 4. vel 5. millia ducarorum, vel cecchinorum perſoluuntur. Præter 4000. Curchos, qui feuda poſſident, duo alia millia ſunt, quorum ſingulis 160. ad 200. vſq; ducatos numerantur. Iudices etiam Arſacienſes, & qui paſſim per reliquas regni vrbes ſparſi ſunt, ex ærario regio mercedem accipiunt. Tum theſaurarii quoque, quorum alii 1000. alii 500. alii deniq; 1500. ducatos annuos habent in ſtipendio. Præſidiariorum, qui propugnacula defendunt, haud exigua copia eſt: præcipua ſunt Elegia prope Naſſiuan, Guuergi Chalaſſi, Cahaca Chalaſſi: atq; in horum quibuſdam 1500. in aliis

in aliis 1000. in quibuſdam 500. præſidiarii excubant, quibus 5. ducati vel circiter in menſes ſingulos perſoluuntur.

Taceo nunc ſumptus, qui in ſuſtentationem ſeruorum, in vſum rei domeſticæ, Reginæ, filiorum, in reparandas moſcheas, & alia ædificia atq; hortos crogantur. Hic ſi quis ſubducat calculum, facile inueniet, quam exiguum illud ſit, quod ex annuis reditibus poſt tantas expenſas variosq; ſumptus Regi supereſſe queat. Verum cum opinione citius Imperium Perſicum ad tantam tamq; inſignem potentiam excreuerit; Expedit ſane, cauſas tam ſubitæ mutationis diligentius perpendere, quarum quinq; præcipuæ eſſe videntur. Prima quidem: quod communis Perſarum hoſtis Turca ſubito ſuas vires vehementiſſime & vno fere momento auxit, ſuæq; potentiæ nouas vrbes & regiones, terra marique acquiſitas adiecit, vnde facilius Perſis bellum mouere, eosq; debellare potuit. Secunda poſtea cauſa eſt, quod in Perſia nulla fere loca munita ſint, quæ diu oppugnantium furori reſiſtere queant, & ſi quædam reperiantur, vt eſt Van; rationes tamen ea defendendi, aut amiſſa recuperandi Perſæ neſciunt. Hinc iudicare licet, non Turcicam modo potentiam, ſed aliam hac longe minorem, ad eadem, quæ illi intulerunt, damna inferenda ſufficere. Sequitur tertia cauſſa, quod Turcæ plurimas vrbes, quæ paruerunt Chriſtianis, occuparunt, in quibus homines artifices & induſtrii capti fuerunt: à quibus non modo quicquid humanum ingenium diſcendo poteſt aſſequi, in rebus militaribus didicerunt: ſed etiam res nouas ipſimet inuenerunt, quibus plurimum damni hoſtibus intulerunt. Verum Perſæ nunquam harum rerum cura ſerio tanguntur, vt ſcilicet ab aliis diſcant, qua ratione vires ſuas augere, & hoſtibus nocere poſſint. Spretis igitur cunctis aliis, ſibi ſolis tantum tribuunt, quod alios inſtituere valeant, & in hac quidem ambitione & errore adhuc hærent, etſi omnibus manifeſtum ſit, cuiuſmodi ipſis damna in hiſce bellis illata fuerint. Quarta cauſſa in promptitudine & vnanimi Turcarum conſenſu & celeritate in rebus agendis conſiſtit: hinc quæ voluerunt, tentarunt, ſemel tentata occuparunt, & ſæpe citius illi vrbes ceperunt, quam Perſæ arma ad ſui defenſionem corripuerunt. Quinta & præcipua cauſſa ruinæ Perſici Imperii, eſt diſcordia & diſſenſiones, quæ ſemper in hoc regno plus quam alibi viguerunt: tum etiam, quod plures ſemper Regum fratres & nepotes ſuperſtites fuerunt, qui eadem cum Rege authoritate & imperio rebus præeſſe voluerunt. Hinc conſilia & deliberationes impeditæ & diuiſæ, copiæ diminutæ, Ducum animi dubii & ſuſpenſi, in varias partes & ſtudia tracti fuerunt, vnde perpetua rerum confuſio inter ipſos durauit. Nec minus barbarum & inhumanum eſt, ſi Reges imperium à morte fratrum auſpicentur: Lex enim duriſſima & iniquiſſima eſt, quæ Regem eſſe non ſinit, niſi illos, qui ipſi chariſſimi iure eſſe debebant, extinguat. Non parum etiam leuitatis habet, quod fratres & filii regnandi cupiditate moti, inuicem ſibi bella inferunt, & ſæpius mortem ægroti Regis vix expectant, quin infeſtis armis ſe inuicem petant, & in funeſtiſſimum ſtatum imperium adducant. Vterq; modus imperandi extremitates ſuas habet, quæ merito à quouis Principe vitari debent. Atque hæc ita ſeſe habent. Nam quæ à nonnullis Poetis, atq; etiam, vt videri volunt, Hiſtoricis hoc tempore ſcripta in meas manus peruenerunt, ea fabulis propiora ſunt, quam vt in iis recitandis opera à me impendi debeat.

LIBRI TERTII
ARGVMENTVM.

EXERCITVS *Turcicus per Teſlin Archichelechum proficiſcitur: Eius luſtratio, & numerus occiſorum & mortuorum. Trialam peruenit: arcem quandam, & Teſlin occupat, eamq; munit. In Siruan tendit: Syri ab exercitu diſcedunt, & in reditu verſus Aleppo à Georgianis infeſtantur, & pars ipſorum maxima deletur. Muſtaffa amice excipit nuncios Leuentolij, & ipſum poſtea Leuentolium. Sechi Atropatiæ vrbs in Muſtaffæ poteſtatem venit. Fames in Turcico exercitu graſſatur: pabulatores Turcas Perſæ ex inſidiis aggrediuntur, eoſq; profligant. Muſtaffa ſuis auxilio venit, Perſaſq; inſectatus, maximam ſtragem hoſtium edit. Turcæ maximis incommodis & damnis miraculoſe fluuium Canac vado ſuperant. Nouis difficultatibus premuntur, ſed recreati, Eres Atropatiæ vrbem perueniunt: hãc Muſtaffa munitionibus vallat, & Caitam Baſſam præfectum conſtituit. Muſtaffa inde diſcedit, Oſmano Baſſæ imperium in Sumachia committit, cui ciues in Derbent ſeſe dedunt. Reuertitur Muſtaffa, Leuentij ditionem & Teſlin præſidio munit. In diſceſſu frigore & aliis difficultatibus premitur, idq; Georgianorum opera, à quibus Hoſſain Bey funditur. Muſtaffa apud Altunchalam recipit viduam Georgianam, & alterum ipſius filium: Cliſcam & Erzirum petit, ambos viduæ filios Conſtantinopolin mittit. Abdilchirai Tartarorũ Dux Oſmano Baſſæ ſe coniungit, & Areſchan ad fluuiũ Canac cædit fugatq;. Genge deuaſtata & direpta, Tartari in inſidiis excubant: Caitas baſſa à Sophiano Principe cæſus, & eius copia deleta. Tartari ab eodẽ victi, eorũ dux Abdilchiras captus, atq; Arſaciã miſſus. Oſman baſſa Sumachia relicta, verſus Demircapi fugit. Sumachia à Sophiano Principe direpta: Sechi quoq; capta. Abdilchirai Arſaciæ amori reginæ indulget, quæ res cum innotuiſſet, ambo à primoribus Sultanis morte puniuntur. Oſman Baſſa ducit filiam Sahamalis Georgiani: inſidias ſoceri perſentit, ipſumq; è medio tollit, regione eius deuaſtata: Aly Vcchiali è Mengrelia Conſtantinopolin reuerſus, quid in ſua nauigatione effecerit, refert.*

POSTQVAM Muſtaffa exercitus Turcici Imperator Manuchiarem Georgianũ, eo quo dixi modo recepiſſet, cõtinuo omnib. ordinibus imperauit, vt in diẽ ſequentẽ vaſa colligerẽt, monteſq; vbi caſtra poſita erãt, relinquerẽt. Huic ducis præcepto cũ paſſim omnes morem gererent, & iam ad iter accincti ſtarent, ſubito nubes denſiſſimæ & obſcuræ, indeq; tonitrua & fulgura horrenda, ſæuæ tempeſtates, imbres & turbines coortæ, difficultatibus maximis totum exercitum afflixerunt, eumq; quatriduum iis in locis deſidere coegerunt. Cadauera eorum, qui in pugna ceciderant, inſepulta adhuc, tum etiam eluuies, & camelorum atq; equorum, aliorumq; animalium excrementa, illuuies atq; tabes fœtorem ingentem excitarant, militum arma, veſtes, aliaque impedimenta, quibus ad ornatum & vſum neceſſarium vtebantur, corrumpebantur, morbi quoq; non lethales quidem, ſed moleſti tamen, eorum corpora inuadebant. Vbi vero tempeſtates hæ ceſſauerunt, cœlumq; ſerenius affulſit, caſtra mouit Muſtaffa, & exercitum Teſlin verſus ducere cœpit. Sed humidum adhuc ſolum ex nimiis pluuiis, & lutoſum, camelis, qui ſarcinas maioris ponderis ferebant, & equis, qui machinas trahebant, impedimento fuit, quo minus eo die inceptum iter exercitus peragere poſſet. Conſedit igitur in planicie ad lacum quem Chielder Giol incolæ vocant, vnde Euphraten oriri nonnulli opinantur. Cuncti igitur veſtes & arma, & reliqua impedimenta reparare, atq; reſtaurare ægros, & vulneratos curare ſummo ſtudio annixi ſunt. Poſtridie ad arcem Archichelec circa meridiem peruenerunt, quam Georgianis Solymannus in bello cum Tamaſo geſto eripuit, & ab eo tempore in Turcarum poteſtate permanſit. Muſtaffa in amico ſolo conſtitutus, aeris ſerenitate,

& paſcuo-

& paſcuorum fertilitate motus, recenſere exercitum ſtatuit, quem in pugna nuper commiſſa haud exigua clade affectum, ſibique deinceps in hoſtico iter tenendum eſſe ſciebat. Exacta & ſolida luſtratione habita, 40000. militum deſiderata ſunt, quorum bona pars in pugna occubuerat: alii morbo perierant, plurimi militiæ & diuturnæ profectionis pertæſi, propria domicilia repetierant. Poſtera die ad lacum, quem Turcæ Peruana Giol, ſeu mancipiorum nominant, & ſequenti ad Triala exercitus pernoctauit. Hic rudera maximæ cuiuſdam vrbis conſpiciuntur, quorum nonnulla iam pridem à piis quibuſdam hominibus reſtaurata, etiam nunc à ſacerdotibus Romanæ religionis poſſidentur.

In aſcendendo monte aſperrimo, qui Teflis vrbi imminet, diem vnum conſumpſerunt, alium in deſcendendo: eo ſuperato arcem Giurgicala, ſeu Georgianorum caſtra ceperunt: ſequenti die mature ad fluuium, qui Teflin alluit, delati ſunt. Sed ab eo tempore, quo noua exercitus luſtratio habita fuit, donec ad hunc fluuium peruenerunt, plurimi in pabulationibus, quo neceſſitas & fames illos compellebat, interempti fuerunt: Georgianorum enim Duces quidam Giuſuf, Daut, &c, vt ferunt, Alexander viduæ filius natu maximus, atque alii Principes milites quoſdam ex ſuis ditionibus & ſubditis collegerant, & clam exercitum Turcarum inſecuti, vtpote, quibus locorum ſitus & viæ regionis perſpectæ & cognitæ erant, omnes qui victus conquirendi cauſſa longius ab exercitu ſine ducis permiſſu proceſſerant, adorti ex inſidiis, & ſpoliis & vita ipſos multarunt, quod ſæpiſſime ſane contigit. Teflis propugnaculum nullo præſidio defenſum, omnibusque habitatoribus vacuum Muſtaffa reperit: ſiquidem Daut, cuius ſupra memini, vbi Turcarum aduentum cognouit, vrbe cum ſuis egreſſus in campis errare, atque ea defenſionis ratione, hoſti reſiſtere, quam obſeſſus in Turcarum poteſtatem venire maluit. Huius vrbis muros reſtaurare, vt tormentorum vim atque impetum perferre poſſent, & nouos aggeres ac munimenta conſtruere Turcæ aggreſſi ſunt; eius præfectum Muſtaffa conſtituit Mahametem Baſſam, defuncti Ferati Baſſæ filium, qui ſponte militabat: additis 100. tormentis bellicis, & 6000. militum præſidio impoſito, quorum alii ſtipendia merebant, alii Mahametis erant mancipia: Ille vero vlteriora Atropatiæ loca petiit.

Conuexerant Syriæ quidam populi, Alapienſes inprimis, quorum 12309. erant familiæ, & vrbis Omps vel Hus, (quæ ex hiſtoria Diui Iobi nota eſt) incolæ, ad exercitum 1090. plauſtra frumenti. At illis à Muſtaffa hactenus domum redeundi facta poteſtas non erat, ſed vlterius ipſum inſequi, inuiti licet, & nullo officii iure obſtricti, cogebantur. Indignati igitur, clam exercitum deſerere conſtituerunt. Eis aſſenſit Naſſardin Chielebi, cui deducendi frumenti cura fuerat commiſſa. Hoc conſilium abſque mora in effectum deduxerunt. Conuenerunt ad mille circiter Alapienſes (vulgo eorum patria Aleppo dicitur, vrbs celebris) homines timido & abiecto animo præditi, ſcribæ videlicet, iudices quidam & ſerui. His alii Syri ſeſe coniunxerunt, vt manum 1560. virûm effecerint: vbi igitur Muſtaffa in Atropatiam diſceſſit, hi quoque pedem mouere cœperunt, & maximo deniq; terrore viduæ regionem vſque delati, vlterius procedendi poteſtatem nullam ſibi fieri cognouerunt. Ea enim loca tres illi Georgianorum duces, quorum ſupra memini, cum 3000. militum circumſederant, vt qui reliquo exercitui ſe coniungere, vel ab eo Erzirum verſus diſcedere vellent, interciperent: in horum manus Syri delati, manum conſerere coacti ſunt, & ſatis longo temporis ſpacio viriliter ſeſe defenderunt. Cum vero Georgianorum militum copiæ longe ſuperiores illis exiſterent, fuga ſaluti conſulere ſtatuerunt: inde maior cædes facta: pauci equorum velociſſimorum opera in tuta euaſerunt, inter quos fuit Naſſardin Chielebi, reliquorum Dux, qui ſtrenue pugnauit, donec tres è manu dextra digitos amiſit, & gladii vſu deſtitutus fuit. Vulneribus quoquo modo curatis, Alapiam vel Aleppo venit, vbi honeſta annua penſio ob tot perpeſſa pericula ab Oſ-

manobaſſa, cum Viſirius electus eſſet, ei fuit aſſignata: ibidem cum ipſo notitiam contrahere mihi quoq; licuit.

Superato monte aſperrimo, qui vrbi Teflis imminet, & difficilimis peractis itineribus, Muſtaffa poſtero die in campis paluſtribus & lutoſis caſtra metatus eſt, vbi Leuentolii legati ipſi adfuerunt, Principis ſui nomine eum ſalutantes, & promptam eius voluntatem atque obſequium, quod Ottomannicis Imperatoribus ſemper detulerat, offerentes. Hos Muſtaffa benigno vultu excepit, gratum ſibi Leuentolii aduentum futurum, ſeq; iam ipſum expectare dicens, ſtatim illos remiſit.

Vbi hi legati, qui Chriſtiani erant, Turcarum caſtra reliquerunt, Muſtaffa omnibus ſuis Ducibus imperauit, vt quanta poſſent maiori lætitia & manifeſtis hilaritatis ſignis Leuentolium exciperent: quod illi, vt iuſſi fuerant, quanta potuerunt animi promptitudine peregerunt. Ipſe Leuentolius dona, quæ ſecum attulerat pretioſiſſima, Muſtaffæ obtulit, verbis ſubmiſſis & humaniſſimis obedientiam imperio Ottomannico deferens; Amurathem pro Domino & Imperatore agnoſcens; videbaturq; indigne ferre quod Muſtaffa per eius ditionem exercitum non deduxiſſet, vbi & frumenti copia, & omnium aliorum rerum neceſſariarum ſubſidio ipſum iuuare potuiſſet. Inſtabat rogando, vt in reditu ex Atropatia eo iter dirigeret, omnes ſuas opes in Ottomannici Imperii commodum & emolumentum ſe impenſurum ſpondebat, ſe quoque excuſabat, quod propter cauſſas grauiſſimas exercitum ipſius ſequi nequiret, animo tamen & votis ipſum perſecuturum, & ſummum omnium rerum creatorem rogaturum, vt proſperum ſucceſſum huic expeditioni & conſiliis ipſius largiatur. Leuentolii, qui Chriſti nomen profitebatur, oratio & dona Muſtaffæ gratiſſima fuerunt, in quorum vicem clauam ferream Turcicam, clypeum & veſtes aureo filo contextas, ab eo accepit, eique oratione magnifica & graui reſpondit, promittens ſe in reditu per eius ditionem iter facturum, dataque diſcedendi venia, abitum eius eadem qua aduentum magnificentia à ſuis ornari curauit. Turcicus exercitus cepto verſus Atropatiam itineri aſſidue inſiſtebat, & per vias lutoſas, & cannis atque paludibus impeditas incedebat, donec duodecimo tandem die Conac fluuii littora attigit, de quo ſupra in Georgiæ, Armeniæ, & Atropatiæ deſcriptione copioſe meminimus. Ad hunc fluuium conſedit Turcicus miles, & diuturna profectione defeſſus, per diem vnum quieuit. Eodem tempore incolæ vrbis Sechi (quæ in Georgiæ & Atropatiæ finibus quatuor dierum itinere à Sumachia ſita eſt) ad Muſtaffam venerunt, eiq; vrbis imperium deferebant, lætеq; & amice excepti: quidam eorum ducum veſtibus ſericis & aureis donati, & protectio atque fides ampliſſima ipſis promiſſa fuit. Defeſſus, vt dixi, continuo duodecim dierum itinere Turcicus exercitus, fame quoque & rerum omnium penuria conficiebatur. Toto enim eo tempore ne vnica quidem fera ſe obtuliſſet, vnde fami conſulere potuiſſent. Nec erat quiſquam, quem anxia quædam cura non tangeret victus expediendi, maxime cum rumor increbuiſſet, Muſtaffam de fluuio transeundo, & exercitum in regionem plane ignotam & incognitam deducendo, conſilium iniiſſe. Dum igitur dubii iis in locis hærebant, Perſæ quidam (vel fortuito vel ſtudio eo delati) capti fuerunt, è quibus habita quæſtione, vbi frumenti & aliarum rerum copia haberi poſſit, ægre tandem cognoſci licuit, non procul à caſtris, poſtquam paludes nonnullæ ſuperatæ eſſent, ad Conac & Araxis fluuiorum confluentem, agros quoſdam eſſe oryzæ plenos, & prata compaſcua, nec procul inde armenta maximo numero paſcere, quæ toti exercitui ad ſedandam famem ſufficere poſſint. Nuncius hic tam lætus ſubito ad Muſtaffam fuit delatus, qui tamen ſemper diffidebat, ne quæ Perſarum inſidiæ laterent: attamen vt gratum ſeſe exercitui exhiberet, eumque tam inſigni beneficio ſibi deuinciret, omnibus, quibus pabulatum excurrere animus erat, diſcedendi ab exercitu copiam fecit, vt eo libentius in Siruan ipſum ſequerentur. Ea venia data, multi Baſſæ, duces, Spahini, Zaini, & aliquot Sangiachi ſeruos

ſuos

ſuos atque alios vilis atq; abiectæ conditionis homines ablegarunt, prædę omnis generis conquirendæ cauſſa. Nec exiguam iumentorum & camelorum, qui prædam aſportarent, copiam ſecum ſumſerunt; contrarium vero ipſorum conſiliis res euentum ſortita eſt. Namq; Tocomac Alyculichan, Emangulichan, Serapchan, & alii duces, qui ex priori pugna in planicie montis Chielder commiſſa, euaſerant, cum ſuis copiis è longinquo Turcarum exercitum præceſſerant, continuo exploratoribus emiſſis, vt quid hoſtis in animo ferret, quoue tenderet, exploratum haberet. Certiores igitur facti ex Reiuan & Georgianis Turcas neceſſario ad littora Canac fluuii delatos iri, decreuerunt, qua poſſent ratione iniuriam acceptam vlciſci, & hoſti difficilem in Atropatiam ingreſſum reddere: non tamen aperto Marte ipſum aggredi audebant, quo multo inferiores ſeſe ſciebāt: ad ſtratagemata igitur & inſidias conuerſi, delectos quoſdam emiſerunt, qui negotiorum expediendorum cauſſa, vel incaute in Turcarum manus incidiſſe ſe fingerent, & quæſiti prædam exoptatam detegerent. Attenti Turcarum pabulatores Perſæ expectabant in tertium vſque diem, dum decem illa millia ſeruorum ad locum conſtitutum comparuerunt: Et iam vix iumenta ſua onerare cœperant, cum ecce ſubito Perſæ vndiquaque illos circumuallant, & fruſtratim omnes pene concidunt, pauciſſimis exceptis, qui ad primum ſtatim impetum fugæ celerrimæ ſe commiſerant.

Vbi ſtrepitus, qui in eiuſmodi clade excitari ſolet, & bombardarum ſonus in Turcico exercitu auditus fuit, Muſtaffa quid rei eſſet, diuinare cœpit. Eius igitur iuſſu cuncti equis conſcenſis ad pugnā ſe parauerunt, & vindictę cupidi, atq; ſuis laborantibus ſuccurrere ſtatuerunt. Hos quidem ſuperſtites amplius non repererunt, ſed opportune ſatis ad hoſtes aggrediendos, & vindicandam ſuorum cladem in acie comparuerunt. Nam Perſæ in præda, qua hoſtem fruſtrarant, auferenda nimis diu ibidem commorati fuerant. Pugnæ locum fere in peninſulæ formam Araxes & Conac fluuii redigebāt: ſiniſtrum Turcicæ aciei cornu, quod à latere Araxi ſtabat, Dreulsbaſſa regebat: dextro, quod à parte Conac conſiſtebat, Beyranbaſſa præerat, ipſe Muſtaffa medium agmen ducebat. Hunc in modum ordinibus diſpoſitis, vel manus conſerere, vel fluuiorum fluctibus & rapido curſui ſe committere Perſæ cogebantur. Qui vbi Muſtaffam tantis copiis tamque egregie armatis, ſtipatum, & in ſe omnium horum impetum directum conſpexerunt, ſecum cogitare cœperunt, cuiuſmodi cladem ad Periardi montis radices accepiſſent, quantoq; rectius ſaluti ſuæ conſuluiſſent, ſi contenti priori ſtrage Turcarum peninſulam illam celerius deſeruiſſent, priuſquam hoſtis auxilio ſuis veniſſet, & tam inæqualis defenſio, & certamen impar ipſis ſubeundum eſſet. His perplexi periculis, vt qui fortiſſimum & intrepidum gererent animum, cogitare ſecum cœperunt, vtrum honori ipſorum magis conduceret, vel fuga ſalutem quærere, vel manifeſtis & innumeris difficultatibus & incommodis hoſtem adoriri, eiusque impetum expectare! vel denique cum vitæ ſuæ diſpendio fugæ ignominiam euitare. Poſt varias deliberationes conſultius rati, Perſiæ cōmodis ſeſe, & maioribus regni difficultatibus vitas ſuas reſeruare, prudentiæ potius, quam dedecori ſibi imputatum iri credebant, ſi ſalutem quilibet ſuam certiſſimæ & miſerrimæ neci præferret. De fuga igitur, vbi inter omnes conuenitur, qua ratione hoſtium manus euadere poſſent, noua fuit mota quæſtio: Siquidem iam Turcæ omnes aditus in eam peninſulam circumſederant, & qua videbatur effugiendi locus patere, eum occuparant. Tocomac, Emirchan, & alii fugæ initium fecerunt, quidam vadum fluuii Canac inuenerunt, alii natando eum ſuperarunt, quos cuncti poſtea inſecuti, impari tamen ſucceſſu: namque plurimi fluuii impetu rapti, quod ipſorum equi viribus ad natandum deſtituerentur, ſubmerſi ſunt. Alii quibus mors certiſſima iam ante oculos verſabatur, in deſperatione ſpem ſalutis poſuerunt, & in hoſtem acerrimo impetu facto, heroica plane ediderunt facinora. Sed quid vnus contra innumeros? Aliorum tamen virtus præ aliis emicuit. Qui ſupererant, abiectis armis hoſtibus ſeſe dedere ſtatuerunt, ſperantes fore, vt præda, quæ maximo conſta-

bat pretio, veniam aliquam apud victores ipſis impetraret. Sed & hi ſpe ſua fruſtrati fuerunt. Hunc in modum Perſarum exercitus deletus & deſtructus periit, & Peninſula, quæ prius ſanguine hoſtili cruentata, mox amicorum cruore conſperſa fuit, gentium fortiſſimarum & ferociſſimarum ſepulchrum extitit. Perſarum duces, qui fuga delapſi erant, hoſtium propoſitum iam facile cognoſcere potuerunt, quod videlicet recto curſu Atropatiam petituri eſſent. Regem itaque omnium, quæ euenerant, ſubito certiorem fecerunt; vt maturo conſilio, rebus iam fere deſperatis, conſuleret, nouos militum delectus haberet, illosque in hoſtem mitteret. Tocomac vero, vt Regis animum, qui ipſi propter rem male geſtam infenſus eſſe poterat, aliquo modo placaret, & cladem ſuorum honeſto quodam prætextu excuſaret, ad Regem perſcripſit, Turcarum inſignem editam eſſe ſtragem, multis millibus in pugna occiſis, cum tamen reuera vltra tria millia in hac poſteriori pugna (præter 10000. ſeruorum, qui in pabulatione extincti fuerant) non ceciderint. Hæc ita ſe habere, ex relatione prædiuitis cuiuſdam mercatoris Aggiani, cui Emir Sultan nomen erat, Alapiæ certiſſime cognoui.

Tocomac reliquis Ducibus ad ſuas præfecturas ordinarias redeundi poteſtatem fecit: ipſe vero Reiuan profectus, Emangulichan, Gengam, & Serapchan vrbem Naſſiuan petiit, reliqui quoque domum reuerſi, noua Regis imperia Arſaciæ expectabant. Vbi in caſtra reuerſi ſunt Turcæ, Muſtaffa propius ad Canac fluuii littora, vbi vadari poterat, acceſſit. Hic enim neceſſario ipſi tranſeundus erat, ſi, vt iuſſerat Amurathes, vrbem Eres, atque contiguam Sumachiam occupare volebat. Decretum igitur per totum exercitum publicari fecit, quo ſeueriſſime omnibus imperabat, vt in diem proximum parati ad eam tranſmigrationem eſſent. Milites vbi mandatum Ducis inaudiuere, cateruatim ad ipſius tentorium concurrere, verbis iniurioſis ipſius imprudentiam & inhumanitatem accuſare, proteſtari denique cœperunt, ne perniciei & internecionis totius exercitus cauſſa exiſteret; tandem etiam ad preces conuerſi, rogare ipſum non deſtiterunt, vt conſilium hoc mutaret, & exercitui vniuerſo, cuius manifeſta ruina imminere videbatur, parceret. Verum neque minæ, neque preces animum ipſius obſtinatum flectere quiuerunt. Neque aliud ipſis reſponſum dedit, quam ex Amurathis voluntate & iuſſu hæc fieri, cui neceſſario ſit obediendum. Quod ſi alii obedire Imperatori nolint, ſe tamen non paſſurum, vt in ſe quicquam deſideretur, primum igitur ſe fluuium ingreſſurum & ſuperaturum eſſe, quocunq; ſane id fiat ſucceſſu: quod ſi in aquis mergatur, exoptare ſe, vt cadauer ſaltem ipſius, ad alteram fluuii ripam deferatur, vt ea ratione mortuus volũtati ſui Imperatoris ſatisfaceret, quod viuo minime licuiſſet: indeq; teſtatum omnibus fieret, quam promte vitam in Amurathis obſequio impendere voluerit: Non in otio & pace, verum in laboribus & periculis eminere fortium militum virtutem & robur, qui nunquam non vitam cum honore mutare, vel denique mortem perhorreſcere debeant, modo Imperatori obediendo contra hoſtem cadant. Hanc Muſtaffæ orationem varia militum murmura & fremitus exceperunt. Ipſe Alexandrum Magnum in transfretando Tigri imitatus, ſequẽti die ſummo mane vadum fluuii profundi & rapidi ingreſſus, eum tranſmeauit: ipſum ſecuti ſunt reliqui Baſſæ omnes, eorumq; mancipia, horum exemplo inducti reliqui milites, amni quoq; ſe commiſerunt, donec noctis tenebræ impedimento eſſent, quo minus ea vice omnes ad alteram ripam fluuii pertingerent. Exercitus igitur fere pars media, cum ærario & machinis ab altera parte conſiſtere coacta fuit. Verum cum confuſim & ſine ordine plurimi fluuium ingreſſi, nec recto tramite, quo ducebat vadum, ſecuti fuiſſent; ad octo circiter millia hominum, tum camelorum quoque, equorumq; & iumentorum non exigua copia rapido fluuii curſu abrepta, in vndis maximo cum dolore totius exercitus perierunt. Qui in citeriori ripa remanere coacti fuerant, ſummo animi angore totam eam noctem tranſegerunt, paſſim querelæ & lamentationes audiebantur, & deſperantium in modum, quid ipſis faciendum, ignorabant;

timorem & dolorem augebat interitus tot hominum, qui in aquis perierant, quorum exemplum ſibi ante oculos ponebant, verentes ne eadem cōditio ipſis ſubeunda eſſet: & hoc malum amplius inter milites ſerpiſſet, niſi oportune vadum altius & commodius ſeſe obtuliſſet, qua in re ſucceſſu proſperiori hi prioribus illis vſi ſunt. Factum enim, vt cum primi illi fluuium transfretarent, fluuii arena impetu equorum & animalium commoueretur, inde fluctibus vlterius delata, & in vnum aceruum congeſta fuit, vt aggeris formam efficere videretur, hoc modo & reliqui milites & tormenta in alteram fluuii ripam delata fuerunt; vbi per biduum quieuerunt, donec milites rurſus in ſuos ordines diſtributi, & noui delectus habiti fuerunt. Poſtero die in campo quodam ſterili incultoque, atque omni re ad victum neceſſaria vacuo, caſtra poſuerunt, & milites & animalia fame & rerum inopia conficiebantur, neque oppida, vel pagi, quaquam conſpiciebantur: ad ſummam igitur redacti penuriam, equis & reliquis animalibus folia arundinum exſiccata comedenda dederunt: Milites vero corrupto cibo, quem antea abominati fuerant, contenti vixerunt: Nec quiſquam erat, quem non arduum deſiderium ex hiſce malis euadendi inualeratι cogebantur tamen, quo volebant duces, ſequi, ignari num qua ſors melior in dies ſequentes ipſos manſura ſit. Muſtaffa ſequenti die iter ingreſſus, non procul profectus, cum diuerſæ plantæ ſeſe obtulerunt, inde ſpacioſiſſima planicies; lætiſſima herbis, & arboribus frugiferis conſita apparuit, cuius ſolo conſpectu milites exhilarati ſpem melioris conditionis concipere, arctiuſque ſolito itineri inſtare cœperunt, & ſic voti compotes facti omnis generis frumenta & fructus pro vniuerſo exercitu repererūt. Hic calamitatum priorum obliti, cibis ſeſe ſatiarunt, & poſtridie prōpto animo Muſtaffam ſecuti ſunt, qui per regionem fertiliſſimam & abundantem copias ducebat, donec vrbem Eres, quæ prima eſt Atropatiæ, attigit.

Hanc vrbem maior pars incolarum, vt primum rumor de Turcarum ad Canac fluuium aduentum increbuit, deſeruerunt, & ſecuti præfectum Samirchanum, qui motus exemplo Areſchani, cui Sumachiæ prouinciæ gubernatio à rege commiſſa fuerat, relictis mœnibus in montes ſeſe in tutum contulerunt, cum quibus Sechi præfecti, & aliorum locorum magiſtratus, qui Turcarum manus effugerant, vltro ſeſe coniunxerunt, euentum horum motuum expectantes.

Turcæ hac vrbe abſque vllo certamine, verum ſine præclara & opima præda, quam ſibi pollicebantur, potiti ſunt. Quilibet enim in communi patriæ interitu quæ ſecum auferre potuit, precioſiſſima abſtulit, ne in hoſtium manus venirent. Muſtaffa per 22. dies in Eres commoratus, propugnaculum ibi conſtruxit, & muros 200. maioribus tormētis firmauit, Caitan Baſſam, qui propriis ſumptibus militiam ſequebatur, eius præfectum creauit, addito quinq; millium militum præſidio. Oſmanum Baſſam, ducem eorum, qui ſponte ſua militabant, cū 10000. militum, ad occupandam Sumachiam Metropolim Atropatiæ ablegauit, ſperās ea vrbe capta, facilē ſibi Alexandriæ, quæ hodie Derbent, & Demircapi dicitur, occupationem futuram. Titulo Viſirii & Præfecti Atropatiæ ipſum ornauit, iuſſitq; vt celeriter Tartaros in auxilium euocaret, quibus facile erat è Colchide, reliquo exercitui ſe coniungere, quēadmodū etiam Amurathi antea polliciti fuerant. Ille vt iuſſus fuerat, Sumachiam petiit, quo cū perueniſſet peramice & ſubmiſſe ab iis, qui ibidem remanſerunt, & victoris fidei ſe concredere voluerunt, receptus fuit, in quos, capta vrbe, nihil hoſtile deſignatum fuit. Vbi huius rei nūcius ad Alexandrinos fuit delatus, qui ſubditi quidem Perſarum, verum naturæ inclinatione, religione & moribus ad Turcas quam Perſas propius accedebant; quemadmodū etiam pręfectus ipſorum Muſtaffa Sultan, Legatos ad Oſmanum miſere orātes, vt in ſuā protectionē ipſos reciperet, & ab iniuriis Perſarū tueretur. De reb. hiſce omnib. Muſtaffa pri' quā ex Eres diſcederet, certior factus fuit. Cū igitur propugnaculū perfeciſſet, & iuſtis pſidiis firmaſſet, Ianizari & Gręcię milites ipſū ſollicitarūt, vt exercitū reduceret, ſiq; dē anni tēpus militię faciēdo itineri incōmodū videbatur. Hiſce monitis aſſēſit, hāc ēt ob cauſā q; egregie ſuo officio ſe fūctū cōſideret. Vlterius igitur tēdere noluit: Sed per Leuētolii ſeu Leuētii quē

Alexandrum Magnum vocant, ditionem, vt ab ipſo prius in Siruan rogatus fuerat, exercitum reducere ſtatuit. In regreſſu poſt longum iter ad pedem montis caſtra poſuit, vbi nihil quæ ad victum pertinebant, ipſi deerat. Inde foſſores & fabros lignarios ad Canac emiſit, qui pontem ſupra fluuium, quanta poſſent celeritate, conſtruerent, quo tutior exercitui tranſitus eſſet. Conſtitutus vltra fluuium Muſtaffa cum exercitu, Sahamalem, cuius ſupra meminimus, de aduentu ſuo certiorem fecit, qui relicto monte Brus, cui imperabat, ſubito in ipſius caſtris comparuit, Turcarum imperio ſe ſubiiciens, receptuſque à Muſtaffa, conſueta põpa & magnificentia, munera deaurata, veſtes videlicet, gladium, clauam & clypeum ab eo tulit, inde diſcedendi venia impetrata, domicilium quod in monte habebat, repetiit. Turcæ vero, ne tempus profectioni idoneum fruſtra laberetur, nocte, partem itineris conficere ſtatuerunt: deſtituti autem qui rectum ipſis monſtrarent iter, à regia via aberrarunt, & in loca procliuia & aſpera delati, ignari quibus in locis hærerent, ibi quieſcere & diem operiri coacti ſunt: quo illuceſcente, in Leuentolü regione ſe conſiſtere cognouerunt, quo cognito Muſtaffa per totum exercitum ſeuere ſub pœna capitis edixit, ne quis quẽquam mortalium in ea regione etiam minima iniuria afficeret, ſed humanitatem & amicitiæ officia paſſim incolis exhiberent, toto ſequenti die per Leuentolü ditionem profectus, nulla prorſus re neceſſaria exercitus caruit. In caſtra quoq; ipſius Alexandri legati è Zaghen vrbe, magnam copiam pecudum, aliorumque animalium, frumenti, fructuum, & aliarum rerum ad victum & refectionem militum neceſſariarum offerentes, Principem ſuum excuſantes, quod propter valetudinem aduerſam ipſi adeſſe non liceret. His muneribus Muſtaffa optime fuit contentus, relicta vrbe Zaghen ad dextram Alexandri quibuſdam ſubditis vſus, qui viam ipſi rectam commonſtrarent, Teflin verſus profectus eſt, quo ſpatio trium tantum dierum via longe expeditiori peruenit. Neque fame, neque ſiti, aut aliis minimis incommodis exercitus ibi laborauit. Duces itineris huius Turcæ multis onuſtos muneribus dimiſerunt. Præſidium vero quod in Teflis reliquerat, vbi primum inde diſceſſit Muſtaffa, fame & victus inopia fere perierat: ea neceſſitate preſſi, felibus, canibus, pecudum pellibus, atq; aliis eiuſmodi animalibus, denique rebus inſolitis plane pro cibo veſci coacti ſunt, hinc plurimi ægrotare cœperunt, alii morte abſumpti ſunt. Eius mali cauſa extitit Mahamet Baſſa præſidiariorum dux, qui vrbe illos exire pabulatum ſeuere prohibuerat, ne in hoſtium manus, quos vndiquaque in inſidiis excubare nouerat, inciderent. Sed ea Georgianorum in conquirendis & aſportandis vndiquaque frugibus, & abigendis animalibus diligentia fuit, vt in vanum ſane laboraſſent Turcæ, ſi ſolis pabulationibus victum quærere voluiſſent, quod ex pluribus Georgianis, quibus propter mercaturam, & medendi artem familiariter vſus ſum, cognoui. Verum Muſtaffa blandis verbis vnumquemque eorum conſolatus, munera ipſis diſtribuit, & omnium rerum neceſſariarum copiam reliquit, per biduum ibi moratus, ditionem huic vrbi ſubiectam luſtrauit, flamma ferroque omnia ad vaſtitatem depopulatus, nec quicquam à ruina tutum, & intactum manſit, præter ſepulchra maiorum Simonis iſtius, qui primi in hac prouincia Turcas hoſpitio exceperant. Poſtridie iter difficilimum per montes quoſpam aſperos ingreſſus, à niue, quæ denſiſſime ceciderat, per triduum exercitus cum cunctis iumentis, plurima incommoda paſſus, vnde milites, etſi in hoſtili ſolo conſtituti, hinc inde tamen dilabebantur, & quantum licuit in locis illis deſertis, ſub arbuſtis, deſtructis caſis, & ſpeluncis contra frigoris, ventorum, & niuis iniuriam ſeſe muniuerunt.

Erant quidam Georgianorum duces (forſitan iidem, qui Syros prius fuderant) qui ſemper è longinquo per fidiſſimos ſpeculatores, quo in loco res hoſtium eſſent conſtitutæ, explorarant, intenti in omnes occaſiones, vt aliquo ipſos damno afficere, & detrimentum afferre poſſent. Sub noctis igitur ſilentium propius ad hoſtium caſtra acceſſerunt, & tandem in Hoſſain Bey, qui à reliquo exercitu ſeparatus, caſtra ſub montem, quo à vi ventorum & procellarum defenderetur,

metatus

metatus fuerat, inciderunt. Hic vnus fuit è filiis Giambulati iſtius fœcũdi, quem ideo hoc titulo inſignire volui, quod vna nocte ſeptem illi ex diuerſis mulieribus ſint nati filii, & 86. liberos è ſe prognatos viuos viderit, cum eo notitiam quondam & amicitiam colui.

Hanc occaſionem non negligendam rati Georgianorum duces impetum in eius caſtra fecerunt, & deletis ipſius mancipiis ac militibus, quibus imperabat, prædam opulentam pecuniæ, veſtium, equorum, aliarumque rerum plurimarum ſecum aſportarunt. Ipſe Hoſſain Bey vix fuga in Beyrani Baſſæ tentoria euaſit, præda etiam Georgianorum factus fuiſſet, niſi Hala Bey, cum Beyrani Baſſæ copiis auxilio ipſi veniſſet, & quo ſe reciperet, iter mõſtraſſet. Qui, vbi copias Turcarum excitatas viderunt, cum parta præda diſceſſerunt, & ipſi Hoſſaino in tuta ſe recipiendi poteſtatem fecerunt.

Hala Bey, cuius modo memini, Zainos & Spahinos Alapienſes ducebat, veteranus miles, ob probitatem, animi ſinceritatem, & ſermonis libertatem omnibus charus, ſingulari rei militaris ſcientia præſtabat, qui plurimo fauote me complexus, multa de quibus in hiſtoria præſenti mentionem feci, libete mihi communicauit; poſtero die ad arcem quandam Chiurchalam peruentum eſt, ibiq; per diem integrum exercitus quieuit, vt re frumentaria ex campis proximis ſibi proſpiceret. Aduenerunt heu ad Muſtaffam legati quidam, à certo quodam nepote Simonis ſe miſſos dicentes, Turcæ obſequium ſui Principis nomine offerentes, quem paratum dicebant, Muſtaffam ſalutare, & debitum homagium præſtare, ille gratum ſibi fore aduentum, amicis verbis ipſis reſpondit, & ornatos muneribus dimiſit. Etſi vero per integrum illum diem expectauit, nemo tamen comparuit; quicunq; vero pabulatum excurrerant, miſere fuerunt conciſi: quare Muſtaffa indignatus, nimium ſe ab iſtis legatis, qui exploratores fuerant, deluſum vidit. Hinc igitur caſtra mouit, licet eadem fame exercitus laboraret, & poſt aliquot dies, quibus iter per loca aſperrima, & difficillima continuauit, viduæ Georgianæ ditionem ipſo die, qui Turcico feſto Ramadan ſacer erat, attigit. In ipſo introitu anguſtiæ montium occurrunt, vbi per varios circuitus & præcipitia Araxes delapſus, iter anguſtum & periculoſum efficit, ita vt alicubi vix vni tantum homini tranſitus pateat. Inter haſce anguſtias & montem nemoroſum ad Araxis littora exercitus pnoctauit, proximo biduo eadẽ difficultate per iſta p̃cipitia, ſyluas, glaciẽ & niues iter fecerunt, quo plurimi cameli, equi & iumenta in Araxen delapſa perierunt. Tandẽ ad fines Altunchalæ, q̃ regia eſt viduæ, peruenit, vbi à prioribus incommodis & neceſſitatibus, quæ per ſex dies continuos perpeſſi fuerant milites, egregie fuerũt refocillati. Namq; ſex dies in itinere à Chiurchala arce ad hanc vſq; vrbem conſumpſerant, quod alias vno die confici poteſt. Ipſa vidua cũ Alexandro filiorũ natu maximo ex arce ſua in caſtra Muſtaffæ peruenit, dona & munera ei obtulit, obſequiũ & obedientiam iurauit.

Turca humanitet eam accepit, & quæ in filium Manuchiatem cõtuliſſet beneficia, recenſuit, ipſe quoq; Manuchiar, qui præſens erat, beneuolentiam Muſtaffæ prædicabat. Alexandrum quoq; amplexus humaniter, iratum, quem erga ipſum ferebat animum diſſimulauit, matremq; rogauit, vt & hunc penes ipſum relinqueret, daturum ſe operam ne manſionis ſuæ vnquam illũ pœniteat: ſe ambos fratres ad Amurathem miſſurum cum literis, in quibus obedientiam, quam præſtitiſſent, & beneficia in totum exercitum collata ſecuro tranſitu conceſſo, prædicaturum ſe pollicebatur: quo prout meriti erant, honore, potẽtia, dignitate & gratia eos tractaret. Vidua altum preſſit mente dolorem, & quam inuite hæc concederet, diſſimulauit: Muſtaffæ igitur petitionibus aſſenſit, cum reſiſtere non poſſet, quia Manuchiarem iam à Turca detineri, ſeque ſuasque facultates & ditionem omnem in ipſius poteſtate verſari cernebat: Ambobus igitur filiis relictis arcem ſuam repetiit. Poſt biduum hinc diſceſſit Charſum verſus, iam in amico ſolo conſtituti milites, non coniunctim ſed pet turmas & manipulos inceſſerunt: primo die Cliſcam peruenerunt, qui locus ad viduam ſpectat, vbi nullius rei neceſſariæ penuria labotarunt, inde duobus continuis

diebus per aſperos quoſdam montes profecti, multi milites frigore enecati ſunt, inde Meſſeardachan & Biucardachan, vbi feſtum Rancadan, quod hactenus nequiuerant,celebrarunt:tandem ad caſtellũ Olti peruenerũt; Hic Sangiachus habitat,qui locis ſupra dictis nomine Amurathis imperat, eaque præſenti bello Georgianis fuerunt erepta. Hæc ditio omnium rerum copia abundat, nec incommoda,per quam maiores etiam exercitus duci poſſint. Inde per viam,quæ Neneruanum ducit,biduo ad arcem Haſſanchalaſi,quæ & Paſſin dicitur,& tandem,etiam cum maximo totius exercitus gaudio, Erzirum peruenerũt, vbi milites exautorati,& domum quilibet ſuam repetere iuſſi ſunt.

Muſtaffa in Erzirum ſubſtitit,& celerem nuncium,quos Volachos nominãt, cum literis ad Amurathem miſit,quibus omnium rerum geſtarum ipſum certiorem facit,ſemper tamen,præter rei veritatem,de ſuo aliquid affingens.In primis vero dum Teflin à ſe captã magnitudine, pulchritudine & munitionibus cum Damaſco comparat: dum pugnas cum Perſis commiſſas,atq; dum obedientiam à Georgianis & Atropatiis præſtitam, enumerat:Græcorumq; & Conſtantinopolitanorum militum rebellionem & inobedientiam accuſat. Propugnaculum in Eres conſtructum & præſidium ſub Caita Baſſa, & Oſmanno Baſſa in Sumachia,& quid Alexandrini offerant,deſcribit. Ad extremum,quæ vniuerſo belli tempore hoſtibus ademerit, & quo pacto in annum ſequentem bellum ſit gerẽdum, vt loca occupata tranquilla poſſeſſione teneri poſſint, & expeditionibus nouis iter paretur, ſuam ſubiungit ſententiam. Charſam in primis muniendam propugnaculis ſuadebat, vnde in Georgiam & Armeniam facilis pateat aditus, præſertim, cum in fœcundo ſolo, & ad degendam vitam hominibus æque ac animalibus grata regione ſita ſit.Simul ambos viduæ filios,Manuchiarem & Alexandrum ad Amurathem mittit, in quorum ditione plurimis beneficiis ſe affectum ſcribit, illoſque paratos eſſe, omnem regi obedientiam exhibere. Manuchiarem tamen digniorem imperio iudicabat ob virtutem & fortitudinem,qua præſtabat, tum etiam,quod maturius ſe Turcarum imperio ſubieciſſet. Alexandrum vero ſuſpectum habebat,ne cum reliquis Georgianis damnum pabulatoribus Turcis intuliſſet,& Syrorum internecioni præſens fuiſſet.

Amurathes induſtriam & virtutem Muſtaffę ſummopere laudauit, ampliſſima ſpe fruebatur,ex hiſce principiis ſuo imperio commoda plura & maiora allatum iri,vnde ſupra auitum imperium amplificetur & augeatur, ſeq; laude rerum geſtarum maiores ſuos tandem aliquando ſuperaturum. In hoc igitur bellum omni ſtudio incubuit, Europam vero tuta pace & quiete frui permiſit.

Redeo ad ea quæ in Atropatia geſta ſunt. Muſtaffa ante diſceſſum ſuum præfectum in Eres conſtituerat Caitan Baſſam, & in Sumachia Oſmanum Baſſam: hunc Tartaros in auxilium euocare iuſſit, qui iam ſuperata Mæotide,& littore maris Caſpii,Colchide,& Caucaſi præcipitiis in Atropatiæ finibus excubabant, intenti quò Turcæ ad victorias & prædas faciendas ipſos euocarent. His ſeſe cõiunxerat Abdilchiraius Tartarorum Precopienſium dux præſtans & celebris, iuuenis pulcher, & optime conſtituto corpore præditus, qui (quemadmodum Mahametes Tartarorum Chan firmiter Amurathi promiſerat) 30000. ſuorum ſubditorum ſecum in bellum ducebat,paratuſque erat, omnia ea, quæ à quocũq; Turcarum duce nomine Amurathis iuſſus fuiſſet,tentare & exequi. Hunc igitur vt inceptum victoriæ curſum proſequi iuuaret, Oſman euocauit. De aduentu autem ipſius,per 3. vel 4. diuerſos nuncios ſe certiorem reddi volebat, vt quo maiori cum fructu copias ſuas duceret, ipſi ſignificare poſſet. Ille quæ in mandatis acceperat, diligenter executus, vbi ad portas ferreas,quæ Demircapi adhuc hodie dicuntur, vbi Derbent ſita eſt,peruenit,atque Atropatiæ ditionem attigiſſet, ſubſtitit, Oſmani Baſſæ imperium expectaturus.

Interim Areſchan Sumachiæ præfectus Perſa, & aliarum prouinciarum rectores,vbi Muſtaffam ſuas prouincias reliquiſſe certo cognouerunt,iniurias ſibi illatas aliqua ratione vlciſci,& damnum hoſtibus inferre decreuerunt.In primis vero Areſchan plenus irarum,indigniſſime ferebat, vrbẽ ſuę fidei commiſſam, ab hoſte

ab hoſte occupatam poſſideri, & regi ſuo, qui funeſto pernicioſoque bello pre-
mebatur, quacunque poſſet ratione prodeſſe ſtatuit: celauit tamen, quem a-
nimo ferebat dolorem. Ad Sumachiam igitur propius cum ſuis ſociis & copiis
acceſſit, vbi quoſdam Oſmanibaſſæ pabulatores, qui temerarie ex vrbe præ-
datum exierant, intercepit, & occidit. Forte etiam a ſuis militibus nuntii Ab-
dilchirai capti ſunt, qui primi erant, per quos aduentum ſuum Oſmano Baſſæ
ſignificabat, rogans, vt quid a ſe fieri vellet, oſtenderet. Tartari illi, poſt mul-
ta & exquiſita tormenta, literas Abdilchirai prodiderunt, quas vbi Dux Per-
ſarum perlegit, & numerum exercitus hoſtilis, qui iam in propinquo erat, cog-
nouit, non diutius ſibi manendũ ratus, ſubito vltra fluuium Canac ſeſe contulit,
& de omnibus Perſarum regem diligentiſſime certiorem reddidit, expectans,
quid ille imperaturus erat. Secundis autem & tertiis nunciis Abdilchiraus O-
ſmanobaſſæ aduentum ſuum aperuit. Hic vbi Areſchanum ſubito & ex impro-
ſo diſceſſiſſe competit, id quod res erat, diuinare cœpit; priores videlicet lite-
ras, quarum in ſecundis mentionem faciebat, cum nullibi illi nuntii compare-
rent, ab eo interceptas fuiſſe. Ad colloquium igitur Oſman Baſſa Abdilchiraum
cum ſuis Sumachiam euocat, quo conuenit, vt Tartari ſuperato Canac fluuio
Gengam vſque, quæ Emangulichani ditio eſt, excurrerent, vrbes ſuffocarent,
agros vaſtarent, vrerent, igne ferroque vaſtitatem toti regioni afferrent, & qui-
buſcunque modis, licet inuſitatis & crudeliſſimis, ſeſe ditarent. Non habuit tunc
Tartarus alium hoſtẽ, contra quem tela ſua emitteret, & gladiorum aciem exer-
ceret, celeriter igitur Canac fluuium attigit. Areſchanum in caſtris ſuis offendit:
quẽ eo furore & rabie, flammæ conſumtricis inſtar aggreſſus eſt, vt breuiter totũ
Perſarum exercitum ad internecionem vſque deleuerit; Areſchano etiam ca-
pto, quem ad Oſmanum Baſſam Sumachiam miſit, à quo ex curia ſeu Diuano,
vbi ius reddere ſolitus antea fuerat, fuit ſuſpenſus. Inde ſuperato fluuio, Gen-
gam vſque excurrit. Præfectum Emangulichanum cum vxore & familia ac præ-
cipua regionis nobilitate, aprorum venatione ſeſe delectantem reperit: hoſce ex
im[illegible]uiſo aggreſſus, in fugam ſubito conuertit: Mulieres vero omnes, & multa
mancipia ipſi in prædam ceſſerunt. Gengam vrbem furori, rapinis, & deprædа-
tionibus militum ſuorum expoſuit, qui, vt vno verbo dicam, ipſam ferocitatẽ &
crudelitatem ſuis ſceleribus & libidinibus ſuperarunt. Inde præda onuſti denuo
Canac fluuium transfretarunt, & in Atropatiam delati, in campis quibuſdam, qui
montibus paſſim cingebantur, quieuerunt, & abſque vllo metu hoſtili ſomno &
genio indulſerunt.

In Perſia interim, vbi rumor de pugnis ad Periardos montes, & Araxis ac
Canac confluentem increbuit: Perſarum rex, qui militiæ præeſſe nolebat, filium
natu maximũ Emirhamzam Mirizam ſuo loco exercitui 12000. militũ præfecit,
vt in Atropatiam eum duceret viſum, quid hoſtes ibidem machinati fuiſſent, in-
iurias illatas vlciſceretur, in primis vero vt perfidiam habitantium vrbis Sechi, &
aliarum Atropatiæ ciuitatum, quæ nulla neceſſitate coactæ fidem & imperium
Turcarum amplexæ fuerãt, non impunitam relinqueret. Diſceſſit ergo Arſacia,
matre Begum, à qua vnice diligebatur, & Miriza Salma, Perſarum procerũ præ-
cipuo, comitatus. Ardouilis & Caracachi ditionem iam ſuperarat, quando intel-
lexit, Abdilchiraium cum Tartaris non procul inde in tentoriis excubare, qua re
cognita, dubio, quid faceret, animo hæſit, nihil tamen ab ambitioſo vindictę ſtu-
dio remiſit, quin potius tãta Tartarorũ audacia, ira magis accenſus, abſq; mora in
Siruã ire properauit, opera hominũ regionis peritiſſimorũ vſus, & citius opinio-
ne regis in Eres peruenit, vbi Caitã Baſſã propugnaculo egreſſum & totã regionẽ
libere abſq; impedimẽto deuaſtantẽ & deprædantem, neq; vllã vim hoſtilẽ me-
tuentem, offendit, eumq; tanto furore, tantoq; impetu aggreſſus eſt, vt euadendi
modũ plane nullũ ipſi relinqueret. Acriter ſeſe defenderũt Turcæ, etſi pauci nu-
mero, omnes tamen cũ duce miſere fuerunt trucidati. Poſt eã hoſtium cladem,
Emirhamza vrbẽ Eres in ſuam poteſtatem denuo redegit, & 200. illa tormenta,
quæ Muſtaffa ibi reliquerat, continuo ad patrem deferri Arſaciam curauit.

Perſarum dux mirifice animo confir-
Tam proſpero & læto rerum ſucceſſu Perſarum dux mirifice animo confir-
matus, matrem Begum in Eres reliquit: Ipſe Sumachiæ iter ingreſſus non pro-
cul inde in Tartaros incidit, quos è colle deſcendens in planitie proxima caſtra
poſuiſſe vidit. Hic cum animi pendentem diuerſa diſtraxere conſilia: Num ma-
nus cum tam numeroſo exercitu conſerere, an retro in Perſiam copias ducere,
expediret. Sed regreſſum labe ingenti, & ignominia non cariturum ducebat,
quam cum periculo etiam vitæ ſuæ euitare maluit. Igitur vbi propius è colle ad
hoſtium tētoria acceſſit, comperit milites variis modis hinc inde ocio & ſomno
torpeſcere, equos ad pugnam imparatos ſine ephippiis in ſtramine quieſcere.
Non diutius igitur moratus cum vniuerſis copiis curſu præcipiti, & vehementiſ-
ſimo impetu primas excubias Tartarorum, qui præda & ſomno ſepulti iacebāt,
cōcidit: ſecundas poſtea aggreſſus, non abſq; ſuo damno eas quoq; interemit;
factaq; inde confuſione & tumultu in vniuerſo exercitu ſtragem horrendam e-
didit. Tartari paſſim capti, necati, deſerti, diſſipatiq; fuerunt. Ipſum ducē Abdil-
chirau͂ viuum Arſaciam ad regem fido præſidio ſtipatum miſit. Tam inſigni vi-
ctoria potitus Sumachiam vſque exercitum ducere auſus eſt, quam ſuis copiis
circumuallauit, depoſcitq; ab Oſman Baſſa, qui ibi imperabat, vt abſque mora
illam ſibi traderet, eo caſu vitæ & facultatum incolumitatem ipſi promittens, ſin
minus, ſeipſum & vrbe, quam iniuſte tenebat, & vita priuaturum ſeuere mina-
batur. Oſmanum latebat Tartarorum clades, eos ſibi auxilio venturos & hoſtes
profligaturos ſperabat. Igitur humaniter Perſis reſpondit, non denegans vrbis
deditionem, modo triduum ad res ſuas componendas ipſi concedatur, quo li-
berius inde diſcedere poſſet, quemadmodum amice & vltro ipſi oblatum fuerat.
Perſa non inuite hoc tulit reſponſum, cum cæſis hoſtibus nullum ſibi peri-
culum imminere ſciret, nec ſibi fucū à Turca fieri, ſed ſerio ipſum loqui putaret.
Verum Oſman fidei hoſtium ſe committere noluit, ſed in tutum, qua poſſet
ratione, euadere tentauit, ne in Perſarum manus perueniret. Antequam igitur
trium dierum terminus exſpirauit, nec vſquam Tartarorum auxilium compare-
ret, clam aufugere ſtatuit, metuens, ne ſi diutius ibi moram traheret Sumachien-
ſes ipſum hoſtibus dederent, quibus ſi ſe ſponte tradidiſſet, verebatur ne promiſ-
ſis minime ſtarent. Nocte igitur perobſcura per viam difficilem & præcipitia
montium ac denſiſſimas ſyluas Alexandriam aufugit, abductis rebus omnibus
caris & pretioſis, quæ tam ex bello, quam pace ipſi reſtabant. Vbi poſtridie illu-
xit, Sumachienſes citra moram apertis portis Perſarum ducem intromiſerunt.
Qui animo voluens perfidiam illorum, quod non modo Oſmanum recepiſſent,
verum quoque è manibus ſuis eundem rurſus elabi paſſi fuiſſent: Arſaciæ iam
conceptam pœnam & indignationem in ipſos magno furore euomuit; variiſ-
que crudelitatum generibus in miſeram plebem ſæuiit, antiquum & nouum vr-
bis murum terræ æquauit, & ſummam vrbi vaſtitatem intulit.
Inde diſceſſurus diu ſecum deliberauit, vtrum Alexandriam, an vero Perſi-
am verſus proficiſci deberet, ſed cum vrbem hanc optime munitam cognouiſ-
ſet, & hyemis atque diuturni itineris incommoditas ipſi obſtaret, domum re-
uerti ſtatuit: prius tamen vrbem Eres & Sechi, tanquam rebelles, pro meritis
caſtigare voluit, in quas crudeliſſime nulla neque ſexus, neque ætatis habita ra-
tione ſæuiit; neque quiſquam à ſupplicio atrociſſimo immunis fuit. Quibus
peractis cum matre domum verſus iter inſtituit, & cum exercitu, haud mediò-
cri damno affecto, victore tamen, Arſaciam triun phans ingreſſus eſt. Abdil-
chiraus Tartarus Arſaciæ fido cuſtodiebatur præſidio, nullum tamen incom-
modum ea captiuitate patiebatur, regio enim more tractabatur, vt genus ex quo
originem ducebat, requirere videbatur. Indies maiorem nactus libertatem, non
captiuorum, ſed aulicorum, & regiorum miniſtrorum more viuebat: ea licentia
abuſus in familiaritatem minus honeſtam reginæ Begum peruenit, amore ipſius
illicito ardere cœpit: nec illa amorem eius aſpernata, clam captiuitatis incom-
moda ſubleuauit: verum mutuus ille amantium affectus diu celari non potuit,
quin palā & in aula, & in tota ciuitate eius rei fama diuulgaretur. Regē ſolum, &
eius

eius filiū Emir Hamzam latuit, imo rex ampliſſimā ſpem de illo cōceperat, cū indies ob magnanimitatē & virtutē ipſi cōmēdaretur, fore vt per illū rebus ſuis cōmodiſſime conſulere poſſet. Probabat .n. virtutes, corporis qualitates, in primis vero genus, ſiquidem Tartarorū Chani fratrem ſe vocabat, vnde ſingulari illum beneficio ſibi deuincturum putabat, ſi hominem captiuum deſponſata ei filia in generum aſſumeret, futurum ſperans, vt Præcopienſes Tartari eo conſanguinitatis vinculo allecti, fœdus ſecum contra Turcas inirent, nec amplius Amurathis iuſſu in bellum contra Perſas proficiſcerentur. Grauiſſimum hoc regis conſilium conſiliarii & regni proceres minime probabant, vel quod nonnulli ipſorum regis filiæ nuptias ambirent, vel quod odio haberent Tartarorum gentem, vel deniq; quod certo ipſis de nefario Reginæ amore conſtaret. Regem igitur omnibus rationibus à concepta animo ſentētia abducere conati ſunt, ſed fruſtra. Iamq; nuptiarum dies inſtabat, cum Sultani Proceres aulam ingreſſi, Tartarum abſciſſis genitalibus, & iiſdem in os eius intruſis, horrendo ſane ſpectaculo, occiderunt.

Fertur, reginam Begum eodem momento ab ipſis è medio ſublatam eſſe. Quod, vtrum regis iuſſu, cui adulterium manifeſtatum fuit, acciderit: an vero, quia præfecti hac ratione regni commodis atque vtilitati conſultum vellent; certo affirmare non poſſum: hoc vnicum mihi conſtat, Reginam ab eo tempore nunquam à quoquam conſpectam fuiſſe. Tartari huius cædes, varias in Perſicum regnum ſeditiones & motus induxit, quæ vt regi maxime obfuerunt ſic Amurathis cauſſam ſumme promouerunt. Noui tamen in annum ſequentem bellici apparatus fiebāt, & quoad potuit ciuiles diſcordias cōponere, & proprias, & filii Emir Hamza Mirizæ cupiditates frenare, vnionem deniq; regni ſtabilire ſtuduit. Et hæc quidem inter Perſas & Tartaros primo hoc belli Perſici anno, qui fuit à reparata ſalute 1578. contigerunt. Cum Oſman Baſſa, qui Alexandriam aufugerat, Emir Hamzam Arſaciam rediiſſe cognouit, omnibus modis in id incubuit, vt ditionem Turcarum amplificaret: ad eam rem maxime ſibi idoneam fore Sahamalis, qui monti Brus imperat, amicitiam & conſanguinitatem ducebat. Mutuis igitur beneficiis aliquandiu certatum, vt firmiſſimum inter vtroſque amicitiæ fœdus coaluiſſe videretur: quod arctioris conſanguinitatis vinculi cauſſa exſtitit. Namque Oſman vnum è filiabus Sahamalis matrimonio ſibi iunxit, nec quiſquam erat, qui ſyncere ab vtroq; hæc fieri dubitaret. Oſman tamen certis quibuſdam argumentis inductus, ſuſpicari cœpit, Sahamalem clam cum Perſarum rege in ſuam perniciem conſpiraſſe, vt Alexandriam cum ditione finitima Perſarum imperio, ad quod iure ſpectabat, denuo ſubiiceret. Præter alias vero coniecturas grauiſſimas, hæc omnium fuit maxima, quód ipſa Sahamalis filia maritum, cuius potentiam & magnanimitatem admirabatur, clam de patris conſiliis certiorem feciſſet, hunc videlicet cum rege Perſarum in gratiam rediiſſe, & crebras inter vtroſque literas commeare ac permutari, quæ in primis ad Atropatiæ ſtatum pertineant. His auditis, in concepta ſuſpicione confirmatus fuit Oſmanus; conſilium tamen, quod ea de re inierat, nemini aperuit, & coram coniuge ſimulauit, nihil ſe eius rei curá tangi: interim tamen dignum ſupplicium proditori Sahamali, iam animo, ſed clam & caute deſtinarat; Namque de more ſæpius ipſum ad ſeſe humaniſſime inuitauit, & quá decebāt reuerentia ſocerum excepit: vnde ille diligentius de proditione exequenda cogitabat, cuius rei gratia amicitiá & conſanguinitate Oſmanum ſibi iunxerat: Sed præuentus dignas perfidiæ pœnas luit. Ad feſtum namque ſolenne cum genero & filia celebrandum inuitatus, cum ex equo deſcenderet, ab Oſmani miniſtris (quibus eius rei cura nominatim data fuerat) miſere fuit obtruncatus & vniuerſa ipſius prouincia deuaſtata. Huius obitus vbi Arſaciam ad regem fuit delatus, caſum eius ægerrime tulit, difficillimam Alexandriæ occupationem futuram ratus, adeo vt de recuperanda Atropatia protinus fere deſperaret.

Sub huius anni exitum hyems aſperrima ſæuiit, vnde pars vtraque domi ſeſe continere, excurſionibus & populationibus finem imponere coacta fuit. De

rebus vero in Arſacia geſtis ſubito certior factus eſt Amurathes, apud quem eodem tempore Aly Vichiali, qui Trapezuntem commeatus bellicos ſibi commiſſos tuto tranſuexerat, comparuit: Negocia à ſe in Colchide geſta expoſuit, ſe videlicet in ditione Tatiani prope Iurello, propugnaculum conſtruxiſſe, & eam Georgiæ partem imperio Turcico adiecisſe, vnde maiorum ſucceſſuum ſpem Amurathes haud exiguam concepit, quorum euentus libris ſequentibus demonſtrabimus.

LIBRI QVARTI
ARGVMENTVM.

AMVRATHIS *conſilium & decreta de proſequendo bello. Manucchiarem circumcidit, & eius cura atque cuſtodia fratrem Alexandrum committit. Emangulichan in Perſia, operam ſuam regi offert. Idem fit à Simone, qui religionem mutat, & cauſa eius mutationis. In Georgiam contra Turcas mittitur. Turcæ nouum exercitum inſtruunt. Seditio inter milites. Charſam Muſtaffa munit, & Teſli auxilio venire cogitat. Haſſanum Baſſam in Georgiam mittit, vbi Turcis aliquot clades inferuntur, Georgiani denuo Turcas aggrediuntur. Alyculicha capitur. Haſſan poſt partam victoriam ſuccurrit Teſli, indeq; rurſus diſcedit. Strategemata Simonis. Haſſan decipit Alyculichanum. Simon vbi ſe deceptum vidit, iratus Turcas reprimit. Haſſan Charſam peruenit. Alyculichan in Erzirum detruditur in carcerem. Abas Mirize proditionis accuſatur à Salma, qui Principem Perſarum ſibi generum adſciſcit. Muſtaffa officio ducis generalis deiectus. Sinan & Muſtaffa inter ſe comparantur. Sinan accuſat Muſtaffam, eius duo Deftardari capiuntur. Mahamet primus Viſirius obit, in eius locum ſubſtituitur Sinan. Muſtaffa cum Deftardaris abſoluitur. Sinan belli dux contra Perſas conſtituitur. Perſarum rex legatos Conſtantinopolim mittit. Conditiones pacis propoſitæ. Legati Maxutchan propoſitio Conſtantinopoli habita. Rex Mahamet Taurin ſeu Ecbatanam peruenit. Copiæ Perſarum colliguntur, & earum conſilia: his Turcomanni ſe coniungunt. Tocamac exercitus, qui in Georgiam mittitur, Dux creatur. Pacis tractatio cũ Amurathe Conſtantinopoli habita. Maxutchan regis cubiculo præficitur Ecbatanæ. Eum accuſat Emirchan, ille fugit ad Turcas & Conſtantinopolim peruenit.*

VBI ſucceſſum belli ex Muſtaffæ literis Amurathes cognouit, & Alexander atq; Manucchiar, fratres, Georgiani Principes ad ipſum fuerunt deducti, quos ille liberaliter exceptos & benigne habitos cuſtodiri iuſſerat: Multas & varias cogitationes animo verſari cœpit, quid videlicet in annũ ſequentem cũ commodo rerũ ſuarum moliretur. Diuerſa ipſi fuerunt propoſita itinera, per quę in hoſtẽ exercitus duci pę rat, verũ quodnam ipſorũ arriperet, ſuſpenſo hęſit animo. Tum etiã maxime è re ſua futurũ ſperabat, ſi Atropatiã denuo ſibi ſubiiceret, occupatis vrbibus quę poſt Muſtaffæ diſceſſum, Perſarũ viribus denuo ceſſerant, vt ea ratione tutã poſſeſſionẽ Atropatiæ nãciſci poſſet, ne labores, expeditiones, tot deniq; pericula & damna, in quæ priori anno inciderat, ad irritũ recidiſſe viderẽtur. Sed hoc conſiliũ ipſe Amurathes paulo poſt immutaſſe fertur, falſus & deceptus promiſſionib. Tartarchani, qui & Amurathi & Oſmano Baſſę ampliſſime pollicitus fuerat, ſe ad omnia eius mandata ſummo cũ ſtudio ſemper pſto futurũ, modo in regione, vbi tũc hærebat, noua expeditio inchoaretur. His ꝓmiſſis, (quę tamen Tartari culpa, optatum euentum non habuerunt) & Oſmani induſtriæ confiſus, relicta Atropatia, recta Taurin exercitum mittere ſtatuit, ea intentione, vt propugnaculum proxime eam vrbẽ conſtitueretur, idq; validiſſime tormentis bellicis & militum

præſidio

præſidio munitum, Perſarum potentiæ opponatur, qua occaſione quicquid intra Erzirum, & Taurin ſitum eſt, abſque magna opera, ſi bellum diutius protraheretur, Turcarum imperio reſeruari poſſe ſperabat. Hanc ſentẽtiam in primis commẽdabat temporis opportunitas, quod exiguo dierum numero propugnaculum erigi poſſet, nec quiſquam dubitabat, de exercitus magnitudine, quin ad longe maiorem expeditionem ſuſcipiendam, & feliciter perficiendam ſufficeret. Plurimi igitur indies reperiebãtur, qui Amurathem in hac ſententia confirmabant, & feliciſſimum rei grauiſſimæ, & maximi momenti euentũ pollicebantur. Ipſe verò ambitione & auaritia, quæ animum eius occuparant, obcęcatus, quas ſibi de Perſarum regno victorias promitteret, ſtatim diiudicare non potuit. Re igitur maturo conſilio in deliberationem adducta omnibus aliis ſententiis, quæ prius in medium allatæ fuerant, arduæ & difficilimæ, ſepoſitis, ſtatuit ſalutem exercitus, honorem & gloriam propriam, certam deniq; victoriam ancipiti & dubiæ celeritati, & feſtinationi anteponere: conſultius ratus, tarde vincendo de hoſtibus triumphare, quam feſtinanter in hoſtem mouendo cum pudore eidem cedere: Primum igitur limites firmis præſidiis munire, vias ſiluis obſtructas aperire, bello occupata in ſecurum ſtatum reducere, occulta & obſcura omnia perſcrutari & inueſtigare; Iter deniq; facilimum ſuis reddere decreuit, quam præcipiti curſu, dubio animo, regiones remotiſſimas inuadere quas potentiſſimi populi, & ipſa natura videbantur tueri atq; defendere.

Statum Georgiæ intuebatur, cui tuto fidere non poterat. Namq; inſidias illius Daut & Simonis aduentum timebat. Igitur ſi exercitum verſus Taurin mitteret, verendum erat, ne hoſtium copiis paſſim cõcluſus, ab vna parte Georgianis, ab altera Perſis manifeſto diſcrimine pateret. Idque toties euenire poterat, quoties nouum præſidium in propugnaculum illud mittendum eſſet. Reſcripſit igitur Muſtaffæ, vt in annum ſequentem eos faceret adparatus, qui ſufficerent ad conſtruenda propugnacula, in via, quæ per Erzirum in Georgiam ducit, vt liber inde aditus pateat, & incolæ ad officium faciendum cogantur, quo in annum ſequentem res tantas tamque aſperas adgredi poſſet. Ille percepto Imperatoris ſui mandato, confeſtim Alapiam, Damaſcum, Caramidam, & ad reliquas Syriæ atque Meſopotamiæ vrbes perſcripſit, vt omnis generis Architecti, & foſſores ad 20000. colligerentur. Tum etiam per omnes regiones, de quibus ſupra libro primo mentionem habuimus, & in Ægypto etiam edixit, vt tota militia Turcica initio veris ad expeditionem, maiori tamen numero, quam factum erat anno præcedenti, conueniret, tributa & decimas grauiores imponere, & colligere iuſſit; ex ærario Alapienſi eam pecuniæ ſummam deptomſit, qua ad rem tanti momenti ſibi opus fore putabat.

Alexander & Manuchiar, viduæ Georgianæ filii, anxie Conſtantinopoli expectabant, quem finem ipſorum in aulam profectio habitura eſſet. Atque ille quidem ſibi perſuadebat, nunquam fore, vt regnum ſibi auferretur, quod iure ad ipſum tanquam maiorem natu ſpectabat; tum etiam quod eiuſdem poſſeſſio à matre ipſi iam commiſſa & tradita fuiſſet. Quin potius ſub Turcarum patrocinio multo tutius & quietius ſe id quam ante conſeruaturum ſperabat. Inſuper Manuchiari ab Amurathe alium Principatum aſſignatum iri, non minus ſplendidum & opulentum, quam tanti Imperatoris dignitas & autoritas requirebat: quòd ſi minus quam ſperabat, ex voto res ſuccederet, nunquam tamen à Chriſtianæ religionis ſinceritate diſcedere firmiter ſecũ ſtatuebat. Contra Manuchiar, frater natu minor propriæ virtuti, & fortitudini fidebat, cuius ſpecimina anno elapſo, quo Muſtaffam in bellum ſecutus fuerat, haud contemnenda ediderat: quiduis igitur tentare prius, quam in auito regno fratri, ad quem id iure primogenituræ pertinere ſciebat, cedere, quin & Amurathis iugum ſubire potius, & Chriſti fidem eiurare, quam dignitate & opibus fratre inferior eſſe, & gregarium militem agere malebat.

Nec vana fortaſſis eorum eſt opinio, qui clam Manuchiarem cum Muſtaffa eiuſmodi conditiones in fratris perniciem iam dudum iniiſſe putant. Ambo

igitur rogati cum eſſent, num Mahumetanam religionem amplecti vellent, Manucchiar ſtatim annuit, nihil quærens amplius quam vt regnum paternum ſub protectione, & clientela Amurathis regere ſibi liceret, cuius iam dudum ſponte ſe fecerat mancipium. Alexander vero etſi ſibi ademptum videbat imperium, quod iam regere inceperat, in religionis tamen mutationem nunquam conſentire voluit, vnum precatus, vt tanquam priuato in patria ipſi degere concedatur, quo poſt mortem communi cum maioribus ſepulchro frui poſſet: Amurathi nunquam non obſequium, erga fratrem vero amorem pollicebatur. Imperator vtrique gratum facere cupiebat: verebatur enim ne Alexander ex inſidiis Manucchiarem occideret, & debitum ſibi regnum denuo ad ſe raperet, nouiſque excitatis tumultibus, acrius ipſi, quam vnquam antea ſe opponeret. Cum igitur Manucchiar in id quoque conſentiret, fratris curam ei permiſit, quem ea diligentia cuſtoditum iri confidebat, ne quid huic inde periculi immineret. Circumciſus itaque Manucchiar, Muſtaffæ nomen ei fuit impoſitum, & Baſſa ſeu præfectus Altunchalæ conſtitutus, totius maternæ ditionis imperium accepit. Eius rei cauſa maxima in aula lætitiæ ſigna exhibita ſunt, & Alexander eius cuſtodiæ commiſſus, ambo domum redire iuſſi ſunt.

Interim Arſaciæ de bello gerendo diuerſæ deliberationes habitæ ſunt. Emangulichanum pudebat Gengam, cuius adminiſtratio eius curæ commiſſa fuerat, à Tartaris deuaſtatam, & direptam eſſe, verebatur quoque, ne ea prouincia quæ ipſi gratiſſima & chariſſima erat, plane ſpoliaretur. Intellexerat exercitum à Mahamete in Atropatiam miſſum iri, qui Oſmano Baſſæ reſiſteret, ne in conſtruendis propugnaculis pergeret, & ſi poſſet vniuerſa Alexandriæ ditione ipſum pelleret. Petiit igitur à rege, vt totius Atropatiæ adminiſtratio & tutela ſibi committeretur, caput ſuum deuouens, ni eam prouinciam ab Oſmanni machinationibus & inſidiis ſartam & tectam conſeruaret. *His* poſtulatis regi expoſitis facile voti compos factus eſt, & Gengæ præfecturam, & totius Atropatiæ adminiſtrationem & defenſionem obtinuit. Quod ſi vel Tartari, vel Muſtaffa cum vniuerſa Turcarum manu ingruat, Emirchan gubernator in Tauris, Tocomac in Reiuan, & Serapchan qui Naſſiuan gubernabat, iubebantur ſubito ipſi auxilio venire, & hoſtibus ſeſe opponere, donec iuſtus Perſarum exercitus conſcribatur, & in hoſtem mittatur.

Initio ſuæ adminiſtrationis Emangulichan filium Sahamalis, qui patri in imperio montis Brus ſucceſſerat, tentauit, vt ſecum inita ſocietate, iniurias acceptas, maxime vero necem paternam, vlciſceretur, & dignas de Oſmano pœnas ſumeret, ille tamen nunquam conſentire, vel Turcarum ſe hoſtem aperte declarare voluit. Multi putabant, Turcas relicta Atropatia, Georgiam petituros eſſe, ne, quæ prius occuparant loca, denuo ipſis eriperentur: In primis vero nouum præſidium verſus Teflin miſſuros, ſine quo ea vrbs in manifeſto verſabatur periculo, ne iterum Georgianorum armis ſuperaretur.

Cum huius rei nuncius ad Codabandam regem fuit delatus, Simon Georgianus, cuius ſupra memini, ſuam quoque operam regi offerre ſtatuit, ſperans hac ratione ad dignos, & iam dudum exoptatos honores aſcendere: Nec ſe ingratum regi futurum ob bellicam virtutem, qua ante ſuam captiuitatem inter omnes Georgiæ Duces præſtarat, tum quod in Georgia magna autoritate apud milites polleret, & artem defendendi vrbes oppreſſas, & hoſtes oppugnandi longe melius ſuo fratre Daut ſeu Dauide nouiſſet. Supplici igitur libello oblato, animi ſui ſententiam & deſiderium regi declarabat, fratris timiditatem vituperans, & felicem proſperumque belli ſucceſſum, ſi eius adminiſtratio in Georgia ipſi committatur, promittens.

Dixi ſuperius, Simonem in arce Cahaca, vbi Iſmahel Tamaſi filius cuſtodiebatur, captiuum fuiſſe detentum, in huius familiaritatem admiſſus, extreme ſe ab ipſo diligi expertus eſt: Nec ingratus ille, dignum honorem & obſeruantiam ei detulit.

detulit. Indies igitur mutuus ille & ſincerus affectus in vtriuſque animo in eum modum creuit, vt ab Iſmahele perſuaſus, in ipſius gratiam Simon religionem mutaret, in qua optime inſtructus libertatem potius cũ imperio amittere, quam ab ea deſciſcere antea maluerat, quo minus vero in ea perſeueraret, tres cauſſæ primariæ fuiſſe videntur, perpetua videlicet captiuitas, quam ſibi ante oculos ponebat: deinde Iſmahelis amicitia: Denique bonores maximi, quos illi indies offerebat cumulatiſſime, ſi quando ad regnum promoueretur. Quod vbi paulo poſt, mortuo Tamaſo, contigit, Iſmahel non oblitus virtutis & amicitiæ Simonis, qui in ipſius gratiam ex lege Mahumetana iam fuerat circumciſus, honoribus & præmiis maioribus, quam ſperare poterat, ipſum afficere decreuit, quibus tamen omnibus paulo poſt fruſtratus, vbi repentina morte ex hac vita Iſmahel ſublatus fuit, præter libertatem toties exoptatam, nihil eſt conſecutus amplius. Ancipiti vero cura diſtrahebatur, vtrum Arſaciæ noui regis aduentum operiri, an vero inde diſcedere, & priorem religionem amplecti, vrbes atque ditionem, iniuria ſibi ablatam, recuperare, & fratrem inde pellere deberet. Tandem poſt varia conſilia, maxime è re ſua futurum putauit, regem nouum expectare, & eius auxilio amiſſarum & male cuſtoditarum vrbium reſtitutionem quærere, à quo ob mutatam religionem, & toleratam captiuitatem, recuperatamque libertatem: tum etiam propter celebre nomen, & præſentem neceſſitatem, quæ inſtabat, atque obedientiam regi exhibitam, non exiguam gratiam inire confidebat.

Mahamete igitur in regem conſtituto, vbi Teflin à Turcis occupatam rumor increbuit, officia ſua & operam ad illud bellum regi obtulit; quo ereptam ditionem ſub Perſarum auſpiciis recuperare poſſet, neque laboribus vllis vel periculis ſe parcere conſtituiſſe, modo gratum id regi eſſet. Qui libentiſſime omnibus eius petitionibus aſſenſit, eumque præfectum ſeu Chan totius ditionis, quam regis titulo antea poſſederat, creauit, inde cum Alygulichano in Georgiam ad defendendas vrbes ſubditas contra Turcas fuit miſſus. Bellica tormenta quædam ipſis fuerunt attributa, ex iis, quæ in Eres vrbe cæſo Caita Baſſa, fuerunt reperta, additis 5000. equitibus, qui ex vrbibus vtriuſque Mediæ fuerant collecti. Gratiſſimus Simonis aduentus omnibus Georgianis fuit, penes quos religionis abiurationem honeſto quodam prætextu excuſare conatus eſt, non id à ſe factum in hunc finem, quod Mahumetanam ſuperſtitionem Chriſtianæ fidei præferret, ſed vt tandem eo modo è perpetuo carcere, cui iam addictus fuerat, euaderet; atque arma ſua ad propagationem veræ & ſalutaris fidei in Ieſum Chriſtum, & regni ſui defenſionem conuertere poſſet. Hinc tria millia militum ex propriis & vicinis vrbibus conſcripſit.

Sub Veris initium miles Turcicus ex omnibus prouinciis Erzirum ad faciēda ſtipendia accurrit, iāq; machinæ bellicæ eo delatæ, pecunia in vſum belli cōgeſta, frumenti, oryzę, & hordei maxima copia collecta, deniq; omnia q̃ requirebantur ad ſuſtētationem homīnū ac iumentorū collata fuerant. Ægyptus quoq; copias auxiliares miſerat, quarum vix media pars ad reliquum exercitum peruenit. Plurimi enim milites in arenoſis illis deſertis (per quæ è Memphi ſeu Cairo verſus Syriam iter facientibus tranſeundum eſt) perierunt, alii correpti febri maligna, & contagioſa, quæ Alapiæ ſeu in Aleppo, & eius vicinia grauiſſime ſæuiebat, miſere fuerunt extincti. Exercitus autem non minor, quam anno priori, in Erziro conuenit, & à Muſtaffa luſtratus, inde per iter Haſſan Chalaſſenſe duodecim dierum ſpacio Charſam abſque tumultu fuit perductus. Eam vrbem nouis muris, propugnaculis & aggeribus munire aggreſſus eſt, & quoad potuit, opus illud perficere maturauit: cũ igitur Architecti, fabri lignarii, & foſſores, qui expreſſe in eũ vſum conducti fuerant, nō ſufficerent, Spahoglani quidam, & ſerui, & Ianizari nonnulli iiſdē laboribus fuerunt adhibiti. Quod illi indigniſſime ferētes, tumultuari, & rebellare cœperunt, palam proteſtati ſtipendia, quibus ab Amurathe honorabantur, nō in eũ finē ſibi tribui, vt omne ſuũ robur, & vires in opus tā vile & abiectũ, alienāq; à militari diſciplinā cōuerterēt:

verum vt armis virtutem & fortitudinem ſuam exercerent, ob quam eiuſmodi honores meriti fuerant. Muſtaffa etſi exigua nummorum quantitate tumultum ſedare potuiſſet, ipſorum tamen furori cedere noluit; ſed audaciſſime illis ſe opponens, vi ad ſubeundos labores coegit; effecitq; vt 23. dierum ſpacio turres, muri, foſſæ & balnea perficerentur, tormenta hinc inde certis locis diſponerentur, & aqua perenni foſſæ replerentur, quæ vel ex Euphratis bracchio, vel ex alio quodam fluuio, qui è Periardo deſcendit, eo deriuatur. Fere ad finem ædificio illo perducto, nouis calamitatibus afflictus fuit exercitus, frigore videlicet aſperrimo, & niuibus denſiſſimis, quæ vigeſimo quinto die Auguſti ceciderant; ea tamen mala quoque perpeſſi, cuncti paratiores erant, Muſtaffæ mandatis obſequi, quod rem facilem ducerent Charſæ munitionem ob immenſum operariorum numerum. Abſoluto igitur opere, de nouo præſidio Teſlin mittendo, conſilium Muſtaffa iniit, quo niſi mature iis, qui ibi relicti fuerant, ſuccurratur, Georgianos breui eam vrbem occupaturos ſciebat. Dubius tamen animo hærebat, vtrum ducem quendam fortiſſimum cum parte exercitus illuc mitteret: An vero ipſe cum vniuerſis copiis eo contenderet: quod ſi priorem ſententiam ſequeretur, verendum ipſi erat, ne ab hoſte damnum quoddam acciperet, cuicunque ſane eius rei curam demandaret: Sin poſteriorem, Amurathis indignationem timebat, cui iam perſuaſerat, totam Georgianam Prouinciam Turcico imperio parere, omnibus eius incolis ſub iugum miſſis. Sed famæ ſuæ & exiſtimationi conſulere maluit, perinde ratus ducem quendam ſcientiæ bellicæ peritiſſimum cum 20000. militum electiſſimorum eo ablegare, quam vniuerſas copias itinere difficilimo attenuare: in primis vero cum anguſtiæ, quæ ſunt prope Tomanis & aliis in locis, ipſi tranſeundæ eſſent, in quibus tam numeroſus exercitus facile clade aliqua affici & multitudo pugnantibus obeſſe potius, quam prodeſſe poſſet. Hoc ipſius conſilium plerique comprobarunt, ſolo Amurathe excepto, qui de eo paulo poſt certior factus, Georgianos iam domitos, citra tantum belli adparatum ad officium faciendum, cogi potuiſſe putabat. Deducendo præſidio Ducem elegit Muſtaffa Haſſanum Damaſci Baſſam, Mahametis primi Viſirii in aula celeberrimi, filium, hominem forma eximia, virtute atque magnanimitate in periculis ſubeundis præſtantiſſimum; eique 20. circiter millia electiſſimorum militum Græcorum ſcilicet, Damaſcenorum, & Caramidanorum commiſit, ſocio addito Reſuano Baſſa, gregariorum quorundam, qui ſponte Haſſanum ſequebantur, duce; Eumque 40000. ducatis, multis farinæ, hordei, & oryzæ plauſtris, omnibus denique rebus aliis ad vitam & bellum neceſſariis ad præſentem expeditionem inſtructum verſus Teſlin miſit. Ille res magnas animo voluebat, & facultates potius omnes, vitam denique ipſam in diſcrimen adducturus erat, quam negligenter in officio ſuo verſari, aut vllam remoram in deducendo præſidio ſibi iniici permittere. Tomanis anguſtias & alia eiuſmodi loca ſtruendis inſidiis aptiſſima citra hoſtium moleſtiam iam prætererat.

Locum illum ab vna parte, ſylna denſiſſima, ab altera valles profundiſſimæ; & præcipitia horrenda inuium reddebant, & nulli non prætereuntium horrorem mouebant. Hic in inſidiis excubabant Alyculichan & Simon Georgianus cum 8000. tam Perſis, quam Georgianis, quos vndiquaque compilarant; & ab eo tempore quo in Georgiam venerant, in regione Teſli & Tomanis finitima morati expectabant, donec præſidiarii Teſlienſes pabulatum exirent; quos extrema fame laborare norant; vel ſi quis ipſis nouo præſidio opem laturus veniret; cum eo manus conſerere, & detrimento aliquo hoſtem afficere poſſent. Verũ etſi fame & morbo indies conſumebantur, ſumma tamen neceſſitas ad quærendum victum extra propugnaculum allicere eos non potuit. Vnde illi ſpe ſua fruſtrati, tandem è pluribus, quos emiſerãt, exploratoribus, certo cognouerunt, Haſſanum Baſſam cum 20000. Turcis iter, quod Tomanis verſus ducit, ingreſſum, laborantibus in Teſli ſubſidio venire, & nouum adducere præſidium. Illi igitur totum illum tranſitum anguſtiſſimum inſederunt, vbi

commo-

commodiſſime hoſtem fundi, & in profundas illas valles compelli, atq; ad internecionem cædi poſſe ſperabant. Sed Haſſano Baſſæ nihil magis curæ erat, quam euidens & grauiſſimum hoc periculum euitare, per ipſam ſyluam, declinato ab iſtis anguſtiis & præcipitiis itinere, exercitum duxit, vt commodius hoſtium inſidias, quas ſibi ſtructas nouerat, effugeret; primus ille ſyluam ingreſſus, hoſtiles fraudes detegere voluit, quem totus exercitus ſecutus; variis in locis in Perſarum inſidias incidit, cum inſuetum hoc pugnandi genus ipſis eſſet, plurimi milites fuerunt obtruncati. Præcipuus tamen fuit Muſtaffa Bey in Caramaniæ loco Caiſar; eiusq; vexillifer lancea fuit transfixus, vexillum cum omnibus ipſorum equis Georgianis in prædam ceſſit. Hunc in modum anguſtias illas Turcæ ſuperarunt, & proxime eas, quamuis non procul à Teflis abeſſent, ſubſtiterunt, fingebant, ſe à laboribus quieſcere, & falſum quendam timorem ſimulabant, quo denuo ad pugnam hoſtem allicerent. Nihil enim magis cupiebat Haſſan, quam illuſtri aliquo facinore apud ſuos inclareſcere, ignominiæque ducebat hoſtem, quem tanta militum copia ſuperabat, è ſuis manibus elabi. Intellexit tamen, plus inſidias & fraudes, quam fortitudinem & vires in eiuſmodi anguſtiis valere. Fraude igitur hoſtem circumuenire cupiens, Reſuanum Baſſam cum gregariis & aliis quibuſdam Græcis militibus in denſiſſimis & opacis anguſtiarum locis, hoſti inſidiari iuſſit: quem vbi per biduum expectarunt, nec quiſquam comparuiſſet, inſtitutum verſus Teflin iter abſoluere conſtituerunt. Sed Perſæ de hac mora certiores facti, timore id fieri rati, copias ſuas in hoſtem reduxerunt, & Haſſani Baſſæ, imprudenter ſane aciē aggreſſi ſunt: quibus ille cū toto exercitu obuiam factus, ſignoq; dato iis, qui in inſidiis latebant, Perſæ ſubito vndiquaque circumdati, plurimi capti & occiſi, reliqui in fugam pulſi fuerunt. Captus quoq; Alyculichan Perſarum Dux, qui nimis audacter in ipſius vſq; Haſſani Baſſæ conſpectum, pugnando & feriendo proceſſerat: cuius veſtigia præſidiarii ipſius ſecuti, omnes in hoſtium manus peruenerunt. Tam inſigni potitus victoria Haſſan Baſſa poſtero die, qui vndecimus fuit, quo Charſa diſceſſerat, cum triumpho Teflin, ſuperato fluuio, ingreſſus eſt, vbi de incommodis & malis infinitis, quæ milites in hac obſidione perpeſſi fuerant, certior factus fuit. Plurimi namque mortui; alii adhuc ægroti decumbebant, fame eo adacti, vt non modo equos ſtrigoſos, verum ipſas equorum, veruecum, canum, & aliorum animalium pelles comederint: eos Haſſan Baſſa conſolatus, indicata victoria recens parta, inprimis vero cibis, pecunia, donis, quæ in ſingulos diſtribuebat, eos recreauit, amicis verbis ad perſeuerandum in officio & obſequio Regis; de cuius honore agebatur, eos hortabatur, non minorem ipſis laudem deberi, ſi occupatas iam vrbes, hoſtibus vndiquaq; inſtantibus, tueantur, quam ſi alias ipſi eripiant. Querebantur omnes præſidiarii de Mahametis Baſſæ, quem Muſtaffa ibi ducem reliquerat, ſæuitia & immanitate, aliumq; ſibi ducem dari, petebant. Eo igitur ab officio depoſito, Ametum Baſſam Aggibeogli ipſi ſubſtituit. Defectum mortuorum aliis ſuppleuit, ſingulis & vniuerſis vrbis illius protectionem & defenſionem ſeuere & diligentiſſime commendans. Denuo ſuperato fluuio ad reditum ſeſe accinxit Haſſan, & citra impedimentum ad anguſtiarum, quarum toties memini, introitum peruenit; quem aggeribus vallatum; & tormentis bellicis atq; magna militum copia, è præcurſoribus cognouit. Simon enim ille Georgianus certo ſibi perſuaſerat, fore vt per eaſdem anguſtias Haſſan copias reduceret, per quas venerat; cuius potentiæ melius reſiſtere, eius audaciam reprimere, & Alyculichanum captum hoſtium manibus eripere non nouerat, quam aditu ipſo obſtructo, ingruentes Turcas bellicis tormentis & bombardis reprimere, vel obſtinatos inſigni aliqua clade afficere. Haſſan vbi tranſitum ſibi occluſum, & quantis in periculis verſaretur, cerneret, qua ratione per deuia ex inſidiis euaderet, & in tutum ſe reciperet, diligenter ſecum deliberare cœpit. Anxio & ſollicito opportune ſeſe obtulit Alyculichan, qui, vt è captiuitate euaderet, grauius etiam ſcelus committere non dubitaſſet. Exercitum his periculis implicatum per vias breuiſſimas extra diſcrimen in loca tuta & ſecura ducere, & ab omni incurſione ho-

ſtili eum conſeruare promittebat: Præmii loco pro labore, & præſtito beneficio libertatem priſtinam ſibi depoſcens, quæ ipſi verbis ampliſſimis, iureiurando addito à Turca promiſſa fuit. Eum ille igitur per incognitas plane, & antea non vſitatas vias extra anguſtias & ſyluas citra omnem hoſtium impetum conduxit. Præmium vero ſibi promiſſum ab Haſſan Baſſa poſcens, contrarium ſpe ſua tulit reſponſum. Hic enim fraudulentum diſſimulans animum, indignari ſe fingebat, quod promiſſis ſtare non poſſet, ſibi licitum non eſſe, dicens, in prœlio captum ab Amurathis mancipiis libertate donare: ſe tamen, quantum precibus apud Muſtaffam efficere poſſit, elaboraturum, ne vllo damno aut iniuria afficiatur, ſed in priſtinam libertatem conſtitutus, ad vrbes ſuas ipſi redire liceat.

Interim Simon Turcas ad dictum locum expectabat, qui cum nullibi comparerent, nec Teflin eos retroceſſiſſe credere poſſet: nouum illud iter forte fortuna ipſi in mentem venit, per quod cum certo illos euaſiſſe cognouiſſet, ira atq; indignatione magis accenſus, illos inſecutus, extremum eorum agmen offendit, in quod tanto impetu & furore præceps ruit, vt breui omnes, qui ipſum expectare conabantur, vel occiderit, vel fugarit, præda eximia potitus, omnibus videlicet equis & theſauris Mahametis illius, qui Teflin gubernarat, & Haſſani Baſſæ mancipiis plurimis captis, maxima ſtrage militum edita Inter occiſos & captos de Alyculichano ſedulo inquiri curauit, quem tamen nullibi reperit, quod in primo ſtatim agmine firmo præſidio ſtipatus duceretur. Paulo poſt magna nix cecidit, vnde qui in vtroque prœlio vulnerati fuerant, ex gelu & frigore plerique perierunt. Tandem octauo quo Tefli diſceſſerat die, Haſſan Baſſa ad reliquum exercitum Charſæ rediit, vbi pugnas commiſſas, damna & pericula exantlata Muſtaffæ narrauit, & Alyculichanum eidem obtulit, pro cuius libertate ſæpius ipſum interceſſiſſe ferunt, quod tamen affirmare nolim. Conductus vero Alyculichanus in Erzirum, in cuſtodia diligentiſſime aſſeruatus fuit, & hæc quidem Anno 1579. contigerunt. Exercitus vero, vbi Erzirum peruenit, continuo dimiſſus fuit à Muſtaffa, qui Imperatorem de toto belli ſucceſſu certiorem fecit, inprimis vero Haſſanum Baſſam ei commendauit, quod nouo præſidio obſeſſis in Tefli auxilio veniſſet, & Alyculichanum Ducem inter Perſas celebrem cepiſſet. Motuum vero in Georgia excitatorum culpam non in Georgianos proceres, quos iam ante annum Turcico Imperatori homagium præſtitiſſe ſcripſerat: ſed in duorum Perſarum Ducum, Simonis & Alyculichani temeritatem reiiciebat, quorum alterum, cum ſit captus, digno ſupplicio afficiendum ſtatuebat. Amurathes literis Muſtaffæ lectis, Haſſanum Baſſam ſplendido quodam munere, quod res ab ipſo geſtæ mereri videbantur, honorare voluit: per duos itaque Capigios clauam Turcicam deauratam, gemmisque ornatam, tum etiam ſcutum ex auro & lapillis pretioſis affabre factum, cum purpura ei miſit, virtutem eius & magnanimitatem inprimis laudans: Alyculichanum arcte cuſtodiri iuſſit. Vbi hæc omnia Arſaciam ad Regem Codabandam fuerunt perſcripta, quem noua, quæ de filio Abas Miriza Ariæ Prorege inaudiuerat, haud mediocriter perturbabant, in acerbiſſimam ſollicitudinem incidit: quibus periculis Georgia expoſita eſſet, ante oculos continuo ſibi collocabat, dolebat Simonis adparatum & conſilium ex voto non ceſſiſſe, hoſtes regionis ſitus & tranſitus, in quorum difficultate & aſperitate omnis ſpes defenſionis erat poſita, apprime didiciſſe, viduæ filios Turcico Imperatori ſe ſubieciſſe, Leuentolium paratum, fœdus cum illo inire: Omnes denique Georgiæ proceres Turcicam militiam ſequi: vnde aliud præter hoſtium in Mediam Maiorem incurſiones, & nobiliſſimarum vrbium euerſiones ſperare nihil poterat. Ab altera parte Salmas Miriza, primus & intimus Regis Viſirius, Abam Mirizam Proregem Ariæ, in grauiſſimam ſuſpicionem rebellionis apud patrem adduxerat, accuſans eum, quod in Regis Emirhamzæ legitimi regni hæredis ignominiam & præiudicium, conſilia de occupando regno, cuius ſe ſolum dignum putabat ſucceſſorem, iniiſſet, & Regis Perſiæ titulum ſibi arrogauiſſet. Salmas ille filiam Principi Emirhamzæ cum Regis conſenſu in matrimo-

trimonium collocarat; eo honore, qui ſummus erat, non contentus, ſed ambitione tractus, nouas indies rationes excogitauit, quibus vniuerſum Perſiæ regnum ab omni alia dominatione liberaret, & tranquillum in generum ſuum transferret, ne cum reliquis fratribus imperium partiri cogeretur. Pericula, quæ à Turcis imminebant, parui faciebat, obcæcatus cupiditate præ aliis eminendi: hoc inprimis curabat, vt Regem contra filium concitaret, quo ipſum vel in carcerem truderet, vel omni imperio & authoritate ſpoliaret; Regi perſuadere facilimum erat, qui credulus & parum prudens ipſi fere ſoli fidebat: continue ei inculcabat exiguam, vel nullam potius obſeruantiam & reuerentiam à filio ipſi exhiberi, quod eius mandata ſperneret, decreta negligeret, æqualem, vel non inferiorem Regi ſemper ſeſe gereret; Nec vnicum quidem militem in bellum Turcicum miſiſſet: aſtute tunc affirmabat, præfectos vrbium Saſuar, Coran, & aliarum Iuriſdictioni Ariæ ſubiectarum, à ſe conſcriptos fuiſſe, vt Emirbamzam in bellum Atropatenſe comitarentur; quorum neuter comparere auſus fuiſſet metu Abas-Mirizæ, qui domi manendi neceſſitatem ſeuere ipſis impoſuiſſet. Reſiſtendum igitur audacis & temerarii iſtius iuuenis conatibus, ac regni tranquillitati & quieti conſulendum ſuadebat, ne, ſi forte bellum contra Turcas minus proſpere geratur, ille res nouas in detrimentum regni moliri, & ad ſe illud rapere conetur, quod iure ſucceſſionis ad Emirhamzam pertinebat. Hæc ita ſe habere, vt facilius Regis animo imprimeret, alia indicia, minus vera, quam ſpecioſa ipſi in mentem reuocauit. Accedebat beneuolentia paterna, qua plus in Emirhamzam, quam in alterum filium propendebat, & fiducia in Viſirium, qui aſtu & fraude, nec non mulierum ope Regi effœminato quiduis perſuadere, ab eoque obtinere poterat. Filii igitur inobedientis & temerarii audaciam reprimere, & meritas de eo pœnas ſumere ſtatuit. Sed Conſiliarii & Proceres, qui ſinceriori fide Regi ſeruiebant, hoc inprimis curabant, vt ab iſtis cogitationibus Regis animum abducerent, & ad Turcicum bellum, ſepoſitis rebus omnibus, reuocarent, quo eiuſmodi adparatus in annum ſequentem ab ipſo fierent, quibus hoſti, ſi forte Taurin oppugnare vellet, reſiſtere, eumque debellare poſſint.

Sed ad Muſtaffam redeo, qui vbi Erzirum peruenit, multa incommoda in bello perpeſſus, domi haud leuiores calamitates expertus eſt. Grauiſſimæ namq; ad Imperatorem de eo querelæ fuerunt delatæ, ob quas ſpoliatum officio, in aulam ad dicendam cauſſam, & negotiorum geſtorum rationem reddendam vocare neceſſe habuit. Neq; Muſtaffa culpa omnino vacabat: In Amurathis enim animo ſuſpicionem & indignationem concitarat, quod tanta copiarum multitudine obſeſſis in oppido Tefli auxilium tuliſſet, vnde facile collegit, Georgiæ ſtatum non ita comparatum fore, qualem Muſtaffa ipſi antea depinxerat. Deinde militum animos vehementer à ſe alienarat, qui ſe deceptos querebantur, quod hac poſteriori expeditione exercitum ſuperbiſſimo delectu, & duriſſima conquiſitione collegiſſet, apparatus maximos cum immenſo Imperatoris ſumtu feciſſet: Nec quicquam tamen magnum aut eximium tentaſſet, quod in ſummam & ſempiternam quandam laudem apud hoſtes Amurathi cedere, vel militum vtilitati & commodo, prædæ alicuius ſpe facto, inſeruire quiuiſſet. Omnes igitur contra ipſum fremebant, imprudentiæ & prodigalitatis eum incuſantes, qui neque ſumptibus, neq; mancipiis Imperatoris peperciſſet: ſed inprimis milites vehementius accuſando inſtabant, quod toto biennio, quo ſtipendia ſub ipſo fecerant, ne minimum quidem humanitatis ſignum vel præmium, exiguum licet, ab eo accepiſſent, ille ſolus munera ſibi præripuiſſet, quæ de more militiæ Turcicæ militibus debebantur, & grati animi ſignificationis ergo, inter eos diſtribui conſueuerant. Verum omnibus hiſce querelis, magni licet momenti, nunquam Amurathes induci potuiſſet, vt Ducis generalis officio ipſum priuaret, niſi Sinan Baſſa, qui inueterato & acerrimo in ipſum ferebatur odio & inuidia, Imperatorem omnibus modis eo permouiſſet. Infenſiſſime, vt dixi, in

Muſtaffam Sinan ille Baſſa affectus erat,nec vlla re inferiorem ſe illo gerebat: Si enim ille Cyprum plurimorum menſium ſpacio deuicerat; Hic pauciſſimis diebus Goletam, Africæ arcem munitiſſimam expugnarat. Si Muſtaffa ob magnanimitatem celebris, & ætate conſpicuus erat: in vtroq; Sinan illi par eſſe volebat: Atq; adeo (quæ cauſſa diſſenſionis inter ipſos extitit) propterea in tantum ſe illi præferebat,quòd in conquirendo Arabiæ felicis regno, quod Giamen vocant,eà fortitudine ſua perfeciſſet,quæ Muſtaffa nè tentare quidem, nedum in effectum deducere auſus fuiſſet; vnde tam illuſtris victoriæ laudem ipſe ſolus conſecutus erat. Mutuæ iſtæ altercationes & diſſenſiones indies creuerunt, & quotieſcunq; occaſio ſeſe offerebat,& verbis & factis inuidiam,qua laborabant, inuicem detegebant. Hanc itaque Muſtaffæ nocendi occaſionem Sinan Baſſa commode ſeſe offerre ratus,palam ipſum apud Imperatorem traducebat, plurimos inſtigabat, qui per ſupplices libellos de Muſtaffæ iniquitate conquererentur,quam ipſe poſtea exaggerabat: Accuſans eum,quod poſteriori hoc belli anno officio Ducis magnanimi minime functus eſſet; nec regni commodum,ſed priuatum lucrum ſpectaſſet, & cum damno atq; internecione militum quouis modo rem familiarem augere conatus fuiſſet, nec frumentum & pecuniam in præmium iis,qui meriti fuerant, diſtribuiſſet, ſed in proprios vſus conuertiſſet. Quod ſi diligentius in eius actiones inquireretur, manifeſtum futurum, ipſum plurimas occaſiones rei bene gerendæ neglexiſſe, multa temere ac fruſtra tentaſſe: Ad extremum neq; Regi,nec militibus,ſed ſibi ſoli profuiſſe; vnde milites offenſi,quiduis potius pati, quam in bellum ipſum denuo ſequi conſtituiſſent. Ob haſce igitur & ſimiles cauſſas Amurathes primi Ducis officio Muſtaffam priuare decreuit.Huc accedebat,quod periculoſum iudicabat,vni toties & tanto temporis ſpacio belli imperium, & ſupremam auctoritatem concedere, honori ſibi ducens,plures eiuſdem fortitudinis & experientiæ duces in hoſtem emittere poſſe.De omnibus itaq; Muſtaffæ actionibus certior fieri cupiens,in aulam ipſum euocauit, & duos Deftardaros, qui hoc bello ipſi ſeruierant, firmo præſidio cuſtodiri iuſſit,vt pecuniæ acceptæ,& expenſarum, omnium denique negotiorum geſtorum rationem redderent. Nuncio eo accepto Conſtantinopolin Muſtaffa cum ſuis Deftardaris venit: qui mox ibi in carcerem fuerunt compacti. Nec quicquam magis cordi habuit (omnibus mediis adhibitis,& mulierum ope inprimis vſus) quam vt ad Imperatoris colloquium admitteretur,quo donis & muneribus exquiſitiſſimis iram eius & indignationem (vt mos eſt inter Barbaros Mahometanos, & Turcas præcipue) leniret atque placaret. Etſi vero nihil vlterius contra ipſum actum fuit, attamen ad honores, qui ob beneficia in domum Ottomannicam collata iure ipſi debebantur, non fuit admiſſus.Cum adhuc in Erzirum hæreret,Mahamet Baſſa primus Viſirius, ab improbo quodam & fanatico homine, dum pro tribunali ſederet, pugione confoſſus fuit,& Agmat Baſſa,qui illi ſucceſſerat,morbo paulo poſt perierat. Ordo igitur Muſtaffam ad hoc officium vocabat, quo tamen nunquam dignus habitus fuit.Sed de Mahametis interitu expedit nonnulla hic inſeri,vt illius hiſtoria,quæ digniſſima ſcitu eſt,omnibus innoteſcat. Mahametes igitur,qui ſolus fere præcipua regni negotia tractabat, militem quendam veteranum, & multis victoriis clarum,ſtipendio annuo, quo ob virtutem & experientiam donatus fuerat,priuauit, & in alium amicitia vel muneribus corruptus tranſtulit, vnde prior in ſummas anguſtias & paupertatem redactus,ægre vitam tolerauit: in hac miſeria conſtitutus,quæ forſitan illi grauior videbatur, quam pro delicti ratione ſe promeritum putabat,iniuriam illam vindicare, & violentas manus inferre Mahometi conſtituit: quod cum efficere nequaquam poſſet, niſi prius in familiaritatem eius ſe inſinuaret, aditumq; in eius ædes ſibi pararet: ſiquidem non cuiuis ipſum adire licebat, vtpote quem plurimorum ſeruorum & mancipiorum turba circumſtipabat. Aliam igitur perſonam induit, & Eremitæ (quos Dreuis Turcæ vocant) habitum ſumpſit, ſingulis diebus coram Mahamete comparuit, & eleemoſynam ab eo petiit.Inſuper quoq; dementiam quandam & ſtultitiam ſimula-

bat,vt

bat, vt communis religioſorum illorum mos eſt, quo omnia terrena & mundana ſpernere, & ſolis cœleſtibus cogitationibus ſe ſtudere fingant, & imperitæ plebi fucum faciant. Quoties igitur coram Mahamete Baſſa eo ſtatu comparuit fictus ille Eremita, ſemper ſtipem ab ipſo accepit, & ſic miſeriis eius, quaſi priuato quodam ſtipendio Viſirius ille ſubuenit; iuſſitq; vt ſingulis diebus horis matutinis in Diuano ſeu curia cum aliis ad id conſtitutis ſe coniungeret, atque impias preces conſueto more ad Deum & Prophetam Mahometem pro eius ſalute & longæuitate conciperet. habent enim id in more magnates illi Turcici, vt ad horam, quæ precibus deſtinata eſt, certi quidam ſacerdotes ad hoc conducti, in ipſorum aulis conueniant, & blaſphemas ſuas orationes impuro ore murmurent. Diu igitur ea familiaritate vſus, quoties volebat, libere in aulam Mahametis veniebat, in ipſius conſpectu orabat, ex ipſius deniq; manibus eleemoſynam accipiebat. Tandem vindictæ tempus adeſſe ratus, neque mortem, quæ ipſi parata erat, exhorreſcens, neque tormenta ipſa, morte grauiora veritus; Mahametem trucidare conſtituit. Sicam ergo præacutam, quam Turcæ Gangiaram vocant, in manica veſtis ſuæ occultauit, & ad aulam admiſſus, vbi de more preces finiit, à Mahamete, qui in loco publico (quod Diuano vocatur) ius litigantibus reddebat, ſtipem conſuetam petiit, quam vbi illi porrexit, nemine attendente ad nefaria ipſius ſcelera, ſubito correptam ſicam bis illi in pectus impegit, vt exanguis in terram concideret. Qui aſtabant, indigno & horrendo ſpectaculo perterrefacti, videntes miſerum & canum illum ſenem, ſanguine vndique conſperſum palpitare, & extremum efflare ſpiritum, Eremitam illum ſceleratiſſimum ceperunt, & vinculis durıſſime ligatum ad Amurathem perduxerunt, qui ea cæde mire perturbatus, exquiſitiſſimis cruciatibus eum torqueri, & à quo inſtigatus, tantum facinus perpetraſſet, interrogari iuſſit, ſuſpicatus, ne quidam ex reliquis Magnatibus interitus Baſſæ illius cauſſa extitiſſet, quo in ipſius locum ſuccederet. Verum ille nihil aliud confiteri voluit, quam tyrannide, qua Conſtantinopolim à Mahamete oppreſſam vidiſſet, ſe motum hoc feciſſe, tum vt iniuriam ſibi illatam, in alium ſtipendio translato, quod ipſi iure debebatur, vindicaret. Iuſſu Amurathis igitur Mahametis demortui mancipiis puniendus fuit traditus, qui eum mirifice excruciatum necarunt. Hunc in modum periit Mahametes ille primus Viſirius, in cuius locum ſucceſſit Agmat Baſſa, qui paulo poſt morbo quoque ſublatus fuit. Ordo igitur Muſtaffam ad eum honorem vocabat, quem vt adipiſceretur, nihil intentatum reliquit: Imperatoris tamen ſigillum nunquam illi fuit ab Amurathe traditum, etſi primum locum occupare, & ad ipſum omnia negotia primum deferri permiſit: ſummo iſto honore ad Sinanum Baſſam deuoluto, quod vt ſummopere diſplicebat Muſtaffæ, ita ne quid vlterius in ſuum detrimentum ſtatueretur, timebat, impoſita ſibi crimina nihilominus diluebat, & Deftardaros ſuos, cognita ipſorum vel ficta vel vera innocentia, vel deniq; muneribus largiter donatis, è cuſtodia liberabat. His peractis, quum Amurathes in bello captam Charſam & Teflin, aliaq; Georgiæ, Armeniæ, & Atropatiæ loca conſeruare, & Regem Codabandam ad honeſtiſſimas pacis conditiones ineundas cogere vellet, de alio ſummo belli duce in Muſtaffæ locum ſurrogando deliberationes ſecum inſtituere neceſſe habebat: quo officio neminem digniorem in ſua aula reperit ipſo Sinano Baſſa; qui Muſtaffæ æmulus, & nō inuitus eam prouinciam recepturus videbatur. Eo igitur belli Imperatore ad nouam expeditionē conſtituto, ampliſſima & ſumma autoritate atque potētia ipſum inſtruxit, vt adparatus neceſſarios pro ſuo libitu ad bellum faceret. Sinan Baſſa in tanta Imperatoris ſui gratia & beneuolentia conſtitutus, ſpe atque animo nonnihil inflatus, diligenter tamen, quæ ſibi expediunda forent, perpendit; ſtatuitque Teflin nouo præſidio munire, & propugnaculum ad anguſtias Tomanis conſtruere, vt iter, quod Charſa eo tendit, ſemper tutum ab hoſtilibus incurſionibus pateret: Tum etiam omnes tentare vias, quibus Codabandam Regem permouere poſſet, vt per legatos pacem ab Amurathe petat: Erzirum igitur diſceſſit. De his mutationibus, vbi Perſarum Rex

certior fuit factus, rebus ſuis diligentius, quam hactenus factum erat, proſpicere, & omnem mouere lapidem cœpit, vt hoſtium vim atq; impetum eluderet, atq; infringeret, rerumq; geſtarum fama clareſceret. Intellexerat Sinanum Baſſam à pace non eſſe alienum, & inprimis hoc curare, vt bellum componat, atque offenſos animos reconciliet, licet maximos belli adparatus faceret. Leuentolius ipſum in hoc conſilio confirmabat, qui etſi offenſus à Perſis erat; tamen bellum in locis ditioni ſuæ propinquis diutius geri moleſte ferebat. Et Miriza Salmas à pace non abhorrebat, cui tamen potius curæ erat, Abam Mirizam Ariæ proregem, quam Turcas opprimere.

His motus rationibus Mahametes Codabanda, per legatos Amurathem de pace adpellare decreuit, & in eum finem Maxutchanum ad Sinanum Baſſam miſit, vt literis ad Amurathem inſtructus, & præſidio militari comitatus, tuto Conſtantinopolim pertingere poſſit, ſocium itineris ei adiunxit ſacerdotem quendam Leuentolii, ætate grauem, qui pacis & tranquillitatis erat ſtudioſiſſimus: eiq; in mandatis dedit, vt pacem cum Turcis ineat & firmet, ſi Charſa & Teſli contenti reliquas Perſarum regiones vlterius infeſtare nolint. Legatus Arſacia profectus, per Sultaniam, Zangam Mianam, & Turcomaniam prouincias, Ecbatanam peruenit, relicta ad dextram Chiulfal, Naſſiuan, & Reiuan, tandem Cay & Van vrbes attigit, cuius Baſſa comites illi itineris dedit, qui Charſam eum deducerent. Turcæ paſſim lætiſſimis animis nuncium illum excipiebant; & Cicala Baſſa per celeres equos Amurathi eius aduentum ſignificauit. Legatus Charſa per viam Haſſan-Chalaſſenſem Erzirum fuit perductus, inde in Amaſiam, vbi Sinanum Baſſam in Siuas vrbe offendit, qui militum delectus, qui vndiquaq; confluebant, habebat, & ad expeditionem ſe parabat. Ei quid in mandatis haberet, Perſarum legatus expoſuit, rogans vt æquitatem ſuæ petitionis approbare velit, indignum aſſerens, vt Reges, qui ambo Mahumetanæ religioni addicti erant, ſe inuicem bello laceſſerent, quam potius coniunctis viribus defendere pro virili debebant, Chriſtianis extirpatis, qui pulcherrimas Europæ vrbes incolerent. Et licet in tam vaſto & patenti, quod vterq; tenebat, imperio fieri non poſſit, quin diſſenſiones inter ſubditos exiſtant, non permittendum tamen, vt altiores radices agant, aut bellum cruentum & difficile ob eiuſmodi offenſiones exortum diutius protrahatur, crudele prorſus & inhumanum eſſe in eorum, qui eandem ſequuntur religionem, perniciem atq; interitum vigilare. Cum igitur ob aliam cauſam tantum bellum non fuerit motum, ſpe certa ſe frui dicebat, fore vt ab Amurathe firmam & exoptatam pacem impetret, maxime quia Perſæ nunquam in animum induxerint, Turcas vel minima iniuria afficere: petere igitur, ſe firmo præſidio Conſtantinopolim deduci, vt tuto illuc peruenire poſſit. Sinan Baſſa pro ea, qua in tanta ingenii ruſticitate vti poterat humanitate, Legatum Perſicum excepit, quem non modo propter neceſſitatem, quæ Perſas vrgebat, ſed magis propter nominis ſui claritatem, & peritiæ rei bellicæ famam, ad pacem petendam miſſum eſſe, firmiter credebat; non recuſauit ergo cuſtodia militari ſtipatum Conſtantinopolim illum ablegare, literis ſimul ad Amurathem perſcriptis, quibus ſignificauit, quæ pacis conditiones Perſis proponendæ, quidve ab illis petendum eſſet. Non volebat tamen legatum celare, vanam ipſius & inutilem fore legationem & profectionem ad Amurathem, niſi in omnia, quę ipſe petiturus eſſet, conſentire, & ditiones atq; vrbes vi ac armata manu à Turcis variis laboribus & periculis immenſis Perſiæ Regi ereptis illi in poſterum concedere velit: hanc Amurathis voluntatem eſſe, certo ſibi conſtare. Quid reſponderet Maxutchan ad hæc, quæ contra ſpem ex Sinano Baſſa audiebat, vix reperir, deq; proſpero legationis ſuæ ſucceſſu fere deſperans, omiſſa Conſtantinopoli domum repetere ſæpius cogitabat, videbatur tamen muneris impoſiti rationem ad perficiendum iter inceptum eum vocare, vt de re omni Regem ſuum melius edocere poſſet, nec fidebat Sinano baſſæ, à quo ex ſola ambitione hæc prolata, & cum Amurathe commodiorem pacis ſanciendæ rationem iniri poſſe putabat. Siuas igitur ſeu Sebaſtopoli diſceſſit, & per viam Caiſarenſem relicta

Conia,

Conia,& Angori, Niceam (quæ Iſnic hodie dicitur, ad ſinum Aſcanium ſitam) peruenit, inde Chalcedonem,& ſuperato Helleſponto, Conſtantinopolim tandem fuit delatus.

Perſarum Rex intentus in res Turcicas, vt præclarum quippiam ſuſciperet,& tãto imperio, quod obtinebat, dignum, omnes ſuos præfectos regio edicto commonuit, vt Ecbatanæ cum omnibus copiis adeſſent, ipſe cum filio Emirhamza Arſacia in Sultaniam diſceſſit, & viſitatis aliquot maiorum ſuorum ſepulchris, Zangam primum, deinde Mianam profectus, relicta ad ſiniſtrum Guuergi Chalaſſi,& ad dextram Ardouil, non procul à loco, qui Turcoman dicitur, tandem vero Ecbatanam peruenit, vbi totum exercitum, qui conuenerat ex regionibus, quæ ipſius mandatis obediebant, collegit, dubius tamen quo ſe verteret, cum de Sinani Baſſæ expeditione nondum illi certo conſtaret, ſed in Georgiam verſus Teflin partem copiarum mittere conſtituit, vt præſidium Turcicũ, quod Teflin mittendum erat, profugaret, ipſe cum toto exercitu intra Siruan & Taurin in loco commodo, qui Caracach dicitur, conſidere, ibiq; Sinanum expectare decreuit: interim frumenti & aliarum rerum ad victum & bellum neceſſariarum apparatum ingentem fecit. Inter reliquos, qui ipſius mandatis obtẽperarunt, Turcomani non fuerunt poſtremi: ſiquidem maximo numero comparuerũt, vt exercitus Perſarum,& rerum abundantia,& delectu copiarum maximus & inſtructiſſimus hoc anno extiterit. Iis vero, qui in Georgiam mittendi erant, eos præfecit Duces, qui & regionis & ſitus locorum periti erant, quiq; contigua Georgiæ loca incolebant, quo communi periculo incitati, maiori cum fortitudine vicinis opem ferrent,& hoſtibus reſiſterent. Primarium belli Ducem conſtituit Tocomacum, eiq; reliquos Duces, qui prioribus pugnis interfuerant, adiunxit, iuſſitq; collectis copiis Georgiam petere, & Simoni ſe coniungere, quantumq; liceat, hoſtibus damnum inferre, de omnibus euentibus, deq; Turcarum conſiliis, atq; aliis rebus ſcitu dignis, certiorem ſe facere: inprimis vero emiſſis exploratoribus, quo Turcarum exercitus ſeſe conuerſurus ſit, diligenter explorare: quod ſi Ecbatanam petant, eos inſequi, atq; adeo toti Perſarum militiæ, quæ ibi conuenire debebat, ſeſe coniungere. Duces, quos nominaui, ſcientiæ militaris erant peritiſſimi, Alyculichani exemplo edocti, cautiſſime in rebus ſuis verſabantur, æſtuabant tamen res maximas efficere; ad decem circiter millia militum ſub ſignis habebant, quibus 3000. Georgianorum ſeſe coniunxerunt. Vbi igitur Sinanum in Erzirum perueniſſe cognouerunt, Teflin verſus profecti ſunt; & quo aduentus ipſorum Turcas lateret, iter ingreſſi ſunt verſus Gengen, quod nemini alias quam incolis & Tartaris notum erat. Neq; in propinquo erant aliæ vrbes vel oppida hoſtium, vnde impedimentum ipſis iniici potuiſſet. Huc delati, Simonem de aduentu ſuo certiorem fecerunt, parati communem fortunam cum ipſo experiri,& Turcis per viam, quæ Grin verſus ducit, obuiam ire, quamprimum eos Charſa mouiſſe ab ipſo admoniti fuiſſent. Interim Conſtantinopolin peruenit Perſarum legatus, vbi debito honore exceptus, & poſt aliquot dierum interuallum ad Amurathem introductus fuit, & coram eo cauſam ſuæ legationis expoſuit. Inter alia, quæ ad ipſum locutus, hæc fere in medium protulit, quæ ab incepto bello ipſius animum detrahere poterant: Vbi, inquit, Mahametes fratribus ſuis in Perſarum regno florentiſſimo ſucceſſit, iniquo ſane animo tulit, tot tantasq; in bello ſeditiones,& ciuiles diſcordias graſſari, quibus vt remedium adferret, finemq; imponeret tantis motibus, neq; propriæ vitæ aut ſanguini pepercit, neq; quicquam aliud intentatum reliquit, quod ad pacem ſtabiliendam faceret. Ante omnia vero agnouit, inſtitutis atq; adeo miſericordiæ Mahometis Prophetæ plane aduerſari eam crudelitatem & truculentiam, qua ſanguis ſubditorum profunditur. Tunc etiam clare perſpexit, quæ mala ex hoc bello conſecutura eſſent, violata & interrupta pace, quę à Tamaſo & Solymanno multis ſolennitatibus ſancita,& iuramento confirmata fuerat. Non poſſe non grauiſſime ferre in altera vita Tamaſum, quod bellum hoc ab Amurathe Perſis contra pacta motum fuerit, potuiſſe Amurathẽ aperte perſpicere, quanta lętitia totum Perſiæ

regnum felicem eius in Imperio ſucceſſionem perceperit, idq; Tocomacum regis legatum inprimis ipſi declaraſſe. Sparſos quidē ſub Iſmahele rumores quoſdā ſiniſtros de ipſius in Babyloniā profectione, & cętero res innouandi ſtudio, illud tamen iuuenili illius feruori imputandū, & quod libertate vti neſciuiſſet, vtpote qui diu ſub arcta cuſtodia in carcere detentus fuiſſet: temeritatis vero pœnā dignam paulo poſt luiſſe. Sed Mahametē Godabandam, qui nunc imperiū teneat, præ omnibus aliis amicitiam ipſius expoſcere, & nō modo à bello abhorrere, ſed potius hoc ſummo ſtudio quærere, vt Perſarum atq; Turcarum vires coniunctę, Chriſtianis nationibus opponātur, & iuſtū atq; legitimum bellū ad propagationem fidei Mahometanæ, & extirpādos omnes, qui illi reſiſtūt, ſuſcipiatur. Rogare igitur etiam atq; etiā, vt iram deponat, nec amplius bello proſequatur Regem ipſi amiciſſimū, vrbesq; propinquas Turcis religione & amicitia iunctas turbare vlterius ne velit. Hęc vbi legatus corā Amurathe dixit, ſine vllo certo reſpōſo dimiſſus fuit: ſed ei mandatū, vt cum Viſiriis de pace, ſi quid in mandatis haberet, ageret. Impedimenta tamen haud vulgaria paſſim obiecta fuerūt. Namq; Turcæ omnes eas vrbes, quas bello hactenus ſubegerant, ſibi tradi atq; relinqui poſcebant. Legatus vero ſibi nihil aliud permiſſum allegabat, quam vt iis locis, quæ in Georgia cis Araxen ſita ſunt, cederet. Non igitur in exiguo cōſtitutus timore, verebatur, ne pro exploratore haberetūr, eoque nomine indignis modis à Turcis tractaretur, quod ex Viſirii colloquio facile animaduertere poterat, vt tamē carceris periculum, aut grauius aliquod malum euaderet, inprimis ſtudebat, vt qua ratione veniā diſcedendi, & domū redeundi impetrare poſſet: vbi tandē arctius ſe, vt ad poſtulata conſentiat, premi atq; vrgeri, minasq; addi petitionibus vidit, ludificare atq; decipere eos ſtatuit, pollicitus ſe à rege Codabāda omnia, q̄ Turcæ popoſcerint, impetraturū, & vt conditiones pacis æquiſſimas ineat, perſuaſurū, ſi ad ipſum redire poteſtas illi fiat: & tū quo facilius Viſirū fidem eius ſermoni haberent, quid in Aria cū Aba Miriza contigiſſet, & quā iniquo erga eum animo rex affectus eſſet, quantumq; periculū ex iis locis illi immineat, recēſuit: quę vbi à Viſiriis credita fuerūt, amice & benigne domum fuit remiſſus. Profectus igitur Conſtantinopoli Charſam, ad Sinanū Baſſam peruenit, qui ipſum citra moram verſus Van, & tandē in Perſiā fidiſſimis comitatū ducibus transferri curauit. Sed ad Sinanū Baſſam reuertamur: qui vbi Perſicū legatum, vt ſupra diximus, Sebaſtopoli verſus Conſtātinopolin miſit, ipſe paulo poſt Erzirum petiit, ibiq; omnes copias collegit, frumentū aliasq; belli munitiones maxima copia cōgeſſit, deniq; exercitū omnibus rebus neceſſariis ad futuram expeditionem inſtruxit. Nactus tempus oppottunū ad profectionē, Erziro cum copiis diſceſſit, vbi poſtea Charſam attigit, quo per viam Haſſan-Chalaſſenſem fuit delatus, Maxutchan ipſum conuenit, &, vt modo dixi, ab eo in Perſiam fuit ablegatus, ægreq; admodū tulit Sinanus, quod aliud nihil actum tranſactumq; fuiſſet. Vbi Maxutchan Arſaciam peruenit, quicquid toto legationis ipſius tēpore cōtigiſſet, quidve in aula Turcica profeciſſet, regi Mahameti ordine recēſuit: Amurathem ſcilicet, nullo modo pacē initurum, niſi omnes Atropatiæ regiones cū ipſa Alexandria ipſi cōcedantur: eas iure belli acquiſitas, propter pugnas commiſſas & occupationes vrbium, Turcas ſibi vendicare. Tum quoq; oſtēdit, in quanto periculo cōſtitutus fuerit, dum pro exploratore habitus fuiſſet, quodq; illud euaſiſſet, factū eſſe, q̄ ſpē Turcis iniecerit, fore, vt à Mahamete facilime omnia, quæ poſcāt, impetrari poſſent eius intereeſſione, in cuius arbitrio poſitū ſit, pacis cōditiones ab hoſtibus ꝓpoſitas amplecti, vel reiicere. Contentus Mahametes in p̄ſenti, omnes Maxutchani actiones approbauit, eumq; munere aliquo honorare cupiēs, optionem ei fecit, quod vellet, ab ipſo præmiū laboris petere: ille tamen ſe totū regis arbitrio cōmiſit, qui abſq; mora ei præfecturā exigui cuiuſdā loci ꝓpe Reiuan ſiti tradidit, cui tamē Maxutchan cōſentiente rege ſtatim renūciauit, dignū ſe pretioſiori p̄mio æſtimās, vnde pro ſumtibus in itinere factis compenſationē quandā haberet, in hac quoq; parte Rex illi gratificaturus, Theſaurarium (quem Deftardar Turcæ vocant) Ecbatanæ eum creauit, vbi tunc Emirchan præſidebat, cum quo

per

per multos annos grauiſſimæ illi atq; atroces inimicitiæ intercedebant. Non poterat officium hoc magnificum ſane, & quod plurimum lucri ei allaturum erat, niſi offenſo & grauiter id ferente Rege denuo recuſare. Nec ſperatos & dignos fructus percipere inde licebat, ſemper eius proſperitati Emirchano obſtante, à cuius inſidiis plurimum ſibi timebat. Igitur extra vrbem degere, & in ſuum locum alium quempiam idoneum ad tale munus, cui fidere poterat, ſubſtituere decreuit, donec certius quippiam Regi in ſe conferre placeat. Aliquandiu igitur in pago ſuo Caſſangich, qui Ecbatana verſus Salmas itinere duorum dierum diſtat, commoratus fuit. Emirchanus, qui acerrimum aduerſus eum animo odium fouebat, nullas illi nocendi occaſiones prætermiſit, hanc eius abſentiam inprimis ſibi fore opportunam ratus, vt in Regis odium eum adduceret. Accuſauit eum igitur, quod ſpretis, quæ in ipſum contuliſſet, muneribus, & relicta præfectura prius ipſi conceſſa, nunc quoq; extra Ecbatanam degat, & munus hoc regium plane, atq; vnde Regis honos & authoritas dependeat, abiecto cuidam, & infimæ conditionis homini commiſiſſet, regiosq; theſauros adminiſtrandos tradidiſſet: interim ille, relicta aula, in ditione Turcis finitima deſideat, idq; eo conſilio, quod male erga Regem ſit affectus, vel in partes Turcarum incliniet, quibus iam antea Atropatiam obtuliſſet, eo nimirum prætextu, vt captiuitatem euaderet, ſed reuera vt eos ſibi deuinciret, & Amurathes in poſterum etiam iniquiores, & maioris momenti conditiones proponeret. Nec dubitandum, quin clam cum ipſis conſpirarit, quod ſemper fidi itineris duces contra morem gentis illi fuiſſent adiuncti. Fore igitur perneceſſarium, vt quid rei ille gerat, attentius conſideretur, & in ipſius actiones diligẽtius animaduertatur, ne maximum aliquod periculum rebus Perſicis inde oriatur. Hæc vbi ex Emirchano Mahametes cognouit, indigne ſane tulit, munera ſua in alio à Maxutchano non haberi loco, magis verò, quod Ecbatanæ nunquam vel raro officio ſuo præeſſet: alienior ergo ab ipſo factus cauſam ſuæ abſentiæ pernoſcere, & repugnantem tormentis ad dicendam veritatem cogere ſtatuit, iuſſitq; Emirchanum clam illum ad ſe vocare, captumq; in aulam perducere: quo mandato accepto, plurimum lætatus fuit, quod hoſtem ſe oppreſſurum ſperaret. Subodorarat iam Maxutchan, quas ipſi inſidias ſtruxiſſet Emirchanus: ideo cum idem quindecim ex ſuis ſeruis ad eum miſiſſet, qui Regis nomine in aulam illum vocarent, magnifice eos excepit, quid animo ferret diſſimulans, & verbis & cibis ſplendidiſſimis exquiſitisq; eos tractauit. Quum vero poſt cœnam ſomno propter cibum ac potum largiter ſumptum, obruti iacerent, ſingulos manibus pedibusq; colligatos in profundum puteum proiecit, clauſoq; oſtio abſcondit. Hinc nulla interpoſita mora, quicquid pretioſi habebat auri, argenti, gemmarum, atq; veſtium, conuaſauit, & cum vxore, liberis, fratribus atq; nepotibus, tota deniq; familia verſus Salmas aufugit, quo mature altero ſtatim die peruenit. Humaniter à Baſſa eius loci exceptus, & in Van conductus ad Cicalam Baſſam, hoſpes illi gratiſſimus extitit, qui eum literis amiciſſimis ad Sinanum Baſſam, qui Erziri adhuc morabatur, commendatum dimiſit. Is ipſius aduentu plurimum lætatus, Amurathem continuo de toto negotio certiorem fecit, ad eumq; Maxutchanum deduci curauit. Quid de illo amplius Conſtantinopoli actum fuerit, poſtea dicetur. Atque hunc ſucceſſum prima pacis tractatio habuit.

Redibimus nunc ad Sinanum Baſſam.

LIBRI QVINTI
ARGVMENTVM.

SINAN Baſſa, vbi per octiduum Charſæ ſubſtitit, Teſlin petit. Simon profligit Talolium & Homarem. Sinan ſubſidio venit Teſlienſibus. Georgiani & Perſæ in acie Turcas expectant, eos aggrediuntur & cædunt. Sinan cum toto exercitu in Perſas mouet, qui pugnam recuſant: ille ad Periardos montes tendit, ordine milites diſtribuit, qui ipſum derident: reuertitur Charſam, ibiq; per menſem moratur: inde Erzerum peruenit, & Conſtantinopolin reuocatur, quem eo comitatur Ebrainchan, nouus Perſarum legatus. Feſtum Conſtantinopoli in circumciſione filij Amurathis celebratum. Ebrainchan Erzerum ducitur captiuus. Amurathes Mahametem Baſſam mittit ad præſidium Teſlin ducendum, qui cum 25000. militum, menſe Auguſto Erzero diſcedit. Muſtaffa Georgianus coniungit ſe Mahameti Baſſæ in Archelech. Perſæ & Georgiani ad pugnam prouocant Turcas, ſed Mahamet eam recuſat. Turcæ vado fluuium ſuperant, ab hoſtibus cæſi turpiter in fugam compelluntur: Teſlin confugiunt, vbi Mahamet publice ad eos verba facit, paulo poſt inde diſcedit. In reditu Curdi tumultuantur. In arce Altunchale concilium fraudulentum habetur in perniciem Georgiani: quod ille præſentiens Mahametis vicarium (quem Checaia Turcæ vocant) Baſſam Amidæ & ipſum Mahametem lethaliter vulnerat. Ea de re Amurathes certior factus, Baſſis, qui in aula ſunt, imprudentiam obiicit, eoq; nomine Sinanum Baſſam inprimis accuſat, qui audacter & ſuperbe ipſi reſpondet, vnde ex aula proſcribitur; illiq; ſubſtituitur Sciaus Baſſa, Imperatoris gener, & primus Viſirius creatur.

CVM Sinan per octiduum Charſæ ſubſtitiſſet, exercitumq; atq; munitiones bellicas ad futurã expeditionem præparaſſet: tandem Tomanis verſus profectus eſt, eo conſilio, vt propugnaculũ ad illas anguſtias conſtrueret, copias per Archelech ducit, relicta poſt ſe Peruana Giol, & Triala arce, tandem Tomanis peruenit, vbi paulo poſt Capigilarcheeaiaſi ad eũ Cõſtãtinopoli cũ literis peruenit, lætũ adferens nunciũ, quod primus Viſirius electus eſſet, quo nũcio omnes Baſſæ, qui tũc in caſtris erãt, ſingulari gaudio affecti fuerũt. Concilium omnium Baſſarũ ibi cõuocauit, eorumq; ſentẽtias de ædificãdo propugnaculo rogauit, cuius formæ variæ & diuerſæ in mediũ fuerũt allatæ: ſed creberrimæ pluuiæ ædificiũ illud impediuerũt; tũ etiam q, Sinan verebatur, ne hoſtes arrepta occaſione ex pluuiis illis, & anguſtiis locorũ, milites ædificio cõſtruendo impediros, adorirẽtur, eosq; ſine ordine hinc inde diſperſos cæderẽt, maximoq; damno afficerẽt. Pluuiæ per octiduum, quo ibi hæſit Sinan, nunquã ceſſarũt: tandem vbi cœlũ aliquanto ſerenius apparuit, ad præſidium Teſlin deducendũ ſe accinxit: Vbi totus exercitus ſubito per anguſtias iam notas tranſiit. Talolius Ianizarorum Damaſcenorum Aga, & Homar Sangiachus Saffeti Galileę vrbis, qui toto belli tempore propter vicinitatem præfecturarũ copias ſuas coniunxerant, fortunam experiri, & pabulatum ſimul excurrere decreuerunt, laborabant enim & frumenti & carnium inopia. Collegerunt igitur ad bis mille militũ, qui omnes ſpe prædæ collecti, promtiſſime eos ſequebãtur: Cognouerant enim, nõ procul illinc & frumẽti & pecudũ copiã eſſe, cui illi inhiabãt. Verũ aliter res, quã illi ſperabant, euenit. Namq; Simon Chan Georgianus, ſtatim vbi Charſa Turcas diſceſſiſſe comperit, Perſas qui in Genge erant cõgregati, de ipſorũ diſceſſu certiores fecit, & cũ illis copiis cõiunctis, è lõginquo exercitũ Turcicũ ſecutus eſt, diſpoſitis militibus in loca, vbi frumentum vel aqua, vel pabulã erant, quę hoſtium nonnullos ab exercitu ſeducere poterãt, inſidias illis ſtruebat: Nec ſpe ſua fruſtratus fuit. Breui namq; Talolius & Homar in caſſes ipſius inciderunt, quos ille in præda agenda occupatos, magno impetu

adortus, internecione omnes deleuit, nec quenquam fuga exitio eripuit, præter Talolium Ianizarorum Agam, qui equo robuſto & celeri vectus, primus fugere cœperat, & cladis nuncium ſolus ad Sinanum pertulit. Hic inceptum iter perſequens, biduo Teſlin attigit, conuocatisq; omnibus Ducibus & Baſſis, etiam Capigilarchecaiaſi in conſilium admiſſo, de magnitudine vrbis Teſlis ſententias ipſos iurato rogauit. Idq; eo conſilio, vt Muſtaffæ accuſandi cauſſam haberet, qui falſo Amurathi oſtenderat, Teſlin æquare Damaſcum, cui tamen magnitudine & incolarum copia, & diuitiis longe impar ſit: cum tamen res indigna ſit Damaſcum cum hoc exiguo oppido, vbi exiguæ domus, & pauci habitatores reperiuntur, conferri. Diſtribuit tunc domicilia, & munitiones quas ſecum attulerat, inter præſidiarios, eosq; verbis grauibus & humanis ad ſtrenue vrbem defendendam hortatus eſt. Illi vno conſenſu de Baſſa ſeu duce ſuo grauiter conqueſti, quod ſtipẽdiorum parte maiore ipſos defraudaſſet, & pecuniam in ſuum vſum conuertiſſet. Sinan de rei veritate probe informatus, reum ipſum ad reſtitutionem omnis pecuniæ damnauit, officioq; priuauit. In eius vero locum Giuſuf Bey Georgianum ſubſtituit, qui propter inimicitias, quæ illi cum Simone intercedebant, Turcarum partes ſequebatur, à quibus in magna authoritate habitus eſt. His ita geſtis, ad Sinanum, vbi illinc diſceſſiſſet, Leuentolii legati peruenerunt, qui propterea illi gratiſſimi erant, quod certo etiam ab ipſis Teſlienſibus præſidiariis cognouiſſet, quanta beneficia in eos toto eo tempore contuliſſet, frumento, pecunia, aliisq; rebus neceſſariis liberaliter eis ſubminiſtratis: Tum vero inprimis, cum vndiquaq; hoſtes arctiſſime illos vrgerent. Hinc fama, ſed incerta & mendax, etiam in Italia ſparſa fuit, Turcas huius vrbis deditionem feciſſe, eamq; Georgianis reſtituiſſe. Grauiter quidem obſeſſa fuit, & rebus omnibus deſtituti præſidiarii, fortiter eam defenderunt; vnde Turcæ cauſam continuandi belli, maximo cum Chriſtiani orbis commodo, nacti ſunt. Excuſarunt legati Leuentolium, quod valetudine minus commoda impeditus, coram adeſſe non poſſet. Sinan vt beneuolentiam erga legatos declararet, veſtibus auratis ipſos donauit: & clauam Turcicam, gladiumq; gemmis & auro exornatum Leuentolio dono miſit, verbisq; humaniſſimis de amore ſuo & affectu ſincero eum confirmauit. Sunt qui putant, eum tunc Leuentolium hortatum eſſe per literas, Perſis autor exiſteret, vt de pace cum Turcis ineunda conſilium caperent, & reges ambos, quibus pariter amicitia iunctus erat, reconciliare ſtuderet. Poſtero die per anguſtias Tomanis exercitum duxit Sinan, vbi illi obuiam factus eſt Mutafsade, Alapiæ (vbi natus erat) Baſſa, eiq; nunciauit, non procul illinc prædam ingentem frumenti ac pecudum à paucis quibuſdam Georgianis defendi, quæ facilime illis eripi poſſit: Operæ igitur pretium facturum, ſi partem exercitus, qui his rebus indigebat, eo mittat, qui tuto illam aſportent. Non improbauit Sinan conſilium Mutafsadæ, illiq; facile aſſenſit: edoctus tamen, quid ſæpius pabulatoribus contigiſſet, tum cædem Talolii & Homaris ante oculos habens, ne quid ſiniſtri accideret, 10000. equitum cum ſeruis & mancipiis eorũdem, ad conquirendam eam prædam emiſit, quorum omnium Dux erat Mutafsade. Tocomac & Simon cum reliquis Perſarum ducibus copias ſuas, quas poterant colligere, coniunxerant, & in vallibus ignotis operiebantur, ſi quæ forte Turcarum aliqua manus à reliquo exercitu ſe diſiungeret, & ineſcati milites præda, quæ ſtudio ad intricandos hoſtes expoſita erat, in inſidias ſtructas præcipitarentur, nec fruſtra. Siquidem decem illa Turcarum millia à Sinano emiſſa; ſubito præſto fuerunt, prædaq; iumenta ſua onerarunt: ſed dum abitum feſtinant, præter expectationem Perſæ ex inſidiis prorumpunt, paſſimq; obuios miſere ſternunt atq; trucidant. Mutafsade inopino hoc impetu perterritus, primo ſtatim Perſarum aſpectu fugæ ſe tradidit, atq; omnium primus ſociis, qui fugere poterant, modum euadendi periculi monſtrauit: reliquos, qui fugere nequibant, hoſtium furori expoſitos deſeruit; quorum 7000. miſere fuerunt trucidati, pauci capti & abducti cum aſinis & iumentis præda onuſtis. Huius cladis nuncium Mutafsade ipſe ad Sinanum attulit, qui iratus, Caramanniæ Baſſam cum maxima militum copia in

hoſtem miſit, eumque vt adgrederetur, quocunque locorum ipſum reperiret, mandauit. Hos præcurſores ille cum toto exercitu celeriter inſecutus eſt; ſed fruſtra tanta celeritate vſi: ſiquidem hoſtes nullibi offendebantur, vtpote in vallibus quibuſdam intra montes, quorum aditus Turcæ, ignari difficultatum Georgiæ, ignorabant, abſconditi latentes. In acie tamen per aliquot milliaria exercitus profectus, montem quendam aſcendit, vnde Perſarum copias intueri poterat: qui iam depoſita in tuto præda, Turcarum exercitum denuo ſequi, more ſolito, & damnum aliquod nouum inferre cogitabant. Sed vbi Sinanum Baſſam cum omnibus copiis in ſe properare viderunt, veriti, ne quod ſæpius, inprimis vero ad Periardum montem experti fuerant, impares eius viribus, magnum aliquod damnum acciperent; conſultius rati, hoſti cedere, quam cum manifeſto periculo eum expectare: in loca itaque montis aſpera, vnde ab hoſtibus tuti eſſent, ſeſe receperunt: vix tamen euaſerunt, quin extremum eorum agmen Turcæ, qui de monte deſcenderant, carperent, & ſexaginta eorum occiderent, quorum capita amputata à reliquo corpore, haſtilibus infixa, in ſignum triumphi ſecum abſtulerunt. Tandem omnibus hoſtium inſidiis exuperatis, Trialam Armeniæ locum Sinan attigit, vbi variis indiciis, etiam ab ipſis Perſis & incolis, qui Ecbatanæ tranſierant, certior factus fuit, Regem Perſarum inde cum inſtructiſſimo & numeratiſſimo exercitu prœliandi animo contra Turcas proceſſiſſe, deſtinatos etiam quatuor illos Georgianos Duces, vt cum Simone Turcas eodem momento à tergo aggrederentur, quando ille à fronte pugnæ initium faceret. His cognitis Sinan in caſtris proclamari iuſſit, vt omnia impedimenta grauia & inutilia ad prœlium, Ardacham verſus deportarentur, & quilibet ſeſe armis & victu ad profectionem verſus Ecbatanam inſtrueret, ſe enim cum Perſarum Rege prœlio certare deſtinaſſe. Interim nuncios clam ad Mahametem Regem, qui erat in Caracach, miſiſſe fertur, eique nunciaſſe, vt de pace legatum ad ſe mitteret; inde futurum præſumens, vt pugnandi conſilium Rex mutaret, & ad pacem animum inclinaret. Decreto ipſius omnes paruerunt, miſſis impedimentis verſus Ardachan. Ille aſſumpto, quod ſufficere poterat, ad inſtitutum iter, frumento, aliiſque rebus neceſſariis ad victum, in planiciem montis Periardi (vulgo Chielder vocatur) progreſſus eſt, vbi luſtrare exercitum, & copias recenſere decreuit: edicens vt cuncti ita ſeſe ad pugnam inſtruant, ac ſi iam iam in hoſtem proficiſcendum eſſet; iſque inſtaret fortiter pugnando: quod ſequenti die ſummo mane effectum eſt. Acies igitur in hunc modum ordinata fuit, primum 500. tormenta minora fuerunt præmiſſa, quæ lati valli inſtar diſpoſita erant. Hæc ſequebantur tres turmæ Ianizarorum, proximum locum Sinan cum ſuis occupauit: poſt eum vniuerſus exercitus in duas alas latiſſimas diuiſus, in acie ſtabat; alicubi pedites cum equitibus; alibi ſclopetarii cum iis, qui lanceis & armis pugnabant, immixti erant. Sequebantur exercitum reliqua magis neceſſaria impedimenta in vſum militum conducta, quæ ingens camelorum, equorum, ac iumentorum numerus vehebat. Tandem duo Baſſæ cum 8000. militum, exercitus terga obtinebant. Hunc in modum copiis diſpoſitis, paucos quoſdam Turcas emiſit, qui è locis ſublimioribus proſpicerent, & hoſtium ingruentium ſpeciem efficerent: quibus conſpectis, omnia tormenta exploſit, iuſſitq; ad velitationes ſe accingere milites, & tales omnino ſeſe gerere, ac ſi cum hoſte manus conferendæ eſſent. Subito audire erat tempeſtatem ingentem bombardarum, emiſſa iacula & arundines Indicæ, ſagittæq; nubis denſiſſimæ inſtar hinc inde velitabant; coruſcabant paſſim gladii, galeæ atq; thoraces; tympanorum & tubarum clangor vndiq; perſonabat, eoq; ſpectaculo omnium animi ad pugnam accendebantur. Hæc luſtratio tertia vice reiterata & toties repetita, riſum exercitui mouit, & Ducem contemnendi ac ludibrio habendi, quod rebus ludicris operam dare videbatur, anſam præbuit. Hiſce apparatibus finitis, tantum abfuit, vt Ecbatanam verſus proficiſceretur Sinan, quin potius per octo dies in illa planicie ſubſtitit: quibus durantibus Aider Aga, Perſarum legatus, ad ipſum peruenit, magnoq; cum gaudio ex-

dio exceptus, varia in medium attulit, quæ ad pacem firmandam facere videbantur, & a Maxutchano prius quoque propoſita erant; quorum tandem fuit concluſio, quod Mahometes rex Charſa & Tefli vltro ceſſurus eſſet; & priſtinam amicitiam inter vtroſque renouari deſideret. Rogare ſe, vt Sinan his de rebus diligenter cum Amurathe tractare, & certi quid tandem conſtituere velit; ſibi iniunctum eſſe quantocyus in Perſiam redire. Sedulo quæ rogarat legatus, ſe effecturum Sinan pollicebatur, ea tamen conditione, vt mox alium legatum cum plena poteſtate agendi Conſtantinopolim Mahametes mittat. Vbi ad Mahametem Aider Baſſa rediit, quæ viderat, quæ audiuerat, quid illi à Sinano Baſſa promiſſum fuerat, ordine recenſuit, regemque hortatus eſt, vt alium legatum breui ad Sinanum atque Amurathem mitteret, futurum vt incepta pacis tractatio procederet. Cum Sinan ſparſum de regis aduentu rumorem falſum comperiſſet, relicta Ecbatana, Charſam & loca amica repetiit, vbi turpi ocio deſidens, per menſem moratus eſt, omnium ſane cum admiratione, militum quoque ſummo tædio, atque indignatione, quod neque ad prælia conſueta, neque ac acquirendas hoſtium ditiones, aut militares expeditiones; ſed potius ad tempus ocio conſumendum, & adludos agendos conducti fuiſſent, maximo cum Imperatoris damno, & totius regni detrimento & perturbatione. Hyeme inſtante, cum paſſim glacie atque niue omnia congelata albeſcerent, & militibus vis frigoris haud exigua incommoda afferret, Charſa diſceſſit, & prope Haſſan-Chalaſſi feſtum ſolenne, & vſitatum celebrauit: Tandem cum omnibus copiis Erzirum rediit, ibique milites ſuam quemque domum dimiſit.

Subſtitit Erziri Sinan & per Capigilarchecaiaſum atq; Volachos ſeu veredarios duos, quid tota expeditione geſtũ ſit, de præſidio Teflin perducto, de damnis ab hoſtibus exercitui illatis, tum quæ Muſtaffa contra rei veritatem commentus fuerat; De Perſarum legationibus, de omnibus denique, quæ ab ipſius diſceſſu euenerant, certiorem Amurathem fecit: ad Perſiæ regnum acquirendum, & bello ſuperandum tempus diuturnum, maioresque belli apparatus, quam hactenus facti fuiſſent, requiri, clare oſtendit: quod ſi plane ipſi conſtitutum ſit, Perſiam ſuo Imperio addere, neceſſarium fore, vt præſens cum ipſo accuratius de omnibus conferat, & de plurimis, quæ adhuc lateant, eum edoceat, quæ literis tuto committi, vel ſcriptis abſque maximo tædio explicari nequeant: aliquoties igitur Conſtantinopolim adeundi veniam ſibi dari petiit. Nec quicquam aliud maiori cura atque diligentia quæſiuit, quam vt bellum hoc Perſicum componeret & arma in Europam transferret. Igitur hoc in primis ſuadendo vrgebat, vt Perſarum legatus, ſi quis denuo mitteretur, benigne exciperetur, & cum eo pacis conditiones honeſtæ & fructuoſæ inirentur, vel ſi conueniri inter partes non poſſit, ex conſilio quod daturus eſſet, bellum in poſterum geratur. Aduenit tandem Ebrainchan, Mahametis regis legatus, propter eloquentiam & autoritatem, qua pollebat, Perſis pleriſque charus; cuius aduentum Amurathi Sinan Baſſa ſubito ſignificauit: cum quo Conſtantinopolim proficiſciiuſſus eſt, prius tamen, quam ad iter ſe accingeret, nouum præſidium Teflin clam miſit, oportunum ſane, licet anni tempus contrarium bello gerendo videretur. In aulam vbi peruenit, officium primi Viſirii auſpicatus eſt, & grauiſſima totius Imperii negocia tractare cœpit: ad regis colloquium admiſſus de conditionibus pacis, quæ Perſis præponendæ erant, aliis rebus ſepoſitis, præcipue egit, legatus poſtea ipſe introductus, magnificeque exceptus, oratione grauiſſima Amurathi perſuadere conatus eſt, regem Codabandam ardenti deſiderio pacem ac quietem flagitare, & vires ſuas cum Turcis coniungere velle, eaq; de cauſa ſe in primis miſſum eſſe: quod ſi eadem ſit Turcici Imperatoris ſententia atque voluntas, ſe non dubitaturum, quin amicitia firmiſſima, & mutua inter Perſas atque Turcas ſtabiliri atque ſanciri poſſit. Ad eius verba Amurathes nihil reſpondit, tantum ad Viſirium ipſum remittens, cum quo de pace

agere debeat. Conſtituit nunc Amurathes, Mahametem filium natu maximum Conſtantinopoli accerſere eumque de more gentis barbaræ circumcidere: hoc feſtum ſolenne vt magnificentius perageretur, Chriſtiani orbis Principes per nuncios admonuit, vt legatorum ſuorum præſentia illud honeſtare velint. Ex plurimis igitur Europæ imperiis, Principum legati Conſtantinopolim aduolarunt. Munera ac dona quilibet opima & magnifica in ſignum pacis ac fœderationis adferebant. Venetorum nomine legatione functus eſt Iacobus Sorantius, qui regi & cunctis aulicis gratiſſimus fuit, amicitiam & fœdus mutuum renouauit. Eſt Conſtantinopoli forum vel area maxima Turcis At Maidan dicitur: in eo circumquaque podia in ſubſelliorum formam conſtructa erant, quibus inſidebant ſpectatores, qui ad ſpectacula, quæ edebantur videnda, conuenerant. Amurathes cum coniuge in palatio quodam aulæis regio more ornatum, latebat, quod aſſeribus perforatis ita conſtructum erat, vt nulli conſpicuus eſſet, ipſe tamen omnia videret: legatis ſubſellia pro ipſorum Principum dignitate parata erant, & inter hos etiam Perſiæ legato, non eodem tamen modo omnes fuerunt habiti. Nam reliqui legati maximo & digno honore afficiebantur, ſolus Perſa ludibrio ac riſui omniũ erat expoſitus. Variæ ipſi iniuriæ illatæ, & in ipſius ignominiam Idola quædam, Perſico habitu veſtita, ac perſonata pedibus ſuſpenſa, ac poſtquam aliquandiu deriſa à multitudine fuerant, igne fuerunt combuſta. Hæc in contemptum Perſicæ nationis iuſſu Amurathis patata erant, qui indigniſſimo in Ebrainchanum legatum ferebatur animo, quod nollet pacis conditiones à Turcis propoſitas ratas habere, & minus, quam Maxutchan & Aider Aga concedere vellet. Non amplius igitur pro legato, ſed pro exploratore habitus, qui expiſcari, & percontari res Turcarum, quam pacem inter reges firmare mallet, Erzirum firmo præſidio in carcerem fuit abductus, donec quid amplius de ipſo ſtatuere Amurathi placeat. Sinan tamen ſupremi Viſirii officio fungebatur, & quæ ad ſtatum totius imperii ſpectabant, primus ordinabat, ſed quo ſucceſſu, infra à nobis dicetur. Præſidiariis qui Teſlin & Charſam defendebant, frumenti atque aliarum rerum ad ſuſtentandam vitam pertinentiũ, neceſſario ſubſidium aliquod mittẽdum erat, quod ſi diutius differretur, manifeſtum erat periculum, ne hoſti ſe dedere cogerentur. Nam, quod Sinan initio Veris, antequam Conſtantinopolim proficiſceretur, eo clam miſerat, perexiguum erat, nec milites eo contenti per totum annum vitam tolerare poterant. Opus igitur erat in ſequentem annum, quo Sinan domi permãſit, de victu ac munitionibus ipſis proſpicere, nec ſe offerebat amplius commoditas clam eo præſidium mittendi, qua prius Sinan vſus fuerat. Hæc cum ita Sinan ſe habere nouiſſet, Amurathi auctor fuit, vt exercitum ad Mantianam paludem, quæ Van dicitur, mitteret, ne Perſæ iis locis damnum inferrent, tum etiam præſidiariis Teſlienſibus ſub Ducis cuiuſdam experti auſpiciis, nouum præſidium ſummitteret. Quæ de hoc conſilio Amurathis ſententia eſſet, Sinano Baſſæ declarauit, iuſſitque vt Ducem quẽdam ad deducendum præſidium idoneum nominaret, quorum ille plurimos propoſuit, nulli tamen munus illud Amurathes committere voluit: & reliquis omnibus Mahametem Baſſam, Muſtaffæ ex fratre nepotem prætulit; quem cum Sinan odiſſet; minime aptum ad eam prouinciam iudicauit: Imperator tamen, etiam inuito illo, cuius conſilium parui ducere videbatur, munus illud Mahameti commiſit; eumque Baſſam Erzirenſem (remoto ab officio Reſuas Baſſa) ac ducem præſidii, quod Teſlin mittendum erat, creauit: mandatumque fuit Haſſano Eunucho, Amidæ Baſſæ, & Muſtaffæ (qui prius Georgianus Manucchiar nominatus fuerat) & reliquis Curdorum Sangiacchis ac Erzirenſibus ſubditis, vt ſubito conuenirent, & Mahametis Imperium Teſlin verſus ſequeẽrtur. Ex his locis circiter 25000. militum conuenerunt, & collectæ fruges, atque alia neceſſaria, quibus Teſlienſibus ſuccurrendum erat. Alapiæ ac Maroniæ Baſſis imperatum, vt collectis copiis ad Martianam paludem ſe conferrent, ibique, donec hyems ingruat, commorentur. Illi huic mandato obſecuti, nulla omnino ab hoſtibus moleſtia fuerunt affecti. Contrarium ſucceſſum habuit Mahame-

tis

tis expeditio: continuis enim periculis,& variis diſcriminibus inuolutus, copiis ipſius attenuatis, damna innumera & grauiſſima accepit; Nec quicquam proſpere & ex animi ſententia perficere potuit. Is ſub finem Auguſti Erziro diſceſſit, cum Amidæ baſſa, & Curdorum Sangiacchis, frumenti & munitionum copiã, ac pecuniæ vim magnam ſecum deportans, & intra octiduum Charſam attigit; atq; inde Archelech citra moleſtiam peruenit: ibi Muſtaffa, Georgianæ viduæ filius, ei ſe coniunxit, cum copiis, quæ ipſi parebant. Excuſabat tarditatem, quod, vt debuiſſet, Erziri non comparuiſſet, eumq; deduxiſſet. Mahametes amice illũ & humane excepit, veſte, enſe, & clypeo auro inſignito honorauit: hortatusque eſt, vt in obedientia, quam iuraſſet Amurathi, perſeueraret: In primis vero, vt per viam maxime compendioſam, & quæ minimis pateret periculis ac inſidiis, exercitum Teſlin verſus duceret. Quorundam enim ſententiam eſſe, verſus Tomanis exercitũ ducendum eſſe, aliorũ vero, per ditionẽ ipſius Georgiani proficiſcendum. Ad hæc ille prolixe ſane reſpondit, docens, breuiſſimam & maxime tutam viã per ſuam regionẽ patere. Igitur dux itineris electus, eum verſus Teſlin ſecutus eſt Mahamet Baſſa cum vniuerſis copiis: quæ vbi Altunchalam & Carachalã Georgiani iuriſdictioni ſubiecta oppida ſuperarunt, ad Gori caſtrũ peruenerunt, quod non ita pridẽ ad fratrem quendam Giuſuf iſtius, qui ad Turcas tranſiuerat, pertinuerat, illo tamen morte ſublato, ad ipſum Giuſuf tanquã proximũ hæredẽ delatũ, atq; adeo Turcarũ imperio ſubiectum fuit. Hinc in proximis campis maximas copias, & inſtructiſſimũ exercitum Georgianorum atq; Perſarum, iiſdem veſtibus & armis indutũ, cõſpexerunt. Miſerat enim Perſarũ rex, qui Tauris ſubſtiterat, quoſdam ex ſupra nominatis Ducib. vt Georgianis opem ferrent, qui per Gengẽ & Grin itinere directo, clam cum Simone Chan ſe coniunxerant, veſtitũ Gerorgianorũm mentiti, ne, ſi ex habitu, qui eſſent, agnoſcerentur, de ruptis induciis (quæ durabant interim dum de pace tranſigeretur) accuſari poſſent. Nec Amurathes vlterius quid tentabat, quam vt loca bello capta nouo præſidio muniret. Hi igitur Duces vbi primum Turcas intuiti ſunt, & ſe quoque ab illis conſpectos animaduerterunt, confeſtim ſuos feciales ad ipſos miſerunt, verbis iniurioſis & atrocibus ad pugnam eos prouocantes, parum grati fuerunt Mahameti nuncii illi, vt qui non pugnandi, ſed præſidiũ Teſlin deducendi animo eo venerat. Igitur fecialibus à ſe dimiſſis, quam potuit cõmodiſſime pugnæ periculum declinare ſtuduit. Eo veſpere peropportune ortæ fuerunt largiſſimæ & continuæ pluuiæ, quæ morã & timorem ipſius aliquo modo, tanquã legitimũ impedimentũ excuſare poterãt: verũ poſterus dies clarus atq; trãquillus illuxit, & Georgiani atq; Perſiani Duces animo, conſtanria & fortitudine firmato, Turcarũ exercitui appropinquabãt, vbi in conſpectũ venerũt mutuũ pars vtraq; ſubſtitit, nec tentatũ fuit quicquã ad quartã vſq; horã meridianam: tũc forte ad fluuiũ, qui vtrumq; exercitũ ſeparabat, Turcæ peruenerunt. Hic Mahemetes cum Georgiano Muſtaffa cõſultabat, vtrũ ante noctẽ fluuius vado trãſeũdus eſſet, an expectandus dies poſterus? Ille in hanc potius, quã in illã ſententiam inclinabat, nec diſcedendũ illinc ſuadebat: verebatur enim, ne in tranſitu copiæ diſiungerẽtur, & vltra fluuiũ exercitus tã ſubito in aciẽ collocari non poſſet. Quod ſi in tanta confuſione hoſtes initium pugnæ facerent, euidens periculũ atq; damnũ maximũ incurri dicebat. Sed Mahameti Baſſæ conſilium hoc ſuſpectũ erat. Non enim fidebat Georgiano: quẽ clam cum hoſtibus conſpiraſſe, eumq; ob finem, ſe per hanc potius viam, quã per alteram, quæ Tomanis verſus tẽdit, in inſidias hoſtiũ ſtudio atq; conſulto ab ipſo perductũ fuiſſe, certo ſibi perſuadebat. Inſidias igitur, quas ſibi ſtructas rebatur, eludere atq; euadere cogitans, imperauit, vt omnes copiæ, quam poſſint celerrime, cum frumento & reliquis munirionib. fluuium tranſeant, quo antequam aduesperaſceret vltra fluuiũ conſtituti, caſtra in loco quodam tuto metari, atq; adeo hoſtiũ inſidias eludere poſſent. Primus huic mandato paruit Mahametis vicarius, quem Checaia vocant, iuuenis audax & intrepidus: hunc ſequebãtur, qui ærarium & frumenta ducebant, tandem vniuerſus exercitus maxima celeritate tranſiit, perierunt nonnulli in ea confuſione,

Camelorum atque equorum potius pedibus obtriti, quam profunditate aluei, vel rapacitate fluuii ſubmerſi. Vbi Turcas fluuium ſuperaſſe Georgiani cognouerunt, nō ſibi expectandum diutius rati, donec in aciem ordines collocent, celerrimo igitur & vehementiſſimo impetu atque furore eos adorti ſunt, nec minus viriliter ſub initium eos Turcæ exceperunt, & tam cruenta pugna fuit commiſſa, vt exiguo temporis ſpacio ripę fluuii pluribus in locis ſanguine manarint: plurimi vndique Turcæ, ſed pauci ex Georgianis cadebant, aliquot Sangiachi, Curdi, ac Meſopotamii interfecti fuerunt, quorum exemplo moti ſocii eorum, qui manifeſte videbant internecione ſeſe deletos iri, niſi maiori fortitudine hoſtibus reſiſterent, fugere ac terga dare cœperunt: eos ſecuti ſunt Amidenſes (vulgo Caraemit) & vniuerſus tandem exercitus. Iam antea Georgiani euentum pugnæ perſpexerant, ideoque lata ala à tergo hoſtes aggrediebantur, ac ne euaderent, in fluuium eos propellere, atque omnem effugiendi occaſionem per campos illis eripere, cogitabant. Fugientes illi euidens vitæ periculum pugnando incurrebant, plurimi igitur in fluuium ſeſe præcipites dederunt, quorum alii in tutum delati, alii vndarum vi rapti miſere perierunt. Hunc in modum maxima cum ignominia, & damno immenſo cæſus eſt Turcarum exercitus, omniſq; theſaurus & frumenta ac cuncta impedimenta in prædam Georgianis ac Perſis ceſſere. Poſtero die Turcæ, qui è pugna euaſerunt, ſeſe recollegerunt, & ira atque ignominia pleni, cœlum, regem ſuum, ac fortunam aduerſam incuſabant; Cauſam vero tantæ calamitatis vno ore in Georgianū Muſtaffam transferebant, quod ſolus conſpiratione ſua cum hoſtibus autor tantorum malorum extitiſſet. Reſtabat ipſis tantum pecuniæ, quantum ad præſidiarios reſocillādos, qui Tefli, vndique fere ab hoſtibus obſeſſi, excubabant, ſufficere poterat: eo igitur ſibi properandum rati, tanta celeritate viam ingreſſi ſunt, vt non abſque maxima moleſtia, ſequenti die circa veſperam co peruenerint, vbi Turcicū exercitum, quem tanto cum deſiderio præſidiarii diutiſſime expectarant, tam male affectum & lacerum conſpexerunt, obſtupefacti, coram Mahemete palam proteſtati ſunt, ſe diutius in defenſione eius loci perſiſtere non poſſe, niſi omnium rerum neceſſariarum prouiſio legitima, & conſueta illis ſubminiſtretur: tumultus ille in tantum excreuit inter præſidiarios, vt eius fama in Italiam quoque aduolarit, & receptam à Georgianis Teflin, ſparſum fuerit: vanum tamen rumorem illum fuiſſe, euentus docuit. Primum hunc tumultum Mahametes donis ac pollicitationibus ſedauit. Die vero ſequenti concilium omnium belli ducum conuocauit, ad quod Sangiacchi, Baſſæ, Zaini, Spahini, atque Ianizari maximo numero conuenerunt; ad quos in hæc verba locutus eſt: Siquidem ita viſum fuit ſuperis, vt occaſio victoriæ tam ſplendida & optata, quæ ad illuſtrandum vnumquemque noſtrum facere potuiſſet, tam tragicum exitum haberet, vt non modo nos ipſi triumphos conſuetos de hoſte agere non potuerimus, ſed contra de nobis hoſtes victoriam deportarent, armiſq; noſtris, equis, mancipiis & ſpoliis poriri, & quod plurimum me angit, ipſe theſaurus regis noſtri, cum reliquis belli munitionibus nobis ſolenniter concreditis, in prædam illis ceſſerit, honos etiam fortitudinis, quo noſtrorum quilibet inter præclaros milites eminere quiuiſſet, nobis ereptus, & ad hoſtes noſtros maximo noſtro cum dedecore ac detrimento delatus ſit; Huc tamen cum peruenerimus ad milites ſtrenuos & fortiſſimos, qui multis ſuis laboribus, & virtute inuicta hoc propugnaculum vndiquaque hoſtilibus inſidiis & armis cinctum defenderunt, ſartumque & tectum conſeruarunt: Eos auxilio debito & præſidio, quod vnuſquiſque ipſorum iam animo concepit, reficere conuenit, cuius rei cura nobis ab Amurathe cōmiſſa fuit. Ante omnia igitur neceſſarium videtur, vt rationem & modum aliquem ineamus, quo militibus hiſce ſuccurramus, præſidio tamdiu ab illis expectato, & fortiter promerito, ne vlterius indignationem atque iram regis noſtri contra nos incitemus, & illi in defendendo propugnaculo perſiſtant. Non equidem cladis noſtræ excuſationem adducere poſſumus, quod hoſtes vel machinarum vel copiarum numero ſuperiores nobis extiterint; vtroque enim eos longe vicimus; nec dicere poſſumus

mus tempore nocturno, vel ex improuiſo eos nos aggreſſos fuiſſe; ſiquidem clare & numerũ militum, & equorũ, & arma conſpeximus; vidimus eos ad nos properantes, & pugnæ ineundæ rationem animaduertimus. His omnibus optime perceptis fluuium infauſto omine tranſimus; ſed maxima noſtra cum clade ac detrimento, idq; potiſſimum, quod ad fugam, quam ad pugnam paratiores fuimus, & plantis quam manibus vincere maluimus. Iuſtum igitur eſt, & ipſa æquitas, & belli, ac militaris diſciplina hoc à nobis flagitat, ne patiamur, vt Imperator noſter detrimentum ex amiſſione huius pecuniæ, quam in noſtras manus conſignauit, capiat, maxime vero cum neque vi maiori, neq; fraude hoſtium, ſed noſtra culpa, & nimis importuno timore, & vitæ cõſeruandæ ſtudio, illa nobis ablata atque erepta fuerit; cum tamen potius fuiſſet, fortiter in hoſtem eundo, mortis adire periculum, quam ignominioſa fuga honoris iacturam facere. Quod ſi viriliter pugnando intrepide hoſtiles impetus ſuſtinuiſſemus, & ab illis multo nobis potentioribus, damnum hoc accepiſſemus, vt ſic ſaltem aliquo honeſto prætextu coram rege noſtro & toto mundo factũ noſtrũ, tanquã cruenta pugna fracti, palliare poſſemus: Nôn opus foret, de modis reſtituẽdæ pecuniæ vi nobis ereptę conſiliũ inire, & præſidiarii iſti facilius cõmune hoc damnum, & calamitatem perpeterentur. Iam vero nos pecuniæ iſtã vim perdidimus, ac ſi vltro inter Perſas ac Georgianos eã diſtribuiſſemus, vt ſaluti noſtræ cõſuleremus, & furorẽ, hoſtium declinaremus. Igitur obligati ſumus Imperatori noſtro eã reſtituere cuius nomine omni tẽpore ab ipſo cõueniri, & repetundarũ damnari poſſumus. Igitur vos, ô amici atq; ſocii, rogatos volo, vt poſthabitis longiorib. conſultationib. priuata veſtra æraria & marſupia (niſi forſitã & illa incõſiderate hoſti rapaci vltro proieciſtis) cõcurratis, & ꝓpria pecunia his neceſſitatib. ſubueniatis, vt honori regis noſtri conſulamus, ac fugam hanc honeſto quodã prætextu cooperiamus, &, quod præcipuum eſt, iram atq; indignationem Imperatoris iure contra nos conceptam leniamus. Vobis ego exemplo præibo, paratusq; ſum 4000. Ducatorum in medium conferre, vos cuncti veſtigiis meis inſiſtite, veſtraq; liberalitate communem cauſſam iuuate, vt innumeris periculis atq; perturbationib. liberemur.

Vbi dicendi finem fecit, variæ Ducum, qui in concilio præſto erant, ſententiæ ex ipſorum vultibus adparebant: hic tacite ſecum iniurias atq; conuicia in regem Mahametem ac Deum ipſum congerebat; ille palam negabat, ſe quicquam contributurum; clam alius fugam meditabatur; & ſic diuerſa à diuerſis parabantur remedia, vt pecuniarum iacturam euitarent. Sed tandem tamen omnes exemplo & voluntati Mahemetis obedire, & quantum quilibet poſſet, in medium conferre coacti ſunt, collectaq; fuerunt 3000. ducatorum. Tum etiam ad Leuentolium perſcriptum, vt frumenti, veruecũ & aliarum rerũ neceſſariarum, quantũ poſſet obſeſſis pręſidio mitteret. Per biduũ ſubſtitit Mahemetes Teſli, & ſubſtitutis aliis præſidiariis in eorũ, qui inde trãſferri volebãt locũ, Homare etiã Baſſa, duce eorum, in vicem iſtius Giuſuf, qui prius ibidẽ imperarat, creato, diſcedere cogitauit, incertus tamen quam viam ingrederetur, num eam quæ Tomanis ducit, an vero alteram per Georgiani Muſtaffæ regionem: priorem tandem arripere ſtatuit, iuſſitq; ordines fluuium trãſire. Sangiacchi Curdi primi vadare fluuium cæperunt. Iamq; ad alteram ripam delati erant cum Mahemetes ſententiam mutauit, eoſq; redire iuſſit, ꝙ per Altunchalam & Carachalam proficiſci cõſtituiſſet. Illi iã antea ſtrage ſociorũ, ob quam ad exiguum numerũ redacti erant, tum etiam pecuniæ amiſſione offenſi, renunciarunt Mahemeti, ſe iam pridem haud pœnitendos feciſſe militiæ progreſſus, ſeq; rebus arduis nõ puerilibus præfici velle, mutationes haſce tam crebras, puerorum ludos potius, quam virorum fortium conſilia præſeferre, ſibi plane cõſtitutum eſſe in incepto itinere, quocunq; ſane id fiat ſucceſſu, pergere. Mahemetes hac inobedientia haud parum motus, vehemẽter rogare inſtitit, vt mutarent conſilium, ſed fruſtra, vnde prius ipſo Mahomete Charſam attigerunt. Ille vero cum Amidæ ſeu Caraemit, & Altunchalæ Baſſis alteram viam qua prius tanta fuerat affectus clade, ingreſſus, tandem Altunchalam peruenit.

Dixi, Muſtaffam Georgianum apud cunctos fere in ſuſpicionem veniſſe, quaſi ipſius fraude & dolo clades tanta Turcis a Georgianis illata fuiſſet: inſtigabant Mahametem plurimi Baſſæ, vt ſupplicium de eo, quem proditionis accuſabant, ſumeret; ipſe quoq; Mahemetes eo inclinabat, ſperans inde occaſionem ſe nacturũ; rei male geſtæ cauſam in Muſtaffam conferendi, cuius cõſiliis malignis & fraudulentis in tantum diſcrimẽ exercitus ad ductus fuiſſet, quo honeſto prętextu fugam excuſare apud Amurathem poſſet. Dolo igitur illũ è medio tollere conſtituit; & ne tumultus inde oriretur, concilium in tentorium ſuum conuocauit, ibiq; decretum quoddam Conſtantinopoli allatum ſe promulgaturum finxit: ordinauit tamen, vt Muſtaffam interitũ lectioni decreti, Checaia ſeu vicarius ipſius, aliiq; ad id conſtituti, à tergo adorirentur, eiq; caput amputarent. Conuenerũt in eo concilio apud Mahemetẽ Amidę Baſſã, cũ aliquot Sangiacchis Erzirenſi iuriſdictioni ſubditis, tum etiam Capigi Baſſa, & vicarius Mahametis; qui omnes iuramento ad inferendam mortem Georgiano, quem vocare iuſſerant, ſeſe adſtrinxerunt. Ille à quibuſdam, qui iam dudum ob humanitatem ipſum colebant, de fraude hac certior factus, & indicia eius rei quędam ab ipſo ſtatim pugnæ infauſtæ die præſenſerat. Non igitur dubitabat concilium hoc in ſuam perniciem conuocatum eſſe: vnde & ſuæ ſaluti conſulere, & vitæ periculum, quod incumbebat, declinare ſtatuit, quin ad concilium iret vocatus, recuſare non poterat, ne abſentia & contumacia magis ſuſpectum ipſum redderet facinoris, cuius (fortaſſe non iniuria) accuſabatur, vnde pœnæ loco Turcæ ipſi ditionem atque vrbes, quas poſſidebat, adimere poterant. Igitur comparere in concilio, & inſidias ſtructas cum Mahametis pernicie euitare decreuit. Nam 50. fidiſſimorum ſuorum ſatellitum elegit, eiſq; indicauit, ſe in concilium, quod habebatur in Mahemetis tentorio, ſequerētur, atq; ibi prompti & attenti expectarent id, quod facto opus foret, vbi ſe vociferantem audirent, tum ſubito omnes cum gladiis in tentorium illud penetrent, ſeq; contra omnem vim Turcarum, ſi forte inferretur, tuerentur; nec cuiquam mortalium parcerent, aut perſonę reſpectum haberẽt. Milites hi natura Turcis erant infenſiſſimi, & lubẽtiſſime Muſtaffæ parebãt, reque cum aliis ſuis intimis communicata, Ducem ſuum ad concilium ſequebantur. Quò vbi peruenit, ſtans Mahemetem rogauit, quid ſibi imperare vellet, qui ſubito fictum decretum promulgari iuſſit, cui attente ille auſcultauit, finita lectione, cum Sangiacchi atque Baſſæ ordine aſſediſſent (habent enim Turcæ in more poſitum, vt ſemper ſtando, nunquam ſedendo Imperatoris decreta auſcultent) Georgianus diſcedendi veniam petiit, reſpondens ſe & huic, & omnibus aliis, licet arduis ac difficilibus Amurathis decretis obedientiſſimum fore. Cũ iam iam exiturus eſſet, Capigi Baſſa appropinquãs manica ipſum prehendit, iubens illum ſedere: quod ille ſentiẽs fortiter clamauit; ſimulq; gladium diſtrinxit, & Checaiam Mahemetis, qui primus illi occurrebat, petiit, ſiniſtra manu capitis tegumentum, turbantem vocant, ei deiecit, dextra vero maxima agilitate & vi, vulnus illi eiuſmodi inflixit, vt caput, & collũ, & pectus in duas partes ſecarit, humeriq; in diuerſa latera penderent ad ſtomachum vſque diuiſi, ita vt ſine mora animam horrendo ſpectaculo exhalaret. Secundo ictu Eunuchum Baſſam ferire cogitabat, ſed obſtabat conſuetum capitis tegmentum, cuius partem, perſtricta etiam maxilla, ei abſcidit. Tandem furore & vindictæ cupidine percitus in ipſum Mahemetem, qui obſtupefactus hoc tumultu, iam ſurrexerat, impetum vehementiſſimũ fecit, & quinque vulnera lethalia ipſi inflixit: quorum duo præ reliquis periculoſiora fuerunt, & licet tunc à medicis curata fuerint, tandem tamen cauſa mortis ipſius extiterunt. Ad Georgiani clamorem omnes eius milites accurrerunt; cumque indies confuſio in exercitu creſceret, & Muſtaffa fremens adhuc ira, haud leuem timorem omnibus incuſſiſſet, ad abitum conclamatum fuit, indeque omnes maxima celeritate Charſam properarunt: quo etiam duo illi vulnerati Baſſæ, & alii, non melius habiti, delati fuerunt. Muſtaffa ſine vlla mora, quid geſtum, quantæ ipſi ſtructæ inſidiæ, quam iniuſte & nullo ſuo merito in tantam ſuſpicionem adductus fuiſſet, Amurathi per nuncios

cios

cios ſignificauit, cauſamque ſuam tam probe fuco & fraude ornauit, vt Imperator optime ſibi ab illo ſatisfactum crederet, ac veſtes & clauam deauratam in beneuolentiæ ſignum dono miſerit. Nec minus Mahemetes de Muſtaffæ perfidia atque fraude apud ipſum conqueſtus, in odium eum adducere ſtuduit; tum quam difficile iter hoc eſſet, & quem expeditio ſucceſſum habuiſſet, ei perſcripſit. Vbi Amurathes cognouit, quantas calamitates eius milites perpeſſi, quod ærarium amiſſum, & extrema ignominia exercitus affectus eſſet, tum etiam quod Teflienſe propugnaculum in maximo diſcrimine, ac periculo verſaretur; totus exanguis & æſtuans ira Baſſas ad concilium vocauit; Qui vbi conuenerunt, verbis iniurioſis & grauiſſimis eorum peruerſa conſilia incuſauit, damna & mala quæ inde ſecuta recenſens, quaſi ipſorum culpa contigiſſent. Atrocius tamen in Sinanum, qui primum occupabat locum, quam in reliquos ferebatur, quod ipſe ſolus cauſa tantorum malorum extitiſſet, quoniam imprudēter exercitum deſeruiſſet, quo Conſtantinopoli tanquam alter Imperator regnaret, rebusq; præeſſet, otioſus interim caſus aduerſos aliorum intueretur. His auditis Sinan non potuit ſibi temperare, quo minus irato regi reſponderet: neque modeſtiam orationi ſuæ (vt par erat) adhibuit, ſed arroganter ipſi contradixit: ſe nimirū anno præcedenti (qui quintus fuit huius belli) antequā Conſtantinopolim repeteret, tanta induſtria præſidiū pecuniæ & frumenti Teflin miſiſſe, & vt eo tuto deferretur procuraſſe: Idque tam caute, vt pauci è ſubditis, multo vero minus hoſtes ea de re quicquam pernouerint. Neque ea de cauſſa nouum à Turcis exercitum conſcriptum, neque hoſtes quicquam contra iſtam ſuam prouiſionem machinatos eſſe. Eiuſmodi euentum hanc quoque expeditionem habituram fuiſſe, ſi ſanis ac ſalutaribus ſuis conſiliis obtemperauiſſent; ſe toties illi diſſuaſiſſe, ne Mahemetē Baſſam Imperatorem belli crearet, qui minime ſit idoneus ad tā graue munus, quod alios viros rerum experientia, & fortitudine præditos requirat, & maxime quidē hoc tempore difficilimo & periculoſiſſimo: Cum igitur contra ſuam voluntatem res ceciderit, cauſam malorum Imperator ſibi ſuisque conſiliis imputaret. De ipſius verſus Conſtantinopolim profectione ſic ſtatuendum, ſemper eam neceſſariam fuiſſe iudicatam, tum vt conſilium de pacis tractatione inſtituenda explicaret, tum vt ſi pax optata ex voto ſancire non poſſet, ipſe regi exponeret, qua ratione hoſtis commodiſſime, & facilime vincendus, & expugnandus foret; hactenus tamen occaſione, ea aperiendi deſtitutum fuiſſe; paratum tamen illa referre, quando placitum fuerit. Amurathi moleſtiſſima fuit hæc Sinani Baſſæ oratio. Indignum enim ratus eſt, quod mancipium imprudentiæ ac temeritatis ipſum accuſaret ac damnaret: diſſimulabat tamen conceptum animo odium atque indignationem, ac ſcire cupiebat arcanum illud de hoſte vincendo conſilium, quod ex templo ſibi explicari volebat. Reliqui Baſſæ conticuerant omnes, & tacite cum rege, temeritatem & audaciam Sinani Baſſæ damnabant. Ille multa, quæ ad rem facere putabat, in medium attulit, quæ in duo capita fere redigi poſſunt. Primū dicebat, ſe nūquam ſuadere poſſe, vt in incepta belligerandi ratione pergatur, & conſtructis paſſim in hoſtico propugnaculis, hoſtis ditio occupetur, ſe initio cum de bello mouendo conſultatio habita fuiſſet, clare demonſtraſſe, fieri non poſſe, vt frumenti, pecuniæ, aliarumque rerum neceſſariarum tanta copia congeratur, quæ præſidiariis vndiquaque alendis ſufficere poſſit: Nunc manifeſte apparere quantum mortuus Muſtaffa errarit, qui huius tam periculoſæ & difficilis belli gerendi rationis auctor extitiſſet. Secundo loco modum belli gerendi, qui ipſi videbatur commodiſſimus, propoſuit, hunc nimirum in eo conſiſtere, vt Imperator ipſe bello præſit, vel ad minimum Conſtantinopoli migret, & per duas ſaltem æſtates, vel Amidæ vel Alapię, vel denique Amaſiæ commorari velit, ac tum omnino de victoria certum eum eſſe poſſe. Perſas enim quam primum fama de ipſius profectione ad eos peruentura ſit, ſtatim ad quaſuis pacis conditiones iniquas deſcenſuros, vel ſi bellum continuarent, victoriam haud fore difficilem. Hæc ſecreta illa fuerunt Sinani Baſſæ conſilia, quæ tamen euentum alium non habuerunt, quam quod

magis magiſque Amurathes alieno & infenſo animo contra ipſum eſſe cœpit. Accedebant ſuſpiciones haud leues, quas mulieres quædam Amurathi continuo inſtillabant, quod de compoſito Imperatori conſuleret Conſtantinopoli vt diſcederet; non quod frugi quid inde futurum ſperaret, ſed vt primogenito filio occaſionem præberet, paternum occupandi regnum, & patrem inde expellendi. Creuerunt indies hæ ſuſpiciones, quod Amurathi nunciatum erat, quanta beneuolentia Mahometes filius primogenitus, Sinanum Baſſam proſequeretur. Hunc igitur ſubito omni honore exuit, eumque Damoticam iuxta Adrianopolin relegauit: Inde tamen paulo poſt Marmaram vrbem Thraciæ maritimam, non procul à Solymbria ſitam diſcedere ipſi ex ſingulari fauore conceſſum eſt, vbi adhuc moratur. In primi Viſirii officio ipſi ſubſtitutus eſt Sciaus Baſſa Imperatoris gener natione Vngarus, vir humanitate, & ſingulari iudicio præditus, ambitioſus tamen, ſibique plurimum tribuens, qui pacem cũ Chriſtianis Principibus continuare (ſecus quam Sinan fecerat) ſemper laborauit. Interim Perſarum duces prouincias ſuas repetierunt, & per celeres nuncios de victoria parta regem Codabandam certiorem fecerunt. Et hæc quidem Anno 1580. 1581. & parte anni 1582. euenerunt.

LIBRI SEXTI

ARGVMENTVM.

REx Codabanda bellum filio Abæ Miriza, Ariæ proregi, inferre cogitat. Emirchan promittit regi, ſe limites regni à Turcarum impetu defenſurum. Præfectus in Saſuar capite plectitur. Rex quomodo filium Abam viuum comprehendat, ſecum deliberat. Abæ literæ ad patrem, cum quo in gratiam redit. Salmas accuſatur, & capite luit. Rex cum primogenito Arſaciam redit. Feratus Baſſa Imperator exercitus Turcici electus. Reſtaurat Aggiachalam & Reiuan. Tocomac iniurias à Turcis illatas vindicare ſtudet. Feratus Charſan peruenit. Sangiacchum Curdum capite mulctat. Manucchiar Georgianus interficit Chiaus, & Capigiſiue nuncios Amurathis, & commeatum cum Simone cognato ſuo diuidit. Haſſan ſubſidio venit Teſlienſibus. Feratus Erzirum proficiſcitur, & exercitum exauctorat. Rex Codabanda Ecbatanam cum maximo exercitu peruenit. Feratus copias Charſa colligit, Lory petit, Anguſtias Tomanis ſuperat, Syluam ſuccidi curat. Dautchan ad Turcas tranſit. Simon aggreditur Reſuan Baſſam, ſub eo equus confoditur, & ipſe miraculoſe maximum periculum euadit. Tomanis ab Haſſano defenſa. Fames graſſatur in exercitu Ferati Baſſæ, cui milites dira minantur: Cliſcam proficiſcitur, eamque munire conſtituit, qua de cauſſa Reſuan male à militibus tractatur, qui ipſi etiam Ferato denuo minantur, quẽ tum Amurathes, Caramania Baſſa, è periculo eripit, vnde tumultus in exercitu ortus, Feratus militum voluntati obſecundare cogitur eoſque Erzirum reducit. Alyculichan fuga euadit. Rex Codabanda copias dimittit. Emirchano capto iuſſu regis oculi effodiuntur, vnde miſere in carcere obit, ob eius mortem Turcomanni tumultuantur. Amurathes Oſmano Baſſæ plurimum fidit. Sciaus ſcribit Tartaro, de Oſmani Baſſæ aduentu Conſtantinopolim, qui cum 4000. militum eo proficiſcitur, 12000. Tartaris ipſum aggrediuntur hoſtiliter, quos vincit, eorumque regem occidit, fratre ipſius in regno ſubſtituto. Caffa diſcedit, & Conſtantinopolim triremibus defertur, in Sciaus Baſſæ locum primus Viſirius creatur, & Ferato Baſſæ in primi ducis officio ſubſtituitur. Conſtantinopoli diſcedit: Erzirum venit, maiorem exercitum colligit, quam hactenus in bellum hoc miſſus fuerat, præter Aegypti & Damaſci copias, quæ ipſum non comitantur.

Vbi victores illi Perſæ domum fuerunt delati, hoſtium ſpoliis ac præda opima onuſti, paſſim cum ingenti gaudio à cunctis fuerunt excepti: rumor quoque de Mahemetis Baſſæ & Muſtaffæ Georgiani contentione diuulgatus lætitiam priorem auxit, vnde quilibet ſpem meliorem concepit, fore vt Turcæ ad pacem ineundam tandem inuiti compellantur; quod ſi illa minus commode iniri poſſit, futurum tamen ſperabant, vt impedimentum aliquod mutationes illæ Turcis adferant, quo minus ex voto vlterius progredi, & longinquioribus regni vrbibus damnum afferre poſſint. De his facile inde coniecturam capere poterant, tum quod Muſtaffa Georgianus enormi iniuria Mahemetem Baſſam affeciſſet, tum quod in ipſius Muſtaffæ & Simonis ditione plurima loca ſtruendis inſidiis opportuniſſima, vnde hoſtibus maximum damnum inferri poterat, paſſim eſſent obuia. Hac ſpe cum paſcerentur ex Georgia nunciatur, Sinanum Baſſam primi Viſiri officio ſpoliatum, & in ipſius locum alium belli Imperatorem ad continuandum bellum promotum iri. Minime gratus Perſis hic nuncius fuit, ſciebant enim Sinanum Baſſam plurimum ad pacem inclinare, & à bello diuturno hoc, & longe lateque diſperſo prorſus abhorrere. In primis verò grauiter offenſi fuerunt, cum intellexere, pacis tractationem interruptam, & totam Perſarum gentem variis modis Conſtantinopoli ludibrio habitam, & illuſam, ipſumque legatum captum Erzirum deductum fuiſſe: à ſpe tamen prius animo conceptа, nihil remittebant, fore ſcilicet, vt Turcæ ab occupatione Ecbatanæ, & Naſuonæ eo anno impediantur. Quod ſi tamen nouus belli dux cum exercitu in Georgiam mittatur, illum vltra Teflin non progreſſurum, & vindicandæ iniuriæ à Manuchiare acceptæ operam daturum, in eumque finem Manuchiarem fœdus atque affinitatem cum Simone, ducta eius ſorore in matrimonium, contraxiſſe, vt arma & vires coniungerent, atque alter alterius patrocinium defenſionemque in ſe reciperet, cum amborum cauſſa communis agatur, & contiguas regiones poſſideant, vnde facile impediri poſſe confidebant, ne præſidium Teflienſibus in poſterum ſummitteretur. Hanc occaſionem rex Codabanda ſibi peropportunam ratus, vt filii Abanmirizæ contumaciam caſtigaret, totus ad illud bellum cogitationes ſuas, & cõſilia direxit, vrgebat hoc in primis Emirhamza-Miriza, filius natu maximus, inſtigatus à ſocero Mirizà Salma, primo Viſirio, cui nihil æque curæ erat, quam vt Mirizam perderet, his vt gratum faceret rex Codabanda, & bello, quod à Turcis imminebat, proſpiceret, Emirchanum Ecbatanæ præfectum ad ſe vocauit, animique ſui conſilium ei aperuit, dicens ſibi in Ariam proficiſci conſtitutum eſſe, interim tamen ita rebus ſuis ſe proſpecturum, ne quid damni vrbibus, quæ proxime furori Turcico expoſitæ erant, inferatur, in primis vero firma præſidia ſub ducibus ad bellum idoneis ſe vndiquaque diſponere decreuiſſe, qui geſtorum rationem ipſi reddere queant: ſi quod minime ſperet, Turcæ eo penetrare auſint, Emangulichanum defendendæ Atropatiæ curam in ſe ſuſcepiſſe, qui ad anguſtias Alexandriæ Oſmano Baſſæ ſe oppoſiturus ſit, ne denuo eam prouinciam deuaſtet: ſe alium quoq; virum præſtantiſſimum elegiſſe, qui firmiter ipſi promiſerit, nunquam ſe commiſſurum, vt Turcæ regionem Tauris, Naſſiuan, Reiuan & aliis vrbibus contiguam diripiant, ſed valida manu illis obſtiturum. Hoc cum ita ſit, ſe ipſum vltro ab onere regendæ Ecbatanæ liberare, atque in eius locum alium ſubſtituturum, qui ſponte ſe ad eam defendendam obtuliſſet. Quod ſi ille munus hoc in ſe recipere velit, ſe poſthabito priori ipſum in eo confirmaturum, & ducem vniuerſalem contra Turcas declaraturum. Incertus hærebat Emirchanus, quæ in dubio hoc rerum ſtatu conſilia iniret, ſciebat plurimos ſe æmulos habiturum, qui audacter quæuis regi oblaturi eſſent, vt ipſum opprimerent, & dignitate priuarent: Præterea etiam ſecum cogitabat, quanta cum difficultate, in ea quæ rex petebat, aſſentiri poſſet, ob inuictam Turcarum potentiam: cui tantum aberat, vt ſe opponeret, vt illi reſiſtere cum tenuibus ſuis copiolis, & exiguo belli adparatu poſſe diffideret. Denique etiam ipſe ſpe communi deceptus, quod non crederet, Turcas, dum rex in Ariæ expeditione occupatus eſſet, vltra Georgiam &

Teſlin progreſſuros: Regi audacter ſpopondit, ſe toto illo tempore, quo Ariæ bellum rex illaturus ſit hoſtes ab ingreſſu prouinciarum, ſuæ fidei commiſſarum prohibiturum, easque intactas à violentia hoſtili conſeruaturum. Quod ſi forte quis hoſtilium ducum vi perrumpere conatus ſit, ſe omnes vires atque potentias ſuas illis oppoſiturum: Tureomannos etiam & cæteros ſuos amicos & confœderatos in auxilium ſe vocaturum, vt valido exercitu, ipſis occurrere, & iniurias illatas vindicare valeat. Diſceſſit igitur rex Mahametes verſus Arſaciam cum 20000. militum, relictiſque ad ſiniſtram prouincia Geilan, & mari Caſpio; ad dextram vero Siras, Gaſſan, & plus vltra verſus dictum mare Maſſandran, Sarutz, Pangiazar, & Culbat, ad viam, quæ Techanan ducit, Imamadulaſis, Cur, Sembran, Beſtan, & Dagman vrbibus, tandem Saſuar attigit, quæ prima Ariç regno ſubiecta eſt. Eius præfectus portas clauſerat, & vigilias, atque cuſtodias vndiquaque diligentiſſime diſpoſuerat, ea intentione, vt regem aliquandiu ibi detineret, donec primus iræ impetus tranſiret, & ipſe ab omni crimine ſe purgaret: ſed non habuerunt ipſius conſilia, æquiſſima licet, proſperum ſucceſſum. Verebatur enim Miriza Salmas, ne grauiores tumultus excitarentur, ſi forte diutius eius vrbis occupatio protraheretur: Ideoq; oppugnationes maturabat, funibus, ſcalis, trabibus aliisque machinis milites ad ſuperandos muros hortabatur, tantumque perfecit, vt exiguò tempore vrbs capta, & portæ regi apertæ fuerint, qui cum toto exercitu ſubito irrupit, neque occaſionem euadendi præfecto reliquit, qui captus ad regem adductus, capite truncatus fuit, mille licet & varias innocentiæ ſuæ cauſas allegaret, ac diuerſorum flagitiorum primum Viſirium reum ageret.

Diſceſſit rex vrbe Saſuar, & aſſumptis copiis vrbium Niſaur, Maſſiat, Turris, Turbat, Giem, Malan, & Coran, earum aliquot ducibus ac præfectis capita amputari iuſſit, qui ſcilicet à Salma Miriza accuſati fuerant, quod cum filio contra patrem conſpiraſſent. Tandem Ariam cum exercitu peruentum eſt, quæ natura loci fortiſſima, & muris validis circumdata eſt: foſſa illam ambit aqua viua repleta, quam per canales inſtaurator eius Tamerlanes eo deriuarat. Huius expugnatio difficilis & longa apparebat, in primis vero, quod fido præſidio plurimorum virorum fortiſſimorum, qui omnes inimico erga Mirizam Salmam animo affecti erant, cuſtodiretur. Nec quiſquam eorum erat, qui extrema quæque ad ſui & Principis ſui defenſionem non eſſet tentaturus. Vbi rex primum Ariam intuitus eſt, variæ cogitationes animum ipſius ſubiere, & variis affectibus raptus, nunc dolore percitus, nunc iterum ad miſericordiam mouebatur. Dolebat in primis, & proprium accuſabat fatum, quod talis ab ipſo prognatus eſſet filius, qui ſpreta dignitate parentis, quem omnibus ſuis viribus defendere, & hoſtibus eius ſeſe opponere debebat; paternis hoſtibus viam demonſtrare videretur, vrbes ac ditiones illius inuadendi & occupandi: & ipſe filius patrem, à quo in lucem editus, & ad tantam dignitatem euectus fuiſſet, è medio tollere cogitaret. Deplorabat ſubditorum ſuorum vicem, quorum durantibus hiſce motibus plurimi cruenta morte interierant, quibus in futurum parcere in primis conſtituerat: ſed inſtitit primus Viſirius, vt in propoſito ſuo pergeret, & quid filius animi ferret, inueſtigaret, eumque ſi qua ratione poſſet, in ſuam poteſtatem redigeret. Diximus natura atque arte munitam eſſe Ariam, nec facilem eius expugnationem vel exigui temporis futuram, quod Abas Miriza conſiderans, interim literis ſollicitare animum patris & fratris voluit: ſuppliciter rogans, vt qua de cauſa bello ipſum peterent, ſignificare vellent. Quod ſi terminos imperii prolatandi deſiderio, eum, qui filius & frater eſſet, honore ac dignitate legitime poſſeſſa, & ab ipſo patre ei procurata, priuare cogitent, merito hanc opinionem animo expellere debeant: Se enim iam antea facultates omnes, & vitam propriam in ipſorum obſequio impendere paratum eſſe: regem Mahemetem ſe & pro patre, & pro ſuo rege agnoſcere: è re ipſius potius fore, vt in vicinos Indos ac Bactrianos arma conuertat, quod cum totius Perſiæ commodo, & maximo

regis

regis honore fieri poſſet. Sin delictum aliquod vel contra Maieſtatem regiam, vel honorem parentis à ſe commiſſum, vindicatum, caſtigatumq; veniſſent; non recuſare ſe quamuis cenſuram: ſe regno, atque adeo toto mundo, & propria vita in ipſorum gratiam decedere promptum eſſe, quo ipſorum animi acquieſcere poſſint. Hæ litterę adeo humiles ac ſubmiſſæ cũ ſæpius lectione iteratæ fuiſſent, amborum animos ita permulſerunt, & ad miſericordiam flexerunt, vt rem omnẽ amice componere, & iuuenem ad frugem reducere potius quam multo ſanguine & ruina ſubditorum bellum continuare ſtatuerent. Reſcriptum igitur Abæ Mirizæ fuit, immodico Imperii deſiderio regem & principem nequaquã inductos, tam lõginquum iter ſuſcepiſſe, tãtumq; ſanguinis humani profudiſſe: Quinimo priuſquam regno ipſum priuent, ſeſe paratos eſſe, nouis honoribus & donis ipſum honorare: ſolam ipſius inobedientiam tantorum motuum cauſſam eſſe, quod nimirum regem totius Perſiæ ſe vocare auſus ſit, & ne vnicum quidem hominem in auxilium patri contra Turcas miſerit: Hanc cauſſam eſſe ipſorum aduentus. Dignum igitur, vt hoſce nefarios ipſius conatus, & contumaciam reprimant, vt æqualis inter omnes ſubditos regni Perſici obſequium erga regem, tum etiam inter ipſos pax, ac tranquillitas conſeruetur. Vbi ex his literis Abas patris ac fratris querelas intellexit, animo fuit confirmatus, ſperans ſe clare ipſis oſtenſurum, quam peruerſe de rebus omnibus apud eos delatus fuiſſet. Continuo igitur reſcripſit: quod ſi vterque ſancte illi promittere velit, legatos, quos ad ipſos miſſurus eſſet, ſacroſanctos futuros, nec morte vel vlla alia iniuria affectos iri, ſe ipſis manifeſte declaraturum, quam male edocti, & quam inique talia crimina ſibi affingantur, quæ nunquam ſibi in mentem veniſſent; ſed contrarium ſe ſemper ſtuduiſſe & feciſſe: quin & eiuſmodi res illis ſe aperturum, vt ipſorum aduentus magis alterius, quam ſua cauſſa, in maximum totius Imperii Perſici commodum cedere debeat. Promiſerunt ambo, quæ Abas petierat, & deſiderium illos haud mediocre tenebat, nouitates illas, quarum ſpem illis fecerat, cognoſcendi, ſolenniterque iurarunt ſe legatos amice recepturos, & tractaturos.

Miſit ergo duos è præcipuis ſuis conſiliariis, ætate ac prudentia graues & conſpicuos, eiſque in mandatis dedit, quæ regi & fratri ſignificarent. Qui vbi ad regem peruenerunt, multis verbis innocentiam ſui principis docuerunt; denique etiam de more gentis conceptis verbis iurarunt, per creatorem, qui aerem diſtendit, terram ſuper abyſſos fundauit, cœlum ſtellis ornauit, aquam diffudit & ignem, & qui tandem ex nihilo omnia produxit, per caput Magiſtri ſui Aly, per legem Prophetæ Mahometis, per liberos, coniuges atque animas ſuas, nunquam tam peruerſa conſilia Abæ Mirizæ in mentem veniſſe: multa teſtimonia & probationes adducebant, quod omni tempore, in primis vero cum ad regnum euectus, & prælia cum Turcis committenda eſſent, filius ad Deum preces pro patris ſalute ac proſperitate, publice concipi iuſſiſſet, nec illi quicquam magis gratum fuiſſet, quam lætos belli euentus, & proſperum ſucceſſum audire: infinita decreta & literas regias in medium proferebant, quæ Abas ad Præfectos ſui regni, tum ob priuatas cauſſas, tum ob negocia publica ſcripſerat, in quibus nunquam Perſiæ regem ſe vocat, ſed tantum: Veſter rex & gubernator Ariæ ſubſcripſit. Rogare ſe regem, vt quam diligentiſſime in omnes actiones ipſorum Principis inquirat, etſi vel vmbra ſaltem, vel indicium minimum tantæ malignitatis, cuius accuſatus fuerat, appareret, ipſum & regno & libertate exuat; ſe pro ipſo obſidum loco futuros. Quod ſi ea, quæ Abæ Mirizæ imputentur, falſa eſſe comperiantur, & ille nullius criminis reus argui poſſit: Rogare ſe ſupplices (inclinati terram oſculantes de more ſuo) ne imperfectum hoc negocium relinquat, quod in præiudicium ſanguinis regii inceptum & ſtructum fuerat, ſed vt oculis in primum Viſirium conuerſis, diligentius inquirat, quæ cauſſa ipſum mouerit, quod autor tam difficilis, & periculoſi belli extiterit. Facile enim appariturum, ipſum maligno, auaro, & impio animo hæc conſuluiſſe, & dignum eſſe,

qui ſanguine luat, tot hominum ipſius de cauſſa occiſorum, cædes indigniſſimas. Vnicus ſupererat ſcrupulus, quem Salmas diligentius & ſæpius Regi inculcarat, nimirum Abam Mirizam, præfectis ſuæ regionis edixiſſe, ne contra Turcas in bellum proficiſcerentur, vel auxiliares copias mitterent. Hæc ita ſe habere, legati non negant, ſed ob alium finem, quam ad regem Salmas retulerat, ab Aba Miriza facta fuiſſe: Iſtis enim temporibus paſſim rumores de Tartarorum (qui vulgò leſſelbas dicuntur) excurſionibus ſparſos, quod videlicet oppida, arces, & campos Ariæ ſubiectos deprædarentur, vnde metus & Abæ Mirizæ, & conſiliariis omnib. eiuſmodi incuſſus fuerit, vt ciuitates præſidiis nudare minime ſint auſi: ea ſola & non alia de cauſſa Præfectis imperatum, ne contra Turcas in bellum proficiſcerentur, ſed domi accincti ſtarent, donec ad limites ab excurſionib. Tartarorum defendendos vocentur. Hæc omnia ad Viſirium tunc temporis perſcripta fuiſſe, ipſum vero malitioſe reticuiſſe, eo conſilio, vt durantibus hiſce motibus hac occaſione Abam Mirizam in vitæ diſcrimen adduceret: quo ſublato, regnum vniuerſum ad ipſius generum Emirhamzam deferatur, cuius loco ipſe tanquam moderator, & conſiliorum rector, totius regni habenas tractare, & pro ſuo libitu illud regere poſſit. Hæc vere à ſe dici manifeſte ſe probaturos pollicentur, non equidem, quod Emirhamzam tam nefariorum conſiliorum conſcium crederent: quem optime norint, parentis imitari pietatem, odia ac diſſenſiones inter cognatos deteſtari, a ſanguine vero ac cæde ſubditorum totum abhorrere, ſed tantum vt ſcelerati illius proditoris machinationes & conſilia peruerſiſſima innoteſcant. Hæc legatorum oratio varias in Regum animis cogitationes excitauit, Mahametes pater, qui natura credulus & inconſtans erat, diligentius rem totam, & quæ illi tam vehementer petierant ac contenderant, perpendere cæpit, petitiones illorum haud iniquas ratus; omnium igitur vrbium Ariæ regno ſubiectarum gubernatores, iudices, & theſaurarios conuocandos curauit, & ex illis quæſiuit: quo in loco & gradu dignitatis Abam Mirizam haberent, & quo loco ipſe Abas ab illis haberi cuperet? omnes vno ore & conſenſu reſponderunt, ſe principem ſuum non aliter, quam pro vicario regis Perſiæ agnoſcere, neq; ipſum vnquam pro alio, quam pro regis vicario ſe geſſiſſe: quod multis decretis & literis ad ſe perſcriptis teſtatum fecerunt, in quibus nunquam alio, quam Ariæ regis titulo vſus erat.

Quæſiti etiam de Tartarorum excurſionibus; reſponderunt, omnia ea contigiſſe, quæ legati antea dixerant, maximaque damna toti illi prouinciæ excurſionibus & deprædationibus hoſtium illata fuiſſe. Hæc vbi rex intellexit, nihil quicquam amplius de filii, quem rebellionis & contumaciæ Salmas accuſarat, innocentia dubitauit. Etſi vero cauſſam iuſtam rex haberet, ob tam graue delictũ in Viſirium animaduertendi, cuius ſolius ſuaſu & hortatu tot præclariſſimi Duces vita perempti fuerant, nihilo minus tamen exactius querelas à legatis filii propoſitas cognoſcere, & inueſtigare voluit, vt iuſto metu penitus liberaretur, veritus, ne forte primogenitus Emirhamza cum Viſirio in mortem ipſius conſpiraret. Clam igitur filium Emirhamzam ad ſe vocauit, rogauitque amice, qua de cauſſa ipſi toties bellum Abæ Mirizæ ſuo filio, & ipſius fratri germano inferendum conſuluiſſet, quem nunc ab omni crimine vacuum, & innoxium comperiiſſet? Reſpondit Princeps, nihil aliud de rebus à fratre geſtis ſibi conſtare, quam quæ ex ſocero Salma cognouiſſet, cui tanquam ſocero & primo Viſirio, & regni conſeruatori, & qui in omnibus aliis rebus verax, & fidelis repertus fuiſſet, merito de omnibus, quæ indies ad ſe retulerit, fidem habuiſſet. Omnis igitur tempeſtas in Viſirium recidit, de quo cum Rex aulicorum, & exercitus iudicium exquireret, res nunquam antea ſperatas, & nouas plane comperit. Nemo enim omnium fuit, qui ipſum non accuſaret ſeditionis, crudelitatis, iniuſticiæ, & tyrannidis, & grauiſſimorum criminum reum ageret; vnde legatorũ Arienſium querelæ ratæ habitæ fuerunt, quod penes ipſum ſteterit, quo minus Regi demonſtratæ fuerint cauſſæ, ob quas Ariæ præfecti in bellũ proficiſci nequiuerint. Iratus igitur rex, quod autor tot præclariſſimorũ belli ducũ interitus ſolus Salmas fuiſſet, ſe quo-

ſe quoq; ſuis conſiliis nefariis eo incitarit, vt de filio indignis ſane modis è medio tollendo conſilium inietit, omnem indignationem & iram contra filium falſo accuſatum conceptam in Viſirium coniecit, eumq; capitis pœna affici curauit: filium vero, de cuius innocentia iam liquido conſtabat, in antiquum amoris & gratiæ locum reſtituit. Emirhamza quoque, vbi ſoceri malitiam manifeſte cognouit, non indigne tulit, iuſtiſſimas pœnas eum exſoluiſſe. Fratres autem vbi inuicem in gratiam redierunt, & filius patri reconciliatus, deq; ipſius obedientia plane certus fuit; Mahemetes Rex cum primogenito Emirhamza Arſaciam repetiit, vbi multæ difficultates per abſentiam eius ortæ, ipſum exceperunt. Amurathes quotidie magis Sinani Baſſæ atrocia verba, & infauſtas prædictiones animo voluebat: quas vt eluderet, conſtituit bellum perſequi. Sed de belli Duce, cui tam graue onus committeret, deliberans, tandem Oſman Baſſa à nonnullis fuit propoſitus. Verum eo tempore ex Atropatia illum reuocare noluit, quod feliciter iis in locis bellum gereret, maiores in poſterum ſucceſſus ſperans. Erat tunc in aula Ferat Baſſa, homo ætate rebus agendis matura, & ſingulari animi ferocia atq; audacia præditus, & ab opinione ſemel concepta raro, aut nunquam decedere ſolebat. Is in omnibus ſubitaneis & inopinatis caſibus imperterrito erat animo, & quod primum ac præcipuum, fideliſſime Regi ſuo ſeruire ſolebat. Ob has virtutes Amurathi iam notus, generalis belli Ducis officium ei concredere ſtatuit: vocatumq; ad ſe de multis conſiliis arcanis certiorem fecit; & ad rem ſtrenue gerendam hortatus, totius belli imperium ei commiſit. Feratus libenter hoc munus, arduum licet & difficilimum, in ſe recepit, & non parum ſe à Rege præ aliis honoratum ducebat; pollicitus ſe omnes animi & ingenii vires neruoſque adhibiturum, vt Regis voluntati ac decretis obediat, nullaq; vnquam occaſio rei bene gerendæ è manibus elabatur. Initio quidem hoc illi iniunctum erat, vt viam, quæ Teſlin ducit, tutam redderet, Georgiam ſubigeret, & ditionem Muſtaffæ Georgiani, qui maxima temeritate exercitum Turcicum eiusq; Imperatorem innumeris malis affecerat, ferro, flammisq; popularetur. Poſtea tamen Amurathes à Maxutchan (qui Sophianorum partes deſeruerat) & finitimis ſuis Baſſis certior factus, Perſarum Regem vel iam diſceſſiſſe, vel breui Ariam verſus diſceſſurum, & bellum filio Proregi illaturum eſſe: ſententiam priorem mutauit, iuſſitq; eum Reiuan verſus (in ditione Tocomac ſitam) proficiſci, vrbem munire, ac in propugnaculi formam redigere; atq; iter, quod inde Charſam deducit, tutiſſimum reddere, vt inſidiæ hactenus à Tocomac ſtructæ, in poſterum euitari poſſint, damna illata vindicarentur, & via, qua Ecbatanam itur, aperiatur. Regis quoq; conſilium eo directum erat, vt indignationem atq; iram, in Muſtaffam Georgianum iure propter delicta commiſſa conceptam diſſimularet, eique ſuaderet, vt ſtipatus mancipiis propriis præſidium Teſlin duceret, idq; in eum finem, vt ſi hæc via ſemper tuta & aperta Turcis maneret, in ſequentem annum expeditio contra Ecbatanam ſuſcipi poſſet. Valde probauit Regis conſilium Feratus, & ad omnia promptum paratumq; ſe demonſtrauit. Iamq; anni tempus ad bellum ipſum prouocabat. Igitur ſub initium anni 1583. in omnes Turcici Imperii vrbes regia mandata emanarunt, vt quantum poſſint copiarum ad hoc bellum Perſicum conſcriberent, & vocati à Duce belli, vbi ipſi videretur quantocyus ſeſe ſiſtetent. Subito huius edicti fama per omnes Imperii prouincias volauit: peruenerunt nuncii Tripolim Syriæ vrbem, Damaſcum, Alapiam, Iudæam, ac Palæſtinam, Meſopotamiam, Babyloniam, Balſaram, Sebaſtopolim, Maroniam, Bithyniam, Cappadociam, Ciliciam, Armeniam, ad omnes Sangiacchos Curdos, ad confinia Conſtantinopolis, Vngariam, Græciam, atq; adeo ad omnes reliquas ditiones, quæ Turcas in bellum ſequi conſueuerunt: quæ vbi Imperatoris mandatum perceperunt, Duces & milites ſine mora conſcripſerunt. Ipſe tandem belli Imperator Conſtantinopoli diſceſſit, & per Chalcedonem, Amaſiam ac Sebaſtopolim, Erzirum peruenit, vbi omnes copias collegit, foſſores & fabros conduxit: pecunias, frumenta, & reliquas munitiones ad bellum neceſſarias, congeſſit, ducto ſecum conſueto machinarum numero, omniaq; ad futu-

ram expeditionem ſpectantia, ſumma diligentia procurauit. Vbi poſtea tempus expeditioni opportunum aduenit, Erziro diſceſſit, & octauo die Charſam attigit: Indeque Reiuan verſus profectus, duce itineris Maxutchano vtens. Triduo antequam Reiuan attigit, collapſam quandam arcem Aggia-Chalaſi nomine reſtaurauit, præſidium centum militum ei impoſuit, & machinis quibuſdam bellicis muniit: Inde ſuſceptum iter verſus Reiuan proſecutus eſt. Hæc vrbs ad montem ſita, cuius ſummitas altiſſima, perpetuis niuibus albeſcit: ad huius radices campi ſunt frumenti feraciſſimi, & alendis gregibus maxime opportuni, variis riuulis irrigui, qui ex ſummo monte deſcendunt, in Araxen poſtea ſeſe exonerantes. Ecbatana octo vel ad ſummum nouem dierum itinere diſtat: quo ſpacio interpoſitæ ſunt Naſſiuan, Chiulfal, Marant, & Soffian vrbes paſſim viridariis conſpicuæ, & ſitu amœniſſimæ: ſeparantur tamen inuicem montibus aſperrimis, quorum aditus & militibus & peregrinantibus difficilimi & moleſtiſſimi ſunt. Verſus plagam Septentrionalem Teflis eſt: ad Auſtrum Caldarani campi; & vlterius verſus Tropicum Capricorni, Van ſita eſt cum Martiana palude. In hac igitur vrbe Feratus Baſſa cum toto exercitu ſubſtitit, & conuocato concilio reliquorum Baſſarum, de loco conſtruendi propugnaculi cum illis deliberauit: omnes in ea opinione fuerunt, vt ædes atque hortos Tocomaci illius occuparet, eumque locum foſſa, mœnibus, ac machinis bellicis muniret. In medio vero, tanquam in centro caſtellum eminens conſtruendum iudicabant, vnde tanquam ex ſpecula campi & montes vicini luſtrari poſſint: eoque firmo præſidio & tormentis bellicis munito, exitium minetur, quicunque appropinquare auſit. Hæc conſtruendi propugnaculi ratio, vbi omnibus æque probata fuit, ſubito incepta, & in foſſam fluuiolus, qui ex monte deſcendens, non procul inde in Araxen editur, deriuatus fuit: decimo quinto tandem die finis huic ædificio fuit impoſitus.

Tocomac nihil vnquam grauius tulit, quam quod vrbe patria, & Principatus ſui Metropoli ſe exutum vidit, & tanto acerbior illi caſus hic videbatur, quod ex improuiſo contigiſſet. Namque vbi primum Feratum Baſſam ſuæ ditioni appropinquare audiuit, vrbem cum omnibus, qui ad militiam apti videbantur, egreſſus eſt, imbellem plebem victori in prædam relinquens. Neque vnquam deſtitit de vindicta conſilia inire: Regem qui in Aria (vulgo Corazan dicitur) morabatur, de periculi magnitudine certiorem fecit. Emirchanum quoque, qui Ecbatanam regebat, & Simonem Georgianum de auxiliis interpellauit. Ipſe & ruſticos & oppidanos, & quicunque ſeſe obtulerunt, ad bellum idoneos collegit, vt iuſtum exercitum conſcriberet, quo cladem aliquam Turcis inferre poſſet: ſed nulla ex parte auxilia comparuerunt: Georgiani inhiabant præſidio, quod Teflin deducendum erat, vt ſuo loco dicemus. Ecbatana nullus plane ipſi ſubſidio veniebat, vel quod Emirchan noluerit, vel non potuerit inde diſcedere, vel clam cum Ferato conſpirarit, ne illum in ædificio hoc conſtruendo impediret: Deſtitutus igitur omni auxilio cum ſuis copiolis varias hoſtibus inſidias ſtruxit, eorum nunc 100. modo 150. & plures minusve, prout occaſio ſeſe obtulit, interfecit, oſtendens quanta vindictæ cupiditate animus ipſius æſtuaret. Inprimis vero contra Emirchanum ſummopere erat exacerbatus, quod in ipſius defenſionem ne ſemel quidem gladium ſtrinxiſſet, Turcisq; prædatoribus ſeſe oppoſuiſſet, oblitus promiſſionis toties Regi iteratæ. Eius malitiam Regi, qui in Aria ſubſiſtebat, literis acerbiſſimis per celeres nuncios miſſis aperuit, coitionis cum Ferato initæ ipſum accuſans, omnemq; iram, ob perditam vrbem chariſſimam, conceptam, in ipſum deriuauit. Tandem nouum hoc propugnaculum Feratus belli Imperator Sinano Baſſæ commiſit: Cuius pater Cicala celebris fuit, Tyrrheni maris pirata, miſere poſtea in carcerem detruſus. Sed filius (quem poſtea certo morbi genere Alapiæ, adhibitis medicamentis opportunis, liberauimus) corporis pulchritudine præſtabat, & ſpem maximam virtutis & fortitudinis omnibus faciebat. Latini nominis hoſtis erat infenſiſſimus, eoq; nomine Selimo Imperatori chariſſimus: vix primos iuuentutis an-

nos

nos egreſſus,ab illo Ianizarorum Aga creatus fuit: Inde ad præfecturas vrbium, & bellica officia promotus, maximos progreſſus fecit, vt tandem huius noui propugnaculi dux conſtitutus fuerit, eique adiunctus Oſſain Beius, celebris illius Giambulati filius, cuius ſupra quoque meminimus. Penes Cicalam tamen omne militare imperium erat, cui 8000. præſidiarii adiuncti fuerunt, quorum alii mancipia erant, alii ſponte militabant. Hi in cohortes diuiſi, conſtituto tempore ſtipendia ſua Erziri, Alapiæ, & aliis Syriæ vrbibus accipiebant, ne ſingulis annis nouum præſidium eo deduci neceſſe foret: & adhuc iis in locis ea quærũt.

Machinæ, quas ibi Feratus reliquit, artificioſe nouo muro impoſitæ, & omnia ad defenſionem apprime fuerunt parata. His ita conſtitutis, illinc diſceſſit, & per viã Aggiacalaſenſem decimo die Charſam rediit, vbi noui & inopinati motus excitati fuerunt: & ſtatim ad ipſum Sangiachus Curdus manibus ad tergum ligatis, adductus, & de rebellione accuſatus fuit; quem capite plecti iuſſit: quod crimen num vere ipſi intentatum, an aliam ob cauſam interfectus fuerit, affirmare nequeo. Sed interim dum ille morte afficitur, maior tumultus exortus eſt; vndiquaq; enim rumor increbuit, Georgianum Muſtaffam Turcarum partes deſeruiſſe, duos Capigios, & duos nuncios, quos Chiaus vocant, occidiſſe, 30000. ducatorum, quæ ab Imperatore ipſi miſſa fuerant, vt Teflin ad ſoluenda ſtipendia præſidiariis deferret, capta & ablata fuiſſe, ipſum propugnaculum in extremo diſcrimine verſari, niſi ſubito præſidium nouum deferatur. Ingenti fuit dolore affectus, vbi hæc intellexit Feratus, & de rei negotio certius edoceri cupiens, omnes eius nuncios conuocauit, vt, quid geſtum eſſet, ab ipſis pernoſceret. Dixerunt hi, Muſtaffam Georgianum 500. militibus ſtipatum, cum Capigiis & Chiaus ſeu nunciis Teflin verſus cum pecunia & frumento ad confirmandos præſidiarios profectum. Ei, cum vix medium iter abſoluiſſet, occurriſſe Simonem eius cognatum, illumq; multis & grauiſſimis verbis adhortatum fuiſſe, vt relicta impia & ſcelerata Turcarum ſuperſtitione, denuo verã & vnicam Chriſti fidem amplecti, & iniurias ab Amurathe modo acceptas vlciſci velit, qui pro infinitis laboribus in ipſius gratiam ſuſceptis, præmium pretioſius nunquam ei daturus ſit, quam infamem & duriſſimum carcerem, & tandem aliquando fraudulentam mortem. His verbis Muſtaffam motum, duos Capigios, & duos Chiaus comprehendi & interfici iuſſiſſe, & cum Simone præter mutuum conſanguinitatis vinculum, quo inuicem iuncti erant, arctiſſimum fœdus amicitiæ & ſocietatis iniiſſe, & diuiſa inter ſe pecunia, vnumquemq; ad ſolita inſidiarum loca ſe contuliſſe, vt ſi quis Teflin præſidium inferre conetur, ei ſeſe opponant. Feratus his intellectis prope in rabiem actus, grauiſſimo iuramento ſe adſtrinxit, Erzirum ſe non rediturum, niſi prius Muſtaffæ ditionem ferro flammaq; peruaſtauiſſet. Sed de præſidio Teflienſibus ferendo prima ipſum cura anxit. Elegit tandem ad hoc munus Haſſanum Baſſam, qui vltimo Muſtaffæ Baſſæ imperii militaris anno, eodem officio functus fuerat, & Alyculichanũ ceperat: huic 40000. ducatorum, & alias munitiones Teflin deferendas tradit: qui ſtipatus 15000. lectiſſimorum militum, intra decendium officio ſuo ſtrenue functus, ad reliquum exercitum redit: quo tempore varios Georgianorum inſultus perpeſſus: nunc decem, nunc plures ex ſuis amiſit: nunc muli, nunc equi ipſi ablati fuerũt, nihil tamen, quod narratione magnopere dignũ ſit, contigit. Poſtea Reſuan Baſſa cũ 6000. militũ Altunchalam, Carachalam, & ad reliqua Muſtaffæ oppida deuaſtanda miſſus fuit: qui citra morã toti illi regioni vaſtitatem extremam intulit, quocunq; perrexit, vſſit, diripuit, abſtulit, plurima mancipia ſecum abduxit, frumenti & pecudum copia eximia potitus eſt, neq; vllo in loco mitem & minus ſeuerum ſe præbuit, quam vbi materia crudelitatis & tyrannidis exercendæ deſtitutus fuit. Feratus iam cum exercitu Ardachan appulerat, cũ Reſuan Baſſa maxima onuſtus præda ad ipſum rediit: inde hyeme inſtante per viam, quæ Olti ducit, Erzirum rediit, vbi ſtatim copias dimiſit, Amurathem de rebus à ſe geſtis certiorem fecit, eiq; Haſſanum Baſſam commendauit, qui præmium virtutis ab Imperatore tulit, veſtem, clauam, & clypeum deauratum. Hæc anno à reparata

ſalute 1583. & ab incepto bello VII. geſta ſunt. Hyemem hanc tranſegit Feratus in Erzirum, vbi copias denuo ex omnibus Imperii vrbibus conſcripſit, vt ad ſequentem annum vocatæ præſto ſint: decimas etiam & tributa ſolito auxit: foſſores, architectos, & machinarum artifices maiori quam antea numero conduxit; iactans ſe Naſuanam (quam Naſſiuan vocant) aggreſſurum, vnde Perſæ varie perturbati fuerunt. Gratiſſima ipſis fuit coniunctio Simonis cum Muſtaffà inita (hunc Manucchiarem denuo adpellabimus nomine in baptiſmo ipſi indito) horum diligentia viam & anguſtias prope Tomanis cuſtoditas, & ipſorum defectum à Perſicis Ducibus ſuppletum iri ſperabant. Rex vbi Arſaciam rediit, de munita Reiuan, & nouis Turcarum apparatibus certior factus, vehementer timere cœpit, ne ſequenti anno vel Taurin, vel Naſuanam inuaderent, qua ex re maximum Imperio Perſico imminere periculum credebat, copias, quas ſub ſignis habuit, ſecum retinuit, & omnibus præfectis vrbium ſub capitis pœna edixit, vt ipſum ſequerentur. Nec multo poſt cum Feratus Erzirum peruenit, ipſe Ecbatanam appulit. Inſperatus ipſius aduentus omnium animos ſpe proſperorum ſucceſſuum confirmauit; & inde in Italiam rumor manauit, Perſam maximo exercitu, confligendi cum Turcis animo, Taurin perueniſſe, vnde Chriſtiani erecti plurimum ſperabant, Turcicam potentiam imminutam iri. Feratus admonitus à Maxutchan, antequam progrederetur vlterius, de his omnibus Amurathem certiorem fecit, ſe nimirum paratum eſſe Naſuanam petere, & ibi propugnaculum conſtruere: ſed exploratum ſe habere, Perſam Ecbatanam appuliſſe, & pugnæ cupidum certo ipſum aggreſſurum eſſe: non potuiſſe igitur omittere, quin conſilium ipſius rogaret. Reſcripſit Amurathes, vt hoc rerum ſtatu, omiſſis aliis rebus, viam verſus Tomanis & Lory ſecuram redderet, ne in ſequentem annum denuo ad præſidium eo deducendum nouus exercitus conſcribendus ſit, ſed paucæ cohortes ad id ſufficiant. Intellexit enim Amurathes, Teflin ex rebellione Manucchiaris, nunc grauioribus inſidiis expoſitam, & maioribus viribus defendendam eſſe. Diſſimulauit hoc conſilium Feratus, & magis quam antea rumorem de profectione ſua verſus Naſſiuan ſparſit, vt Perſas deciperet, & ſine moleſtia propugnacula, quæ ad anguſtias Cory & Tomanis conſtruere in animo habebat, perficere poſſet. Collectis igitur copiis omnibus & rebus ad bellum neceſſariis, Charſam diſceſſit; quo citra impedimentum per viam Haſſan-Chalaſenſem peruenit; manſitq; ibidem per decem dies, vt copias, annonam, atq; munitiones ordine diſponeret. Hinc Lory profectus, Haſſanum Baſſam cum 5000. lectiſſimis equitibus ad deuaſtandos agros præmiſit, iuſſitq; Tomanis vſq; perrumpere, & diligentiſſime ex captiuis de Georgianorum conſiliis & machinationibus inquirere. Ille impigre mandato Generalis paruit, omnem ditionem Lory, & Tomanis vicinam percurrit, ſyluas & anguſtias perluſtrauit, nunquam tamen virium experiundarum occaſionem nactus, tandem in paucos quoſdam Caſſachos (qui ſunt latrones viarum) incidit, quibus internecione deletis, & capitibus ipſorum lanceis infixis, verſus Lory rediit, vbi poſtridie Feratus cum vniuerſo exercitu appulit, cui obuiam profectus, ſucceſſum excurſionis ſuæ narrauit; in neminem ſe incidiſſe, à quo Georgianorum vel Perſarum conſilia explorare quiuiſſet, Caſſachos, quorum capita lanceis affixa cerneret, eorum plane inſcios & ignaros fuiſſe. Locus hic Simonis iuriſdictioni antea ſubiectus fuerat, quem arx defendebat, in monte eminenti ſita, profundiſſimis foſſis, & muro valido, qui milliare Italicum in circuitu habebat, cincta: Sed temporis iniuria eius pars quædam conciderat; Tefli bidui itinere diſtans. Hunc locum Feratus occupauit, murum collapſum reſtaurauit, ruinas reſarciuit, 8000. Præſidiarios, Sangiacchos, Ianizaros, Spahinos, Zainos, & alios impoſuit, ducem illis conſtituit Aly Græciæ Baſſam, muro minora tormenta 200. impoſuit, mandauitq; Aly Baſſæ, vt oblata occaſione Saitanchalaſi, locum decem milliaribus diſtantem muniret, & in formam propugnaculi redigeret, impoſito neceſſario præſidio militum & tormentorum. Quatriduum conſumpſit in itinere verſus Tomanis, quæ vnius diei ſpacio diſtabat, conſulto tam diu

in via

in via hærens, vt miles ocium haberet, regionem illam frumento, armentis, & fructibus opulentiſſimam deprædandi, atq; incolas ſuis prouentibus & reditibus defraudandi. Tomanis quondam præcipuum Simonis propugnaculum fuerat, & plerumq; ibidem habitare conſueuerat. Vbi vero bellum exarſit indies grauius, Georgianis viſum fuit illud ſolo æquare, ne, ſi in hoſtium poteſtatem veniret, toti regioni maximum damnum inde inferatur, cum incolę vſu tormentorum deſtituti, illud contra Turcas diu defendere non poſſint. Concilium habitum fuit de loco & modo propugnaculi conſtruendi, in quo tandem conuenit, non eundem, vbi prius fuerat, locum occupãdum, ſed alium ad anguſtiarum ingreſſum, quo facilius hæ defendi poſſint, cum Tomanis ad illarum defenſionem nimis ſit remota. Exercitus igitur per aliquot milliaria profectus, fauces illas attigit, & in ruinas caſtri cuiuſdam forte fortuna incidit, ibiq; pedem fixit. Locus ille denſiſſimis ſyluis cerrorum, pinorum, abietum, atq; aliarum arborum conſitus, quæ impedimenro erant, quo minus è ſpecula remotiora detegi & luſtrari poſſent, & tormentorũ vſum impediebant in profligandis hoſtibus. Edixit ergo Feratus, vt arbores illas & plãtas omnes ſucciderẽt, totumq; locũ cõlucarẽt: quo nemora iſta inſidiis non vltra opportuna eſſent, vel inſidiantib. receptaculũ præberẽt: exiguo tempore arbores conciſæ, & cãpus ille, prius obſcuriſſimus & opacus, clarior redditus, videbaturq; cõmodiſſimus ad ſtruendũ propugnaculũ, cuius fundamenta ad ruinas veteris illius caſtelli iacta, circuitus muri 1700. vlnas cõplexus, in medio arcis erecta altiſſima turris, in varias cõtignationes diuiſa, nouoq; muro 200. tormẽta impoſita fuerũt. Dũ reliqui ædificãdo ꝓpugnaculo occupãtur, plurimi omnis cõditionis milites pabulatũ & prædatũ excurrerãt, multiq; elapſi erant dies, ꝙ nullus eorũ redierat: id qua de cauſa fieret, cum omnes admirarentur, Feratus tandem Haſſanum Baſſam cum 8000. equitum ad luſtrandam regionem vicinam, & reducendos in tutum, qui peregre aberant, ablegauit. Qui non multum progreſſus, illos obuiam habuit, frumento, armentis, & opulentiſſima præda ditatos, vnde omnes mire fuerunt recreati. Teflin deinde præſidium erat mittendum, cuius rei prouinciam Generalis, Reſuan Natoliæ & Amidæ Baſſis delegauit, qui cum 20000. ſelectiſſimorum militum directa incedentes via, vno eo delati ſunt die: ſtipendiis atq; munitionibus inter præſidiarios diſtributis, ducem eorum mutarunt, Ballio in ipſius locum ſurrogato. Dum ibi moratur Reſuan, vltro illi cum tota familia ſeſe offert Dautchan, de quo ſupra memini, Simonis frater, ſe ſuosq; cũ omnibus facultatibus Amurathis protectioni cõmittens; in cuius obſequiũ & vires & facultates omnes impẽſurus eſſet, rogans, Imperatori ſe cõmendari: hũc enim in finẽ & ea ſpe ſe aduenisſe, vt illius opibus protegeretur, tranquillamq; vitã ageret. Reſuan amiciſſime ipſum excepit, ſpe ampliſſima ei facta, fore, vt ex voto illius omnia cedant. Interim Simon certior factus, Generalẽ Feratũ ad anguſtias Tomanis cũ exercitu conſediſſe, & Reſuanũ Baſſam ad ferendũ præſidiũ Teflienſib. miſiſſe. Hac de re venerunt ad ipſum fallaces quidã exploratores, qui nulla facta mẽtione 20000. militum, quos ſecũ habebat Reſuan, exiguis copiis verſus Teflin illũ profectũ eſſe adfirmauerũt. Hunc igitur aggrediendũ ſibi ſtatuit, & ſtipatus 4000. qui partim ipſum, partim Manucchiarem ſecuti fuerãt, ipſi occurrit. Metuebat Feratus, ne maiores eſſent Georgianorũ copiæ, quã vt illis Reſuan reſiſtere poſſet, ideoq; Caramaniæ & Maronię Baſſam cũ 10000. militũ in auxiliũ illi miſit, vt iũcti ſimul eo ſecurius ad reliquũ exercitũ redire poſſent. Verũ Simon Reſuanum ſolũ ad radices collis cũ Turcarũ 6000. in ſtatiuis offendit: reliquæ copiæ à tergo eiuſdẽ collis caſtra poſuerãt, q̃ tamẽ ſtatim de ipſius aduẽtu certificatę, vbi primũ impetũ fecit, recta omnes cõtra ipſum proceſſerũt, ita vt cũ in extremũ periculũ ſe videret adductũ Simon, vehemẽter ipſum pœnituerit audacię, quod hoſtẽ aggreſſus fuiſſet, à quo exitiũ manifeſtũ ipſi imminebat. Et cum neq; fuga ſibi cõſulere, nec tot hoſtibus vndiquaq; imminentibus reſiſtere poſſet, equus ipſius in feruore pugnæ tranſfixus concidit, à quo ille deturbatus, amiſſoq; pileo, qui aureo cornu ornatus erat, parum abfuit, quin viuus in hoſtium poteſtatem perueniſſet. Captus fuit ipſius vicarius, & amanuenſis, plurimique alii, ille vero miracu-

loſe periculo fuit ereptus. Nam dum Turcæ ſedulo pugnæ & cædendis hoſtibus ſunt intenti, è longinquo ſocios ſuos, qui in auxilium ipſis ſub Caramaniæ & Maroniæ Baſſis veniebant, conſpiciunt, certoq; Perſas eſſe credunt: vnde timor eos inuaſit, vt certiſſimam, iamq; pene confectam victoriam, imperfectam reliquerint. Sic igitur diremptum fuit prœlium, & dum Turcæ ſe in tutum recipere cogitant, Simoni euadendi tempus & occaſionem præſtant, qui haud exigua ſuæ fortitudinis poſt ſe ſpecimina reliquit. Cùm vero non hoſtes, ſed ſocios adeſſe, Reſuan comperiſſet; moleſtiſſimo tulit animo, prædam hanc tam exoptatam ſibi è manibus elapſam, qua dubio procul facilime potitus fuiſſet, ſi de duorum illorum Baſſarum aduentu maturius ipſi conſtitiſſet. Simon autem in loca hoſtibus incognita, quæ tutum ipſi receptaculum præberent, effugit, dolens, ſe à falſis internunciis deceptum, cumq; ſuis in tantum periculum adductum fuiſſe: debitas nihilominus gratias Deo egit pro vita & libertate conſeruata. Turcæ interim triumphantes Tomanin redierunt, Simonis vexilla humum verrentia ſecum traxerunt, multaq; Georgianorum capita lanceis infixa circumgeſtarunt, & Ferato Baſſæ, eo ſpectaculo plurimum recreato, captiuos obtulerunt. Qui etiam impium Dautchanum amice recepit. Græcorum enim religionem ille antea profeſſus fuerat, qua eiurata, Perſarum ſuperſtitiones, & iam nuper Turcarum impietatem amplexus erat, & Amurathis ſeruituti vltro ſeſe manciparat. Tempus bello gerendo commodum iam fere præterierat, & de hyeme imminente omnes peſſime ſibi timebant: Propterea Generalis loca illa rurſus deſerere conſtituit. Haſſanum itaq; Baſſam propugnaculo Tomanis nuper ædificato cum 8000. militum præfecit. Non oblitus erat iniuriarum, quas Manucchiar Turcico Imperatori, occiſis eius nunciis, & pecunia ablata, intulerat, ob quas grauiſſime exacerbatus, ſecum ſtatuit, Charſam vel Erzirum non redire, priuſquam deuaſtata ipſius prouincia, dignas pœnas de eo ſumpſiſſet. Triduo igitur Trialam peruenit, vbi copias vniuerſas collegit, quæ rebus omnibus neceſſariis iis in locis deſtituebantur. Namq; ea frumenti inopia erat, vt frumenti ſeſquimodius (quales Venetiis habentur, & cum Sytiaco Macucco conueniunt) 500. ducatis veniret; hordeum vero adhuc maioris. Hinc in Manucchiaris ditionem mouere Generalis conſtituerat, iamque ad vaſa conclamatum erat, cum Veis Alapiæ Baſſa ei ſe oppoſuit, admonuitq; ne exercitum vlterius in loca illa incommoda duceret, ſiquidē cum ſummis tribus aduerſariis confligendū ipſis foret, anni ſcilicet tempeſtate, niuibus, glacie, & procellis agitata, peregrinantibus incommodiſſima; rerum deinde omnium atque annonæ extrema inopia, ſine qua nunquam milites officio ſuo functuri, & omnia conſilia in fauſtum exitum habitura ſint: hoſtibus denique ipſis qui cum Perſis ſeſe iungendi ocium nacti, maximo damno totum exercitum afficere impune poſſint. Feratus hanc admonitionem non æquo tulit animo, verbiſque duriſſimis & aſperrimis Veis Baſſam increpauit, Ruſticum illum vocans, qui in montibus & ruri educatus, ſtulte ad honorem Baſſæ promotus fuiſſet: haud licere ei, dicens, de hiſce rebus admonere, quem tacere potius, & aliorum Ducum mandatis obtemperare deceat. Diſceſſit igitur verſus Archelech, & totam eam ditionem amicam licet & ſubditam, flamma ferroq; indignis modis vaſtauit. Incolæ omnia oppida & arces, vbi tranſibant hoſtes, deſeruerant, & in montes confugerant, & qui cum gaudio victori Duci obuiam currere debebant, latibula ſibi quærebant, vt à militum furore & rabie tuti manerent: quatriduum ibi dum ſubſtitit, homines atq; animalia inter rupes iſtas & montium præcipitia fame conficiebantur: nec quicquam ipſis ſuppeditabat, vnde vitam diutius ſuſtentare quiuiſſent: tulerunt tamen illas neceſſitates per quatuor iſtos dies, vt quiuerunt: quibus elapſis nix ingens calamitates illas duriores reddidit. Eam ob rem Ianizari & Spahoglani Conſtantinopolitani tumultuantes ad Generalis tentorium accurrerunt, verbis ignominioſis in hunc fere modum ipſi ſeuitiam exprobrarunt: Quo vſq; tandem iniuſtum & tam durum imperium perferre cogemur? vbi illa eſt pietas, qua te erga mancipia Imperatoris noſtri affectum decet? putasne eadem nos, qua tu, condi-

tione

tione frui, qui in tentoriis cum meretricibus omni re abundas, victuq; lauto veſceris; nobis interim fame tabeſcentibus. Nec enim nobis, vt tibi, ſunt aromata, & ſaccarum, & vinũ pretioſum, quo male affecta corpora refocillare poſſimus. Non amplius ferendum, vt tot egregii milites fame & frigore pereant, nudi humi procumbant, rebus omnibus neceſſariis deſtituti. Quare volumus, vt continuo hinc diſcedas, noſq; Erzirum reducas, niſi extrema quæque experiri mauis. His præter ſpem auditis, Feratus conturbatus ſubito concilium Ducum ad ſe conuocauit, in quo concluſum fuit, vt impedimenta omnia verſus Ardochan mitterentur. Exercitus vero Ducem in viduæ regionem ſequeretur, quam in tranſitu deprædari, & deuaſtare, militemq; præda & ſpoliis hoſtium ditaturum, & à laboribus refectum pollicitabatur. Huic mandato libentiſſime omnes paruerunt; breuem enim expeditionem, & Altunchalæ, aliorumq; Manucchiaris locorum deprædationem ſibi imaginabantur. Itinere igitur per profundiſſimas Periardi valles facto, Cliſcam peruenerunt, quæ ad Manucchiarem ſpectabat; locum tamen incolis vacuum repererunt: ſiquidem illi ad primum rumorem de Ferati Baſſæ aduentu, cum rebus pretioſis, liberis ac coniugibus in loca remotiora & tuta aufugerant, donec furor victoris tranſiret. In campis vicinis magna erat ſiliginis, hordei, frumenti, pecudum & fructuum copia, vnde milites & iumenta ſatis habebant, quo ſe recolligerent. Ea occaſione Feratus Baſſa motus, gratum vniuerſo exercitui futurum putabat, ſi per aliquot dies iis in locis quieſceret, donec nouum propugnaculum ibidẽ conſtruxiſſet. Iuſſit igitur Reſuanum Baſſam turrim Cliſcæ aſcendere, & vexillum in eius cacumine erigere: ipſe vero per exercitum promulgauit, ſe locum illum munire, & militare præſidium nomine Amurathis imponere conſtituiſſe. Reſuan & Caramaniæ Baſſa (cui Amurathi nomen erat) Generalis mandato paruerunt, duoque vexilla ſupra excelſiſſimam turrim pepigerunt: quibus conſpectis Ianizari & Spahoglani denuo tumultuari cœperunt, conquerentes, quod toties à Generali deluſi fuiſſent. Igitur cum maximo tumultu & furore turrim aſcenderunt, apprehenſaque ambabus manibus vexilla bis terve Reſuano Baſſæ capiti impegerunt, & deriſum, multiſque affectum contumeliis à ſe propulerunt. Inde ad ipſum Generalem, qui ad luſtrandum locum illum, & eius ſitum aduenerat, conuerſi, diris execrationibus & minis ipſum exceperunt, proteſtati, ſe non eſſe in bellum ductos, vt cæmentariorum opificia exercerent, & opera vilia obirent, ſed vt arma tractarent, iiſque ſtipendia debita promererentur; & gloriam ac laudem Regi ſuo acquirerent: quare ſi ipſi chara ſit vita propria, hec in ſe ſtrictos velit cernere gladios, quibus iniurias hoſtium hactenus vindicarant; ſtultum hoc de nouis ædificiis inchoandis mutet conſilium, tempori cedat, & omnium ſaluti atque vtilitati conſulat ac proſpiciat. Dum iſti verbis contendunt, alii vix ſibi temperant, quin violentas illi manus inferant, extrema omnia comminantes. Sed Caramaniæ Baſſa hæc proſpiciens, equum illi proprium ſubminiſtrauit, & ex turba atque tumultu ſubtractum, ad proprium vſque tentorium comitatus eſt. Sed rebelles milites illum comminus ſecuti ad tentorium, querelas & incuſationes atrociſſimas iterarunt: aperte dicentes, vita ipſi carendum, niſi ſequenti die eos inde deducat.

Peſſime habebat Feratum Baſſam, tam indignis modis ſe à militibus excipi, quos ad ipſius nutum paratiſſimos ad quæuis eſſe dicebat, tamdiu tamen detinere eos ſtudebat, donec propugnaculum in perniciem Manucchiaris ibi conſtruxiſſet. Illis igitur reſpondit, ſe nihil moueri ipſorum minis & exprobrationibus; ſiquidem iam dudum ſe ſuamque vitam Amurathis obſequio deſtinaſſet, vouiſſetque: quod ſi in hoc ædificio conſtruendo obſequi nolint, diſcedant licet: ſe nihilominus conſtanter Regis voluntati obtemperaturum, in cuius honorem nemo ſit, qui non vitam atque ſubſtantias ſuas impendere debeat. Hoc reſponſum exceperunt variæ exprobrationes & imprecationes in Regem & Ducem à militibus coniectæ: excitatus tumultus magis horrendus, omneſque

arma corripuerunt, iræ atque ferociæ indicia non leuia præ ſe ferentes; vnde plurimi de Generalis vita haud parum erãt ſolliciti. Hoc rerum ſtatu cum quiſq; ad ea, quæ habebat chariſſima, omni diligentia aſſeruanda, ſe contuliſſet: ecce ſubito & Generalis & aliorũ Baſſarum tentoria concidunt (conſciſſi nimirum funes erant, quibus ligabantur, ab furibundis militibus) & pecudes, quas in victum quotidianum ſecũm agere ſolebant, eodem momento raptæ. Nemo hic fuit, qui eorum temeritati ſe opponere auſus eſſet. Tandem adhuc ſemel ad Generalem (iam totum obſtupefactum & perturbatum) conuerſi, tertia vice proteſtationes ſuas iterarunt, niſi confeſtim Erzirum verſus ſeſe reduceret, valles iſtas & ipſi & cæteris Baſſis omnibus ſepulchrum futuras, & colles imminentes teſtimonium eius rei perpetuum præbituros. Facilime hunc tumultum ſedare Feratus potuiſſet, ſi quam minimum pecuniæ inter milites diſtribuere, eorumq; animos demulcere quodammodo voluiſſet. Verum ille magis magiſq; obſtinatus, nulla re ipſis gratum facere, ſed potius conſueto rigore, quæ cupiebat, obtinere cogitabat. Tandem tamen militibus cedere, & illorum obtemperare imperio coactus fuit, ſummo ſuo cum dedecore. Igitur inde mouens, primo die Ardacham attigit, non ſine maximo omnium labore & faſtidio. Bidui enim iter vno die per montem aſperrimum & difficilimum confecit, idq; ſtudioſe, vt videlicet maiores militibus moleſtias crearet, cuius tamen rei paulo poſt eum pœnituit: ſiquidem carri atq; vehicula, quibus ipſius mulieres, rerum omnium chariſſimæ, vehebantur, clam ipſi ablata atq; ſubrepta fuerunt. Alii putant à Georgianis, qui in præcipitiis illis latuerãt: alii à Ianizaris, vt grauioribus iniuriis & dedecore Generalem afficerent, damnum hoc illi fuiſſe illatum: vnde nõ modo militibus expoſitus fuit ludibrio, ſed Conſtantinopoli quoq; deriſus, vbi eius rei nuncius eo fuit delatus. In Ardachan exercitum recenſuit, & priuſquam inde diſcederet, ſacramento abſoluit; tandem quoq; Erzirum appulit, exoſus omnibus militibus, Veis Baſſæ, & aliis ducibus inimicus factus, & ob amiſſas mulieres infamis. Ipſi quoq; Imperatori ob duas fere cauſas odioſus factus fuit; quod dignã vindictam de Georgiano Manucchiare non ſumſiſſet, & exercitũ obedientem ſibi & amicum conſeruaſſet. Tum etiam, quod Alyculichanũ è cuſtodia elabi paſſus fuiſſet; de cuius fuga pauca hic inſerẽda ſunt. Cum Ferato Baſſæ ex aula imperarũ eſſet, vt relicta Naſuana in Georgiã ſe conferret, ſtatuit Alyculichanum (quẽ Erziri in vinculis detentum fuiſſe, ſupra lib. 4. diximus) ſecum ducere, vt eius opera in demonſtrandis itineribus, & euitandis periculis, quæ ex locis inſidioſis & anguſtiis illis inferri poterãt, vteretur. Sciebat enim viarum atq; locorum omnium in Georgianorũ regione ipſum peritiſſimum eſſe: eum aſſeruabãt & cuſtodiebãt Generalis mancipia, & ſerui fidiſſimi; optimeq; tractabatur, nullius rei neceſſariæ inopia ipſi relicta: vbi tandẽ in Georgiam peruenerunt, ad Tomanis anguſtias, & conſtruendo propugnaculo ſunt occupati, Alyculichan clam aufugit, & in Perſiam euadit. Sed de modo, quo effugerit, certo nõ conſtat: alii ſciente & conſentiente Ferato Baſſa illũ elapſum eſſe putant, vt tãti beneficii memor, in hac expeditione de omnibus, quæ in Perſia euenirent, ipſum certiorẽ redderet: alii, donis ipſum & muneribus Baſſam corrupiſſe, & libertatẽ ſibi redemiſſe: cum tamen omnẽ ſubſtantiam in prœlio amiſerit, & vix tantũ habuerit, vnde vitã toleraret. Alii deniq;, ex cuſtodũ ſomnolentorũ negligentia occaſionem elabendi datam illi fuiſſe. Sed in Georgiam redeo: Ibi Alybaſſa, qui Lory caſtellum defendendum à Ferato acceperat, aliam arcem, cui Saitan-Chalaſi, vel Diaboli caſtello nomen erat, ipſius Ferati iuſſu muniit, 50. tormentis, & 1000. militibus impoſitis. Hac ratione via, quæ Reiuano Charſam, atque inde Teflin ducit, tuta in poſterum exercitui Turcico permanſit, occaſione ſtruendarum inſidiarum Georgianis prorſus ablata. Interea Perſarum Rex, qui Ecbatanæ cum exercitu ſubſtiterat, vbi Turcas nec Naſuanam, neque Taurin petere, ſed in Georgiam vires ſuas conuertere vidit, milites exauctorauit, & ad priuatas vindictas exercendas animum applicauit: Primumque Emirchanum ad ſe vocauit, cui Imperium Ecbatanæ, atque aliarum vrbium & prouinciarum,

dum

dum ipſe bellum in Aria gereret,commiſerat,iuſſitq; cauſas dicere: Quare Turcas à muniendo Reiuano non impediuiſſet, vel ſaltem exercitum ex Turcomannis & aliis gentibus ipſi ſubditis collegiſſet, tamq; inſignem iniuriam vindicaſſet,aut damno ſaltem aliquo exercitum hoſtilem affeciſſet : cum tamen officium cuiuſcunq; belli ducis id requirat;& præ omnibus aliis ipſe ſanctè hoc regi promiſiſſet. Varias neglecti officii cauſas Emircham attulit,quod nimirū Turcæ ſubito ex iis locis deceſſerint : Nec fieri potuerit,vt tam exiguo temporis ſpacio Turcomannos,vel alios conſcriberet, iuſtumq; colligeret exercitum, in ſe non fuiſſe moram,neq; vitæ, neq; facultatibus ſe vnquam peperciſſe. Verum hiſce excuſationibus parum ſe de obiectis criminibus purgauit, & forſitan antiquum odium(cœptum poſt Iſmahelis interitum) acceſſit,vt Rex infenſior ipſi factus, grauiter in ipſum animaduertere decreuerit. Eius igitur iuſſu in carcerem detruſus miſer Emirchanus, eiq; ambo oculi candenti ferro exuſti fuerunt, poſt paucos vero mēſes in carcere obiit : cuius morte Turcomannorum natio plurimum offenſa,& ad rebellionem concitata fuit, adeo vt debita ſubſidia Perſarum Regi ferre in poſterum negarit. Namq; inter alios Duces, qui ipſos defendebant,& honore afficiebant, Emirchanus primus tum erat, quem propterea maximi fecerant,& ſinguları fauore proſecuti fuerant. Sed creuere inimicitiæ,cum in demortui locum,Alyculichanum, è captiuitate Turcica elapſum, ſubſtitutū comperierūt. Ipſe quidem maiori dignitate ob plurima beneficia in Perſicū regnum collata, & multa etiam damna eiuſdem cauſa accepta, dignus erat; ſed intercedebāt illi graues inimicitię,cum quibuſdam Turcomannorum ducibus,qui eius imperium pati nequibant, ideoq; palam à Perſis ſecedebant, vnde haud parum vires Perſarum imminutæ fuerunt. Et hæc quidem anno à nato Chriſto 1584. contigerunt.

Feratus vbi Erzirum rediit, de omnibus rebus à ſe geſtis Imperatorem per literas inſtruit, quid in poſterum à ſe fieri,quidve anno ſequenti tētari vellet, ſcire cupiens. Sed nonnulli alii extiterunt, qui non minus ſolicitè omnem expeditionis ſucceſſum ad Amurathem perſcripſerant; Generalem traducentes propter Alyculichani fugam, infamem mulierum amiſſionem & tumultum ipſius imprudentiā excitatum,& contentiones,quas cum omnibus Baſſis,qui in exercitu fuerant,& maxime cum Veis Baſſa (viro ſtrenuo & prudente,ipſius Regis iudicio) habuerat. Hæ cauſæ ſufficientes erant, ob quas officio eum priuaret Amurathes:ſed aliæ quoq; priuatæ acceſſerunt. Conſtituerat enim Imperator Ecbatanæ conquiſitionem in annum ſequentem ſuſcipere,confiſus propugnaculis Lory,Tomanis,Reiuan,& Charſæ, propter quæ aditus nūc ſecurus & tutus ad eam vrbem patebat. Hanc expeditionem celeberrimo cuidam Duci committere cogitabat : Inter omnes tamen neminem reperit, qui Oſmanno Baſſæ Atropatiæ conquiſitori, de quo ſuperius lib. 3. diximus, præferri poſſit, magnamq; ſpem de eo Amurathes conceperat,non modo propter res pręclare ab ipſo geſtas;ſed potius,quod tantum militum numerum in regione remotiſſima citra omnem ſumptum aleret. Stipendia enim militibus ex prouentibus regionis,quam in prouinciæ & imperii formam redegerat, aſſignabat. Nec ceſſabat annuatim de omnibus rebus à ſe geſtis Amurathem plenè certiorem facere, & ſtatum eius ditionis illi perſcribere; Tartaros accuſans,qui poſt Abdilchirai mortem, nunquam ipſi auxilium tulerant. Etſi vero plurimum eius fortitudini Amurathes fidebat, euocare tamen ex Atropatia ipſum præmature noluit, quo ſtatum eius ditionis melius firmaret, & Georgiæ res tranquilliores euaderent. Rebus vero tam proſpere anno præterito geſtis, differre ipſius vocationem diutius noluit. Priuſquam igitur Erzirum Feratus ex Georgia rediit, Căpigios & Chiaus nuncios miſit, qui ipſum Conſtantinopolin ſine longiori mora euocarent : non defuerunt tamen, qui ipſius aduentum impedire conati ſunt. Primi Viſirii officio fungebatur Sciaus Baſſa,Regis gener,qui poſt obitum Viſiriorum & Sinani Baſſæ relegationem ad officium illud magis propter corporis pulchritudinem, & Regis conſanguinitatem aſſumptus fuerat, quam vt ipſius merita eam dignitatem poſce-

rent. Hic verebatur, ne rurſus eum honorem, vnde tantæ promanant diuitiæ, Imperator ipſi adimeret, & in Oſmanum transferret, propter beneuolentiam, qua ipſum proſequebatur, & fiduciam de ipſius fortitudine conceptam. Indies igitur nouis ſtimulis vrgeri cœpit, qua ratione ipſius aduentum impediret, quod, etiamſi periculoſiſſimum videbatur, clam tamen efficere conatus eſt. Maxima ipſi cum Tartaro Cumano iampridem familiaritas intercefferat, & plurima dona ab ipſo receperat, quo ipſum apud Regem de accuſationibus Oſmani Baſſæ purgaret, & neglecti officii cauſſas adduceret, quibus iratum Amurathis animum placaret, & mitiorem redderet. Huic amicitiæ Sciaus fidens, certo ſibi perſuaſit, non gratum fore Tartaro, Oſmanum Conſtantinopolim peruenire, quem ipſi infenſiſſimum nouerat, & propterea omnes rationes tentaturum, quo ipſius aduentum impediret. Vbi igitur nuncios ad vocandum Oſmanum miſſos eſſe Sciaus comperit, clam ad Tartarum Cumanum, qui non procul à portu Theodoſiæ ad Mœotidem caſtra poſuerat, de Oſmani Baſſæ reditu ſcripſit, admonuitque, cogitaret, quam iratum erga ipſum Oſman ferat animum, & quoties per literas in Amurathis odium ipſum adducere conatus fuiſſet, quod niſi ipſius patrocinium interueniſſet, certam ipſi perniciem & damnum molitus fuiſſet. Quod ſi hæc abſens per literas efficere potuerit, conſideret quid præſens Conſtantinopoli tentaturus ſit, vbi nemo ipſius conatibus ſeſe opponere audeat. Eiuſmodi literas & forſitan atrociores ad Tartarum ſcripſit, quibus excitatus, non permittendum ſibi ratus, vt hoſtis tam pernicioſus Conſtantinopolin perueniret. Inprimis vero cum Sciaus, cuius protectioni totum ſe commiſerat, tantum de ipſius aduentu ſibi timeret. Igitur duodecim millia ex ſuis militibus elegit, & conſuetis veſtibus & armis depoſitis, aſſumptisque iis, quibus Coſſachi vti conſueuerunt: Oſmanum Baſſam expectare iuſſit ad Colchidis & Iberiæ confinia, vbi Nomades Tartari habitant. Oſman, vbi Regis mandata de profectione ſua accepit, ad iter ſe accinxit, Alexandriam & Sumachiam Baſſis, viris ſtrenuiſſimis regendam commiſit, rebusque omnibus diſpoſitis, & locis omnibus firmo neceſſarioque præſidio munitis 4000. milites fidiſſimos, & in ſua diſciplina educatos, quorum virtutem plurimis prœliis perſpectam habebat, aſſumpſit: eorumque cuſtodia inſidias Albanorum, Tartarorum, & Mengrelliorum euadere, & in tutum ſe recipere cogitabat. Nec quicquam magis ipſi curæ erat, quam vt iniurias à Tartaro Cumano Amurathi illatas, vindicaret, quarum partem ad ſe quoque redundare ducebat, quod promiſſa auxilia ad Mediæ acquiſitionem ipſi nunquam præſtita fuiſſent. Alexandria igitur ſiue Derbent, ſeu Demircapi digreſſus, iter tenuit ad latus Caucaſi, relicta ad ſiniſtram Media, Iberia, & Colchide: ad dextram vero Tanain & Volga fluuiis celeberrimis: Vbi primum Ponti Euxini littus attigit, 12000. Tartarorum, qui Coſaccorum perſonas induerant, ipſum ex improuiſo aggrediuntur, quorum impetum ille intrepide & conſtanti animo excepit. Nec quiſquam ſuorum militum fugam meditari viſus eſt, ſed immoti, tantæ multitudini Barbarorum reſtiterunt, qui de more ſuo primo impetu acerrime pugnabant: mox vbi hoſtem profligare non poterant, à feruore remiſerunt, & paulatim langueſcere inceperunt: quosque ſolo aſpectu & clamore vincere cogitabant, vehementius reſiſtere viderunt. Turpe tamen ducebant fugam capeſſere, qui pugnæ initium dederant, ſed tanta vi inſiſtebant illis Oſmani milites, excitati ſpe victoriæ, & proſpero pugnæ ſucceſſu elati, vt diutius in acie ſtare nequiuerint. Fugati igitur partem maximam ſuorum amiſerunt, alii capti viui in Turcarum poteſtatem peruenerunt, qui non modo periculum euidentiſſimum euaſerunt, ſed hoſtem quoque ob fraudem & ſtructas inſidias caſtigarunt, & dignas de eo pœnas ſumpſerunt. Captiui quæſtionibus & tormentis exquiſitiſſimis ſubiecti, confeſſi ſunt, à Rege Tartaro ſeſe eo miſſos, qui timẽs, ne ſi Conſtantinopolim veniret Oſman, in maximũ periculũ apud Amurathẽ ipſum adduceret, & ꝓpterea has fraudes in ipſius necẽ machinatum

fuiſſe.

fuiſſe. De his vbi penitus Oſman ex Tartarorum confeſſione edoctus fuit, ſubito ad Regem omnia perſcripſit, vehementer conquerens de illatis ſibi iniuriis, & in autorem illarum grauiter animaduerti petens. Amurathes acceptis literis Oſmanni, & quo in ſtatu res ipſius poſitæ eſſent, cognoſcens, triremes quaſdam Theodoſiam (quæ Caffa dicitur) cum fratre quodam Regis Tartari ablegauit, datis ad Oſmannum literis, quibus ipſi mandat, vt Tartarum Cumanum morte adficiat, & in ipſius locum eius fratrem ſubſtituat, vt alii pœna tam enormi edocti, cauere ſibi à tanta nequitia & ſcelere diſcant. Verum vt rectius omnia intelligantur, quis ille ſit Tartari frater, qui in eius locum ſucceſſit, & vbi hactenus moratus fuerit, paucis indicare expedit.

Inter alios Principes, qui Ottomannico Imperio ſeſe viliſſime ſubiecerunt, Reges quoq; Tartarorum Cumanorum, qui Præcopienſes dicuntur, fuerunt. Is, qui nunc regnum tenet, vno conſenſu ſubditorum, interemptis prius omnibus conſanguineis, ad eam dignitatem ſublatus fuit, in qua non exiguas difficultates expertus, perpetuoq; in metu, ne libertate cum regno ſpolietur, verſatus eſt, de Imperio cum ipſo certabat frater, qui propter habitum corporis egregium, animi dotes, quibus pollebat, & Aſtrologiam atq; Philoſophiam, cui operam dederat ſubditis multo erat charior. Ille ergo cum propter tributa, aliaq; onera, quibus populum premebat, vt dona opulentiſſima in aulicos Turcicos conferret, odium omnium frater eius hac occaſione motus incurriſſet, admonitus etiam ab amicis fideliſſimis, Conſtantinopolim proficiſci ſtatuit, licet annorum numero minor, & neruo rei agendæ, & pecunia deſtitueretur; quibus corrumpere alios quiuiſſet, vt fratri in regno præponeretur. Fidens tamen rumoribus de ſe ſparſis, & plebis beneuolentiæ, quæ pro ipſo diligentiſſime penes Regem Turcam intercedebat, & propriæ eloquentiæ, qua valebat atq; virtutibus; ſperabat, fratre ex regno pulſo, in Tartarorum Regem auſpiciis Amurathis ſe euaſurum. Sic igitur Conſtantinopolim profectus, vbi in aulam venit, munuſcula ſua, exigua licet, inter quoſdam, qui ipſi fauere videbantur, diſtribuit, regnumq; fraternum ambiuit. Sed frater de eius profectione Conſtantinopolim certior factus, ad legatos ſuos, qui ibidem commorabantur, continuo ſcripſit, ne ſumptibus vllis aut precibus, vel laboribus parcerent; ſed omnia ſua ſtudia eo conferrent, vt ipſe in regno confirmaretur, & fratre in captiuitatem abducto, nihil moleſtiarum ipſi creetur amplius. Ille igitur dũ eloquentia & reliquis animi ornamentis fratre ſuperior euadere cogitat, Regis legati donis atq; muneribus proceres aulę ſibi deuinciunt, &, quæ cupiunt, facilime impetrant, vt nimirum Rex Tartarorum in regno confirmetur, & alter frater in captiuitatem raptus, & Iconiam Lycaoniæ vrbem, quæ Gagna hodie dicitur, relegatus fidis cuſtodibus eo deportetur, vbi maxima cum patientia vitam egit, conformem infortunio, quod incurrerat, & ſumpto Eremitæ habitu, ſpem regnandi omnino ex animo depoſuit, nihilq; aliud in poſterum quærere viſus eſt, quam vt infelicem vitam cum laudabili morte commutaret. Dum igitur vitam eiuſmodi alienam à curis humanis tranſigit, noua ex inſperato commoditas ipſi offertur, dignitatem ſæpius deſideratam, & qua toties fruſtratus fuerat adipiſcendi. Quamprimum enim Amurathes de fratris rebellione, & iniuria Oſmanno illata, certior fuit factus, nuncios maxima celeritate Iconiam miſit, qui iuuenem adducerent, eumq; triremibus impoſitum, quantocyus Theodoſiam cum literis ſuis tranſuehi curauit: eo delatus cum eſſet, atq; Oſman Baſſa literas Imperatoris legiſſet, ſubito regem Tartarorum, quem caute in ſuam poteſtatem redegerat, ob iniurias antea indicatas, propria manu occidit, & fratrem Regis titulo & inſignibus ornauit, qui ſubditis Amurathis nomine imperaret, & ab iis pro Rege agnoſceretur. Deinde nauibus conſcenſis per Euxinum Pontum, & Boſphorum Thracium, Conſtantinopolim transfretauit, quo anno 1584. appulit, & ab omnibus paſſim maximis lætitiæ ſignis, maximaq; pompa receptus fuit. Imperator non minorem beneuolentiam erga ipſum declarauit: ad quẽ cum introductus eſſet, primum munera ei obtulit exquiſita & rariſſima; deinde quid toto belli tempore in Atropatia geſſiſſet, quæ

pericula perpeſſus, quos tulerit labores, ordine recenſuit. Inde Amurathes exorſus de expeditione contra Perſas ſuſcipienda, & occupanda Ecbatana ſermonem cum ipſo contulit, ſententiam ipſum rogans, quomodo ſcilicet vrbs hęc celeberrima inter omnes exteras nationes, & vnde non minima Perſici regni gloria dependebat, ſubigi poſſet. Ad hæc ille reſpondit, peropportunè ſibi hãc expeditionem ſuſcipi poſſe videri: ſiquidem Georgię ſtatus, propter noua propugnacula recens extructa, tranquillus ſit, vt neutiquam pericula iis ex locis immineãt, omnibus hoſtium inſidiis detectis. A Manucchiare parum timendum, cum oppida ſua vix defendere & tueri poſſit, ob paupertatem & aſſeclis etiam deſtituatur. Iter quoq; vniuerſum, quod Erziro verſus Reiuan ducit tutiſſimũ eſſe. Eundem quoq; Atropatiæ ſtatũ eſſe. Modũ vero vrbis potiundæ optimũ fore, ſi proxime vrbẽ propugnaculum erigatur, vnde timor toti Perſiæ incutiatur. Copias vero æquales, vel paulo maiores, quam annis pręcedentibus conſcribendas eſſe. Hoc fuit Oſmãni Baſſæ de ſuſcipiẽda expeditione cõtra Perſas conſilium, qui ad eam Dux electus, & primus ſimul Viſirius creatus fuit. Sciaus vero Regis gener eo officio fuit priuatus, quod literis, quas ad Tartarũ Cumanũ ſcripſerat, cõpertum fuerit, ipſum in perniciẽ Oſmãni conſpiraſſe. Relegatus igitur Chalcedonẽ, priuatã ibi in palatio, quod ſtruxerat, vitã in poſterũ egit. Natus eſt Oſman patre Circaſſo, qui in patriæ deuaſtatione, vt Selimi crudelitatem effugeret, vltro ſe Turcico Imperio cũ aliis ſubiecerat: Militiæ poſtea præfectus Æthiopes maxima ſua cũ laude vicit: hæredẽ habuit hunc Oſmannũ, virtutis & fortitudinis paternæ æmulũ, qua tantum profecit, vt ex ordinario milite, breui ad maximas dignitates totius Imperii Turcici fuerit promotus, tandem etiam totius exercitus Imperator & auditor Amurathis conſtitutus fuerit. Quod officiũ maximo cum gaudio ipſe in ſe recepit, maximaq; cura atq; deſiderio euigilauit, vt dignum ſeſe tantis honoribus præſtaret, atq; euẽtus Amurathis ſpei reſponderet. Cum igitur exercitũ maiorem, quã antea ſibi conſcribendũ, atq; ex longinquis ac diſſitis locis illum euocandũ ſciret, tempeſtiue ea de re ad omnes prouinciarum Rectores nuncios miſit, qui eos de colligẽdis copiis admonerent, quibus ipſe exemplo ſuo præire cupiens, hyeme adhuc durãte, Conſtantinopoli diſceſſit Chalcedonẽ. Inde per Angori, Amaſiam, & Sebaſtopolin progreſſus, copias ibi vniuerſas colligere & luſtrare ſtatuit. Poterat ipſius diſceſſus tam celer & ſubitaneus Perſis ſuſpicionẽ mouere, ne (quod res erat) Taurin inuadere ipſi animus eſſet, illiq; contra ad eam defendendã exercitũ ſolito numeroſiorẽ colligerẽt, & adparatus bellicos maiores facerẽt. Ideoq; cõſultius ratus, ex ipſius quoq; Amurathis conſilio, alio prætextu hoſtes eludere, finxit Naſuanã ſe petiturũ, quo Feratũ Baſſam præcedẽti anno profecturũ, rumor fuerat ſparſus; ſperãs fore, vt Perſæ ad huius vrbis defenſionem, quam minoris faciebãt Ecbatana, omnes ſuas vires colligere, & ad reſiſtendum hoſtibus ſuperſederẽt. Fama igitur de occupãda Naſuana nõ modo per Turcicas vrbes diuulgata, ſed in ipſam quoq; Perſiã, atq; adeo ad ipſius regis aures penetrauit: qui tamẽ de Ecbatana plurimũ erat ſollicitus, diligẽtiſſimamq; de omnibus rebus inquiſitionẽ habuit. Etſi vero iniuria, qua legatus ipſius fuerat affectus, deterrere eũ poterat, quo min⁹ in poſterũ de pacé aliũ legatũ ad Turcas mitteret, tamẽ vt ſecreta hoſtiũ certo exploraret, diuerſos nuncios ad Oſmannũ miſit, qui ipſum de intentione ſua, quo ad pacis conditiones certiorẽ redderent. Sed exquiſita ſua diligẽtia nihil certi de hoſtium conſiliis & futura expeditione cognoſcere potuit. Etiã quotidie milites ex omnib. prouinciis ad Generalẽ confluebãt, multiq; alii, qui vel in vrbiũ præfecturis confirmationẽ, vel honores nouos ambibãt, ad ipſum ſolũ ſeſe conferebant, honores ipſi tanquã alteri Regi exhibebãt, & munera opulẽtiſſima conferebãt, vt theſaurũ ingentẽ breui tempore colligeret. Hos ille amice excepit & tractauit, plurimaq; & pmia & honores ſingulis pollicitus, ſi ipſum in hoc bello ſeq. velint: hoc modo copias ingẽtes, & maximã pecuniæ vim conquiſiuit. Inſtabat iam tẽpus, q Erzirũ ipſum vocabat quo numeroſiſſimus exercitus cõuenerat, qui maximo deſiderio ob rei frumentariæ & victus inopiã, quo plerumq; ea puincia deſtituitur, ipſum expectabat. Appulit

igitur circa finem Iulii menſis, & exercitum luſtrauit, rebuſq; neceſſariis ad expeditionem tam illuſtrem inſtruxit, omniumq; rerum & munitionum maximos apparatus fecit. In cunctis prouinciis milites maiori numero, quam antea, militiæ nomina dederant, inducti fama noui Ducis, ſub quo noua pręmia & honores ſeſe acquiſituros ſpetabant. Sola Ægyptus & Damaſcus nullas copias miſerũt, quod bello inteſtino laborarent, de quo libro ſequenti pauca præſenti hiſtoriæ inſeremus.

LIBRI SEPTIMI

ARGVMENTVM.

HASSAN Cairi Baſſa in aulam vocatur: In eius locũ ſubſtituitur Ebraim Baſſa, Imperatoris gener. Haſſan Eunuchus cum Imbrahur proficiſcitur Conſtantinopolim: vbi in carcerem detruſus, omnibus facultatibus priuatur: Regina tamen pro ipſo intercedente è carcere liberatur. Ebraim ad celebrandas nuptias Conſtãtinopolim vocatur. Exercitum 12000. equitum colligit. Origo, Religio, Conſuetudines, regiones & arma Druſorum. Tres duces Druſorum Ebraimo obuiam procedunt, cui Seraſadin quoq; ſe coniũgit: qui à tribus iſtis inimicis accuſatur, & quamuis ſe defenderit, in carcerem tamen detruditur. Manolius contumax, ad Ebraimum ſcribit, & matrem ad ipſum mittit. Ebraim ditionem Manolii flamma ferroq; deuaſtare cogitat. Veis Baſſa cum Sangiaccho Ieroſolymitano ſuo filio à Druſis profligatur. Gomeda ad Manolium profectus, ſine muneribus dimittitur. Aly Baſſa ad eundem profectus, donis ornatur. Similiter quoq; Gomeda Andera deuaſtatur, 350. milites Manolii fruſtratim conciduntur. Macademus Manolii viuus excoriatur. Milites Seraſadini occiſi. Ditio maritima Manolii à triremibus deuaſtata. Acra titulum Baſſæ comparat 100000. cecchinis. Ebnemanſur in compedes ab Ebraino coniectus, eiuſdem ditio deuaſtata. Ebrain maximo gaudio Conſtãtinopoli exceptus, plurima dona & munera in Amurathẽ, atq; reginã ceteraſq; regias pellices cõfert. Arabum diſcordia cũ Sangiaccho Hieroſolymitano. Subaſſi Bethlehemitanus viuus excoriatur iuſſu Sangiacchi. Oſmã Baſſa Erzero diſcedit, ſparſo rumore de profectione verſus Naſuanam, cum ipſe Taurin petere conſtituiſſet.

INTER alios eunuchos, qui Gynęceo Turcico inſeruierant, Haſſan fuit: cui quod fidelem eius, & promptam operam Regina diu experta eſſet, præfecturam Cairi ſub Baſſę nomine ab imperatore impetrauit: Munus quod vtilitatẽ maximam cũ honore coniunctã habebat. Ditiſſima enim vrbs hæc, & multorũ incolarũ copia referta eſt: Ampliſſima quoq;, vt nõ vna ſed plures vrbes annexæ inuicem videantur. Haſſan vero, natura auarus, & pecuniæ auidiſſimus, fructus vberrimos ex prouincia ſibi delegata percipere cogitans, ne in poſterũ eiuſmodi munera ambire cogeretur, omnib. modis, licitis & illicitis, pecuniam corradere ſtuduit, ſubditos miris modis, nulla neq; ſexus, neq; dignitatis, neq; ætatis ratione habita, impoſitionibus & exactionib. oppreſſit, vt nemo reperiretur, qui non extrema quæq; pati, quã tyrannidi tã duræ parere diutius maluiſſet. Tandẽ cum omnibus notũ eſſet, neq; pietate, neq; iuſticia vel ęquitate animũ ipſius auarum, ab incepta crudelitate, & rapinis deflecti poſſe; indies plurimi, qui ad extremã neceſſitatem redacti erãnt, clã Conſtantinopolim profugerunt & oblatis regi ſupplicibus libellis ſubmiſſe petierunt, vt iniquũ & crudelem illũ tyrannũ ab officio denuo deponat; qui ſine reſpectu ſanguinem miſerorũ ſubditorũ exugat, omnemq; ſubſtantiã ipſorũ expilet. Nec ab vno ſed quotidie à plurib. eiuſmodi querelæ regi offerebãtur, neq; de vlla re magis cõſtans, & frequẽs fama in aula erat, q̃ omnium aures permeabat, quã de Eunuchi auaritia, extorſionibus & tyrannide. Quod cum in maximũ ſuum opprobrium tendere Amurathes videret, ſi impunita hæc ſcelera relinqueret, Eunuchũ in aulam euocare ſtatuit: miſſis igitur nunciis capigis & Chiaus, ſæpius eum

Conſtantinopolim redire iuſſit. Ille vero inuitus occaſionem diteſcendi tam opportunam deſerebat, reditum differebat indies, & moræ ſuæ nouas cauſſas excogitabat. Amurathes ergo ludibrio ſe ab illo haberi putans, veritus etiam, ne nouis rebus ſtuderet malo huic proſpicere, auarũ Eunuchum caſtigare, & ſubditorum querelis atque lamentationibus ſatisfacere decreuit. Erat tunc inter Baſſas, qui in aula reſidebant, præcipuus Ebrainus, ex Illyriæ loco Chianichie, qui vnius diei itinere Raguſa diſtat, oriundus, iuuenis annos 32. vel circiter natus, facie liberali, & præclaro iudicio præditus: huic Amurathes in vxorem deſtinauerat propriam filiam, de qua re varii tunc rumores in aula diuulgati erant. Hunc commodiſſime & merito in Haſſani Baſſæ locum promouendum eſſe duxit, vt ſatisfaceret ſubditis, & genero ianuam acquirendarum opum aperiret. Itaque generalem Syndicum & Iudicem ſupremum totius Ægypti eum creauit, ornatumque muneribus tam ſplendidis in prouinciam ipſius fidei commiſſam eum ablegauit, addito mandato expreſſo, vt diligentiſſime in omnes Eunuchi actiones, & iniquitates inquirat, ob quas tot Ægyptii Conſtantinopolim vſque ſuas querelas detulerant. Nouus igitur Baſſa ſtatim ad iter ſe accinxit, cuius nuncius vt Ægyptiis fuit gratiſſimus, ita Eunuchum vehementiſſime perturbauit, quod illius aduentus certam perniciem atque interitum ei adſerret, idque vel maxime, quod in tota Ægypto neminem haberet amicum, qui eum è periculo, quod ab Ebraino Baſſa ipſi imminebat, eriperet. Caute igitur ſaluti & vitæ ſuæ incolumitati conſuluit, neque Viſirii aduentum ſibi expectandum ratus eſt: Sed relicta Ægypto Conſtantinopolim petiit, eo conſilio, vt iratum regis animũ placaret, vel ad minimum donis & reginæ interceſſione mitiorem ſibi redderet. In itinere vero ſummo ſtudio cauit, ne in Ebraini manus incideret, à quo certiſſimam necem, & bonorum omnium amiſſionem ſibi imminere ſciebat. Ebrainus de Haſſani fuga à quibuſdam Ægyptiis edoctus, continuo per celeres nuncios Amurathem de ea certiorem fecit, quo intellecto, & quod Haſſan rectam viam, quæ Memphi in Thraciam ducit, non fuiſſet ingreſſus, cognito ſubuereri cœpit, ne ad Principes peregrinos, maxime vero ad Perſas aufugeret: quorum gratiam donis ſibi comparare quiuiſſet, illiſque dubio procul gratiſſimus extitiſſet hoſpes, propterea, quod diu in aula Turcica verſatus, omnia eius arcana didiciſſet: Quibus aperiendis Perſas ſibi maximo beneficio deuinciret. Igitur ſumma diligentia Mareſchallum ſuum, quem Imbrahur Baſſi vocant, cum 40. capigis (qui ſunt miniſtri aulici ſecretiorum Imperatoris cõſiliorum participes) ablegauit, iuſſitque, quocunque Haſſanum offenderent, viuum ad ſe adducere: eumque in finem quas ſibi neceſſarias fore putaret, copias colligeret, datis illi literis ampliſſimis, quæ mandatum hoc ſcriptum continebant. Mareſchallus inſtructus literis regiis & ſatellitio firmiſſimo ſtipatus, non multum à recta via declinans, Eunuchum in Syria prope vrbem Apameam; quæ Amas hodie dicitur, offendit quieſcentem in campis, quos Orontes fluuius irrigat: qui inde Antiochiam delatus, tandem mari Syriaco prope Seleuciam Pieriam, quæ Soldin hodie dicitur, ſeſe infundit. Vbi Eunuchus venientem ad ſe Mareſchallum comperit, ſeruos ſuos, qui ſemper ipſius tentoria maximo numero haſtis & bombardis armati cuſtodiebant, ordine diſpoſuit, eoſque, præter Mareſchallum in tentorium ſuum intromittere neminem; in primis vero capigios introitu prohibere iuſſit: nec incommode illi hoc conſilium ceſſit. Nam vbi Mareſchallus tentoria vidit, ſtatim aduolauit, & quod reliquis erat maius, ingredi conatus eſt. Sed prohibuere ſerui, ne præter ipſum quiſquam introiret, omnibus eius ſatellitibus extra illud retentis: ingreſſus exhibuit ipſi mandatum regium, petiitque, vt haud grauatim & citra moram illi obtemperaret. Aſtutus Eunuchus reſpondit, ſe vltro, etiam non vocatum, iam ad regem pergere: Et certum ſe eſſe non modo de clementia, & placato regis erga ſe animo, ſed gratiam quoque ſingularem ſperare. Nec ſe credere, iniquas & falſas calumniatorum querelas tantum efficere poſſe, vt ſiniſtri quid contra ipſum ſuſciperet. Ambo igitur Conſtantinopolin verſus profecti ſunt, per Antiochiam, Heracleam, Gagnam & Niceam facto itinere.

nerē. Interim plurimos nuncios ad reginam cum literis ablegauit, certiorem illam de ſuo aduentu faciens, ac rogans, vt apud Imperatorem intercederet, ſibique illum reconciliaret. vbi Chalcedonem illum perueniſſe, regi ſignificatum fuit, continuo imperauit, vt omnes theſauri atq; opes ipſi adimerentur, & in ærarium regium deponerentur: Eunuchus vero in carcerem, cui ſeptem turrium nomen eſt, detruderetur, vbi mœſtus aliquādiu capitale timuit ſupplicium: donec regina per nuncium quendam illi ſignificauit, opes ei vitam conſeruaſſe: ſe quoq; ſperare, breui illum priſtinæ libertati reſtituere, quod paulo poſt à marito precibus & intercesſionibus impetrauit.

Ebrainus vbi in Ægyptum peruenit, nouos & inuſitatos modos & rationes pecuniæ exigendę excogitauit, malitia & extorquiſionibus Eunuchū ſuperans, ingentes opes; præter annuum cenſum 600000. cecchinorum, quos ea prouincia annuos pendet, corradit, ob quas magis magiſq; dignior habitus fuit regio matrimonio: ad quod perficiendum Conſtantinopolim fuit reuocatus: prius tamen ipſi mandatum, vt expeditionem contra Druſos ſuſciperet; atq; illos, qui Turcicum Imperium recognoſcerēt, in obedientia confirmaret, tributo annuo ab illis exacto: Inobediētes vero & rebelles extirparet, & in vniuerſum omnibus amicis atq; hoſtibus arma & bombardas adimeret. Ebrainus regio edicto parēs omnes theſauros & opes in prouincia acquiſitas congeſſit, conſcripto quoque exercitu ex ea regione, 13. Sangiacchos, qui Cairi diſtrictum, eius loci Baſſę ſubiecti, regunt, ſecum in bellum venire iuſſit, inde per arenoſam ſolitudinem, quæ Arabiæ deſertæ pars eſt profectus, Gazam attigit, inde Hieroſōlymam, Saffeto, Legium, Naplos, olim Samariam, peruenit, omniumque earum vrbium Sangiacchos ſocios ſibi futuræ expeditionis aſciuit, quorum iam octodecim ipſius caſtra cum mancipiis & ſubditis militibus ſequebantur, antequā Damaſcū perueniret. Porro ipſius aula numeroſiſſima multitudine conſtabat, & 200. Ianizari iuſſu Imperatoris ipſum comitati fuerant, cū primū Conſtantinopoli diſceſſit, ita vt in vniuerſum ipſius exercitus 12000. equitū conſtaret. Damaſco Hieroſolymā vſq; ipſi obuiam profecti fuerāt omnes Ianizari cū ipſorū Aga, omnes Zaini atq; Spahini, & reliqui milites Baſſæ, eius loci, qui Veis, & ſupra ēt nominatus fuit, ſubiecti, quorū 2000. erant. Alapia ad ipſum peruenit Alybaſſa, qui, vt Turcę vocant, Maſul, nullo fungebatur officio, ſtipatus 200. ſeruis. Ipſe Ebrainus, Giaffer Tripolis Baſſam, Eunuchum, hominem aſtutum & truculentum euocauit: verum ille excitatus illuſtri fama Oſmani Baſſæ, qui ipſum ſingulari amore proſequebatur Ebrahini imperio parere noluit. Ex Cypro aduenerant Ianizari cum ipſorū Aga, triremibus aduecti, quibus Ebrainus Conſtantinopolim nauigare ab Imperatore iuſſus fuerat. Tot igitur copiis ad bellū inſtructus, Druſos debellare, atq; omnino vincere, nomenq; ſuum illuſtrius reddere decreuit. Sed qui nam illi Druſi ſint, quorū hic mētio, breuiter deinceps indicandum. Sciendū igitur, hos Gallorum illorū reliquias eſſe, qui pio zelo, & ſtudio religionis ducti, in Palæſtinā armata manu profecti, ſepulchrū Saluatoris noſtri Barbaris ademerūt: poſtea tamē morbis & furore hoſtiū denuo oppreſſi, cū illis ſeſe cōmiſcuerūt, & vna cū imperio auitā religionē quoq; paulatim perdiderunt, ac deteſtandā Turcarū ſuperſtitionē & circūciſionē amplexi, peculiarē ſibi prophetā, nomine Iſmān, delegerūt. Non igitur circūciduntur Druſi, neq; vini potu, vt Mahometani, abſtinēt: inceſtas vero cū propriis filiabus nuptias contrahūt. Nec religionē modo & cōſuetudines à Turcis ſeparatas, ſed peculiare quoq; imperiū in hunc vſq; diē conſtabiliuerunt. Nā licet vbiuis plurimæ gentes Turcarū dominio ceſſerint, ipſi tamen præter natiuos ſuos Principes nullum vnquam ex Ottomannicis præfectis admiſerunt, cuius imperio ſe ſubieciſſent. Bello ſunt ſtrenui, robuſti, pertinaces, audaces & intrepidi, legum ſuarum obſeruantiſſimi, licet non ita pridē nonnulli ipſorum ducū, propter mutuas diſſenſiones, potentiorū voluntati ſeſe accommodare, & cedere coacti fuerint, quo ſaluti ſuæ & incolumitati proſpicerēt. In præliis vt plurimū machæra & bōbardis vtūtur, nonnulli tamē lancearū & ſagittarum vſum quoq; addidicerunt. Orientalium populorū veſtitum imitantur,

caput redimiculo illo, quod Turbantem vocant, tegunt. Nunquam caligas geſtant; ſed in earum vicem veſtibus longis vtuntur, quas à parte anteriori claudũt. Cibis inconditis & agreſtibus aſſueti ſunt: omnem eam regionem inhabitant, quam Ioppe vrbs, & fontes Orontis, & Iordani fluuii claudunt, quæ Damaſcum vſque & ad Libanum montem pertingit, firmo quondam amicitiæ vinculo, & concordia iungebantur, eoque maiori apud vicinos pollebant authoritate: Nunc vero vbi auaritia & habendi cupiditas eos inuaſit, diuiſi inuicem, mutuo ſeſe perſequuntur. Duces eorum illuſtriores quinque nominantur, quos illi Emir ſeu reges vocant, Ebneman, quem Turcæ Monogli adpellant; Seraſadin, Mahemet Ebnemanſur, à Turcis Manſurogli dictus: quartus eſt Ebnefroc, quẽ Turcæ Feracogli & Arabes Acra vocant. Vltimus denique Aly Ebnecarſus, à Turcis Alycarſuſogli vocatus. Præter hos multi reperiuntur, quos Druſi Macademi adpellant, qui regum fere vicarii, vel locum tenentes ſunt. Ex quibus duorum præcipue in noſtra hiſtoria faciunda erit mentio, Gomedæ videlicet & Mendelis; quorum ille Beryti, hic vero Tripoli reſidebat, per adulationem ipſi quoque Emir ſeu regis titulo vocabantur. Sed reuera Manſurogli, vel Mahometis Ebnemanſur vicarũ erant. Ebneman eos colles & campos incolit, qui Cæſareæ, Ptolomaidis, Tyri & Sidonis iuriſdictioni parent, quæ loca deuaſtata incolis Cheiſerie, Aca, Sur, & Seida vocantur: plerumque habitat Anderæ, vbi ædes ſupra collem extructas habet: militibus & armis plurimum valet, Turcici nominis hoſtis infenſiſſimus, idque ea de cauſa, quod eius pater à Muſtaffa Damaſci Baſſa vita ſpoliatus fuit. Ebnemanſur totum illud territorium poſſidet, quod Anatæ & Beryto interiacet: domicilium vero in Gozir ſupra collem habet. Turcis hic ſeſe adiunxit, propter contentiones, quæ ipſi cum Ebneſuip vicario in Tripoli, & Ebnemano, ſupra nominato, interce debant, creatuſque fuit Sangiacchus Laodiceæ, & Tripoli vectigalibus præpoſitus, quod officium ipſius nomine Gomeda adminiſtrauit: qui tamen Conſtantinopoli in carcerem detruſus, Anno 1586. eo officio iterum fuit priuatus, id in primis requirente Ioanne Michaele, qui Venetæ Reip. nomine Conſulem in Syria agebat.

Seraſadini regio Ebnemani & Ebnemonſuri ditionibus cingitur: Illi amicitia & fœdere iunctus eſt: Hunc capitali odio proſequitur, viribus & reditibus tamen vtroque multo inferior. Ebnefrec eam partem Libani montis habitat, quæ verſus ortum vergit, & ad pedem montis vſq; in planitiem, quæ Bocca dicitur ſeſe extendit. Hanc planitiem cum vrbe Balbech (quam Cæſaream Philippi quondam fuiſſe nonnulli augurantur) ſemper tenuit Emir Aly Ebnecarſus, qui durantibus hiſce tumultibus titulum Baſſæ magno pretio comparauit, ſeque, ſuaque omnia Turcicæ ſeruituti ſubiecit, contigua eſt celeberrima illa vallis, Medicis & Poetis notiſſima, quæ Libano & Antilibano mõti interiacet, ex qua Orontes & Iordanus fluuii, Ior & Dan incolis dicti, profluunt. Fœdere inter ſeſe ſemper iuncti fuerant Ebnefrec, Ebnecarſus, & Ebnemanſur, quod ad uentu Ebraini Baſſæ renouarunt, illorum potentiæ æmuli erunt Seraſadin & Manolius, & pars vtraque intenta in perniciem alterius, cauſſa extitit, vt ambæ in Turcarum poteſtatem redigerentur, vbi primum fama de Ebraini expeditione in Syriam percrebuit. Tres illi confœderati, vt hoſtibus ſuis exitium ſtruerent, obuiam Ebraino profecti ſunt, Amurathis imperio ſeſe ſubiicientes: Dona ampliſſima offerentes: Rebellionis & inobedientiæ Seraſadinum & Ebnemanum accuſantes, in quos extremo ſupplicio animaduerti petebant. Dona, quæ obtulerunt, ex auro nondum ſignato, pecunia numerata, quam contribuerant, veſtibus ſericis, pannis, ex lana confectis, & ſerici maxima copia, rebuſq; aliis maximi pretii conſtabant, & quilibet eorum 2000. vel 3000. militũ erat ſtipatus. Ebrainũ igitur Hieroſolymis offenderũt, cui gratiſſimus fuit ipſorũ aduentus, & munera prompto animo ab ipſis accepit, & de futura expeditione optima quæq; ex ipſorum fidelitate & obſequio ſperare cœpit, verbis blãdiſſimis eos accepit, præmia atq; honores ampliſſimos cum imperii prolatatione vnicuiq; ipſorum pollicitus: quibus illi excitati, vehementius duos illos inimicos accuſare cœperunt, maximo cum

mo cum Ebraini gaudio, qui omnem ſpem victoriæ in diſcordia ducum primorum poſuerat. Ebrainus igitur prompte non modo excidiũ rebellium regis promiſit, ſed vindictam de hoſtibus ſumendam illis ſe commiſſurũ promiſit. Iunctis igitur viribus, facto itinere per Damaſcum, ad Boccæ planitiem peruenerunt, ibiq; caſtrametati circa menſem Iulium Anno à reparata ſalute 1585. copias recenſuerunt, quarum numerus 20000. equitum excedebat, vndiquaq; accurrebant incolæ cum donis & muneribus, quibus honorare Viſiriũ cogitabant, quos ille amice excipiebat, & benigne proſequebatur, quãtum ipſius auaritia permittebat. Ioannes Michael, cuius ſupra quoq; meminimus, Chriſtophorũ Bonium Raguſæum, interpretem ſuum, ad Viſirium miſit, qui omnia beneuolentię ſigna ipſi exhibuit, tum vt obſeruantem Reipub. Venetæ ſe præberet, tum quod ipſum propter communem patriam vehementer coleret atq; amaret, eumq; ad finem vſq; huius expeditionis ſecum retinuit, qui omnia ea, quæ in hoc bello occurrerunt, diligentiſſime conſignauit, & fideliter mecum communicauit. Ex hac planitie ſcripſit Ebrainus ad Saraſadinum & Ebnemanum, imperans eis, vt ad ſe venirent, ſeſeq; ſiſterent, tanquam ſubditi fideles regis Amurathis: quod ſi imperata facere detrectarent, minabatur ipſis exitium & interitum. Monolius non comparuit, verum Seraſadin & viribus, & ditione inferior ſe ſiſtere ſtatuit, quo omni periculo ſe eximeret, precio & donis comparata immunitate priores tres imitans, quibus proſpere & ex voto hoc ſtratagema ceſſerat. Collecta igitur magna ſerici, & pecuniæ atq; panni pretioſi copia, ad Ebrainum proficiſcebatur, militibus, qui cum ipſo venerant, in loco à caſtris nonnihil remoto cõſiſtere iuſſis, ad Viſirii tentorium cum donis ſeſe contulit, quæ prompte accepta atq; ablata fuerunt, factaq; ipſi dicendi copia, hoc in primis Viſirio perſuadere conatus eſt, ſemper ſe ad Amurathis obſequium promptiſſimum fuiſſe, nihilq; magis in votis habuiſſe, quam vt oblata occaſione propenſam animi voluntatem declarare quiuiſſet, eoq; deſiderio ductum, huc veniſſe, inuitatũ ipſius literis, ſe omnia, quæ in ipſius ſint poteſtate, exigua licet, vltro Ebraino offerre, inſuper maiorem in modum rogare, vt grato animo ea accipere velit. Ebrainus ad plurima eorum, quæ dixit, non reſpondit: ſed tantum quæſiuit, ob quam cauſſam perpetuas cum tribus Emiris (qui in eodem tentorio præſentes erant) contentiones atque diſcordias aleret. Reſpondit Seraſadin, nunquam à ſe quicquam commiſſum eſſe, quod iuſtam rixarum atq; diſſenſionum cauſſam præberet: quod ſi quædã motæ ſint lites, tres illos in cauſſa fuiſſe, qui, vt potentiores, ipſum infirmiorem opprimere conati eſſent, & ſi quando arma ſumpſerit, nõ id cuiuſcunq; laceſſendi, ſed ſe ſuaque defendendi animo factum eſſe præcipue; ſemper ſe à bello abhorruiſſe, & paci atq; tranquillitati, vt cum hominibus, ita in primis cum vicinis promouendæ ſtuduiſſe, ad hæc verba tres illi coniurati ſurrexerunt, & facie torua, quæ animum odio atq; ira inflammatum præ ſe ferebat, ipſi reſponderunt, nullam bellorum atq; tumultuum cauſſam ſine ipſo extitiſſe, quod omnia iſta confinia, iſtos colles, campos, & maris portus infeſtarit, vectigal regium, cuius curam Ebnemanſur gerebat, imminuerit, & quod in tantum ipſius inſolentia atq; temeritas excreuerit, vt neque ex aliis portubus naues peregrinæ in portum Sidonis, Tyri, atque Beryti appellere, neque per eam regionem mercatores iter facere audeant, quod omnia latronibus infeſta ſint, non aliter, quam ſi Arabum excurſionibus loca ea inculta & incolis vacua reddita fuiſſent: adeo quemlibet ab adeunda ea ditione, terra marique, abhorrere. Paratus erat Seraſadin, obiecta ſibi crimina diluere, quod neque Berytus, neque Sidon, neque Tyrus iuriſdictioni ſuæ ſubiectæ eſſent, ſed partim Manolio parerent, partem Ebnemanſuri tyrannidi expoſitæ eſſent: ſed præuenit ipſum Ebrahinus, & verbis iniurioſis, & atrocibus increpitum, Ianizarorum Conſtantinopolitanorum duci illum cuſtodiendum tradidit, qui fidiſſime ipſum obſeruauit, ne euadat, pedibus ipſius nocturno tẽpore ferro conſtrictis. Interim à Manolio literæ allatæ ſunt, in hæc fere verba ſcriptę: Domino dominorũ, ſupremo potentiſſimorũ Nobiliſſimo belli Imperatori, maximi Imperatoris cõſanguineo, digniſſimo inter Electos

Mahometis prophetæ, Nobiliſſimo & Illuſtriſſimo Domino Ebrahino Baſſæ, Fortunet Deus ipſius proſperitatem, & honores augeat. Cum abs te amice inuitatus, & vt me tibi coram ſiſterem, admonitus ſim, nihil magis in votis haberem, quam vt quantocyus ad te venire, teq; quocūq; ires, ſequi poſſem: neq; vnquam committerem, vt quicquam in meo ſtudio atq; diligentia deſiderares. Scio enim tibi iam dudum conſtare de mea erga Summum Imperatorem obſeruantia, & deſiderio, quo ipſi inſeruire, & in eius obſequium facultates, atq; ipſam vitam impendere, promptus paratuſq; ſum. Cuius rei documenta, exigua licet, iam me edidiſſe ſpero, cum vectigalium adminiſtratio meæ curæ fuit commiſſa, in qua talem ſemper me geſſi, vt nullius obuli nomine reliquatus fuerim, quod Ebnemanſur (qui nūc tecum moratur) minime de ſe prædicare poteſt. Etſi enim Hieroſolymam vſq; tibi obuiam profectus eſt, quo ſuam fidem tibi probaret, interim tamen iniuſtiſſime plus 20000. ducatorum fruitur, quos ex regiis tributis ad ſe rapuit. Sed impedior fortuna mea ſiniſtra, quo minus ad te peruenire poſſim. Ad latus enim tibi ſunt tres mei hoſtes infenſiſſimi, qui non contenti, quod perpetuis tumultibus ditionem meam infeſtarunt; nunc hoc in primis quærunt, vt in extremum tuum odium me ponant, quo ſi in tuas manus inciderem, vita me innocentem priues. Nec mihi dubium eſt, quin ea de cauſſa abs te vocatus ſim, quo me captum occidas. Scio enim te res maximi momenti animo voluere. Impedit quoq; aduentum meum iuramentum, quo me puerum adhuc obſtrinxi, cum patrem meum indigniſſime à Muſtaffa Damaſci Baſſa, qui amice ipſum ad ſe vocarat, occiſum & capite plexum vidi. Illud paternum caput pallidum & palpitans adhuc animo meo firmiter impreſſum, in ſomnis & tenebris, atq; vigiliis diurnis ſeſe mihi offert, & de Tyrannorum perfidia me præmonet, vt mihi caueam, ne in illorum manus incidam. Doleo equidem, quod tuo mandato obedire non poſſim, & forſitan contumax eo nomine tibi videbor: ſed hoc vno dempto in omnibus aliis, quæ mihi imperaueris, promptiſſimum me ſemper atq; paratiſſimum experiere, teq; digniſſimum iudico, cui multo potentiores obediant: vt me taceam, qui minimus ſum ex Amurathis mancipiis. Spero te abſentiæ veniam daturum: Interim circumſpice, num quid in mea ſit poteſtate, quod tibi placere queat: quod, cuiuſcunq; ſit precii, etſi vile tibi videbitur, tibi tamen lubentiſſime non mihi amplius reſeruabitur. Vale & mihi impera, meq; excuſatum habe, quod ob iuſtiſſimas cauſſas non venio, quo debitum honorem tibi exhibeam. Subſcriptio talis erat: *Miſer & minimus ex mancipiis Imperatoris, Filius Manii.* Vbi hæ literæ perlectæ fuerunt, ſtatim Ebrahinus coniecit, Manolium vltro ad ſe non acceſſurum: Ideo cum vniuerſo exercitu in ipſum mouere, oppida & pagos exurere, extrema quæq; minari, & vel vi vel fraude ipſum in poteſtatem ſuam redigere, quod ſi hoc non poterat, tormenta ad minimum ipſi complura adimere, maioribus donis ipſum emungere, tributum deniq; immenſum exigere ſtatuit. Diſceſſit igitur cum exercitu verſus Manolii ditionem, quoque iuit, nihil intentatum reliquit, oppida 24. excidit, rupem quandam Libani, qui Anderæ imminebat, occupauit, ibiq; conſedit, reliquæ Manolii ditioni exitium meditans. Interim Veis Baſſa, qui in planicie Boccæ relictus fuerat, vt terga exercitus obſeruaret, cum filio ſuo Sangiaccho Hieroſolymitano, qui 1500. milites ſecum habebant, in maximum periculum fuit adductus: dum enim viæ ſe parāt, & tentoria deponunt, ex improuiſo maxima Druſorum multitudo, quæ partes Manolii ſequebantur, per inuia & itinera incognita illuc delata, eos tanto impetu aggreſſa eſt, vt breui magna pars ipſorum militum occiſi, reliqui pię timore in fugam adacti, & tentoria & pecunias, atq; arma Turcica cum equis in prædam Druſis reliquerint: occubuerunt ex Turcis circiter 500. Sangiacchus Hieroſolymam aufugit, neque ad Ebrahinum rediit. Sed Veis Baſſa exercitum ſecutus, omnium commiſeratione dignus habitus, cui pro damno accepto Ebrainus dona & honores ab Imperatore impetraturum ſe promiſit. Subſtitit per 24. dies in colle prope Anderam Ebrahinus, omniumque rerum neceſſariarum copia abundauit exercitus, dumque ibi hæreret, hoc in primis ſtuduit, vt à Manolio vel

ſplen-

ſplendida munera extorqueret, vel eum in poteſtatem ſuam redigeret. Ideo Gomedam Ebnemanſuri vicarium ad ipſum miſit, eiq; ſignificari iuſſit, vt ſi quidem ipſius, qui amicus eſſet fidei iurato datæ, ſe concredere nollet, ad minimum bõbardas, quas ipſius ſubditi haberent, mittat: Imperatorem enim nõ amplius permiſſurum, vt ſubditi ipſius, qui non proficiſcuntur in militiam, armis tam bene ſint inſtructi, iiſq; in perniciem & damnum ſubditorum vtantur. Manolius non æquo animo Gomedam excepit, quem hoſtis ſui capitalis vicarium eſſe nouerat, non tamen vllis iniuriis eum afficere audebat, ſed de bombardis reſpondit, ſubditos ſuos paſſim cum armis per territorium vniuerſum eſſe ſparſos, non igitur ſe ſcire, quas ille petat, vel quas mittere debeat bombardas. Hoc reſponſo accepto Aly Alapię Baſſa à Viſirio veniam ſibi ad Manolium proficiſcendi dari petiit, non ſine fructu ſe rediturum putans, qua impetrata, vbi ad cautum illũ Druſum peruenit, multis rationibus illi perſuadere conatus eſt, vt quantocyus ſe Ebrahino ſiſtat, iurato ipſi affirmans, nulla ipſum iniuria affectum iri, obedientiæ præmium maximos illi honores promittens. Sed nũquam potuit induci, vt propoſitum mutaret, ſeque homini, quem minus beneuolum ſibi nouerat, concrederet; quod Alybaſſa ſentiens, hoc ſaltẽ ab ipſo impetrare adnixus eſt, vt copiam bombardarum, & munera quædam ſplendida in ſignum obſeruantiæ & obedientiæ ergà Amurathem ad Ebrahinum mitteret: verum ille nihil quicquam dare conſtituerat, quod oleum & operam ſe perditurum ſciebat. Vix tandem Aly Baſſa obtinuit, vt in ſui gratiam dona quædam ad Ebrahinum mitteret, ſcilicet 320. bombardas, 20. ſaccos ſerici Andarini, 50000. ducatorum: hæc omnia ſuo nomine Ebrahino offerri Aly Baſſam, ſeque in ipſius gratiam reſtitui iuſſit, quod vt faciliùs impetraret, & Ebrahinus caſtra mature inde transferret, ſequenti die ſummo màne propriam matrem in caſtra ad Viſirium miſit; quæ pro filio legatione fungens, excuſauit ipſum, quod accedere non auderet, ſiquidem hoſtes ipſius infenſiſſimi cum Ebrahino eſſent, & ipſe puer adhuc iuramento ſe obligaſſet, nunquam Turcarum fidei amplius ſe committere, cuius iuramenti ſolenniter præſtiti ipſa teſtis erat, cum perfide maritus ipſius à Muſtaffa Damaſci Tyrãno occiſus fuiſſet. Rogare ſe igitur vt grato animo accipere velit dona à filio miſſa, & vna cum illis animum ipſius promptiſſimum paratiſſimumq; ad quęuis ſeruitia, in gratiã & obſequium Amurathis obeunda; & cauſſas abſentiæ tanquam legitimas admittat. Ad hæc Ebrahinus: Si vos adhuc perterritos reddit inquiſſimum Muſtaffæ factum, ſceluſq; enorme, qui fidem fallens promiſſam, maritum tuum nefarie occidit, mihi tamen diffidere, & de tam atroci fractæ fidei crimine ſuſpectum habere minime debetis, qui vir ſum honeſtus, & promiſſorum obſeruantiſſimus. His dictis, amicitiam illi conſtantem & fidam iurauit, capiti ipſius velum album ſericum iniecit, ille alio ſe redimiuit, aliud quoque manibus ipſius impoſuit, & ad filium reportare, eiq; datam & promiſſam fidem nunciare iuſſit, nec aliter quam amicum & fratrem ipſum tractatum iri. Diſceſſit optimè contenta vetula, ſed quod vel nollet, vel non poſſet conſilium filii immutare, ingratum Ebrahino nuntium retulit. Inde magis quam ante, contumacem Druſum cumprehendere, vel dona atq; arma ab ipſo extorquere, omnibus rationib. conatus fuit, nec amplius vllo pudore retinebatur, quicquid in animũ ſemel inducebat, ſibi licere putans. Aſtutum igitur & malitioſum Gomedam denuo ad ipſum miſit, qui verbis fraudulẽtis, omnibuſq; modis, vt ſeſe ſiſtat perſuadere conatus eſt, ſed fruſtra. Re tamen infecta ille diſcedere nolens, hoc ſolummodo iuſſu Ebrahini ab ipſo tandem petiit, vt cum in caſtra venire nolit ſaltem rationes officii geſti ſecum conferre velit, quibus ſaluis, ſe impetraturum ſpondebat, vt continuo Viſirius inde diſcedat, & ipſe pace ſua in poſterum fruatur. Senſit fucum Manolius; vt tamen Gomedæ gratum faceret, alia ipſi dona ad Ebrahinũ perferenda dedit, eo tamen pacto, vt continuo inde diſcederet, neq; vnquam cõtra ſe armatus rediret, quod liberaliter Gomeda promiſit. Accepit igitur 50000. Ducatos, 480. bombardas, 1000. capras. 150. Camelos, totidemq; bubalos, & 200. verueces. Quæ vbi Gomeda ad Ebrahinum retuliſſet, & qua ratione illis Ma-

nolium emunxiſſet, ei ſignificaſſet, eo nimirum pacto, vt Viſirius inde diſcederet, nec reuerteretur in poſterum; acriter fuit reprehenſus, quod mandata Viſirii maiori cura & fide non fuiſſet executus, & ſi in futurum ſimili ratione peccaret, ſe dignis modis in ipſum animaduerſurum, quo reliqui ſibi caueant, tantum ſibi, in præiudicium Viſirii, ſumere, & eiuſmodi inire pacta pernicioſa & illicita: & quo vtrumq; ignominia quadam afficeret, imperauit, vt continuò ad Druſum ſeſe conferret, ille mœſtus & timore perculſus, imminere ſibi maximũ quoddã diſcrimen à Manolio veritus, cogebatur tamen illius obſequi imperio, q̃ & vitã & honore ipsũ priuare poterat. Vbi igitur in Manolii conſpectũ venit Druſus vehemẽter iratus, libentiſſime vindictã de ipſo ſumpſiſſet, eiq; violẽtas intuliſſet manus, nec parũ abfuit, quin lanceã, q̃ manu gerebat, in pectus illi vibraſſet; ſed impetũ cohibuit, ne graui⁹ quoddã piculũ in ſe cõcitaret, verbis tamẽ ignominioſis & minis grauiſſimis ipſum affatus atq; ꝓteſtatus ſe occaſionẽ expectaturũ, quã omnia q̃ fraude ac dolis ipſi iã ademerat ab ipſo repoſcere poſſit. Nihilominꝰ tamẽ Gomeda tantũ effecit, vt magnũ adhuc bõbardarũ numerũ, 10. gladios, & totidẽ pugiones deauratos, aliquot cingula argẽtea, decẽ ſerici ſarcinas, & parũ pecuniæ extorſerit: Ea tamen lege, ne vnquã in poſteru redeat; niſi præſens vitæ periculũ certo adire velit. Non ingrata hæc munera fuerũt Ebrahino, qui maximo gaudio ea excepit, videbaturq; ipſi ſat p̃dę ex eo loco reportaſſe: Ideoq; illinc diſcedere, & reliquã Manolii ditionẽ deuaſtare inſtituit, vbi nihil ſanum & intactum ab eius furore permãſit: p̃curſorẽ miſit Emir Ebnefrec cognomine Acran, q̃ vbi Anderã peruenit, q̃ ſedes eſt ordinaria Manolii, illã plane vaſtari atq; exuri iuſſit, totũ deinde territorium prouaſtatũ fuit, & 19. alia oppida & pagi præter eos, quorũ ſupra memini, biduo igne abſumpti, præda opima vndiq; collecta, in altiſſimũ quendã & ſpacioſiſſimũ collẽ prope Anderã cũ exercitu rediit; rurſumq; per plurimos internuncios Manoliũ ad ſe ſiſtẽdũ ſollicitauit, ſed fruſtra. Nõ n. vel rigore vel clemẽtia efficere potuit, vt in caſſes lethales vltro ſeſe induceret. Cõuersꝰ igitur in miſerã & innocẽtẽ plebẽ, omni crudelitatis genere deſęuiit: certior deinde factus, Anderæ præfectũ, Manolii Macademum, cum 350. ſubditis colle quodã inacceſſo tutoq; conſiſtere, Ebnefrecum ad eũ miſit, illiq; nunciari iuſſit: ſiquidẽ Manolius ſe ſiſtere nolit, ipſe modo veniat, ſe in contumeliam Domini ſui, ipſum Sangiacchũ loci, cuius optionẽ ipſi relinquat, creaturum. Macademus ambitioſus & incautus, mendaciis iſtis fucum ſibi fieri paſſus, ab Ebnefreco comitatus ad Viſirium ſeſe contulit, ſubditos ſuos 350. ſolis gladiis, & arcu armatos depoſitis bombardis, quarum nullas amplius penes ſe reperiri antea ſparſerant, ſecũ duxit, latere dextro incedens, debito honore Ebnefrecũ afficiebat (eſt n. conſuetudo in oriente vſitatiſſima, et antiquis forſitã in more poſita, vt latus honoratius ſit ſiniſtrũ, ad q̃ gladius pendet, minus vero honoratũ dextrum latus, q̃ ictui gladii expoſitũ, & facilius offẽdi poſſit) vbi propius ad tẽtoriũ Viſirii acceſſit, comites ſuos in valle quadã, trib. milliarib. remotã, ſubſiſtere iuſſit. Sed Ebrahinus Macademũ dignũ licet ob corporis habitũ & ferocẽ vultũ, qui conſpiceretur, in cõſpectũ admittere noluit: ſed in loco ſeparato ab Ebnefreco ipſum cuſtodiri iuſſit. Deinde cõſiliũ Druſorũ ducum, & Aly Alapiæ Baſſæ cõuocauit, cũ iiſq; deliberauit, quo modo cõmodiſſime 350. illi Druſi, qui cũ Macademo venerãt è medio tolli poſſint: ab his cõcluſũ, vt Ebnefrec eos in vineã quandã deducat, vbi improuiſe vndiquaq; à Turcis circũdati in fruſta cõcidãtur; cũ parũ dãni ſeſe defẽdẽdo inferre poſſint, q̃ bõbardis deſtituãtur. Paruit huic imperio Ebnefrec, & vt fuerat decretum in concilio, miſerrime omnes hinc à Ianizaris, illinc à Sangiacchis trucidati fuerũt, extiterunt nonnulli, qui machæra, ſagittis, & toto corpore ſeſe defẽderũt, & interfectorib. ſuis oppoſuerũt; ſed nullo, vel perexiguo effectu: omnes enim in communi illa clade miſere perierunt: è parte Turcarũ tantũ tres Ianizari cum ipſorũ Vlubaſſi, & Emiri Ebnefreci aliquot ſubditi, atq; Ebnecarfus ceciderunt, quod eodẽ habitu cũ reliquis Druſis veſtitu in ea confuſione diſcerni ab hoſtib. nequerint: pluresq; eadẽ ratione periiſſent, niſi admoniti pileũ folio vitis notaſſẽt, eaq; ratione ab hoſtib. diſcreti, & piculo exẽpti fuiſſẽt. Subditorũ ſtragẽ

proxime

proxime ſequebantur ipſius Macademi cædes, quem Ebrahinus ad ſe adduci, inde veſtibus exutum, viuum excoriari iuſſit: cui ille dum exueretur, perfidiam & periurium verbis atrociſſimis exprobrabat, & nunc riſum mouebat, nunc minas vomebat, tandem in hæc verba erupit: Genitalia mihi exſcindite, eaq; primũ matrici vxoris perfidi Ebrahini intrudite: Illiq; poſtea in os, vt ſatietur mea carne, immittite. Inde conuerſus ad eos, qui ſupplicio ipſum afficere debebant; Recte, inquit, vobis conſuluiſtis, quod tanta vehementia & tanto numero me aggreſſi, meumq; ſanguinem haurire, & vita me exuere parari eſtis. Non enim, credite mihi, quiſquam veſtrũ tam audax, tamq; temeratius exiſteret, qui me ſolum aggredi, & vel minimã ſanguinis guttã ex corpore meo elicere, vel ſaltem cõſpectũ meum ferre auderet, ſed ſatiate & explete ſceleratiſſimam veſtrã libidinem, & iniquiſſimũ veſtri Viſirii mandatũ exequimini, tandẽ n. vos quoq; tã indigni facinoris digna ſequetur pœna. Vbi veſtib. fuit exutus, tres inciſurę in dorſo ipſi factæ fuerũt, & cutis detracta. Interim ille non ceſſabat in Regem, in falſum prophetã, & ipſorum religionẽ conuitia atq; blaſphemias ſpargere: vna parte excoriata, alteram aggreſſi ſunt, & inciſuris ſupra pectus & ſtomachum aliquot factis, detrahendo cutẽ ad inferiora, vix ad vmbilicũ vſq; peruenerũt, cũ ille infelicem exhalauit animam. Quo facto Viſirius in tentoriũ ſuum acciuit Ebneſerafadinũ, mandauitq;, vt, dũ ibi ſecũ eſſet, omnes eius ſubditi, qui cũ ipſo venerant, trucidarentur. Sic miſeri illi, ad 150. numero miſere fuerunt occiſi. Serafadinus verò denuo in vincula coniectus, ipſiusq; ditio militibus diripienda fuit conceſſa: qui promptiſſime munus illud ſubierunt, & ſpoliis vndiq; collectis plurimi fuerunt ditati: atq; inde 180. capita lãceis infixa in trophæi ſignũ circumtulerunt, interim nuncios Sidonẽ miſit, vbi triremes Cypriæ in ſtatione erant, ex quib. 4000. militũ in terrã deſcendere, & ditionẽ omnem finitimã vſq; Cæſaream Palæſtinæ deuaſtare, neq; cuiuſquã ſexui, vel perſonæ, vel cõditioni parcere iuſſit: quod vt ille imperauerat, ſubito effectũ. 3000. hominũ in ſeruitutẽ abducta, variæ merces in prædã milirib. ceſſerunt, omnes pagi exuſti, turres æquatæ ſolo, & vt breuiter dicã, deſolatio horrẽda vniuerſę Monolii & Serafadini regioni fuit illata. Serafadin poſtea cũ omnib. theſauris & munerib. cuſtodiæ Veis Baſſæ, & Aly Baſſæ cõmiſſus, Damaſcũ fuit perductus. Tripolim inde perrexerũt, & caſtra metati in cãpis, nõ procul à mari expectarũt, donec Ebrahinus cũ triremibus ibidem appelleret. Qui iã accinctus ad reditũ, Conſtantinopolim iter maturabat: Imperator n. attente ipſum tũ propter aurũ acquiſitum, tũ propter nuptias filię operiebatur. Sed parũ ſe, vel nihil effeciſſe Ebrahinus putabat, niſi certã imperii formam inter populos illos conſtitueret, & quieti ipſorũ proſpiceret, quo cõſtantes in Turcici veneratione imperii perſeuerarẽt, vnũ ergo è tribus illis Druſorũ Emiris ſeu regib. q̃ Hieroſolymã ipsã comitati fuerãt, Baſſam totius Druſorũ Prouincię creare, illiq; curã omniũ ſubditorum cõmittere ſtatuit: è quibus elegit Emir Aly Ebnecarſum, reliquis ditiorẽ & magis fidelẽ, atq; obedientẽ, eũq; honore hoc atq; dignitate ornauit, ſed non ſine maximo pretio, ſiquidẽ munus 100000. cecchinorũ ab ipſo tulit. Aurata igitur veſte, & claua Turcica, atq; gladio deaurato ipſum donauit, homagiũ nomine Amurathis excepit, regioq; imperio eũ inſtruxit. In Damaſco 12. dies ſubſtitit, variisq; modis pecunia paſſim & donis quoſuis emunxit; vbi cũ nihil ꝑdæ amplius ſupereſſe cõperit, Gazir ac Berytũ verſus (quæ Ebnemãſuri ditioni parẽt) cũ toto exercitu mouit, ac in triremiũ vnã tentoriũ ſuum maius, & quicquid pretioſi Conſtantinopolim ſecũ allatum cupiebat, imponẽdũ curauit: ipſe in littore ſub humili quodã tuguriolo moratus, Ebnemanſurũ ad ſe vocauit, ipſumq; amice cõpellãs, tẽpus inſtare dixit, quo debitũ 160000. Ducatorũ, ꝓpter vectigal Tripolis & Beryti, Imperatori exoluat, ſe nõ poſſe diutius in his locis immorari, nec etiã ſibi licere ſine illa pecunia Conſtantinopolim redire. Reſpondit Ebnemãſur, fieri nõ poſſe, vt ipſius vicarii & Macademi diutius cõparere cũ pecunia ceſſent, ſe citra diuturniorẽ dilationẽ die ſequenti eã numeraturũ. Sed ficta hæc omnia eſſe mẽdacia Ebrahinus animaduertit, ideoq; ſi nõ pecuniam debitã, debitorẽ ſaltem Conſtantinopolim ſecũ adducere ſtatuit: verebatur tamẽ,

ne quis inde tumultus, dum triremibus eũ imponeret, oboriretur, tum quod in ipſius Ebnemanſuri ditione verſaretur, tũ q Ebnefrec atq; Ebnecarſus ſingulari fauore illũ proſequerẽtur. Melius igitur ratus, conſiliũ ſuũ celare & ſimulata beneuolentia, fraude atq; dolo ipsũ in vincula cõiicere. Illi igitur reſpõdit: Quoniã ipſius cauſa noctem iſta remanere neceſſe haberet, velle ſe die ſequẽte in Manolii ditionẽ adhuc ſemel impreſſionẽ facere. Rogare itaq;, vt tanq̃ Dux itineris ipſum comitari velit, & ſub mediã noctẽ vocatus ſine tumultu cõpareat, ſe vltra 500. milites in expeditionẽ illã non aſſumpturũ, credidit Ebnemanſur Ebrahinũ vera loqui, & hac ipſa ratione ſperabat, oblatã ſibi iri occaſionẽ, ex Viſirii manibus euadendi, vocatus igitur ſub mediã noctẽ, in tentorium Viſirũ peruenit, qui ipſum verbis aſperrimis & conuiciis exceptũ, catenaq; collo, & brachiis iniecta in triremes abduci iuſſit. Poſtea Berytũ miſit 500. illos milites, vt Mendel vicarium Ebnemanſuri, qui Emiri titulo vſus fuerat, viuum adducerẽt, totamq; ditionem Ebnemanſuri deuaſtarent deprædarẽturq;: ſtupẽda præda milites ibi potiti ſunt; pannorũ ſericorũ, auri, atq; argenti copia tãta reperta, quãta potentiſſimo cuiuis Principi ſufficere poſſet. Rebus igitur omnib. in naues adductis Tripolim nauigauit, vbi duo Baſſæ qui Serafadinũ cuſtodiebãt, ei ſeſe iunxerũt. Eo igitur naui quoq; impoſito, Cõſtãtinopolin recta curſũ direxit, vbi ſinũ cũ 24. triremi claſſe ingreſſus eſt, amici atq; cognati obuiã ipſi pceſſerũt, lætiſſimeq; eũ exceperũt: in aula quoq; exploſa fuerũt tormẽta maiora, quo magnificẽtior ipſius aduẽtus appareret. Eo tẽpore ego quoq; Cõſtantinopoli vixi, vnde mihi ẽt dona illa magnificẽtiſſima & pretioſiſſima, q̃ prædator iſte Imperatori tũc offerebat, videre cõtigit: auri ſc. millionẽ præter 600000. ducatorũ, quos Cairus annuatim pendet, 60. equos pulcherrimos, Arabes pleroſq;, optime cultos, Elephãtẽ & Giraphã viuos, duos ingẽtes Crocodilos mortuos, ſoliũ quoddã regiũ, auro & gẽmis affabre factũ, panni ex lana & ſerico ſubtiliſſime facti maximã copiã, pannos itẽ alios auro atq; argẽto more barbarorũ elaboratos & cõtextos, telã puriſſimã Alexandrinã, & omnes bõbardas, quas Druſis ademerat. Superius Sangiacchi Hieroſolymitani mẽtionẽ habuimus, quid vero inter ipsũ & Arabes, qui in Palæſtina habitãt, geſtũ ſit, priusq̃ cũ exercitu Ebrahin' adueniret, nõ incõmode forſã hic exponi põt. Habitãt nõnulli Arabũ duces in cõfinib. Sodomæ, & ad mare mortuũ, tũ ẽt in planitie illa & valle, vbi quõdã fuit Iericho & Samaria, vbi ẽt Bethlehẽ, Emaus, Bethphage, Betania, Capernaũ, Nazareth, Leuir, Bethſaida, Naplos & aliꝙ vrbes ſitꝙ ſunt, Ramã vſq; & Ioppẽ ſeſe extẽdunt, totã illam regionẽ excurſionib. & deprædationib. infeſtant, incolis qui in pagis habitãt & peregrinãtib. quotidie noua dãna inferũt, & ſæpenumero in tantũ excreſcit ipſorũ audacia, vt munitas vrbes aggrediãtur. Haſtis vtũtur & ſagittis ppetuo, neq; vllũ gen' armorũ habẽt, quo corpus muniãt; equos habẽt curſui maxime aſſuetos & exiguo pabulo cõtẽtos, ad latrocinia & furta ppetrãda prõptiſſimi atq; audaciſſimi ſunt. Vbi igitur cognouerũt, in Sangiacchũ Hieroſol. electũ fuiſſe iuuenẽ illũ ãbitioſũ, cui' ſupra quoq; mẽtionẽ fecimus, ipſumq; coniũctis virib. cũ reliquis Sãgiacchis, & patre Veis, Damaſci Baſſa, conatũ fuiſſe libertati eorũ frenũ iniicere, nõ ſibi expectãdũ diuti' rati, donec cõiuratio illa in ipſorũ perniciẽ ſtabiliatur & cõfirmetur, ſed variis excurſionib. ipsã vſq; Hieroſol. penetrarũt, & ad p̃liũ illũ prouocarũt, quo vt eũ inducerẽt, clã cũ Subaſſi Bethlehemitano, q ipſis fauebat, cõiurarũt, vt ad p̃liũ Sãgiacchũ exhortaretur & pſperos ſucceſſus ex p̃lio ipſi polliceretur. Iuuenis incitat' Subaſſi, quẽ maximi faciebat, admõitionib. & illorũ temeritate, vrbe exire in apertũ decreuit, 100. ex ſuis ſeruis armauit, & totũ equitatũ ſibi ſubiectũ ad 600. fere cõſcripſit, q b. Ierichũtẽ verſus pugnãdi animo excurrit. Cui Arabes maxima multitudine obuiã pfecti impetu horribili ipsũ aggreſſi ſũt. Subaſſi nõ diu acie ſubſtitit, ſed cõtinuo Bethleemũ aufugit, Arabes Indicis ſuis arũdinib. paſſim Sangiacchi milites vndiquaq; circũdatos cõfixerũt, ita vt Sãgiacch' vix euaſerit; q vbi de fraude Subaſſi certior fact' eſſet ipsũ decipe ſtatuit, iuſſitq; iterũ ad prꝙliũ ſe expedire, & viriũ ſuarũ piculũ facere: odiũ vero, quo eũ pſequebatur, celabat, atq; ſub illo prꝙtextu ad ſe vocatũ viuũ cõprehẽdit & maximis cruciatib. excoriari impauit. Et hũc finẽ habuerũt tumult' in Iudꝙa excitati. *Nũc ad Oſmanũ reuertemur.*

LIBRI OCTAVI

ARGVMENTVM.

OSMAN Baſſa Erziro diſcedit cum vniuerſis copiis. 40000. milites, tanquam ſuperfluos, dimittit. Luſtrat exercitum, per Caldarenos cãpos profectus, relicta Naſuana, Taurin deflectit; ea de cauſſa tumultuantur milites Græci & Conſtãtinopolitani, quos Oſman blandis verbis, & munuſculis placat. Coy, Marant, & Sofran attingit. Taurin peruenit. Exercitus frons à Principe Perſa victa & cæſa. Exercitus Principis. Exercitus regis Perſarum. Oſman militem in Principem mittit, prælium cruentiſſimũ nocte dirimitur. Alyculichan Turcas aggreditur & retrocedit. Nocte rurſus impetum in eos facit, ſed in vrbẽ amplius non redit. Perſæ qui Ecbatanæ portas cuſtodiunt, præliantur cũ Turcarum mancipiis, iiſq; cedunt in vrbẽ. Hi inſequuntur, & è domib. ſubterraneis & in plateis plurimũ damni ipſis infertur. Deſcriptio ſitus Ecbatanæ. Oſman propugnaculũ in hortis regiis ædificare conſtituit, quod 30. diebus perfectũ. Turcæ nonnulli ſuſpenſi reperiuntur in balneo quodã, ob eorũ cædem Oſman diripiendam & deprædandam vrbem ſuis militibus concedit. Horrendæ crudelitatis ſpectacula ſequuntur, infauſtum & ſanguinolentum præliũ commiſſum. Perſarum feciales ad prælium Turcas prouocant. In aciem vtrinq; exercitus conſtitutus, cruentiſſima prælia ſequuntur: Baſſa Trapezuntis & Amidæ, cũ Sangiaccho Burſiæ, atq; aliis, occumbunt. Caramaniæ Baſſa captus. Oſman lethaliter decumbit. Giaffer Baſſa Eunuchus gubernator Ecbatanæ creatus. Tauriſini incolæ recuperant ablatã prædam. Oſman Baſſa Viſirius & Imperator exercitus moritur in SancaZan. Perſæ cæſi. In Van exercitus luſtratur. Teflin præſidium deſertur ſine moleſtia. Maxutchan Alapiæ Baſſa creatus. Querela è caſtris ad Aly Baſſam Alapienſem ſcripta.

ANNO à redempta ſalute per Chriſtum 1585. Auguſti die vndecimo Erziro diſceſſit Oſman Baſſa, exercitus Turcici Imperator duce itineris conſtituto Maxutchano transfuga. Erat tunc exercitus numeroſiſſimus, ſed indies tamen noui militũ delectus habebantur, & quotidie recentes copiæ collectitiorum licet, & quorũ multi parum ad militiã erant idonei ad reliquũ exercitũ accedebãt, atq; in caſtris conſpiciebantur, cauſſa tãtę militum frequentiæ fuerunt crebra & ſeuera Imperatoris mandata in omnes fere imperii vrbes diuulgata, nec non fauor & beneuolentia, qua pleriq; erga Oſmanum affecti, & illuſtri rerũ ab ipſo geſtarum fama incitati, promptiſſime ſub ipſius auſpiciis in bellum proficiſcebantur. Spẽ enim ampliſſimã de ipſius fortitudine & rerũ plurimarum experiẽtia, qua pollebat, conceperant, tũ etiam, quod Imperator ipſe plurimũ illi fideret: & ipſe beneuolum & humanum erga omnes ſeſe exhiberet, ſpeq; multorum præmiorum & promiſſionũ lactaret. Numerata igitur fuerunt 150000. equitũ, quorũ alii arcu pugnabant, alii claua, vel machęra, alii bõbardis, alii lanceis. Quibuſdam conſtituta ſoluebantur ſtipendia, nonnulli ſponte & vltro in militiã profecti fuerant. Caſtra ſequebatur ingens copia miniſtrorũ, & mancipiorũ, operariorum, foſſorũ, iudicum, theſaurariorum, ſcribarum, publicanorum, & alius cõditionis hominũ: equorum, mulorũ, & Camelorũ ſtupenda erat multitudo, & vt breuiter dicã, tantus erat apparatus, vt nõ vnius regis, ſed plurimorum Imperatorum vires atq; opes ad hoc bellum cõueniſſe viderentur. Oſman præſentiens nimis vaſtum à ſe collectũ exercitum, cui impoſſibile erat cõmeatu, atq; rebus neceſſariis proſpicere, partem eius exauctorare, eos ſcilicet, qui ad bellũ minus apti, & minus fortes adparebant, iiſq; ære ac pretio libertatem & immunitatẽ à bellicis laboribus vendere ſtatuit. Fertur 40000. hominũ dimiſſa fuiſſe, quorũ quilibet pro ſua conditione dona munifica Generali obtulit, quo moleſtias & belli pericula declinare, & proprios lares repetere ipſi liceret. In exercitu remanſerũt ad 180000. hominum, vel circiter, quib. ſtipatus Oſman Erziro diſceſſit, Ecbatanam petens, ſemper tamen Naſuanenſem expeditionẽ in ore ferens: ſed vix biduum elapſum fuerat, cũ plurimi milites Gręci &

Conſtantinopolitani tumultuantes corā eo comparuerunt, imprudentiā ipſi obiicientes, q̃ iam tū initio fere itineris victus inopia laborarent, ſiquidē ea die equi ipſorum ordinario frumento & pabulo caruerint. Non ſe videre vel cognoſcere vllō modō poſſe, qua ratione tantā multitudinem militū iter tam lōginquū Naſnanam vſq; ſecū ducere & ſuſtentare valeat. Querelis hiſce auditis atq; intellectis, ſtatim remediū Oſman attulit, ſiquidē vnicuiq; eam frumēti partem, quam petierat, diſtribui iuſſit, vehementer præfectos rei frumentariæ reprehendens, quod nimis auare ex publicis prouiſionibus lucrū priuatum quærere conati fuiſſent. Militibus iterū cōciliatis præſtitutum iter perſequi cœpit, & per viam quæ Haſſanchalaſum & Charſam ducit, in ampliſſimos illos Caldarenos cāpos, qui propter prælia inter Selimū & Iſmahelē Sophi, Tamaſi patrē, commiſſa, celeberrimi habentur, peruenit, ibiq; nouam exercitus luſtrationem inſtituit q̃ plurimi propter morbos atq; alias incōmoditates ſequi caſtra non poſſent, vel retro profecti domū, vel in vicinis vrbibus ſubſtiterint. Hinc diſcedens, via, quæ Naſuanā ducit relicta, alterā, quæ Taurin, apprehēdit. Qua cōſiliū mutatione Greci & Cōſtantinopolitani milites plurimū fuerunt irati, & tumultu denuo excitato ad Generalē accurrerūt, verbis atrociſſimis ipſum obiurgarūt. Qui tibi, inquiunt, videmur, rusticane & imperite Turca, q̃ hunc in modū nos tractas? Pecudū loco nos habes, quas melius ducere forſitan noſti quā milites? Nō ii ſumus, quibus ita fucū faceres, quoſq; mendaciis & nugis deciperes tuis, ſi publice famā de Naſuanenſi expeditione ſparſiſti, & eū in finē ex remotiſſimis Grecię locis te ſecuti ſumus, quid iuuat nūc laborib. pene exhauſtos vlterius mendaciis ludere, & viam præſtitutā prolōgare, Noſq; nouis & grauiſſimis obiicere periculis? Si ſtudio hoc feciſti, & cōſulto mutaſti ſententiā, cur tantam militū copiā dimiſiſti, q̃ inuincibilē pene exercitū, & hoſtibus maxime formidoloſum reddere poterat? Forſitan putas, aliis libertate ęre vēdita, quo tuas augeres diuitias, vitas noſtras in ſeruitutē Perſis vēdere. Oſmanū hi militum ſermones vehementiſſime perturbarūt, quod conſilium ſuū de amplificando Imperio & honore Imperatoris ſui tā ſiniſtre accipi cerneret, & militū animi plurimū eo fuiſſent offenſi; varias mēte ſecū cogitationes voluit. Poterat grauiſſime & modis omnib. duriſſimis in rebelles animaduertere, ſed maluit elemētia, precibus, admonitionib. & munerib. quam pœnis & ſeueritate ad officiū eos reducere. Plurimis igitur ſeditionis autoribus ad ſe accitis, eis expoſuit cauſſam ſparſi rumoris de Naſuanēſi expeditione, nō fuiſſe aliam, q̃ vt Imperatoris mandato obtēperaret, cui cōſultū viſum fuerat de Ecbatana tacere, quo pericula declinētur, q̃ à Perſis inferri potuiſſent, ſi de Ecbatanēſi expeditione ſuſcipiēda certiores facti fuiſſent. Qui maiorib. virib. & meliori ordine ad defenſionē cōpoſiti, dubio procul ad bellū proceſſiſſent ſi vel minimum ſuſurrū hac de re percepiſſent: q̃ ne accideret, & vt proſpere omnia gerātur, Regē voluiſſe eiuſmodi inire conſilium, quo hoſtes deludat, ne exercitus ipſius & mācipia grauiora incurrant pericula, à quorū damnis atq; amiſſione eū plus, quā ab vlla alia re abhorrere. Ipſos igitur quoq; decere voluntati Imperatoris parere, quo exiſtimationē ſuam, q̃ de illorū fortitudine & fide Amurathes & totus pene orbis terrarū conceperit, retineāt, & augeant: Neq; putent ex dimiſſione copiarū ſuperfluarū, exercitus robur imminutū fuiſſe, qui tā validus ſit & firmus, vt nō modo Taurin vſq; & per hoſticū viā ſibi aperire poſſit: verū ipſi Perſæ vix illius conſpectū laturi ſint, eos ipſos, qui dimiſſi ſint, ſuo diſceſſu exercitū omnib. abiectis, & meticuloſis hominibus purgaſſe; ſic vt nunc tantū reſtēt virtute & fortitudine quiq; præſtantiſſimi, atq; adeo flos militię Ottomanicæ. Tā blanda ducis oratione tumultuari rebelles deſierūt, & mitiori in ipſū animo eſſe cœperūt: verū vbi ille manū publico ærario admouit, & exiguā quādā aſprorū ſummā inter ipſos diuidi curauit, omniū animos tā arcte ſibi deuinciuit, vt nō modo Taurin, ſed Arſaciā vſq; atq; adeò in remotiſſimas Perſiæ regiones ipſū ſecuti fuiſſēt. Rebus hoc modo iterū cōpoſitis, Oſman verſus Coy vrbē, Turcis ſubditā, ꝓfectus q̃ intermedia iacet inter Martianā paludē & Taurin; ibi victū & frumēta ꝓ militib. & iumētis exercitui diuiſit, inde Sophianā, vrbē Perſis ſubiectā ꝑuenit, q̃ exigua licet,

licet, rebus tamẽ omnibus neceſſariis, & fructuum omnis generis abundantiſſima eſt. Hinc Tauris primum conſpicitur, qua viſa, totus exercitus ſumma lætitia fuit elatus, Græci inprimis & Conſtantinopolitani, quod nimirum exercitus hucuſq; citra vllam moleſtiam vel impetum hoſtilem perductus fuiſſet, Regis & Ducis conſiliũ de falſo rumore ſparſo ſummopere laudarunt; quod Perſiani de Naſuana ſolliciti, de Ecbatana nihil ſibi timuerint. Audaciores igitur facti milites, iam animo voluebant rapinas, prædas, captiuitates, ſtupra, & omnes inſolentias illas, quæ Barbarorum victorias comitari ſolent: verum illi, qui frontem exercitus faciebant, reliquis erant audaciores, & regionem vicinam probe luſtrare, & recognoſcere geſtiebant: in hortos quoſdam delati, qui omnis generis fructuum & plantarum copia abundabant, & riuulis nonnullis erant irrigui; quieſcere à laboribus, & aqua atq; cibis ſeſe recreare ſtatuerunt: ad fluuioli igitur pontem, qui aquæ ſalſæ vocabatur, ſubſtiterunt: vbi dum reliquum exercitum expectant ocioſi, & in vmbra & viridi ceſpite deliteſcunt, ſubito vndiquaque à Perſis circumdati fuerunt, qui, Duce EmirHamza Miriza, Regis primogenito; in inſidiis ibi latuerant, donec hoſtium quædam manus huc contenderet, in quorum perniciem illi excubabant. Horum numerus ad 10000. lectiſſimorum virorum accedebat, qui ſub Emirhamza militabant. Mahometes Rex 12. milliaribus ab vrbe cum 50000. militum aberat: Ecbatanam defendebat Alyculichan, eius præfectus, cum 4000. militum, & hic vniuerſus fuit Perſarum exercitus, numero 64000. militum. Plures hoc tempore in arma cogi non potuerunt: tota enim Turcomannorum factio ob mortem Emirchani offenſa; & Alyculichanum in eius locum ſubſtitutum, contumax domi remanſit. Ex Gheilan & Aria ne vnicus quidem miles in auxilium Perſis miſſus fuit: & quia incerti erant; quo ſeſe hoſtes conuertere decreuiſſent, an Naſuanam vel Ecbatanam petituri eſſent, variè hinc inde fuerũt pertracti, vt vix ad primũ hoſtium aduentũ Ecbatanæ ſubſidio venire potuerint. Neq; Regis erat cõſilium, cũ hoſte ſtatariã committere pugnam, & tormentorum fulminibus exercitum exponere: ſed in hoc ſolum intentus erat, qua ratione cum minimo ſuo detrimento hoſtis copias decerpere & imminuere poſſet. Igitur EmirHamza ex inſidiis tanto impetu illas Turcarum turmas, quæ in hortis conſederant, aggreſſus eſt, vt ad primum ipſius conſpectum in præcipitem fugam ſe conuerterint, quorum 7000. ex illis occiſi fuerunt: ille vero paterna caſtra repetiit, abducens ſecum equos, mancipia, & prædam opimam: multis etiam hoſtium vexillis in terram explicatis, & tympanis ſecum pertractis, per celeres nuncios patrem de euentu pugnæ certiorem fecit. Oſman de clade ſuorum certior factus, ſtatim ad arma conclamari iuſſit, & Sinanum Baſſam, Cicalæ filium, & Mahemetem Amidæ Baſſam, cum 14000. militum, inter quos plurimi erant, qui ſponte militabant, ad inſectandum Principem miſit; qui tanta celeritate eum inſecuti fuerunt, vt nõ multo poſt in ipſius conſpectum peruenerint: Quos vbi adeſſe Princeps, qui victor cum gaudio patris caſtra repetebat, nec fuga ſe, citra maximum damnum & dedecus, prœlium euitare poſſe vidit, audacter in eos mouit, maximoq; impetu cruentiſſimæ pugnæ initium fecit, duabus fere horis ante Solis occaſum; quæ tam diu continuata fuit, donec nox obſcura eam diremerit: Vtraq; ergo pars in tutum ſe recepit. Sed longe maior Turcarum ſtrages fuit, quorum vltra 6000. hoc ſecundo prœlio (quod potius appendix prioris dicendum) interempti occubuerunt. Perſæ, & inter hos ipſe Princeps, multo cruore, ſed hoſtili potius, quam cognato, maculati & conſperſi fuerunt. Nec deſtitiſſent, donec internecione hoſtes deleuiſſent, niſi noctis tenebræ vſum armorum ipſis ademiſſent. Sic igitur Turcæ vix, dum inſpecta & luſtrata regione, & vrbe tam deſiderata, vltra 10000. militum amiſerunt. Sequenti die ad vrbem propius acceſſerunt, & duobus ab ea milliaribus caſtrametati ſunt: Alyculichan aſſumptis omnibus ſuis præſidiariis, & Ecbatanæ incolis, quicunq; ad prœlium erant idonei, vrbe egreſſus, frontem exercitus tanta dexteritate aggreſſus eſt, vt multo effuſo ſanguine omnes eas copias ad tentorium vſq; Viſirii fugarit: vbi, conſpectis machinis, retroceſſit, ne malus

periculum incurreret. Exiguo igitur temporis ſpacio 3000. Turcæ interfecti, & confuſio in toto exercitu maxima fuit exorta. Ea victoria Alyculichan non contentus, ſecunda vice tacite nocturnos in caſtra hoſtium impetus fecit, & eam partem, quæ vrbem ſpectat, ſubito percurrit, omniaq; tumultu, occiſione, & fuga repleuit. Qua in clade Maroniæ Baſſa inter alios periit.

Alyculichan, vbi non amplius ſibi iis in locis manendum ſtatuit, in caſtra Regis ſe recepit, Ecbatana, quæ ipſi commiſſa fuerat, ſine defenſione & auxilio derelicta. Qui in vrbe remanſerunt Ecbatanenſes ad militiam apti, iam ſeſe præpararant & inſtruxerant ad defenſionem, ſi hoſtes vrbem intrare conarentur. Per reliquum noctis ab vtraque parte excubiæ diligentiſſime diſpoſitæ, & vigiliæ agitatæ fuerunt: Nihil tamen hoſtile fuit tentatum. Vbi vero primum illuxit, immenſa quædam multitudo ſeruorum, mancipiorum, & viliſſimorum quorundam hominum, thoracibus, lanceis, & machæris armati, inſcio Generali, ad opulentam illam vrbem, ſpe deuaſtationis, vel prædæ agendæ, vel lucri faciendi, acceſſit: & portas iam attigerant, cum Perſæ maximo impetu eos reprimunt, & ad grauiſſimum conflictum compellunt, quo & muri, & portæ, & totum vicinum territorium ſanguine cruentatum fuit: & plurima hinc inde occiſorum cadauera & arma ſparſa iacuerunt. Magna vi & robore reſtiterunt Perſæ hoſtibus imminentibus: ſed victi multitudine, quæ ſemper exundabat copioſior, in vrbem cedere coacti fuerunt, vbi ex locis ſubterraneis & angulis, atque anguſtiis platearum ſagittis, & bombardis Turcas, qui vrbem timore perculſam ingreſſi fuerant, infeſtare, & damno, quam poſſent maximo, afficere conati ſunt; ſed tot non potuerunt occidere, quin tandem laboribus defeſſi, ceſſerint hoſtibus patriam diripiendam, qui maximas calamitates, quocunque penetrarunt, vbiuis induxerunt. Vbi diu ſatis graſſati fuerant, in caſtra Turcica redierunt, multis ſpoliis oppreſſæ vrbis onuſti, mancipia, virgines, & infantes ſecum trahentes; in vrbe mulieres & imbelles apprehenſis portis, & natiuum oſculati ſolum, miſerias ſuas deplorabant, grauiores inſuper timebant, quam quas modo perpeſſi fuerant. Vrbe ſic potitus, ſeueriſſime Oſman edixit, ne quis in poſterum vlla iniuria natiuos Ecbatanenſes afficeret: ipſe totam vrbem circumequitauit, vt ſitum eius cognoſceret, quo commodiorem locum eligere poſſet, caſtrorum & propugnaculi, quod ædificare conſtituerat in defenſionem captæ vrbis. Ecbatana, hodie Tauris dicta, ad radices montis Orontis, qui verſus Septentrionem ei imminet, in maiori Armenia ſita eſt, octo dierum itinere, à mari Caſpio, quod Mar de Baccu hodie vocant, diſtat: verſus meridiem poſita eſt Perſia: verſus occidentem ſunt Caſpii montes: ipſa vrbs ventis, frigori, & niuibus expoſita eſt, aere ſalubri fruitur, omnibus rebus ad ſuſtentandam vitam humanam neceſſariis abundat, celeberrimum eſt totius Orientis emporium, quod merces, quæ ex Aſia in Syriam & Europam, tum quæ ex Occidente in Orientem tranſmittuntur, huc vt plurimum deferri ſoleant. Populoſiſſima eſt, incolarumque numerus fere 200000. animarum conficit: ſed aperta patet vbiuis hoſtium inuaſionibus, neque validis muris, neque aggeribus munita eſt, ædes ſubterraneas plurimas habet, ædificia de more regionis ex luto & cœno cocto conſtructa, depreſſiora quam alta ſunt; fontibus, hortis, & aquis perennibus, aliiſque rebus plurimis, regia inſuper ſede illuſtratur. Sed Tamaſus ſedem regiam Arſaciam tranſtulit: Illa tamen nihilominus Metropolis præcipua totius regni Perſici habita fuit: & quamuis crebris Turcarum excurſionibus expoſita eſſet, illuſtre tamen ſemper nomen, & præeminentiam ſuam retinuit. Huius vrbis ſitum vbi Oſman diligentiſſime conſideraſſet & perpendiſſet, tentoria erigere, & caſtra metari ad latus meridionale iuſſit. Ibidem erant horti arboribus, plantis, floribus amœniſſimi, innumeris riuulis & fontibus irrigui. Inter alios fluuiolus erat, reliquis maior & profundior, qui hortum ab vrbe vno ſolo ponte diuidebat, commendabat hortos iſtos amœniſſimos antiquitas inprimis: ſiquidem antiquis Sechiſgenet, id eſt, octo paradiſi, vocati fuerunt. Tum etiam Regum ſedes, & palatium, in quo habitare ſolebant, antequam Arſaciam migrarent;

grarent: poſtea præfecti illud incoluerunt; inter quos Emirchan inprimis eius amœnitate & iucunditate fuit delectatus. Hortos iſtos & palatia Oſman elegit ad nouum extruendum propugnaculum, cuius formam ipſemet deſignauit: & omnes illas viriditates muro & foſſis circundari, easque aqua fontium repleri mandauit. Maxima igitur cura & diligentia ædificium illud inchoatum fuit, & muri extructi, & foſſæ excauatæ altitudine ſtaturæ humanæ, latitudine vero quatuordecim vlnarum, fuitque abſolutum ſpacio triginta ſex dierum. Primo ſtatim ædificii die, (quod à medico, qui tum eius curam geſſit, Conſtantinopoli poſtea audiui) Oſman febri & dyſenteria laborare cœpit: cuius morbus cauſſa exſtitit, tam diu extracti ædificii, & malorum, quæ poſtea ſunt inſecuta, plurima tormenta muris fuerunt impoſita: Balnea, habitationes, porticus, & alia ad vſum Turcici exercitus neceſſaria ædificata. Interim dum conſtruendo propugnaculo Turcæ operam dant, varia euenerunt ſcitu digniſſima. Quinto ædificii die noua in caſtra Turcica fuerunt allata, octo Ianizaros, & aliquot Spahioglanos in balneo Ecbatanæ ſuffocatos fuiſſe, eius rei oculatos extare teſtes: quo intellecto Zahini, Spahini, & Ianizari, Viſirium acceſſerunt, eique renunciarunt, ſe edicto ipſius de conſeruandis Ecbatanenſibus paruiſſe, omnique modeſtia circa eos egiſſe: Ipſos vero Tauriſinos, quos humiles & modeſtos eſſe conueniebat, oblitos humanitatis & beneficii ipſis exhibiti, octo Ianizaros, & aliquot Spahoglanos occidiſſe: Non igitur ipſis videri impunitam hanc inſolentiam, & iniurias relinquendas eſſe. Audito hoc tam crudeli & nefario facinore Oſman Generalis, ira fuit commotus, & ſine mora mandauit, vt vrbem deprædarentur, & nullo cuiuſcunque reſpectu habito, extrema quæque in ea perpetrarent, ſummamque vaſtitatem inducerent. Magna mihi facundia opus foret, ſi actus omnes tam enormes & horribiles, quos Turcæ ad vindicandam illatam iniuriam perpetrarunt, recenſere ſaltem vellem. Quis enim deſcribat libidinem, auaritiam, iram, crudelitatem, impietatem, atq; immanitatem plus quam barbaram, imo beluinam, victorum Turcarum? quis repræſentet infantium ploratus & eiulatus, mulierum planctus, vulneratorum gemitus, patrum lacrumas, ſeruorum preces, & ſummam tandem atq; extremam Tauriſinorum miſeriam atq; calamitatem? Nihil niſi ſtrages, rapinæ, ſtupra, prædæ, & cædes, flammæ, incendia, & mille mortis facies in vrbe erant: virgines ſtupratæ, pueri infando ſcelere vitiati, liberi è parentum amplexu auulſi, ædes deſtructæ & incenſæ, opes raptæ, omnia deniq; in extremam vaſtitatem redacta. Nec vna ſolummodo vice tanta mala miſeris illis fuerunt illata, ſed primam deuaſtationem, ſecunda maior & grauior, ſecundam tertia omnium grauiſſima excepit. In hunc ſtatum regia illa vrbs, ornamentum totius regni Perſici, furore, immanitate, & crudelitate Turcarum fuit adducta, quam citra commiſerationem mortalium nemo intueri quiuiſſet: multa millia camelorum rapta præda fuerunt onuſta. Neq; quiſquam fuit, qui præter res pretioſas & magni valoris, quas clam tenebat, vel puerum, vel puellam aliquam non abduceret captiuam. Tantæ calamitatis nuncius repente in caſtra Regis fuit delatus, qui vices ſuas & ſuorum ſummopere dolebat: ſed qui omnium indigniſſime caſum tantæ vrbis ferebat, Emir Hamza Miriza fuit, Regis primogenitus: nihilque intentatum ſe reliqui facturum ad vltionem, iurato adfirmabat; ſuoq; exemplo reliquum exercitum confirmans: illico 500. equites lectiſſimos ex omnibus copiis ſegregauit, eosq; in conſpectum vſq; hoſtium excurrere, & ad pugnam prouocare iuſſit. Illi ſine mora Principis mandato obtemperantes, qua præſtabant fortitudine, hoſtibus oſtendebant, quibus conſpectis, Turcæ opinabãtur totum Perſarũ exercitũ aduentare. Igitur Oſman Cicalã & Amidæ Baſſam cũ Grçcis, & quas illi ducebãt legionibus in hoſtẽ mouere iuſſit. Tubarum itaq; clãgore & vexillis explicitis milites ad pugnã excitati, quorũ 34000. militũ & mancipiorũ, qui laboribus & periculis aſſueti erãt, haud exiguo numero confluxere, vt in vniuerſum 40000. hominũ præterpropter tũc in hoſtem fuerint educta. Quingẽti illi Perſæ mira dexteritate & fortitudine hoſtem per octo fere milliaria velitando ſecum traxerunt, quo cũ peruentũ fuit, &

Turcæ iam defeſſi pugnando retrocedere cogitarent, ſubito Emir Hamza Miriza cum 20000. militum prorupit, prœliique occaſionem dedit crudeliſſimi, & Turcis inprimis damnoſi. Nam cum Perſas contentos fore fauſto pugnæ initio, & retroceſſuros cogitarent, audacter inſecuti ſunt: ſed Perſæ vbi pauliſper reſpirarunt, denuo ad pugnam redierunt, & hoſtes acerrime ſunt aggreſſi. Eo impetu cum infauſtum pugnæ exitum iam inſtare cerneret, Amidæ Baſſa in fugam fuit coniectus. Cicala Baſſa aliquandiu in acie ſubſtitit, milites ad fortiter prœliandum hortatus, & ab vtraque parte fortitudinis haud leuia paſſim edebantur ſpecimina. Sed cum in vtraq; ala pugnantium numerum imminui cerneret, ſtatuit è pugna, qua poſſet, ſeſe commodiſſime extricare, ne copiæ maioribus damnis afficerentur: verum hoc minime fieri potuit, & tandem palam Turcæ fuga ſalutem quærere, & in caſtra redire coacti ſunt. Solus igitur Baſſa hoſtium furori reſiſtere non valens, fugæ quoq; ſe commiſit, vexillis omnibus cum tribus pueris, quibus vnice delectabatur, & aliquot equis, quos in ſuum vſum ſibi in aciem duci iuſſerat, amiſſis: lacerum igitur & male tractatum exercitum reduxit, è quo octo fere millia hoc conflictu deſiderata fuerunt: maxima erat Turcarum ignominia & contemptus, maxima Perſarum in hoſte propellendo audacia, & fortitudo: manifeſtoq; adparebat, Turcas virtute militari Perſis longe eſſe inferiores. Perſarum Princeps tam proſpero pugnæ ſucceſſu elatus, fæciales ſuos ad ægrotantem Viſirium, quem ille recte valere credebat, miſit, eiq; renunciauit, ſe paratum & accinctum eſſe ad prœlium, ſi manus conferre ipſi animus eſſet: quacunq; ratione ipſum aggreſſurus ſit, ſe fortitudine ſua reſtiturum, & quam iniuſte Amurathes bellum hoc mouerit, demonſtraturum. Non recuſauit Oſman pugnæ aleam, cumq; ipſi non liceret, morbo ingraueſcente indies in hoſtem copias ducere, omnes belli Duces in eum miſit. Per decem fere milliaria vtraque caſtra inuicem diſtabant. Non procul inde progreſſus Perſa ſubſtitit, quo bombardarum atq; machinarum violentiam atq; detrimentum (quod incurrendum ipſi fuiſſet, ſi propius ad caſtra Turcica acceſſiſſet) declinaret; ita hoſtem ſibi obuiam procedere coegit. Huius acies hunc fere in modum inſtituta erat; in medio pugnæ conſiſtebant Amidæ Baſſa, & Sinan Cicala, cum milite Babylonio & Aſſyrio. Siniſtrum cornu ducebat Natoliæ Baſſa, cum Græcis: Dextrum vero Amurathes, Caramaniæ Baſſa, cum Syris. Pugnantium numerus ad 60. prope millia accedebat: Nam præter eos, qui in prioribus pugnis extincti fuerant; multi, qui ſponte militabant, & ſerui, atq; alii milites, vrbis deprædationibus, rapinis, & quærendis theſauris abſconditis, etiam in locis ſubterraneis, incumbentes, in vrbe remanſerant: Ianizari vero cum tormentis ægrotantem Oſmannum & caſtra defendebant. Perſarum Princeps etiam in medio verſabatur, & ſuos ordines optime diſtribuerat. Hinc Perſæ & Hyrcani, illinc Parthi, & Atropatienſes milites conſiſtebant, totusq; eius exercitus fuit 40000.

Turcæ verebantur, ne per ambages Perſæ ad ipſorum tentoria magna celeritate prorumperent: ideo paulatim ipſis cedebant, quo caſtris (quæ defenſa & intacta cupiebant) viciniores eſſent, parumq; abfuit, quin Perſas tormentis (quę illi magna diligentia euitabant) obieciſſent. Horum conſilio perſpecto, Perſæ non amplius ſibi expectãdum rati, impetum in ipſum aciei hoſtilis corpus, quod Amidæ Baſſa tanquam Vicarius Oſmanni ducebat, impetum fecerunt, & obuios quoſuis proſtrauerunt. Ipſe quoq; Perſarum Princeps fortiſſime prœliando, quoſcunq; ſibi occurrentes diſſipauit, Amidæ Baſſæ caput amputauit, & infixum lanceæ, amico cuidam ſuo circumferendum dedit: quo conſpecto Turcæ perterriti, Perſæ vero ad virtutem excitati fuerunt: vndiq; madebant hoſtili ſanguine; ſed ſuccurrebat ipſis Tauriſinorum clades, & horrenda crudelitas in miſeros perpetrata; ideoq; impietatem ducebant, pietatem in tam immanes & truculentos hoſtes exercere, aut vulgatem de iis vindictam ſumere. Fortius igitur & acrius hoſti inſiſtere cœperunt, cum quo ita immixti confligebant, vt non ſolum Baſſa ante dictus, verum etiam Trapezuntis Baſſa, Burſiæ Sangiacchus, atq; alii plurimi Sangiacchi, & Chiaus Martis furore perierint. Nec militum exi-

guus

guus numerus interemptus, plurimi capti; viui in poteſtatem Perſarum peruenerunt, inter quos Amurathes Caramaniæ Baſſa fere præcipuus erat. Communis fama fert, hoc prœlio 20000. Turcarum occubuiſſe. Perſæ iam proxime ad tormenta acceſſerant, ideoq; nocte prœlium dirimente, receptui cecinerunt, & caſtra ſua, vbi Rex morabatur, repetierunt. Iam multi dies præterierāt, quo propugnaculum nouum abſolutum fuerat; Ideoq; Græci milites, qui indigniſſime ferebant caſum occiſorum tot cladibus amicorum, & de conſeruanda prǫda acquiſita ſolliciti, tum quod hyems aſpera inſtabat, reditum meditari cœperunt. Igitur Viſirium, qui propter cōtinuum ſanguinis fluxum ad extremum vitæ redactus erat; nec ſpem vllam Medici de ipſius ſalute habebant, de reditu per fidiſſimos ſuos interpellarunt, eiq; verbis humaniſſimis & precibus oſtenderunt, quā neceſſario ſibi hinc diſcedēdum foret: quod ſi obſtinate hic morari diutius vellet, ſe coactos iri diſcedere, ipſumq; derelinquere. Oſman, qui nihil ſibi amplius in hiſce locis perficiendum reliquū ſciebat, quam vt recēs extructū propugnaculū firmo militū præſidio muniret, Græcis benigne reſpondit, & proximo die diſcedere Ecbatana conſtituit, Giaffer Eunuchū Tripolis Baſſam prǫfectum ꝓpugnaculi elegit, quā prouinciā vt ꝓmptiori animo Eunuchus reciperet, gratis illi cōtulit reditus & officiū Amidæ Baſſæ demortui, vt eo per trienniū proximū frueretur. Deinde Baſſam aulæ ipſum creauit, & elapſo triennio inter alios Viſirios ſedēdi copiā ipſi fecit. Eunuchus, qui portā ſibi ad ampliſſimos honores aptam videbat, promte Viſirio obtēperauit: vicarium ſuū ſiue Checaiam in Amidǫ prouinciam (quæ Caraemit hodie dicitur) ad ſuſcipiendum munus ſibi oblatum miſit, ipſe cum 100. mancipiis nouum propugnaculum ingreſſus eſt, eiq; fuerūt conſignata 12000. militū, tam ex iis qui ſponte militabant, quā qui ſtipendia merebant, rebusq; omnibus ad bellū neceſſariis fuerūt inſtructi, quibus ſe per annū ſuſtentarēt; donec nouum præſidium adducatur. Diſceſſit igitur Oſman, vt promiſerat, 87. die, ex quo Erzirā reliquerat. Ea die Sancazan peruenit, 7. milliaribus Ecbatana diſtantem: conſtituerat enim per aliam viam domū redire, quam qua huc delatus fuerat. Iam omnes caſtris ponendis erant occupati, & maxima, vt fit, confuſio erat cum iis, qui in vltima parte exercitus ſtabāt, crebri equorū hinnitus, tympanorum & tubarum ſtrepitus ac ſonitus exaudiūtur, de qua re totus exercitus ſubito certior factus, quoad potuerunt, commodiſſime ad defenſionem ſeſe pararunt, eaq; ex parte hoſtium impetū expectabāt. Ab altero latere Perſarū Princeps cum 28000. aderat, nec vllum ſignum pugnæ ediderat; ſed tacite in eos incidit, qui prædam Ecbatana ablatā, & reliquas belli munitiones, iumētis & camelis impoſitas ducebāt, in hos acerrimum impetū fecit, & 18000. camelorum & mulorum rapuit, quos 6000. ſuorum in tutum transferendos committit; cum reliquis copiis exercitū Turcicum maximo furore atq; ferocia aggreditur. Horrendū ibi fuit commiſſum prœlium, & ſtrages maxima vndiq; edita: ipſi Turcæ rei nouitate obſtupefacti, quaſi ſpectatores horrendæ huius tragœdiæ ſe præbebant, & in hunc vſq; diem virtutē Perſarum cū admiratione prædicare cogūtur. Illi pauciſſimi numero, cū numeroſiſſimo & copioſiſſimo exercitu prœliantes; videbantur fato quodā in communē Turcarū perniciem excitati fuiſſe. Ianizari verebātur, ne in ipſius Oſmāni tentoria (qui animā vix trahebat) Perſæ impetum facerēt. Ideoq; qui Viſirii loco exercitui imperabat, repēte tormēta in eos explodere, & eiaculari iuſſit, quib. fere maior Turcis, quā Perſis clades fuit illata. Confuſe.n. pugnabāt, nec diſtincti erāt ordines, vnde amici pariter ac hoſtes lædebātur. Ad primū machinarū ſonitū Princeps ſtatim ſeſe ex prœlio extricauit, & ꝓcipiti fuga elapſus, eumq; cæteri ſecuti ſunt; & Turcæ ſoli relicti tormentorū ictibus fuerūt oppoſiti. Illi.n. qui fugiebant, parū inde damni ſentiebāt: Græci quidē Conſtātinopolitani, & Anatoliæ milites fugientib. inſtabāt, ablatamq; prædā recuperare deſiderabāt, ſed iam extra periculū abducta fuerat; & nocte etiā imminēte verebātur, ne ſi lōgius à caſtris aberrarēt, reditꝰ ipſis ꝑcluderetur, atq; ita cū ꝑda vitā etiā amitterēt. Sic Perſæ tēpus nacti in tutū ſeſe receperūt: & Turcæ, licet peſſime tractati, ad exercitū iā valde attenuatū redierūt. Solo.n. hoc prǫlio ad

Sancazan commiſſo 20000. omnium iudicio, & in tota expeditione Tauriſina ad minimum 70000. Turcarum perierunt. Interim non ex vulnere, vt falſo nonnulli ſparſerunt, ſed dyſenteria & febri occubuit Oſman Baſſa, cuius obitus, quoad potuit, celatus fuit. Clauſa enim vehicula erant, quibus vehebatur, & Cicala Baſſa (quem ille teſtamento Ducem conſtituerat) ipſius loco in exercitu imperabat. Sed licet illi ſerius, Perſæ tamen ſatis opportune de ea morte certiores redditi fuerunt. Tres enim iuuenes, qui viuente Oſmanno, omnes eius gemmas, aurum, & quicquid pretioſi habuerat, tractarant, rebus pretioſiſſimis collectis, equis velociſſimis ad Regem Perſarum confugerunt, eiq; mortem Oſmanni nunciarunt. Regi gratiſſimus fuit horum aduentus, tum propter aurum & gemmas, quas ei obtulerant, tum propter denunciatam mortem. Ipſi namque Perſæ firmiter credebant, tam inordinatum imperium & pugnandi rationem aliunde, quam ab Oſmanni virtute proficiſci. Ideoq; denuo Martis aleam tentare, & memorando quodam modo hoſtibus valedicere decreuerunt. Princeps igitur 14000. Perſarum collectis, Turcas inſecutus, qui ad fluuiolum aquæ ſalſæ, non procul à Sancazan conſederant, ab eorum caſtris ad quintum ſere lapidem Perſæ ſubſtiterunt, fluuio dirempti. Horum conſilium erat, hoſtes ſequenti die ſummo mane aggredi, dum camelos & iumenta onerarent, & ad vaſa conclamaretur, & in ea confuſione inſigni quodam damno illos afficere. Sed interceptus fuit à Turcis explorator Perſa, qui omne conſilium hoſtibus aperuit. Illi igitur ſequenti die contra morem tardius ad abitum ſe pararunt, donec milites omnes in aciem conſtituti fuerunt: & ſic Perſarum impetus excipere parati expectabant. Hi, vbi Turcas diligentius ſolito ad abitum inſtructos, & ad ſuſtinendum impetum paratos viderunt, inique ſane tulerunt; nec aliter cogitare potuerunt, quam ipſorum conſilium hoſtibus detectum fuiſſe. Cognoſcebant inſuper, niſi hoſtem præſentem debellarent, ſimilem occaſionem ei nocendi non niſi in annum ſequentem oblatam iri; ideoq; eos aggredi ſtatuunt. Sed animaduerterant, tormenta à latere dextro diſpoſita eſſe, ideoq; à ſiniſtro cornu pugnæ initium ſecerunt, quibus conſpectis, Turcæ alas aciei explicantes, primos illos, inuitos licet, machinarum tempeſtati obiecerunt, vnde haud exiguo damno fuerunt affecti, quod vt deinceps euitarent, celeriter Turcis ſeſe immiſcuerunt, & ad prœlium ineundum coegerunt. Perſarum conſilium erat, paulatim cedendo, hoſtes ſecum pertrahere, donec ad vicinam quandam paludem profundam peruenirent, quæ forte tunc aliquo modo exſiccata, & iis ſolum nota erat, qui regionum iſtarum ſunt periti. Huc igitur atq; illuc Perſæ inclinabant, quo hoſtes ad locum illum pellicerent. Sed proditores Maxutchan & Dautchan, quibus tota ea regio cognita erat, ſtructas inſidias agnouerunt, ideoq; Cicalam de iis admonuerunt. Hic ſtatim alas extendere ab ea parte, & in Perſas impetum fieri iuſſit. Princeps hoſtium ordine conſpecto, inſidias detectas eſſe intellexit: non igitur diutius in pugna conſiſtere voluit; ſed receptui ſigno dato, cum omnibus quibus potuit, aufugit: 3000. tamen è ſuis in palude illa miſere, & cum exiguo Turcarum damno perierunt. Inter tot pugnas ad Taurin commiſſas, hæc ſola & vnica fuit, in qua Turcæ ſuperiores Perſis extiterunt. Princeps ad patrem in caſtra rediit, eiq; euentum pugnæ, & hoſtium diſceſſum narrauit. Turcæ verò Salmas peruenerunt, vbi primum Viſirii mors detecta fuit. Inde ad Martianam paludem progreſſi: ibi exercitus fuit luſtratus, in quo reperta fuerunt minus 85000. hominum, alii minorem adhuc numerum affirmant. Hic milites fuerunt exautorati, & Cicala de omnibus, quæ in hac expeditione occurrerant, Amurathem certiorem fecit. Forte illo quoq; tempore Conſtantinopoli fui, cum illius nuncii eo peruenirent. Diuulgata primum morte Oſmani Baſſæ, publicæ mœſtitiæ & luctus ſigna fuerũt edita. Sparſum poſtea fuit, tot clades exercitui illatas, totq; cruentiſſima prœlia commiſſa, vt tota vrbs varie inde perturbata & commota, nec Regi à vulgo parſum fuerit; qui omni genere conuitiorum, propter bellum hoc tam diuturnum & graue ipſum inceſſebant. Demum etiam de propugnaculo Ecbatanæ conſtructo, & ea vrbe expilata, rumor increbuit.

buit: Ideoque regio edicto per omnes regni vrbes imperatum fuit, vt ſigna lætitiæ publica, quæ Zine Turcæ vocant, vbiuis ederentur, qua de re etiam legati Regis Vngariæ, Galliæ, Reipublicæ Venetæ, & aliarum regionum admoniti fuerunt, ſed illi vnanimiter reſponderunt, in more hactenus non fuiſſe poſitum, lætitiæ ſolemnia celebrare, niſi quando ipſe Imperator cum victoria domum rediiſſet. Interim Duces, qui adhuc Martiana palude morabantur, de præſidio Teflin deducendo conſultabant, de qua rumor, ſed falſus, ſparſus fuerat, eam denuo Georgianorum viribus ceſſiſſe. Dautchan Amurathis gratiam aucupari cupiebat: igitur ſeſe ad deducendum præſidium obtulit, & tantum perſuadendo effecit, vt Cicala 30000. cecchinorum, præſidiariis Teflienſibus numeranda ipſi conſignaret. Peruenit igitur Teflin, & inde ad exercitum rediit citra vllam moleſtiam. Eius operam Amurathes tantum probauit, vt Maroniæ ſiue Maras Baſſam eum crearet, quam vrbem in confinibus Cappadociæ & Armeniæ ſitam, adhuc gubernat: quanquam, falſo tamen, fama fuerit ſparſa, ipſum iuſſu Amurathis ſuffocatum fuiſſe. Maxutchan opimo quoque beneficio fuit affectus, quod exercitum Reiuan & Taurin deduxiſſet, fuitque Alapiæ Baſſa electus; à quo, ſicut & eius filio, atque mancipiis, plurima ſcitu digna de belli huius euentibus, & pacis tractatione, cui ille inprimis fuerat adhibitus, comperi. Nec quicquam in hac mea hiſtoria ſcripſi, cuius oculatum aliquem teſtem, authoritate præſtantem, & fide dignum, qui rebus ipſe interfuiſſet, non habuerim. Et hunc in finem apponere lubet epiſtolam quandam Amaniæ Sangiacchi, ad Aly Alapiæ Baſſam, (qui cum Ebrahino contra Druſos bellum geſſit) Arabica lingua perſcriptam, cuius hic fere ſenſus de verbo ad verbum eſt expreſſus: Diuiti & potenti inter diuites & potentes; Domino Dominorum, honorato & eximio inter honoratos & eximios, Domino Aly Baſſæ; humilem ſalutem, & longam proſperitatem opto: Cum tua Magnificentia ex me ſcire cupiat, quid hoc anno inter noſtrum exercitum, & Perſas Cheſelbas geſtum ſit, non debui committere, quin de omnibus certiorem eam redderem. Sciat igitur, nos Erziro Ecbatanam quadraginta diebus perueniſſe. Pridie vero quam eo adpulimus, frontem exercitus noſtri, filius Regis ad pontem aquæ ſalſæ aggreſſus eſt, easque copias fere omnes deleuit, occiſis prope quinque millibus, & inter hos Aly Græciæ Begum. Biduo ante noſtrum feſtum vrbem ingreſſa eſt noſtri exercitus pars maxima: ſed ante per duos integros dies portæ ab incolis nobis fuerunt occluſæ, quibus intra & extra vrbem atrociter pugnatum fuit, vt noſtrorum ad octo millia occubuerint. Alyculichan cum primoribus vrbis aufugit, derelicta eius defenſione, in ipſa fuga in Maroniæ Baſſam incidit, quem cum multis ſuorum occidit: inde ad ſonitum bombardarum obſtupefactus, in Regis caſtra aufugit. Triduo poſtquam Ecbatanam cepimus, de propugnaculo ædificando conſultatio habita fuit, ipſa vrbs miſerandum in modum fuit direpta & deuaſtata, inſcio & inuito Viſirio, cuius tamen iuſſu omnia ea fieri dicebantur. Ianizari & Spahi omnes aulæ facultates ad ſe rapuerunt, tertia vice deprædationem iterarunt, plurimis ciuibus Tauriſinis occiſis, ingentes opes ſub terra abſconditas repererunt, atque raptos infantes decem & duodecim ducatis vendiderunt. Trigeſimo ſexto die propugnaculum fuit abſolutum: ſed duodecim diebus antequam perficeretur, noua Viſirio allata fuerunt, hoſtes aduentare, quibus ille Cicalam & Mahametem Amidæ Baſſam obuiam miſit, qui hoſtium copiis è colle luſtratis, impetum in eos fecerunt: qui primum cedere videbantur, mox in noſtros conuerſi, ſtragem maximam ediderunt, occiſis fere quatuor millibus noſtrûm: Inter quos Sinan Cicalæ vicarius, & Chenan Regis Chiaus cum Spahinorum ſcriba periit. Poſt aliquot dies denuo Viſirius certior fuit factus, hoſtes cum vniuerſo exercitu imminere, quibus ille pleraſque noſtras copias obuiam miſit, fuitque commiſſum prœlium acerrimum, quod neque lingua, neque calamo ſat explicare poſſum: ſed, vt communis eſt fama, 40000. noſtrorum fuerunt deſiderata, non ſine exigua tamen hoſtium clade. Amidæ Baſſæ caput fuit amputatum. Amurathes Caramaniæ Baſſa captus fuit,

cum in foſſam quandam cecidiſſet; Muſtaffa Burſiæ Sangiachus & Schender Græciæ Begus, cum aliis quinque Sangiacchis perierunt: ipſe quoque Trapezuntis Baſſa mortuus eſt. Vbi Viſirius Ecbatana diſceſſit, & Sancazan peruenit, hoſtes noſtros circa primam horam diei (nocte enim iter feceramus) dum caſtra ponunt, aggreſſi ſunt, prœliumque ad noctem vſque durauit tanto ſanguine effuſo, vt credi vix poſſit: communis fama eſt, è noſtris tunc viginti millia occubuiſſe, inter quos etiam occidit Vſtreſchecaia, quem optime nouiſtis. Hic quoque Viſirius animam efflauit. In prima pugna attulerunt Spahini aulici, & regis Chiaus mille capita Perſica: in reliquis quoque prœliis hoſtes non exiguis damnis fuerunt affecti. Vbi Sancazan diſceſſimus, hoſtes nos inſecuti ſunt, & elapſo biduo magnam copiam camelorum & equorum præda onuſtorum, tum etiam munitionum & mancipiorum nobis abſtulerunt, ad quæ recuperanda noſtri hoſtem, ſed fruſtra, ſunt inſecuti, niſi quod Mahametes Sebaſtopolis Baſſa mille capita Perſica, quinque tympana, atq; vnicum vexillum in caſtra retulerit. Inde Erzirum citra vllam moleſtiam peruenimus. In propugnaculo relicti fuerunt aliquot Spahini aulici, cum aliquot Sardaris, & duobus Sangiacchis Biri & Marræ, qui poſtea aufugerunt. Præfectus propugnaculi creatus fuit Giaffer Tripolis Baſſa, eique gratis à Viſirio officium Amidæ Baſſæ fuit conceſſum per tres annos proximos, quibus elapſis in Viſiriorum numerum ille reciperetur. Hoc vnum tacere non poſſum, tanta annonæ inopia in exercitu nos laboraſſe, vt coacti fuerimus camelis bis coctum, & orizam comedendam dare, quibus cum deſtitueremur, cortices arborum, & ligna pinſata atque contuſa, tandem terram ipſam pro pabulo eis proiecimus manducandam. Hæc inopia durauit vſque dum Martianam paludem attigimus. Sed dum in conſtruendo propugnaculo occupati fuimus, lutum equi noſtri exſiccatum, & in puluerem redactum comederunt: vnde plurimi tam ex equis, camelis, & mulis, quam ipſis hominibus mortui ſunt, & tantus erat fœtor, vt ſemper naſum cepis admouere coacti fuerimus, tandem Erzirum, vt dixi, attigimus. Deus ſit vobiſcum. Erziro primo die Lunæ di Mucaren. Ex hac epiſtola adparet, occiſorum numerum forſitan maiorem fuiſſe, & aliis occaſionibus pugnas fuiſſe commiſſas, quam nos deſcripſimus, quod nemini mirum videri debet, ſiquidem in tam numeroſo exercitu facilime fieri poteſt, vt cauſſæ & occaſiones rerum geſtarum non omnibus æque innoteſcant, vbi vix euentus bene percipiuntur.

LIBRI NONI ET VLTIMI ARGVMENTVM.

CONSILIA Perſarum Principum: propugnaculum Ecbatanenſe expugnare decernunt: cum Turcomannis in gratiam redire ſtudent; qui communi vtilitati inſeruire ſimulant. Rex Tamaſum filium ad ipſos mittit, illi ab expugnatione fugiunt; & Tamaſum Regem pronunciant. Principi inſequitur Turcomannos: Mahametchanum interimit cum Califa Sultano, & Tamaſum fratrem captum ad patrem mittit. Arſaciam ad nouas copias conſcribendas proficiſcitur. Milites deſerunt arcem Saitan Chalaſi. Chiulfalini tributum pendunt. Baſſa in Reiuan, & Alyculichano, quo pace fruantur, Cicala ſubſidio venire Giaffer Baſſa conatur, Regis Perſarum impetus timet, & Martianam paludem repetit. Amurathes Feratum Baſſam belli Imperatorem creat, ille Sebaſtopolim & Erzirum petit, & exercitum colligit: ad Martianam paludem offendis Syriæ, Palæſtinæ, Iudææ, & Meſopotamiæ copias: luſtratio exercitus: conſpiratio Turcici Ducis cum Perſianis rebellibus. Princeps Perſa Ecbatanam peruenit, cur non tentarit expugnationem propugnaculi: Zeinellum fudit: Salmas deuaſtat: Reiuanenſem Baſſam cædit: Exercitum inſtruit contra Feratum Baſſam: Rebellium proditionem cognoſcit: Retrocedit: Interim præſidium in propugnaculum infertur ſine certamine. Simonis Georgiani ſtratagemata vana. Teflis ducitur præſidium. Princeps Gengam peruenit, & à quodam ſuo ſatellite eunucho confoditur.

PERSÆ iniquiſſimo ferebant animo, propugnaculum in maximum detrimentum rerum ſuarum Ecbatanæ conſtructum fuiſſe. Namq; machinis deſtituebantur, quibus muros eius rumpere & ſubuertere poſſent. Neq; ea militum copia præſtabant, quæ bombardarum crebris ictibus in oppugnatione opponi quiuiſſet: Tum etiam non exiguo dolore afficiebantur, quod tanti momenti vrbs in hoſtium poteſtatem redacta fuiſſet, vnde grauia pericula, & difficultates maiores in futurum metuere cogebantur. Victi igitur neceſſitatis, gloriæ, & virtutis ſtimulis, in ipſa hyeme eas conducere copias, quæ ad oppugnationem huius loci ſufficerent, atq; è terra excitatis aggeribus, expugnationem huius propugnaculi tentare ſtatuerunt. Verum in militum delectibus nouæ difficultates oboriebantur: neq; enim in Gheilan, neq; in Aria eos conſcribi Abas & Chan Amet permittebat: Et Turcomanni adhuc rebelles erant, & contumaces propter Emirchani interitum. Incertus igitur Rex, Princeps, & regni proceres, quæ conſilia caperent: tandem Turcomannos ſibi reconciliare, conſultiſſimum putarunt: nec fore difficile hos ad officium reducere iudicabant: ſiquidem pro iniuria, qua ſe affectos, interitu Emirchani ducebant, illis ſatisfiat. Literis igitur ad eorum Duces ſcriptis, inprimis vero ad Mahametchanum, & Califæ Sultanum, eos Rex commonefecit de periculo, in quo honos & libertas totius regni Perſici conſiſtebat, omnium ſpem in ipſis repoſitam eſſe, fore vt ipſorum auxilio iugum hoc à Perſia remoueretur, quorum viribus non modo in priſtino flore conſeruari, verum etiam augeri hoc regnum poſſit, cum fama de rebus fortiter ab ipſis geſtis, in remotiſſimas Aſiæ prouincias diuulgata, horrorem paſſim omnibus incuſſerit: quod ſi prompte auxilium ferre deſiſtent, in maximum diſcrimen res Perſicas adductas iri. Obliuiſcantur igitur præteritorum, quæ non in ipſorum iniuriam ſuſcepta, ſed ex ſolo Regis iuſto timore profecta fuerunt. Proponant ipſi tales conditiones, quibus ſibi ſatis fieri putent, non eis denegatum iri, quicquid honeſti petituri ſint. Huiuſmodi literis Turcomanni à Rege inuitati fuerunt ad vindictam capeſſendam de iniuriis à Turcis illatis. Ad quas prompte reſponderunt, paratos ſe eſſe Regi ſuccurrere, & ipſius imperia in omnibus rebus executuros. Iam inter ſeſe fraudulenter conſpi-

rauerant, de nullo alio præfecto in Emirchani locum recipiendo, præter Regis tertium filium, cui Tamaſo nomen erat: eumq; in regem Arſaciæ creare, in contemtum Codabandæ & Principis Hamzę conſtituerunt, quemcunq; ſanè res ea exitum habitura eſſet, vt ſaltem mors Emirchani non inulta maneret: tam ſcelerate regiam dignitatem, & communem religionem violare, eiq; priuatã vindictam anteponere non verebantur. Comprobato igitur tam fraudulẽto conſilio, duo illi Turcomannorum Duces, Maſiamet & Califa ad Regẽ cum 10000. militum profecti ſunt, eiq; debita reuerentia ſeſe ad omne obſequium paratiſſimos offerunt; eorũ aduentu rex credulus, & nihil mali ſuſpicans, plurimũ fuit recreatus. Et quanquã nonnulli proceres, qui indicia haud leuia de occulta cõſpiratione habuerãt, ipſi ſuggeſſerint, vt caute & circumſpecte ageret, nec quicquã maioris momẽti illis concrederet: Ipſe tamen hoc vnũ ſtudioſiſſime quærebat, qua ratione eos ſibi deuinciret, & ipſorũ petitionib. ſatisfaceret, vt hac beneuolentia inducti, ſiniſtras cogitationes, ſi quas mente concepiſſent, deponerẽt, & vera in poſterũ obedientia, & intemerata fide ipſi ſeruirẽt. Verbis itaq; humaniſſimis, & donis liberaliter eos excepit, & quẽ ſibi in Emirchani interfecti locũ præfectum & gubernatorẽ exoptent, libere iudicare iuſſit; non fore vt quiſquã ipſis denegetur. Reſpondit Mahometchan, ſe hoc vnico deſiderio teneri, vt ipſi obediant & inſeruiãt, de regia beneuolentia ſe minime dubitare, quin talẽ ipſis præfectũ Rex daturus ſit, qui & fortitudine & dignitate præſtet, & ipſis inprimis charus & gratus ſit. Hanc eandẽ ſuam eſſe voluntatẽ, libere Rex eis expoſuit, ſibi adhuc eſſe filium Tamaſum, qui nulla hactenus præfectura fungatur, eum ſi velint accipere in gubernatorẽ, paratum ſe eſſe illis eundẽ concedere, quo magis ſecuri de ipſius beneuolentia maneãt, & eius quaſi obſidẽ filium propriũ habeant. Aggrediãtur igitur fortiſſime propugnaculum à Turcis recens in Perſarũ ignominiam extructum, illud demoliantur & expugnent. Vbi Mahametchan Regis conſiliũ intellexit, quo ſibi vltro occaſionẽ offerri videbat, proditionẽ iuratam citra vllã ſiniſtram ſuſpicionẽ exequendi plurimũ exhilaratus, ad omnia paratiſſimũ Regi ſeſe offerebat, omniumq; nomine fidem & obedientiam ipſi iurabat, modo euentus ipſius promiſſis reſpõdeat. Rex noui propugnaculi expugnationẽ ſollicite vrgebat, ſed proceres omnibus modis ipſi diſſuadere conabãtur, ne filium Tamaſum Turcomannorũ fidei committeret: Sed quo magis illi inſtabant, ne tam enormẽ errorẽ committeret, & de indicata coniuratione fidẽ ipſis haberet, tanto magis ille anxius cõtra quærebat promiſſis ſtare: & filium quaſi clam & furtim in ipſorum manus depoſuit, credẽs ſe eius ſecuritati hac ratione optime proſpexiſſe, ne vitę ipſius à quoquã fratrũ maiorũ inſidię ſtruãtur, Turcomannorũ Duces, quo regẽ in cõcepta de ipſorũ fide opinione cõfirmarẽt, & ꝓceribus ſcrupulũ de cõiuratione eximerẽt; expugnationẽ arcis Ecbatanẽſis ſummo conatu adorti ſunt, aggeres ex terra extruxerũt, iisq; paulatim ad foſſã ꝓpugnaculi apꝓpinquarũt, vt exiguo tẽpore muros altitudine æquarẽt, & foſſã ab vna parte terra fere totã impleuerint, parũq; abfuit, qn miles ad oppugnationẽ venire poſſet. Vnde fama expugnatæ arcis in Aſia vbiq; ꝑcrebuit, & in Italiã quoq; delata fuit: verũ ſubito ſceleſtus ille Mahometcham cũ omnibus Turcomãnis clã nocte abducto ſecũ Tamaſo diſceſſit, itinere Arſaciã verſus directo, vt Tamaſum regẽ ꝓclamaret; Mahometis Regis & Principis nomẽ atq; dignitatẽ varie eludẽs. Vrbes, ad quas impuiſa hæc & immatura regis inauguratio ꝑuenit, ſummopẽ fuerũt ꝑturbatę: Senex quoq; Mahametes ingenti dolore afficiebatur, ꝙ tã turpiter ſe deceptũ videret. Nemo tamẽ magis fuit iratꝰ atq; ꝑturbatꝰ ipſo regis primogenito, cuiꝰ plurimũ intererat, nõ ſolũ ꝙ recte auſpicata oppugnatio impfecta derelinquẽda erat, ſed dignitas quoq; ipſius, & regni trãquillitas & debita ſucceſſio in euidẽs ꝑiculũ ac diſcrimẽ vocabatur. Dolore igitur & ira ꝑcitus, incertꝰ hęrebat, qd cõſiliũ caperet. Hinc dolebat, ſibi expugnationẽ arcis deſerendã eſſe: Illinc rebellionẽ vlterius ſerpe, eiusq; autores impunitos relinquere, nimiũ ipſi ꝑiculoſum videbatur: neq; ab vtraq; parte rebus perclitantibus ſubſidio venire, & mederi valebat. Tandẽ elapſis aliquot dieb. glorię ſtimulis excitatꝰ & admonitꝰ, à primis regni ſa-

trapis

trapis in Turcomannos vires ſuas conuertere ſtatuit, vt ſublatis periculis, quæ ab ipſorum perfidia imminere poterant, expeditio contra Turcas facilior & minus dubia redderetur, nouusq; in futuram æſtatem exercitus conſcriberetur. Collectis igitur 12000. militum, aſſumptis etiam nonnullis ex ipſius Regis cuſtodia ſatellitibus, animo audacia confirmato, fugitiuos & rebelles Turcomannos, relicta via, quæ Arſaciam ducit, inſecutus eſt, quos tandem ad locum quendam Califteza vocatum, vnius diei itinere Arſacia diſtantem, offendit, eosq; ſtatim acie aggreſſus eſt. Plurimos eorum iam antea pœnituerat tam ſcelerati conſilii, ideoq; gladium contra Principem non ſtrinxerunt; alii timore perculſi aufugerunt, vnde luculenta Princeps victoria potitus eſt. Mahametchan & Califa Sultan, & alii quidam Duces coniurationis authores & complices capti, iuſſu EmirHamzæ capite fuerunt plexi: & Tamaſus, ſic iubente Principe, captiuus in Cahacam arcem fuit deportatus. 5000. Turcomannorum ex prœlio aufugerāt, & Babyloniam verſus iter per Siras inſtituerant; de quibus conſtans fama fuit, eos Solymanno Babyloniæ Baſſæ ſeſe iuncturos; quod etiam non ita multo poſt contigit. Qui tamen pœnitentia poſtea ducti, ob commiſſum crimen in gratiam cum Rege Perſarum redire omnibus modis, ſed fruſtra tentarunt. Regi igitur ob rebellionem inuiſi, Baſſæ de perfidia ſuſpecti: eodem tempore patria, honore, & libertate priuati, gratia quoq; & beneuolēnia amicorum pariter & hoſtium exciderunt. Princeps Arſaciam perrexit, & diſperſos Turcomannos, qui victi honeſtate & conſcientia à tanto ſcelere abhorruerant, colligere, iuſtumq; conſcribere exercitum, & ad deſertam arcis Taurinæ oppugnationem redire conſtituit. Hunc finem habuit Turcomannica ſeditio. Interim Turcæ variis rebus intenti erant, Amurathes de nouo belli Imperatore eligendo ſollicitus erat: præſidiarū arcis Saitanchalaſi eam iuſſu Regis deſeruerunt, vt ſumtibus parceretur, & quod Lory propugnaculum proximum ſufficere ad defenſionem eius ditionis putaret. Baſſa qui Reiuan defendebat, auaritia magis, quam gloriæ deſiderio motus, Chiulfalenſibus bellum intulit, indignatus, quod nulla ipſi dona & munera mitterentur, cum ſciret, Leuentolium Baſſæ Martianæ paludis & Teflienſi abunde omnia ſubminiſtrare. Chiulfal vrbs 10000. fere hominum habet, in confinibus Armeniæ & Atropatiæ ſita: in Armenia tamen collocatur, Ecbatana triū dierum itinere diſtat. Chriſtiani eam habitant, partim Armenii, partim Georgiani, qui magis mercaturæ ſerici, quam armorū tractationi ſtudent, vnde plurimum lucri capiunt, & maximas opes acquirunt. Perſis tributa fideliter depēdit, Turcis vero inimiciſſima ſemper extitit: huc cum Baſſa Reiuanenſis cum 1500. ſclopetariis perueniſſet, vrbē multis armatis defenſam, & portas occluſas & obſtructas reperit. Verum per legatos qui ipſi obuiam cum donis ampliſſimis miſſi fuerāt, honorifice ciuium nomine fuit exceptus, & rogatus ſimul, vt ſtudium & beneuolentiam ciuium ádprobare velit; qui antea ſponte ipſi tributum mittere auſi non fuerant, ne Regis ſui indignationem incurrerent, à quo vrbs dubio procul euerſa, & ipſi libertate & vita priuati fuiſſent, ſi quid ſimile non coacti tentaſſent. Baſſa, quem auaritia huc traxerat, acceptis donis, & probata Chiulfalinenſium excuſatione, Reiuan rediit. Iam Perſarum Rex eius rei certior factus, verebatur ne vrbs penitus in Turcarū poteſtatem perueniſſet: Igitur Alyculichanum cum 3000. militum ad eam recuperandam miſit: quæ ſi vltro deditionem feciſſet, iubebat eam nō modo expugnare, verum etiam exurere, & Primates captos abducere. Cum vero quid geſtum eſſet, Alyculichan ab ipſis ciuibus comperiſſet, nulla vi adhibita perſuadere illis conatus eſt, vt in ſignum obedientiæ & obſeruantiæ Regi plura & maiora dona, quam Baſſæ dediſſent, mitterent. Huic conſilio haud inuiti illi obtemperantes, fidem & obedientiam ſuam Regi comprobarunt, & toto belli tempore vndiq; gliſcentibus diſſidiis, ipſi fere ſoli immunes ab hoſtilibus excurſionibus in pace vixerunt, tanto beneficio muneribus ſibi comparato. Giaffer Baſſa, qui propugnaculum Tauriſinum defendebat, inprimis verebatur, ne Princeps Perſa maiori numero cum Turcomanis ad expugnationem rediret, quum indies è ſuis præſidiariis aliqui aufugerent, conſtituit,

ēa de re Cicalam, qui in Van morabatur, certiorem facere: oſtendens illi periculum, in quo caſtrum verſabatur, ſi denuo illud Princeps Perſa obſidear. Multos enim è præſidiariis clam aufugiſſe, nonnullos morbo periiſſe, aliquos qui longius pabulatum excurrerant, ab hoſte interceptos & occiſos eſſe: proſpiciat igitur, quid è re ac dignitate Regis ſit, ne deſtitutū iuſto præſidio & auxilio própugnaculum hoc in Perſarū manus recidat: facilime hanc expeditionem ſuſcipi poſſe, quod nullibi ſint Perſarū copiæ, præter exiguas illas, qui Regē comitantur, qui 12. inde diſtet milliarib. Cicala de propria ditione Martianæ paludis, quā defendendā acceperat ſollicitus, cū maxima & nobiliſſima vrbs limitanea ſit totius regionis: nihilominus tamen magnitudine rei, de qua ſollicitabatur motus, & vt in gratiam Regis ſe conſeruaret; Giaffer Baſſæ petitioni ſatisfacere decreuit. Collectis igitur 3000. ſclopetariis, & munitionum haud exigua copia, Ecbatanam verſus profectus eſt, de cuius aduentu Rex Codabanda certior factus, exploratores quoſdam emiſit, vt qua via incederent, pernoſcerent: cum iis namq; manus conſerere volebat. Hi vbi prope Salmas venerunt, à præcurſoribus Cicalæ capti, & quæſtionibus ſubiecti, confeſſi ſunt, Regem iam verſus Sancazan mouiſſe cum exercitu, vt eos aggrederetur. His intellectis, Cicala valde fuit perturbatus, quod copias ſuas & munitiones manifeſto diſcrimini expoſitas cerneret, tum quod verebatur, ne ſi vel minimum damnum ſuo exercitui inferretur, propugnaculum Martiæ nimium periclitaretur, quod pauciſſimi milites ad defendendum illud relicti fuerant, nec quiſquam ibi eſſet Dux belli peritus, præter ipſius Checaiam. Maluit igitur ancipitem expeditionem deſerere, & vrbem ſuæ fidei commiſſam tueri, ſartamque & tectam conſeruare, quam & hanc, & copias ſuas, & ſeipſum in periculum adducere. Etſi vero hoc ſubſidio Giaffer deſtitutus fuit, nihilominus tamen grauiora incommoda non ſenſit: Quia Princeps colligendis militibus, delectibus habendis, & belli apparatibus faciendis, tamdiu immoratus fuit, vt nouus belli Imperator tempus & occaſionem commodiſſimam habuerit, ſubſidium eo opportunum deducendi. Amurathes haud parum anxius erat, cui belli imperium contra Perſas committeret. Cicalam teſtamento ſibi Oſman Baſſa ſucceſſorem ſubſtituerat: & nota erant præclara ipſius facinora prope Taurin edita, & ſingulari fauore propter virtutes & merita in aula pollebat: vnde non parum in ipſum Amurathes inclinabat: ſed obſtabat communis quidam rumor inter milites ſparſus, quod nulla ratione Duci tam iuueni obedire vellent: vnde verendum omnino erat, ne tumultus in exercitu ideo excitaretur. Erat tunc in aula Feratus Baſſa, qui iam antea eo officio functus fuerat, videbaturq; anxie illud rurſus ambire, vt Regis fauorem ſibi reconciliaret. Cum igitur alius ad tam graue onus idoneus non occurreret; hunc tandem Imperatorem exercitus elegit, de cuius fide atque fortitudine ipſi iam conſtabat, & iam ſatis illum edoctum cenſebat, quo modo tantum exercitum in officio contineret. Ornatum igitur tanto officio, authoritate & poteſtate, quæ neceſſaria erat, ipſum inſtruxit, & regiis mandatis in omnes Imperii vrbes, ad Baſſas, Sangiachos, & reliquos præfectos ac miniſtros miſſis, imperatum fuit, vt cum exercitu contributiones, decimæ, munitiones, frumenta, arma, & artifices colligantur, quo ſequenti æſtate ad primum ſtatim edictum Ducem belli ſequantur. Architalaſſi officium Aly Vcchiali fuit commiſſum, eique iniunctum, vt manum Ianizarorum quatuordecim triremibus impoſitam Trapezuntem deduceret, vt inde Erzirum profecti, Generali ſeſe coniungerent. Pecunia, præter annuos reditus vrbium Reiuan, Erziri, Aggiachalaſi, Lory, Tomanis, Teflis, & Charſæ, ac Tripolis, qui 600000. ducatorum efficiunt, in Syria inprimis fuit collecta, & à ſolis Alapiæ mercatoribus 60000. cecchinorum mutuata fuerunt. Varia inaudita ſunt ea de re hominum iudicia: omnes enim tantas rei pecuniariæ anguſtias valde ſunt admirati, non modo quod mutuæ ſumptæ pecuniæ ſolutionem incertam & perdifficilem fore ſciebant, ſed potius, quod ea ratione Chriſtianis Principibus ærarii ſui inopiam Turca denudaret. Generalis quadringenta tormenta bellica ſecum ad hanc expeditionem ſumpſit,

& licet

& licet Maxutchan Alapiæ Baſſa deſignatus eſſet, ab Imperatore tamẽ obtinuit, vt tanquam Dux itineris illi adiungeretur, & Cicala Vannenſis Baſſa, cui infenſus erat, Babyloniam transferretur. Conſtantinopoli igitur diſceſſit Aprili menſe, ſolito tardius, peſte nẽpe impeditus, quo minus citius omnes belli adparatus feciſſet, & Chalcedonem & Sebaſtopolim verſus iter inſtituit. Nunquam neq; ex Græcia, neq; ex Vngaria tantus & tam immenſus exercitus fuit eductus, quantum ipſe hoc anno inde collegit: quem cũ reliquis totum paratũ habuit, priuſquã Sebaſtopoli circa finẽ menſis Iulii diſcederet. Ad peſtẽ, quæ impediebat maturiorem eius diſceſſum, accedebat maxima omniũ rerum penuria, & caritas, quæ Erziri (quemadmodũ etiã Alapiæ & aliis locis) vigebat: ſed cũ iam accinctus ſtaret ad iter, nuntii à Giaffer Baſſa aduenerunt, per quos ipſi ſignificabat, Perſarum Principem in ſingulas horas maximo cũ exercitu Ecbatanæ expectari, ꝙ ſi diutius auxilio ſibi venire ceſſet, & ille prius Ecbatanã adpellat, & ꝓpugnaculũ obſideat; verendũ, ne in ipſorũ manus deueniat. His intellectis, feſtinanter Erzirũ petiit, quo Cal. Auguſt. peruenit: inde verſus Martianã profectus, vbi Alapię, Tripolis, Damaſci, Iudęæ & Palęſtinæ copię conuenerãt; itinere per Amidã directo, ne Erzirũ attingere cogerẽtur, ipſe quoq; Haſſan Baſſa relicto Erziro, Charſã ſeſe cõtulerat, vt minori cũ incommodo ibi ſtatiua haberet. In Van collegit Generalis omnes copias, iiſq; luſtratis diſceſſit, ac vt primũ planitiẽ quandã attigit, ordines diſpoſuit. Eodẽ prorſus modo, ac ſi cũ hoſte acie ipſi cõfligendũ eſſet, Sinanũ Baſſã imitatus, qui milites hac ratione ſub diſciplina continere, & ad omnes belli vſus aſſuefacere voluit. Frontẽ exercitus ducebat Meſopotamię Baſſa, cũ 12000. qui ipſi parebant, & Tygris Euphratiſq; accolæ erãt, & celeritate curſus Arabes, conſtantia vero Armenios videntur imitari. Tergũ exercitus tuebatur Damaſci Baſſa, qui 8000. milites ducebat: Syros ſcilicet Palęſtinos, & Iudæos, qui ad Iordanẽ & Orontem habitant. In ipſa acie conſiſtebat Generalis cũ Græciæ, Peloponneſi, & Bithyniæ copiis numero 18000. militũ. In dextro cornu erant Cilicię, Ponti, Cappadocię, Caramaniæ & Natolię Baſſę, quibus ſuberant etiam Euxini Pontis Sangarii & Mæandri accolę quorũ 12000. erant. In cornu ſiniſtro conſtiterant Baſſę Maroniæ, Erziri, & Martianæ, cum vtriuſq; Arſneniæ populis & Sãgiacchis Curdis, qui ad lacum Toſpitẽ & Martianum medii inter Iberos & Meſopotamios habitant; horum omnium 12000. erant. In hoc cornu ſemper vigilabat campi ductor ſiue magiſter, alterũ tormentis vndiq; vallatum erat: vtrumq; præcedebant voluntarii milites, qui prædæ inhiabant, & gloriæ erant cupidiſſimi, in pares ordines diuiſi, quorum 20000. erant. Frons exercitus milliari aciem præceſſit, cum bis mille equis & quatuor agminibus leuiũ equitum, quorũ fere 4000. erãt, quos 6000. præcurſores tanquã exploratores p̄cedebant. Has turmas ſequebatur Mareſchallus Imperatoris, Imbrahur Baſſi dictus, cũ 400. Ianizaris, hos ſequebãtur 400. Solachi, & poſt illos 4000. Ianizari. Eos excipiebãt Sclopetarii, qui longiorib. bõbardis, quę Algieri cõficiũtur, vtũtur, hi odinarie Generalẽ cuſtodiunt, ille ſolus incedebat 12. ſatellitibus ſtipatus. Poſt eũ ſequebãtur vexilliferi, tympaniſtę, tubicines, & totũ corpus aciei. Intra ꝙ & tergũ cõſtituti erãt, qui impedimẽta, munitiones & frumenta conducebãt, ab vtraq; parte ambo illa cornua eos defendebãt, vigiliis & excubiis pręerãt, ſiue proficiſceretur ſiue quieſceret exercitꝰ, Ciliciæ & Natolię Baſſæ. Hũc in modũ Feratus diſpoſuit ordines, ſecũ tamẽ certo ſtatuerat, ad p̄liũ nunq̃ cõdeſcẽdere, niſi ſpes certiſſima victorię affulgeret, ne tantã militũ ſtragẽ pateretur, quantam Oſman præterito anno expertus fuerat; ſemper ſibi ab improuiſis & ſubitaneis Perſatũ excurſionibus metuẽs, cuius timorẽ augebãt rumores, de Principis Hãzę aduentu, & exercitu eius numeroſiſſ. ſparſi. Plurimũ tamẽ cõfidebat clãdeſtinis cõſpirationib. quas cũ Alyculichão inierat, hic n. Abaſo Mirizę, Arię ꝓregi, certo pollicitꝰ fuerat, fratrẽ ipſiꝰ Hãzã, Regni ſucceſſorẽ p̄textu auxilii ferẽdi è medio tollere, vel ſaltẽ aciẽ ita inſtituere, vt viuꝰ in Turcarũ manꝰ deuẽiret, quo Abasꝰ in regno ipſi ſine impedimẽto ſuccederet cuiꝰ rei Feratũ Baſſã cõſciũ eſſe volebat. Parui igitur fecit belli Imp. oẽs eos apparatꝰ, q̃b. ſe à Perſis peti, rumor ferebat, ꝙ ſi ſane ea fide atq; induſtria

executioni mandata fuiſſent ſalutaria Emithamzæ conſilia & apparatus, quam periculi magnitudo & rei grauitas requirebat; nec perfide & proditorie omnes eius conatus eluſi fuiſſent: Perſæ dignam de Turcis ob tot illatas iniurias ſumere vindictam potuiſſent, & hiſtorici non minus amplam, virtutes & laudes Perſarum prædicandi, reſq; maximi momenti memoriæ mandandi, materiam habituri eſſent, quam anno præcedenti, milleſimo ſcilicet quingenteſimo octogeſimo quinto à nato Chriſto, habuerunt, ſed rebellio & diſcordiæ Perſarum laudes obſcurarunt, & præclaræ ipſorum virtuti ac fortitudini óbſtitére, de qua tamen Chriſtiani plurimum ſibi pollicentur.

Emir Hamza Miriza 28. die Lunæ Regeb, quod fuit circa finem menſis Iulii, Ecbatanam cum maiori parte exercitus peruenit: omnes opinabantur, ipſum ea occaſione arcem obſeſſurum eſſe, quod multo facilius eam tunc, quam priori obſidione expugnare quiuiſſet, ſiquidem exiguæ copiæ eam defendebant, & præſidiatii eius aduentu, & paucitate ſociorum perterriti, non ea qua debebant fortitudine hoſti ſeſe oppoſituri videbantur. Sed Princeps non modo intentatũ reliquit propugnaculum, verum etiam in ipſa vrbe parũ cõmoratus fuit: Cauſſę huius conſilii variæ adducuntur, Perſæ, & qui ipſis fauent; eam Principis fuiſſe voluntatem áſſerunt, non quod propugnaculum obſidere, & honeſtam ex illius expugnatione victoriam deportare nequiuerit, ſed quod obſidione arcis huius traductus à conſiliis, & impeditus fuiſſet, quo minus prælia committere, & ea damna Turcis inferre quiuiſſet, quæ animo ſecum voluebat, reſeruans ſibi expugnationem arcis, donec dignam de hoſtibus vindictam ſumpſiſſet, & deſiderio ſuo ſatisfeciſſet. Alii hanc intermiſſæ obſidionis cauſſam fuiſſe minime credunt, cum Princeps magis neceſſariam, & honeſtiorẽ expeditionem ſuſcipere nequiuiſſet, vel grauiorem vindictam de hoſtibus ſumere potuiſſet, quam propugnaculi Taurisini expugnationem, quod in contemptum, & maximum præiudiciũ totius Perſiæ, nec non multo ſuo cum detrimento, & immenſo damno ædificarant, cuius reſpectu omnes præteritorum annorum expeditiones à Turcis ſuſceptæ fuerãt. Aliam igitur huius rei cauſſam adducunt, quod nimirum ipſe Princeps imparem ſe tantæ expugnationi iudicarit, qui minime his belli exercitiis, vrbium ſcilicet oppugnationibus & defenſionibus aſſuetus erat, tum quod tormenta bellicà in primis expaueſceret, & potius quoduis aliud certamen initurus eſſet, quam illud, quod pro defenſione, & ſubuerſione murorũ ſuſcipitur, verum quænam harum opinionum veritati magis ſit conſentanea, certo affirmare non poſſum: hoc conſtat, Principem vix Ecbatanam veniſſe, cum ei renunciatũ fuit, Zeinellum Begum, natione Curdum, Salmæ Baſſam, extra vrbem caſtra poſuiſſe. Illum ex improuiſo obruere, & tum propter rebellionem, quod à Perſarũ partibus ad Turcas tranſiiſſet, tum propter inſolentiam & crudelitates eum caſtigare ſtatuit, ſtipatus igitur 12000. hominibus, Salman verſus profectus, Zeinellum cum omnibus copiis offendit, quem vbi aggreſſus eſt, ſubito in fugam coniecit; militum ipſius parte maxima occiſa, ipſe vix fuga periculum euaſit: Et ſic vrbs Salmas Perſis victoribus in prædam ceſſit, vbi horrenda crudelitatis, & immanitatis facinora edita fuerunt. Cuius rei exemplum Turcæ in deuaſtatione Ecbatanæ ipſis præbuerãt. Quo facto Princeps Ecbatanam rediturus erat, ſed certo ipſi ſignificatum fuit, Baſſam Reiuanenſem cum 1500. ſclopetariis egreſſum, eadem crudelitate in vicina Perſarum oppida ſæuire, qua ille Salmenſes tractaſſet. Eo nuncio percepto, ſtatim verſus Reiuan Princeps cum copiis mouit: Nec procul ab vrbe in Baſſam incidit, qui vbi è longinquo Perſarum copias conſpexit, confeſtim ſine ordine in fugam ſe coniecit vrbemq; repetiit, maximam militum partem hoſtium furori expoſitam relinquẽs, qui omnes quotquot adprehendere potuerunt, miſere mactarunt. Interea celebres illi captiui Ebrainchan, & Amurathes Baſſa, quorum ſupra memini, nihil intentatum relinquebant, quo ambo libertatem recuperare poſſent, vt vterq; ſuo Domino reſtitueretur. Per aliquot dies ea tractatio continuata fuit: tandem Turcæ aſſenſerunt in Ebrainchani dimiſſionem, dummodo Amurathes ipſis quoq; reſtituatur, verum Perſis

iniu-

iniuſtiſſima hæc conditio videbatur, quod ille contra omniũ gentium ius & fas, contraq; belli leges, quę legatorum incolumitati & ſecuritati inprimis cauẽt, captiuus fuiſſet detentus: Hic vero legitime in bello, atq; adeo in ipſo prælio in ſeruitutẽ fuiſſet redactus. cum igitur cõueniri inter vtraſq; partes nequiret, duo illi duces in carcere diutius detenti fuerũt. Hoc rerũ ſtatu Druſi, qui Manolio ſuberant, nouas turbas excitarũt: ob quas reliqui Druſorũ duces, quas Ebrainus Baſſa Conſtantinopolim captos abduxerat, in arctiorẽ cuſtodiam miſſi ſunt, cũ indies pristinæ libertati reſtitui, & ablatas poſſeſſiones & facultates recipere debebant. Manolius vbi omnes copias ex vicinis ditionibus in Perſiam profectas, & à nemine fere eam prouinciam defendi vidit, ſuorum cædes vindicare & opes atque facultates dolo ab Ebraino extorſas recipere ſtatuit. Primũ igitur Ebnemanſuri, & aliorum ſuorũ inimicorum ditionẽ omnem deuaſtauit, tum verſus Balbech, & Tripolin excurrit: in illa nomine Imperatoris morabatur Acra, qui nihil ad defenſionem territorii ſibi cõmiſſi tentauit. Sed Tripoli armati quidã conuenerũt, eorum Dux fuit Mamut Begus, olim Sangiacchus, qui vt gratiã Imperatoris venaretur, & præfecturam vectigalium eius loci impetraret, primus ad arma milites conuocauit; aſſumpto etiam Caddi ſeu iudice, & Deftardar ſeu theſaurario eius loci in militũ numerum: cũ hac manu non procul ab vrbe profectus fuerat, cũ ſubito Druſi ipſum adoriuntur, & omnium primum Caddum ſeu Iudicẽ ictu bõbardæ occiſum, equo deturbant, quo ſpectaculo Deftardar motus, primus fugam verſus vrbẽ arripuit, cuius exemplũ reliqui omnes imitati, victoriã Druſis reliquerunt: Sangiacchi quoq; vexillifer occiſus, vexillumq; raptũ, & plurimi alii interẽpti fuerunt. Cuius rei nuncius vbi Cõſtantinopolin fuit allatus Druſorum duces, quorum ſupra memini, peſſime fuerũt tractati, in primis vero Mendel, q; Manolio fœdere & amicitia iunctus eſſet, & Manſurolius, atq; alii, quod Acra ipſorum ſummus amicus in illis tumultibus ad defenſionẽ ſeſe non paraſſet, vel hoſti reſtitiſſet: Eam ob cauſſam Amurathes Alybaſſam, Alapię oriundum titulo Baſſæ Damaſci ornatũ in Syriã miſit, iuſſitq; nouũ exercitũ colligere, & Manoliũ penitus euertere, verũ eius aduentus pacẽ potius, quam bellũ promouit. Et certe nihil magis neceſſariũ hoc ipſo tempore erat, quam omnes bellorum occaſiones præcidere & declinare. Neq; enim pecunia inſtructum erat ærarium, & frumẽti aliarumq; rerum ad ſuſtentationem hominũ neceſſariarum maxima erat inopia. Tũ Milites quoq; non niſi inuiti, & quaſi extruſi, in bellum proficiſcebantur, inſuper etiã maximo timore illarum prouinciarum incolę perculſi fuerant, ob ſtupendã locuſtarum multitudinem, ſingularis ſcilicet infortunii præſagium, quæ ea æſtate in Syria extiterat, & hominũ memoria in ea regione nunquã antea viſa fuerat. Perſarum Princeps Ecbatanam ab excurſionibus reuerſus, omnes copias ad parentis caſtra recenſuit, quas hic enumerare viſum eſt. Ferunt ex Aria, Turcomannorum regione, & Gheilan, atq; aliis regni vrbibus Principem ad 40000. hominum collegiſſe; alii tamen non pauci ſunt, qui multo minorẽ numerum ponant. Ex Aria Alyculichan adduxiſſe 8000. ex Gheilan vero ſub Ametchani filio 7000. Equitum adueniſſe; Turcomanni 6000. miſiſſe dicuntur, reliquas copias in vrbibus regiis conſcriptas fuiſſe ferunt. Rex ſuam cuſtodiã ex Curchis & Eſahul conflatã, ſeparatam habebat. Alyculichan, qui Ariæ, & Turcomannorum copias ducebat, & Emangulichan Medorum atq; Armeniorũ Dux, qui in toto 20000. militum habebant, Turcarũ exercitui obuiam miſſi fuerunt, iiſq; à Principe iniunctum, vt in anguſtis viis, & quæ inſidiis ſtruendis aptæ erant, hoſtem operirẽtur, & quo poſſint maiori damno afficerent. Cogitabat enim Princeps hac ratione hoſtium vires infringere, & debilitare, quo facilius poſtea illos iuſta acie ſuperare poſſet. Diſceſſerunt duces illi, & Regio imperio promptiſſime ſeſe obtemperaturos promiſerunt, nunquam tamen quicquam præclare ab ipſis geſtum fuit: ſiquidem Alyculichan ſemper cauſſas finxit, ob quas Turcas aggredi non expediret: quem ſecutus quoq; Emangulichan, cui coniuratio Alyculi adhuc ignota erat. His igitur in ocio diliteſcentibus, Feratus ſine impedimento diu expectatum ſubſidium Ecbatanam præſidiariis attulit. Eodem tempore

Princeps de nefaria Alyculi cõiuratione certior factus, & quod plurimi proceres in eam conſpiraſſent edoctus, vt nimirum ipſe viuus Turcis traderetur, timere ſibi vehementiſſime, & ſecuritati ſuæ proſpicere cœpit. Non igitur auſus eſt iã dudum animo concepta prælia cum hoſte inire, quin potius omne ſtudium eo ſolum impendit, vt manus coniuratorum, & inimicorum effugeret. Vana igitur extiterunt omnia Perſarum conſilia, & noui inſuper tumultus excitati fuerunt. Princeps Alyculichanũ inſecutus eſt, & Abas Miriza palã pro ſcelerato proditore habitus fuit. Indies igitur calamitates Perſarum auctæ: Turcæ vero noua ſpe eius regionis potiundæ erecti fuerunt. Vana quoq; extiterunt Simonis Georgiani conſilia, qui iuſſu Regis Codabandæ vicinos Georgianos ad nobilem quandam impreſſionẽ conuocarat. Stratagema autem, quo hoſtes eludere cogitabat, eiuſmodi erat: Conſtituerat ipſe circa tẽpus, quo nouum præſidiũ Teſlim mitti conſueuerat, cum 8000. Georgianis, ductis ſecum iumentis, qui onera atq; ſtipẽdia non vera ſed ficta afferebant, ad propugnaculũ illud accedere: Tum etiã Baſſæ eius loci fictum quoddã mandatum Regiũ tradere, in quo Imperator Baſſæ ſignificabat, quod Simon Georgianus ad Turcas deſciuiſſet, per quem ipſi mitteret 50000. cecchinorum de quibus militibus propter debita ſtipendia ſatisfaceret. Deinde vt fidem haberet Simoni, & in omnibus ipſi pareret, imperabat. Hoc conſilium vbi exequi Simon ſtatuit, aſſumptis ſociis ad propugnaculum acceſſit: literæ quas Baſſæ tradebat congruentes erant iis, quæ à Porta mitti ſolebant, & facillime Baſſa credebat ipſum ad Turcas acceſſiſſe, quemadmodum in literis illis prædicabat, ideo nihil amplius obſtabat, quin fidem ipſi Baſſa habuiſſet, & in propugnaculum eum intromiſiſſet: vnicum tamen deerat, quod fere præcipuum fuit, quo cum deſtitueretur Simõ, ſiniſtrum eius conſilia exitum habuerunt, & magno ſuo cum damno, atque dedecore tormentorum impetum ac vim effugere coactus fuit. Conuenit enim in hoc bello inter Turcarum Duces, vt is qui in propugnaculo quodam relictus eſt, alteri, qui inde diſcedit certum quoddam ſignum & teſſeram relinquat; qua ipſum ab hoſtibus dignoſcere poſſit, ſi vel ipſe, vel alius Anno ſequenti ſubſidium ferat. Cum igitur de teſſera hac Simon rogatus fuiſſet, nec vllam edere ſciret; fraus ipſius detecta, & ille ſubito ſe inde in tutũ recipere coactus fuit. Vbi vero Generalis Turcarũ Ecbatanã peruenit, & Giaffer Baſſę ſubſidiũ, quod attulerat, tradidit, eiq; de nouo imperium atq; defenſionem eius loci cõmiſit, Erzirum rediit, nouis tamen ante propugnaculis in Cucchiuc Tauris prope Ecbatanã, in Coy, & Cum, vbi Ebrainchã habitare ſolebat, cõſtructis, & neceſſariis præſidiis iiſdẽ impoſitis. Tum in Teſlin quoq; ſine impedimẽto præſidium fuit illatum, & agnita fuit teſſera, quę Simonẽ latuerat. Emir Hamza iam liberior à ſuſpicione rebellionis & inſidiarum, quod Alyculichanum ex agro Ecbatanenſi expuliſſet, Gengam profectus eſt eo cõſilio, vt nouos militum delectus haberet, quibus eos, qui præſidium Teſlin ducebant, debellaret. Emangulichanum eius loci Satrapam, ſemper fideliſſimũ fuerat expertus, ideoq; liberrime de omnibus conſiliis, quæ animo voluebat, cũ ipſo cõtulit, & eundẽ ingreſſus, familiariſſime citra vllum metum inſidiarum ibi verſabatur, atq; expeditioni inſtituendæ incumbebat: ſed dũ maxime ad eam rem attentus eſt, ab Eunucho quodam, ſuo cuſtode, nocte miſere obtruncatus, & lumen illud clariſſimũ, quod totam Perſiam irradiabat, extinctũ fuit. Quis cædem hanc machinatus ſit, ignoratur, quidam Abaſo Mirizæ eam imputant, qui Turcis illum prodere antea cõſtituerat. Alii in ipſum regem Codabandam culpam referunt; quod maluiſſet Abaſum in regno ſibi ſuccedere; quod mihi tamẽ minime fit veroſimile. Alii alias cauſſas huius parricidii adducunt: Nõ licet igitur occaſionẽ huius rei affirmare; vix certò poſſumus credere, in hunc modum ipſum è medio fuiſſe ſublatum. Nõ enim mei eſt propoſiti, ea, quæ in hoc bello contigerunt, dum in Italia vixi, pro exploratis affirmare, ne; ſi falſa comperirentur reliquæ noſtræ hiſtoriæ fidem imminuerent. Diffiſus etiam relationibus, quæ ex oriente ad nos deferuntur, nõ auſus ſum ea quæ Anno 1587. geſta ſunt ſcribere. Ideoq; hic cum bona lectorum gratia, finem imponere Hiſtoriæ libuit.

DECLARATIO VOCVM BARBARARVM ET NOVARVM, QVARVM HISTORIA PRÆSENS MEMINIT, ET EARVNDEM cum antiquis appellationibus collatio.

A.

ACCA & Aeri, urbs maritima Syriæ, olim Ptolomais, ſecundum Orteliũ & Ananiam.

Adena & Adana, urbs finitima Ciliciæ, olim quoq; Adana, & forſitan etiam Nicopolis dicta.

Aga, vox Barbara, nobis ducem & Eunuchum ſignificat.

Aggiachala, vox Barbara, idem quod caſtrum peregrinum ſeu peregrinorum.

Aggiami, vide Cheſelbas & Perſæ.

Aleppo & Halep: vide Halep.

Alger, Africæ urbs, quam Iouius putat eſſe Iuliam Cæſaream, Caſtaldus & alii Cirtam putant.

Altunchala, vox Turcica, nobis idem valet quod Auricaſtrum, ſitum ad Armeniæ Maioris, & Georgiæ confinia.

Amadan, urbs Perſarum in Parthia.

Aman, urbs Syriæ, olim Apamea, ad Orontem fluuium.

Amaſiam Caſtaldus Cappadociam vocat, alii urbem einſdem nominis ſtatuunt.

Andrinopoli, urbs Thraciæ, olim Adrianopolis.

Angori, urbs Cappadociæ in Aſia minori, quam Belonius Encyram eſſe iudicat, alii Ancyram, cuius ſit mentio in peregrinatione D. Pauli.

Antachie, vox barbara & corrupta, pro Antiochia Syriæ urbe, quæ ut plurimum hodie deſerta, viſu tamẽ digniſſima propter ſitum, muros & fluuium, qui eam alluit.

Araſſe, olim Araxes fluuius, qui latus ſeptentrionale Armeniæ maioris alluit, eãq; à Georgia diſcernit.

Arbella, Aſſyriæ urbs, ſecundum Strabonem & Q. Curtium, alii falſo eam Taurin eſſe credunt.

Arcipelago ſeu Archipelagum Itali vocant, quod olim fuit mare Aegæum.

Ardachan, Turcarum urbs in Armenia maiori.

Ardouil, Mediæ urbs in qua ſectæ Perſianæ primi auctores, Giunet, Sederdin, & reliqui regiam ſuam habuerunt.

Arz vox Turcica, nobis Libellum ſupplicem, Querelam, aut, ut Roma, Memoriale ſignificat.

B.

BAgdat, vox barbara, olim Babylonia.

Balbech, vox barbara, Palæſtinæ urbs, quam Belonius Cæſaream Philippi vocat.

Balſara, vel Baſſora, urbs ad oſtium Eufratis ſita, à Caſtaldo & aliis Teredon nominata.

Baſſa & Belerbey, nomina Turcica, ducum, Præfectorum & gubernatorum.

Beſtan, vox Perſica, Hyrcaniæ urbem denotans.

Bey vel Bech, vox Turcica ſignificans ducem & Dominum.

Bir vel ſecundum alios Birta, urbs ad Eufratem in Syriæ confinibus ſita.

Brus Armeniæ mons, pars Periardi.

Bruſia vel Burſa, vox barbara, & corrupta; olim Regia Bithyniæ, Pruſa ab antiquis dicta. Ortelius non recte Burſiam inter regiones refert, cum quo etiã Caſtaldus errat.

C.

CAddi, vox Turcica, Iudicem ſignificans.

Caſe locus, ubi Aly, & eius filii ſepulti ſunt, duorum dierum itinere Babylonia diſtans.

Caffa, olim Theodoſia.

Cabaca, Perſicum nomẽ arcis, inter Caſbin & Taurin poſita.

Cairo, vox barbara, immenſa Aegypti urbs ubi pyramides illæ celebres viſuntur: ex quibus tanquam veriſſimis indiciis, recte indicamus Memphim hic ſitam fuiſſe.

Caiſſar, Ciliciæ locus, parum celebris.

Calaus, vox Turcica, ducem itineris proprie ſignificat.

Caldaran vocantur celebres illi campi, qui Straboni forſitan Araxeni dicuntur.

Califa, Perſis ſacerdotem, & presbyterum ſignificat.

Canac, fluuius, partem Atropatiæ ab Armenia diſcernit.

Candahar regnum, Paræpaniſus olim, Aſiæ regio.

Capigi, vox Turcica Ianitoris.

Capigi Baſſa, dux Ianitorum.

Capigilarchecaiaſi, vox Turcica, vicarium & Dominum ianitorum denotans.

Caracach, locus Mediæ, ad Perſas ſpectans.

Carachala, Turcis caſtrũ nigrum ſignificat, ad Georgianos pertinet, videlicet in Armenia ſitum.

Caraemit, vox Turcica, quaſi dicas vrbs nigra Meſopotamiæ Metropolis, Iouius & alii Amidam eam vocant.

Caramania, Regio nigra, vulgo credunt Ciliciam eſſe.

Casbin & Caſuin vox Perſica, pœnam ſeu caſtigationem ſignificans, huc Regia imperii Perſici à Tamaſo fuit translata: ſic dicta quod eo tanquam ad publica opera relegati fuerint, qui eiuſmodi pœnam commeriti erant: in Media Maiori verſus meridiem reſpectum Tauris ſita. Arſacia forſitan Straboni olim dicta.

Caſenda, vide Haſna.

Caſſachi, vox Turcica, latronem itinerum denotans.

Caſſan, Parthiæ vrbs celebris & diues. Ortelio & aliis ignota.

Caſſangic, Armeniæ locus, ad Maxutchanum ſpectans.

Chala & Chalaſi, vox barbara, arcem & caſtrum ſignificans.

Chan, Tartaris & Perſis, idem quod Baſſa Turcis, nimirum ducem denotat.

Chiars, vox barbara, Ptolemæo Corſa dicitur.

Checaia, vox Turcica, locum tenentem, ſeu vicarium ſignificat.

Cheiſerie, vox barbara vrbis, quam Cæſaream Palæſtinæ credimus, parum à Ioppa diſtat. Ptol. Cæſarea Stratoris: multa ibi vetuſtatis ſunt indicia.

Cheſelbas, ſeu caput rubrum, vox barbara, qua appellantur Perſæ, qui etiam Soſiani, Perſæ, & Aggiami vulgo dicuntur.

Chianichie, patria Ebrahimi Baſſæ, non procul Raguſa diſtans.

Chians, Turcis nuntius eſt & legatus.

Chielder Giol, duæ voces barbaræ, locum Chielder ſignificantes, quem forſitan non male lacum Euphratis eſſe credimus.

Chielder, mons Periardus.

Chielebi, Barbarorum lingua Nobiles ſic vocantur.

Chiulfal, pagus Armeniæ, à Georgianis habitatus.

Chiurichala, Armeniæ locus, quem Georgiani antehac poſſederunt.

Cliſca, Armeniæ locus, olim Georgianis, hodie Turcis paret.

Codabanda, Perſis dicitur, qui ex oculis laborat, vel cæcus eſt, idem valet Hodabanda.

Coran, Parthiæ vrbs.

Corfu, inſula celebris, olim Corcyra.

Coy, vrbs in finibus Armeniæ & Mediæ ſita, inter Van & Tauris

Culbat, } Parthiæ vrbes.
Cur,

Curchi Baſſi, vox Perſica, qua intelliguntur duces Curchorum, qui ſunt cuſtodes & præſidiarii aulæ Perſicæ.

Curdi populi, quos falſo quidam Parthos eſſe ſtatuunt.

CurZolari, vox noua & corrupta, Echinades ſcopulos ſignificans, prope quos Chriſtianorum Claſſis feliciter Turcicam profligauit.

Cuſſeſtan, pars Aſſyriæ.

D.

DAgman, vrbs in confinibus Parthiæ, & Mediæ maioris ſita.

Damaſcus, vrbs Syriæ, vide Sciam.

Deſtardar, Turcis dicitur theſaurarius, & præfectus cubiculi.

Demircapi, ſeu Derbent, Turcica vox, ſignificãs portas ferreas, primus ad Scythas aditus, vrbs quondam Alexandria dicta, ad mare Hircanum ſita.

Demotica, Thraciæ vrbs, celebris propter relegationem Sinani Baſſæ.

Derbent, vox barbara, anguſtias denotans.

Diarbech, olim Meſopotamia regio.

Diuano, Turcis dicitur prætorium, vbi de iure reſpondere & conſiliũ habere ſolent, vel ipſum concilium interdum ſignificat.

Don, barbare dicitur fluuius Sarmatiæ, qui Tanais olim nominatus fuit.

Dreuis vel Deruis, Eremitam ſignificat.

E.

EDel, fluuius celebris Sarmatiæ Europææ, olim Volga dictus.

Emir, vox barbara, Regem & ducem, Arabum & Druſorum lingua ſignificans.

Eres, Atropatiæ vrbs.

ErZirum, vox barbara vrbis, quã à Ptolemæo Simbram fuiſſe dictam, iudicamus.

Eſſaul, vox Perſica, qua denotatur certus militum numerus, qui cuſtodiebant aulam Perſicam.

F.

FAchi, vox barbara, magiſtrum cæremoniarum & Religionis ſignificans.

Famaguſta, olim Salamis & Salamina, Cypri vrbs, quam Græci vulgo Famàuſtam vocant.

Farſi, vox Perſica, Perſida regionem ſignificans.

G.

GAngiara, barbaris ſignificat pugionem curuum & acutum.

Gaza, Iudææ vrbs ſita ad viam, quæ Peluſium ducit.

Genge Perſarum vrbs, in Armenia Maiori ſita.

Gheilan vrbs in Gilan regione ſita, quam Caſtaldus Geli vocat.

Giamen, prouincia Aſiæ, dicta Arabia felix.

Gianizari, ordo militum, ſic dictus, apud Turcas.

Giauat, vrbs Atropatiæ, in confinibus Mediæ Maioris.

Giem, Partherum vrbs.

Giurgichala, ſeu caſtrũ Georgianorum, ad terminos Georgiæ & Armeniæ, hodie à Turcis poſſidetur.

Godz; Barbaris dicitur Hieroſolyma.

Gogna & Conia, olim Iconium, Metropolis Lycaoniæ.

Goletta, Inſula celebris Africæ.

Gori & Gorides, Georgiæ locus.

Grin locus vltra Araxen, quem Georgiani incolunt.

Gurgiſtan & Georgia, barbaris ſignificat eam regionem, quæ olim Iberia dicta fuit, & pars quædam Armeniæ Maioris, incolæ Gurgiſtan vocant, totam eam ditionem quam Georgiani habitant.

Guuergi Chalaſi, caſtrum, in exiguo quodam lacu non procul à Tauris poſitum.

H.

HAlip, Arabica vox, lac ſignificans, qua intelligitur celebris illa vrbs, quã etiam Iouius Alapiam vocat, Belonius Hierapolim: Villanouanus tamen manifeſto errore, eandem Antiochiam nominat, quæ bidui itinere inde diſtat.

Haſna, Turcis (vt & Caſſenda) theſaurum, & pecuniã reconditam ſiue publicam, ſiue priuatam ſignificat: proprie tamen pro publico & regio ærario accipitur.

Haſſanchalaſi, vox Turcica nobis ſignificat Haſſani caſtrum, quod Turcæ Paſſin quoq; vocant, inter Erzirum & Charſam, ad littus Euphratis non ita pridem extructum.

Heri, vrbs Ariæ.

Hiſpahan, Parthiæ vrbs.

I.

IEſſelbas, vox barbara, quaſi dicas caput viride, populi inter Bactrianos & Sogdianos habitantes.

Imammadulaſis, Parthiæ vrbs.

Imbrahur Baſſi, Turcis Mareſchallum ſeu ſtabuli magiſtrum ſignificat.

Iſnic, quondam Nicea, Bithyniæ vrbs, prope paludem Aſcaniam ſita.

Iſtigelu, & Sagialu, Nobilis familia Arſacienſis, quæ in toto Perſiæ regno celebris habetur.

Ianizari, vide Gianizari.

L.

LAcus Actamar, olim palus Martiana, Margiana, vel Mantiana, in Armenia Maiori ſita, vt Strabo vult.

Lacus Eſſechia, olim Lichnitis palus, in Georgia exundans.

Lacus Iſnic, olim palus Aſcania in Bithynia.

Lacus Toſpites, & Toetis in Maiori Armenia.

Lizza, olim Laodicea, Syriæ maritima vrbs.

Lori, Armeniæ propugnaculum, quondam Georgianis ſubditum, nunc à Turcis tenetur.

M.

MAcademo, vox barbara, vicarium Emirorum ſeu regum Druſorum, & præfectum publicanorum ſignificans.

Macuco; vox barbara; menſura frumentariæ in Syria genus, modio Patauino parum minor, quatuor ſextarios Venetos continens.

Malan, vrbs in Parthia.

Marezabacha, olim palus Mæotis.

Mare Bachu, olim Caſpium & Hyrcanum mare, etiam mare di Corazum hodie dicitur.

Mare maius, & mare nigrum, olim Pontus Euxinus.

Mare mortuum, ſeu Aſphaltites lacus.

Marant, vrbs Armeniæ in finibus Mediæ.

Maras vrbs Ciliciæ à Belonio & Ortelio Maronia vocatur.

Marmara, vrbs maritima Thraciæ.

Maſandran, vrbs Hyrcaniæ.

Maſſiat, vrbs Parthia.

Maſul, Turcis ille dicitur, qui ab officio, quod geſſit, depoſitus eſt.

Mecca, vrbs Arabiæ felicis, vbi natus & ſepultus eſt Mahemetes Pſeudopropheta, vt quidam volunt.

Mengrellia, olim Colchis, celebris propter aureum vellus.

Meſchita, templum eſt barbarorum, vbi preces concipiunt.

Miana vrbs in confinibus Mediæ Maioris, Perſidis & Parthiæ ſita, forſitan à fluuio vicino, qui Miana vocatur ſic adpellata.

Miriza, Perſica vox, denotans eum, qui proximus eſt à rege, vel primus regni hæres.

Moldauia, Daciæ regio.

Mordar, vocant Perſæ Cancellarium Regni, quem Turcæ Teſcheregi vocant.

Mufti, apud Turcas ſacerdotum primarius eſt, & quaſi Pontifex.

Muſtaed Dini, Perſis idem qui Mufti apud Turcas.

N.

NAplos, olim Napolis Samariæ vrbs, forſitan Nephtalim antiquitus dicta.

Naſſiuan, Mediæ Maioris vrbs, in Armeniæ confinibus ſita, alii Naſuanam, alii Artaſſatam vocant.

Natolia, ſecundum Belonium, continet has regiones, Phrygiam, Galatiam, Bithyniam, Pontum, Lydiam, Cariam, Paphlagoniam, Liciam, Magneſiam, Cappadociam, & Comagenam.

Neneruan, Armeniæ locus, contiguus Georgiæ.

Niſabul, Ariæ vrbs.

Niſaur, vrbs in confinibus Parthiæ & Hyrcaniæ ſita.

Noſul, Turcis Meſſem ſignificat.

O.

OLti, locus Turcarum, inter Erzirum & Ardachan poſitus.

P.

PAngiazar, vrbs ad Hyrcaniæ, & Mediæ Maioris limites ſita.

Paſſin, vide Haſſanchalaſi.

Perſæ, idem ſunt, qui Aggiami, Cheſelbas, & Sofiani dicuntur: Perſæ à regione Perſide, Aggiami ab Azemia & Aggiamia regione: Cheſelbas, propter rubrum in pileo ſignum, quo vtuntur: Sophiani vero à Sophi adpellantur.

Pernana Giol, Turcica vox, ſignificans lacum mancipiorum, qui eſt in Armenia.

Phaſis vrbs in Colchide, quã Fas & Phaſis adhuc hodie vocant.

Porta, per excellentiam, aula Turcica dicitur, vbi ius reddi, & concilia de regni negociis haberi ſolent.

Portugallia, olim Luſitania Regnum.

R.

RAſadi, vox Barbara, erroneam & peruerſam fidem & falſam opinionem ſignificat.

Rama caſtrum Paleſtinæ, à Caſtaldo Lyda dicitur, forſitan è Ramata, quæ propter innocentes infantes ab Herode trucidatos celebratur.

Ramadan, celebre & ſolenne quoddam Turcarum feſtum: etiam proprium hominis nomen eſt, & luna eadem adpellatione venit: quemadmodum enim nos duodecim menſes habemus peculiaribus nominibus diſtinctos, ſic illi duodecim lunas habent, quas propriis nominibus adpellant.

Reiuan Armeniæ vrbs, quam Teruam, cuius Ptolomæus meminit, nonnulli eſſe credunt, cum quibus tamen non conſentio.

S.

SAffetto, Galilea vrbs, quam Iudæi inhabitant.

Saha, vox Perſica, Regem nobis ſignificat.

Saitanchalaſi, ſeu caſtrum Diaboli, in Georgiæ & Armeniæ limitibus ſitum.

Salmas, vrbs ad Meridiem, Tauris & Van ſita.

Sancazan, locus vicinus Ecbatanæ, vbi pugna aliquot commiſſa, & Oſman Baſſa mortuus eſt.

Sangiacchus, Dominum & ducem ſignificat.

Sardar, apud Turcas Ianizarorum dux eſt, ſæpius Imperatorem belli ſignificat.

Saru, Mediæ Maioris vrbs.

Saſuar, Parthiæ vrbs.

Sciam vrbs, quæ Damaſcus nobis dicitur.

Scutar

Scutar vel Scutari, olim Chalcedon Aſiæ urbs, falſo à quibuſdam Chryſopolis dicta.

Secbs, Atropatiæ urbs in Georgiæ confinibus ſita.

Seida & Seit, Sidonia eſt, maritima urbs.

Sembran urbs Parthiæ.

Semitarra, vox Barbara, harpen ſignificat, ſeu enſem falcatum.

Ser, olim Cyrus fluuius, ſeptentrionale Georgiæ latus alluit.

Siec, barbare ſignificat virum ætate grauem, ſapientem, religioſum, doctum & honeſtæ vitæ.

Siliurea, Thraciæ urbs, olim Selymbria dicta, Nicolaus Nicolai eandẽ Seliuree vocat.

Siras, Perſidis Metropolis, nonnullis Perſepolis, aliis Ciropolis dicitur.

Siruan & Seruania, olim Media Atropatia; Hebræis dicitur Madian.

Siuas, urbs Natoliæ, olim Sebaſtopolis nominata.

Sophi & Sophitus, antiquiſſima adpellatio virorum ſapientum, prudentum, Magorum & Doctorum.

Sofian, locus Ecbatanæ vicinus, fortaſſis antiqua Sophia.

Sofi: vide Perſa, & Cheſelbas.

Soldin, urbs maritima Syriæ, olim destructa, à qua ad quintum fere lapidem Orontis ſcaturigo eſt, quondam Seleucia Pieria dicta.

Soriam, quondam Syria.

Spahini, dicuntur milites quidam apud Turcas.

Spahoglani, dicuntur pedites apud Turcas, Ianizaris inferiores.

Stambul, vox Turcica & Arabica, Conſtantinopolin ſignificat.

Subaſſi, dicitur apud Turcas apparitorum & lictorum dux; Italis Barigello.

Sultania, urbs Mediæ Maioris.

Sultan, ducem, & Dominum ſignificat.

Sumachi, & Sumachia, Atropatiæ eſt Metropolis.

Sunni vocantur Barbaris, qui veram fidem & religionem habent.

Sur, dicitur Tyrus, maritima Syriæ urbs.

T.

TArtari, Scythæ & Sarmatæ.

Tartarchan, dicitur Tartaris & Perſis Tartarorum Princeps ſeu Imperator.

Tauris & Taruis, rectiſſime Ecbatana dicitur, quod plurimis argumentis probari poteſt.

Techiſnandan, montes ſunt in Caramania deſerta.

Teflis & Tiflis, Georgianorum urbs, in Armenia ſita.

Teftis, accuſationem & actionẽ iudicialem Turcis ſignificat.

Theràcan, Parthiæ urbs.

Tocca, Seſſa, & Turbante, ſunt alba illa capitis redimicula, quibus barbari utuntur.

Tomanis, urbs celebris, propter anguſtias inſidiis aptas, ſita in Armenia, à Georgianis tum habitata.

Trabiſonda, urbs maritima, ad Pontum Euxinum, quondam Trapezus vocata.

Triala, locus Armeniæ, ubi plurima ſunt templa Chriſtianorum.

Tripoli, urbs maritima Aſiæ & Africæ.

Turbat, urbs Parthiæ.

Turcoman, urbs intra Taurin & Casbin ſita.

Turcomanni, populi inter Turcos & Perſas.

Turcomannia maior, olim Armenia Magna.

Turſis, Parthiæ urbs.

V.

VAn, urbs ad Martianam paludem.

Viſier, Barbaris præfectum vniuerſi Regni ſignificat.

Vlac & Volachi, nobis dicuntur celeres nuntii, & verẽdarii.

Vlubaſſi, dux certæ cuiuſdam militum turmæ, Aga inferior.

Z.

ZAffo & Giaffa, Ioppe antiqua eſt, urbs maritima.

Zagatai Tartari, comprehenduntur ſub Sogdianis.

Zaghen, urbs Armeniæ, à Georgianis habitata.

Zain, ordo militum nobilium apud Turcas.

Zanga, urbs Maioris Armeniæ.

Zante, olim Zacynthus, inſula maris Ionii.

Zine, feſtum publicum, & lætitiæ demonſtrationem Barbaris ſignificat.

Zuiria, Regio ad montem Caucaſum, verſus mare Hyrcanum ſita, quondam Albania dicta.

NOMINVM ANTIQVORVM CVM RECENTIORIBVS ET NOVIS CONCILIATIO.

A.

ADRIANOPOLIS, *hodie Andrinopoli.*

Aegæũ mare, Archipelagus.

Albania, dicitur Zuiria.

Amida, nunc Caramita.

Ancyram, vel Encyram, Angori nominari, omnes probati autores conſentiunt.

Antiochia, hodie Antachie vel Tachie.

Apamea, nunc Aman.

Arabia felix, noſtro tempore dicitur Giamen.

Arbella, quæ ſit, nõ agnoſcunt recentiores autores.

Armenia maior, hodie Turcomania.

Atropatia, dicitur Struan.

B.

Babylonia Aegypti, nũc vocatur Cairus.

Babylonia Aſſyriæ, eſt Bagdat.

Bactriani, hodie Zagatai.

Bertha, nunc Ber.

C.

Chalcedon vel Chalcedonia, vrbs Aſiæ, è regione Conſtantinopolis ſita, Scutar hodie dicitur.

Cappadociam, Amaſiam dici, Caſtaldus ſcribit.

Cæſarea Philippi, eſt Balbech, vt vult Ortelius.

Cæſarea Paleſtinæ, nominatur Caiſarie.

Cilicia regio, vocatur Caramania, quæ tamen alias aliarum prouinciarum partes ſub ſe complectitur.

Cyrus fluuius, hodie Chiur, & Ser ab incolis dicitur.

Colchis hodie Mengrelia.

Conſtantinopolim, Byzantium olim, nũc Stambul vocant.

Corcyra & Corfinium, hodie Corfu dicitur.

Corſa, cuius meminit Ptolemæus, rectè dicitur Charſa, vt ex multis coniecturis diiudicari poteſt.

D.

Damaſcus vrbs celebris Syriæ, quæ Sciam dicitur.

E.

Ecbatanã, Taurin eſſe, rectiſſime omnes probati autores ſtatuunt.

Echinades, hodie Curzolari.

Encyra, vide Ancyra.

G.

Geli hodie Gheilan, vt quam plurimi volunt.

Georgia, vide Iberia.

H.

Heliopolis, à quibuſdam Alapia dicitur, alii Hierapolim eandem eſſe credunt cum Alapia.

Hieroſolyma vrbs Iudææ, quæ Godz hodie dicitur.

I.

Iberia ſub Georgia, quæ & Gurgeſtan barbaris, continetur.

Iconium, vrbs Ciliciæ, Conia, vel Cogna hodie dicitur.

Ioppe antiquiſſima Paleſtinæ vrbs, & prima ferè poſt Enoch ædificata, hodie deuaſtata, & deſerta eſt, Barbari eam Giaffa, & corruptè Zaffo vocant.

Iulia Cæſarea, vel Cirtha, hodie Alger dicitur.

L.

Lacus Aſphaltites in Iudæa, hodie mare mortuum dicitur: Barbari aliis verbis, quæ idem ſignificant lacum hunc nominare ſolent.

Laodicea, vrbs maritima Syriæ, hodie Lichia & Lizza vocatur.

Luſitania, hodie Portugalia.

M.

Mare Caſpiũ & Hyrcanum, nũc Mare di Baccu & Caualaſcomorie appellatur.

Maronia, vrbs vetuſtiſſima hodie Maras.

Meſopotamia regio, hodie Diarbech Barbaris dicitur.

N.

Napolis Samariæ, Naplos Barbaris dicitur, vt vult Ananias & alii, celebris propter conuerſionem Samaritanæ.

Nicæa, vrbs celebris olim, Iſnic dicitur, hodie deſerta.

Nicopolis, Adana & Adena nũc vocatur.

P.

Palus Aſcania, hodie lacus di Iſnic dicitur.

Palus Martiania, Mantiana & Margiana, lago Actamar, lago di Van & lago di Vaſtan Italis dicitur.

Palus Mæotis, hodie mare delle Zabacche.

Perſepolis, olim totius Perſiæ Regia, & ſedes Regum, deuaſtata ab Alexandro Magno. Siras nunc vocatur.

Perſis regio, hodie Farſi dicitur.

Pontus

Pontus Euxinus, & mare Maggior etiam mare nigrum vocatur.

Pruſa vrbs Regia Bithyniæ, nunc Burſa & Burſia.

Phaſis vrbs & fluuius hodie Fas.

Ptolemais, Syriæ maritima vrbs, Acca, vel Acri dicta, è regione montis Carmeli, portum habet ampliſſimum, & xylini ſeu goſsipii feraciſſima eſt.

R.

R*Amata, vrbs intermedia inter Ioppen & Hieroſolymam, Ramle & Rama vocatur.*

S.

S*Alamina, Cypri vrbs, Famaguſta dicitur.*

Sciam, vrbs Damaſcus, & pro ipſa Syria accipitur. Sic Traplos Sciã, ſeu Tripolis Syriæ dicitur ad differentiam Tripolis, quæ eſt in Africa.

Sebaſtopolis, hodie Sinas.

Seleucia Pieria, vrbs antiqua, & maritima Syriæ, euerſa & vaſtata, Soldin Barbaris vocatur.

Selymbria, vt multi volunt, Siliurea dicitur.

Sidon, vrbs celebris maritima, hodie Seida, non ita pridem Druſis paruit.

Sinibra & Simbra Ptolemæi, recte hodie Erzirum vocatur, quatuor dierum itinere Trapezunte diſtat.

Syria, Soria.

T.

T*Anais fluuius, hodie Don.*

Theodoſia, hodie Caffa, portus celebris ad Mæotidem.

Teredon, nunc Balſara, & Baſſora, vrbs ad oſtium Euphratis.

Tyrus, vrbs Syriæ maritima quondam, hodie Sur: deuaſtata plane, receptaculum latronibus & Druſorum rebellibus præbet.

Trapezus, vrbs maritima, ad littus Euxini Ponti ſita, Regia quondam ſedes Imperatorum, quatuor dierum itinere Erziro diſtat.

V.

V*Olga, fluuius ingens, Barbaris Edel vocatur.*

Z.

Z*Acynthus Inſula, nunc Zante vocatur.*

Zogocora, videtur eadem eſſe, quæ Teflis hodie dicitur, in Armenia quidem ſita, ſed tamen ſub Georgia continetur.

DE BELLI PERSICI NVPER GESTI, INITIO ET SVCCESSV, AD ANNVM VSQVE M. D. LXXXVIII.

AD IACOBVM GEVDERVM, P. NOR. HORVM LIBELLORVM PARAPHRASTEN; εἰδύλλιον BERNH. PRÆTORII.

VT nitidi ſoles, & lucida tela diei
Aeſtiui, nunquam ſuerunt infundere ſeſe
In gremium terræ fruſtra: quin protenus igni
Spiramenta ſuo laxent, cæcosq; receſſus:
Multa modis multis, & tam diuerſa figuris
Omniparens poſt vnde genit, Dea perſica, Tellus
Germina, tot fætus frugum, tot ſecla animantum:
Sic non incaſſum radis virtutis auitæ
Percellunt, feriuntq; ſuo fulgore nepotum
Interiora animi, & generoſæ lumina mentis:
Qui, niſi degeneres, nec tanto ſanguine dignos
Se præbere, nothæq; notam conquirere plantæ
Inſtituant; & quos præſens & poſtera taleis
Arguat infami rumore perenniter ætas:
Sæpius inſpectant ſpecula iſta domeſtica: ſeq;
Conformare illis tota nituntur opum vi.
Haut ſecus ac pecoris generoſi pullus apertis
Altior ingreditur campis, & crura reponit
Mollia compoſitis gradibus; vibratq; coruſcis
Ignem oculis, & frena fremens ſpumantia mandit:
Tum procul armorum ſonitum ſi percipit; aut ſi
Martius ille æris rauci canor increpat: vltro
Stare loco neſcit; micat auribus; & tremit artus:
Tantus ei curſus, tantus certaminis ardor!
Hoc eodem, GEVDERE, modo tu volta parentum
Cottidie intuitus: Patris & propiora trilinguis
Et Patrui celebris veſtigia pone legendo:
Quorum hic Sempronii, vel Achæi Neſtoris inſtar
Egregie cordatus homo, teretiq; PHILIPPVS
Ore fuit nuper, catus & ſapientia in omni
Ciuili, vt ſummus Germani ſideris Atlas,
Cui Leo verſicolor, veluti ſtupefactus & hærens,
D[illegible] nequaquam veritus ſit: Poſſe ſiniſtri,
Hoc ſuperante viro, tibi nil Pegneſe venire.
Ille ſed excellens virtute & laudibus hiſdem,
Ardua cum-primis heic munia ſuſtinet; & quæ,
Vt vulgaria non, ſic non vulgaria poſcunt
Pectora; quin ſenſus faciant ſudare vel imos:
Iuris & adflicti vir ſeruantiſſimus æqui.
Horum, inquam, GEVDERE, tuens exempla; valentem

Non turpi torpere domi torpore iuuentam
Eſſe putas dignum, ceu potor inertis Hiera:
Verum, illis ſi non par eſſe per omnia poſsis,
Ne tamen inferior longe ſis; niteris omni
Conatu, niſuq́, indefeſſoq́ labore.
Hinc variis linguis, & multifidis doctrinis
(Quando alii nugas, inconceſſasq́ petiſſunt
Delitias, perduntq́ bonas in pectore doteis)
Excolis imbutam mentem: Iam ciuica tractans
Iura: modo hiſtorias: nunc Euclidea: modo eius,
Deſcripſit radio totum qui gentibus orbem:
Iam, qua ſint Ciueis ratione modoq́ regendi:
Ex quibus inſignem tibi colligis vndiq́ gazam,
Dædala ſicut apis, quæ in ſaltibus omnia libat
Floriferis; cellisq́ ſuis, loculisq́ reponit:
Non raro vt ſubeat tacitam admiratio mentem,
Copia viſendi quum ſit tot ſcripta, tuapte
Ducta manu. & totidem noctis diciq́ labores.
Iam nunc communem in patria Germanidos vſum
Italico ſpolias habitu quam-plurima; & illa
Veſtibus exornas aliis, atq́ vrbe Quirini
Donas; perſpicuo, facili, planoq́ retexens
Omnia ſermonis filo, tramaq́ polita.
In quibus eſt Venetus, culto SORANTIVS *ore;*
Qui Mahumetani res regni, robora, vireis,
Et belli neruos; arcanaq́ plurima; & actus;
Et ſtudia, & mores, ſæuaq́ tyrannidis iras;
Et procerum inuidiam, & conſultà, & perfida corda:
Quoq́ illi poſſet ratione viaq́ reſiſti;
Infringiq́ eius res, & conatus, & ardor:
Singula Chriſticolis ſcitu digniſsima terris:
Ingenio tanto, tanta dulcedine pandit;
Vt melius nihil, vt breuius nil poſſe putemus
Dicier à quoquam, mentem qui aduorterit illuc.
Eſt in iis itidem MINADOVS, *ſcriptor Eoi*
In regno Arſacidum belli; quod pluribus annis
Continuo, non eſt ita pridem, Turca furore
Geſsit ibi, variis ſucceſsibus atq́ triumfis;
Sæpe etiam haut parua iactura & clade ſuorum.
Dignus & hic, propter memorandos, ancipitesq́
Euentus belli; gentisq́ immania facta;
Crudeleisq́ modos; atq́ inſatiabile fineis
Tendendi Cacoethes, & irrequieta cerebra:
Et ſtatum, in extremis qualis ſit Perſidos oris:
Vt non ſocordi, nec inani fronte legatur:
Scilicet exemplum capiatur vt inde, quid è re
Cuiusq́ eſſe velit; ſi non, ſatis ante periclo
Edoctus proprio, quid proſit cernere poſsit.
Quin etiam verſatur adhuc incude ſub illa
Præſignis cultu rerum locuplete libellus,
Quomodo Pannoniis ſit deturbandus ab aruis,
Non adeo magnaq́ manu, magnoq́ paratu,
Turca ferox, omnis veri, pietatis & hoſtis:
Et ſimileis alij, in ſolem quos proferet ætas.
His operam ſtudiis dum das, GEVDERE, *profecto*

Non operam ludis: tibi ſed, patriæq́, lariq́
Commodus, & decus exornas laudabile gentis,
Supremæ tendens præſcripta ad candida calcis.
O ſi nobilium noſtri pars plurima ſecli,
Queis Deus & fortuna potens paria ocia fecit
Ad ſimileis animum vellent adiungere curas;
Et frugi, mentem quæ paſcunt nectare dulci,
Et cælo adſimilant, & regna vrbeisq́ gubernant;
Sic operarentur ſtudiis, tempusq́ redemtum
Nobile, quo dignum, pretio prudenter haberent,
Poſthabitis nauci rebus: certe omne per æuum
Nobilius noſtra nil nobilitate clueret.

BELLI Perſici initia atque ſucceſſus exacte cognoſcere duabus fere ex cauſis difficilius fuit, tum quod gentes, à quibus plena cognitio geſtorum & euentuum petenda erat, fallaces ſint, & ad mentiendum valde promptæ, tum quod Interpretes fere nuſquam reperiantur, qui qua decet integritate & fide ſingulorum reſponſa referant atque exponant. Operam vero dedi, vt cunctorum, quæ inter Turcas & Perſas in hoc bello, durante meo conſulatu, geſta ſunt, perfectam cognitionem haberem: idq; aliquo modo aſſecutus videor opera militum quorundam Alappienſium, cum quibus arctã ſemper amicitiam colui, quorũ præcipuus fere Halypeius Zainorum & Spahinorum dux fuit. Non exigua quoq; familiaritas cum Maxutchano Alappiæ Baſſa mihi interceſſit, qui primus fuit à Perſarum Rege Conſtantinopolim pacis ſanciendæ cauſa miſſus, poſtea ad Turcas deſciuit, Baſſæq; officio honoratus fuit. Vt primum id auſpicatus eſt, more ſolito eum ſalutaui, ſingularem expertus ſum in eo humanitatem, & quod mirum videbatur, rerum, quæ apud nos occurrũt, non erat neſcius, cõſuetudines & mores atq; magiſtratus Reip. Venetæ exacte tenebat, & magnifica vrbis ædificia, eiusq; ſitum, territorium ſubiectum, limitesq; apprime, multaq; alia præter expectationem ſciebat. Ea quæ de hoc bello ab ipſo expoſita fuerant, multi alii confirmarunt: Inprimis vero Homor Affendi, quem Tripoli noui, aliiq; amici Turcæ, qui Perſis familiares exſtiterant.

Vera igitur huius belli cauſa prædicatur, non quidem odium illud inueteratũ, quod religionis cauſa inter Turcas Perſasq; iamdudum viget: ſed ambitio potius Amurathis Turcarum Imperatoris, qui ſummo ſtudio limites ſui regni quaquauerſum prolatare nitebatur. Nec modo Perſiæ ea de cauſa inhiabat, ſed contra quamuis Europæ regionem idem machinabatur. Illam potius aggrediundã hoc tempore cenſuit, quod facilior victoria, & certa explendi deſiderii ſpes eſſet. Eum quoq; incitabant Conſiliarii & mancipia, optimam rei bene gerendæ occaſionem oblatam, dicẽtes, quod Tamaſo rege defuncto, diſcordiis inuicem laborarent Sultani, regniq; proceres, quorũ pars Aiderum regem crearat, eoq; occiſo, regnũ ad Iſmaelem delatum, qui vt ſecurius imperaret, vniuerſam Perſiam variis cædibus & tumultibus impleuerat, idq; malũ indies grauius exundaſſe, ob nouam religionẽ ac legem, quam Arſaciæ publicari, & ſub pœna mortis à cunctis obſeruari nouus rex voluiſſet. Sed Iſmaelis cædes, quẽ ſoror Perca, cõſpiratione cum proceribus inita, è medio ſuſtulerat, regnũ vniuerſum mire afflixiſſe, vt ruina eius certiſſima imminere videretur, excreuiſſe id malum indies, cum Mahometes (ſeu Mahamethes) regni gubernacula accepit, qui nec belli, nec pacis tempore imperium regere ſciret, oculorũ infirmitudine laboraret, filiorũ amore & indulgẽtia excæcatus, in rebus agendis imprudẽs, & quod plurimum refert, ipſi conſiliarii parui eum æſtimarent, eumq; contemnerent: his de cauſis Perſicũ regnum nunc ab omnibus exteris atq; vicinis contemni, quod alias merito ſuſpiciebat & timebatur. Facile his narratis aures præbuit Amurathes, animumq; in hoc vnicum bellum, aliis ſepoſitis, intendit, cum in propoſito Zeſtuf, Baſſa in

Zean,

Zean, confirmauit, qui rerum Perſicarum diligentiſſimus indagator, ſtatum eius regni & perturbationes exactiſſime ad eum perſcripſit, facilimã victoriam certosq; triumphos illi pollicitus, quod ſic futurum ſperabat ipſe Amurathes, quod neq; tormentis ac machinis expoſitus foret miles, neq; arces, propugnacula, vrbesq; munitiſſimæ Europæ expugnandæ, ſaltem contra gladios atq; enſes ſagittasq; pugnandum, & apertæ vrbes inuadendæ eſſent. Inter Zeiſiros ſeu Viſieros ſolus Sinan Baſſa maritimũ contra Chriſtianos bellum gerendum ſuaſit, ſed Regis ambitio atq; deſiderium præualuit, belloq; paulatim initium datũ, excurſionibus à Zeſtuf Baſſa in limitibus Zean factis. Tandem anno 1577. belli Imperator Muſtaffa Baſſa proclamatus, eiq; omnis poteſtas atq; autoritas, quæ requiritur ad hoc officium, conceſſa fuit. Tunc in regiones, quæ viſæ ſunt commodiſſimæ, ſubito nuncii miſſi, mandatumq; fuit Baſſis, vrbiumq; Rectoribus, vt cum copiis, inſtante vere, Erzyro compareant. Erzyrum vrbs eſt à portu Trapezuntis ſex vel ſeptem dierum itinere diſtans: inde in Armeniam, Georgiam, Atropatiam, & ipſam vſque Taurin iter patet. Conuenerunt ex Syria quidem 4000. hominum; ex Caramania ſeu Cilicia totidem: ex Meſopotamia 12000. è Babylonia & numero Curdorum 10000. ex Natolia 12000. ex Græcia 10000. ex Iudæa & Palæſtina 1000. Ianizari Conſtantinopoli adducti fuerunt 3000. Spachioglani, aliiq; eius ordinis circiter 4000. Numerus militum, qui ſtipendia merebant 60000. excedebat, fere totidem voluntarii abſq; ſtipendiis caſtra ſequebantur. Muſtaffa minora quædam tormenta Conſtantinopoli ſecum abduxit, multasq; aſprorum ſummas, dataq; ei licentia ex ærario Alappienſi, pecuniam, ſi opus foret, depromere. Oryzæ, frumenti, aliarumq; rerum ad victum neceſſariarum immenſam copiam Alappia & per Pontum Euxinum comparauit, nec minor ex vrbibus ſubditis & Trapezunte conuecta fuit. In fine Maii Imperator belli Erzyri comparuit, habita militum luſtratione, Charſam verſus profectus eſt: hæc in limite imperii Turcici poſita, nuper pace facta inter Solymanũ & Tamaſum, ſtudio deuaſtata fuerat. Inde per Georgiã bidui itinere facto in planicie, quæ eſt ad montes Periardos conſedit, caſtraq; poſuit. Quibus ab vtraq; colles imminebant, vnde in reliquã prouinciam longus erat proſpectus, hos à Beiran Baſſa occupari iuſſit, vt qua parte hoſtes approperarẽt, diſcerni poſſent. Nec Perſæ alium Turcarum exercitum perſpiciebant, præter eum qui colles tenebat, quorum vix 16000. vel 18000. erant: inter quos Oſman Baſſa & Caitar atq; Muſtaffa Baſſæ aliiq; ſtrenui viri militabant. Perſiæ Rex vt primum Muſtaffam Conſtantinopoli cum exercitu diſceſſiſſe cognouit, copias ipſe quoq; conſcripſit, iis Tocomacum præfectum vrbis Reiuan & Manubilamium, gubernatorem Gengæ, & Serapçhanium Naſuanę vrbis prȩfectum, aliosq; duces, & vrbium rectores præpoſuit, eosq; Turcico exercitui obuiam ire, & ſi commodo ipſorum fieri poſſet, acie decertare iuſſit. Haud ſegniter Regis imperium executi, copias ſuas collegerunt duces, 18. circiter militũ millia, iisq; Charſam verſus profecti, vbi ad Chielder ſeu Periardi montis planiciẽ venerũt, Baſſas ſupradictos in collibus conſpexerunt, eos ſolos adeſſe rati, magno impetu aggreſſi ſunt, in quos nihilo ſegnius aciẽ promouerũt Turcæ, è collibus deſcendẽtes: magna virtute pugnatũ vtrinq;, ſed Perſarũ fortitudo inprimis cõſpicua, qui de iis copiis iam clarã victoriã reportarant, 7. Sangiachis, plurimisq; ſtipendiariis & volũtariis militibus occiſis. At Muſtaffa intellecta ſtrage ſuorũ cũ vniuerſo exercitu laborantibus ſubſidio venit, præceps in pugnãtes, & quorum ordines in perſequenda victoria rupti erãt, irruit magno clamore, turbauitq; aciẽ, cæſis vel fugatis ducibus, 3000. Perſarũ cepit, 5000. occidit: multo tamẽ ſanguine hæc victoria Turcis cõſtitit, noctis beneficio plurimi euaſerunt. Perſiani duces Arſaciam continuo ad Regem de euentu pugnæ, de damno dato & accepto perſcripſerunt. Idem quoque Muſtaffa fecit, qui poſtridie, quo pugna fuit commiſſa, è capitibus Perſarũ, à corporibus auulſis aggerem inuſitato & cruento ſpectaculo erigi curauit. Venit tunc in caſtra Turcica Manſachiar (alias Manuchiar dicitur) viduæ Georgianæ filius, natu minimus, fidem & homagium Amurathi offerens. Inde Muſtaffa Mediam Atropatiam amplius

ingreſſus, in reditu Teflin Georgiæ vrbem peruenit, hæc Simonis Bechi regia eſt, quam frater eius Dauid poſſidebat: ſiquidem Simon, vt poſtea dicetur, captiuus tunc in Perſia tenebatur. Muros arcis, quæ huic vrbi imminet, Muſtaffa reædificauit, 100. tormentis bellicis communiuit, eiq; 60000. militũ præſidium impoſuit, duce conſtituto Mahumete Baſſa Ferathi filio, qui ſponte abſque ſtipendio militabat. Aufugerat Dautchan, vt primum de Muſtaffæ aduentu inaudiuit, in itinere verſus Atropatiam, Leuentolii (qui Alexander & Scander dicitur, & Zaghen vrbẽ Georgiæ præcipuam poſſidet) legati cum donis & muneribus pretioſiſſimis ad Muſtaffam peruenerunt, obedientiam & homagium ſui Principis nomine offerentes. Idem quoq; reliquæ huius regionis incolæ fecerunt, & qui Sechi vrbem inhabitabant, quæ ad fines Seruaniæ vel Atropatiæ ſita eſt. Turcæ ſine impedimento Conac fluuii littora attigerunt, hic Georgiam ab Atropatia diſcernit, & non procul inde in Araxen fluuium ſeſe exonerat, quo in loco peninſulam efficit, Oryzæ & aliarum rerũ ad victum neceſſariarum abundantiſſimam. Perſarum duces, qui cladem priorem euaſerant, eminus Turcarum exercitum ſequebantur, futurum cogitantes, vt continua profectione in loca infœcunda & inculta deferantur, vnde victum & commeatum vndecunq; poſſent, quærere cogantur. Decreuerunt igitur in peninſula, cuius modo memini, conuenire, poſt colles quoſdam latere in inſidiis, donec pabulatores aliique Turcæ ad auferendam prædam eo concedant, ceſſit ex voto hoc ſtratagema: namque Muſtaffa ad fluuium Canach delatus, 1000. circiter ex infimæ ſortis hominibus ad conquirendum commeatum emiſit: hi in ſtructas in peninſula inſidias delati, miſere omnes fere perierunt, rariſſimi periculum euaſerunt. Hæc res Muſtaffam non latuit, qui in propinquo caſtra habebat, & ſtrepitum atque clamores pugnantium intelligebat, equum ſibi expedire, totumq; exercitum in armis eſſe, eoq; vbi maior erat tumultus, copias accelerare iuſſit, viam monſtrarunt, qui fuga euaſerant. Perſas colligendæ prædæ occiſorum intentos offendit, tanto impetu eos aggreditur, vt vix ducibus euadendi ſpacium conceſſum fuerit, reliqui pleriq; occiſi, pars in Canacho fluuio ſubmerſa: ipſi duces cladis primi nuncii apud Regem Arſaciæ fuerunt, inde quilibet in ſuam præfecturam conceſſit: noua Regis decreta & mandata operientes. Vbi Turcæ parum à pugna quieuerunt, Muſtaffa ad inuadendam Atropatiam Canach fluuium vado ſuperare inſtituit, qua in re vt ſibi obedirent milites, ſedulo hortatus eſt. Sed oppoſuerunt ſe inprimis Conſtantinopolitani, & Græcia oriundi, minis & iniuriis eum inſectantes, quibus ille nihil permotus, ſed vehementius propoſitum exequi inſtitit, primus fluuium rapidum & profundum vado ſuperare ingreſſus eſt, eum reliqui Baſſæ & mancipia fereq; omnes voluntarii ſecuti ſunt; magno tamen damno id conſtitit: ſiquidem 8000. hominum in vndis perierunt, equorum, camelorum, & mulorum magna copia ſubmerſa, commeatus & impedimentorum haud leuis iactura facta. Poſtridie reliquus exercitus abſq; vllo periculo tranſiit. Contigit enim, vt cum primi illi transfretarent fluuii arena impetu equorum & animalium commota, fluctibus in vnum locum collata, in aggeris formam congeſta fuerit, quo reliqui omnes tuto in alteram fluuii ripam permearunt. Vrbem Eres occupauit Muſtaffa, vacuam omni milite & defenſione deſtitutam, miſeri plebei nouo Turcarum duci occurrerunt paſſim, eumq; debita reuerentia exceperunt: conſtructa ibi fuit arx in media vrbe, eaq; defendenda Caitar Baſſæ tradita, & validum præſidium cum 400. tormentis impoſitum. Iam hyems inſtabat aſpera, longumq; erat in reditu conficiendum iter, quare Erzyrum redire Imperator conſtituit. Atropatiam Oſman Baſſæ (quem Vezierum creauit) regendam dedit, eiq; Sumachiam & portas ferreas (quæ Derbent vocantur) vt occuparet, & Tartaros, qui ibi conſiſtere dicebantur, euocaret, in mandatis reliquit. Rediit vt conſtituerat Erzyrum Muſtapha: Oſman vero Sumachiam cepit; namq; Arechan Perſarum Regis præfectus ſponte vrbe aufugerat. Miſit poſtea legatos Alexandriam (quæ Demircapi, Derbent, & portæ ferreæ dicitur) qui incolas de deditione ſollicitarent: ii reuerſi, claues vrbis & primo-

primores ciuitatis ſecum attulerunt;hi Oſmanum obſecrarunt, vt penes ſe habitare vellet, Euocauit quoq; vt iuſſus fuerat, Tartaros, quorum 30. circiter millia prope eam vrbem conſederant; eorum dux Abdilcherai nomine, frater erat regis Tartarorum Cumanorum, qui ad Mœotidem & locis vicinis habitant. Abdilcheraus igitur Oſmanni iuſſu vniuerſa Atropatia deuaſtata, verſus Gengam vrbem, quam regebat Emangulichaus, profectus, vbi ad littus fluuii Canac peruenit, Areſchauum præſidium Arſaciæ expectantem offendit, eiusque comitibus occiſis, viuum eum in ſuam redegit poteſtatem, & Sumachiam captum remiſit ad Oſmannum, qui è prætorio, vbi ius dicere paulo ante ſolitus fuerat, eum pendere & occidi iuſſit. Gengam vt peruenit Tartarus, vrbem cepit, Emangulichani præfecti (qui forte venatum peregre abierat) vxorem cum aliis captiuis vtriuſq; ſexus in ſeruiturem abegit, maxima præda onuſtus Atropatiam repetiit, vbi in planiciem quandam, iucundis collibus cinctam, delatus quieſcere cum copiis, ſomnoq; ſe tradere inſtituit, quo otio dum frueretur, à Perſis nemine id cogitante, fuſus victusq; fuit. Vt enim Cadabunda rex ſucceſſum vtriuſq; prœlii & Turcarum irruptionem in Atropariam intellexit, filium primogenitum Emirum Emzam Mirizam cum conſiliario præcipuo Miriza Salmas & 12000. militum ad reſiſtendum Turcis ablegauit: hi relicta Ecbatana & Caractach, Eres vrbem peruenerunt, forte Caitas Baſſa fame adactus pabulatum & deprædatum exiuerat, quem primo impetu fugat ac cædit, vrbemq; cum 200. machinis recuperat, has verſus Sumachiam, vbi Oſman Baſſa erat, ducit: in itinere Tartaros quieſcentes conſpicit; quos, licet multitudine hominum vincerent, vbi ſomno deditos comperit, adortus, ingenti ſtrage ſuperat ducem Abdilcheraum captum cum machinis ſupradictis, Arſaciam ad patrem mittit, Sumachiam delatus Oſmannum de vrbe tradēda horratur, liberum illi abitum pollicetur, ſin eam conditionem reſpuat, extrema omnia illi minatur. Latebat Oſmannum Tartarorum internecio, eosq; ſingulis momentis ſibi auxilio adfuturos ſperabat. Caute igitur reſpondit, ſe vrbem traditurum, modo triduum illi concedatur ad impedimēta colligenda: Eo temporis ſpacio certo Tartaros aduenturos credebat, quos cum elapſo termino nuſquam comparere vidit, quod res erat, ſuſpicatus, loco immunito, & qui abſq; machinis defendi minime poſſet, amplius fidere noluit, obſcura nocte, via tutiſſima per montes Alexādriam aufugit, quæ natura & manu munitiſſima erat, collibus & mare cincta, incolis gratus fuit hoſpes, ab eisq; promptiſſime fuit exceptus. Sumachienſes rebelles grauiſſime Perſarum Princeps caſtigauit, quod citra omne reſiſtēdi deſiderium hoſtes recepiſſent, & cum ipſum armata manu præſentem vidiſſent, neq; portas aperuiſſent, neq; vrbis intrandæ facultatem dediſſent. Eadem pœna in inopem plebem ciuitatis Eres animaduertit, vnde vtraq; amicorum atq; hoſtium deuaſtatione deſtructa fuit.

His geſtis Perſarum Princeps Arſaciam rediit, iucundus atq; gratus Regi & Reginæ matri, paſſimque omnibus eius reditus fuit. Abdilchiraus Tartarus non vt captiuus, ſed amici inſtar habebatur: in aulam namque adſcitus, Rex ei filiam deſpondere cogitabat, vt hoc matrimonio nationem Tartarorum ſibi deuinciret, & Atropatiæ atq; Georgiæ conſuleret, iam mutuæ beneuolentiæ officiis certabatur inuicem à mulieribus & Tartaro. Nec is indignus videbatur amore, ob formæ pulchritudinem & mores decētes: Eius rei fama regni proceribus quoq; innotuit, quorum nonnulli ad illud matrimonium adſpirabant, Tartaroq; inuidebant; ſed publicum regni bonum prauum eorum deſiderium repreſſit, donec rumor de adulterio Tartari cum Regina matre Principis perpetrato in vulgus emanauit, vnde proceres illi iam ante irritati, & Regis honore, filiæque amore perciti, coniuratione mutua in necem eius conſpirarunt, eumque aggreſſi in aula, infinitis vulneribus obtruncarunt. Eodem furore Regina periit, conſcione & ſic iubente Rege, an ſecus: hactenus latuit. Hæc primo anno belli Perſici geſta ſunt. Muſtaffa Etzyri milites dimiſerat, maximosque omnis generis inſtrumentorum ad muniendam Charſiam apparatus faciebat. Omnes Baſſæ cum copiis imminente vere redire in ſolitum locum iuſſi fuerant,

Ex Ægypto maior numerus militum, quam priori anno euocatus fuit: eorum tamen pauciſſimi ad exercitum peruenerunt propter ſolitudines & deſerta, quæ inter Cairum & Gazam reperiuntur, tum etiam propter peſtem, quæ Alappiæ vrbibusq; vicinis graſſabatur. Arſaciæ quoq; conſultabatur, quà ratione Turcis reſiſti poſſet: latebat tamen Amurathis conſilium de munienda Charſa; illud certum erat, Teflin nouum præſidium deductum iri. Decretum igitur in conſilio regio, Simonem Georgianum, qui etiam tunc captiuus tenebatur cum Alyculichano primario Perſarum duce, in Georgiam mittere; iisq; 6. vel 7000. armatorum & partem tormentorum, vrbe Eres ablatorum, adiungere, quibus tranſitus anguſtiarum Tomanis impedirent, & eos ſaltem, qui illuc penetrare conarentur, infeſtarent. Hi apparatus initio anni ſecundi ab vtraq; parte fiebant, Muſtaffa Erzyro relicto, octo dierum ſpacio Charſam attigit, 24. aliiſ ruinas eius locis reparauit, muro & turribus cinxit, balnea ædificauit, torrẽtem ex Euphrate in vrbẽ deduxit. Aſſan Baſſam Mahemetis Viſieri filiũ cum 20000. militũ Teflin ad deducendum nouum præſidium, & 40000. ducatorum, aliisq; rebus ad victum & bellum neceſſariis deferendas ablegauit. Hunc, vbi anguſtias Tomanis attigit, Alyculichan & Simon magna vi magnoq; impetu adorti ſunt. In ſylua denſiſſima latuerant, & hinc inde variis circuitionibus Turcis maximas moleſtias crearunt, infinitaq; pericula attulerunt: conſpecta tamen hoſtium multitudine, vt parum hoc genere certaminis eiſe nocere viderunt, pedem referre cogitarunt, Simon ſaluus euaſit, Alyculichan cum audacius in hoſtem mouiſſet, captus fuit. Abſoluit igitur Aſſan inſtitutum iter, militesq; Teflienſes verbis, muneribus, commeatu; & ſpe alterius reditus conſolatus eſt. Vbi ad priores anguſtias Tomanis rediit; aditum machinarum aggere obſtructum, eumq; locum à Simone in Turcarum necem obſeſſum reperit. Aſſan vero aliud rebus agendis conſilium excogitans Alyculichanum accerſit, eiq; libertatem pollicetur, ſi è præſenti periculo in tutum ſe deducat: Ille libertati inhians, per ignotos quoſdam tranſitus & obſcuras ſyluas tum viam monſtrat, qua immunes ab hoſtili impetu Turcæ periculum euaſerunt. Simon vbi ſe deceptum vidit, relictis machinis & impedimentis, hoſtes inſequitur, extremumq; eorum agmen inuadit, multos occidit, mancipia Aſſani & alterius cuiuſpiam Baſſæ cepit, & in tutum ſe recepit. Aſſan vbi Charſam rediit, læte à Muſtaffa exceptus fuit, redieruntque cum exercitu Erzyrum, vbi in poſterum Alyculichan in carcere detentus fuit, licet ei libertas ſolenniter ſtipulata fuerat. Hæc anno ſecundo huius belli contigerunt. Muſtaffa tunc ab officio depoſitus (quod illi Manſul fieri dicunt) ob multitudinem querelarum, quæ indies de eo in aulam deferebantur, ſucceſſorem in belli imperio habuit Sinan Baſſam, antiquum hoſtem, cui bellum Perſicum commiſſum fuit. Hic Sebaſtopolim (quæ Sinas nominatur) continuo profectus eſt. Quod vbi Perſarum Rex intellexit, huius noui Ducis ope pacem facilime conciliari poſſe exiſtimauit: Inprimis vero quod palam ferretur, Sinanum bellis Europeis potius, quam Aſiaticis inhiare. Miſit igitur legatum Maxutchanum, qui primum Sinanum, tunc Amurathem ipſum pacis ineundæ cauſa adiret. Vbi ad priorem peruenit, pacis conditiones nomine Codabandæ Regis expoſuit, vt nimirum Perſæ Tefli & Charſa contenti, in poſterum ab armis diſcedant. Sinan reſpondit: fruſtra illum Conſtantinopolim iturum, niſi cuncta ea, quæ primo belli anno Muſtaffa occupaſſet, totam nimirum Atropatiam concedere velit, ſed ſperabat legatus futurum; vt faciliores conditiones ab ipſo Amurathe, quam à Sinano impetraret, Conſtantinopolim deduci petiit. Quod cum non impetraret, iamq; Turcæ perpetuam captiuitatem illi minarentur, quod tanquam explorator in caſtra veniſſet, vt tuto ipſorum manus euaderet; magnifica quæuis pollicetur impetraturum ſe à Rege, vt Atropatia ſponte cedat. Dimiſſus igitur in Perſiam rediit, vbi Regi quoque ſuſpectus fuit, accuſatus nimirum, quod vltro Atropatiam nullo Regis iuſſu Turcis obtuliſſet. Auctæ fuerunt ſuſpiciones illæ in Regis animo, Emirchani Ecbatanæ præfecti inſtigatione, qui iam olim odio capitali Maxutchanum perſequebatur: non ceſſauit igitur quoad

rebel-

rebellionis reum ipſum apud Regem ageret. Eum igitur ad ſe deducere viuum Emirchano in mandatis dedit, qui 15. ſeruos ad eum vocandum miſit: horum aduentu nihil ille turbatus, amiciſſime eos in prædio quodam ſuo Caſſangut excepit (iam enim de rebus omnibus certior factus fuerat) ſaccarum, fructus, bellaria, aliaq; eis appoſuit, cumq; cubitum iuiſſent, nihil ſiniſtri metuentes, manus ac pedes ipſis vincire, & in profundum puteum proiici, ſicq; è medio tolli iuſſit. Interim pretioſiſſima quæuis collegit, & vniuerſa cum familia, vxore, liberis, fratribus, & cognatis, relicto auito prædio, quoad potuit velociſſime: primum Salmas, inde Van aufugit, tandemq; in aulam Turcicam delatus, digno honore ab Imperatore exceptus fuit: de qua re fuſius ſuo loco. Interim Rex Perſarum in loco Carachuch, qui in medio Arſaciæ & Ecbatanæ ſitus eſt, exercitum 30000. circiter collegit, veritus ne Sinanus gloria rerum geſtarum Muſtaffam ſuperare intentus, vel Ecbatanam, vel Arſaciam inuadere conaretur; Carachuch vero opportuna videbatur ad reſiſtendum hoſti, quocunq; is curſum dirigeret. Et certum erat, Teflin quoq; præſidium mittẽdum fore, quod ne fieret, Tocomacum Mangulichanum cum milite ad Simonem Georglanum miſit, vt coniunctis viribus hoſti inſidiarentur, maioraq; inferrent damna. Sinanus vbi Erzyrum peruenit, exercitum, munitiones, reliquosq; belli apparatus collegit, Charſam profectus, ipſe Teflin perere, & ad anguſtias illas Tomanis, quæ ſemper inſidiis patuerant, propugnaculum conſtruere decreuit. Huc vbi peruenit, per octo dies continuos, totidemq; noctes imbribus & pluuiis peſſime exercitus fuit afflictus, vnde coactus diſcedere, Teflin properauit, præſidiarios pecunia, commeatu, aliiſq; rebus neceſſariis confirmauit. In reditu 10000. pabulatorum, magnamque animalium & munitionum copiam amiſit. Trialam vbi attigit, nunciatur Perſarum regem cum numeroſiſſimo exercitu illi obuiam proficiſci; quo intellecto, grauiora impedimenta, Ardachanum verſus dimiſit. Ipſe cum toto exercitu in planicies montis Periardi conceſſit, ibiq; ter luſtrationem copiarum inſtituit, acies diſpoſuit, machinas & tormenta exploſit, ſagittis & lanceis certari iuſſit, pręſentem ac ſi haberet hoſtem, palamq; præ ſe tulit cum rege prœlio decertare, ſi eius occaſio offeratur, quod falſo ab ipſo dictũ fuiſſe, paulo poſt apparuit. Namq; nuncios clam ad Perſam miſerat, qui pacem, ſi eam peteret, concluſam iri, ſponderent: hoc eo conſilio feciſſe creditur, vt regem abſtraheret, ne amplius exercitum promoueret, vel vt ipſi Conſtantinopolim redire liceret, vbi extincto Mahomete Agmat & Muſtaffa Baſſis, primus Vizierus ab Imperarore creatus fuerat, cuius officii adeundi, magno deſiderio tenebatur. Rex Codabunda legatum miſit Abrainchanum ad Sinanum, eadem poteſtate ſanciendæ pacis, qua Maxutchan prius fuerat. Eius aduentus Sinano fuit gratiſſimus, vnaq; Erzyrum regreſſi ſunt, copiæq; exauctoratæ. Perſarum Rex in Carachách ſubſtitit, vt quem finem habitura eſſet pacis tractatio, pernoſceret: inprimis enim cupiebat hos imperii limites quietos à bello conſeruare, quo tutius Ariam petere, & filio ſecundo genito Abæ Mitizæ bellum inferre poſſit. Hic enim à primo Viziero Salmas rebellionis, & quod ad regnũ adſpiraſſet, apud regem accuſatus & traductus fuerat, ſuo vt dicetur loco. Sinanus interim certiorem reddit Amurathẽ de aduentu legati Perſici, ſimulq; rogat, vt vna cum illo in aulam venire ipſi liceat, futurũ, vt vel pro libitu eius & voluntate componatur, vel ſi vniri nequeat, ſe arcanâ quædam monſtraturum promittit, vnde cognoſcere poſſit, hac ratione hoſtem debellari non poſſe, ſed alias belli gerendi rationes excogitãdas eſſe, quæ literis nec tuto credi, nec recte exponi queant. Eadem cum ſępius ad Imperatorẽ ſcripſiſſet Sinanus, cui nihil magis curæ erat, quam primum inter Viſieros locũ poſſidere; tandem voti compos factus, & in aulã accerſitus fuit, planeq; Amurathi perſuaſum erat, vel pacem iis, quibus volebar conditionibus, inire, vel rationem breui ſub iugum mittendi hoſtis cognoſcere. In aula prima deliberatio habita fuit de præſidio Teflin mittendo, ſine quo diutius conſeruari propugnaculũ nequibat; tum etiam, vt exercitus ad limites Imperii verſus Van expediatur, ne hoſtes cum dedecore & damno Turcarum Erzyri confinia excurſionibus moleſtenr. Ad

præſidium deducendum electus fuit in[illegible]ano, Mahemet Baſſa, Muſtaffæ nepos, Sinani æmulus & antiquus hoſt[illegible], eiq; conſignati fuerunt milites, qui in vrbibus Erzirum, Caramith, Altuncalæ, atq; aliis imperio Muchiari Georgiani ſubiectis, excubabant: hic enim vt fratrem Alexandrum, maiorem natu, principatu defraudaret, ad Turcas ſic volente Amurathe, tranſierat, fidemq; ac religionem Chriſtianam eiurauerat. Collecti igitur ad 24000. virûm, quorum præſidio 30000. ducatorum, magnaq; vis munitionum & commeatus Teſlin deducta fuit. Verſus Martianam paludem, vbi Van vrbs eſt, cum 10000. militum Alappiæ & Maroniæ Baſſæ miſſi fuerunt: hi à nullo hoſte turbati, anno ſequenti ineunte vere, domum ſalui & incolumes redierunt. Sed minus proſpera fortuna vſus eſt Mahemet Baſſa: vt enim Simonis Georgiani ditionem attigit, dum vado fluuium tranſire cogitat Georgiani atq; Perſæ eum aggreſſi, magnis damnis affecerunt. Namque Tocomach Mangulichan, Emirchan, & Cumerchan, vbi Sinanum Conſtantinopolim rediiſſe, & Mahometem cum 12000. militum Georgiam petere intellexerunt, collectis copiis, hæc confinia inſederunt, nouum Turcarum præſidium operientes, quo profligato Teſlin à præſidiariis derelictam, & in Simonis prioris domini poteſtatem iterum redactam iri ſperabant. Vbi igitur Turcas fluuium tentare conſpexerunt, maximo impetu eos adorti, breui tempore eos in fugam coniecerunt, pars maxima periit, 30000. ducatorum, omneſque munitiones & impedimenta reliqua, victoribus in prædam ceſſerunt, qui domum ad ſuos incolumes redierunt. Mahemet reliquias exercitus profligati, quoad potuit, recollegit, & Teſlin ſe contulit, præſidiarii palam apud eum proteſtati, propugnaculum ſibi deſerêdum fore, niſi actutum illis de commeatu & ſtipendio aliiſque rebus neceſſariis proſpiciatur. Igitur Mahemetes ad milites ſuos conuerſus, eos vehementer exhortatus eſt, vt iacturam, quam fecerant, ſuis ſumptibus reſarcirent, & pecunia propria præſidiariorum neceſſitati ſubuenirent. Ipſe primus 4000. ducatorum contribuit, quæ adhuc deerant, ab Alexandro Leuentolio, dno in Taglien petita fuerunt. Is prompte pecunia & victu, aliiſque rebus neceſſariis, vt Mahemetes imperauerat, ſubſidio venit, cuius ope propugnaculum, quod iam perditum credebatur, in Turcarum poteſtate permanſit. Mahemetes per Manuchiari ditionem Charſam rediit, eum ſuſpectum habuit, quaſi ipſius fraude damnum perpeſſus fuiſſet, igne ferroque regionem ſubditam deuaſtare, & è vita eum tollere decreuit. Altuncalam vbi peruenit, Georgiano nunciat decretum ex aula veniſſe, cuius lectioni & publicationi ipſum intereſſe neceſſario debere: Iam antea eum Amidæ Baſſa aliiſque conſpirauerat, vt lectioni intentum à tergo aggrederentur, & capite plecterent. Hæ inſidiæ Georgiano non fuerunt occultæ; comparere tamen in tentorio Mahemetis conſtituit, ne ſignificatione timoris & contumacia ſeipſum reum criminis, cuius accuſabatur ageret: ſed è ſuis militibus 50. fidiſſimos & ſtrenuiſſimos elegit, vt armis probe inſtructi eum ſequerentur, primoq; eius clamore in omnem euentum parati eſſent. Hi alios ſuos amicos, quibus fidebant, de toto negotio certiores fecerunt, ducemq; in tentorium ſecuti ſunt, vbi fictum decretum percepit, ſeq; illi morem geſturum dixiſſet, paratusq; ad abitum eſſet, Amidæ Baſſa & Mahemetis vicarius (quem Checaia vocant) manica eum retraxerunt, iuſſeruntque aſſidere. Georgianus alta voce clamauit, eoque ipſo momento ſiniſtra pileum vicario è capite turbauit, dextra vero tantum illi vulnus inflixit, vt caput cum collo & reliquo corpore ad ſtomachum vſque diffinderet, deinde ad Amidæ Baſſam conuerſus, maxillam ei cum aure abſcidit, tandem ira & vindictæ cupidine percitus, in ipſum Mahemetem irruit, & quinque vulneribus eum ſauciauit, ſuccurrerunt pugnanti milites, tentorium & ipſa caſtra tumultu & timore impleuerunt, Georgianus à nullo affectus iniuria, domum ſe recepit. Inde cum exercitu diſceſſum eſt Erzyrum, vbi Mahemetes grauiter vulneratus, de ſucceſſu totius expeditionis Amurathem per literas edocuit. Imperator hac ignominia & iactura militum non parum ſe læſum ſentiens, grauiſſime Vizieris ſuccenſuit, quod nulla ſua culpa, ſed ipſorum peruerſis conſiliis hoe

hoc malum contigiſſet. Sinano infenſior erat, ſiniſtros ſucceſſus ſoli Ipſi imputans, quod ambitione ductus, Conſtantinopolim rediiſſet, authorque fuiſſet, vt tam exiguus militum numerus in loca tam periculoſa mitteretur, vnde & reprehenſione & caſtigatione dignus eſſet. Sinanus ægre ferebat Imperatoris orationem, eique non, qua decebat, modeſtia, reſpondit, ſe Conſtantinopolim veniſſe, non modo occaſione legati Perſici, ſed potius vt Imperatori perſuaderet, quo aliam in poſterum belligerandi rationem excogitaret, vt hoſtis vincatur. Damnum in Georgia perpeſſum non ſua culpa illatum fuiſſe, ſe antea præmonuiſſe Amurathem, ne officium illud Mahemeti tanquam minus idoneo, demandaret. Ipſum aliter tunc ſentiiſſe, nunc conſilii fructum tuliſſe: cumque factum infectum reddi nequeat, dandam eſſe operam, vt in poſterum aliter rebus proſpiciatur. Suum eſſe conſilium, ne in poſterum conſueto more bellum geratur, multitudine propugnaculorum acquirendo & ſubiungendo hoſtilem regionem, quæ nimis magna pecuniæ vi & inexhauſtis theſauris conſtent: ea ratione ſubditos ad ſummam neceſſitatem & paupertatem redigi. Hoc inprimis fore conſultum, vt Imperator ipſe vel Amida (quæ Caraemit dicitur) vel Alappiam, aut Amaſiam proficiſcatur, hoc vbi ſolum Perſis innotuiſſet, futurum vt quibuſlibet conditionibus pacem redimant. Hac Sinani loquendi libertate Amurathes valde turbatus fuit, quod Mahemetis electionem illi exprobraſſet, & Conſtantinopoli diſcedere ſuaſiſſet, quod inprimis ſuſpectum illi & damnoſum conſilium videbatur: ſed leuiter tunc ea tranſiit, minis ſaltem indignationem, quam animo ferebat, declarans: acceſſerunt poſtea mulierum inſtigationes, quod Sinanus ea in medium conſuluiſſet, vt abſente Imperatore eius filium Mahemetem in regnum introducere, eoque patrem ſpoliare poſſet. Ob has ſuſpiciones Imperator eum officio vix dum auſpicato denuo priuauit, & procul ab aula remouit. Simul etiam Ebrainchan Perſæ legatus, Erzirum captus fuit deductus. Erga Georgianum conceptum animo odium hactenus ſimulandum duxit, vt eius opera ſecurius præſidium Teflin mittere poſſet, neve eius rebellione Georgiæ occupatio grauior & periculoſior eſſet, plus illi fidere, quam antea, finxit. Ad Regem Codabandam duces victores redierant, totumque regnum ob partam victoriam communi gaudio profuderant: inde captauit occaſionem Salmas Miriza Regem contra filium Abam inſtigandi, vt tanquam rebellem bello eum proſequeretur, quod continuis interceſſionibus tandem obtinuit, Regisque animum contra filium armauit, qui nihil etiam contra patrem deliquerat, ſemperque obedientiſſimus fuerat. At Viſierus vniuerſum Perſiæ regnum (cuius pars ad Abam redibat) hoc è medio ſublato, genero ſuo Emirſſamzæ primogenito Regis vindicare & acquirere nitebatur, eaque vera huius belli cauſa fuit. Putabat inſuper, Turcas vindictæ cupidine molem belli in Georgianum conuerſuros, & viam, quæ Teflin ducit, muni turos, copias collegit, viginti circiter militum millia, quibus in Corazan tendit, ea intentione, vt cunctos regni proceres, qui filio fauerent, è medio tolleret, ipſumque filium captiuum detineret, & qui Regi placuiſſet, in adminiſtratione regni ſubſtitueret. Priuſquam vero Ecbatana diſcederet, limites firmis præſidiis munire conſtituit, Emangulichanum Gengæ & Atropatiæ præfecit, Serapchamo Nachriuam commiſit, Tocomacus Neiuan accepit: Emirchanus Ecbatanæ præfectus, qui in omnes imperium haberet, electus. Nam ſe obſtrinxerat omnibus modis cauere, ne Turcæ eo locorum penetrarent, & ſi ſecus fieret, Turcomannis ſe perſuaſurum, vt auxilio in tempore veniant. Rex cum exercitu, filio Emirſſamza, & Viſiero Salmas, Arſaciam primum peruenit, ibique conſtituto præfecto, Serauanam petiit, Rectorem eius vrbis, & duos alios Ariæ iuriſdictioni ſubiectos, capitis ſupplicio puniuit, quod filio potius quam patri fauere dicerentur. Aria natura loci & muro valido, foſſiſque aqua plenis, munita eſt, Abas Miriza diligenter eum cuſtodiebat. Namque vt patris irati aduentum, & cædes præfectorum intellexit, ſaluti proſpicere cogitans, arma corripuit, patrique aditum in vrbem negauit: apud quem, vt falſo ſibi à Viziero obiecta crimina dilueret,

ſuamque innocentiam teſtatam faceret, duos è Conſiliariis ad patrem miſit, qui cauſas ſumptorum armorum explicarent, & obſidum loco eſſent, donec iniquiſſimæ & falliſſimæ Vizieri imputationes manifeſtarentur. Offerunt legati, vt proceſſum Rex contra filium formaret, & ſi vel minima rebellionis cauſſa in rei veritate imputari poſſet, quinimo, niſi ſemper erga patrem obſeruantiſſimum & obedientiſſimum Abam extitiſſe apparuerit, in ipſos extremum ſupplicium exerceat, omnemque vim contra vrbem & in filium dirigeret: quod ſi falſas eas accuſationes fuiſſe demonſtretur, rogant, vt mors Sultanorum vindicetur, & honori Abæ Mirizæ conſulatur, pœnaque digna Salmas afficiatur. Conuocauit Rex omnes Ariæ præfectos, Abæ Mirizæ iuriſdictioni ſubiectos, omnesque iudices, & magiſtratus reliquos, ab iisque ſcrutatus, quo loco Abas Miriza ab ipſis haberi, quoque nomine vocari vellet, Rexne Perſiæ? an vice Rex Ariæ? Nunquid ab ipſo impediti & retardati fuiſſent, quo minus in bellum contra Turcas profecti fuerint. Reſponderunt vno conſenſu omnes, ſe Abam pro vice Rege Ariæ agnoſcere, eoque titulo in omnibus decretis & mandatis ipſum vti. Nunquam vllum edictum ab ipſo fuiſſe propoſitum, ne in bellum Turcicum irent, niſi cum vicini Tartari, quos Taeblas vocant, irruptionem minarentur, contra quos in bellum Abam ſequi coacti fuerant. His cognitis, Rex de fide & integritate filii nonnihil confirmatus, in actiones Vizieri diligentius inueſtigare animum intendit. Hunc aulici, omnes ciues vrbium, cunctique ſubditi odio proſequebantur: Nam obſcuro loco natus, indignus habebatur tanto honore & dignitate, ad quas nullo ſuo merito, ſed fraude & adulationibus peruenerat; nouis continuis tributis & exactionibus excogitandis ſtuduerat, vt Regem ſibi conciliaret. Inſtituta igitur quæſtione, cuncti harum turbarum cauſam in ipſum ſolum conferebant, vt omnibus modis licitis & illicitis regnum genero amplificaret, & ſi poſſet, defraudato patre, in filium transferret. De quibus rebus cum iam plane Rex edoctus eſſet, capitis ſupplicium de Viziero ſumere conſtituit, quod ſtatim quoque executum fuit. Tunc Abas Aria egreſſus, patrem & fratrem debita reuerentia ſalutauit, & mutuus amor reſtitutus, omnesque ſuſpiciones (quas etiam cum lachrymis deteſtati ſunt) ſublatæ & abolitæ fuerunt, Abas in ſua præfectura permanſit. Rex vero cum filio Emirſſampſa Arſaciam primum, poſtea Ecbatanam conceſſit. Durantibus his bellis ciuilibus in Perſia, Turcæ noua conſilia hoſti nocendi excogitarunt, & in effectum poſuerunt. Eiecto ex aula Sinano, Amurathes Ferath Baſſam belli Imperatorem deſignauit, munusque ædificandi propugnaculi in Reiuan, & viæ, quæ Charſa eo ducit, muniendæ committit. Duos Capigios, totidemque nuncios, quos Chiaus vocant, cum 30000. ducatorum ad Manuchiarnm miſit, precatum, vt Teflin eos tuto deduceret, daretque operam, vt de commeatu, rebusq; neceſſariis præſidiariis proſpiceretur: pro hoc officio magnos illi honores & præmia pollicetur, quæq; anno proximo contra Mahemetem perpetrarat, eorum memoriam iam abolitam eſſe ferebat. Ferathus aſſumpto ordinario exercitu Amaſiam & Erzirum, tandem quoq; Charſam peruenit, ibique copias luſtrauit, in loco qui Agiacalaſi dicitur, propugnaculum exſtruxit, aliquot machinas, & 500. præſidiarios ibi reliquit. Tandem Reiuan penetrauit, cuius adminiſtratio Tocomaeo commiſſa erat, hortos & ædes gubernatoris ad propugnaculum ædificandum elegit, cuius ambitus 100. vlnas contineret, idq; muro firmauit, & foſſis, in quas aquam deriuauit, è torrente, qui è monte vrbi imminenti deſcendit, & proxime in Araxen currit, machinas paſſim in mœniis & turribus diſpoſuit, 7000. militum præſidio, cui Baſſa imperaret, ibi relicto: regreſſusque ſubito Charſam caſtellum Agiacalaſſi ſecundo viſitauit. Nunciatur ei, Manuchiarum Georgianum Chiauſos & Capigios, quos Teflin cum pecunia deducere debuiſſet, occidiſſe, & hortatu Simonis deſciuiſſe à Turcis, pecuniamque cum eo partitum eſſe: In magno igitur periculo Teflin poſitam, niſi continuo ſubſidium & pecunia præſidiariis mittatur. Hoc intellecto, ſtatim Iſſan Baſſam

cum

cum 30000. militum Teflin mittit, numeratis 30000. ducatorum quos inter prę-ſidiarios diſtribueret. Hic nihil aduerſi in itinere expertus mox ad exercitum redut. Manuchiari & viduę Georgianæ regionem totam deuaſtare Feratus conſtituit, Riſnan Baſſam cum 10000. militum alia parte ad impreſſionem faciendam emiſit, oppida & pagi paſſim exuſti, pecora abacta, mancipia plurima & eximia prædia Turcis ceſſit. Erzirum reuerſus de omnibus, quæ geſta fuerant, Amurathem ſedulo certiorem reddit. Perſarum rex vbi de propugnaculo Reiuanenſi nuper extructo, & qualem ſeſe Emirchanus geſſiſſet à Tocomacho edoctus fuit, quod ne vnicum quidem equitem contra Turcas emiſiſſet vel vllo modo eis reſiſtere conatus fuiſſet: Veritus ſecretam quandam conſpirationem, Emirchanũ in vincula coniici, & ferro candenti oculos illi exuri iuſſit, omnibuſq; bonis ſpoliauit; paucis elapſis menſibus in carcere miſere periit. Cuius obitum vniuerſalis rebellio inter Turcomannos ſecuta eſt. Namq; cum maximi ſemper fecerant propter autoritatem & exiſtimationem qua apud regem pollebat, vbi cum iniuſte occiſum cognouerunt, odium & indignationem non ſimulatam erga regem filium eiuſq; patrem geſſerunt, omnem obedientiam eis denegarũt. Amurathes anno ſequenti Ferathum Naſuanam, cui præerat Schrapcham, expugnare & Teflin ordinarium ſubſidium deferre iuſſit, collecto exercitu & apparatu, frumenti, pecuniæ, aliarumq; rerum facto, cum in procinctu ſtaret, vt Erziro diſcederet, cognouit Perſarum regem exercitum numeroſiſſimum conſcripſiſſe & Ecbatanam vſq; penetraſſe, paratumq; Naſuanæ eum aggredi, & manus conſerere ſi copia fiat, hoc nuntio intellecto profectionẽ diſtulit, remq; omnem Conſtantinopolim perſcripſit. Nec vanus ille rumor fuit, ſiquidem Perſa cum 35000. hominum (quos Ecbatanæ, Perſepoli, Caſſanæ, Arſacię, in Spaan, Genge, Ardouil aliiſq; locis collegerat) Ecbatanam peruenerat, è Turcomannis nemo adfuit ob conceptum erga regẽ odiũ. Omnino illatas à Turcis iniurias vindicare cogitabat, Simonem & Manuchiarũ ſatis potentes credebat vt reſiſterent iis, qui ſubſidium Teflienſibus ferre conarentur. Conſtantinopoli Feratho mandatur, vt famam de expeditione verſus Naſuanam continuet: Interim alio curſum dirigat. Decepti eo ſtratagemate Perſæ, prope Naſuanam excubantes neminem in Georgiam, qui hoſti reſiſteret, miſerunt, quo Ferathus cum exercitu delatus Lory & Tomanis, Simonis quondam oppida occupauit, antiquos & collapſos muros & foſſas reparauit, arcẽ Lory egregie muniuit, 30. machinas & 8000. prę-ſidiariorum ſub Ali Baſſa homine Græco ibi reliquit, anguſtias Tomanis explanauit ſylua late conciſa; Nouum propugnaculũ in ipſo introitu ædificauit, cuius defenſio Naſſan Baſſæ commiſſa, additiq; 8000. militum & 100. tormenta bellica. Reſuan Baſſam cum 12000. militum Teflin ad deducendum pręſidium, demiſit, ibi Dautchan Simonis frater Turcis ſe coniungit homagiumq; præſtat. Simon & Manuchiar copias coniungunt, vt ipſorum copiæ 4000. Georgianis cõſtarent, quibus in reditu Ferathum aggreſſi ſunt. Aſperum & difficile prælium commiſſum, in quo inuicta Georgianorum virtus emicuit. Namq; lõge impares pugnantium numero diu in acie ſteterunt, plurimumq; ſanguinis ab vtraq; parte effuſum, tandem recedere coacti ſunt, occiſo Simonis equo, qui pedes miraculoſe hoſtium manus euaſit. Inde Ferathus viduæ & Manuchiari ditionem petiit. In itinere Alliculi, quem Ferath captum circumducebat, vt itinera & tranſitus ab eo pernoſceret, defraudatis cuſtodibus vel ære corruptis, euaſit. In reditu exercitus Turcicus innumeras difficultates perpeſſus eſt, ob aſperos montes, qui ſuperandi erant & vim frigoris, quo multi peribant. Plurimi à Georgianis conficiebantur, occiſis omnibus qui paululũ ab exercitũ recedebant, q; & Tallolio Sangiaccho in Saffetto & Homato, Ianizarorũ Damaſcenſiũ Agæ, & 3000. militum, qui vt neceſſitates, quibus vrgebantur euitarent, exercitum deſeruerant, contigit. Ferathus Cliſcam fortificare moliebatur, ſed Græci & Conſtantinopolitani milites ſeſe vehementiſſime oppoſuerũt, cũq; in propoſito perſiſteret, multis iniuriis fuit ab iiſdem affectus & funes tentoriorum cõciſi, abacta eius pecora, raptæ vxores, quas ſecum habebat, tandem cum ignominia diſcedere &

Erzirum militem reducere coactus fuit, ob dedecus, quod incurrerat, Imperatoris officio Amurathes eum priuauit. Hic iamdudum Ecbatanæ expugnationem mente agitauerat, ad quam perficiēdam neminem magis idoneum inter ſuos proceres æſtimauit Oſmanno Baſſa, de cuius fortitudine ſpem maximam cōceperat, miſit igitur nuntios, qui ex Atropatia eum accerſerent, interim Alexandriç & Sumachiç prçfecturam aliis cōmitteret. Paruit Imperatoris mandatis, & per Mengreliam, Theodoſiam, quæ Caffa dicitur, peruenit, mox rriremibus pex Euxinum Pontum Cōſtantinopolin nauigauit. In Mengrelia 12000. Tartarorum impetum in eum fecerunt, quos fortiter pugnando profligauit & in fugam egit. Vbi in aulam venit primi Vizieri officio decoratus & Imperator • belli in futura expeditione Ecbatanenſi creatus fuit. Diſceſſit igitur continuo Conſtantinopoli & in ditione Amaſiæ, Anguri & Sebaſtiopolis hibernauit. Iulio proximo Erzirum properauit, collectoq; milite & apparatu belli reliquo Calen. Auguſti, iter ingreſſus de petenda Narziruana rumorem ſparſit, Charſam primum, poſtea Periardos montes petiit, in illa planitie exercitum luſtrauit, 40000. militum, quos ſuperfluos exiſtimabat, exautorauit, 150000. ſecum in expeditionem hanc ſumpſit præter mācipia & reliquos infimç ſortis homines. Vrbes Cor, Marant & Soffian prætergreſſus Ecbatanam in conſpectum habuit, miſit prçcurſorum 10000. qui hortos proximos occuparunt, regionem luſtrarunt, & aditum in eam parauerunt, famem, qua laborauerant, recentibus cibis egregie ſedarunt. Vbi vero ſecuri ad puteum aquæ ſalſæ perueniſſent, ſubito eos princeps Perſa adortus partem maximam occidit & in fugam reliquos egit. Perſarum princeps, intellecto Oſmani aduentu, in id ſummo ſtudio incubuit, vt virtutis ſuæ non obſcurum ſpecimen relinquat. Sed impedimento fuerunt Turcomanni rebelles, quo minus iuſtum exercitum colligeret, quem aperto Marte Turcico opponeret. Conſtituit igitur velitationibus & ſubitis inſultibus Turcicam militiam debilitare & infringere, donec debilior reddita eam aperto prælio citra periculum aggredi poſſet. In regio exercitu, quem è propriis regionibus, (Teilar & Aria excepta) conſcripſerat, 45. vel 50. millia militum pugnabant, iiſq; princeps Perſa imperabat. Is cum ſolis 12000. in hortis illis primas Turcarum copias operiri conſtituerat, cum quibus cum proſpere manus conſeruiſſet, & victoria potitus eſſet ad paterna caſtra, quæ 10. milliaribus diſtabant, ſe conuertit. Oſmanus ſtragem ſuorum vnidicaturus Cigalam & Amidæ Baſſam cum 20000. militum contra principem miſit, cumq; celeriter eum inſecuti eſſent, pugnandi neceſſitatem impoſuerunt, priuſquam in tutum ſe recipere quiuiſſet, duabus horis ante noctem ad manus ventum, id prçlium non minus calamitoſum, quam prius fuit, Amidæ Baſſa primum profligatus, ad caſtra Oſmani trepidus aufugit, obſcura nox eandem euadēdi commoditatem Cigalæ tribuit, qui pleroſq; ſuorum amiſit, & mancipiis & equis, qui in ipſius vſum aſſeruabantur, ſpoliatus fuit; hi ſecundi & proſperi ſucceſſus eo iucundiorem principi reditum in paterna caſtra dedere. At duplex hæc ſtrages nihil retardauit Oſmanum, quo minus Ecbatanam proxime 2. milliaria caſtra metaretur. Eo ipſo momento Aliculichan vrbis præfectus cum 4000. militum vrbe egreſſus, Turcarum plurimos, operi intentos, à latere cōfecit, multiſq; exercitum hoſtilem damnis affecit. Circa mediam noctem irruptionem cum maiori militum copia iterauit, Maraniæ Baſſa cum ſuis copiis tunc cæſus & profligatus fuit, caſtraq; hoſtium terrore & metu repleta. Sed vrbem vix defendi poſſe exiſtimans in regia caſtra Aliculichan ſe recepir. Poſteró die immenſa quædam manus hominum abiectiſſimorum, ſpe prçdæ illectorum, abſq; venia Imperatoris in vrbem penetrare auſa fuit, cui incolæ, libertatis amantes & ſeruitutem abominantes intra portas magna vi & fortitudine reſtiterunt, reiectaq; fuiſſet ingens ea multitudo, niſi ſex alii ſtrenui milites accurriſſent & reliquis viliſſimis penetrandi viam monſtraſſent, Perſæ recedere coacti, è feneſtris, tectis, angiportubus & platearum angulis ſtrenue pugnarunt arcubus, bombardis plurimos hoſtium interfecerunt. Sed maior calamitas incolarum fuit, quibus præter bona etiam vxores; liberi, mancipia, &

animalia

animalia rapta & in Turcica caſtra abducta fuerunt. Circumdedit Oſmanus totam vrbem, quæ tertia vice miſere deprædata & deuaſtata fuit. Intentus poſtea exſtruendo propugnaculo, hortos & ædes Alliculi & Emirchami elegit, perfectumq; multis tormentis bellicis & 12000. militum præſidio (cui Giaffer, Tripolis Baſſa imperaret) firmauit, quæque neceſſaria ad defenſionem & victum erant abunde procurauit. Dum nouo ædificio parando tempus teritur, Perſæ morbo Oſmani peruulgato ad prælium audacius ſeſe parant. Princeps Perſa cum Alliculicho & aliis ducibus 20000. militum ſtipati propius ad exercitum hoſtilem acceſſerunt, 500. milites præmiſerunt, qui velitationes inirent & hoſtem allicerent. Quorum aduentu cognito cum alios maiori numero ſequi Oſmanus certo crederet, Cigalam & Amidæ Baſſam cum 30000. militum contra eos miſit. Horum impetum non ſuſtinuerunt pauci illi, ſed nunc fugiendo, nunc reſiſtendo iterum Turcas paulatim à caſtris abduxerunt, quo tuti eſſent à machinarum & tormentorum ictibus, quibus expoſiti fuiſſent, ſi propius caſtra conſtitiſſent. Ibi maximo impetu & vehementia Perſæ (qui poſt colles proximos latuerant) inſurgunt, magno terrore hoſtem aggrediuntur, cædunt, proſternunt, pauciſſimi ad pugnam, pleriq; Perſarum numero perterriti, ad fugam parati promptiq; fuerunt, maxima ſtrages edita, & niſi nox præliũ diremiſſet, internecione omnes illæ Turcarum copiæ deletæ fuiſſent. E Perſis pauci fuerunt deſiderati. Paucis elapſis diebus, cum iã vltra 30000. Turcarũ periiſſe conſtaret, & Oſmani morbus ingraueſceret quotidie, Perſæ iterũ tentare fortunam cõſtituerũt. Princeps Perſa cũ 25000. militum propius ad hoſtem acceſſit, reliquos à tergo ſtudio reliquerat, vt cũ tempus foret ſubſidio venirent. Miſit feciales, qui Oſmanum ad prælium vocarent, eiq; ni compareret, timiditatem & vilitatẽ exprobrarẽt. Non reſpuit Oſmanus oblatũ certamen, ſed morbo impediebatur, quo minus ipſe intereſſe poſſet, ſed Amidæ Baſſæ omne militare imperiũ in ea pugna tradidit, miſit quoq; Cigalam & Caramaniæ ac Trapezuntis alioſq; Baſſas & Sangiacchos cum exercitu 60000. militũ. Simulauit timorẽ primum Perſa ob tantã hominum multitudinẽ, finxitq; ei cedere, donec ad locum eos protraxit vbi ſuis in inſidiis excubantibus erumpendi ſignum dare potuit. Tum pugnæ initiũ factum, Princeps inter primos ſtatim ordines verſabatur, Amidæ Baſſã aggreſſus caput ei amputauit, opimaq; ſpolia tulit, caput lanceæ infixum, nunc hic nũc illic hoſti conſpiciendũ dedit, quare perterriti Turcæ vim & impetũ Perſarum ſuſtinere non potuerunt. At Perſæ audaciores facti, victoriæ curſum fortiter proſequebantur, Caramaniæ Baſſa captus, Trapezuntius vero multiq; alii in prælio cecidere circiter 30. occiſorum millia in exercitu Turcico numerata fuerũt. Tãdẽ Oſmanus Ecbatana diſceſſit Sanchaſſanã vbi paulo poſt morte obiit. Perſæ abeuntes inſecuti, 18000. camelorum & mulorum præda, impedimentis & ſpoliis Tauriſinorum atque mancipiis onuſtorum rapuerunt, infinita Turcis damna intulerunt, Oſmanni locum, ipſo ſic diſponente ante obitum, Cigala tenebat, qui Sanchaſſana relicta, verſus Salmas exercitum duxit, ad torrentem Salamiſtram ea nocte quieuit: ſecuti continuo Perſæ, & mane cum tentoria tollerentur, impetum in hoſtes fecerunt, ſed inſolito & minus proſpero ſucceſſu. Edixerat enim Cigala ne quiſquam tentoria dimitteret, priuſquã cuncti milites in armis & machinæ in ordinẽ diſpoſitæ parateq; eſſent. his Perſarũ acies inſigne detrimentũ accepit, licet antiqua & conſueta fortitudine Perſæ nunquam præliari ceſſauerint, cedere tamen coacti fuerũt. Poſtea vbi in vrbem Van Cigala peruenit exercitum dimiſit lacerũ & peſſime afflictũ. Turcomannos ſibi cõciliare ſummopere Perſis curæ erat. Rex ad Mahemet Can eorũ ducẽ literas dederat, officii, fauoris & beneuolẽtię plenas, quib. inductus, cum exercitu in caſtra peruenit, maligno tamẽ & fraudulento animo, petiturus enim erat in Emircami locum Thamaſum principis fratrem, qui Turcomannis pręeſſet, quem ſi obtinuiſſent, regem declarare & confirmare in contemptum principis & ipſius regis cogitabat: Vbi igitur in caſtra venit, facile quæ petiit, impetrauit. Occupabantur Perſæ in complenda foſſa, noui propugnaculi: Idque oppugnare conſtituerant, iam pene

confecto opere, ſcelestus Mahemet cum omnibus ſuis ſequacibus ſilenti nocte ab exercitu diſcedit, ſumpto ſecum Thamaſo quem Arſaciæ regem publicaturus & coronaturus erat. Haud parùm perturbatus fuit rex & princeps totaq; Perſia, tam horrendo facinore, interruptaque propugnaculi obſidione, regnum Perſicum nòuis turbis & tumultibus fuit agitatum. Ad quos ſopiendos princeps ſtipatus fidiſſimis proceribus & 14000. militum Turcomannos inſequitur, eoſq; prope Arſaciam offendit, & facilè profligat Mahemetichan & Calife Sultano caput ampùtatur, Thamaſum captiuum in Charam mittit, Arſaciç nouos delectus habet Ecbatanam reuertendi animo. Ibi moratus ad finem vſq; Iulii menſis cum Turcomannis priſtinum fœdus renouauit. Ex Ariâ & Zeilan militem accipit, totamq; Perſiam pacatam reddit, quod durante hoc bello nunquam ante obuenerat. Ecbatanam reuerſus Salmas vſq; proficiſcitur, præſidiarios eius loci fundit, vrbem deuaſtat, eodem modo Reiuanenſes tractat, vnde è tanta proſperitate ſucceſſuum rumor ſparſus fuit de propugnaculo Ecbatanenſi capto, de quo tamen nihil nobis conſtitit amplius, quàm quod Veli Sultanus & Emangulichan cum 24000. Perſarum Feratho Baſſæ verſus Van obuiam proceſſerint, qui cum nouo exercitu in ea loca peruenerat itinere per Amaſiam facto. Faxit Deus vt quam diutiſſime hi motus bellici in Aſia & oriente contineant, vt nos Europæi firma pace & quiete frui poſſimus. Futurum id ſperamus, ſi Ecbatanenſe propugnaculum diu in poteſtate Turcarum permaneat, Victoria enim parta, victores inſolentiores fiunt, & Amurathes forſitan non contentus iam acquiſitis Arſaciam quoq;, vel ad minimum Lirao penetrare conabitur: Perſæ vero tot affecti iniuriis damniſq; nunquam adducentur, vt tantò ſuo cum dedecore & ignominia pacem ineant. Quod ſi hoc propugnaculum recuperarent, vtraq; pars procliuior ad pacem futura eſſet. Turcæ contenti Atropatia & Georgia, deſperent de reliqua Perſia occupanda & retinenda. Amurathes quoq; bellum continuare, & noua indies exſtruere propugnacula cogitans, aliunde ſumptus belli procurare cogetur, ſiquidem Alappienſe ærarium, tot alendis militibus & præſidiariis minime ſufficiet, modo pręteritis annis 60000. ducatorum à priuatis quibuſdam mercatoribus Alappienſibus mutuo ſumpſit. Adde multitudinem hominum infinitam quæ peſte, quæq; in bellis periit, & frumentorum ingens copia; quæ ſingulis annis pro exercitibus coaceruanda & colligenda eſt, vnde ruina ſubditorum & deſertio atq; deſtructio prouinciarum neceſſario oriri ſolet.

INDEX RERVM ET VERBORVM MEMORABILIVM, QVAE IN hac Perſica hiſtoria continentur; Duplici numero conſcriptus: quorum alter paginam, alter operis facta deſignat, denouo reuiſus, auctus, atque amplificatus.

A.

AARON Perſarum Califa, Perſas rebellantes ad obſequium reducit 182.24
Aaron Calyfa rex Perſarum declaratur 179.25
Aaronis Calyfe ad Carolum Magnum miſſa munera 179.42
abas Mirize in vrbe Heri natus 517.27
abas Mirize prorex Ariæ, regionis latiſſima & fertiliſſime deſignatur 517.26
abas Mirza Ariæ vrbis Heri prorex promulgatur, regnoque præficitur 520.9
abaga Tartarorum Imperator veneno extinguitur 223.48
abdas perſidus Epiſcopus, & Maruthas regis filium demonio liberant 135.35
abdalchiarius Tartarorum præcopienſiũ dux fortiſſimus 550.41
abdimelicus deuictus æmulis pontificatum aſſequitur 168.49
abdimelici mors 170.44
abedela creatur pontifex Saracenorum 179.18
abrahamus patriacha ſtratagemate vtitur 11.45
abraimus a patruo ſuo necatur 199.52
abraini pileos geſtant longiſſimos 474.41
abraini vnde ſic dicti & cuinam religioni addicti 474.40.41
abſtinentia Iuliani Apoſtate omnib. Chriſtianis optanda 128.55
abubacher ſocer Ottomanni Turcarum Imperatoris primum locum in templo Mecha obtinet 529.48.47
achmenes Xerxi regi fratri in imperio 20 anno defuncto Xerxe ſuccedit 39.16
achmenes Xerxis frater ab Inaro Libyæ rege & Athenienſibus interimitur 39.17
achomates Baſſa propter affectatã tyrannide interficitur 287.46
acinaces perſicus gladius 463.38
accorlu idiomate noſtro qd 476.2
acta Romanorum 413.49
adena vrbs ampliſſima quam fluuius alluit ſpacioſus 461. 54. 55
adena vrbs ampliſſima Sultano paret 462.9
aditus in Thraciam & Macedoniam ad inuadendum hoſtem non aliunde patet, quam per Poloniam 412.27
adrianus cum Perſis & Armenis ſocietatem colit 105.35
adulatoris munerum interpretatio 28.50
ædificia Perſarũ qualia 333.39
aere tẽperato ſaluberrimoue gaudet caramania 461.29
aga præfectus Ianizarorum conſtituitur 150.53
aga dux ſiue præfectus Ianizarorum 369.26
agathias Smyrnæus deſcribit bella geſta per Nasertem Perſarum regem 143.47
agapeti Diaconi ad Regem Iuſtinianum adhortatio 146.40
agarenus quidam ambidexter duabus haſtis in equo pugnans, in triumphum abducitur 186.18
agarenorum defectio ob ardentiſſimos ſolis calores 105.1.104.55
ager eaphe inſula in Tartarorum poſſeſſione eſt 453.36
agri Tartarorum fertiliſſimi 450.41
ageſilaus in campis Hermi Tiſſaphernem prælio aggreſſus regiorum præfectorum ſupremum fudit atque ſuperauit 68.38
ageſilaus archidami filius, illuſtris & generoſus Lacedæmoniorum rex 68.30
ageſilaus Lacedæmoniis vt exercitum in Aſiam educerent, bellumque regi Perſarum inferrent perſuadet 68.33
ageſilaus, iacens inter Cyrenas & Ægyptum morbo grauatus, decedit 70.5
ageſilai victoria contra Perſas & triumphus memorabilis 68.33
aggianus Alapia ciuis mercator pradines, Emir Sultan vocatur 546.15
agiamii dicuntur omnes populi Perſis ſubiecti 289.31
agmat Baſſa morbo correptus moritur, Muſtaffa ei ſuccedit 582.39
aiderus eius nominis ſecundus aliquot ſaltem diebus & horis potitur imperio 531.47
aiderus fratrem Iſmaelem inſigni iniuria afficit 517.50
akesan Turcis albus dicitur 453.22
alania, ab alanis populis deſcendit, lingua vernacula As dicitur, a Tartaris deſtructa 442.9.8
allarchum oppidum munitum vbi 325.45
allarch caſtellum pulcherrimum & muniti ſſimum 476.8
albertinus ingenio, exercitatione, atque doctrina omnium longe præſtantiſſimus 392.1
albertus ampliſſimam de hoſtibus egit victoriam 392.49
albertus Caſimiri filius militia peritiſſimus 392.28
albertus & Fridericus Caſimiri regis filii & fratres Germani 393.10 (11
albericus Saracenos deuincit 109.
albuquercius legatis Iſmaelis Regis Perſarum ferculum globis ferreis, ſagittis, & ferreis fiſtulis præparari iubet 324.19
albuquercius natione Luſitanus mittit legatum ad Iſmaelem 271.48
albuquercii legatus ad Iſmaelem miſſus, veneno interficitur 324.30
alcibiades ab Athenienſibus capitis crimine damnatus ad Tiſſaphernem confugit 66.19
alcithea Pauſaniæ Spartæ ducis mater 56.53
alchaudonius Arabum princeps 86.31
albacemus creatur pontifex Mahometica ſecta 166.7
alengia primarium monaſterium in Armenia ſitum 479.12

alexander de Zudecca ad vrbem Tanaim venit nocte feſtiuitatis D.catharina 442.34
alexander pronepos Alexandri Magni 30.35
alexander filius Amynta regis Macedonum 30.34
alexander Baſilii Macedonis filius fit Imperator. 192.51
alexander Magnus cur Cyripolim euerterit 328.4
alexander petit ſibi dari ab Athenienſibus Demoſthenem & Lycurgum 75.43
alexander Hieroſolymis verum adorat Deum 77.7
alexander victor ex India Babylonem profectus febri correptus moritur 79.31
alexander Magnus Darium deuicit atque profligauit 106.39
alexander Magnus quot habuerit ſucceſſores 81.8
alexander cilicia potitur 76.26
alexander grauiter laeditur, inſigni vero potitur victoria 110. ceſis Barbarorum 76.36
alexandri Seueri Mammaea filii fortitudo admirabilis 113.8
alexander frater Manuchiaris bello inſignis, viribusque robuſtus 533.42
alexandri benignitas erga Hieroſolymitanos 77.22
alexandri Seueri pietas in ſuos milites 113.10
alexandri natura, mores & vita 78.6
alexandri militaris diſciplina 80.4
alexandri virtus & moderatio in victoria aſſequuta 75.52
alexandri tertia victoria contra Perſas 77.30
alexandria vrbs prope fluuium Syria conſtructa 328.28
alexius Comnenus nouum imperium Trapezuntis condit 217.54
alexius Comnenus à patruo interficitur 213.42
alexius Comnenus fit Imperator. 209.29. moritur 211.35
alexius iunior in Imperium reſtitutus interficitur 216.21
alis in templo interficitur 166.4
Aly morbo correptus moritur, & Caſa vna cum duobus filiis Oſſan & Haſſan ſepelitur 530.32
aly dignitatem & nomen Mahometis conſequitur 530.20
aly & filiorū eius ſepulchrū Caſa maxima in veneratione habetur 530.46
alyculichan prodendo exercitum è captiuitate liberatur 559.53
alyculichan Perſarum dux ab Haſſano Baſſa capitur 559.24
alnathi in Menglerhm caſtellum munitiſſimum 477.8
aman in crucem ab illo Mardocheo paratam agitur 63.14
ambroſius contarenus Reipub. Veneta legatus damaſcena donatur veſte a Caſimiro 488.14
ambroſius & patriarcha in aulam vſuncaſſani vocantur 428.9
ambroſius contarenus Reip. Ven. legatus à Rege Perſarū ad prandium inuitatur 496.37
ambroſius Venetorum legatus veſte pretioſa ex muſtelarum Scythicarum pellibus confecta induitur & 1000. ducatis a Rege donatur 509.24.23
ambroſius contarenus Venetorum legatus a Rege Perſarum argenteo peculo donatur 509.51.50
ambroſius contarenus a Rege ad prandium inuitatur 488.17
ambroſius contarenus Reipub. Veneta legatus clariſſimus 410.25
amicitia inter Cadabem Perſarū regem & Romanos firma conſtituitur 141.44
amida Baſſa turpiter fugiendo ſalutem quarit 610.6
amyri Ægyptii mors 204.20
amyras Tharſenſium Rex in bello interficitur 190.40
amorium à Saracenis occupatur & diripitur 187.23
ampliſſimus pietatis Conſtantini fructus 123.1
amurathes Mahumetem natu maximum filium circumcidere volens Chriſtianorum principum legatos vt feſtum ſolenne magnificentius peragant inuitat 572.1.2
amurathes ſecundus regno potitur 247.54
amurathes Turcarum Rex, mittit legatos ad Caſarem, Galliarum Regem, & Venetos, propter filii circumciſionem 316.28
amurathes Selymo in imperio ſuccedit 298.25
amurathes Muſtaffa offenſiſſimus, induci tamen non potuit vt ducis generalis officio ipſum priuaret 561.53
amurathes vt ſuis militibus ſatiſfaceret pecuniam ex ærario Alapienſi mutuauit 515.33
amurathes regis noui cum principibus diſſenſiones, conſilia, & fraudes ad aulam Turcicam perſcribit 521.37.33
amurathes Codabandam Perſarum regem ad pacis fœdus ineundum allicere conatur 563.54
amurathes Turcorum Imperator potentiſſimus & bello ſtrenuiſſimus 515.47
amurathes Turcorum Imperator bellum colligit & conſcribit maximum 526.8
amurathes implorat opera Scytharum 312.14
amurathes ad Perſas confugit & Turcis bellum mouet 275.8
amurathes perfracto fœdere Perſis bellum indicit 565.54
amurathis incrementa in amplificando imperio 237.20. Eius mors ibid. 34
amurathis natura & mores 317.25. eius conſiliarii ibid. 47
amurathis ſucceſſus proſperi 249.20. eius obitus 250.13
amurathes petit frumentum ab Epidauris 314.44
amus regio incolis vacua, finitima Trabizonda 475.49
anaſtaſius ſecundus quamdiu imperio praefuerit 171.18
anaſtaſii Romanorum Imperatoris expeditio aduerſus Perſas 140.31
annius Tacitus interempto Valerio Aureliano conſenſu ſenatus ac militum Caſar deſignatur 118.13
anno 78. Turcorum 70000. partim pugnando partim fame perierunt 365.29
anno 78. Perſarum rex 25000. perdidiſſe dicitur 365.30. annona copia ſubſecuta eſt maxima 405.31
andreas Auria contra Solymannum proficiſcitur 289.18
andronicus Comnenus ſæuitia & tyrannide ſibi imperium vſurpat 214.1
andronicus iunior crudeliſſima impietatis Imperator 226.26. moritur ibid. 47
Andronicus fit Imperator 218.34
andronici Senioris, Imperatoris mors 226.17
anſerum tanta apparet copia, vt aer plenus eſſe videatur 449.20
anſerum tanta multitudo reperitur, vt vnum pro tribus marchetis dent 455.52

annus

annni reditus Perſarum regnante Tammaſo 305.41
antalcida pax, vnde nomen traxit, & quare ſic dicta? 70.34
antalcida Spartanus Legatus regis Perſarum 70.31
anthius Scytharum regis reſponſum 28.16
antiochia vi capitur à Romanis 195.23
antoninus pius publis Ælii Adriani ſucceſſor imperio quatuor & viginti annos regnauit, 105.54
antoninus Caracalla nouercam ducit vxorem 19.50
antonius contra parthos infeliciter dimicat 90.40.39
antoninus Caracalla ab Opilio Macrino præfecto prætorio interficitur 109.23
antonius de Guaſco genuenſis ciuis 453.47
antonius Leonardicus ſacerdos ceremoniarum ac rituum gnarus, & Geographiæ veteris auctores ſingulari ſtudio illuſtrauit 430.11
antoninus pius Romanorũ Imper. ſolis literis ab Armeniorum inuaſione regem Perſarum Adriano defuncto repulit 105.52
antoninus literas ad Artabanum mittit 108.16
antoninus Caracalla Romanum adipiſcitur imperium 107.40
antoninus Caracalla Getam fratrem in ſinu matris germanum interficit 17.040
antonini Caracalla crudelitas & libido 109.24
antonini Caracallæ Tyrannis & crudelitas in Alexandrinos 107.44
apparatus Græcorum contra Xerxem 44.6
aphrica redigitur in poteſtatem Perſarum 159.39
apis a cambyſe Perſarum rege grauiter vulneratur 19.21
apis ab Ægyptiis tanquam Deus colebatur 19.21
aqua Sacrificium 334.26
aquila Romanorum inſigne 85.40
arban primus Medorum Rex 1.46
arbogaſtus ſibi ipſi manu propria mortem conſciuit 132.41
arabum Saracenorum regnum 319.50
arcadius & Honorius Theodoſii Imperatoris in imperio ſuccedunt 133.28
arcadius & Honorius defuncto Theodoſio Romani imperii conſortes proclamantur 133.28
arcadius poſt patris mortem tenuit imperium tredecim annos 133.49
arcadius num recte fecerit, quod filii tutelam regi Perſarum Iſdigerti commiſerit 134.38.35
archicbelec arx Georgianis à Solymanno in bello cum Tamaſo Perſarum rege geſto, eripitur ac obſidetur 542.53
archidamus Lacedæmoniorum rex pro Tarentinis pugnans aduerſus philippum Macedonem interficitur 74.10
ardaburius Romanorum dux prouinciam Arazanem deuaſtat 136.7
areſchanus Perſa natione captus ad Oſmanum Baſſam mittitur, & ſuſpenditur 551.25
areobundus magiſter equitum, conſuique Romanus 136.43
argyrophyli aduerſus Saracenos expeditiones 202.29
argonus Tartarorum Imperator Chriſtianorum templa inſtaurat. 224.10
ariadna Leonis primi Imperatoris filia vxor Zenonis 139.19
ariſtides virtute, & diſciplina militari præſtantiſſimus 50.2
ariſtides ſingularis modeſtia & virtus 34.31
arimneſtus coniecto lapide in caput Mardonii ipſum interimit 53.6
ariſtagoras mouet bellum in Perſas ope Athenienſium 30.52
arma Turcorum aut nulla aut plane ridicula 382.34
arma quibus Perſæ in bello vtuntur 306.26
armenia à ſultano Ægyptio inuaditur 222.50
armenia & Media Romano imperio iterum accedunt 173.40
armenia Saracenis deditur 170.2
armenius ſacerdos ſpectata fidei homo 424.5
armenii & Meſopotamii a Romano imperio deficiunt 105.8
armuzii Rex fit tributarius Emanuelis Regis Luſitaniæ 324.5
arrii Apri filia nubit Numeriano Imperatori 119.17
arſaces multis rebus domi militiaque proſpere geſtis haſta in latere ictus, dum in prælio magnanimi ducis partes ſubit, moritur 81.54
arſaces ſecundus regni ſucceſſor aduerſus Antiochum Seleuci filium mira virtute pugnat 81.52
arſaces deuictis Macedonibus, occupat Perſarum imperium 81.35
arſacidæ quandiu Perſia potiti ſint 82.46
arſames Ochi regis filius IV. regnauit annos, a Bagoa occiditur 74.16
arſames IX. Perſarum rex 74.12
arſengangio vxor aſſambei Perſarum Regis filia Imperatoris Trabizondini nerata 475.35
arſengan magna olim ciuitas fuit, ſed nunc maiori ex parte deſtructa, ac deuaſtata 475.30
arſrem vrbs Aſſyriæ 363.9
artabanus bellum contra Græcos diſſuadet 40.3
artabanus quorundam procerum auxilio amiſſum regnum recuperat 93.5
artabanus cum aliquot ſtipatus militibus in Scythiam fugit 92.37
artabanus Vologeſis filius patri in imperio ſuccedit 108.12
artabanus phraatu demortui patrui rex ſubſtituitur 83.14
artabanus Hyſtaſpis filius, Xerxis Perſarum regis patruus 40.3
artabazenes filius regis darii natu maximus ex Atoſſa cyri regis filia progenitus 37.49.50
artabaſdus abſente Conſtantino, Imperator renunciatur 176.5
artauaſdes Tigranis filius impeditur ab orode ne Romanis ſuccurrat 85.34
artemiſia regina vxor & ſoror Mauſoli regis cariæ filia Hecatomni 49.43
artemiſia regina filia lygdamis interfuit bello Perſico 49.32
artaphernes patruus Artabazanis iudex domeſticus Xerxem in regem eligit 37.54
arton Mardonii Perſarum ducis filius, cadauer parentis auferre per alios procurat 53.19
artoadiſtes Armeniorum rex 84.21
arx Armeniæ Reo nomine a Turcis occupatur 493.53
arx Perſapolis quomodo incenſa 329.18
artaxata ab Artaxia rege inſtauratur 103.14
artaxata cur Neronia dicta? 103.15
artaxerxes ab inceſtu abhorruit 337.45.

artaxata Romanis deditur & immiſſo igne deletur 98.16
artaxerxis Iſogas ſororem in matrimonio habuiſſe fertur, & non fuiſſe eius filium 65.49
artaxares monet bellum contra Romanos 111.2
artaxerxes Mnemon 7. rex Perſarum darii & pariſatidis filius 67.17
artaxerxes deuicto Cyro Aſpaſiam cepit, ipſamque valde amauit 68.15
artaxerxes filiam Atoſſam duxit vxorem 68.25
artaxerxes Saporis germanus frater 4. annos regnans, emoritur 112.48
artaxerxis epulum magnificum ac opulentiſſimum 62.54
artaxerxes Athoſim atque Meſtrino filias loco vxoris habuit 64.33
artaxerxes Artabanum parricidam ſceleſtiſſimum & crudeliſſimum necat 62.38
artaxerxes V. rex Perſarum dictus Longimanus Xerxis filius 62.21
artaxerxis Epiſtola ad ſuos Satrapas & duces prouinciarum 63.18
artaxerxis erga Iudaos beneuolentia 64.5
artaxerxes ab Artabano parricida vulneratur 62.34
artaxerxes Tiſſaphernem, quia Cyprum fratrem ſuperarat hoſtem declarauit 69.48
artaxares Alexandri Mammaa filio in imperio ſuccedit 111.53
artaxerxis Memnonis obitus, & natura 70.41.42
artaxerxes anno imperii quadrageſimo moritur 64.38
artaxerxis in literatos munificentia 64.50
artaxerxe mortuo in Imperio Xerxes ſuccedit 65.41
artaxerxes filio Dario Aſpaſiam vxorem rurſus eripit 68.19
arZenum a Turcis incenſum diripitur 199.23
aſambeius Perſarum rex Bitbia obſeſſa, ſiue Bir, timore percutitur 462.17
aſſambeius legatus Perſarum 451.37
aſſambeius male habens lethaliterque agrotans in nocte Epiphania feſtum ſequente obiit 479.32
aſſambeius Perſarum Rex cum pancratio Georgianorum rege pacem ſe initurum ſi ſedecim aureorum millia deponeret 478.40
aſambeph vrbs admodum celebris mercatorum emporium ſplendidum 462.33
aſambes Perſarum regis legatus vna cum Ioſepho Barbaro Venetias proficiſcitur 461.4
aſambeius Perſarum Rex mittit legatum ad Venetos vt bellum contra Turcos cõtinuent 458.9
aſſambeius contra Ottomannum militem conſcribit 478.23
aſſambeius Perſarum Rex inita cum pancratio & Gurgura Georgianarum Regib. pace contra Ottomannum militem conſcripſit 479.18
aſpaſia mulier Ionica forma & ingenii ſuauitate omnes alias antecellit 68.13
aſſimbrius Vſumcaſſanes quomodo ad Perſarum imperium deuenerit 252.53
aſians admodum imbelles, vt in omni pugnarum genere contemptui habeantur 386.25
aſſyrii regni finis 1.39
aſpros Graci albos vocitant 453.22
aſtyagis Medorum, Aſſyriorumq; regis ſomnium 9.25
aſopus plataenſium rex à flumine celeberrimo nomen ducens 52.16
athenienſes & Lacedamonii ſepulchra priuatim cum Simonidis poeta inſcriptionibus habebant 53.39
athenarum vrbs capitur à Perſis, atque diruitur 50.37
athenienſes Perſarum ſex milia & trecentos occiderunt 33.30
athenienſes de ſe bene meritis maxime ingrati ſunt 36.48
athenſẽſium votum ante pugnam Marathoniam 34.20
athenienſium victoria aduerſus Perſas percelebris 33.29
athenienſium magnanimitas & virtus bellica celebris 50.21
athenienſium clades in Sicilia admodum miſeranda & deploranda 66.15
athenienſiũ mos & conſuetudo in eos qui nimis graues potentia, & ad aqualitatem minime cõpoſiti erant 58.22
aula regia perſica mos & conſtitutio 463.31.32
auguſtus Arcadii filius Romanorum Imperat. legitimus 133.50
auguſtus caſar vt controuerſiã Teridatis ac phraatis diiudicarit 90.50
auguſta Vindelicorum vrbs pulcherrima 487.30
augarus Oſrœnus ſub amicitia ſpecie Romanos in perniciem abducit 86.29
augarus & Armeniorum rex cõtra amicitia ac hoſpitalitatis leges ab Antonino capiuntur & in vincula coniiciũtur 107.50
aumar fit pontifex Saracenorum 172.35
aZi quidam aurifici, vt Chriſtianam religionem abnegaret, & Mahometicam aſſumeret perſuadet 482.18
azolinus Squarciafigus ciuis Genuenſis 452.53

B.

Babureth magiſter LeonZa Iudica lingua nuncupatur 464.7
babylon quo tempore à Cyro expugnatur? 13.10
babylonii obſidentur à Dario 26.17
babylonia Zopyri dolo a Perſis recipitur 26.30.32
babylonia vrbis deſcriptio 331.36
babylonia & Aſſyria quo anno Solymannus potitus ſit 290.30
babylonia vulgo Bagadeth dicitur 327.39
babylon per dolum tentatur 295.10
bagdath idiomate noſtro Babylonia vocatur 473.23
basbuth Aſſambeio Perſarũ Regi paret 475.29
basbuth caſtellum verſus Africã munitiſſimum, fortiſſimum & fertiliſſimum 475.26.27
basaZetes filius Solymanni fuga ad Perſas 292.14
basaZetes Solymani filius confugit ad Perſas, & ibi interficitur 207.7
baiaZetis filii de imperio diſſecant 295.30
baiazetis II. expeditiones varia 264.50
baiazetis mores & ingenium 274.38
baiaZetes mouet bellum in Venetos 265.32
baiazetis fuga & apprehenſio 240.50. Eius mors & interitus 242.15
baiazetes II. fit Imperator Turcorum 263.49
BaiaZetes primus Amurathis ſucceſſor.

ceſſor 238.30
basaZeti à Tamerlano iniquiſſima conditiones proponũtur 239.49
balduinus Conſtantinopolitanus Imperator declaratur 216.38. *moritur* 217.5
blaſes perſarum rex ſponte ſe imperio abdicat 140.9
bleſes perſarum rex peroZis frater germanus regni gubernacula adſequitur 138.48
barbararum nationum obſeruantia erga eundem 123.4
bartholomaus Roſſus ciuis Venetus 442.27
bartholomaus Brandus Polonia Rex 415.4
brencalio Reipub. Venetorum legatus Bertonii nepos 495.24
britanni immanitate vix beluis cedunt duriſſimi & atrociſſimi 378.31
britannici imperii conuerſio, 137.42
britanni gens bellicoſiſſima 386.54.*ſic* 387.8
bregnolus ad ſummum eloquentia culmen deuenit 392.1
brudamyr fluuius eſt idem qui Tigris 324.36
baſſianus Lucii ſeptimii ſeueri filius, Antoninus caracalla dictus, 107.19
baſilius Imperator pœnas dat ingratitudinis 191.51
baſilius Macedo ad imperium euehitur 189.48
baſilii Imperatoris pietas in promouenda puriori doctrina 191.40
baſilius & Conſtantinus fratres Imperio potiuntur 196.24
baſilii Imperatoris contra hoſtes victoria 196.50. *eiuſdem ſæuitia in Bulgaros* 197.5. *moritur an. ætatis* 72. *ibid.*14
bazarorum officium quale 448.48
begus militum aliquot præfectus ad regem perſarum defecit, 362.49
begus regina ob adulterium commiſſum è medio tollitur 553.16
beglerbegus Wanenſis in regia Perſia ingentem egit prædam 364.28
beyranus Baſſa Erziri Cappadociæ regionis dominus 525.15
bellum Saxonicum à Carolo Magno geſtum 178.11
bellum inter BaiaZetem & Tamerlanum 240.25
bellum inter Venetos & Turcos nauale 246.22
bellum inter Turcos & Saracenos 179.21
bellum nauale inter Genuenſes & confœderatos 227.20
bellum inter Perſas & Turcas cruentiſſimum 275.25
bellum inter Alim & Muauiam 165.53
bellum Perſicum ſub Sinam baſſa renouatur 313.22
bellum inter Romanos & Perſas nouum 152.40.153.15
bellum inter duos fratres Caramanos 260.47
bellũ inter Mahometẽ & Vſumcaſſanum 253.35
bellum inter Romanos & Perſas exoritur tertio Iuſtini principis anno 141.15
bellum inter Saracenos & Carolum Magnum 178.21
bellum inter Turcos & Saracenos 173.44
bellum inter Solymannum & Tamaſum Regem Perſarum 289.28
bellum inter Caſanum & Sultanum Ægyptium 224.27
bellum inter Romanos & Perſas renouatur, ob denegatam regis petitionem 142.39
bellum inter Romanos & Perſarum regẽ redintegratur 136.4
bellum inter Perſas & Romanos inſtauratur 97.20
bellum nouum inter Perſas & Romanos oritur Traiano imperatore regnante 104.21
bellum nouum oritur ſub Lucio ſeptimio ſeuero 106.36
bellum atrociſſimum inter Conſtantium & Saporem Perſarum regem 125.27
bellum inter Crœſum & Cyrum commiſſum 9.49
bellum inter parthos & Romanos ingenti clade committitur 100.20
bellum ciuile inter Cæſarem & pompeium 89.18
bellum inter Perſas & Saracenos 164.5
bellum Corinthiacum vnde dictum, & cur ita adpellatur 69.25
bellum nouum Romæ contra parthos decernitur 100.42
belgradum à Turcis expugnatum 287.31
belgradum fruſtra à Mahometo oppugnatur 252.27
belli inter Vſum Caſſanũ & Mahometem cauſa præcipua 260.37
belli quod inter Perſas & Turcos geritur cauſa 315.31
beliſſarius Hermogene duce Perſas partim occidit partim in fugam compulit 143.17
beliſſarius & Narſes præcipui duces Iuſtiniani 142.52
belua dupliciter à nobis diſtans 398.22
bendamyrus fluuius latiſſimus alluens vrbem camaram 474.3
beneficia & merita poloniæ regum in religionem innumerabilia 392.47
beneuolentia ſubditorum erga Cõſtantinũ Imperatorem in parendo & obſequendo admirabilis 123.3
beneuentum à Saracenis capitur 190.17
bernardus Iuſtinianus Leonardi filius hiſtoriarũ ſcriptor longe peritiſſimus 408.33
bernhardus Polemus nobili loco natus ſingularis, iuris peritia inſignis orator 420.47
bertalis fluuius velociſſimus vrbis Aſambeph 462.42
bertonius Liompardus legatus Illuſt. Venetorum Reipub. ad vſumcaſſanum mittitur 495.23
beſchone vrbs Perſia noſtra voce Quinq; vrbes vocatur 467.43
bibliotheca Antiochia locupletiſſima conflagrat 130.13
bibliotheca Vniuerſalis hiſtoriographorum multarum rerum vſu ſcientiſſimarum accuratiſſime temporibus & annis ſingulis diſtincta atq; cõſcripta 72.2
biſſerabi ſapiſſime exiguis copiis Turcorũ vim reprimũt 385.51
byZantiũ a Mahomet expugnatur 252.24
byzantium ab Amurathe fruſtra obſidetur 248.48
byzantium capitur à pauſania 56.31
byZantium fruſtra à Sarracenis obſidetur 167.50
byzantii deſcriptio 229.5
byZantii Turca facto in Perſas impetu ingenti afficiuntur clade 363.55
boemi ſitu, armis, viris, & diſciplina militari muniti ſſimi 395.47
boriſthenes fertiliſſima inſula Aſia 411.51
beſcziza doctrina, eloquentiaue admirabilis ciuis Cracouia 402.51
boſagaZ quid ſignificet 444.36

Iii 3

boſa Tartaris quid, & quomodo comparatur 445.5.455.39
boues maximi & pulcherrimi, tãto numero inueniuntur, vt ad omnia Italiæ macella ſufficiant 450.3.4
boues adeo duri ſunt, hyeme præſertim, vt ſcindi nequeant, etiã excoriati niſi in hypocauſtum inducantur 455.54
boum tantus numerus vt quis ducentos vna vice emere poſſit 455.52
buda a Solymãno capitur 288.9
bulgari amplectuntur fidem Chriſtianã ſuaſu regiæ ſororis 188.7
bulgari obſident Byzantium & capiunt Adrianopolim. 193.12
bulgari rei militaris imperiti, paſtores montanorũ Turcis ſemper pares 385.37.38
bulgarorum excurſiones 171.14
buranus lapicida Venetus interpres Monophthalmus deridetur a Magno Domino 445.15

C.

Cabades Perſarum rex Bleſis ſucceſſor, Romanis bellum indicit 138.53
cabades Perſarum rex in ſuam perniciẽ legem tulit, priuaturq; regno 139.14
cabades pacem & fœdus cum Romanis init 140.27
cabadis perſarum regis lex de polygamia, 139.47. *& deinceps.*
cabades Perſarum rex effracto carcere aufugit, & regnum recuperat 140.22
cabades rex Perſarum contra Romanos bellum mouet 140.31
cabades ex perſequutore, Chriſtianorum acerrimus fit propagator 141.8
Cades Maſiſtii ducis Perſarum à Græcis illata 51.50
cadilaſcarius præcipuus inter Vſuncaſſani conſiliarios 495.35
cadilaſcharus idem quod carnifex 482.5
Cæſar Manuelis virtute conſeruatus 186.20
cæſaris legatio & filii adiungitur polonis ad Venetos 420.41
cæſaris victoria aduerſus Arioniſtum Germanorum regem 35.31
cæſareι oratoris ad Venetos oratio grauiſſima 421.16
caffa & Theodoſia à Turcis expugnata 410.43
caffa a Turcis omnino exuſta atque deuaſtata 384.12
chamus Concerchierorum princeps & dux truculentus & crudelis in Chriſtianos 504.25
chazadabuch bis a morte liberatur 452 14.21
caius Caſſius parthos a Syria repellit 89.6
cairus Tammaſum Gilano regno exuit 297 18
caithbri ſultani Memphitici in tribus expeditionibus contra Arabes victoria 265.5
caitacchi populi q; loca iſta inhabitant, plurimi Chriſtiani ſunt, 477.20
caitan Baſſa cum 5. millium militum præfectus creatur 547. 37
calamitatis in Græco Imperio initium 227.51
colligeri monachi græci vaticiniũ 273.55
califfa ſacerdos primarius ſuperſtitionis inſiſtens 519.28.29
callimachus ad Turcum legatus mittitur 381.54
callimachus legatus ad Cæſarem & Venetos proficiſcitur 420.25
callimachus agit de Venetis rurſus contra Turcum armandis 405.51
callimachus conſtantinopolim, legati munus ſubiens, proficiſcitur 381.35
callimachus in Græcia & Aſia oratoris munus ſubit 380.18.19
callimachus experiens ſuadet tentari animos Venetorum ad reſumendum arma contra Turcos 419.50
callimachus legatus in Aſiam abit 381.45
callimachus abit in poloniam 431.28
callimachus legatus ad poloniæ Regem abit 410.27
callimachus à Rege legatur ad Turcũ, pacẽ cum illo firmat in biennium 431.30
callimachus ad Xiſtum Pontificem Romanum cum mandatis mittitur 412.46
califa perſarum ſummus ſacerdos, 530.50
califfo Ioſephi Barbari Venetorum legati dux comesq; itineris 463.8
calyfa babylonius à Perſis ſuperatur 198.18
calypha, Seriphus, ſultanus quid 201.30
calyfa Babylonia fame necatur 221.20
calixti Rom. pontificis, & Venetorum legatio ad Vſum Caſſanum miſſa 259.20
caloioannes fit Imperator 212 9. *Turcos & Perſas vincit ibid.* 13. *moritur* ibid 36
clades perſarum in minori Aſia per Græcos inflicta 54.14
clades Darii ad Gaugameda Vicum ad flumen Bumelum illata 77.29
clades perſarum ab Alexandro Macedonum rege illata 76.19
clades Lacedæmoniorum ad Gnidum, a Conone coadiutore pharnabazo illata 69.50
clades perſarum cum cæde Mardonii 52.35
claſſis Græcorum conſtat trecentis nauibus 44.26
claſſis Xerxis mille ducentarum & octo nauium 43.10
clemẽtia ſingularis ac moderationis in victoria exemplũ 21.8.2
camara vrbs Syriæ vnius diei itinere diſtans 474.1
cambale vrbs Tanai in regione ſita 471.25
cambellot veſtimenti materia qui comparetur 462.48
cambyſes morbo correptus, moritur 22.7
cambyſes templum Bubaſtiæ vrbis more Ægyptiorum extructum partim igni, partim ferro deuaſtat 22.30
cambyſis ſæuitia in proprium fratrem 19.32
cambyſes ſororem ducit vxorem, & ex ſe grauidam interficit, 19.39.42
cambyſes II. rex perſarum 18 48
cambyſes contra Æthiopes infeliciter pugnat 19.15
camelus paruus vnius gibbi decem aureis venditur 450 10.11
camelus vnus viginti quinq; aureis venditur duorum gibborum 450.9
cancellarius Ioſephi Barbari occiditur 463.5
changii morientis admonitio vtilis 225.36
changius primus Tartarorũ Imperator. 219.40. *moritur* 220.7
capha promontorium in manus Turcorum deuenit 453.49
caphe gentes neceſſitate vrgente tria vel quatuor millia equitum efficiunt 453.37
caphenſes legatos ad Imperatorem Tartarorum mittunt 453.54
capitſchilar ad ſuffocandum Muſtafam ab Imperatore miſſus fuit 367.30.29

capit-

capitſchi Kybeia qui & cur ſic dictus 367.27
caramania olim Cilicia unde appellata 260.40
caragius Bellerbeius a Techelle obtruncatur 273.6
caramanus Regulus ciciliæ Vſoncaſſani conſanguineus 409.35
caramanus bellicoſiſſimus, atque dux præclarus 381.33
caramania fertilis eſt frumenti, Goſypii, omnique fructuum genere abundat, bonum equorumue magnam alit copiam 461.27
caraham, & Muſtafa Baſſa manus conſeruit, & vtrinq; 10000. ceciderunt, 364.26
caruana Tartaris idem quod hoſpitium ſeu mercatorum vna commeantium agmen 449.41
charbatum vrbs cis magnum mare poſitum incolæ chriſtianæ religioni addicti 478.7
carauelem quidam veru ex ligno facto aſſinit 449.32
carinus a Diocletiano vincitur 119
carolus magnus fit Imperator. 177.40. *eius patria* ibid.50
carolus Magnus a Leone pontifice maximo deſignatur Imperator. 178.44
carolus Mag. legationem Hieroſolymam & in Perſiam mittit 179.30
caroli Magni obitus ex pleuritide 180.42
caroli iunioris in repellendis Barbaris virtus egregia 181.19
caroli Cæſaris & Ferdinandi Regis aduerſus Turcos expeditio 288.55
carpurth caſtellum quinque dierum itinere arſengangio diſtat 475.34
caroli Martelli aduerſus ſaracenos inclyta victoria 174.2
caroli Martelli coadiutores in bello aduerſus ſaracenos 174.40. *eius mors* 175.32
cars caſtrum munitiſſimum Turca in ipſiuſmet Perſæ ditione extruxit 362.1
carſis munitio à Turcis erecta 313.35. *a perſis euertitur* 314.20
carthaginienſium clades 40.24
carus Narbonenſis a toto exercitu Imperator renunciatur, 118.39. *idem fulmine ictus miſerrime interit* ibid.50
Ceus vrbs fortis, & mœnibus mediocriter munita, in regione perſarum ſita 476.14
cecaumenis virtus & fides erga Romanos 204.18
Chebechzi latino idiomate quid ſignificet 452.10
Cteſiphon a Sapore perſarum rege vrbs celeberrima occupatur 132.2
Cteſiphon, vbi magnus perſarum rex erat, a Romanis diripitur 107.13
Cteſias artis medicæ peritiſſimus in expeditione Cyri aduerſus Artaxerxem fratrem captiuus tenetur 71.37
caſſanum vrbs populoſiſſima & ditiſſima 469.54
caſimiri poloniæ regis ſtudium & pietas in Chriſtianum nomen, 408.47
caſimirus Rex poloniæ iuſtiſſimus æquiſſimuſque 488.24
caſimirus rex poloniæ duos nobiles Ambroſio de hoſpitio procurando mittit 488.11.12
caſimirus Venetis perſuadet non tantum, ſed & Tartaris, vt contra Turcos arma arripiant 411.28
caſimirus Polonorum regis filius natu maior Boemiæ rex adpellatur 457.15
caſimirus rex poloniæ Ambroſium Venetorum legatum tunica damaſcena purpurea Scythicarum martium pellibus decorata donauit 510.29
caſimirus rex inuictiſſimus 391.26
caſimirus polonorum rex cum vniuerſa familia Chriſtianiſſimus 457.14
caſpium montem Monachi ordinis S. Franciſci incolunt 477.19
caſpius mons vbi 326.48
caſpium mare idiomate Tartarorũ Mardi Bachan 502.26
catachi ad Caſpium montem habitant, vicini Georgianis 452.42
catharinus contarenus legatus Reipub. Venetæ mittitur Conſtantinopolin 442.28
cathaia nunc Scythia legatus Imperatoris reuertitur 465.37
catacchii Meagleria ciuitas ædificiorum ad quinque millia continet, magnificentiſſima & ſplendidiſſima 476.41
cataini Ethnicorum religionem excolunt 472.23
cataluſii a Mahomete deleti 254.15
catherinus Renus ex ſenatorio ordine contra Perſas claſſe ablegatur 408.28
chanci populi maxime a corbulone vexati & moleſtati 103.37
cauſa bellorum inter Alexandrũ & Darium unde orta 74.30
cauſa belli peloponneſiaci quænam fuerit 66.26
cauſa & origo horum bellorum vnde, & qua 89.19
canea Guldebini quomodo appellatur 443.52
caniari & Morone, conditi piſces ſale, optimum cibi genus 446.19
canoſtra hoſpitium Taurinenſe 463.19
cheſelba perſæ cur ſic dicti 531.23
cherach vrbs parua in regione Tauri ſita, quæ ad rubrũ mare itur 473.10
cherach videntur aues nigri rubriq; coloris locuſtis infenſiſſimæ 473.5. *Mahometicæ appellantur* ibid.6
cerui & feræ reliquæ quomodo a Tartaris capiuntur 446.12
chezimameth Maumetis paruus vnde originem ducit 444.26
cicala Baſſa vnacum tribus pueris & vexillis relictis ſeſe fugæ committit 610.13
cydaris tiara Candys, regni inauguratio 338.29
chiagri arx Armeniorum muniſſima 494.19
chiezimametus ſe imperatorem totius populi & principem nominat 451.3.4
chielder perſia mons altiſſimus pe riordus alias dictus 525.50
chio vel Megrana Ruſſiæ inferioris vrbs celebris 488.25
chianſi & capigii a Manuchiaro Georgiano occiduntur 640.52
cilicia à Mahomete occupatur 254.11
cilminar idiomate noſtro quadraginta columnæ vocantur 474.7
cliſca vrbs intra periardos ſita Manuchiari paret 589.14
cimbri & Gotti vnde genus trahant 30.9
cimon Miltiadis filius Athenienſium dux creatur 58.12
cimum, Macimum oppida 322.17
chipiche vrbem Chriſtiani incolunt 478.6
circaſſius Oſmani pater, fugiens Selymi crudelitatem vltro ſe

Turcorum imperio ſubiicit, 594.19
circaſſi latrones vnde ſic dicti 448. 22.18
ciſterna vrbs aqua copia abundans Armeniæ minori adſcribitur 461.47
citrachana princeps Caſimaca ſingulis annis ad Moſcouiæ ducem legatum mittit 504.41
ciuitas campeſtria in longitudine ducenta patet millia, in latitudine vero millium triginta eſt 476.26
collatio inter Philippum & Alexandrum 79.7
collegium Cardinalium probitatis, religionis, ſanctimoniæ præclarum ornamentum 373.20
colona ciuitas prouinciæ Moſchiæ 455.40
colloquium Teridatis & Corbulonis oſculis finitur 101.39
columbus pirata admodum inſignis 404.8
commendatio Pii II. Pontificis Maximi 375.52
commentiolus Philippico ſuccedit 154.42
cometes interdiu conſpicitur 130.13
cometa hominem ſine capite repræſentans 184.6
cometa crinita tum temporis inuſitata magnitudinis in cœlo apparuit 120.41
cometa & prodigia alia cladem Turcorum præcedunt 293.1
cometa in Græcia viſus 218.36
comus vrbs male extructa, in circuitu 6. millia complectitur 470.3
comum, Caſſanum & Heſdum oppida 321.45
comnena familia à Mahomete extinguitur 258.8
codabanda Perſarum rex potentiſſimus & bello ſtrenuiſſimus 515.48
choy incolæ mechanicas artes & agriculturas exercentes 463.11
concordiam cum Turcis inire plane ſuperuacaneū eſſe puto 379.2
concordia factu & comparatu difficilis 376.36
conflictus Tartarorum quibus nominibus adpellatur 390.55
conflictus inter Gotarzem & Meherdatem in quo Meherdates dolo capitur, & victori traditur 96.13
conflictus habitis inter Romanos & Perſas 129.32. & 31
conflictus Iouiniani cum Sapore Perſarum rege 129.18
chozamirechus a Mahometano ſceleratiſſimo interimitur 482.27
choZamirech aurifex ditiſſimus 462.16
coniuratio aduerſus Cambyſem 23.4
coniuratio in regionem Taurauntium a quodam Barbaro nobili patefit, omnes conuincuntur & puniuntur 98.40
conon Athenienſis virtute bellica admodum clarus & inſignis, 69.37
conon ad regem Perſarum abductus, cōtra ius gentium in carcere necatur 70.30
conſtantinus IV. barbatus ſeu pogonatus, fit Imperator 167.25
conſtantinus Palæologus vltimus Imperator Conſtantinopolitanus 228.33
conſtantinus Monomachus fit Imperat. 204.53. Eius mors 205.29
conſtantinus Imperator quando faſces imperiales adeptus ſit 120.23
conſtantinus Imperator, & Conſtantinus eius filius, fuerunt maximi fautores Chriſtianæ religionis 121.17
conſtantius octies cum hoſte congreſſus ſemper victor triumphauit 123.48
conſtantius incidens in febrim Mopſocrenis febri ingraueſcēte moritur 126.9
conſtantius ingreditur Romam vna cum Hormiſda 124.11
conſtantius ſolus potitur rerum 123.42. eidem aduerſus Perſas expeditio infeliciter ſuccedit ibid. 45
conſtantinus Leonis filius, cum Saracenis varia fortuna dimicat. 193.26
conſtantinus Imperat. à filio proprio, veneno necatur 193.43
conſtantia & magnanimitatis ſingularis exemplum 233.18
conſtantinopolis peſte vexatur 293.26
conſtantinus Ducas fit Imperator 206.8
conſtantinus Romani iunioris filius fit Imperator 197.15
Infeliciter pugnat ibid. 25
conſtantinus Copronymus fit Imperator 175.53. moritur 177.8
conſtans Romam ingreditur, eamque diripit. 160.53. interficitur 167.11
conſtantino imperium tenente Chriſtiana religio mirum in modum florere cœpit 121.47
conſtantia Iouiniani Imperatoris in religione Chriſtiana 129.14
conſtantini ſucceſſores qui 120.42
conſtantini ad Saporem Perſarum regem pro Chriſtianis Epiſtola 122.24
conſtantini Imperatoris vltimi obitus 231.47
conſtantini Iunioris pater veneno interficitur 120.37
conſtantia Conſtantini ſoror, vxor Licinii legati munus obit 121.38
conſtans fit Imperator Conſtantinopol. 165.8
conſtantia admiranda pro patriæ ſalute exemplum 121.34
conſtantinopolis capitur & diripitur 216.28
conſtantinopolitani Palatii deſcriptio 255.15
conſtantinopolis quando & ſub quo Imperatore, a Machomete capta 228.45.229.48
conſtantinopolis a Græcis quando recuperata electis Latinis 217.11
conſtantinopolitanum imperium quamdiu ſteterit 233.35
conſtantinopolis & vniuerſa fermo Græcia ingenti terramotu concutitur 271.36
conſtantinopolis à Baiazete obſidetur 238.50
copiæ Matthiæ regis Hungariæ in forum Iulii irrumpunt 404.24
corani Mahumetanæ religionis propheta præcipuus 362.27
corbi populi ad Euxinum pontum montes altiſſimos incolentes, crudeliſſimi, & vnica latrocinii laude clari 462.53
corbulo exercitum ad pugnam ineundam inſtruit 97.14
corbulo & Teridates dexteras dexteris iungunt 101.33
corbulo Tigrani aduerſus Vologeſem ſuppetias mittit 99.39
corbulo a Nerone interficitur 103.29
corbulonis bellici apparatus, & militaris diſciplina 101.3
corbulonis prouidentia Syriam tuendo 99.42
corbulonis in Germania, & contra partibus res geſta admodum cele-

celebris 103.35
corbulonis conſilium fideliſſimum Teridati datum 97.34
corbulonis ſumma rei gerendæ adminiſtratio committitur 100.47
cordi Tauri ſeu Ecbatana vicinis latrones inſignes 463.14
corcyra a Turcis fruſtra oppugnatur 291.52
choſroes diuo ſergio crucem auream dedicat 157.6
choſroes vna cum filio interficitur 161.19
choſroes Iuſtini Imperatoris filius a cabade Perſarũ rege adoptatur 142.38
choſroes pace violata Romanis bellum nouum indicit 144.27
choſroes ſublato Hormiſda Perſis imperat 155.42. Confugit ad Mauritium 156.3
choſroes reducitur in ſuum regnũ 156.16
choſroes victoria aduerſus Varanum 156.33. eius vaticinium ibid.45
choſroes ſuperbum & impium reſponſum 160.3
choſroes potentia quanta, & quales eius proſperi in bellis gerendis ſucceſſus 144.45
choſroes mors calamitoſa, atq; inglorium nactus eſt exitũ 144.55
conſultatio Polonorum ſuper poſtulatu Venetorum 416.47
conſultatio an admittendus Turcus ad Ducalis funeris pompam 428.43
cothaclis oppidulum Pancratio Regi paret 478.55
conuiuia Perſarum 340.13
craſſus a Surena deceptus miſerrime interiit 88.10
craſſus a Pomaxarte occiditur, aurumque in eius os liquefactum parthi infundunt 88.36
craſſus Carras perfugit, ac rurſum inde fugere tentat 87.52
craſſi conſilia parthis per exploratores communicantur 86.35
craſſi expeditio aduerſus parthos abſque vlla cauſa ſuſcipitur 84.44
craſſi vox in omen vertitur 86.16
craſſi deſidia & ignauia 85.6
creta occupatur a Saracenis 184.30
chremuch regio ad magnum mare ſita 452.30
chriſtianiſmus duce Marutha in Perſide propagatur 135.20
chriſtianorum expeditio Hieroſolymitana 210.10
chriſtianorũ victoria duce Hunniade 252.36
chriſtianorum clades in Pannonia 292.6
chriſtianorum clades, & deinde victoria 185.15
chriſtiana fidei confeſſio Mahometi ſecundo exhibita 255.36
chryſopolis hodie ſcutari vbi ſita 363.3
crœſus rex Lydorũ ſuperbiſſimus 9.40
crœſi ſtratagemata 11.17
crœſi regis Lydorum conſilium 14.13
croia à Scanderbeio recepta 249.45
crux aurea à Iuſtiniano Cæſare diuo ſergio conſecratur 157.22
cubicularii ab Arbogaſto & Eugenio corrupti Valentinianum Imperatorem Viennæ ſtrangulant 132.38
chuirch vrbs ſeptentrionalis non admodum celebris 472.42
chulcardaſchlar delectiſſimi Ianizari, qui equos a ruſticis coegerunt 369.27
culperchea noſtra lingua mancipium ſonat 468.33
cumanus Tartarorum rex morte multatur, & frater ei ſuccedit 539.6
cumani gens celebratiſſima ad caſpium mare incolunt 453.32
cyprus redit in poteſtatem Romanorum 125.6
cyrus bellica diſciplina admodum excellens 18.30
cyrus Perſica Monarchia auctor 8.8
cyrus regem Artaxerxem inuadit, ac infeſta haſta per loricam pectus verberat, 68.9
cyrus cum omnibus ſuis copiis extinguitur 31.17
Cyrus Scytharum reginam Thamyrim in matrimonium poſtulat 13.49
cyrus ad Araxim exercitum educit 14.1
Cyrus qualem hymnum quibus Diis in ipſo prælii aditu canere iubebat 18.22
cyrus aciem quomodo inſtruebat 18.23
cyrus monet bellum aduerſus fratrem, & in eo interficitur 67.27
cyrus diligentia nemini par, 17.36
Cyrus forma corporis admodum percelebris 18.2
cyrus Perſica Monarchia auctor 65.9
cyrus ſingularis populi Iſraelitici fautor 12.11
cyrus memoria admodum præclarus 17.25
cyrus gratitudine nulli comparandus 17.30
cyrus clementia erga ſuos facile princeps 17.38
cyrus vnde hoc nomen ſibi vendicet 8.42
cyrus ſequitur conſilium Crœſi regis Lydorum 14.35
cyrus liberalitate incredibili præditus 18.11
cyrus parſimonia vitæ nulli ſecundus 18.8
cyri militare vexillum quale 18.28
cyri coniunx 9.28
cyri epiſtola miſſa ad Syriæ Satrapas 12.27
cyri Apophtegmata pulcherrima 18.3
cyri dotes ac pietas 16.13
cyri exercitus contra Thamyrim 15.13
Cytheron Plateenſium Rex à monte nomen trahens 51.16

D.

DAci à natura ferociſſimi ob ſitus, & aeris temperiem 378.30
dalmatia ſeſe in libertatem vindicat 185.28
damalicum Aſiæ promontorium magnificum 363.4
damaſci Beglerbegus conflictu concitato Perſas deuicit 366.25.26
damaſcus & vniuerſa Syria à Tartaris recepta 224.44
darius III. Perſarum rex, hyſtaſpis filius, renunciatur 24.47
darius Cyri regis filiam nomine

Atoſſam, vt regalibus nuptiis regnum confirmaret, in matrimonium ducit 24.50
darius rex Perſarum primus, qui tributa inſtituit 25.3
darius Longimanus omnium hominum pulcherrimus 25.4
darius ope Democedis medici præſtantiſſimi a ſua ægritudine conualeſcit 25.32
darius Longimanus vnde dictus 335.37
darius a Titibazo adiutus patrem interficere conatur 68.21
darius Artaxerxis filius Aſpaſiam in vxorem accipit, & rex renuntiatur 68.18
darius filius capitur, & principum conſilio interimitur 68.24
darius fuit felicior poſt mortem quam in vita 77.45
darius ingenti congregato exercitu Macedonibus occurrit 76.28
darius primus tributa apud Perſas imperauit 345.3
darius Arſami filius, Ochi nepos regis ex fratre 74.18
darius nothus Ogdianum ſeptem menſibus imperantem interemit, regnoue potitus eſt 65.45
darius Artaxerxis filius ex Pallaca progenitus 65.46
darius videns ſe victum equam velociſſimam conſcendens, aufugiendo ſalutem quærit 76.38
darius vltimus Perſarum rex, regnauit annos VI. 74.19
darius Aſtyagis octaui Medorum regis filius 1.47
darius cur Athenienſes præcipue odio perſequitur 32.12
darius Anthini regis filiam in matrimonium poſtulat, ſed fruſtra 28.1
darius expoſcit dona à Scythis in ſignum ſubiectionis 28.15
darius primus, qui apud Perſas auream monetam excudit 26.51
darius trigeſimo ſexto imperii anno obiit 37.43
darii expeditio aduerſus regem Medorum Arphaxat 25.54
darii edictum de inſtauratione templi Hieroſolymitani 27.2
darii vltimus diadema 338.35
darii dictum memorabile 26.33
darii regis Perſarum beneficentia & gratitudo admirabilis 25.10
darmiſcaſſus Aſſambei ſenioris Perſarum regis ſepulturæ cuſtos 482.40
darmiſcaſſus a domini ſatellitibus interficitur 482.48
darmiſcaſſus voce noſtra xenodochiarius dicitur 482.40
dauid a Perſarum rege captus Chriſti nomen eiurat, & Mahometanam religionem profitetur 535.4
dauid Georgianus a Damaſo capitur, eiq; homagium præſtat 534.51
dautchan Simenis frater Turcis ſe coniungit, homagiumque præſtat 641.38
decius a Gothis in loca paluſtria compulſus merſus in paludem, miſerrime periit 114.35
decius philippo interempto in imperio ſuccedit 114.29
decertare cum hoſte quando expediat 35.20
debebeth villa vbi ſita 474.31
deiſer villa deſcriptio, & ſitus, 474.35
defterdarus lingua noſtra theſaurarius nuncupatur 367.35
delphicum templum imperitante Iuliano corruit 127.50
demades mittitur ab Athenienſibus orator ad Alexandrum 75.51
demadi Athenienſi mulcta centum talentorum cur indicta fuit 65.37
demoſthenis apologus 75.47
demircapi porta ferrea inter anguſtias caucaſi montis ſita 365.21.22
derbenthum ab Alexandro extructum, ab vna porta ad aliam medii miliaris ſpacium complectitur 476.48
derbenthum vrbs in finibus Tartarorum ſita 326.17
derbenthũ idiomate noſtro quid ſignificet 476.50. 477.25.53
derbent idiomate noſtro porta ferrea, ab Alexandro Magno ædificata 502.28
deſcriptio regni perſici 2.46
deſiderius vltimus Longobardorum Rex à Carolo Magno vincitur 178.8
deſpina vxor Moſcouiæ ducis, ſcientia rerum medicinalium peritiſſima 503.40
deſpina regis Perſarum coniux 509.25
deſpina Perſarum regis coniux grauida male cum ſororibus conuenit 509.2
dies aures vnde nomen traxerunt, & cur ſic dicti 102.50
dii Perſarum qui 334.18
didarcoſſane & chremuche Chriſtiani prœlium ineunt & profligantur 478.9.8
diogenes Imperator in prœlio capitur & ad Sultanum perductus liber dimittitur 207.52
diocletianus & Maximianus acerrimi Chriſtianorum hoſtes 120.50
diocletianus imperio ſe ſponte abdicat 120.11
diocletianus renuntiatur Imperator Romanorum 119.25
dioſcuriade res 120. interpretibus adminiſtrabatur 380.40
diraomina quæ craſſi cladem portendunt 85.38
diſcordia inter duces Romanos propter obſides parthorum exorta 97.15
diſcordia maxime à natura proficiſcitur 377.8
diſcordia Saracenicam potentiam euertunt 183.12
diſcordiæ ducum Romanorũ per Neronem componitur 97.17
diſcordia inter ſocerum & generum regnandi cauſa 229.10
diſcus aureus diuo ſergio voti cauſa inſcriptus 157.30
diſſidium Nauri & domini Vlumahometi 444.23
diſſidia inter Saracenos religionis cauſa exorta 166.22
diſſidiorum inter Venetos & Genuenſes cauſa 226.29
diuerſa ratio apud cõplures Nationes creandi reges 7.7
dogmata Chriſti vera pietati maxime conuenientia 122.30
dogkmak Begam facile ad confligendum perduxit 363.20
dogkmak cupiditate ciendi conflictus hoſtẽ ad pugnã laceſſit 363.17
dogkmak Sultan princeps Perſicus generalis deſignatur Perſarum dux 363.10.11
dogkmak Sultan regi Mehemeti ſuſpectus 363.37
dogkmak. Legatus ad Selymum Perſarum regis nomine 363.11
dominicus Georgius Vincentii filius legatus ad Tartaros miſſus 415.7.11
dominus Tartarorum Magnus Moſcheam ingreſſus ſuper tapetes extenſus & Nauro incubante

bante capitaneo legationes humaniſſime audit 445.6.7
dominus Tartarorum annorum 22. 445.27
dominicus Triuiſanus orator gratulatum Maximiliano mittitur 421.3.4
domitianus Romanorum Imperator, Titi Imperatoris filius 104.18
Domit. Corbulo Romanorum dux præfectũ Arrium Varum obſides vt recipiat iubet 79.11
Donatus Acciolus Legatus Florentinorum ſingularis prudentia, atque eximia doctrina vir 414.3
dracula Valachus Imperator fortiſſimus 381.28
dranis anlicus homo falſus & lepidus 481.17.20
dux Moſcouiæ quotidie bello laceſſitur 481.13
duces Græcorum præcipui codrus, Polydorus 60.35

E.

EBueman militibus & armis plurimum valens, Turcici nominis hoſtis infenſiſſimus, & cur? 598.20
ebnemanſur Tyrannus ab Ebrahino duci Ianizarorum adcuſtodiendum traditur 599.50
ebnecarſius Emiro Aly Baſſa 100000. Cecchinorum dedit, vt ipſum druſorum prouinciæ dominum eligeret 603.41
ebnecarſius Baſſa Druſorum prouincia creatur, aurata veſte, claua Turcica, atque gladio deaurato nomine Amurathis donatur 603.39.42
ebubegker inſtar diui cuiuſdam à Turcis vnice colitur 362.29
ebraimehan Mahametis legatus eloquentiſſimus & maxima autoritatis, qua pollebat perſis charus 571.41
ebrainus Haſſano Baſſæ ſuccedit, generalis Syndicus & Iudex totius Ægypti ſupremus creatur 596.12
ebrainchan Perſa legatus capitur, & erzyrum deducitur 639.26
ebrainus Chiauschie natus inter Baſſas præcipuus Amurathis propriam filiam in vxorem ducit 596.9
eclipſis Solis, & Cometa præceſſerunt bellum peloponneſiacum 66.39.38
eclipſis Lunæ regnante cambyſe apparuit 22.53
edelmugh magna apud Imperatorem in gratia & autoritate eſſe dicitur 451.40.43
edelmughus Imperatoris cognatus 451.23
edelmaghus domini cognatus cũ Barbaro amicitiam init 446.42
edeſſa & Alepum veniunt in ditionem Tartarorum 221.35
edeſſa defẽditur a Romanis ab incurſione Perſarum 144.39
edeſſa a Romanis expugnatur 203.17
edeſſa clades & deſtructio ex amnis fluuii ingeti exundatione 142.21
edicta regia promulgantur & affiguntur & quomodo ipſorum idiomate vocantur 526.23.25
elephanti duo coram aſambeo Perſarum rege caput inclinant 464.14
elizabeth regis mater 393.47
elizabeth regis coniunx 393.47
elizabeth regis filia 393.47
elizabeth Regina Poloniæ 393.46
elizabeth regis ſoror 393.47
eliſabetha Britanniæ regina, ſceptrum regni hæreditarium adipiſcitur 138.4
emanuel Palæologus quibus conditionibus regnum à Baiazete obtinuerit 228.13
emircanus Mariſe Hodabandi filius Perſico bello aduerſus Amurathem proficiſcitur 308.35
emirhamza Miriza Regis Perſarum primogenitus dux exercitus electus 607.15. 609.44
eminachbi & Caphenſes inter ſe diſſident 453.55
emirhamza princeps Perſarum Turcarũ octo millia trucidat 610.16
eminachbi caphenſes tributũ ſingulis annis pendunt 453.51
emirshau ambitione æſtuans primum ſibi & dignitatis & honorum locum in Perſia regno vendicans, nuptias cum ſorore periacouicona celebrat 520.5.&c.
eminachbi legatum ad Ottomannum mittit, vt capham redderet, aut in arenam deſcenderet 454.8
emirhamza primogenitus Perſarum regis filius totius exercitus dux a patre eligitur 526.35
emirſſampſa Regis Perſarum filius militari diſciplina admodum præclarus 640.32
emirhamza Tartarorum regis filius à Sultani proceribus miſerrime occiditur 555.14
emirchanus Maxutchano inſidias ad occidendum ſtruxit 567.31
emirhamza Miriza filius natu maximus Perſarum regis filius Miriza inſidias ſtruit 579.31
emirhamza à patre examinatur cur toties bellum Aba Miriza fratri germano ſuo intulerit? 582.42
epiſtola Nicephori ad Perſarum Regem miſſa 181.36
epitaphium Darii regis Perſarum defuncti 37.47.&c.48
equus Tartarorum ferrea non habent, quare? 447.2
eſaia vaticinium de Cyro 12.6
eſſeda à Romanis defenditur 203.45
eſman Calyfa in Euripi obſidione interficitur 192.20
eſther nubit Artaxerxi 63.2
eubecara fit ſucceſſor Mahometis & ſecta eius pontifex 162.44
eucratides Bactrorum rex potentiſſimus 83.6
eudoxia Imperatrix Romanum Diogenem ſibi matrimonio iungit 206.47
euagoras rex Cypri potentiſſimus, 69.43
eugenius parricida à Theodoſii militibus trucidatur 132.40
eunuchus Tripolis Baſſa præfectus Amida Baſſa demortuo ſuccedit 611.18
eunuchus Haſſan Baſſa Chalcedone in carcerem detruditur, opes in ærarium regium deponuntur 597.5
eunuchus Regina intercedente carcere liberatur, & priſtina dignitati reſtituitur 597.9
euphrates fluuius per pontem lapideum traiectus 325.33
euphrates fluuius celebratiſſimus 475.31. pontem ligneum longiſſimum & pulcherrimum ſeptendecim arcuum habet ibi. 33
exarchatus quando primum in Italia cœperit 152.50

exemplum fortitudinis notatu digniſſimum & admodum percelebre 128.19
exemplum horribilis crudelitatis 90.19
exemplum ſingularis moderationis in victoria aſſequuta 53.16
exemplum ſingularis conſtantia in defendenda patria 50.43
exemplum ſeueritatis Aureliani in ſuos ſceleratos milites, 117.50
exemplum fraterno beneuolentia nec non ſingularis modeſtia 38.10. & per totum
exemplum immanitatis horribile 20.25
exemplum iuſtitia longe celeberrimum 22.33
exempla ſingularis modeſtia afferuntur 57.18
expeditio Darii aduerſus græcos 32.24
expeditio ſine apparatus Romanorum pro recuperanda Armenia, duce Domitio corbulone 96 48
expeditio xerxis aduerſus Ægyptios 39.22
expeditio Teridatis in Armeniam duce Moneſe 99.36
expeditio Iuliani Imperatoris in regionem Perſarum 126.19
exercitus Iuliani Imperatoris terreſtris & naualis contra Perſas 126.52 eiuſdem felices ſucceſſus, & victoria 127.41
exercitus multitudo Aſſambeiregis Perſarum deſcribitur 467. per totum
exercitus Xerxis copioſiſſimus, 43.4
exercitus Darii ad flumen Iſtrum caditur 30.20

F.

FAchi Turcorum ſacerdos ſupremus 529.26
facetum reſponſum hormiſdæ 124.23
facultates Chriſtianorum aduerſus Turcorum potentiam 386.34
famaguſta Cypri Inſula fertiliſſima 461.3.460.43
fames ingens & peſtis dira 208.27
flauius Claudius à Romano exercitu cæſar renunciatur 117.21
florianus dominandi cupiditate impulſus imperium tanquam heres conſtitutus inuadit, morte preuentus, vix duobus menſibus regnauit 118.15
ferdinandus inuictiſſimus, ac ſapientiſſimus rex Hydruntum è manibus hoſtium eripit, 385.6
ferdinandus rex iugum Italiæ ſeruitutis calamitoſiſſima virtutum ſtimulis agitatus depulit 385.7
ferdinandus Rex Hungariæ 426.21
fara Ottomanni Turcorum Imperatoris filia formoſiſſima 529.42
fercula Tartari qualiter preparent 448.52
ferat Baſſa Georgianos fortiter ſeſe defendentes deuicit, ac in fugam conuertit 641.43
ferath Baſſa, eiecto Sinano ex aula, belli Imperator deſignatur 640.35
ferat Baſſa ob res præclare geſtas Amurathi notus generalis belli dux eligitur 583.19
feratus Baſſa ob contentiones & rixas perpetuas ab officio deponitur 591.33
ferina ſeu ceruina carne quotidie veſcuntur Tartari 448.53
fides Corbulonis in Neronem 103.50
filius crœſi infans loquebatur, adoleſcens factus mutus & elinguis erat 10. 7
filius moriturus patrem Imperatorio titulo & honore inſignit, Auguſtumque proclamat 139.19
filii Regum Perſarum, quomodo fuerint inſtructi 339.26
fœdus inter Perſas & Romanos percutitur 119.54
fœdus inter Venetos & Regem Perſarum 259.25
fœdus inter Perſas & Romanos renouatur & percutitur 133.3
fœdus cum Turco, inconſulto pontifice Maximo, minime pepigendum 407.43
fœdus inter Romanos & Perſas 161.24
fœdus inter Xerxẽ Perſarum regem & Carthaginienſes 40.10
fœdus inter Perſas & Romanos percutitur 110.7
fœlicitati Vladislai nihil vltra fata debebatur 391.21
forma regiminis quænam præſtantior? 23.43
fortunati & infortunati dies qui & vnde ſic dicti 36.8.6
franciſcus Sanuutus Marini filius immatura morte e medio tollitur 415.3
franciſcus cornarus, frater Iacobi cornari ciuis Venetus nobiliſſimus 442.28.27
franci & Veneti Bizantio deditione capto, Alexium iuniorem in Imperium reſtituunt 216.4
franci populi ſunt Germani 177.52
francorum duce Carolo Martello victoria 174 26
fridericus caſimiri regis Hungariæ filius 393.10
fridericus ad ſummum nobilitatis faſtigium conſcendit 393.44
friderici Ænobarbi in Aſiam expeditio 214 38
frigus adeo magnum vt flumina, quamuis nauigabilia, congelentur 455.51
fulbantes ornamenta capitis & redimicula ſiue pilea vocantur 498.44
funeſtus dies Xerxi quiſnam fuerit, & quis præcipue fauſtus? 60.51
furioſi Tartari vnde & quare ſic dicti 448.8.10

G.

GAbria vera interpretatio 29.1
gallia Narbonenſis inuaditur à Saracenis & occupatur moxque recipitur a Carolo Martello 174.'4
galli & arte & vi militandi præſtant 386.54
galli ſitu & habitatione cæteris nationibus minime cedunt 378.35
gallinaceos duos pro aſpro vno vendunt Perſæ 416.6
gallinæ 7. in Perſia ducato venduntur 496.55
gallinarum tanta copia illic eſt, vt ſeptuaginta pro vno marchetto vendant 455.49
gazelles interitus 287.29
gazaria, Cumania mari Tabecchio confinia 442.1
gaudentius Athenienſis propter fidele conſilium a Dario interficitur 80.26
gelon Dinomenis filius, Syracuſanorum tyrannus 40.19
gemes Baiazetis frater Rhodum confugit. 263. 52. necatur fraude Alexandri pontificis 264.15
gemmarũ apud Perſas vſus 334 9

genera

genera rerum publicarum quot enumerantur 24.7
genua a Saracenis capta diripitur 190.21
Genua dominatrix maris 383.50
georgius Rex affinitate Vſuncaſſano coniunctus 408.53
georgius Georgiorum rex hoſtis Turcorum acerrimus 408.50
georgianus quidam Schembabi dictus a Perſis ad Turcos defecit 365.19
georgiani qui 280.49
georgiani ſeſe Perſis adiungunt 311.31
germania vrbibus & arcibus abundat praeclariſſimis 487.29
germania oppidis, caſtelliſque maxime insignibus celeberrima & abundantiſſima 487.49
germania parti & ab occaſu & ſeptentrione Polonia Regi paret 509.1
germani omnium nationum faeliciſſimi 378.35
germani & Poloni tota hyeme maximo numero ſeſe eo conferunt pellium pretioſarum comparandarum cauſa 508.45
germani cuiuſdam militis robur & magnanimitas 214.40
germani inuictiſſimum Polonorum robur ſunt experti 395.31
germani tantum transfugis Turcos deuaſtare poſſent 387.14
giauſa Rex Perſarum ad Heren vrbem debellandam proficiſcitur 481.6
giauſa Rex Perſarum ſubditos in priſtinum reducit obſequium 469.37
gigantei generis mulier Antiochiae reperta 142.27
gim oppidum pulcherrimum à Turcis occupatur ac deuaſtatur 536.21
gitercanum oppidulum maximae famae nunc demolitum ac deſtructum 455.18.454.37
giuf Gorii filius natione Georgianus 533 44.54
giZius II. Pontificatum aſſumit. 175.48
giZidus Aumari ſucceſſor perſiam ſubiicit 173.20
gogi regionem latrones inuadunt, & depraedantur 478.3
gomeda Ebrahimi vicarius, Manolis beſtis capitalis terpeſſimus 601.7
gordianus III. iunior Tranquillam miſitheo filiã vxorem ducit 113.51
gotitelani vnde, & quare ſic dicti? 455.13
gothi vnde ſuum nomen trahunt 13.38
gothi Fridigerno duce Conſtantinopolim oppugnant 132.6
gothi germanica lingua vtuntur 455.7
gotarZis aſtutia & calliditas 96.2
gotarzes & Artabanus inuicem reconciliantur 94.52
gotarzes morbo correptus, aduerſaque ingraueſcente valetudine moritur 96.16
gotarZis crudelitas in fratrem 96.15
gratianus Valentiniani Chriſtianiſſimi Imperatoris filius titulo & honore Imperatoris inſignitur 131.33
gratianus Theodoſii dux reliquias Saracenorum funditus extinguit 136.46
graecia inteſtinis bellis diuexatur 60.11
graeci Perſas deuincunt, ac in fugam conuertunt 51.54
Graecorum imperium quamdiu ſteterit 232.20
graecorum clades in Ionia 31.12
gyropolim quis condiderit 344.52
guleta a Turcis expugnata 298.12
guuZa à Turcis deditione capta 288.49
gurlumamech Gorda natus filius Vſumcaſſani, cuius fama praedicatur per totum terrarum orbem 512.12
gurlumamechus Vſumcaſſani filius patri bellum infert 494.45
gurgura Rex Georgianorum 478.40
gurlumamechus cum Zagarli Satrapa nobiliſſimo in patris perniciem conſpirat 494.49

H.

HAbraymus gratia Solymanni excidit 291.12. iugulatur ibid.28
halibaſſa interitus 273.13
hanſſan Baſſa Eunuchus ex Aegypto fugit, adueniente Ebraino Amurathis genere 596.16
hardiſtan locus anguſtiſſimus, 474.44
hegmedhus Edelmughi filius Tartarorum Imperatoris nepos 479.25
hedeghus Mahumetica religionis praepoſitus 444.14
helcas Tammaſi frater ad Selymanum deficit 294.15
hemus fluuius incolis Bolcanus dictus 397.45
henricus VIII. inuictiſſimus & glorioſiſſimus rex Eliſabetham vnicam regni haeredem & filiam inclytam reliquit 138.2
henrici Penia epiſtola ad Cardinalem Sanlium de geſtis Iſmaelis contra Turcas 275.41
hermicani filii Regis Perſarum aduentus in caſtra 314.5
heraclis aduerſus Perſas expeditio 160.10. *eius victoria* ibid.40
hermolaus Barbarus orator Maximiliano gratulatum mittitur 421.4
heraclius victor Byzantium redit 161.36
heraclii ad Regem Perſarum legatio 159.52
herZils Giauſa Perſarum & Zagathas Regis matris ſepultura, 476.19
heraclius fit Imperator Romanus 159.27
heraclis ſtirpis defectio 169.10
hieroſolyma a Saladino capitur 280.19
hieronymus Barbadicus maximum Venetae Reipub. ornamentum legatus in Bononienſi agro interficitur 428.27
hibuch peros Tartarorũ idiomate quid denotat 447.44
hippias filius Piſiſtrati frater Hipparchi interficitur 36.24
hipparchus Piſiſtrati filius ab Harmodio & Ariſtogitone interficitur 31.41
hippias frater Hipparchi tyranniZat 31.48
hiſpania à Saracenis ſubiicitur 172.5
hiſpani omnium nationum inuictiſſimi & praeſtantiſſimi 386.55
hiſpani equites & milites nigri recte adpellantur 378.31
hiſtiaei mors & interitus 31.23
hiſtoria parthorum de Cteſiphonte vrbe 82.4
hiſtoria Callimachi percelebris 381.19
hoolonus Tartarorum Rex moritur 222 46
hoccota ſecundus Tartarorum Imperator 220.8
hocemus Alis filius ab Abdalamo interficitur 168.33

hodabendus fit Rex perſarum 308.27
hoggia ſummus Imperatoris ſacerdos 362.46
honorius quandiu regnarit & quando 133.51. *idem finito imperio morbo aqua intercutis correptus fatis conceſſit* 133.53
hormiſda Regis Perſarum filius 124.11
hormiſda Saporis filius, vix imperium deguſtauit, moritur 112.3
hormiſdas fruſtratis cuſtodibus ad Conſtantinum confugit 123.9
hoſtilianus & Voluſianus, vix creati Imperatores, Interamna ambo occiduntur 114.38
hungariam Solymannus ſecundo inuadit 288.12
hunniadis obitus & virtus 252.39
hungaria omnium genere facultatum ac rebus geſtis inſignior 395.54
hungarorum teſtimonium Polonos perſæpe Turcos pecunia cōtra Chriſtianos iuuiſſe 395.5
hunniadianus omnis memoriæ omniumque ætatum Hungariæ dux longe celeberrimus 381.22
huſſanus Baſſa Mahametis Viſiris longe celeberrimi filius 20. *circiter millibus militibus ad expugnandum Teſtin ablegatur* 558.30.31
hyberi potiuntur Armenia 92.19
hydrum à Turcis expugnatum 254.31

I.

IAcobus de Medio filius Antonii equeſtris ordinis legati officium ſubit 408.16
iacobus Barbadicus maximum decus ac lumen Reipub. Veneta, legati munus ſubiens à Patris interimitur 428.27
iacobus Rex Cypri morbo correptus obiit 460.44
iacobitæ Chriſtiani à quo dicti 280.53
iacuppus Rex Perſarum ab uxore adultera veneno interimitur 263.11
iaddus ſummus pōtifex cum maxima populi pompa Alexandro obuiam procedit 77.1
iaddo ſummo pontifici noctu in ſomnio Deus apparuit 76.49. 77.13
ianizarorum nomen vnde deriuetur 251.3
ianizarorum ab Amurathe inſtitutus ordo 250.20
ianuæ Regis dicuntur cuſtodes corporis 235.20
iezdius fit Rex & pontifex Mahumetiſtarum 168.24
ignis violati pœna 334.23
ignis artificialis naues exurens 172.53
ima Turcarum imperatoris ſacerdos ſupremus 362.46
imagines templis reſtituuntur 177.22
imperator Turcorum omnium inſolentiſſimus, ac Chriſtiani nominis oſor acerrimus 370.39
imperium Orientale à Saracenis & Turcis euertitur 181.28
imperium Orientis penes Gallos 216.48
imperator Turcorum Venetum cum vniuerſa aula in gratiam legati Perſici ſolenniter vrbem ingreditur 368.17
impietas Iuliani in Chriſtianos 129.5
impraelius Muamatis Calyfæ ſucceſſor, bellum Romanis mouet 185.40
incendium Conſtantinopoli exortum eſt, hoc regnante 139.32
incendium & motus terræ Antiochiam atq; alias in locis, funditus quaſſans, deformem & horrendam reddidit 142.10
indiabu dux & princeps Alanorum 444.3
indiabu in monticulo illo ſepulturam extruxiſſe fertur 443.34
inducia inter Turcos & Perſas 289.47
induciæ inter Hiſpanum & Turcas 318.43
ingratitudo Imperatoris in de ſe bene meritum 191.50
ingratitudinis crimen apud Perſas præ ceteris exoſum 336.25
inſignis Neronis mollities 103.22
inuidia & indignatio cladis ſociorum ſine militum occiſorum Muſtafa ab exercitu obiecta 364.52.53
ioannes zimiſca fit Imper. 195.44. *eius victoria aduerſus Saracenos & Roxolanos* 195.50. *eius mors* 196.20
ioannes Vade piſcator longe periti ſſimus 446.25
ioannes Baptiſta Treuiſanus vultu auſterus & turbatus coram duce furti accuſatur 507.35
ioannes Græcus conſulis miniſter Monophthalmus ludibrio habetur a Magno domino 445.15
ioannes Miriça ciuis Cracouiæ diſertiſſim⁹ & opulentiſſ. 402.50
ioannes Barbaricus Candiæ ciuis Andria ortus Dorbenthum proficiſcitur 442.29.31
ioannes Bellinus non tam pictura, quam philoſophia Chriſtiana peritiſſimus 429.8
Io. Mocenigi Ducis longe celeberrimi mors 404.40
ioannes Darius homo græcus diu multumque in Veneta Cancellaria verſatus 419.11
iones a Dario deficiunt 30.41
ioſepha Barbarus Antonii filius lingua Perſica peritiſſ. 409.51
ioſephus Barbarus Reipub. Veneta legatus, & eius ſocii itineris grauiter a latronibus corbis vulnerantur 4[illegible]5
ioſephus Barbarus Domi[illegible] munera offert 4[illegible].4
ioſephus Barbarus legatus Reipub. Veneta illuſtriſſ. ad Alan beium Perſiæ regem mittitur munera ampliſſima ip[illegible] [illegible]erens 418.22
ionimianus Imperator ſe publice Chriſtianum profitetur 1[illegible]9.13
ionimianus Imperator rediens Cōſtantinopolim, in itinere [illegible] Dardaſtana morbo correptus in fata concedit 130.[illegible]8
ionimians Imperatoris pie[illegible] in Chriſtianos 1[illegible]0.14
irene imperatrix quot annis regnarit 177.18. *eius in [illegible] crudelitas* ibid.18
irruptio Perſarum in Græciam 47.26
irruptiones Gothorum & Hunnorum in Galliam & Italiam [illegible]. 34.30
iſaacius Comnenus fit Imperator 205.4[illegible] *moritur* ibid. 53
iſaacius Angelus fit Imperat. [illegible]17. *moritur* ibid. [illegible]3
iſaacius vir ſingulari vita [illegible] teſtimonia præditus Valentiniano interitum prædicit 1[illegible]8
iſan fluuius rapidiſſimus vrbis Aſambeph 462.[illegible]2
iſdigertes Perſarum rex ab Arcadio filii tutor ſubſtituitur 34.7
iſdigertes Varanis filius rex declaratur & magnus apud Romanos habetur, & celeberrimus 112.54
iſdigertes Chriſtianæ religionis ſtudioſiſſimus 135.20
iſdigertes quandiu regno Perſarum potitus ſit? 134.39
iſmael Schah Perſarum rex admodum clarus 362.49

ymabel

iſmahel ex lege Mahumetana circumciditur 557.9
iſmahel a patre ob animi ferociam in Cabacam arcem relegatur 516.51
iſmahel per iaconconaſoreris opera è medio tollitur 519.33
iſmahel Tamaſi Perſarum regis filius hereditarius regni ſucceſſor 534.25
iſmahel adoleſcens indolis praſtãtiſſima virtutiſque ſingularis admodum inſignis 517.5
iſmahel I. Regni ſucceſſor ante mortẽ parẽtis declaratur 517.3
iſmael ſophus vniuerſa Ottomanicæ familia formidabilis 265.50
iſmael ex Perſia fugit 267. 18. *eiuſdem aduerſus Regem Perſarum expeditio* 268.5. *victor Tauriſium ingreditur ibid.* 19
iſmael Babylonia, Meſopotamia & multis aliis circum finitimis regionibus potitur 270.33
iſmael II. ex carcere liberatus, fit Rex Perſarum 207.49. *interficitur veneno* 208.20
iſmaelis obitus & natura 285.37
iſmaelis legatio ad Venetum Senatum cum eiuſdem Senatus reſponſo 270.50. *eiuſdem legatio ad Reges India* 271.32
iſmaelis ad BaiaZetem legatio cum ſucceſſu irrito 272.25
iſmaelis & Selymi comparatio 281 15
iſmaelis aduerſus Meratchamum expeditio 269.40
iſmenia Thebani factum inſigne ac memorabile 65.8
iſmenias Thebanus ad regem Perſarum legatus, cultum adorationis regi non exhibet 65.6
iſogaus Artaxerxis filius legitimus Darium regno ixpellit 65.47
iſegeo regnante bellum peloponneſiacum inchoatur 65.50
iſthmus a Turca communitur 246.13
italia a Saracenis plurimum infeſtatur 187.54
italus Genuenſis cõſul Emmachbi imperio deiicere molitur 454.1
italorum vis in bellis gerendis, quidue detrimenti Turcis attulerint 387.19
italorum laus atque commendatio vnde promanat 377.54
italorum diſcordia, rixa ac diſſenſiones vnde oriantur 377.49
iudei a Turcis miſere affliguntur 382.20
iudeorum calamitas ſub Iuliano Apoſtata ſæuiſſima & crudeliſſima 127.45
ingelheim *patria Caroli Magni* 177.50
iulius Caſar Thermuſſa Romana mulieris mira pulchritudine capitur 23.32
iulianus Imperator à transfuga in inſidias deductus, militis cuiuſdam conto tranſmiſſo brachio, & coſtis vulnere letali laditur, 127.29
iulianus a Conſtantio in Imperatorem eligitur 126.10
iuliani Apoſtata blaſphemia in filium Dei 127.29
iuſtina mater Valentiniani II. & Imperatrix 132.24
iuſtinus II. quando Imperator factus 152.31
iuſtinus mortuo Anaſtaſio Imperator eligitur 141.12
iuſtinianus & Theodora eius coniux a patriarcha vno eodemque tempore coronantur 142.43
iuſtinianus violato fœdere bellum Saracenis infert 169.25
iuſtinianus corã Antiſtitibus epiphanio & patriarcha a Iuſtino caſar renuntiatur 142.42
iuſtinianus a Leontio principatu exuitur 170. 10. *recuperat imperium* ibid. 52
iuſtiniani in hoſtes crudelitas 170. 54. *mors* 171.9

L.

L*AbyZus quidnam ſit* 347. 49
labienus capitur 89.51
lacedamones pacem ineunt cum rege Perſarum 66.18
lacedamonii pauſaniã Imperatorem contra Perſas deligunt 56.27
lacedamonii mittunt Athenienſibus ſubſidium 50. 49. 35. 17
lampon Pythei filius illuſtri loco natus, maxima apud Æginetas auctoritatis fuit 13.9
lar omnes vrbs vicina terra fœcundiſſima 473.53
leena Indica lingua Leonza adpellatur 464.6
ledile fluuius latiſſimus & altiſſimus maximo cum ſtrepitu in caſpiũ mare influunt 455.25. 441.54. 444. 25. 450. 45
leges cur condita & inuenta 6. 18
legatio Perſarum ad Amyntam Macedonum regem 30.29
legatio Choſrois ad Iuſtinianum Imperatorem pro pace conſtituenda mittitur 144.17
legatio Turcarum ad Venetos 405. 43
legati Vologeſis ad Neronem mittuntur 100.31
legati corbuli ad Vologeſem parthorum regem 100.1
legatio nes potentiſſimorum principum ad Iſmaelem miſſa 283. 20
legatus Perſicus à Murathe in honorem filii conſtituitur ad feſtum circumciſionis condecorandum 369.36.37
legatus Nicoſia epiſcopus Ferdinandi Neapolim reuertitur 461.2
legatus Perſicus nomine Muſuhali cum 17. *miniſtris aduentauit magnaque pompa excipitur* 368.4
legatus Perſicus in aulam deducitur Sultanoque literas regis muneraque offert 368.45
legati pancratii atque Gurgura Chriſtianos ſe appellant 478. 48
legati Vologeſis irriti cum muneribus remittuntur 100.45
legati Vologeſis miſſi Romã, irriti reuertuntur 100.17
legati Vologeſis & Teridatis miſſi ad corbulonem amanter excipiuntur 101.10
leonida magnanimitas admiranda 45.34
leonides inter ingentes ſtratorum hoſtium cateruas interficitur 45.42
leonides Lacedamoniorum dux, Anaxandrida filius 44.40
leonida mortui caput ab humeris abſcinditur, & cruci affigitur 53.12
leontius a Tiberio in vincula coniicitur 170.29
leo Iſauricus Imperator per ſpeculum in claſſem Saracenorum ignem immittit 172.45
leo Armenius imperium inuadit 184.15
leo Baſilii filius fit Imperator 192. 3. *moritur* ibid. 49
leo Iſauricus imagines è templis aboleri iubet 175.7. *moritur* ibid. 50
leo Primus primus Gracanici ſanguinis ſenatus & exercitus ſuffragiis Imperator declaratur, 132.8. *eiuſdem egregia ac cla-*

riſſima virtutes ibid. 11
leo IIII. Copronymi filius, fit Imperator 177.12
leo Iſauricus quando Imperator factus 172.1
leuctrica pugna vnde & cur ſic dicta? 71.33
lex Perſarum de ferendis Regi muneribus 339.6
liberi Perſarum olim loco ſeruorũ habiti ſunt 339.53
liberi regũ cur dẽtur obſides 95.27
licinius in acie à Criſpo filio Conſtantini vincitur, & tandem ab ipſius præſide interimitur 121.37
licoſtomum Moldaniæ oppidum ſplendidiſſimum 386.2
liſbona regia ſedes 404.15
litera Alexandri Seueri ad Artaxerxem perſarum principem 110.48
litera Conſtantii ad Saporem perſarum regem 124.55
locuſtarum in Cappadocia vis ingens 203.30
loerum caſtellum in maiori Armenia ſitum 479.8
loniri caſtellum a regione Trochonem dierum itinere diſtat 457.7
laus Themiſtoclis & dignitas 59.22
laus Cerbulonis apud Neronem à Teridate decantatur 103.4
laus Germanorum nobiliſſima 7.35
laus & commendatio Cerbulonis ab hoſtibus celebranda 101.20
laurredoni ampliſſima familia eſſe dicuntur 385.8
lauori di Zeſdi Moſchorum lingua quid 498.44
lublina vrbs commoda arce munita 488.31
lucius Vitellius rem contra Artabanum præclare gerit 94.27
lucius Vitellius præficitur orienti 92.16
lucius Septimius Seuerus in expeditione Britannica moritur 107.18
lucii Septimii Seueri dictum celeberrimum 107. 25. eiuſdem auſteritas ibid. 21
lucii Veri Antonini generi contra Perſas res geſta recenſentur 106.20
lucii res præclare geſta enumerantur 104.47
luculli ad Orodem Perſarum regem legatio 85.32
lucillianus belli dux Niſibin ab omnibus imminentibus malis liberat 123.54
luculli victoria aduerſus Tigranem 35.49
ludi gladiatoris apud puteolos à Nerone inſtituti 102.18
ludouici Regis Vngariæ interitus triſtis 288.7
ludouicus conſtituitur heres imperii a Carolo Magno 180.39
lues in caſtris Muſtafæ Baſſæ peſtifera & ſumma annona caritas oritur 367.5
luſitani ſclopetarii proficiſcuntur in Perſiam, inuitati ſtipendiis ab eo Rege 294.50
lutherus quando in Germania docere cœpit 531.7
lyſander Lacedemoniorum dux ex prælio octo nauibus ad regẽ Cypri aufugit 69.40
lycoſtomum rex Poloniæ emporium maritimum in Valachia ſitum occupauit 419.43

M.

MAcamanus Mauri frater Perſa natione nobiliſſimus a quibuſdam Romanis occiditur 128.23
macademus cum Druſis ex inſidiis ebnefreci interimitur 602.48
macomethanus nudus inſtar beſtiarum incedit, religionis & ſanctitatis maximus prædicater, & commendator 481.48
mahumetus in prælio ceruicem frangit & moritur 198.49
magia & Magi quid 342.5
magia quotuplex 341.40
magia vera definitio 343.15
magnum Can eſt via quæ Capha ducit 455.2
magi poſt cambyſis obitum regnũ Perſicum occupant 342.5
magi & Iudæi Chriſtianam religionem ſummo odio perſequũtur 122.8.9
magi Reginæ partum filii prædicunt 112.35
magi artis vaticinandi peritiſſimi 112.34
magi coniuratores à ſeptem principibus Perſarum opprimuntur 23.25
magogi regio à latronibus occupatur & obſidetur 478.3
magi Marutha Meſopotamiæ Antiſtiti aduerſantur, & callido facinere conãtur efficere, vt rex à ſe marutham dimittat 135.8
magorum fraus & dolus detegitur 135.13
magorum fraus noua & dolus pateſit, ac etiam grauiter coercetur 135.24
mahemetes regni ſucceſſor I. promulgatur 517.4
mahemet Baſſa antiquus hoſtis Synans, nepos Muſtaffa ad deducendum præſidium eligitur 638.1
mahemetes à Manuchiaro Georgiano grauiter vulneratur quinq; vulneribus inflictis 638.49
mahemetischan & Calyfe Sultano Perſarum princeps caput amputari mandat 44.7
mahametes codabanda Perſarum rex per legatos Amurathem de pace adpellat 564.10
mahamet Baſſa primus Viſirius ab improbo & fanatico homine confoditur 562.38
mahametes Baſſa Ferati defuncti Baſſo filius præfectus militum a Muſtaffa creatur 543.29
mahametes ipſe fungitur efficio ſacerdotis 529.29
maidan forum Perſis dicitur 463.45
mahometes à Mirza Salma tertius Perſiæ regni Rex proclamatur 521.10
mahometanus cultello à Domino propria manu, cui famulabatur perfoditur 482.36
mahometis victoria aduerſus Pirametum 261.20
mahometes ſecundus Amurathis ſucceſſor regno potitur 251.42
mahometes Perſarum Rex aduerſus Turcarum impetum militem conſcribit, ſeque iis opponit 526.9
mahometis obitus & natura 254.40
mahometis initium 162. 2. eius mors ibid. 37
mahometes purpuratus fit Ottomannici exercitus Imperator 310.14
mahometici regni initium 181.48
mahometes primus Turcorum nomen celebre reddit 247. 38. eius mors ibid. 50
mahometes Perſarum rex Mahumetanæ legis oppugnator acerrimus 522.2
mahometes Amurathis primogenitus Sinanum Baſſam ſumma proſequitur beneuolentia 528.7
mahometes periaconcona caput amputare mandat 521.13
malathia pulcherrima & negotiatoribus refertiſſima imperio Soldani pares 479.48

maligno-

malignorum interpretationes, bellum contra Tartaros gerendum non eſſe 394.5. *ſic* 23
mamaluci quamdiu in Ægypto regnarint 279.49. *Eorum origo* 280.8
mamaluchi a Selymo fuſi delētur 279.31
mamumus Impraelis Calyfo filius res aſtronomica peritiſſimus 188.29
manuel Comnenus fit Imperator. 212.41. *eius in Conradum Imperatorem perfidia ibid.* 45. *eius mors* 213.38
manuel ad Saracenos fugit 186. 30
mandrandam urbs mari caſpio finitima 475.13
manes Perſa a quo Manichaei originem trahunt 116.19
manes trucidatur a rege Perſarum 116.54
manichaeorum praecipua dogmata quae? 116.28
manichaeorum ſecta in perſia quomodo & qualiter deleta fuerit 141.47 47
manichais χεῖρας καὶ ὄνυχας quid ſignificet? 116.31
manuchiar Georgianus Amida Baſſa maxillam cum aure abſcindit 638.48
manuchiar Simonis ſororem in uxorem ducit 579.24
manuchiar Chriſtianus fortiſſimus & bellicoſiſſimus, vidua filius 533.42
manuchiar Georgianus Mahemetis vicario tantum vulnus infligit, ut caput cum collo & reliquo corpore diſſinderet 638.47
manuchiar totius ditionis maternae dominus eligitur 556.15
manuchiar clam cum Muſtaffa in fratris perniciem conſpirat 555.55
manuchiari nomen Muſtaffa imponitur, & Baſſa ſeu praefectus Altunchala conſtituitur 556. 14
manug Sebachbeg ad Turcicam fidem tranſit 366.42
mapheus Bergomenſis peſte laborans moritur 501.42
marcus Antonius Bragadinus dux famaguſta bellicoſiſſimus, contra fidem & pacta conuenta trucidatur 523.20
marcus Barbadicus Dux bellicoſiſſimus ſuccedit Mocenigo 40446
marcus Dandulus Andreae filius, ciuilis ac pontificis iuris peritiſſimus 430.10
marcus Ruffus Moſcouiae principis legatus 498.42
marcus Sanutus Franciſci filius paterna magnificētia imitator longe celeberrimus 429.38
marci Antonii Columnae fortitudo ſingularis 231.37
marcus Ruffus Moſcouita Perſicus legatus ſumma eruditionis maximaque eloquentia 499. 34
mardonius Xerxis conſobrinus relinquitur in Graecia, ut bellū proſequatur 48.53
mardonius Perſarum dux à milite Spartano interficitur 53.5
mardonius Xerxis conſobrinus, Gabriae & Darii ſororis filius ſumma gratia & auctoritate praeſtat 39.46
mardonius in agro plataeenſi ſepelitur, inſigneque monumentum erigitur 53.22
mardonius Gobriis filius Darii filiam ArtoZoſtram in matrimonium accipit 32.23
marathon κηπαῖα ſiue μαραθία dicta 34.6
marathon Heros unde nomen acceperit 32.48
mare Caſpium eodem eſt ambitu, quo pontus Euxinus 327.14
mareſca Bendiani ſoror 500.19
marluchiar Georgianus in perniciem fratris fidem & religionem Chriſtianam eiurat 638.6
mardochaeus regia ſtola indutus, & corona aurea & torque ornatus, ſecundus a rege proclamatur 64.5
marſilia quo tempore condita 13.6
martyropolis Perſis proditur 154. 17. *fruſtra à Romanis oppugnatur* *ibid.* 23
martianus admodum ſenex Romanum adſpiſcitur imperium, ac Auguſtus deſignatur 139.3
maruanus creatus pōtifex ab Abdalamo deturbatur 168.46
maruthas Meſopotamiae Antiſtes apud Perſas Rom. legatus in magno eſt honore apud regem Perſarum Iſdigertem 134.49. *Idem capitis dolorem grauem ac diuturnum in rege Perſarum Iſdigerte precatione depellit* 134.55. *ſic* 135.1
maſubechus pecunia Tauriſinos ad conſcribendum militem emungit 495.14
matthias rex Hungariae in rebus gerendis peritiſſimus, & inclytiſſimus 413.23
matthias Hungariae Rex inopinate exterminatur 420.40
matthias Hungariae Rex infinita inſatiabiliſq; cupiditatis ampliandi regnum ſuum 422.26
matthias Hungariae Rex Auſtriam vexat 420.17
matthias Hungariae rex niſi fata obſtitiſſent: nomen Turcicū funditus deleuiſſet 381.23
matthiae Vngariae Regis virtus & in bello felicitas 264.32
matthiae Regis res in Auſtria fœliciter geruntur 420.32
matthiae Hungariae regis machinationes, & conatus in Boemiam, & Auſtriam 42449
maxentius Maximiani filius tragicum ſortitur exitum 121.25
maximiliani regis oratoris verba ad Senatum Venetum 424. 29
maximilianus filius Caeſaris coronatur in Regem Romanum Coloniae 420.28
maximinus Alexandro Seuero in imperio ſuccedit, & Imperator proclamatur 113.45
maximianus à conſtantino Maſſiliae interficitur 121.24
maximus Galliae praeſes Gratianum Imperatorem lugduni interficit 132.38
maxutchanus trāsfuga exercitus Turcici dux creatur, atq; promulgatur 605.29
maZouia Poloniae, Boemiaq; finitima 398 6
maZus fluuius in Mengrelia ſitus, 491.44
media regio fertilitate, & amoenitate Vſumcaſſani regiones longe ſuperat 502.8
medorum regnum paulo plus vel minus trecentis annis ſtetit 1. 49
mehemet Baſſa ſupremus Viziriis ByZantii delectum habuit 200. equitum quos Beglerbego miſit 364.22.23
mehemetes totius belli Imperator publice proclamatus 363.41
mehemet rex Codabendo ſucceſſit fratri Iſmaeli 363.38
mehemetus Georgianus conſtantinopolim a matre ablegatus fidem Turcicam ſuſcipit 370.28
meherdates amittit regnum propter nimiam cunctationem, & nonnullorum procerum perfidiam 95.41
meherdates Vononis filius ad regni gubernacula eligitur, GotarZes vero praeualet ſuffragiis

potiturque regia 95.18
mendel Vicarius Ebuemanſuri vinus capitur, totaque ditio deuaſtatur, quare 604.13.12
menglerie vinum in arboribus creſcit 457.22
menglierus Genuenſibus quis, & qui vocatur 453.18
menglierus viribus fractus & victus, Capham reuertitur 454.46
menglerienſis bruta & efferagentes 453.16
menglierus Gitercanum vna cum Mordaſſa Can capit 454.40
menglierus Dominus prouinciarum omnium appellatur 454.36
menglierus Surgaſthum profectus Capham cepit, atq; Eminachbi trucidauit 454.36
meruthi admodũ anguſti oppidi conſtitutio 474.38
merſaga ciuitas poloniam claudit 457.12
meſſanitia vrbs parua ſed admodum pulchra arceque munita fortiſſima Caſimiro Regi Poloniæ parens 488.5.4
meſſeth Sulcimen idiomate noſtro templum Salomonis nominatur 474.29
meſopotamii arcu ac machæra vt plurimum pugnantes parũ in bello valent 524.48
metallica fodinæ apud Perſas quæ 334.3
metaſthenes ex Perſia oriũdus hiſtoriographus antiquiſſimus ac longe celeberrimus 71.49
michael Paphlago fit Imper. 203.37
michael Parapinacius Imperator, cur ſic dictus 208.27
michaelis Pſelli Arithmetica 208.31
michael Palæologus extinctis Laſcaris ſibi imperium vſurpat. 218.20
Michael Calaphates ob tyrannidem imperio exuitur 104.33
michael Theophili filius, fit Imperator 188.8
michael Stratioticus fit Imperator 205.36
michael Thraulus ſeu Balbus imperio potitur 184.21. *eius mors* 185.34
michael Curopalates fit Imperator 183.51
michael Palæologus fugit in Italiam 217.15
militia apud Perſas Magiſtri grandani 338.15
militia Teutonicorum in pruſſia 395.26
militaria Perſarum ſigna 338.4
milonis Angleri mors 178.25
Miltiades Athenienſium dux 33.9
miraculum dictu incredibile & ſat portentoſum contigit 443.49
mirizæ Salmas primas in aula tenens, Mahometem codabandam Iſmahelis fratrem in Imperatorem eligit 520.5
mirize Salmas filiam ſuam Hamza filio codabanda matrimonio iungit 520.7
miriza Salmas vrbem Saſuar breui tempore obſeſſam capit, eiuſque præfectum capite truncari iubet 580.19.23
miſdates Narſis filius, hæres patris effectus princeps imperii deſignatur 112.19
miſitheus Gordiani gener vir doctiſſimus & eloquentiſſimus 113.54
miſitheus contra Perſas feliciſſime dimicauit 113.54
μίθρα quid? & eius ſignificatio 102.39
mitylene Inſula Cataluſio Genuenſi traditur 229.13
mithridates intra ſuos fines 22. linguarum differentias habet 380.42
mithridatis regnum ſi ambitu & ſpacio cum Turcico imperio conferatur minima particula eſt 380.41
mithridates Romanis adiuuantibus inuadit Armeniam 94.47
mithridates ſecundus ob nimiam crudelitatem parthico regno expellitur 83.23
mithridates Artabani filius legitimus, cognomento Magnus, in imperio ſuccedit 83.16
mithridates aduerſa valetudine correptus, glorioſa ſenectute decedit 83.11
mithridates parthorum rex opulentiſſimus 83.6
moderationis in victoria exemplum 213.27
moldaui ob rei militaris diſciplinam Turcos ſocios atq; amicos adpellant 386.6
monachus è Soldani regione Mahometanorum ſectam produiſſe vaticinatur 477.49
monarchia Perſarum quamdiu ſteterit 80.42
monarchia à Perſis ad Alexandrum Magnum transfertur 81.14
moncaſtrum Moldaniæ oppidum celeberrimum 386.1
moncaſtrum emporium in Valachia ſitum a Polono Turcis ademptum & occupatum 419.44
mons Atho 41.24
montem non monti, ſed hominibus homines obuiantur, prouerbialis locutio quid importat 451.36
montes Perſarum quondam auri fertiles 334.6
moyſes a Mahumeto Celebino interficitur 246.4
morbus peſtilens in toto orbe communis perquam diuturnus 145.24
mordaſſa validiori collecto exercitu Menglierum dominatu deiicere conatur 454.51
mordaſſa maximo conſcripto exercitu Capham petit, nihil efficiens, vltro recedit, 454.47
morea Inſula Zuchala adpellatur 453.30
mors Corbulonis percelebris 103.33
mors Traiani 105.13
mors Leonis Imperatoris miſerabilis & horrenda 139.20. *vſque ad* 29
mors a Perſis colitur 336.12
mos cibariorum præparandorum 450.21
mos Romanorum in traiiciendis fluminibus 40.54
moſcham ſiue Moſchiam prouinciolam Dux Ioannes Ruſſorum inhabitat 455.43
moſchea templum Mahumetanum vocatur 444.53
moſchea plurima & magnificentiſſima in vrbe Syra reſque nobiliſſima declarantur 470.55
moſchiarum Zelus in religione 456.38.19
moſcouiæ dux latiſſimam tenet poſſeſſionem ingentemque multitudinem populorum, ad bellum tamen inutiles ſunt 508.55
moſcouienſium teſtimonium de po. Polonorum 395.35
moſcua vrbs metropolis totius regionis, & ſedes ducis, in colli exiguo ſita arx ex ligno conſtructa eſt 508.8
moſcua regio frigidiſſima, incola

nouem

nouem menſis ſe in hypocauſtis ad fornacẽ continere coguntur 508.18.17
moſcua democratico iure viuit, & certum annuum tributum Moſcouiæ duci pendit 508.53
moſcua urbs verſus occidentem ſita eſt 508.52
maumethus Turcorum Imperatoris pronepos 410.34
maumeticam religionem Tartari ſequuntur 444.9
mauritius creatus Imperator, contra Perſas feliciter pugnat duce Philippico 153.52
mauritius inſtabilitatis humanæ memor, Choſroem ſuo regno exutum benigne excipit 156.16
mauius Damaſci dominus bellum Turcis infert, magna tamen gloria Aly victus & fugatus eſt 503.29.30
mauritii Imperatoris vox ante mortem 158.15
muauias Pontifex Mahomet ſolus regnat 166.18. moritur 268.20
mucharius lingua noſtra quid notat 480.18
mulieres Perſarum honeſtiſſime veſtiuntur & decentius viris equitant 497.2
mulierum Perſicarũ forma 334.11
mulſamanes à fratre Moyſe obtruncatur 245.48
multitudo & concordia Polonorum ad potent. 396.16
muſca Perſarum nauigia pereunt vi tempeſtatis 43.55.44.1
munera legatis data à Regibus Perſarum 339.20
murathes ad omnes Europæ Baſſas literas emittit ad opem ferendam 366.27
muri Athenienſium à Conone inſtaurantur 70.11
mus caſtellum intra montes poſitum, paruum ſed fortiſſimum, ſitum in monte 476.6
muſcus fluuiorũ nobiliſſimus 455.44
muſtaffa ab Amurathe totius exercitus dux creatur, poteſtate conceſſa ſuprema 524.32
muſtapha ſolymani primogenitus fugit ad Perſas 293.10. redit in gratiam cum patre ibid. 29. interficitur a patre ibid. 38
muſtafa Baſſa arcem Cras ſumma cum admiratione perfecit 367.1
muſtaffa totius exercitus Turcici Imperator Manuchiari bellum infert 542.33
muſtaffa Georgianorum ditionem flamma ferroq; deuaſtat 548.42
muſtafa Baſſa ſupremus belli dux creatur 362.55.ſic 363.1
muſtaffa cum toto exercitu à Georgianis in fugã depellitur, atque ſuperatur paucis emergentibus 543.51
muſtafa Baſſa ad urbem Arſrom hybernare cogitat 364.36
muſtaffa Venetis Cyprum Inſulam eripuit, & Ottomannico imperio adiecit 523.28
muſtafa Baſſa verſus Cras progreditur maxima Perſarum indignatione ſummoque inſtructus exercitu 366.48.49
muſtafa facto excurſu 300. Perſas capit, quos Conſtantinopolim mitti iuſſit 363.44
muſtaphas a ſuis proceribus relictus aufugit 248.31 interficitur ibid.45
muſtafa 400.aut 500. Perſarum truncari mandauit 363.52
muſtapha purpuratus ſuccedit in locum Mahometis 310.29. eius mors 312.4.3
muſtaffa milites ſibi offenſos inſigni deuincit beneficio 544.53
muſtafa iterum atque iterum ad pugnam proceſſit 363.30
mutar occupat imperium Perſarum 168.28
mutari victoria contra Abdimelicum 169.24. eius mors ibid.37

N.

NArſeus rex Perſarum Varranis ſecundi filius publicatur 119.33. eiuſdem victoria & clades ibidem 39.52
narſes Vararani III. confeſtim deuicto in imperio ſuccedit 112.18
narſes Perſarum rex Ardsburio Romanorum duci fortiſſimo diem pugnæ conſtituit 136.18
narſis contra Perſas victoria 156.21
naſſardin Chiebeli dux adeo ſtrenue pugnauit, vt treis è manu digitos amiſerit 543.53
naſſardin Chiebeli ob tot perpeſſa pericula ab Oſmano Baſſa Viſirius proclamatur 543.55.544.1
nauales apparatus Solymanni contra Cæſaren. 289.10
naualia quis primus Conſtantinopoli inſtituerit 252.2
neronis Romanorum Cæſaris clementia in Pœtum 100.51
neronis ad Vologeſum litera, ac eius reſponſum 103.17
nero ornatus veſte triumphali forum cum ſenatu & prætorianis militibus tribunal conſcendit & in ſede principali collocatur 102.30
nicephorus cognomento Phocas, fit Imperator 194.37. Eiuſdem expeditiones contra Saracenos variæ ibid. 40. eius mors & interitus 195.42.
niceam Saraceni fruſtra oppugnant 173.35
nicephorus expulſa Irene, imperium Orientis inuadit 182.15. eius mors 183.27
nicephorus Botoniates fit Imperator 209.20
nicolaus Diedus ſenex Venetus ciuis opulentiſſimus 472.28.29
nicolaus Mergus Niſenſis Eloquentia inſignis 402.50
nicolaus Georgius Bernardi filius patricius 421.10
nicoſia Epiſcopus regiſque defuncti cypri filiam naturalem in matrimonium pro Ferdinando petit 460.48
ninus matrem Semiramidem cur interfecerit 337.40
ninos & Arbela capiuntur à Meherdate 95.10
niſibis à Romanis obſidetur, & tandem deuaſtatur 136.22.23
noe mons altiſſimus in Armenia ſitus 479.6
norgroth lingua noſtra quid ſignificat 456.47
nortmanni Græcis imperium adimunt 208.23
nortmanni Calabriam Apuliam & Siciliam ſuæ ditionis faciunt 205.14
noruegii qualis gene, vnde originem ducunt, quas terrarum partes incolunt 378.30
nouigrad urbs Germaniæ finitima pellibus abundat pretioſis 508.51

naurus Hedeghi filius dux capitaneus que militia Tartaros ad Maumeticā religionem ſuſcipiendam compulit 444.22
naurus capitaneus annorum 25. 445.28
numerianus electus Imperator ab Arrio Apro interficitur 119.
nuptias Perſæ quo anni tempore celebrent 334.47
nyſchangi lingua noſtra Cancellarius vocatur 367.36

O.

OEbas caſtellum munitiſſimū expugnatur 154.53
obitus & virtus Miltiadis 37.12
obolus aſprorum quanti apud nos valeat 446.7
ochus a ſuo duce interfectus eſt 72.15
occhialim Amiralis Turcicus 318.16
ochials ſiue Vlutſchals Baſſa præfectus maris & regiæ claſſis, ad mandatum regis omnia feliciter exequitur 366.30.31
ochus regnum appetens paternum fratrem Arſeman interficit 68.26
ochi auaritia intolerabilis 73.44
ochus ſceleſtus & impurus Aſinus appellatur a ſingulis 73.41
ochials fœliciter curſu ſuo confecto caſtellum magno ſumptu extruxit inter Mengrelios ſitum 366.52
ochus rex tyrannus 64.21
ochi cædes & crudelitas 72.17
ochus Perſarum rex annos regnauit 23. 74.11
ochi dictum ſolemne quod 73.42
ochus a Memnone regnum tenuit, qui & Artaxerxes dicitur ex tribus ſiue quatuor natu minimus 72.12
odenatus vna cum Herode filio interficitur 116.9
odenatus palmirinus rebus præclare geſtis magnum adeptus eſt nomen 115.35
odium inter Lacedæmones & Athenienſes vnde manauerit 60.9
odiis acerrimis ac implacatis Perſæ à Turcis diſſident 362.24
ogarlu mahemeten Aſſambes filium perſepolim occupaſſe, pater cum vniuerſis copiis perſequitur bello 467.14
ogdianus Xerxi non amplius duobus menſibus regnanti ſucceſſor regni promulgatur 65.43
omar legitime in imperio Mahamet ſuccedit 531.20
omar à Turcis tanquam diuina veneratione proſequitur 362.29
opes & diuitiæ Turcorum 383.9
opilius Macrinus Imperator deſignatur 109.44
orchanes ſecundus Turcorum rex 236.10. Eius interitus ibi.29
ordo Tartarorum iter facientium qualis, & quadantenus conſtituatur 451.9
orator Venetus mittitur ad Regē Poloniæ ob Tartarorum conditionem vna cum Chriſtianis iucundam 414.3
orator Vſoncaſſani ad Venetos proficiſcitur 409.17
oratoris Veneti verba ad Poloniæ Regem 415.18
oratores Tartarorum mittuntur Venetias qui fœdus cū Senatu ſtabiliant 414.14
Oratores rex Perſarum ad Theodoſium mittit pro pace impetranda 132.55
oratores Italicorum principum ad Xiſtum Pontificem Maximum mittuntur 413.14
oratores cæſares ac Poloni rurſus ad ſenatum Venetum mittuntur 426.34
oratores Perſici à Græcis in conuiuio interficiuntur 30.40
oratoribus auditis ſenatus Veneti cognitiones, & decreta 426.15
oratio Teridatis ad Neronem Romanorum Cæſarem deprecatoria 102.39
oratio Corbulonis ad milites 101.6
orias caſtellum forte in eminentiſſimo colle poſitum 476.20
ormi ſeu Armuzii deſcripti 322.22
ormuos vrbs Perſia 473.12
ormuos vrbis incola tributum Aſſambeio Perſarū Regi ſoluunt, 473.16
orodes pacem cum Armeniorum rege componit 89.11
orodes ſororem pacoro regis Armeniorum filio coniugem deſponſat 89.12
orodes ſuaſu Labeni bellum Romanis infert 89.40
orodes Tigranē vincit & ad Pompeium legatos mittit 84.14
orodes Græci ſermonis, ac literarum non ignarus 89.14
orodes neque Romanos, neque Mithridatem adiuuat 83.39.38
orodes Mithridatis frater Babylones in deditionem compellit 83.25
orodes, cum ſe regem regum adpellat, à cunctis ludibrio habetur & deridetur 84.10
orodes conuiuia maximo rerum omniū apparatu celebrat 89.13
orodis crudelitas in fratrē 83.27
orodis ad Craſſum legatio 85.14
orpha vrbs, olim Edeſſa, Aſambeio paret 462.15
orpha vrbs a Valibecho occupatur 462.15
Oſman Baſſa Demirogli filius ferri cognominatur 364.8
oſman Imperator febri & dyſenteria laborare cœpit 609.9
oſman Baſſa febri & dyſenteria correptus, moritur 612.3
oſmanus Baſſa de Tartaris, quibus multo inferior erat, inſignem deportauit triumphum, partim cæſis partim captis 592.49.48
oſmanus Baſſa maximam cum Cumano Tartarorum rege familiaritatē contraxit 592.6
oſmanus Baſſa præfectum Emangulchanum cum vxore, & familia præcipuaq; regionis nobilitate venando ſeſe delectantem reperit, in fugam vertit, mulieres omnes capit & multa mancipia in prædam ceſſerunt 551.27.28.29
oſmanus dux belli ſponte caſtra ſequens cum 10000. militum ad oppugnandam ſumachiam mittitur 547.38
oſman Baſſa infœlicem expertus pugnam fuga ſibi conſulit 365.18
oſman Baſſa maximis expoſitus periculis, tandē ſe liberat 365.4.5
oſtanes frater regis Artaxerxis 70.37
ottomannus Imperator Turcarum octo concubinas habet, corpore præſtantes 519.41
ottomannorum cum Perſis conflictus varii 260.10
ottomannus primus Imperat. eius familia 234.37. Eius obitus 235.17
ottomannus Turcorum Imperator propheta ſapiens, voluptatis & libidinis ſtudioſus longe excellentiſſimus adpellatur 529.37
ottomanni ea ſtirpis origo 234.30
ounsania villa Bendamyro recto oppoſita 474.4
oxathres Artaxerxis regis regū frater germanus 70.37
ozmenus tertius a Mahomete pontifex creatur 164.29. ſe ipſum

ipſum interficit 165.44

P.

P*Acori cædes deploranda* 89.54
pacis conſtituendæ leges & conditiones 129.49
paganea patens diameter campi vocatur, vnde ſic dicta 445.44
phalans Macedonica qualis 251.10
paleologa imperiũ quamdiu permanſerit 233.41
palladis in rebus proſpere conficiendis celeritas 136.47
palatium ſub Mocenigo duce deformatum inſtauratur 405.9
pammartinus Polonus Catholicæ religionis addictiſſimus 488.52
pampacius parthorum rex qui & Arſaces III. dictus 82.53
pampacius 12. regnans annos moritur 83.1
panici terrores vnde dicti 35.3
pancratius & Gurgura Reges Georgianorum 4. Bolamitos Aſſambeio Perſarum Regi mittunt 478.43.46
pangion Georgianorum Rex 492.11
pancratius Mengleriæ prouinciæ Rex 457.20
pancratius Georgianorum Rex & princeps 478.43.502.3
parthamaſpates rex Parthorum a Traiano deſignatur 104.53
parthi Antonini Caracallæ dolo & perfidia vincuntur 109.5
pharnaces filius pampacis heres regni Mardos validam gentem bello domuit 83.2
pharnaces multis relictis filiis decedit, Mithridati fratri imperium relinquit 83.4
pharaſmanis victoria contra Orodem 92.35
parthi ſigna & captiuos reddunt Octauio Auguſto 91.7
parthi quamdiu regnarint in Perſia 110.40
parthi à Ventidio vincuntur & in fugam compelluntur 89.51
parthi ignaro rege mittunt legatos ad Tiberium, & nouũ principem ſibi expoſcunt 92.5
parthi Perſico imperio iterum potiuntur 225.18
parthorum reges Arſacidæ dicti ſunt, & vnde 81.45
parthorum armatura, eorundemque vſus qualis 82.21
parthorum reges vnde cognomentum Arſacidarum traxerint 82.11
parthicum bellum Cæſari demandatur 90.24
paſagarda vrbs, Regum Perſicorum ſedes 344.42
phaſis vrbs in Mengreliæ ſita Bendiano principi parens 491.34
patriarcha Conſtantinopolitanus ſummo dedecore afficitur 176.13
patriarcha Perſicus legatus longe peritiſſimus 499.33
patrobius ludorum præfectus, Neronis libertus 102.19
pax inter Perſas & Romanos cum maxima Romanorum ignominia 182.50
pax inter Perſas & Romanos componitur fœdusque perpetuum ictum conſtituitur 137.29
pax a Selymo Venetiis cum iuramento confirmatur 296.50
pax inter vtranque gentem duce corbulone conſtituitur 100.22
pax inter Perſas & Romanos diuturna regnante imperatore Tito 104.17
pax inter Romanos & Perſas conſtituitur 106.35
pax, fœdusque inter Romanos & Perſas percutitur 144.20
pax inter Venetos & Turcas 265.49
pax inter Turcos & Venetos, cum maximo Venetorum incommodo 293.3
pax cum Romanis conſtituta 156.36
pax inter Iuſtinianum & Abdimelicum 169.7
pera vrbs, Genuenſibus traditur 218.30
pera a Turcis deditione occupatur 232.32
περιοδευταὶ qui & quod eorum officium 103.24
periaconcona ſimul vna cũ conſiliarius fratrem Aiderum regio diademate inſignitum è medio tollere decernit 518.27
periculoſum adeo ingentem Chriſtiano nomini infenſam multitudinem, ad bellum inſtructam in regnum accipere 412.29
periaconcona opera Sultanorum Iſmahelis fratri inſidias molita eſt 520.43
periaconcona Tamaſi filia ex ſorore Sahamalis Georgiani regis prognata 517.36
perfidiæ exemplum 328.12
perſepolis, & quid de illa Diodorus ſiculus ſcriptum reliquerit 328.50
perſia ab Abdimelico ſubiicitur 169.38
perſia planiſſima regio arida admodum atq; fertiliſſima 496.50
perſia quomodo nunc appelletur 453
perſiæ fertilitas 333.41
perſiæ regnum à Tartaris capitur 221.3
perſa non ſecus ac feudiſta, vaſallus, ſeu beneficiarius poſſeſſionem Syriæ prouinciæ obtinet 362.8
perſa multo Turcis quoad fortitudinem anteferendus 362.10
perſæ iterum à Romanis deficiunt, & occupant Armeniam 94.31
perſæ cur olim Reges creati 6.7
perſæ cur dicti ſunt Elamitæ 4.40
perſæ ob tyrannidẽ Gotarzæ Meherdatẽ Roma accerſunt 95.20
perſæ iterum ab Alexandro vincuntur 76.37
perſæ tota Græcia expelluntur 54.37
perſæ a Romanis circumuenti, propriis expoſitis rebus capiuntur & trucidantur 137.23
perſæ ingenti clade ab Ardaburio adficiuntur 136.9.137.29
perſæ quibus temporibus Chriſtianã fidẽ amplexi fuerint 122.8
perſæ eiectis parthis regnum recuperant 110.32
perſæ repudiato eorum rege parthamaſpato res ſuas priſco more adminiſtrant 105.10
perſæ quomodo a Turcis vocentur 280.3
perſæ a Turcis in Religione differunt 266.15
perſæ & Tartari viribus coniunctis fœdus pacemq; initam cum Chriſtianis diſrumpere conantur 427.5
perſæ vincuntur à Choſroe Babylonio 196.45
perſæ & Saraceni à Turcis profligantur 198.34
perſa victoria potiti aduerſus Oſmanum 10000. millia Turcarum occubuiſſe fatur 365.6
perſæ tribus præliis vincuntur à Romanis 161.8
perſæ olim ſagittarii dicti 333.49

perſæ cum quibus Regibus ſint confœderati 207.18
perſæ qua loca amiſerint regnante Tammaſo 301.3
perſæ à Mahumeto deficiunt 198.42
perſæ a Saracenis vincũtur 163.9
perſarũ mores & inſtituta 334.15
perſarum clades in obſidione Niſibis 124.5
perſarum rex à Tamerlano obtruncatur 244.24
perſarum caſtra à Turcis direpta 253.30
perſarum clades magna 153.20
perſarum imperium quomodo ad Turcos peruenerit 253.14
perſarum in recenſendis militibus qui in prælio interierunt, conſuetudo 338.50
perſarum inceſtus flagitioſi 337.33
perſarum in creandis Regib. mos antiquum 336.53
perſarum de mulierum ſuarum pudicitia ſuſpicio ingens 337.5
perſarum ſtratagemata 314.53
perſarum contra Turcos victoria 309.53
perſarum equi 306.42
perſarum legatio Byzantium miſſa 313.48
perſarum veſtimenta & cœna 335.22
perſarum in ſuos Reges cultus & obſeruantia 304.22
perſarum Regis cum Æthiopibus componuntur 297.54
perſarum reges, qui poſt parthos deuictos, in Perſia dominati ſunt recenſentur 111.49
perſarum victoria cõtra Conſtantium 123.48
perſarum ſignum quod 336.22
perſarum legatio ad Valerium probum pro pace impetranda 118.22
perſarum pertinacia inter dimicandum 129.42
perſarum origo, & vnde appellati 3.46
perſis nobiles tribuni obſides traduntur 130.4
perſis quid ſit à natura inditum 271.40
perſis & Medis regium nomen ſumma in veneratione habitum 6.45
perſici Regis in occupanda Media conatus improſperi 199.50
perſici regni ſub Artaxerxe amplitudo 345.14
perſici regni deſcriptio, iuxta Curtium & recentiores 319.29
perſici regni gubernatio ſub Tammaſi principatu, qualis fuerit 299.15
perſici apparatus contra Turcas 390.15
perſici belli occaſio & initium vnde 108.4
perozes perſarum rex ſupra modum audax, & rei militaris peritiſſimus 138.27
perozes Perſarum rex nihil memoria dignum agens inglorius in ſcrobes & foſſas cadendo miſerrime perit 138.32
peſtis vt ceſſet canalia purgantur 405.19
peſtis & fames apud Saracenos 168.53
petrona Michaelis Imperatoris auunculus Byzantium reuertitur 189.2
petrus Macenicus claſſis Imperator, & præfectus longe peritiſſimus 459.8
petrus contarenus Adornus, Veneta Hiſtoria ſcriptor accuratus 430.10
petrus Landus conſul olim Guldebis ad excauandum montem miſſus eſt 442.22.15
petrus Mocenigus Imperator Venetus pugna maritima peritiſſimus 459.12
petrus Mocenigus Venetorũ Imperator Turcis treis vrbes ademit 410.6.3
petrus Buynus Vladislauienſis Epiſcopus vir ſumma autoritatis, ſummeq; virtutis 410.48
picus Gazaria in Tana regione quid importat 453.34
philippus Arabs Gordiano ſuccedit, & mox init pacem cum Perſis 114.17
philippicus Bardanes, imagines in templis delet 171.10
philippides curſor inſignis 33.3
philomellium capitur a Romanis 211.17
philippus rex Macedonum 22. promulgatur 73.47
philippus, cum annos quinque regnaſſet, Verona a ſuis militibus interfectus eſt 114.29
philippus Arabs rupto fœdere Perſis bellum indicit 114.27
pirametus confugit in Perſiam 261.8
piſarum vrbs non minus genere, quam nobilitate clara 379.24
phœbus Capella ſcriba cretenſium curia inſignis 415.6
phocas Imperator interficitur 159.20
polydamas Scotuſaus Niciæ filius, pancratiaſtes ſtatura corporis maximus 66.50
poloni maxima equorum armorumq; copia abundãt 396.22
poloni vt contra Tartaros bellum ingrediantur non ſtudio tuendi ſua, ſed voluntate religionis conſeruandæ 294.2
poloni propinquitate Turcis coniuncti 396.19.23
polonia regnum, & eiuſdem ſpacium ad potentiam 396.11
poloniæ rex inclytus quid velit, aut poſſit pro religione Chriſtianorum tuenda & conſeruanda 387.48.388.1
polonorum potentia ad tuendam religionem 394.36
polonorum oratio ad Venetos grauiſſima 425.4.6
polonorum potentia ex rebus geſtis prorumpit 395.39.42
polonorum exceſſus de origine, gentiumque aliarum eiuſdem lingua 327.53
pompa, & ordo Tartarorum Imperatoris ad Thanaim proficiſcentis 444.40
pompa & ornatus Turcici Imperatoris cum Aulam egreditur 368.32. & ſic deinceps
pomponius eruditiſſimus, ac facundiſſimus 391.55
pons darii qualiter extructus 29.18
pons Xerxis qualis fuit ſuper Helleſponto 40.44
pons ſuper Helleſpontum ab Alexandro erectus qualis & quomodo extructus 40.45
pontifex Maximus potiſſimum attendere debet ne Chriſtiani vlla afficiãtur iniuria 417.10
pontificis Romani legatus Famaguſta permanet 461.3
populorum multitudo, qui Ottomannico imperio parent, qualiter diminuta 380.4
portenta & prædictiones Magorum de rege futuro 112.31
portenta dira, & horribilia poſt mortẽ Maximiani viſa 130.11
porteria Turcorum præcipua, quæ & qualia 383.12
paulus eques Regis Poloniæ legatus & conſiliarius 487.40.41
paulus Maurocenus ſapiens cur dictus 476.36
pauſanias Lacedæmoniorum dux, ac Leonidæ pueri tutor conſtitutus 50.46
paulus Piſanus Lucæ Piſani filius Equeſtris ordinis laudationẽ

Ducis

Ducis extincti patricia iuuentutis publice recitauit 431.9
pauli Mauroceni ſententia acclamatum eſt 408.14
pauſania ſpartæ ducis mors 56.55 57.1
pauſaniæ epiſtola ad regem Perſarum miſſa 56.37
platanus a Xerxe adamatur 61.53
plataæ ab Alexandro Magno propter indigenarum virtutem inſtaurantur ibid.26
plateæ deſcriptio, & vnde illi hoc nomen inditum 51.13
plataeenſes ante pugnam Marathoniam nulla floruere gloria 51.18
plataeenſes ſoli adiuuant Athenienſes in bello Marathonio 34.8
plataeenſis pugna deſcriptio inſignis ac memorabilis 53.24
plataeenſes agrum ſuum plataicum Athenienſibus offerunt 51.24
plataeenſis pugna deſcriptio 52.27
platonis ſententia de regibus Perſarum 20.41
phraates Mithridatis filius Perſarum rex a Scythis cum toto ferme exercitu extinguitur 83.13
phraates patrem orodem & fratres interficit 90.15.18
phraates in ſuis literis ad Auguſtũ miſſis, ſe regem regum adpellat 91.17
phraates IV. habuit filios 91.20
phraates regno deturbatur, ac breui poſt reſtituitur 90.42
phraates ob domeſticam ſeditionem, & ſui odium Armenia cedit 91.19
phraates ex gente Arſacidarum ſubſtituitur rex parthorum, qui obiit iuſtinere 92.9.12
prælium inter Perſas & Athenienſes 33.19
prælium inter Græcos & Perſas duce Mardonio Perſarum acerrimum 51.36
prælium Perſarũ aduerſus Thermopylas 45.3
prælium inter Romanos & perſas 111.11
prælium inter Perſas & Hyberos committitur 93.28
pr[illegible] inter Romanos & Saracenos anceps 192.10
prælium inter Parthos & Romanos 86.49
prælium inter Romanos & Perſas inſtauratur duce Iuliano Imperatore 123.20
prælium inter Aliuantem & Iſmaelem 268.50
prælium inter Perſas & Romanos inſtauratur 109.50
prælium inter Turcas & Perſas cum inſigni Turcarum clade 310.45
prælium inter Turcos & Perſas 277.49
prælium inter Rom. & Saracenos acerrimum 167.4
præda Turcorum quales & quanta 383.39
princeps Perſarum Turcas partim occidit partim in fugam agit 642.22
princeps & dux Venetorum agrotat 426.32
princeps Perſarum Turcomannos bello perſequitur, ac tandẽ vincit, & in fugã vertit 644.6
princeps ſiue dux Venetorum moritur 427.36
princeps Perſarum Amida Baſſa caput amputat 610.47.643.32
princeps Perſarum Caſmin Tauriſum verſus proficiſcitur Turcis abeuntibus 367.11
princeps Perſarum Turcorum ad 30000. trucidat, & occidit 643.20
princeps Perſarum Tamaſum caput & Charam mittit 644.8
principis ſiue ducis Veneterũ morituri verba ad filios 427.46
principis Saracenorum ſedes præcipua 181.32
procopii Cæſarienſis ſcripta ſcitu memoriaq; digniſſima 142.55
prodigiũ in mari, terra nimirum in fundo maris accenſa 173.30
prodigia ſub Iuſtiniano plurima 146.10
prutenorum teſtimonium de po. Polonorum 495.16
publius Ælius Adrianus Traiano ſuccedit ac princeps declaratur 105.44
publius Aurelius Licinius Gallienus Romanorum Imperator deſignatur 116.14
publii Ælii Adriani ſingularis manſuetudo & generoſitas 105.8
publius Craſſus vtraque manu grauiter vulneratus, armigero latus tranſuerberandam præbuit, & ſic miſerrime periit 87.2
publius Ælius Adrianus anno imperii 20. menſe 11. morbo correptus, moritur 105.50
pugna ſiue duellũ Murathis III. Turcarum Imp. & Mahumetis Hodabenda Perſarum regis quinquennis 363.20
pugna Artemeſia 44.31
pyrethi in Cappadocia qui 334.33
pyrrhus Epyrotarum rex belliçoſiſſimus 385.35

R.

R*Ha fluuius qui hodie & Volga & Volha nuncupatur* 411.45
rhadamiſtus ob ſæuitiam deturbatur Armenia, & fugit ad Hyberos 96.26.36
radagiſus a Stilicone conſule fugiens capitur & ſtrangulatur 133.36
ratio Callimachi bellum Turcis inferendum probatur 418.50
reditus Callimachi experientis in patriam 418.30
reges Perſarum cur & quare Caſa inaugurẽtur, & gladio cinguntur 330.50
reges Ottomannici qui 360.37
reges Perſarum florente Monarchia 350.40
reges Parthorum, qui dominati ſunt in Perſia poſt eiectos Macedones 359.2
reges Perſarum poſteriores 359.16
reges Perſarum tanquam Dei ſimulachrũ adorantur 336.35
reges Perſarum, Magni appellati 346.37
regum Perſarũ conſuetudo 299.8
regum Perſarum diadema 338.26
regum Perſiæ proximorum ſeries 360.25
regum Perſarum delitiæ 347.39
regum Perſarum cõuiuia 345.18
regum perſarum opes 344.43
regia Aliunchala Turcis quid dicitur 534.14
regia Perſarum familia vnde originem traxerit 5.13
regium præſidium vi expugnatur 98.44
remedium contra peſtilentiam certiſſimum 405.13
regna a Perſarum Rege poſſeſſa 329.51
res geſtæ Turcorum in colligendis potiſſimum diuitiis & opibus, non in militari conſiſtunt diſciplina 384.46
reſan vrbis princeps Moſcouiæ ducis ſororem in vxorem ducit 507.9
reſuan Baſſa à militibus deridetur, multiſque afficitur contumeliis 29.8
reſponſio Senatus Veneti 426.40
reſponſum Venetorum ad ea quæ in Senatu recitauit 413.33

reſponſum Romanorum legatis Perſarum renuntiatum 136.12
rex Perſarum breui bellum Ottomanno ſe illaturum promittit 498.15
rex Bohemiæ Regis Poloniæ filius primogenitus 487.47
rex Perſarum cum vniuerſa aula Aſpachana comũ proficiſcitur 497.13
rex Perſarum equitatũ 20000. *aduerſus Turcos collegit* 499.15
rex Perſarum Aba Miriza primogenito bellũ infert 637.41
reys Turcis nauium capitanei vocantur 369.14
riſan prouinciolam incolunt Chriſtiani ritibus Græcorũ viuentes 455.37
ritus & ceremoniæ humandi principes 430.14
roderici portundi clades 288.29
rhodus a Turcis fruſtra tentata 254.22
rhodus a Saracenis capitur 165.27
rhodus deditione à Turcis capta 287.39
rolandi mors 178.31
roma ab Alarico poſſidetur & capitur 133.41
roma a Gallis capitur 71.34
romanus Diogenes fit Imperator 207.3. *eius calamitoſus exitus* 208.17. *Hierapolis a Romano Diogene occupatur* 207.24
romanus Iunior Conſtantini filius imperio potitur 193.52. *moritur* 194.26
romanus Argyrus ſiue Argyropylus fit Imperator, annos natus ſexaginta 202.10. *moritur* 203.29
romani in pompa Teridatis ſingulis diebus XX. myriades drach. ſumptus faciunt 102.10
romani quomodo pontes conſtruebant 29.26
romanum Imperium penes Zoam & Theodoram ſorores exiſtit 204.40
romanum Imperium Solymannus ſibi vendicat 288.38
romani Imperii ruina & excidii cauſa 236.43
romani vrbem aliam prope Martyropolim extruunt 154.38
romanorum victoria contra Perſas glorioſiſſima 128.12
romanorum virtus in re militari excellens 128.47
romanorum contra Saracenos ſucceſſus proſperi 194.9
romanorum ingentes clades 159.1
romanorum inſignis victoria ductu Maniacis 204.8
romanorum cum Saracenis fœdus 204.23
romanorum clades propter fœdus violatum 169.52
romanorum victoria contra Saracenos 189.30
romanorum contra Perſas victoria 153.32
romanorum cum Saracenis conflictus varii 185.3
roſſia ſexaginta millibus vrbe Tanas diſtat 442.47
ruſſis tributum Tartarorum Imperatori pendunt 456.17
ruteni Roxolanis immixti populi Auſtrales 328.3

S.

SAgar Perſicus gladius 335.17
ſabamal Georgianus Aidero caput amputat, additis verbis: Ecce vobis regem veſtrum eo fruimini 518.28.30.34
Sahamal Oſmani gener ab eius miniſtris ex equo deſcendens miſere obtruncatur 553.50
ſaitan-Chalaſi noſtro idiomate caſtellum Diaboli ſonat 509.47
ſalamon ſupra Bendamyrũ pontem extruxiſſe fertur 474.4
ſalamina deſcriptio vnde ſumpta 48.7
ſalinæ maximæ ad Moream Inſulam reperiuntur 453.31
ſalomonis mater vbi ſepulta 325.2
ſalus Chriſtianorum cui potiſſimum committenda 387.34
ſammachi ciuitas in media Thezichiæ regione ſita octo vel 10. *millia armatorum equitum producit* 476.36.37
ſammarcabanth vrbs maxima & populoſiſſima in regione Zagathai 471.11
ſangiacbegi, comitibus æquantur, 8. *equeſtrium & pedeſtrium copiarum duces adpellantur* 365.11
ſaphi equites nobilibus Germanis pares 364.48
ſapores Perſarum rex mouet bellum aduerſus Romanos crudeliſſimum 131.55
ſapores Artaxari in imperio ſuccedit omnium crudeliſſimus 112.2
ſapores II. Artaxerxis filius quinque regnauit annos 112.49
ſapores Perſarum rex Niſibin obſidet, ſed fruſtra 123.52
ſapores I. Miſdatis in imperio ſuccedit 112.22
ſaporis crudelitas, & immanitas horrenda 115.20
ſaporis Perſarum regis litera ad conſtantium 124.32
ſaphorum ordines quinque diuerſitate diſtincti ſunt, pro ſtipendiis elucrandis 364.49
ſaracenici Imperii propter domeſticas diſſenſiones declinatio 197.40
ſaraceni perſis contra Romanos auxilio militari ſubueniunt 136.28
ſaraceni vincuntur a Bonifacio Corſica Comite 184.39
ſaraceni ex Sicilia in Italiam excurrunt duce Saba 189.8
ſaraceni infeſtantur diuerſis ſeditionibus 176.22
ſaraceni Galliam innadunt 173.49
ſaraceni à Pipino fugantur 177.2
ſaraceni Africa potiuntur 170.30
ſaraceni vnde appellati 162.10
ſaraceni Hiſpaniam inuadunt 171.30
ſaraceni Byzantium fruſtra obſident 172.27
ſaraceni fiunt tributarii Romanorum 168.2
ſaraceni a Chriſtianis Imperatoribus funduntur 181.10
ſaracenorum Stratagema patefactum 203.49
ſaracenorum excurſiones 167.40
ſaracenorum in Aſia clades magna 170.34
ſaracenorum progreſſus admirabiles 174.52
ſaracenorum expeditiones & victoria 164.30
ſaracenorum excurſiones variæ 192.30
ſaracenorum imperium quamdiu floruerit 201.58
ſaracenorum potentia domeſticis ſimultatibus collapſa interiit 181.47
ſaracenorum in Armeniam & Thraciam excurſiones 175.43
ſaracenorum ingens clades 188.54
ſaracenorum in Sardiniã & Corſicam incurſiones 180.23
ſaracenorum ſucceſſus proſperi 162.50
ſarectus fluuius nauigio longe idoneus 397.39
ſaualtopolis prouincia Bendiam propugnaculum 452.46

ſcach

ſcach quid ſignificet 285.55
ſcanderbeius quis 249.35
ſcandrabeus Magnus Turcos in Europa vicit, fudit, atque cecidit 381.27
ſcarlati ſiue panni munera quibus offerantur 445.2
ſchembalus ſocerũ Oſmanis Baſſa interimi iubet 367.22
ſchenderum caſtellum munitiſſimum prope cothaclis oppidulum 479.2
ſciaus Baſſa regis gener primi Viſiris officiũ adipiſcitur 591.53
ſciaus Baſſa regis gener primi Viſiri officio priuatur, quia conſpirarat in perniciem Oſmani Baſſa 594.15
ſciaus Baſſa Regis gener relegatur in Chalcedonem priuatam ducens vitam in palatio quod extruxit 594.18
ſcyras ciuitas olim Cyropolis dicta 327.43
ſcytha Perſis adhærent 309.26
ſcythæ Turcis fauent 310.48
ſcythæ a Perſis interfecti 311.12
ſcythæ dario munera ridicula offerunt, ſed non carentia myſterio 28.38
ſcythæ paruipendentes exercitum darii, leporẽ inſequuntur 28.34
ſcytharum commendatio 324.44
ſcythica expeditio ſuſcipitur a dario, ſed improſpero euẽtu 27.50
ſcripta Callimachi ad Venetos de Tartaris 411.13
ſpaba vrbs regia 311.32
ſpargapiſes Thamyris filius capitur eiuſque exercitus inſidiis Cyri profligatur 14.52
ſpargapiſes ſibi mortem conſciſcit 15.9
ſpartani Xerxis legatos interficiunt 42.33
ſquama piſcium ſiue Raiarum ad magnitudinem palmi vnius inueniuntur 443.29
ſtephanus princeps Moldanorum inclytique regis Poloniæ Satrapa 386.5
ſtephanus Teſta presbyter venetus 487.2
ſtragona ſeu poſnania vrbs ſplendida ob pulchras plateas ac domus, celebrique mercatorum emporio clara 488.7.6
ſtratagema quid? 11.32
ſtratagema Cyri 14.42
ſtratagemata non ſunt improbanda 11.44
ſtratagema Cambyſis percelebre 22.43
ſtrana vrbs, vbi tela Serica ſtratim conficiuntur 325.15
ſebaſtopolis patria Strabonis bello obſidetur 524.39
ſebaſtianus Bodarius in omni deliberatione circumſpectus ac ſapiens, rerum humanarum, diuinarumque peritus 430.6
ſebaſtopolis cuius imperio paret 408.50
ſebaſtia à Tamerlano capta diripitur 239.29
ſechiigenet antiquitus quid denotet 608.54
ſeditio inter Turcas grauis 215.24
ſeditio conſtantinopolitana quãdo & qualiter inchoata 143.28. *cognomẽ vna vnde ſortita* ib.29
ſeditiones in Perſia a Goſarzo fratre Artabani excitantur 94.35
ſeghec noſtro idiomate quid, & cur ſic dicitur 480.8
ſella Darii quomodo à Dionyſio vocatur 29.39
ſeleucia ab Erycio claro & Iulio Alexandro legatis capitur & incenditur 104.49
ſeleucia vrbs in minori Armenia & eius deſcriptio 333.24
ſelymi iuſſu Muſtafa truncatur caſtri 368.12
ſelymus 1. Turcarum Imperator parricidio imperium conſequitur 274.48. *eius expeditio aduerſus Iſmaelem* 275.18. *eius mors* 279.55
ſelymus II. Solymani filius & ſucceſſor 296.23. *eius pfidia* 297.5
ſelymus inuadit Aladolum, & victum in acie interfici iubet 279.12
ſelymus Syriam & Ægyptum in ſuam poteſtatem redegit 279.36
ſemiramidis ſtola 338.45
ſenatus Venetus aduerſam principis valetudinem moleſte fert 426.40
ſenatus decretum, & cogitationes de rebus Turcorum euertendis 409.36
ſententia Vladiſlauienſis epiſcopi contra Chriſtianæ profeſſionis hoſtes 411.8.417.24
ſepulchrum Cyri 16.19
ſepultura Perſica 337.18
ſericum Talamanum vbi conficiatur 326.10
ſerui contra ſuos Dominos concitantur 176.37
ſeueritatis ſingularis exemplum 245.50
ſeſſiearus Dulgadori frater 461.49
ſeuera Valentiniani Imperatoris coniux 132.23
ſiauſch Baſſa, natione Hungarus Sinano Baſſa ſuccedit 370.40
ſicaidar Iſmaelis pater magnam excellentis virtutis opinionem adipiſcitur 266.3
ſiciliam Saraceni inuadunt 165.36
ſiccitas ferme inaudita 314.40
ſidahameth Tartarorum Imperator 444.15
ſilephica quondam Seleucia dicta, vrbs celeberrima, nunc à Turcis tenetur 460.37
ſigi caſtrum prope portum Caramania munitiſſimum 458.52
ſigiſmundi aduerſus Turcas expeditio 247.4
ſigi caſtrum à petro Macenico Imperatore claſſis oppugnatur, 459.16.461.31
ſinanus Baſſa reuocatur Byzantium 315.22
ſinan habito delectu circa Arſrom plurimi deſiderabantur, conquerens apud Sultanum Aiactyphan indixit [illegible]7.54
ſinan Baſſa ſupremum Viziriatus officium adipiſcitur 369.32
ſinanus purpuratus dux Turcicarum copiarum conſtituitur 312.34
ſinan Baſſa dux belli creatus accinctus ab Imperatore acinace pretioſiſſimo, & vexillo prætorio donatus eſt 367.45.46
ſinanus Baſſa omni honore exuitur, & in exilium iuxta Adrianopolim domeſticam [illegible]*titur* 5[illegible]88
ſinan Baſſa ignauia & defid[illegible] *ab Oſmano Baſſa ad Imperatorem accuſatur* 37[illegible].52
ſinanus Baſſa ſuccedit in locum Muſtafæ 367.45
ſinus Perſici breuis delineatio 3.36
ſimon Georgianus bellica virtute præſtantiſſimus 556.43
ſimon ob fratris inſidias ſibi ſtructas, a perſarum rege auxilium petit 534.45
ſimon ſcientia rei militaris, poeſis, & philoſophiæ peritiſſimus 534.24
ſimonis aduentus Georgianis gratiſſimus 55[illegible].1
ſimulachrum Mariæ virginis antiquum multis miraculis clarum in excelſo monte ſitum aſſeruatur 421.28
ſimulachrum Iouis ex albo lapide conſtructum 534.1
ſittas decurio Martyropolim Perſis prodit 154.15

ſinanſa Media Rex 502.9
ſolagkirum IaniZarorum, Aſaporum tanta multitudo, vt ſi inordinate incedant numerari nequeant 368.21.22
ſoldan Buſech iuſſu Vſuncaſſani caput amputatur 494.26
ſoltanus in Syria hoſtẽ quantumuis potentem tamen profligauit 381.32
ſolitudo per vniuerſam Myſiam, Thraciam, Macedoniam, ac ipſam Conſtantinopolim admiranda 382.10
ſolitudo Turcicarum regionum deploranda & miſeranda 380.11
ſolum omnino nigrum ibidẽ inuenimus 443.19
ſolymannus Turcarum Imperator eius nominis primus, a Tamaſo perſarum Rege profligatur 516.34.33
ſolymannus Perſarum hoſtis crudeliſſimus 522.5
ſolymannus cum Perſarum Rege Tamaſo pacem init 525.52
ſolymannus mouet arma in Luſitanos & deinde in Italos 291.38
ſolymannus Pannoniam inuadit 288.35
ſolymannus Vngariam inuadit 287.52
ſolymannus Selymo in imperio ſucceſſit 287.19
ſolymanni contra Perſas expeditio 290.8
ſolymanni victoria & clades in Perſia 293.18. eius obitus & natura 295.39
ſomnium & crudelitas regis cambyſis 19.23
ſomnium Nabuchodonoſor, & eius interpretatio ex Daniele, 8.15
ſophiana familia vnde originem traxerit 176.51
ſophianorum ortus & origo 236.1
ſeragaſthi Caſtellum munitiſſimũ Incremin lingua illorum dicitur 453.40.39
ſueci frigoris, & laborum patientiſſimi 378.30
ſuffi delirantium in modum ſaltando adeo exanimes redditi, vt mortuis ſimiles in terram caderent 462.6
ſuffi ſaltando Mahumetis beatitudinem predicant 462.3
ſubigk Perſa quidam captus cognomine Huſſaim ad Mehemetem ducitur 365.7
ſulcimẽ arabice Salomon 474.28
ſultania & eius reliquia 321.18
ſultan ſiue Ottomannicus Imperator opiparum conuiuium inſtituit 369.53. vſque ad finem.
ſultanus capitur a Chriſtianis & dolo euadit 191.10
ſultan Mehemet filius regius anno ſeptimodecimo circumciditur, ab vltimo Mehemete Imperatoris ViZirio quondam tonſore 370.7
ſultan & filius ob feſti ſolennitatẽ oſtentationis ergo ſapiſſime nummos, & patellas argenteas ternis vicibus quadragenas & quinquagenas ſparſerunt 370.10
ſultani aduerſus Romanos expeditio 208.35
ſultanorum in Ægypto imperium quomodo cœperit 176.53
ſultanis ſiue Ottomannici Imperii ducibus moris eſt, vt ſeſe cum pompa legatis exterorũ regum ſpectandos exhibeant 368.18
ſultan Sabadim India dominus 473.19
ſummachium à Turcis occupatum 311.6. Recipitur a Perſis ibid. 38
ſurena Teridatem inſigni regio euincit 92.52
ſurenas ſecundus à Perſarum rege illuſtri loco natus 88.50
ſurina patro in cocon? latino idiomate quid denotat 453.1
ſurũ Berrea, & Antiochia a Perſis expugnantur 144.36.38
ſuſa ciuitas a quo condita 331.16
ſynanus primi officio Viſirii inſignitus priuatur, & procul ab aula remouetur 639.26
ſyo celebratiſſimum in Perſia promontorium 480.7
ſyracuſani à M. Marcello deuicti ſunt 35.22
ſyracuſa à Saracenis capiuntur 167.33
ſyras vrbs Perſiæ vicina ab Aſſambeio rege muris altiſſimis & fortiſſimis foſſiſque profundiſſimis exædificata 470.53
ſyriæ adminiſtratio Corbulonis Romanorum duci demandatur 99.6
ſyriam Tartari amittunt 225.16
ſyruan ſiue media prouincia Turcis bello erepta 362.5

T.

TAbellionum Perſarum curſus & modus 17.45
taſaruccio Perſis feſtus dies vocatur 463.45
talsſimanni puteum qui in Chuerch eſt aſſidue cuſtodiunt 472.45
tamaſius principis Perſarum frater in Turcomannorum præfectum eligitur ac rex declaratur 643.52
tamaſius Iſmabeli in imperio ſubſtituitur, infeliciter & aduerſo ſucceſſo regnauit 131.45
tamaſius Perſarum Rex Cheiſeri arcem a Turcis muniſſimam ſolo æquauit funditusque euertit 516.39
tamaſius rex Perſarum celeberrimus moritur 516.29
tammaſius quid reſponderit audita Chriſtianorum principum nauali victoria 297.45
tammaſius Iſmaelis in Regno Perſico ſuccedit 287.7
tammaſius quot liberos ſuſtulerit 304.45
tammaſi mors & natura 298.50
tammaſi aula & Senatus 303.2
tammaſi ad Amurathem legatio 316.39
tammaſi ad Selymum legatio 296.28
tammaſi militia & Sultani 306.5
tamberlanes Perſarum rex Campeſtria ciuitatem ſplendidiſſimã ac ampliſſimam bis deuaſtauit ac deſtruxit 476.24
tamberlanus Rex Turcorum Imperatorem cepit, captumque abduxit, & in cauea more feræ detinuit 410.35
tamberlanus Tartarorum Rex Turcos ſæpiſſime profligauit, ac magnis cladibus affecit 410.33
tamerlanes inſignis pirata & deprædator 455.20
tamerlanus bellum BaiaZeti mouet 239.5
tamerlani expeditio aduerſus BaiaZetem 240.4. eius natura & mores 244.35
tamerlanus quomodo regnum Perſiæ inuaſerit & occupauerit 243.30
tamerlani in BaiaZetem crudelitas 242.3. eius ſæuitia ibid. 40. mors 243.8
thamyris ob victoriam obtentam condit vrbem Thamiram 15.29
thamyris Cyrum à regni ingreſſu prohibet 13.52
thamyris Cyrum a bello deterret 149

thamyris

thamyris Cyrum iterum ad conflictum laceſſit 15.3
thamyris ſtratagema 15.31
tanais fluuius longe celeberrimus 411.45
tanaim profecti ciues Veneti ob defodendum theſaurum 442.35
tana vrbs celeberrima 442.25
tanais vrbs exerto incendio conflagrauit 452.16
tangodor Tartarorũ Imperator, relictis ſacris Chriſtianorum, ad Mahumetem deſciſcit 223.51. eius interitus 224.3
tangrolipix fit Rex Perſarum 198.50
tangrolipix contra Arabes & Medos infeliciter pugnat 199.14
tharſus vrbs arcem habet amplam ex lapide egregie extructam, 461.53
tharſus vrbs in colle parum alte ſita 461.53
tharſus vrbs celeberrima Dulgadoro paret 461.49
tharſus regio Sultani imperio ſubeſt 461.51
tharſus vrbs 3. millia in circuitu continet 461.52
tharſenſium deditio 194.54
tharſenſi clade Turci maiorem nullam pertulerunt 265.18
tartarbans copia ferme omnes trucidate, & in Perſarum poteſtatem redacta 365.2
tartarus filios ſuos ad concordiam quomodo hortatus ſit 225.40
tartarus Chriſtianorum hoſtis immaniſſimus, & potentiſſimus 388.34
tartarus ſuas vires Turcorum copiis adiunxit 388.19
tartarus vino refertus inſtar Simia ſe gerit 446.53
tartarus quidam Demonius fugato exercitu Mengleri Merdaſſam liberat 454.44
tartari & Turci prœlio commiſſo 30000. millia vtrinque occubuere 365.16
tartari Babyloniam expugnant 221.7
tartari Antiochiam ſuo imperio ſubiciunt 221.48
tartari vaccas habent & iuuencas pulchritudine admodum inſignes 506.2
tartari fame, inedia, & morbis fracti ab Vſumcaſſane deuincuntur 494.25
tartari magno ſibi honori ducunt ſi alios potando vincant 499.51
tartari maxime inhumani 389.25
tartari omnium Barbarorum ſuperbiſſimi 389.24
tartari ſub dio (vt aiunt) aperto, publico aut priuato ædificio vitam tranſigunt 389.53.55
tartari Turcis coniunguntur ad portas ferreas duce Oſman Baſſa 367.3
tartari ſunt optimi aucupes 449.12
tartari omne auxilium Polonis aduerſus Turcos ferre pollicentur 426.13
tartari quamdiu imperauerint 225.34
tartari vino carent 446.54
tartari expeditionem in Aſiam ducunt 418.34
tartari tanquam grues, aut ciconia locum ex loco mutant 389.44
tartari Syria expelluntur 222.40
tartari præda ſomnoque ſepulti iacentes partim occiduntur partim in fugam vertuntur 552.11
Tartari Citrachanum vſque ad prædandum excurrunt 506.14
tartari ſimulachra ex ligno & pãnis confecta, eaque impoſita carris vehunt, & adorant 444.13
tartari calcaribus cur non vtuntur? 447.4
tartari laborum, aliarumque difficultatum ſubeundarum patientiſſimi 389.29
tartarorum origo 219.12
tartarorum Imperator maximo cum exercitu & copiis theſaurum defodendi gratia aduentat Tanaim 444.4
tartarorum prima irruptio 212.18
tartarorum multa, variaque genera 411.29
tartarorum rex Turcis auxilium atque opem obtulit 364.42
tartariæ regionis deſcriptio, euſdemque ſitus 441.53
tartarici Imperii declinatio 225.13
tartarici Imperatoris filius Tumembi filiam in vxorem ducit 477.35
Taſte villa trium dierum diſtans a Deiſer 474.36
Tſchaldung Georgianorum vrbs clariſſima 364.7
taurinum a militibus decipitur 290.41
taurus mons, ab incolis corteſtanus dicitur 320.51
taurinum a Selymo captum atque direptum 279.1
taurinus eſte Ianizaros, & aliquot ſpahioglanes in balneo occidunt 609.20
taurinum, & eius deſcriptio 319.4
techeller Perſicus armis inſtructus bellum contra Turcos mouet 272.36. eius diſceſſus in Armeniam 273.27
thebani vincuntur ab Alexandro 75.14
themiſtoclis ſtudium & ſolertia 56.12
temicarpi lingua noſtra quid importat 476.50
themiſtocles legationis ſpecie prætexta Lacedæmonem proficiſcitur 56.15
theminga ægre admodum ferebat, Sigia dominum eiuſque comites, quod a principe deſciuerãt, non eſſe interemptos 460.9.10
themiſtocles à Spartanis dona capiens ducatu priuatur 54.12
temeſwarienſis Baſſa Hungaricus 365.38
themiſtocles ad Meloſſorum Admetum regem confugit 58.29
theminga Caramaniæ principis dux 459.35.460.2
themiſtocles morbo correptus, Magneſiæ moritur 59.17
themiſtocles à Lacedæmoniis ad Athenienſes accuſatur 58.15
themiſtocles Ephoros pecunia corrumpit, ne inſtitutum eius infirment 56.13
themiſtoclis ſolertia & virtus 48.28
themiſtoclis epiſtola ad Artaxerxem 58.49
tempeſtas ingens Turcis cladem magnam infert 290.20
theodoſia vrbs ad littora Euxini ponti ſita 490.6
theodorus Laſcarus iunior patri in imperio ſuccedit 218.9
theodoſia omnium regionum fertiliſſima atque opulentiſſima 483.41
theodoſius tenta moderationis in rebus proſperis, vt pacis conſilia capeſſeret, fœduſque cum hoſte iniret, & percuteret 137.5. euſdem legatio ad regem Perſarum de pace conſtituenda 137.9
theophilus Thrauli filius, fit Im-

perator 185.36
theodoſius Chriſtiana pietatis acerrimus propugnator 135.44
theodorus Laſcarus fit imperator. 217.23. eius aduerſus Turcos expeditio ibid. 37. eius mors 218.4
theodoſio regnante Chriſtianiſſimo Imperatore Solis deliquium fuit, Cometa ab Idibus Iulijs ad menſem vſque Septembrem apparuit 137.41
theophilus cum ingenti victoria expeditionem in Saracenos mouet 186.12
theodoſius anno imperij decimo & ſeptimo reliquum vitæ tempus fatis concedit 133.12
theodora declaratur Imperatrix 205.32
theodoſius Maximum prælio ſuperat, captiuum abducit ac interimi iubet 132.34
theophili aduerſus Saracenos expeditio 185.45
theodoſius ab Auguſto Romanum imperium tenuit ſeptem decem annis 132.50. ſic 48
theophobum Imperator moriturus trucidari ob regnandi ſuſpicionem iubet 187.50
theodoſius Imperator à morte patris anno 42. reliquum vitæ ſpatium fatis adſcribit 137.39
terræmotus ingens & horribilis 206.23
terræmotus in Aſia & aliis regionibus ingens 176.30
terræmotus & peſtis Conſtantinopoli magna 274.5
terræmotus apud Lacedæmones tantus fuit, vt multa domus corruerent 59.55
terræmotus ingens ſub Leone Iſaurico 175.11
teridates confixus ſagittis cum ſuis copiis nocte appropinquante diſcedit 98.10
teridates ex Armenia profligatur 98.52
teridates colloquium cum Corbulone ſummo rerum adminiſtratore expetit 101.23
teridates phraate exulante rex cõſtituitur 90.44
teridates a Nerone Romanorum Imperatore in Armenia regem coronatur 102.47
teridates Armeniorum rex prior equo deſilit ad ſalutandum corbulonem 101.32
teridates cum paucis in Syriam aufugit 93.23
teridates a Corbulone conuiuio excipitur 101.47
teridates in ſpectaculis duos vno ictu tauros conficit 102.23
teridates priuſquam diſcedat iturus ad Neronem fratres ac matrem inuiſit, & filiam obſidem tradit 101.51
teridates rex Armeniorum magna pompa Romam ducitur 102.4
teridates Neroni muneris loco quinque millia Myriadum drach. offert 103.6
teridatis in Armeniam reditus 103.9
teridates cæſis victimis, ſublatum e capite diadema Neronis imagini ſubiicit, eiq; ſacrificat 101.43
teridates Arſacis nepos, Vologeſis, & Pacori regum frater 102.39
teridatis & Corbulonis mutuus congreſſus 101.33
terchiade quadraginta loca ſignificat 455.41
teridates mittit legatos ad Corbulonem 97.28
teridatis longa mora & cunctatio valde noxia fuit 92.54
thermo Monachus cur pernix vocatur 446.10
thermopylæ quænam ſint, & cur ita vocentur 44.48
thermuſſa Romana phraatis concubina 91.21
theſaurũ deſodendo reperiuntur quinque vel ſex globuli, vulgo pater noſter vocantur 443.44
teſſera Cyri Iupiter belli ſocius & dux 18.38
theſſalonica ab Amurathe expugnatur & diripitur 248.55
theſaurus in monticulo 50. paſſuũ altos fertur latitare 442.47
teſſa extrema campeſtria ciuitas admodũ percelebris & munita 476.27
tetarti albus idiomate Tartarorũ appellatur 453.20
tetarſica Menglerienſibus quid, & cur ſic dictum? 453.9. & ſic deinceps.
theZichia regionis Dominus Sirmanſa nominatur 476.37
tiberius Alexander Illuſtris eques Romanus miniſter belli eligitur 102.28
tiberius conſtantinus quando Imperator factus 153.4. eius mors ibid. 40
tiflis à Muſtapha occupata 313.1
tiflis vrbs inter Georgianorum populos & Syruan ſita 364.8.7
tigranocerta à Teridate fruſtra obſidetur 99.48
tigranes & Orodes in gratiam redeunt 84.35
tigranocerta facit deditionem, & mittit corbuloni auream coronam 98.42
tigranes a Nerone rex Armeniæ deſignatur 99.3
timoclea matrona Thebana inſigne facinus memoria dignum 75.29
tiphis vrbs pancratio Georgianorum regi paret 502.3
tipſis vrbs Georgianorum Regi ſubiecta eſt 499.41
tiras fluuius nauigabilis 327.39
tiribaZus dux perſicus cononẽ in vincula coniicit 70.21
tiridates, ſanguinis phraatis, creatur rex parthorum 92.13
tiſſaphernes iuſſu Artaxerxis regis regum capitis damnatus occiditur 68.53
tiſſaphernes Darii perſarum regis legatus, & præfectus 66.18
tiribaZus & reliq comites armati à ſatellitibus patris occiduntur 68.22
tithrauſtes Tiſſapherni ſuccedit homo ſolertiſſimus 68.55
tituli quibus homines factioſi inſigniuntur recenſentur 476.4
tyberis fluuii exundatio 171.49
tyranni qui nam propriè dicantur 37.21
tyrus ab Alexandro expugnatur 76.44
tocomac perſarum dux cum reliquis omnibus fugiendo ſalutem quærit 546.5
tocomac perſarum dux belli ſupremus Turcorum 13000. occidit 546.13
tocomac & ſimon perſarum duces cum reliqs copias coniungunt ad Turcos reprimendos & profligandos 569.43
thomas de Cilia Cæſareus orator 413.50
tewombeius à Selymo ſuſpenditur 279.42
trahaidem quod carri & Tranali vocantur 456.5
trabiZonde fratris Imperatoris Conſtantinopolitani imperio ſubeſt 475.19.18. cur titulo imperatoris vtatur ibid. 18
trabiZonde vrbs pulcherrima, & latiſſima verſus Africam ſita 475.17.16
thracia a Saracenis deuaſtatur 170.6
traiani Romanorum Imperatoris vox ſolemnis, & nunquam ſatis

ſatis laudanda 20.10
Traianus Romanorum Imperator Neruæ ſucceſſor 104.19
traiani ſingularis virtus 105.18
trapezuntiæ vinum in arboribus naſcitur 457.22
trapezus Græciæ ciuitas à Turcis occupatur 408.55
trapezuntis imperium euerſum 254.4
tributa quis apud Perſas primus imperarit 345.3
tridentinus Antiſtes Cæſareæ legationis princeps orationem ad ſenatum habuit 422.15
triumphi Traiano decernuntur à ſenatu 104.35
triumuiratus ſuprema Romæ poteſtas 90.33
troche Poloniæ verſus regio ſplendida & pulcherrima eſt 457.11
tulubagator Tartarorum lingua quid ſignificat 44*.52
tumultus inter Ianizaros & Saphos coortus ob ingentem exercitus penuriam 364.47
tumenbi idiomate noſtro quid denotat 477.28
turcæ erigunt munitiones 312.20
turci potiſſimum arcu & gladio vtuntur 382.40
turcarum claſſis, Tunetam miſſa 318.35
turci Mahometum tanquam præcipuum Dei nuncium venerantur 362.26
turcarum ſtratagema 313.49
turcus ferme totam Italiam deuaſtat luctu Germanorum maximo 422.44
turcarum Imperat. aliquoties per legatos pacem à Perſarum rege intolerabilibus conditionibus petiuit 361.39.ſic 40
turcis peruana Giol quid ſignificat 543.6
turcus cum Polonia Rege pacem inſtituit 419.42
turcarũ munitio à Perſis dirupta 313.30
turcarum prælio cum Perſis prope Byzantiũ commiſſo 12000. aut 15000. occubuiſſe fertur 364.1
turci adeo imbelles, ac effœminati vt in Aſia ſemper victi, cæſi atq; profligati ſint 386.20
turcorum natio modica & infrequens obſcuris prouecta originibus 380.54
turci & eorum progreſſus 394.40
turcarum apparatus contra Perſas 309.24
turci cruce aliquando notati 156.26
turcorũ incrementa magna 198.38
turci à Romanis cæduntur 199.30
turcorum clades magna, duce Delimenthe 290.52
turci affliguntur peſte & commeatus inopia 313.38
turcorum à Perſis defectio 198.25
turci oppreſſis Sultanis Saracenorum ſibi regna conſtituunt 181.54
turcorum origo 199.54
turcorum traiectus in Græciam ex Aſia 236.51
turci de improuiſo à perſis cæduntur 314.32
turcorũ potentia dilatatur 205.7
turci expulſis Saracenis Perſiam occupant 198.52
turcorum in vrbe Conſtantinopolis ſauitia 232.5
turchomania, olim Armenia nunc Carocoiln dicitur 325.36
turcorũ ſucceſſus proſperi 208.50
turci communi appellatione captiui, transfugæ, & indigenæ nuncupantur 398.34
turcorum cædes à Tartaris inflicta 235.51
turci vbique cæduntur ingenti numero maximoque dedecore 381.21
turcorum & Vzorum incurſiones 206.12
turci quos vicerint, & ſuo imperio adiunxerint 385.13
turcarum ingens clades, cum non mediocri ſtrage Perſarum 311.30
turci Luſitanorum ope funduntur 292.30
turcomanniæ regnum conſtituitur 209.19
turci magna copia, relicto Mahomete Chriſtianam fidem amplectuntur 193.33
turcica & Perſica militia deſcriptio 282.32
turci gladiis in dorſum falcatis vtuntur 383.1

V.

Valachi gentes omnium nationum primordia profitentes 398.18
valachi non amplius quam ſexdecim millia in bellum mittunt 385.49
Valachi gens duas in partes diuiſa armis & bello præſtans 385.48
valebech is Aſambei Perſarum regis frater 462.16
valentinianus II. Gratiani frater in imperio ſuccedit 132.24
valens Imperator igne abſumptus, vita priuatur 132.12
valentinianus II. Gratiani frater Maximi tyrannidem fugiens à Theodoſio perhumaniter excipitur 132.33
valens Valentiniani Imperatoris filius Arriani dogmatis acerrimus defenſor 131.39
valentinianus cõſobrinus à Theodoſio Cæſar renunciatur 137.
valens Imperator Sapori Perſarum regi contra fœdus ictum bellum indicit 131.50
valentinianus cum matre placidia Romã proficiſcitur 137.38
valens Valentiniani frater Pannoniæ princeps à fratre in conſortẽ imperii adoptatur 131.33
valentinianus Gratiani Imperatoris filius Ioniniano in imperio ſuccedit, Imperatorque renunciatur 131.8
valens Auguſtus & Imperator declaratur 131.32
valentinianus veræ pietatis ac fidei ſtudioſiſſimus & maximus propagator 131.36. eiuſdẽ mors, ibid. 35
valentinianus III. vltimus Imperator occidentis vſq; ad Carolum Magnum 138.15
valerius Aurelianus malitia ſui notarii, & manu Mucaparis interimitur 117.36
valerianus Imperator & Auguſtus deſignatur 114.39
valerii Aureliani victoria contra Zenobiam 117.27
valerianus à Perſis capitur, & fit exemplum humanæ calamitatis 114.44
valerius probus per inſidias à ſuis militibus interimitur 118.25
valerii Aureliani epiſtola ad Vicarium ſuum breuis & ſuccincta 117.41
valerius probus vir illuſtris gloria militari, multiq; heroicis virtutibus clarus totius exercitus ſuffragiis Imperator eligitur 118.19
valerius Aurelianus vir militari virtute excellẽtiſſimus 117.23
van eſt vrbs ad lacum Actamar maioris amœnia ſita 521.35
vanum capitur à Perſis & diripitur 309.43
vaſtan vrbs deuaſtata, peſſimeq; culta 463.9
vathi prouinciæ Bendian propugnaculum 452.46

vaticanum à Saracenis diripitur 184.41

vati vrbs Turcarum ditioni finitima, tributum Ottomanno ſoluit 500.49.50

varamus Perſarum Dux, rebellionis aduerſus Hormiſdam autor eſt 155.5

vararanes perſarum regis filius bellum aduerſus Romanos parat 137.12

varanes Saporis filius, qui & cermaſat, à Cerma natione dictus 112.50

varanes Iſdigertis Perſarum regis filius 135.37

varanes Iſdigerti in Imperio Perſarum ſuccedit 135.37

vararanes I. annum & decimum diem aſſequutus, nulla re praclare geſta, inglorius moritur 112.5

vararanes II. primi Vararanis filius 16. annis imperio præfuit 112.7

vararanes III. dictus Seganeſna, rex Seganorum nuncupatur 112.17.8

vardanis victoria aduerſus Gotarzen 95.8

vardanes Artabani frater à Perſis accerſitur 94.32

vargari terra pulcherrima & ampliſſima mille tantum ædificia continet 474.32

varnenſis Chriſtianorum clades 250.4

varſonith Lituaniæ prouincia dominis quibuſdam paret, qui polonorum regi ſubſunt 457.9

varti caſtrum, & pagus exiguus in Mengrelia ſitus, ſubiacet Gorbola 491.21

vectigalia è Perſico regno ſublata 302.40

vena apud Turcos metallorum quando primum inuenta 383.17.33

venedes populi Poloniæ finitimi 398.1. *Sclaui olim nominati* 398.1

venefici qua pœna olim apud Perſas affecti 337.15

veneti a Troianis originem ducere videntur 430.51

veneti recipiunt Cephaleniã 265.42

veneti cum Turco pacem ineunt 418.55

veneti Turcis, poſt afflictas Græcorum opes, bellum intulere grauiſſimum 384.11.12

venetorum clades 189.15

venetorum ad Vſumcaſſanum legatio noua 261.27

venetis curæ eſſe debere vt omnia, quæ a Turcis poſſeſſa ſunt, recuperent 418.44

venetos bello adoritur Solymannus 291.49

venetis templum in monte Athone diuæ Mariæ virginis pulcherrimum eſt extructum 511.32

ventidii in parthos ſtratagema 89.51

ventri Reginæ corona cur impoſita fuit 112.37

verueces ſunt pinguiſſimi, pilis longiſſimis, quorum cauda vna duodecim pondo librarum habet 450.12.14

victoria Selymi aduerſus Campſonem Ægypti Sultanum 279.27

victoria odenati palmirini contra Perſas, 115.50. *& per totum*

victoria Romanorũ contra Narſen Perſarum regem potentiſſimum 116.36

victoria Iuliani Imperatoris prope Argentoratum 126.17

victoria Iſmaelis contra Laſilbam Sarmantis Regulum 270.44

victoria Perſarum inſignis 292.48

victoria & triumphus Græcorum contra Themiſtoclem 48.32

vienna Auſtriæ obſidetur 288.18

vinum Tartari quomodo parare ſolent 445.5

vincentius Alexandrinus, a Venetis legatus in Perſiam mittitur 297.12

viri inſignes hoc tempore apud Græcos florent 60.24

vizerius a Perſarum Rege capitis ſupplicio mulctatur 640.28

virtutes & res præclare geſta contra parthos 103.43

virtutes Cyri, quibus maxime deditus fuit, recenſentur 67.29.30

vires, potentia, & facultas hoſtiũ quanta 379.37

vis & potentia Turcarum priſtina debilitata & labefacta, planeque exhauſta 361.39

vita, & mores Tartarorum 388.39

vitellii cohortatio ad nouum regem & prouinciales 92.42

vitellii diſceſſus in Syriam 92.44

viniamus Annius Corbulonis Romanorum ducis gener 103.29

vladiſlaus Poloniæ, atque Hungariæ rex ob nimiam animi virtutẽ diuus adpellatus 381.18

vladiſlai filii inclyti Matthiæ regis virtus & animi magnitudo in rebus gerendis ſingularis ac omnibus admiranda 381.25

vladiſlaus Caſimiri frater gerendis rebus contra Turcos in ipſo ætatis flore occubuit 411.22

vladiſlaus fax bellorum furens 390.43

vladiſlaus Diuus Poloniæ rex & Satrapa inclytus 388.9

vladiſlaus Dracula Turcorum dux ac Imperator interimitur 385.53

vladiſlaus Poloniæ, Hungariæque rex 391.7

vladiſlaus Caſimiri pater Poloniæ Hungariæq; Rex 411.13

vladiſlaus Poloniæ Rex nomen profeſſus Chriſtianum acerrime defendit 388.18.29

vlumahumeth Can, Magnus Imperator Maumetiens Tartariæ 1438. *anno Chriſti regnauit* 444.18

vlumahometus ſe inferiorem hoſtium copiis videns vna cum filiis profugit 451.2

vlubi filius Azicharei dominus Agri 453.56

vlumahumetus Tartarorum rex trecenta hominum millia in aciem educere poteſt 437.49

vltionis diuinæ exemplum 214.5

vltionis diuinæ exemplum 190.45. & 54

vltionis diuinæ exemplum 175.27

vnghermaumet Vſumcaſſani filius, à patre deficiens, regnum Perſarum inuadit 262.6. *comprehenſus a patre interficitur ibid.* 55

vniomum captura 323.37

volandum caſtellum validiſſimum a Corbulone expugnatur 97.44

volachi Turcis qui 550.10

vologeſes Vononi ſuccedit in regno, & Pacorum ac Teridatem fratres prouinciarum præfecturis ornat 96.22

vologeſus II. a M. Antonino philoſopho bellum infert 106.15

vologeſes quadraginta millia Perſarum regi Veſpaſiano mittit 104.7

vologeſes in literis ad Veſpaſianum ſcriptis, vocat ſe regem regum 104.15

vologeſes petit inducias à cerbulone Romanorum duce 101.22
vologeſes Parthorum rex obſides Romanis iuuenes nobiliſſimos tradit 97.6
vologeſes variis curis diſtrahitur 99.7
vologeſis oratio ad proceres ſui regni 99.24
vologeſes pacem cum Romano Imperatore auidiꝰ quam bellum init, & contrahit 100.6.11
vologeſes reuocat ab Armenia Moneſem 100.12
vologeſes Vononis Perſarum regis filius 96.18
vonones Medorum Rex in regnum accitur, & rex Perſarum creatur 96.16
vrbes, arces, hoſpitiaque Polonia multum a Germania diſcrepant 488.10
vſoncaſſani conſilium cum Perſis pacem ineundam 507.54
vſoncaſſanus in Meſopotamia quoties hoſtem deuicerit 381.31
vſumcaſſani victoria & potentia 261.53
vſumcaſſani obitus & natura 263.6
vſumcaſſanus Armenia dominus 493.49
vſumcaſſanus Perſicum regnum inuadit 259.15
vſumcaſſani legatio ad Mahometem 253.26
vſtreſbaſſa princeps Armenia maioris Mahometem ſummo perſequitur odio 521.34
vſtr[illegible]baſſa Perſarum Regi bellum inferendum ſuadet 522.1
v[illegible] Ageſilas 11.38
v[illegible] apud Perſas modus 338.[illegible]
vox Traiani memorabilis 105.33
vox memorabilis & perpetuo obſeruanda, a Theodoſio prolata, 133.18

W.

Vvilhelmus, Normannus ab Haraldo ad duellum prouocatus, ipſum interemit 137.53

X.

Xantippus Periclis pater Athenienſis 54.11
xerxes ſuper Helleſponto pontem extruit 40.48
xerxes IV. rex Perſarum 37.51
xerxes inito cum Carthaginienſibus fœdere, pacem rumpit bellumque indicit 40.26
xerxes Perſarum rex modum currendi a Cyro iuuentutem ſtudioſe probauit 17.51
xerxes ab Artabano interficitur 60.44.61.2
xerxes in bellico commeatu, aquam ex Choaſpo vehere curabat 61.10
xerxes Perſarum Rex cum toto exercitu a Thermopylis profligatur, ac in fugam conuertitur 45.8
xerxes parat exercitum in Scythas 39.18
xerxis Perſarum regis improſperi ſucceſſus 39.43
xerxis fuga & clades 49.4
xerxis regis Perſarum epiſtola pro Iudæis 55.23
xerxis magnanimitas & clementia 61.26
xerxis Perſarum regis expeditio aduerſus Græcos 39.45
xiſtus pontifex Romanorũ Maximus 426.26

Z.

Zagathai regionem filius Soldani preſatthi gubernat & adminiſtrat 471.3
zagathai Idolatra Tartarorum imperio parent 456.23
zagathitengk Turci album nominant 453.23
zagarli Satrapa perſepolis vrbis præfectũ deuicit & in fugam conuertit 494.53
zaghen regia ſedes Turcorum ſerico abundans 536.21
zalchanus præſtantiſſimus dux è familia Iſtigelum prognatus 516.52
zanzinbenth vrbs ad mare ſita 475.13
zatus rex Lazerum Chriſtianam fidem ſuſcepit 141.32
zelsobes rex Hunnorum a rege perſarum propter perfidiam interficitur 141.27
zenobia Rhadamiſti coniux, ab eo vulnerata, & in Araxim flumen proiecta, a paſtoribus illinc extrahitur, & viua ad Teridatem perducitur 96.35. vſq; ad 40
zeno Imperator Leoni defuncto ſuccedit 139.15
zeno gener Leonis Imperatoris 139.18
zenobia fœmina virilis animi eximiæq; fortitudinis 116.10
zenodotia ciues intra muros capti obtruncantur 85.3
zerifter poſtrema campeſtria ciuitas cum Teſſa tria millium ædificiorum efficit 476.28
ziangerbeius Aſambei perſarum Regis frater 462.28
zich orator Byzantius natione perſa homo facundiſſimus, & urbanus valde 144.18
ziſilis regio fertilis ad incolendum inepta 457.45
zimiſca Imperator Byzantium lætus ingreditur 196.5
zitilis regio Georgianorum 478.36.42
zomari vnigenus in Apulia naſcitur 475.54
zoroaſter princeps Perſarum, quando floruerit 337.50
zulcimius Saracenorum pontificis interitus 172.33
zunda daer oppido Cadabes cum maximis opibus, quibus Dæmones incubabant, Chriſtiani Epiſcopi opera potitur 141.5

FINIS.



LABORATORIO PER IL
RESTAURO DEL LIBRO
Enzo Chinaglia
Via Val della Torre 150
10040 CASELETTE (TORINO)

15 MAG. 1974